


Beka



HISTORIA ULTRAJECTINA.


BIBLIOTHECA
REGIA
MONACENSIS

IOANNES DE BEKA
Canonicus Ultrajectinus, et
WILHELMUS HEDA
Præpositus Arnhemensis,
de
EPISCOPIS ULTRAIECTINIS.
RECOGNITI ET NOTIS HISTORICIS
ILLUSTRATI AB
ARN. BUCHELIO BATAVO I.C.

Accedunt
LAMB. HORTENSII MONTFORTII
SECESSIONUM ULTRAIECTINARUM
LIBRI, ET
Siffridi Petri Frisij Appendix
ad Historiam Ultrajectinam.

ULTRAIECTI.




ex Officina Ioannis a Doorn.
CIƆ IƆC XLIII.

AD


URBEM

ULTRAJECTINAM,

Virorum principum geſtis, & priſcâ nobilitatis, atque eruditionis famâ celebrem, ac majore in dies literarum cultu, & multiplice ornatu, illuſtriorem.



Εὖγε, μάλ᾽ εὐγενέων μῆτερ μεγαλώνυμε φωτῶν,
Πότνια γενναίης μῆτερ ἀγηνορίης.
Εὖγε, πολυκλειτὴ Μουσέων χάρις αἰὲν ἐουσῶν,
Ἀνδρομένης σοφίης, ἠδὲ καὶ οὐρανίης.
Δεῦρο νέοι συνίασι δαήμεναι ἐμμεμαῶτες,
Ἔνθα κιχησόμενοι πουλυμαθημοσύνην.
Δεῦρο ξένος σπεύδει καταθαμβήσων μέγα κλέος,
Ἄστεος εὐκτιμένου δώματ᾽ ἐϋκτίμενα.
Εὔχεο γοῦν, πολύολβε πόλις, μόνη ἀστυάνασσα·
Εὔχεο Βαταβίης ἔμμεναι Βαταβίη.



ANT. ÆMILIUS.



ILLUSTRISSIMIS ac POTENTISSIMIS

PROVINCIÆ ULTRAIECTINÆ ORDINIBUS,

ET

AMPLISSIMO ac PRUDENTISSIMO

URBIS TRAIECTINÆ SENATVI.

QUotiescunque Vestra, Illustrissimi ac Potentissimi Proceres, in universam Remp. & Vestra, Amplissimi ac Prudentissimi Viri, in hanc Vrbem, merita, pensiore judicio mecum reputo: illam optimis temperatam legibus, & tranquillam; hanc avito splendore, atque eruditionis famâ illustrem, melioribus insuper artibus, & novo ornatu, cultuque, ita in dies efflorescentem, ut Vobis æquè, atque Cæsari Augusto, gloriari liceat: qui, quam lateritiam acceperat urbem, marmoream se relicturum, jactabat: illud vel præcipuum, & proximum miraculo videtur, de quo tota Vobis, Invicti Proceres, gratulatur Resp. atque orbis terrarum quasi defixus stupet; quòd inter hos bellicæ tempestatis fluctus, alcedonia sunt domi: &, dum armis Vestris longè lateque ingentem circumfertis terrorem, in urbibus Vestris otia sunt, & in agris magna ubique securitas: omnia denique paci, quàm bello, propiora: quia, quæ Vestra incredibilis prudentia, & invictæ virtutis

 singu-

ſingularis fortuna eſt, hoſtem quotquot annis ſubmovetis longiùs, atque ex univerſo bello, nihil Vobis, præter integram victoriam, & opima ſpolia; illi, præter internecionem & ignominiam, omnem cladem relinquitis. Quâ Veſtrorum armorum prope perpetuâ felicitate, non civibus modò, ſed exteris quoque populis, optimè conſulitis: qui toto fere orbe Chriſtiano, bellicâ clade pulſi, vel aliâ calamitate profugi, undequavorſum ad Vos, tamquam in aram, confugiunt, &, quam ubique deſperant, ſub Veſtro imperio ſecuritatem inveniunt. Vtque illi Vos, quaſi Opitulos colunt Deos: ita cives univerſi, qui ſalutari præſidio Veſtro & providentiâ, quâ in medium conſulitis, tot jam annos fruuntur, Veſtris auſpiciis & conſiliis lucem & ſpiritum; Veſtris armis fortunas, & ſecuram debent libertatem. Quos inter ego quoque, iiſdem beneficiis cumulatus, & tot auctoramentis obſtrictus, dum neque intra ſolam conſcientiam, tot meritorum memoriam coërcere valeo, ingrati notam veritus; neque inſcitiam prodere ſuſtineo, ſi, quam à nemine mortalium expectatis, vicem exolvere coner (Veſtra quippe merita, quia magnitudine præcellunt, par hoſtimentum non admittunt) in hâc anxiâ cogitatione, quamvis potiùs aleam jaciendam, quàm ingrati infamiam ſubeundam, &, cùm paria Vobiſcum facere nequeam, gratæ utique voluntatis aliquem Vobis obſidem offerendum eſſe, duxi. Dum igitur librariam ſupellectilem

Reſpicio, & quæ ſit me circum copia, luſtro,

nihil occurrit, quod Vobis æquè acceptum fore arbitrer, atque hoc opus hiſtoricum: quo res magnæ, Pacis ac Belli, Vobis quotdiebus tractandæ, occurrunt. ac quemadmodum Romanus Scipio nunquam ſe ad capiendum ſomnum compoſuiſſe fertur, ſine libris Xenophontis, rex Alphonſus ſine commentariis Cæſaris, Carolus V. ſine hiſtoriâ Cominæi: ita Vos quoque nihil, ſcio, magis avidè lectitare conſuêſtis, quàm quæ cum Veſtris curis conjunctiora ſunt Deinde, quod caput eſt, ex omnibus libris hiſtoricis, hos magis gratos fore perſuaſum habui, quibus majorum res geſtæ celebrantur. Quod haut dubiè Veſtris quoque civibus, quibus

bus optimè consultum cupitis, tantò optatius obtinget, quantò sua, quàm aliena, nôsse, jucundius & utilius est. Qui enim res externas scrutatur, suarum ignarus, non minus turpiter errat, quàm qui terras omnes circulatus & maria, hospitatur domi. Postremò hoc me vel præcipuè perpulit, ut historicum potiùs munusculum Vobis consecrarem, quòd non alienum mihi videretur nupero Vestro, Illustrissimi Proceres, & Amplissimi Domini, instituto: qui, dum ferale classicum Vestros fines circumsonat, inter publicas curas, literas esse voluistis; atq; inter clypeos & gladios, togatam quoque stare Palladem, & crescente in dies armorum strepitu, hoc pacis negotium agere instituistis, erecto in primariâ urbe, bonarum artium Athenæo: unde, velut ex equo Trojano, quàm plurimi olim præcellentes prodeant viri, qui Ecclesiæ, aut Patriæ laboranti, salutarem navent operam. quorum utrumque etiam præstat Historia, quæ cœlesti sapientiâ, & civili prudentiâ, imbuit legentium animos. Cùm enim primum & præcipuum sapientis officium sit, quem Opt. Max. dicimus, summū rerum arbitrum agnoscere Deum, eundemque, ut muneratorem beneficum, & scelerum vindicem, colere & vereri: hæc solicita piæ mentis cogitatio, tam in ipsorum Principum, quàm in subditorum animis, mirum quantum excitatur exemplis historicis; siquis, quod ope humanâ majus est, regnorum imperiorūque versabiles spectet vices. Superbos reges, velut cothurnatos, in hanc mundi scenam ingressos; mox improviso casu dejectos, & quasi ad staturam suam reversos. Gentem, triumphato Oriente & Occidente, terrarum dominam, omnium denique factam prædam. Et, quod magis miremur, non magnis hæc intervallis semper divisa; sed horæ quandoque momentum interesse inter solium, & aliena genua. Quod longa annorum series, & prolixa fortunæ indulgentia, struxerat imperium, uno dissipatum die.

Quem dies vidit veniens superbum,
Hunc dies vidit abiens jacentem.
Ima permutat brevis hora summis.

 Bellum

Bellum repente in mediâ consurgere pace; quo ipsa in metum transeat securitas, sine hoste passura hostilia: quia, si alia deficiunt, cladis caussas nimia denique sibi invenit felicitas. Alibi peregrinantes videre est populos, quos, vel domestica seditio, vel bellica clades, sedibus pulsos, velut è naufragio nudos, in diversa effudit, & Græcos Barbaris, Orientem Occidenti, commiscuit. Alibi terra repente, ingenti scissa voragine, plurimas hausit urbes. Est ubi unius autumni pestilitas frequentes vacuefecit civitates. Alio denique atque alio petauro humana jactari videas. Quos varios casus passim, quà vetus, quà recens, loquitur historia. Quæ cùm viribus humanis majora sint, nemo, opinor, ita exsensâ mente est, qui non harum rerum lectione permotus, oculos ad cœlum erigat, lubensque fateatur, esse aliquem modimperatorem universi, qui in ratione mortalium, quasi utramque faciat paginam: cui cuncta expensa, cuncta eidem accepta referas. Quod autem ad civilem prudentiam attinet, quà urbes fundantur, bella geruntur, fœdera sanciuntur; quà denique summum rerum humanarum fastigium, regia majestas, se tuetur: magno hîc rerum variarum usu opus est,

Exemplo monstrante viam:

dum præterita cum præsentibus componimus, & ex eo, quid domi militiæque opus sit facto, prudenter colligimus: Quarum rerum si nobis ipsis experimenta capienda essent, non trisecli senex Nestor sufficeret: sed pluribus opus foret seculis. Verùm hic mortalis naturæ defectus optimè pensatur longâ annalium memoriâ: quæ ut plurium annorum, ita hominis ætate efficacior, & melior, vitæ magistra est: quæ multò etiam ante canos & rugas, nos juvenes faciat circumspectos senes: dum quasi per innumera vitam trahimus secula, non nostris, sed mundi annis ætatem auspicantes. ubi jam inde ab omni ævo, tot populorum rebus gestis interesse legẽtibus cõtingit: tot regnorum arcana, tot rerũpublicarum archiva introspicere fas est: à quibus omnibus eum, qui historiarum expers sit, exclusissimũ esse, necessũ est. Neq; enim temere aliis, quàm qui in annalibus occurrũt, regibus, à secretis nobis

nobis esse licet: non alii, quàm quos historiæ exhibent, principes, nos ad penitiora admittunt consilia: non alius denique senatus intima patent scrinia, quàm quæ rerum gestarum conditores nobis aperiunt. Præter ipsos conscriptos patres, uni olim Prætextato Papirio Romana patuit curia; nunc promiscuè literatis omnibus. non janitor, mihi credite, non apparitor, non lictor publicus aditu intercludet: quod rebus bene gerendis maximum adminiculum est. Hæ rationes, Illustriss. Proceres, & Amplissimi Viri, me perpulere, ut hoc Vltrajectinorum Annalium opus, quod doctissimi I. C. Arnoldi Buchelii Notis illustratum, nunc multò prodit ornatius, ipsâ vetustate novum, & novitate vetus, Vestro Nomini inscriberem: non modò, ut se tueatur summæ auctoritatis patrocinio, adversus malignorum morsus, & livorem seculi: sed imprimis, ut aliquod grati animi pignus Vobis relinquerem.

Potentissimæ Magnificentiæ Vestræ, & Amplitudini,

Devotissimus cliens

JOANNES à DOORN.





MEMORIÆ

Celeberrimi Historici & Jurisconsulti

ARNOLDI BUCHELII.

ERUDITISSIMAS NOTAS

In Historiam Ultrajectinam,

Unà cum vita finientis.



Ratia dum doctæ fuerit mihi grata Minervæ,
Et tua, BuchelI, gratia dulcis erit.
Nam quæ mors homines inter commercia tollit,
Vivere te memori pectore nulla vetat.
Ut fueras quondam priscæ virtutis imago.
Sic mihi jam virtus semper imago tui est:
Non ego tam celebris laudes meditabor amici.
En claret propriis, quas dedit ipse, Notis,
Qui vitam patriæ & perituris addidit annis,
Is meruit nunquam, post sua fata, mori.

ANNA MARIA à SCHURMAN.

Beatis

Beatis Manibus Optimi

AVUNCULI,

ARNOLDI BUCHELII, I.C.

ET HISTORICI

VLTRAIECTINI.

Κάτθανες, ἆτλα γέρον, τὸν δ' ἱερὸν ὕπνον ἰαύεις,
Ἄμμιν καλλείψας δάκρυα καὶ στοναχάς.
Ἦσθα πάρος Θέμιδί τε φίλος, φίλος ἦσθα βροτοῖς τε,
Ἱστορίης τ' ἄρχων πατρίδος ἡμετέρης.
Κάτθανες, οὐκ ἔθανες δ' ἔμπης· σέο δ' εὐσεβίη γὰρ
Ἠδ' αὗται σελίδες μή σ' ἐθέλουσι θανεῖν.

Idem Latinè.

Vixisti, venerande Senex, sacrumque soporem
Ducis, mi linquens cum lachrymis gemitus.
Charus nuper eras Themidi & mortalibus ægris,
Nec non & patria primus in Historia.
Vixisti, vivisque tamen: pietas tua namque
Et liber hic præsens ne moriare vetant.

ADOLFUS VORSTIUS, ÆLII EVER. F.
mœstus P.

IN OBITVM

Amplißimi doctißimique

VIRI,

D. ARNOLDI BUCHELII, I.V.D.

Et apud Vltrajectinos Advocati, absolutis jam accuratissimis in

HEDAM & BEKAM

Commentariis, defuncti.

SEnex verende & erudite, BUCHELI,
Dudum celebris lux decusque Trajecti,
Antiquitatum promeconde nostrarum,
Scrutator usque veritatis abstrusæ,
Propaginumque & stemmatum vetustorum,
Quæ penè edaci dente roderant anni,
Cœcisque caries admomorderat saxis:
Tibi parentat Manibusque fert justa,
Tuæ senectæ cultor; & dolens vates
Fundit querelas, triste funeri donum.
Non jam per urbem, mitra cui dedit famam,
Vetusque Rheni ripa & Ordines sacri,
Tot templa Divûm, porticusque turresque
Gradior sodalis & severus auditor.
Cum prisca rerum absconditosque natales,
Diesque doctè Præsulum & Sacerdotum
Fastos notares, Amstelæque rectores,
Et jus potentis impetumque Woerdani,
Audaxque Velsi facinus & Duces pulsos.
Non jam tuorum bella & horridas pugnas,
Irasque narras, vel truces Sicambrorum
Batavûmque motus; nec perambulas mecum
Vultus Quiritum & Albulam triumphantem,
Sculptas metallo Galliasque Memphimque,
Trinacriamque, fibulasque pelvesque,
Cultros, secures, lampadasque Vestarum,
Semesa seclo marmora & fatiscentes
Ævo figuras, lineasque labentes.

Non

Non imus ultrà, ut quicquid abditum ſervat
Mercantis urbis inſtitorque civiſque,
Luſtremus ambo, Cæſares paludatos,
Vrnaſque triſtes, Iſidiſque portenta,
Aut quæ remotis Perſa ſedibus mittit,
Vel dives Indus, aut Hydaſpis extremus
Gangiſque potor & ſuperbiens Eos.
Nec ſcripta monſtras pulpitiſque diſpoſta
Monumenta centum, tot voluminum claſſes,
Diplomatumque tot cadentium ceras.
Rupere Fata federis fidem tanti,
Commerciique litterarii nexum,
Humanitatis Palladiſque contractus,
Sodalitatis jura longiùs cultæ.
Tibi per celebres editoſque doctrinæ
Mens gnara colles ivit & ſalebroſas
Vectus per artes & vireta Muſarum,
Scientiæque multiformis ambages,
Phœbi profundis vallibus reſediſti,
Tota repletus Phocide atque Permeſſo.
Tunc Iuris almi prædicanda majeſtas
Aſtræa, alumnum maſculo imbuit ſucco,
Legumque ſtudiis, Scævolaſque in exemplum,
Accurſioſque Bartoloſque Baldoſque,
Iäſonaſque objecit & Triphoninos.
Reis patronus, integerrimus tutor
Tui clientis, ſanctitate pro roſtris
Multa ſtetiſti, judicique dictaſti
Reſcripta Regum Principumque reſponſa.
Sic dicta cauſa eſt, ut reus triumpharet,
Abiret actor, vindicemque pupilli
Pietas amavit & ſeverius rectum.
Oſor ſuperbæ mentis & mali faſtus,
Fœdique luxus improbique livoris,
Facilis minori, ferre doctus æqualem,
Majoribus ceſſiſſe, diligi cunctis,
Comis, benignus, lenitatis aſſertor,
Et æquitatis & modeſtiæ, ſummam
Cœlo intuliſti conſcientiæ laudem.

Mox

Mox jura Gangi Bengalæque ſcripſiſti,
Arabumque terris portubuſque Perſarum,
Toſtæque rexti Tethyos forum grande,
Interritamque Nerei ſenis turbam.
Cum tot Senator inter aſſidens Patres,
Claſſes Batavas Amſtelamque mercantem,
Yamque Eöis meſſibus beaviſti,
Pactiſque Reges Principeſque junxiſti
Vel Marte crudo, & claſſico ſubegiſti
Bellator abſens. Sed ſerenior viſa eſt
Sors iſta vitæ, quæ cruenta Gradivi
Horreſcit ora, ſeque mancipat paci,
Et incruento devovet diem Phœbo.
Et iam tenebris involutus & longo
Situ relanguens Heda, redditur luci.
Caliginiſque conſcius ſuæ ſcriptor
Totus pateſcit. Præſulumque per faſces,
Epiſcoporum tempora & truces faſtos,
Antiſtitum ferocientium bella,
Sacraſque mitras Beka terius vadit.
Miratur ipſa ſe reconditam clarè
Legi vetuſtas, impedita diſſolvi,
Arcana pandi, lumen invehi nocti,
Vmbramque veri veritate diſpelli.
Nunc iura lugent, ingemit tuus Codex,
Sordent Novellæ, deficitque Pandectis
Lector ſuetus. nummuli, ſepulcreta,
Archiva, chartæ ſyngraphæque donantum,
Exſcripta, tabulæ, ſymbola & ſigillares
Ceræ, queruntur priſtinam ſui curam
Iam poſthaberi. ſanguiniſque cognati
Pars prima digniorque Vorſtius mœret.
Quem quando amabas, eruditior virtus
Se paſſa amari eſt, & Machaonum germen,
Latiæque linguæ cultor & Pelaſgorum.
Fax veteris ævi & temporum ſeneſcentum
Redintegrator & lucerna, BVCHELI,
Nunc occidiſti. ſeculoque ſubduxti
Intaminatam labe ſeculi mentem.
Et quicquid orbis hîc fovet tenebrarum,

Et

Et quicquid hîc sordescit aut situ fœdum est,
Lux sempiterna, lux beata discussit.
Cani residunt crinibus, vacillantem
Cœleste fulcit robur, induit Numen
Ipsum senecta, temporumque transgressus
Iniquitates & vagas vices rerum,
Superbiæ theatra, criminum sedes,
Calumniarum tecta, vim malignantum,
Regum furores, imperantium fraudes,
Cives profanos, invidosque doctores,
Mundo remotus, sic remotus immundo es.

CASPAR BARLÆVS.

MANIBVS VENERANDI SENIS
ARNOLDI BUCHELLII,
Avunculi,

IC[i]. Et Historici peritißimi.

SEnex beate, corculumque candoris,
Columella legum, antiquitatis abstrusæ
Scrutator ingens. Conditus jaces urna,
Quem totus haud capiebat orbis. Heu fractus
Jaces! tueri qui reos soles mœstos
Lingua diserta, jam taces! amicosque
Linquis gementes, conjugemque desertam.
Te saxa deflent, fornicesque sordescunt.
Lugent Camœnæ, luget alta Parnassi
Rupes, premitque cuncta mœror infandus.
Sistit fluenta Rhenus amnium princeps.
Gemebundus ordo stat patrum & togatorum.
Stat ordo nobilium dolore confectus,
Quêis attavorum sæpè stemma dixisti.

Abi-

Abivit, eheu, ſeculi ſui ſplendor!
Lachrymantur omnes. Ingemiſcit Aſtræa
Tali cliente perdito. Aſt ſatur mundi
Tumultuantis, cœlitum petis ſedes,
Vallem malorum deſeris, choris gaudes
Adeſſe ſuperorum. Quid ergo ploramus?
Tranſcendit Apenninum, & aſſidet menſis
Lætus beatis, ſpiritumque devovit
Cœlo, perenni gloria fruens, terram
Peroſus. Ubi non vexat uſtulans membra
Peſtis, quatitque corpus, aut edax febris
Conſumit artus, morbidique languores.
Abiiſſe lugemus ſenem. Attamen vivit.
Et dum beatæ lucis incolit campos,
Semper loquetur charta patria, juriſque
Doctrina famam. Antiquitatis hic plenus
Codex, ad Indos transferet decus, nomen,
Mortalitatis legibuſque ſubducet.

Fundebam ingenti mœrore confectus

I. NELLESTEYN.

THRENUS

In obitum Clarissimi Viri

D. ARNOLDI BUCHELII

JC^ti. & Historici eximii.


U, quàm fluento concitus quondàm gravi
Mediam secabat Rhenus amnium decor,
Vrbs magna, princeps, domina, ad invidiam
quoque
Nuper beata, dum tibi sospes fuit
Illud parentis lucidum sidus poli,
Et pectus ortum cœlitus, BUCHELII
Illustris anima, quis tuas lacrymas vetet?
Quis te repente Sole viduatam tuo
Mœrere damnet! flebilis jacet, jacet
Vrbique & orbi genius Astrææ, fori
Legumque columen, cujus igneus vigor,
Et docta juris lingua tot quondam reis
Miserisque portus, sontibus terror fuit.
Heu cecidit ille, qui tot excellentium
Titulos virorum, nomina, ignotos avos,
Obliviosi gurgitis mersos aquis
Subduxit Orco. Lugeat Rhenus pater,
Rhenique Nymphæ. Lugeat Mystam suum
Et Mystagogum mœsta squallens patria.
Quis nunc recludet quicquid ignotum, abditum,
Antiquitatis sacra mirandæ penus,
Tuo recessu condis, & luci negas?
Sed parce lacrymis. Ille jam felix suo
Cœlo receptus, inter Elysios patres,
Animasque sanctas municeps vivit poli.
Illic supernæ lucis & plenus Dei,
Sine nube cernit quicquid hic impervium,
Caliginosis obrutum tenebris latet.
Beatus ille, qui suo fretus Deo,
Impavidus, inconcussus, & summæ libens

Occurrit

Occurrit horæ, quique adhuc mundi incola
In aſtra ſurſum tendit, & vivus piæ
Portum quietis ſpirat, unde celſior
Mundi procellas cernat, & ſortis minas.
Huic ponderoſus incubat Fati dies,
Qui mancipatum terreis pectus gerens,
Non prævidendæ vixit immemor necis.
Felix & ille, ſorte qui lætus ſuâ,
Humilique tecto, procul ab invidiæ malis,
Sacros bicollis verticis fontes colens,
Latoſque clavos, purpuram, faſces, togam,
Et impotentes deſpicit Campi vices.
Veſana multos ambitus vani ſitis,
Et fluctuantis perdidit vulgi favor.
Plebeja tutos ſuggerit ſomnos domus;
Vigileſque noctes purpura & coccus trahunt.
Mens teſtis æqui poſſidet regnum ſibi;
Animoſa virtus altius fere ruit.
Hæc ipſa ſæpè prædicabas BUCHELI,
Hunc cum beatum diceres, qui nil cupit,
Animique recti præmium, famæ ſacram
Æternitatem, & perpetem in cœlis locum.
Nec mens fefellit. Vivit & vivet diu
Expers ſepulcri nominis ſplendor tui,
Et mortis exſors. Dumque Phœbeum decus
Convexa cœli luſtrat, & tellus polum
Suſpendit altum media, famam BUCHELI
Anus loquetur charta, laudibus canent
Seri nepotes, & futura ſecula.
Sic dum BECANO reddis animam & ſpiritum,
Vitam perennem nomini accipis tuo.

NICOLAUS HAMEL.

Interpretatio locorum obſcurorum, fluminum, diſtri-ctuum, oppidorum & villarum.

AMaſis *De Eem.*
Foſſa Ottonis *Mare inter Zuytbeverlant & Waſiam. den hont.*
Foſſa Druſi *Incipit ab Yſeloort & finitur Douſburgo.*
Iſſa *Yſſel.*
Kinhem ſive Okenvoird. { Fluvius olim prope Alckmaer.
Lavica *de Lauwers.*
Laca *Lecke.*
Linea *de Linghen.*
Moſa *Maſe.*
Noda *de Neude aliјs de Grebbe.*
Nabalia *Yſſel.*
Rhenus *Rijn.*
Vernoutſee *de Beeninghe.*
Wahalis *de Waell.*
Amelant loca circa Sutphen & in Velua.
Ambelacha / Amſtarchia } *Amelant.*
Auſtrachia *Schellinck.*
Batua *Betue.*
Benthem *Benthem.*
Kenomaria *Kermerlant.*
Drente *Drente.*
Foreſtenſis *Sevenwolde.*
Flechite *Eemlandt.*
Flevolandia *Vlie.*
Freſia *Weſtvrieſlant.*
Groeninge *Groeningerlant.*
Germepi *VVoerden ende Amſterlant.*
Hollandia *Dortſcherweert.*
Iſſegouw *Overijſſel.*
inter Iſſam & Lacam *tuſſchen der Goude ende Schoonhoven.*
Inſterlacus qui & niſterlacus *Sticht.*
Leomerike *Limers.*
Moſclandia *Delflant ende Schielant.*
Nardingenlant *Goylandt.*
Ooſtergouwe *Ooſtergou* pars Friſiæ.
Renolandia *Rhijnlandt.*
Rien *Markiſaetſchap van Antwerpen.*
Sale *Sallandt.*
Twente *Twente.*
Texlair *Texel.*
Teiſterbant *pars Bomelreweert ende Tieleweert, cum parte inferioris Bataviæ.*
Toxandria *Meyerije vanden Boſch.*
Velue *Velue.*
Weſtergouwe *VVeſtergouwe in Vrieſlandt.*
Waſda *'t Landt van VVaes.*
Walachria *VValcheren.*
Wilti *Putten ende 't Landt van Voorn.*

Agathenkirka *Beverwijck.*
Aſcundilſt *Aſſendelft.*
Anen *locus prope Groeningen.*
Amſtel *Auwerkerck.*
Abbekewolda *Abcouw.*
Amuda *Muyden.*
Arundilium *Voorborch.*
Amersfort *Amersfort.*
Arenacum *Aernhem.*
Antwerpia *Antwerpen.*

Brouche
Benthem *Benthem.*
Bredenhem *Brederoode.*
Boſechem *Beſichem.*
Bunichem *Bunnick.*
Bavonis pagus *Bodegraven.*
Batavodurum *Batenburch.*
Bomele *Bommel.*
Bracola *Braeckel.*
Boechoven *Bochoven.*
Bechauten *Bechaut.*
Berga *Bergen.*

Colonia Agripina *Colen.*
Coeverden *Coevorden.*
Kunera *Kuyndre.*
Campotorpa *Campen.*

Dutichem *Deutekum.*
Druſiburgum *Dousburgh.*
Daventre *Deventer.*
Diepenhem *Diepenhem.*
Dockum *Dockum.*
Drechteri *Enchuyſen.*
Delphi *Delft.*
Duroſtadum *VVyck te Duerſteden.*
Driele *Driel.*
Durfos *Dort.*

Egmunda *Egmondt.*
Everildorpe *Achthienhoven.*
Ermelo *Ermelen.*

Fethna *Vechten.*
Fletio *Geervliedt.*
Fladitinga *Vlaerdinghen.*

Graveiungi *S. Martens dijck, ende blau Capel.*
Grinnes *Rhenen.*
Gaſparde *Hageſteyn.*
Groeningen *Groeningen.*

Halitra

Haltira *Houten.*
Hormarsum *Otmarsen.*
Heyloo *Heiloo.*
Harlem *Harlem.*
Hillegum *Hillegum.*
Honorathorpa *Voorhout.*
Heeswijck *Heeswyck.*
Heyteren *Yßelsteyn.*
Hegenschote *Bunschoten.*
Harderwijck *Harderwyck.*
Hune *Vm.*
Hilsprick *Spyck.*
Hasenheym *Amerongen.*
Hesenes *Esenes.*

Yselmuda *Yßelmonde.*

Lona *Loenen.*
Lugdunum *Leyden.*
Lisiduna *Leusden.*
Lindinia *Linden.*

Medemelaca *Medenblick.*
Marcka *Marcken.*
Marsna *Maersen.*
Malsna *Gelder ende Burenmalsen.*
Megena *Megen.*
Mons S.Odiliæ *'tClooster bergh by Ruremont.*
Mons littoris *Geertrudenbergh.*
Merwede *Merwee.*
Metelburg *Middelburgh.*

Nortgho *Noortwijck.*
Neomagum *Nimmegen.*
Noda *Rijnsseveen.*

Oosterbeeck *Oosterbeeck.*

Ommen *Ommen.*
Ortina *Otten.*
Oorschot *Oorschot.*

Prædium ussonis *Vßelt.*

Rotulaschem *Rijnsburch.*
Rijswijck *Rijswijck.*
Rothem *Roßem.*
Ruremonda *Ruremondt.*
Rijswijck *Rijswijck.*

Sypa *Sijpe.*
Stavera *Staveren.*
Suthen *Sutphen.*
Slota *Sloten.*
Swadenburch *Swammerdam.*
Sylva ducis *s'Hertogenbosch.*
Strena *Strijen.*
Sassenheym *Saßen.*

Trajectum *Vtrecht.*
Thyela. *Thiel.*

Vlissinga *Vlißingen.*
Valcanenburgh *Valckenburgh.*
Vorda *Woerden.*
Verona *Alckmaer.*
Woringe *VVoeringen.*
Werda *Keysers-weerdt.*
Wesalia *VVesel.*
Winckel *VVinckel.*
Warmere *VVarmont.*
Westerfort *VVesterfort.*
Wagenwega *VVageningen.*
Waderloe *VVaderloe.*
Westcappel *VVestcappel.*

FINIS



IOANNIS de BEKA
CANONICI ULTRAJECTINI
EPISTOLA DEDICATORIA,
AD
IOHANNEM EPISCOPUM
TRAIECTENSEM,
ET
WILHELMVM DVCEM PALATINVM
PRINCIPEM HOLLANDIÆ.

Reverendis Patribus, & præclaris Principibus dominis, Iohanni Episcopo Sanctæ Trajectensis Ecclesiæ, ac Wilhelmo Duci Palatino, sive Principi Hollandensis (a) Provinciæ, Iohannes de Beka licet indignus, attamen clericus, pacem, gaudium & salutem. Chronographiæ præsentis annalem cupientes compilare historiam, Magnificentiæ vestræ declaramus, quod hæc gesta sanctorum Pontificum Trajectensium & magnanimorum Principum Hollandensium, ex diversis Historiis, Annalibus, Chronicis, Codicibus, Privilegiis, dictaminibus & Epistolis (b) apud Egmundam studiosè collegimus: in quibus jam per septennium, cum aßiduâ quasi sollicitudine plerumque laborem explevimus, ne per ignaviam Chronographorum, memoria tantorum virorum obnoxia perpetim oblivioni subjaceret. Et quoniam gesta præfatorum Pontificum & Principum adeò sunt promiscua, quod aliquatenus segregari nequeant, salvâ Chronographiæ sententiâ. Ideoque vobis Dominis meis præcordialibus præsentem Historiam de gestis utrorumque sub breviori leviorique stylo Unde petita sit hæc Historia.

 compila-

Gallicè deduict.

compilavimus: quam vestræ reverentiæ pro quotidianâ (c) deductione transmittimus: quatenus ex eâ discatis quam bonum & jucundum sit, vos, & vestrum populum habere pacem in unum. Vester etenim populus, ut patebit inferiùs, fuit unius nationis & ditionis, immediatè subjectus Romanis Imperatoribus, antequam Hollandia bipertita fuit in Pontificatum & Principatum à Divis Francorum Regibus.

Exhortatio ad pacem,

Quamobrem pacem alterutri observate, vestram amicitiam custodite, forenses hostes subjugate, & tam vos quàm vestrum populum per concordiam inseparabilem adunite. Præsertim cùm Deo propitio nulla vobis nocere poterit inimicorum adversitas, si inter vos abundaverit tranquillæ pacis amicabilitas, de quo multis in locis præsentis Chronographiæ poteritis experiri certitudinem, si diligenter hujus historiæ velitis perscrutari indaginem.

Historiæ usus.

Nam, teste Philosopho, gesta temporum præteritorum certa sunt indicia præsentium & futurorum. Nunc igitur, quum ad executionem præsentis operis acceleramus, verè dignum & justum est, ut ab illo qui est α & ω Chronographia nostræ stylum inchoare principaliter debeamus.

a *PRincipi Hollandensis Provinciæ*] in M. S. meo est Hollandensis & Zelandensis Provinciarum, ita & Chronicon Clerici innominati, qui circa hæc tempora vixit, & eidem, ut puto Comiti, vernacula sua obtulit; sic & diplomata, quæ ejus Comitis passim occurrunt, ubiq; Zelandiæ titulum præferunt, & jure; quandoquidem omnis controversia cum Flandro de hoc comitatu tunc extincta esset. Sed quia Teutonica vetus translatio convenit huic textui, nil mutandum putavi.

b *Apud Egmundam,*] neque M. S. meus Codex, neque Teutonica translatio antiqua, hæc habent, & fortè meliùs; nam cum Beka Canonicum Trajectensem se scribat, potuit & plura eorum quæ habet, ex tablinis Ecclesiæ Trajectensis, & aliis quoque bibliothecis, congerere.


c *Pro quotidiana deductione*] est Gallicismus; In translatione antiquâ Teut. est **daghelicksche tijdt-vercortinghe/** à verbo Gallico *deduict*, quod idem cum *Passetemps* ejusdem Linguæ. Latini dicerent, fallendi temporis gratiâ, vel ad animi oblectamentum.

CHRO-




Diœcesis et ditio traiectensis
antiqua iuxta tabulas et
diplomata formata
OCEANUS
WAS
DA.
Antwerpia
RHIEN.
TOXANDRIA.
Vlissinga
Delphi
Flardingha
Rheno
Traiectum
Naerden
Amsfort
Harderwyc
VELOU
Arenacum
Wosterfort
Drusiburgum
Bothoven
Silvaductum
Ortina
Oorschot
Batavodurum
Neomagum
LEO
Dutichem
MERICKE.
Ruremonda
Mosa fl.
Rhenus fl.
Wosalta
Werda
Woringe
Colonia
Agrippina


GERMANICVS.
TEXLAIR
FLEVOLANDIA
ANSTRACHIA.
AMBELACHA.
MARIA.
Marcka
FRESIA.
Medeme laca
Drachters
Stavera
WESTERGOUWE.
Kunera
FOSTERES
OOSTERGOUWE.
Dockum
SALETENSIS.
Greeningen
GRONINGE.
DRENTE.
Coeverden
Brouck
Daventre
Suthen
Ommen
Diepenhem
TWENTE.
Benthem
BENTHEM.
NOTARVM EXPLICATIO
Vrbes
Pagi



CHRONICI IOHANNIS de BEKA

Procemium.

IGitur ab anno plaſmationis Adæ primævi parentis (a) quinquies M C XCIX. VIII. Cal. Ianuarii nocte diei Dominicæ, natus eſt in Bethlehem Iudæ Salvator mundi Dominus noſter Ieſus Chriſtus, verus Deus & Homo, de benedictâ virgine Mariâ: anno XLII. Cæſaris Octaviani, qui primus fuit Imperator Auguſtus totius orbis. Et is Octavianus non immeritò Monarcha dictus fuit, qui (b) univerſum mundum Romano regno ſubegit. Poſt cujus obitum flagitioſus Nero deturpare cœpit Imperium, qui per inutiles occupationes militare prætermiſit exercitium. Piſcabatur enim aſſiduè ſagenis aureis, extenſis chordis ſericis, totam urbem per maximum coruſcare fecit incendium, poſt multa civilia bella, matrem, ſororem, fratrem & uxorem interemit gladio, Senecam Cordubenſem præceptorem ſuum per inciſionem venarum in balneo ſuffocari juſſit, & poſt Martyrium Petri & Pauli Apoſtolorum primam perſecutionem Chriſtianis fecit. Hic verò, ſicuti Romana narrant Annalia, præcepit quoſdam viros cõſulares, tyrannidem ſuam arguentes, aut abſque causâ trucidari, aut ab urbe ſine lege, proſcribi: Quorum duo viri fuerunt egregii, Granius videlicet & Antonius; Granius autem Senatoriâ nobilitate floruit, & Antonius Tribunitiâ dignitate viguit Granius quidem cum ſuis commilitionibus pertranſiens Galliam, devenit in Arduennam, ubi ſuper aquas ſulphureas inter vaſtam ſolitudinem, palatium ædificâſſè legitur, unde & idem locus Aqua Grani moderno tempore dicitur vulgò: (c) Antonius equidem tranſcendens Germaniam, (d) ſeceſſit in Hollandiam, ubi ſuper alveum Rheni fluminis munitionem conſtruxiſſe refertur, quæ pro memoria ſui nominis Antonia longo tempore dicebatur. Eandem utique patriã longæva poſteritas Antonii Ducis poteſtativè poſſedit; (e) quoaduſq; vulgus Slavorũ ſeu Wiltorum urbem An-

A mundo condito ad Chriſtum ſunt anni 5199.

Octavianus Auguſtus Imperator ſtrenuus.

Nero Imp. improbus.

In MS. narrat hiſtoria.

bem Antoninam, ut inferiùs enarrabitur, expugnavit.

Denique post quædam annorum curricula, peccatis hominum exigentibus, multæ barbarę nationes armipotenter egressę sunt à paludibus Mæotidis & ex Scandinavia, quæ, permissione divinâ, totam Europam acerrimè flagellaverunt, insuper & in cruentâ strage, regna plurima subjugarunt, utpote Gepides, Alani, Sarmatę, Wandali, Avari, qui & Huni, Slavi qui & Wilti. Nam & Gepides expugnaverunt Italiam, Alani Austriam, Sarmatæ Pannoniam, Wandali Africam, Gothi Cathaloniam, Avari & Huni Galliam, Slavi qui & Wilti totam Hollandiam. Hic agrestis Wiltorum populus post eversionem urbis Antoninæ castrum munitissimum fabricavit, quod ex ejusdem diræ gentis cognominatione (f) Wiltenburch nomen accepit. Demum verò post longa tempora, Wilti cum Frisonibus conspiraverunt Rheni gurgitem transire, ac in manu forti totam Galliam expugnare. Valentinianus autem, ut Romana canit Historia, (g) XLVIII. à Iulio Cæsare Augustus, tumultum tam insulsæ plebis festinâ relatione percipiens, coadunavit etiam valentem exercitum, acceleravitque rebellantem sibi disturbare populum: Et ecce Romanus Imperator rebelle (h) vulgus victoriosè subegit, classem magnam apprehendens, Rheni fluenta transcendit, castrum Wiltorum evertit, (i) Fresiam sibi primo subjecit, & exinde cum triumphali laude rediens, aliquantis annis gloriosiùs imperavit.

Gentes barbaræ Europam flagellant.

Valentinianus Imp. Wiltos atque Frisios reprimit.

Dehinc autem ad aliquos annos Imperante Heraclio Cæsare, Dagobertus rex Orientalis Franciæ totam Hollandiam suæ ditioni transponens castrum excellentis fabricæ reædificari fecit: quod latinâ linguâ Trajectum nuncupari jussit. Nam & omnis negotiatio mercatoria trajiciebatur per Telonium castellani Trajectensis, quæ per Rhenum vehebatur ex fluvio salsi maris: infra cujus emunitatem primordialis (k) Ecclesia constructa fuit in honorem Sancti Thomæ venerabilis Apostoli, in quâ sancti Sacerdotes plurimos labores expleverunt pro conversione Fresingensis populi. Sed labor hic omnino supervacuus erat, quum prædurę cervicis Fresones fidem Catholicam à suis finibus exterminare cupientes, dilapidaverunt primæ fundationis Ecclesiam, & exinde diris incursionibus totam infestaverunt Hollandiam.

Dagobertus Rex Francorum auctor Trajecti.

primitivæ. duris.

Est autem Hollandia, prout apparet in (l) tractatu de proprie-

tatibus

tatibus rerum libro XV. *quadam provincia modica, sita juxta ostia Rheni, ubi mare intrat: Brabantiæ contigua à meridie: vicina Frisiæ ab Oriente: Oceano Britannico conjuncta ab Aquilone: inferiori Galliæ Belgicæ propinqua atque Flandriæ ab Occidente. Est autem terra palustris & aquosa ad modum insulæ, undique maris brachiis atque Rheni fluminis circumfusa, habens lacus & stagna multa & pascua valde bona, & ideo armentis, pecudibus & jumentis est referta. Ejus gleba in locis plurimis est valde frugifera, & in pluribus nemorosa, multas & utiles habens venationes, in plurimis est bituminosa, ex quâ foditur materia apta ad ignium nutrimenta; & est terra divitiis, quæ transeunt per mare & flumina, plurimum opulenta: cujus civitas capitalis Trajectum inferius nuncupatur in latino,* Utrecht/ *verò dicitur sermone Germanico. Nam ad Germaniam pertinet, quo ad situm, quo ad mores, quo ad dominium, quo ad linguam: cujus gens elegans est corpore, robusta viribus, audax animo, venusta facie, honesta moribus, devota Deo, fida hominibus, & pacifica: minus prædis intendens & raptibus, quàm aliæ nationes Germanicæ.* Huc usque liber de Proprietatibus rerum. Dicitur autem Holtlandia, quasi terra silvestris secundum idioma Teutonicum, nunc quidem & ipsa provincia vocatur Hollandia per *vocabulum syncopatum.*

Hollandiæ situs atque ingenium.

Trajectum inferius metropolis Hollandiæ.

MS. per syncopatam literam t.

Principes igitur Francorum, qui Carolingi dicti sunt, gubernantes longo tempore regnum & imperium, diviserunt totam Holtlandiam, ut infrà dicetur, in bipartitum dominium, videlicet in Episcopatũ & Comitatum: Nam & Carolus Martellus dux & major domus Francorum contulit ad Ecclesiam Trajectensem primam donationem, & Carolus (c) Calvus Rex, & postmodum Imperator Romanorum tradidit ad Comitatum Holtlandiæ primitivam ditionem. Vt ergo tam Episcopatus Trajectensis, quàm etiam Comitatus Holtlandiæ primordiale initium cognoscamus, profectò convenit, quod ex gestis Anglorum principale proponamus exordium.


Carolingi diviserunt Hollandiam in Episcopatum & Comitatum.

a *Anno quinquies M° C° XCIX°.*] Hæc quidem cum Eusebiani Chronici antiquâ editione conveniunt; verùm alii longè aliam rationem ineunt: quin chronographi plurimum hac de re, inter se differunt. Onuphrius enim accuratissimus rerum Ecclesiasticarum, imò & totius Antiquitatis observator, Christum servatorem hominem assumpsisse anno à mundo condito 6309. tradit. Ciacconius anno 5580. Perier in Danielem anno 4022. ego curiosiores, ad Baronium, Scaligerum, Genebrardum, Gordonium, Barradium, Ubbonem Emmium, Haræum, amando..

b *Universum mundum Ro: subegit Imp.*] καθ' ὑπερβολὴν, vult enim indicare maximam, vel magnam saltem Orbis partem Romano tum paruisse Imperio, quinimo nec major pars respectu Persarum, Schytarum, Indorum, Germanorum Sarmatarum, Rom. leges agnos-

ges agnoscebat. Post hæc verba immediatè inserit vetus Teutonica translatio ante annos ducentos p. m. facta, quæ M. S. extat in bibl. Trajectina, quædam de Tiberio, Cajo, & Claudio Impp. quæ ut hic desiderantur, ita & in M. S. meo Beka non habentur.

c *Antonius equidem transcendens*,] Quæ hic de Antonio narrantur, fabellę ac ægri somnia semper mihi visa sunt, cum ejus rei nullus classicus scriptor meminerit. Antonini nominis munitionis ad Rhenum conditæ primus, quod sciam, Beka mentionem facit, annis plus mille ducentis ignoratæ. Interpres Teutonicus paraphrasten hic agens, ne quid ignorasse videatur, tempus conditi castri Antoniani statuit annum Domini LXV. Accedunt huic auctori, in re tot annis ab ipsius ævo dissita, Heda, qui variè se torquet, ut aliquam saltem verisimilem hujus nominis conjecturam adferat; vel à Marco Antonio triumviro, vel ab Antonia Drusi, vel alia L. Domitii conjuge, vel a L. demum Antonio, Augusti sororis nepote, sed cæcis istis conjecturis sese miserè involvit, nec extricat. Chronicon conscriptum ab innominato Clerico, qui & Bekæ ævum videtur attingere, ferè gemina cum hoc nostro scribit. Ioannes Gerbrandus Leidensis & cum eo Chronicon vulgare, ejusdem est ponderis, ut sunt Frisici scriptores Hamconius, Furmerius, Kempius & si qui alii ejusdem farinæ. Verùm mirum videri poterit Adrianum Iunium tam exacti judicii virum, (ut Nobilissimum Douzam & cum eo L. Hortensium prætercam) eo discessisse, ut & suas ille de Antoninâ urbe divinationes adderet. Fuerint sanè Antonius primus. M. Antoninus aliique ejus nominis sexcenti in Belgio, quid inde? sequeturnè eos propterea sui nominis opida, castra, munimenta ibi condidisse, & ex iis illud castrum quod postea à Wiltis aut Frisiis occupatum, ac demùm à Francis, ut volunt Trajectum dictum sit, idem esse? cum ejus neque volam neque vestigium à mille & quod excurrit annis apud probatum scriptorem invenias. Non possum equidem quin obstupescam hanc investigandę vetustatis rationem, nimis quàm lubricam & incertam. Verùm tamen cùm ulterius hujus erroris causas vestigo, non aliam invenio, quàm quod, cùm in agro suburbano inter arandum vel fodiendum Antoninorum numismata passim invenirentur, rudes imperitique rei antiquariæ homines, Antoninum quendam loci conditorem finxerint, idque vulgo satis credulo facilè persuaserint, eamque opinationem ad posteros transmiserint. Huic rei fidem facere potest, quod cum anno C. 1595. Gisbertus Pottrius, juvenis perquam ingeniosus, poëticesque atque antiquitatis eruditæ studiosus (qui post, pugna Flandrica prope Neoportum pro patriâ decorè occubuit) & ego deambularemus circa Burgum (locus est in agro Trajectino haud procul ab urbe, ubi castrum olim Vechten situm fuit) ad veteris Rheni ripam, à puero opilione ejus loci duo nobis oblata sint Romana numismata ab ipso ibidem inventa, æreum unum, quod majùs, ex plumbagine alterum, quæ Antoninorum nomen præferebant, utriusque formam, hic exhibeo.









d *Secessit in Hollandiam*,] Hollandiæ nomen recentius est, & post mille tunc annos ignotum; nec audiendos puto, qui nobis Olenium Romanum vel ut alii, Frisium obtrudunt ejus nominis auctorem; ut suo post loco dicetur.

e *Quoadusque vulgus Slavorum*.] Id factum Frisii tradunt anno C. 183. sed nullo idoneo auctore; nec enim ante tempora Francorum, Wilti aut Slavi Scriptoribus memorati.

Mutiss-

f *Munitissimum castrum Wiltenburch*,] Wiltenburch castrum, cujus frequens in monumentis nostris memoria, à Wiltis Slavorum populis exstructum non magnopere abnuerim, sed quo tempore omnino in obscuro est: neque iis ego assentior, qui illud à Trajecto diversum faciunt, & ejus relliquias extare eo loci volunt, qui vulgi errore etiam nunc Wiltenburg. dicitur, cum ibidem Fethna castrum steterit, quod aliud à Trajecto fuit, ut ex donatione Caroli Martelli de castris Trajecto & Fethna liquet; & territorium quod modo Vechtense vocatur, satis indicat. Beda etenim, non malæ fidei scriptor Wiltaburg cum Trajecto unum facit; cui adstipulatur Ubbo Emmius doctissimus Frisiæ historicus. Sigebertus quoque VViltaburg locum esse qui post Ultrajectum dictus sit, evidentibus verbis ostendit cum quo facit Hucbaldus. Quin & Chronicon Rithmicum Amelii Stokii in eâ sententiâ fuit, cum dicat.

Op (Willebrord) quam t'Utrecht
Dat Wiltenburg hiet te voren.

Neque ullum vidi vetustiorem scriptorem qui Wiltenborg à Trajecto sepraaret, quamvis sint rerum nostratium non omnino rudes, qui illam vocem Wiltaburg apud Bedam ex notis marginalibus in textum irrepsisse, & seriùs ac post postremas demum Normannorum invasiones natam volunt.

g *Valentinianus XLVIII. a. Iul. Cæs.*] Hic numerus non constat, plures enim Imperatores in hoc calculo omissi, qui & titulo & munere Imperatorio usi & defuncti sunt.

h *Rebelle vulgus.*] In sup. d. Teutonicâ translatione est: **Dat ongehoorsame diet**: **Diet** autem vetere linguâ Teutonicâ plebs, vel vulgus dicitur, unde Diederic, populi dives, quod idem cum **Volckrijc**/ & male Theodericus scribitur. Hinc de translationis, cujus aliquando in hisce notis memini, antiquitate constare poterit.

i *Frisiam sibi primo subjecit.*] In Teutonico, annus Frisię domitæ habetur 409. à Christo nato, cujus quoque vestigium in M. S. meo Latino superest: nullum tamen, eo anno Valentinianum Rom. præfuisse Imperio, credo.

Primordialis ecclesia constructa in honorem S. Thomæ.] De hoc templo S. Thomæ primi Germanorum Apostoli, vide, quæ Wilhelm. Lindanus in præfatione Epistolæ exhortatorię ad Holland. scripta reliquit. Annum constructæ Ecclesię in paraphrasis Teut. habet D C XLII. quo tempore Dagobertus primus Francorum regnum tenebat; adde & quæ Heda eam in rem collegit in principio hist. Tr.

k *Dilapidaverunt prima fundat. Ecclesiam.*] Id est, dissiparunt vel destruxerunt. Est autem dilapidare vel potius delapidare propriè lapides auferre.

l *Ex tractatu de proprietatibus rer.*] Sunt qui hæc ab alio ad texta non à Beka scripta volunt, quod Bartolom. Anglicus de Sleinville, qui 18. libb. de proprietate rer. olim scripsit, post Bekam nostrum vixisse dicatur. Cum tamen illum Trithemius Abbas de script. Ecclesiasticis circa annum C. 1350. Et Balæus de scriptoribus Anglicis ex Lelando 1360. in vivis fuisse testentur, atque perinde eodem tempore alter alterius scripta vidisse potuerit.

m *Habens lacus & stagna.*] Paraphrastes Teut. reddit **binnen Walen ende Meeren**/ inde fortè Wahalis dicta vernaculâ olim linguâ.

n *Utrecht sermone Germanico*,] **Outrecht** *vel* **Autrecht** forte scribere voluit: Diplomata enim Caroli Magni Lud. Pii, Lotharii, aliorum Impp. vetus Trajectum vocant **Utrecht**/ autem per se nihil significat sed vulgi more corruptè profertur.

o *Dicitur autem Holtlandia.*] De Hollandiæ etymo non una est opinio: Sunt qui à lignorum copia sic dictam volunt cum hoc nostro; alii à cavitate terræ, ab Olenio nonnulli; Nec desunt qui ab incitatiore cursu, vulgari lingua, **Hollen**/ quo & gentem ad seditiones quasi pronam traducunt; nomen trahunt: plures Danicam vel Normannicam originem advocant. Sunt qui à fœno Hoylandiam dici malunt. Sic mira inter scriptores varietas, nec tamen quæ horum sententia prævaleat, liquet; nisi quod ad duas, quæ nempe de terræ cavitate, vel à Danorum Coloniâ illud nomen deductum, asserere videntur, major pars inclinet. Videantur Nannius Συμμίκτοις libro X. Dousa Annalium Hollandiæ lib. VI., Iunius Bataviæ cap. XIII. Cornelius Aurelius lib. I. Bataviæ, Pontanus in Chorogr. disceptat. Snoyus lib. IV. hist. Holland, Iac. Caulæus sive Brassica

 lib. fin.

lib. singulari de Hollandiæ Etymo, P. Scriverius in sua Bataviâ, & post hos Suerius Boxhornius, qui nuper diligentissimè Hollandiam ejusque urbes descripsit.

p *Regnum & Imperium.*] MS.tis tam Latino quàm Teutonico est. Regnum Francorum & Imperium Romanor.

q *Carolus. Calvus Rex.*] Ad Simplicem hanc donationem ex Hedæ inditiis, referendam putat Dominus Nordvicensis quem plerique, post eum, scriptores secuti sunt. Vide prolixè hac de re agentem Dousam ipsum lib. V. hist. Holl.


CATALOGVS

EPISCOPORUM TRAIECTENSIUM, COMITVM HOLLANDIÆ.

Willebrordus

Episcopus primus.

Saxones inferiores sunt Frisones.



Icut Anglicana promit Historia, Saxones inferiores, qui vulgò dicuntur Fresones, cum innumerâ classe Britannicam expugnaverunt Insulam, quos Papa Gregorius doctor egregius, per Augustinum & Mellitum, ut narrat Dialogus, revocavit ad Baptismi gratiam, ex quibus quidem inferioris Fresiæ Saxonibus, Divino comitante præsagio, progenitus est quidam ingenuus puer, nomine Willebrordus, qui per patrem suum Wilgisum traditus est Harpensis Ecclesiæ religiosis fratribus imbuendus: ubi & idem Iuvenis clericali charactere tonsuratus est, & usque vigesimum annum (a) sub veteri disciplina superexcellenter instructus est: deniq; gloriosus Adolescens de virtute in virtutem gradatim ascendens, & contemplativæ vitæ dulcorem ardenter exquirens, beatum (b) Egbertum Nortanhumbrorum Archiepiscopum, tanquam summæ devotionis magistrum, subsecutus est in Hyberniam, ut ibidem absque temporali sollicitudine vitam exerceret heremiticam: à quo quidem Egberto præfatus Willebrordus sacros Ordines suscepisse creditur, & sub ejus magisterio frequenter usque 30. ætatis annum extitisse legitur. Demum beatus Egbertus, ut Ecclesiastica narrat Historia, condiscipulum suum Wigbertum destinavit in Germaniam, ut ibidem infideli populo veritatem prædicaret Euangelicam. Sed idem Wigbertus obstante diabolicæ fraudis astutiâ, cum barbarici moris rigido populo plerumque disputans, parum profecit, & infecto negotio versus Angliam transfretavit.

M. S. Regulari.

Anno Christi 690. S. Egbertus Willebrordum cum undecim sociis in Germaniâ mittit.

Anno Domini D C XC. beatus Egbertus non desistens à bonæ voluntatis inchoato proposito, quin virum Apostolicæ gratiæ præfatum (c) Willebrordum præsbyterum cum (d) xr. sodalibus iterato delegaret in Germaniam ad prædicandum populo infideli fidem Catholicam; feruntur enim hujus beati Willebrordi consocii principales & fideles in verbo Domini cooperatores, sanctus videlicet Suibertus, Willeboldus, (e) & Livinus in (f) Orientali Franciâ postmodum Episcopi Wineboldus Abbas, duo Ewaldi presbyteri & martyres, Werensfridus & Marcellinus præsbyteri & confessores, ac Adelbertus Levita, qui pro Christo

Willebrordus & socii à Germanis oriundi.

Christo dimisit Regale patrimonium, & cum beato Willebrordo peregrinum intravit exilium. Et quoniam hi sancti Doctores propagati fuerunt in Angliâ de (g) stirpe Saxonicâ, ideo convenienter prædicare potuerunt Euangelium in linguâ Germanicâ.

(h) Anno Domini DCXCIII. Pipinus victoriosus Dux Francorum coadunavit immensum exercitum plebis & militiæ, direxitq; validam expeditionem contra Radbodum regem Fresiæ. Radbodus autem rex cum innumeris Fresonibus eidem Duci potenter obstitit, veruntamen, Deo disponente, victus succubuit. Quapropter Pipinus Dux Willebrordum præsbyterum cum discipulis suis destinavit ad Fresiam, ut suâ prædicatione Radbodum Regem revocaret ad Baptismi gratiam. Morabatur autem Radbodus Rex apud insulam (i) Fosetenland, quæ valde solennis erat propter superstitiosam sectam Idolatriç: ubi sacerdos Dei Willebrordus prophana delubra Iovis destruxit, & tres homines satanç pompis abrenunciantes baptizavit: (k) Radbodus verò Rex injuriam Dei sui ferociter ulcisci disponens, jugulari jussit unum de collegio sancti sacerdotis per casum sortilegii, qui continua prece Deum exorare solebat pro consequenda palma Martirii. Willebrordus ergo perpendens, quod Radbodus Rex nequaquam ab idolorum culturâ desisteret, & quod in lucrandis animabus parum proficeret, decrevit Orientalis Franciæ partes adire, & novellæ conversionis catechumenos in fide Catholicâ roborare. Igitur electus Deo sacerdos magnam congregationem præsbyterorum eligens ad castrum (l) Trajectense pervenit, quod in potestate Francorum Orientalium eo tempore fuit: ubi prope ruinam primordialis Ecclesiæ sancti Thomç, sacrum ædificavit in honorem sanctç crucis (m) oratorium, in quo renativi fontis primo consecravit baptisterium, ut Christi fideles ob defensionem castellani Trajectensis securum illuc haberent accessum, ad suscipiendum sacrum Baptismatis Sacramentum.

An Christi 693. Pipinus Francorum Dux pugnat in Radbodum Frisiæ regem.

Alias Fostenlandiæ.

Iupiter in Fosetenlandia cultus.

(n) Anno Domini D CXCIII. Pipinus Dux illustris attendens in beato Willebrordo magnam euangelizandi constantiam, exorando tandem obtinuit per supplicationem assiduam, quatenus ipse vir Dei ad Romanam urbem accederet, & à summo Pontifice benedictionem Episcopalem susciperet. Sergius autem Papa nominis hujus primus, Angelicâ præmonitus visione, juxta petitionem Pipini Ducis, Dominicum sacerdotem condigne suscepit, & eundem in Ecclesiâ sancti Petri cum superhumerali pallio solemniter Archiepiscopum ordinavit, quem & per aliquanti temporis spacium secum detinuit, nomenque novum illi, scilicet Clemens imposuit. Itaque beatus Clemens adepta jam Apostolicæ benedictionis authoritate, reversus est ad Germaniam, ac in fundo Basilicç sancti Thomç prope castrum Trajectense (o) Canonicorum cœnobitalium construxit Ecclesiam, in quâ cathedralem sedem stabiliri jussit: Nam & eandem per primitivam benedictionem suâ manu propriâ consecravit. DCXCVII

Willebrordus creatus Archiepiscopus à Sergio Papa, dictus est Clemens.

Constituit cathedram suam prope castrum Trajectense.

Hæc utique sancta Trajectensis ecclesia meritò regia plantatio dicta est, quæ multis Regalibus prædiis ac Imperialibus privilegiis adornata est, in qua plures sacrosancti Patres pristinis floruere temporibus, qui tam in morte, quàm in vita multis miraculorum claruere virtutibus. In hac quidem Ecclesia largè præbendati sunt venerandç dignitatis Canonici, qui in horis nocturnis, sive diurnis continuè non tacebunt laudare nomen Domini: In hac insuper Ecclesiâ multa sanctorum corpora de diversis sanctuariis & reliquiis venerantur, in quâ nihilominus duorum (p) præpotentium Imperatorum consepulta viscera recunduntur.

Commêdatio Ecclesiæ Trajectensis.

(q) Anno Domini 717. Carolus Martellus Dux & major domus Francorum, post obitum patris Pipini ducis primam donationem Ecclesiæ Trajectensi tribuens, contra Radbodum regem de novo rebellantem crudele bellum egit, quem etiam occisis plerisque Fresonibus potentissimè subjugavit. Hic igitur Carolus dictus Martellus Radbodum devictum iterato recepit ad veniam, pro eo, quod absque dolo promisisset acceptare baptismi gratiam. Eodem anno Vulfranus Archiepiscopus Senoniensis per divinum oraculum admonitus est ad Frisiam tendere, & beato Clementi pro convertendis Frisonibus diligenter assistere, per cujus denique prædicationem idem Rex in fide Catholicâ diligenter edoctus est, & ad fontem baptisterii, simulata tamen devotione perductus est. Cùm autem idem Tyrannus unum pedem lavacro baptismatis intingeret, ut Christianæ fidei sacram professionem faceret, instigante diabolo, requisivit, ubinam major pars vel numerus Frisonicæ gentis esset, an in cœlesti regione, an in gehennali

Anno Chr. 800. Vulfranus Episcopus Senonum venit ad Willebrordum, ut verior est historia.

nali damnatione? sanctus quidem Episcopus constanter asseruit, omnes Frisones incurrisse perpetuę damnationis sententiam, qui dudum minimè susceperunt sacri fontis renativam gratiam. At idem Rex hoc audiens abstrahendo pedem à baptisterio, dixit, Malo cum antecessoribus meis paganis apud inferos habere contubernium plurimorum, quàm cum paucis Christianis tuis possidere regnum cœlorum. Itaque Radbodus Rex ludificatus est à diabolo, qui per miserabilem mortem ab hinc die tertia migravit à seculo, post cujus interitum beatus Clemens liberè permissus est ubilibet in Frisia patenter Euangelium prædicare, catechuminos baptizare, Neophytos confirmare, sacros Ordines celebrare, ac in pagis singulis Ecclesias seu basilicas dedicare.

MS. AEdificare.

Miracula S. Willebrordi.

Nequaquā & miracula sanctissimi Præsulis præterire silentio voluimus, quæ & in libris antiquis de sanctitate suâ scripta cognovimus. Contigit enim unâdierū omnes de comitivâ suâ cruciari nimis ardore sitis intolerabilis, cùm & ipse visitaret quasdam secus littus marię Ecclesias suæ diœcesis. Vinum enim defecit in utribus, & aqua recens non fuit in illis partibus: Almifluus ergo pater filiorum necessitati compatiens, præcepit uni Secretario tabernaculum extendere, & præmodicam in eo cisternam fodere: Quo facto divus Pontifex tabernaculum solus intrans, orationem devotè fudit, & continuò salinatica terra dulcis aquæ copiam affluenter eduxit, ita, quod omnes sitientes abundanter haurirent aquas fontis, & præ sanctitate beati viri magnificarent omnipotentiam creatoris. Eadem verò cisterna nunc in territorio de *Heylgelo* patenter ostenditur, quæ ab inquilinis illic inhabitantibus moderno tempore puteus sancti Willebrordt dicitur. Accidit itidem sanctum Clementem visitare gentilem populum suæ diœcesis in Walachria, ubi simulachrum (r) Mercurii colebatur in magnâ reverentiâ, cujus statuam idem sanctus Antistes exemplò confregit, & prophanū idolum dedignanter abjecit, & ecce, custos ejusdem idoli beatum Antistitem mucrone percussit in summitate capitis, ut injuriam Dei sui placaret sanguine sancti Præsulis, sed idem grassator ultione divinâ mox abreptus est à diabolo, & insanabili morbo die tertiâ decessit à seculo: confessor autem inclytus divinâ protegente gratiâ, sanus omnino permansit, ac in pagis singulis Euangelium pacis constantissimè prædicavit.

Nomen Dei.

Mercurius in Valachria cultus, & à S. Willebrordo devictus.

Miserabili morte.

Anno Christi 737. S. Willebrordus moritur, cùm sedisset annos 40.

(s) Anno Domini DCC. XXXVII. Clemens VII. Idus Novembris felicem Creatori reddidit animam, postquam annos XL. dignè gubernasset Ecclesiam. Cujus sacrum corpus ad Epternacensé translatum est cœnobium, Ordinis beati Benedicti Treverensis diœcesis, quod ipse pridem de patrimoniis discipulorum suorum sumptuosis adornavit ædificiis: ubi meritis sancti Confessoris assiduè fiunt miracula, quæ perlucidè conscripta sunt in ipsius Historia. Hic Præsul egregius eo vivente destinavit discipulos in terminos suæ Diœcesis, ad Euangelizandum infideli populo doctrinam æternæ beatitudinis, unde & beatus Adelbertus delegatus fuit in Kenemariam, ubi etiam in fide Catholica novellæ conversationis roboravit Ecclesiam, qui post plurimorum gentilium conversionem, & laudabilem vitæ suæ consummationem 7. Calendas Iulii felici fine requievit in Domino, sepultus apud Egmundam honore congruo, cujus oratorium usque in hodiernum diem multimodis claret virtutibus, ac in magnis reverentiis continue veneratur à devotis Christicolis. Is Confessor eximius inter omnes sancti Clementis consodales Leviticæ dignitatis extitisse legitur, & ideo primus Trajectensis Archi-diaconus fuisse creditur. Sanctus verò Werenfridus sacerdos præclarus versus Batuam ad prædicandum missus, Ecclesiam de (t) Westerfuerdt egregiè rexit, & exemplo bonæ vitæ plurimos Deo populos acquisivit, qui XIII. Calendas Septembris requievit in Christo, tumulatus in Helisto, (u) aliàs in Elst, ubi beatus Clemens dudum ecclesiam laboriosè construxit quàm in honorem sancti Salvatoris dedicavit. Duo (x) quidem SS. Ewaldi præsbyteri Nabiam introëuntes Christum prædicando confessi sunt, qui abinde ascendentes in Saxoniam V. Nonarum Octobris glorioso Martyrio coronati sunt: Sanctus verò (y) Suidbertus beati Clementis in verbo Domini fidelis Coepiscopus post plurimorum gentilium conversionem in Domino requievit, Willeboldus equidem Orientalem Franciam adiens Heistatensis Episcopus effectus est, & VVinebaldus ejus frater Heydelamensis Abbas ordinatus est: quorum Germana fuit beata (z) Walburga, virgo virtutibus insignis & miraculis præclara. Lebuinus autem ibidem adeptus est Pontificium, postquam in longinquis terris egregiè prædicasset Euangelium. Beatus utique Marcellinus post hæc in longitudinem dierum supervixit, & usque ad tempus bea-

S. Adelbertus convertit Kenemarios & Egmondæ sepultus, claret miraculis.

Christi fidelibus.

S. Werenfridus.

SS. Ewaldi.

S. Swidbertus.

S. Willeboldus.

B. Walburga.

S. Marcellinus.

pus beati Gregorii populis trans Iſelam habitantibus eleganter Euangelium prædicavit.

a *Sub veteri diſciplina*] In M.S. meo legitur, Regulari diſciplina. In Teuton. eſt, hooger leeringe/ ut vel altiore aut ſublimiore diſciplinâ, reponi poſſit, Cronicon autem magnum Belg. habet etiam regulari.

b *Egbertum Northumbrorum Archiepiſcopum,*] Quos hic Beka ſecutus ſit auctores equidem ignoro, illud ſcio quod Beda, qui hoc ipſo tempore in Angliâ ſcripſit, & cui hic Egbertus non ignotus fuiſſe videtur, eum non aliter quam virum ſanctum & Chriſti ſacerdotem vocet, & nuſquam Archiepiſcopum vel Epiſcopum dicat; quem vide hiſtor. Eccleſ. Anglorum lib.3.cap.27. lib.5.capp. 10. 11.24. quod & Molanus in Indice SS. Belgii vidit. Accedit quod in faſtis Anglorum Ingulfo Abbati Croilandiæ additis, nullus eo tempore Egbertus Nortanhymbrorum Archiepiſcopus aut Eboracenſis reperiatur. Meminit Egberti viri Sancti Marianus Scotus ad annum C.715. Lambertus autem Schafnaburgenſis anno 727. S. Egbertum migraſſe ad dominum tradit. Florentius quoque Vigornienſis venerandi Egberti anno C. 692. mentionem facit: nec ullus horum, etiamſi omnes ante Bekam vixerint, eundem Archiepiſcopum vel Epiſcopum vocat. Unus tantùm Marcellinus in vitâ Switberti Eboracenſem Archiepiſcopum nominat; qui tamen auctor vel hinc optimo jure ſuſpectus mihi ſemper fuit; nec eſt quod hunc tot & tam gravibus ſcriptoribus unum opponas, quem non unâ manu interpolatum mecum antiquitatis noſtræ gnari haud ibunt infitias. Hunc igitur pſeudo-Marcellinum ſecutus videtur noſter auctor, qui inde alios pleroſque ſecum in errorem adduxit. Chronici Magni Belg. ſcriptor Bekam ferè ad verbum tranſcripſit, Gerbrandus, Heda, Snoyus, Vulgare Chronicon, aliique eandem inconſideratè opinionem imbiberunt; inter quos & diligens ille rerum Moguntiæ ſcriptor Serrarius, nimium Marcellino confiſus. Quidam Anglus tranfuga, in ſuis Antiquitatibus Belg. Egbertum & Abbatem facit; quem tamen Sandelinus noſter, cujus ego vellem liber de vitâ Willebrordi extaret, refellit, & neque Epiſcopum neque Abbatem fuiſſe aſſerit. Ubbo Emmius lib. 4. rer. Friſicarum de Egberto Epiſcopo dubitare videtur, quamvis ex Marcellino quoſdam, id tradere dicat. Uſuardus inter ſanctos Monachos eundem refert. Ex his omnibus quilibet vel leviter in hiſtoriis noſtris verſatus, ſi modo rectum judicium adhibere voluerit, facilè veritatem agnoſcet: Quo tamen omnem dubitandi anſam præcidam, & illud addendum duxi; Egbertum hunc, de quo agimus, ut ex ſupplemento ad Bedam patet obiiſſe circa annum C. 729. vel, ut alii volunt, paulo citius; Egbertum verò alium ab hoc, Regis nempe Nortahumbrorum fratrem circa annum C. 732. vel 735. demum Archiepiſcopum Eboracenſem VII. effectum eſſe, quod ex laudatis faſtis Anglicanis & Epit. Bedæ, Wilhelmo etiam Malmeſburienſi de Pontificib. Angl. lib. 3. conſtat, quem cum hoc noſtro hactenus ſatis imperitè ſcriptores confundunt.

c *Præfatum Willebrordum*] Willebrordi nomen non uno modo ſcribitur, neque eandem recipit interpretationem: pleriſque Wilibrordus placet, ſic Alcuinus lib. 2. de ejus vitâ: *Pontificis magni Wilibrordi & præſulis almi*: Alii Willigbrodum malunt, vulgus Willebooꝛt dicit. Scrieckius non abſurdè interpretatur Willeberoert/ quaſi voluntates permovens, putatque malè ſcribi Willebooꝛt: Bockenbergius Willigbrodum dictum vult, à liberali panum diſtributione, cum quo facit Molanus, poſſet & dici Wilbrodus abundans pane vel frumenti dives. Hoc certum, nomen eſſe merè Saxonicum, nec à Belgicâ linguâ peregrinum.

d *Cum XI. ſodalibus,*] male antea legebatur IX. ſodalibus, contra M.SS. Codd. & Chronicon magnum Belg. atque adeo Bedam, cujus hæc ſunt verba. *Erant autem numero duodecim.* Nec eſt fere qui diſſentit, quamvis is, Ewaldos Fratres ex hoc numero eximere videatur, neque plures novem hic nominentur. Heda & Bockenbergius Willibrodo hos XI. ſequentes adjungunt ſocios, Suitbertum, Wiliboldum, Lebuinum, Winibaldum, Ewaldos geminos, Werenfridum, Accam, Wigbertum, Marcellinum, Adalbertum. Snoyus hos quoque agnoſcit. Chronicon magnum verò in numero concordat, ſed Accam & Wigbertum innominatos relinquit; & Emmius Winibaldum omittit.

e *Willeboldus & Livinus in Orientali Fr. Epiſcopi,*] Wilibaldus fuit quidem Eichſtatenſis in Franciâ Orientali Epiſcopus; S. verò Livinus, Gandavenſis Epiſcopus dudum ante Willibrodi in haſce terras adventum, anno ſcil. C. 633. martyrio erat affectus. Sed inter Willibrodi ſocios nominandus hic Lebuinus vir pius, Tranſiſſellanorum, ut volunt Apoſtolus, qui Daventriæ requieſcit & ad annum C. 760. perveniſſe creditur, quare ſcribendum putarem, *Suitbertus & Willeboldus in Orientali Freſia poſtmodum Epiſcopi; Lebuinus, Wineboldus Abbas &c.*

f *In Orientali Franciâ,*] Francia; ſed ſeriùs diviſa fuit in Auſtraſiam & Weſtraſiam, ſive Auſtriam & Neuſtriam i. Orientalem & Occidentalem, de quâ re vide eleganter diſſerentem Cl. virum Io. Iſaacium Pontanum in Originibus Francicis paſſim, quam diviſionem diſtinctè exprimit Godefridus Viterbienſis in Carolo Craſſo Imp: his verbis: *Porro Arnulphus totam Orientalem Franciam, quæ hodie Teutonicam regnum vocatur. 1. Bavariam, Sueviam, Saxoniam, Thuringiam, Friſiam & Lotharingiam rexit, & totum Rhenum. Occidentalem Franciam verò Odo tenuit Arnulphi auctoritate.* Adde quæ Goropius Francicor. lib. 3. commentatur.

g *De ſtirpe Saxonicâ,*] Angli enim Saxones à Rege Britannorum, Vortigerio, quem Picti armis premebant, in auxilium vocati, maximam tandem Inſulæ partem ſuis occuparunt, ut Beda lib. 1. cap. 15.

cap. 15. hist. tradit. Magna autem Saxonicæ Linguæ cum Frisica olim similitudo fuit, & plura hodie Anglicana vocabula cum nostris conveniunt, dialecto tantum differentia. In Angliæ bibliothecis plures dicuntur etiamnum extare libri M. SS. Saxonicâ linguâ vetere; cujus specimen in notis Seldeni ad historiam Eadmeri Novorum, habetur, quod difficulter admodum à nostris hominibus intelligeretur.

h *Anno Domini D C XCIII.* Sigisbertus in Chronicis: *Anno 694. Pipinus Radbodum Ducem Fresonum bello vicit:* Animadversione quoque dignum non Regem hic Radbodum, sed ducem vocari; quemadmodum ap. hunc eundem ad annos 714. 718. apud Marianum Scotum in Anastasio Imp. Ammonium lib. 4. c. 15. Adonem in Chronico. Annales tamen Francorum Pithœi, & Lamberti Schafnaburgensis monachi Chronicon Regium illi nomen tribuunt; quos Frisici scriptores plerique sequuntur.

i *Morabatur ap: Insulam Fostenlandiæ,*] Fostenlandia ab Idolo Fostâ dicta, ut quidam volunt, Insula ad Albim sita teste C. Kempio lib. 2. c. 8. de Orig. Fris. Ubbo Emmius & Bockenbergius Frisiis conterminam putant; Pontanus **Hillegerlandiam** esse credit, prius Faram dictam olim verò Foetislandiam insulam inter Daniam & Frisiam, lib. v. Rer. Danic. quam opinionem improbat Emmius 2. Frisic. hist. Et **Hillegerlandiam** inter Saxonicas Insulas ad Albim, non Frisicas referendam vult. Molanus in Indiculo SS. Belgii, ubi de Wicberto agit, sic scribit: *Videtur Foistenlandia extremis Frisiorum finibus fuisse contermina, quo in loco Tacitus Fosos & Fositas nominat.*

k *Jugulari jussit unum.*] Hunc fuisse Wicbertum ex Marcellino tradunt Heda, Snoyus, Gerbrandus, alii; cujus meminit Beda hist. Angl. lib. v. ca: x. sequentibus verbis: *At verò unus de sociis ejus* (Egberti nempe) *Wicbertus mundi contemtu, & doctrinæ scientia insignis, ascendit navem, & Frisiam perveniens duobus annis continuis genti illi ac Regi illius Radbodo verbum salutis prædicabit. Neque aliquem tanti laboris fructum apud barbaros invenit auditores,* &c. Qui cum aliquamdiu ad suos reversus quievisset; Willibrordo illam quoque provinciam ingressuro se adjunxerat. Hujus meminêre Usuardus in Martyr, ad eundem Molanus, Kempius lib. 3. cap. 8.

l *Ad castrum Trajectense.*] Hic Frisii urbem celebrem aut oppidum jam olim conditum volunt, quibus Heda, Gerbrandus, Hortensius; alii accedunt; & ab Antonini Imp. ævo cognitum asserunt; At noster castrum tantum agnoscit, post plura ab Antonini tempore secula; quod & evidenter patet ex diplomate Car Martelli. Verùm cum post obitum Radbodi jam pace fruerentur, templaque & cœnobia juxta illud castrum construerent. Atque ita hic locus quasi caput provinciæ & sedes Antistitum fieret, multique ibi confluerent quotidie, paulatim in urbem coaluit. Nomen autem Latinum Trajectum, non ab Antonino, sed posterioribus Rom. vel Gallis Latinè loquentibus, obtinuit, quod respondet vernaculo **Treeht**. Itinerarium etenim quod Antonini nomen præfert conceptum quidem Adriani vel Antonini ævo, sed ab aliis, sequentibus temporibus auctum, & à Mariano Scoto tandem publicatum, Antiquitatis periti tradunt; quod Constantinopolis aliorumque recentiora locorum vocabula probant. Quæ verò de Ultrajecti nominis etymo feruntur ab Heda, Hortensio, aliisque nauci facienda puto, nec operæpretium in iis enucleandis aut refellendis tempus terere; quod vulgatum nomen **Utrecht**; depravatum sit à vetere Trajecto, & vernaculo, **Aut Treeht**/ neque opus habeat id à peregrinâ linguâ, ut alibi à me dictum est, arcessere.

m *S. Crucis Oratorium.*] Annus fundati hujus Oratorii in paraphraste Teut. est 695, cui adstipulantur Chronicon magnum, & vernaculum ex Gerbrardo, alii in præcedentem illud annum, quod veriùs videtur, conjiciunt.

n *Anno Domini D C XCIII. Pipinus.*] In MS. meo est annus 697. Quo autem anno consecratus sit Romæ Willibrordus Episcopus variant scriptores. Beda hist. Angl. lib. v. ca. x i . id factum esse anno 696. tradit; Chronicon Reginonis longè abit, & procul dubio eâ parte corruptum est; Marianus annum ponit 694; Contractus 691; Sigisbertus 697, qui annum ejus adventus in Fresiam 692. statuit, cum plerisque is sit 690. Ado Viennensis in Chronico antè annum 696. à Sergio P. R. Episcopum eum constitutum vult, Chronicon Belg. M. non longè abit à Sigisberto. Ubbo Emmius, Florent. Wigorniensis, Miræus in Annal. Belgicis, Haræus in Pipino Harstal. Abbas Ursperg, Heda, & major scriptorum pars Bedæ videntur accedere. Atque ita verosimile fit, quod Willibrordus anno C. 695. ædiculam S. crucis inchoaverit, & sequenti Romæ à Sergio ejus nominis 1. Pontifice ordinatus sit Episcopus Fresonum, ac deinde Româ reversus Cathedrale inceperit ædificare templum D. Martino Turonens. olim in Galliâ præsuli, sacratum, 22. demùm Episcopatus sui anno absolutum.

o *Canonicorum cœnobitalium, &c.*] Abbas S. Gertr Lovan. in vitâ S. Gertrud. *Quamvis* (inquit) *monasterium & cœnobium origine ferè pugnent, tamen constat ea indifferenter ab auctoribus usurpari. adeoque ea, quæ videmus hodie Canonicorum Collegia, & Capitula, verè fuisse cœnobia & Canonicos simul communem vitam duxisse. simul habitasse, simul edisse: præter historias fidem faciunt, quæ vocamus claustra, peristylia, Refectoria.* Et Buzelinus Gallo-Flandriæ lib. 2. cap. 25. de Cysonio; *Ita statuendum, principio Canonicos habuisse seculares, ex B. Everardi fundatione, quibus in commune viventibus Abbas præfuerat: deinde portionibus in singulos Canonicos divisis, præpositus.* Videatur etiam Molanus libro singul. de Canon. Origine & institutis. De Abbate Cathedrali in Aquisgranensi ecclesiâ scribit. Pet. Beeck in Aquisgrano suo capp. 2. & 4. qui & eodem loco refert Trevirenses Canonicos circa annum 966. communitatem vitæ regularis mutasse, hos secutos Spirenses, Moguntinos, & alios, circa tempora Othonis 3. Imperatoris.

Duorum

p *Duorum præpotentium Impp.*] Nempè Cunradi II. & Henrici V., quorum memoriam non tantum lapides summi chori, sed & passim monumenta Trajectensium conservant.

q *Anno Domini* 717 *Carolus.*] Ado in Chronicis scribit Radbodum anno 715. Martellum profligasse, & Coloniam usque vastando pervenisse, & anno 717. mortuum; vel ut Regino anno Caroli IV. id est, 718. Miræus 719. annum habet. Aimonius verò lib. v. cap. 55. tradit quod Carolus Radbodum *Frisicorum Ducem gentilem adhuc crudeliter rebellantem interfecerit, prostrato ejus exercitu.* Aimonio concinunt Heda & Dousa. Quæ sequuntur de Vulfranno Senonensi præsule, & intinctione Radbodi, propter odium ejus à posteris confictum crederem, nisi tam constanter scriptores assererent. Illud nihilominus quod à nonnullis scriptum, eum triduo, postquam ex Lavacro retraxisset pedem, repentè expirasse, omnino fabulosum est. Nam cum Vulfrannus, cujus auctor noster meminit, in conversione Frisiorum Willibrordo cooperator, ab anno 700. ad quinquennium tantùm datus, post illud tempus abdicato præsulatu monasterium Fontanellam fuerit ingressus, ut Molanus tradit, in eoque anno 720. objerit; Radbodus autem ad annum 717. vel 718. vixerit, omnis hæc de Vulfranno narratio concidat necesse est. Quod & Furmerius in suo Radbodo etiamsi non pauca in ejus scriptis à verò aberrantia inveniantur, annotavit.

r *Ubi simulachrum Mercurij colebatur:*] De Mercurio Germanorum Deo Bertelius Epternacens. Abbas plura in libro de Diis Gentilium. Tacitus de moribus Germ. *Deorum* (inquit) *maximè Mercurium colunt, cui certis diebus, humanis quoque hostiis litare fas habent.* Quod sup. Beka Iovi factum in Fostenlandiâ tradit; & Gallis Germanisque olim commune fuit; ut & Lipsius ad dictum Taciti locum, ex Procopio & Dithmaro, testatur. Videri hic quoque possunt Cluverius Germ. Antiq. lib. 1. ca. 26., ubi copiosè de Diis Germanorum agit. Henr. Ernest. observ. lib. 2. ca. 17. Ex Cron. Saxon. Adde & eruditiss. Salmasium Exercit. Plinian. ad. Solin. Verum enim verò, cum tam crudeles hostiæ Mercurio Eloquentię, Mercatorum ac furum Deo parum conveniant, credo Tacitum, ut Germanorum linguæ ac rituum parum gnarum, falli eò loco. Neque est quod Saxonum Irmensul. huc trahamus interpretantes Mercurii vel Hermetis columnam, quia Hermes Græcis Mercurius vocatur ab eo quod est ἑρμηνεύειν, id est, disserere. Germanos namque suos Deos vernaculo sermone, haud peregrino indigetasse est verosimilius, ac serius Romanorum numina agnovisse, cum nempe ipsorum signa sequerentur, proinde arbitror eos voce Heerman/ non Hermetem, sed Martem, quasi exercituum virum vel Deum dicas, exprimere voluisse; cui ut sanguinario numini, humanæ hostiæ placebant, quod & Iornandus in Gothicâ hist. asserere videtur, ita scribens: *Martem semper asperrimâ placavere culturâ, nam victimæ ejus mortes fuêre captivorum.*

ſ *Anno Domini* DCCXXXVII. *Clemens,*] Willibrordum sive Clementem obiisse anno C. 736. VII. Id. Nov. refert Molanus in Indiculo SS. Belgii, & ad Usuardum; cui consentiunt Annales vulgares, Meyerus, & scriptorum plerique, quadragesimo nempe præsulatus anno. Bartelius tamen ex Theofrido ejus obitum in annum C. 739. conjicit, cui accedit Cl. vir & in sacris Belgarum Antiquitatibus versatissimus Aub. Miræus in Annal. Abscedit ab utrisque Doctissimus Emmius, lib. 4. hist. eum 745. anno decessisse scriptum relinquens, postquam totos L. annos Archiepiscopatu in Frisia fuisset functus. Chronici Belgici auctor annum C. 732. Willibrordi præsulatus 36. annum facit, cæterum de tempore mortis convenire videntur. Atqui hanc tantam discrepantiam procedere putant, ex eo quod Bonifacius vivente adhuc Willibrordo aliquandiu episcopale munus obierit, eique jam senio debili, veluti vicarius extiterit, cui proinde annos nonnullos Willibrodo debitos adscribunt. Accedit quod & de tempore initi muneris scriptores non eadem sentiant. Atque hinc fit ut sequentium etiam Antistitum annorum calculus non semel turbetur.

t *Ecclesiam de Westerfuert,*] locus hodieque Westerfoert dicitur, supra Arnhemium ultra fossam Drusianam, haud ita longè ab Isseloort/ ubi Issula hodierna initium capit.

u *Tumulatus in Helisto.*] Elst vicus est non ignobilis in Betuâ, ad Lingam fl. itinere fere medio inter Arnhemium & Noviomagum: olim quam nunc celebrior, ob templum & collegium Werenfridianum, in quo ejus viri Leipsana conservabantur. Vide Indic. SS. Belgii Io. Molani.

x *Duo Ewaldi,*] Horum præter nostros scriptores, meminere Beda hist. Anglicanâ lib. v. cap. x1. Usuardus in Martyrol. Molanus de SS. Belg. Matheus Westmon. ad annum 687. Martytol. Roman. & ibi Baron. Ado Vienn. in Mart. Trith. Abbas lib. 3. viror illustr. ord. B. Bened. cap. 139. in Chronogr. Sigisbertus ad annum C. 693. Harman. Contractus; qui posteriores à Saxonibus occisos, jussu verò Pipini Coloniæ sepultos, tradunt. Quis verò locus sit Nabia scriptores ignorant, est prope Bingium Oppidulum Nabia fl. unde aliquando & *Navim introeuntes* leg. putavi. Quisquis tamen hic locus sit, haud ita procul à Colon. Agripp. Saxoniam versus fuerit, necesse est.

y *Suitbertus fidelis Coepiscopus.*] Rerum Pontificiarum scriptores, Coepiscopos dicunt Vicarios Episcoporum, qui tamen erant Episcopi consecrati, conferreque Ordines sacros poterant: Concil. Anthiochenum capp. 8. & 10. Sic in addit: ad Usuardi Martyrolog. Lantfridus dicitur Coepiscopus Drogonis Metensis. Episcopi verò qui olim, vide Lexic. Briss. & quo nunc deducti, Onuphrium de vocibus Eccl. Differre autem à Chorepiscopis videntur; lege, Decret. 7. part. dist. 68. c. 4. imo, prohiberi c. 5. quorum tamen plurima in historiâ nostrâ extat memoria, vita Suitberti singulari libello conscripta extat etiam typis publicata, Marcellino, ut fertur, auctore, sed exscribentium errore adeò illud scriptum vitiatum est, ut de veritate in multis dubitetur.

z *Quorum Germana fuit B. Walburga.*] sequentia quatuor verba neque in meo MS. neque in para-

phrasi Teut. vet. habentur. De Walburge sic scribit Molanus in Indiculo: *Winibaldus & Walburgis in eadem* (scilicet Eichstatensi) *Diœcesi in monasticâ vitâ laudabiliter præfuerunt. Sed potissima S. Walburg portio habetur Eichstadij, in ejus nominis monasterio: ubi adhuc hodie ex ejus corpore oleum* (ut fertur) *defluit, quod multis morbis medetur.* De hac hi extant versus:

Filia Regis erat; sed egenam se faciebat,
Dives ut in Christo regnaret semper, &c.

Vitam ejus descripsit Wilibaldus Eichstatensis, sive Aureacensis, à Bonifacio constitutus primus Episcopus, quæ tamen nescitur an extet; aliam verò satis prolixè descriptam à Philippo Eichstatensi præsule in lucem produxit Canisius Tom. 4. Antiq. lect. in quâ plura de ejus fratribus Wilibaldo & Winiboldo B. Willibrordi sociis. Extat & ibidem Hodœpericon S. Wilibaldi à consanguineâ Sanctimoniali Heidenhaimensi, quam ipsam fuisse Walburgim quidam putant, conscriptum, Trithem. de viris Illustr. Ord: S. Benedicti, hos liberos dicit Anglorum Regis Richardi.

S. Bonifacius Episcopus II.



Empore quo sanctus Clemens Trajectensem dignè rexit Ecclesiam, sacerdos (a) quidam Winfridus nomine, natione clarus, ab Angliâ venit in Germaniam, ut prophanum idolatriæ cultum aboleret, ac rudem populum documentis Euangelicis informaret. Quem ex tunc beatus Clemens cum omni veneratione uscipiens obnixius oraverat, quatenus fidelis cooperator ejus in Euangelicâ prædicatione fieret. Winfridus ergo precibus reverendi Pontificis acquiescens XIII. (b) annos in sanctâ Trajectensi mansit Ecclesiâ, convertendo populum à barbarâ gentiliatis idololatria. Demum idem Winfridus animadvertens messem multam, operarios autem paucos apud ulteriorem esse Germaniam, valedicens Clementi, secessit apud Maguntiam, ubi verbum æternę beatitudinis prædicare cœpit, & (c) Francos cum Thuringis ab infidelitatis errore, Deo prosperante convertit. (d) Et quoniam Maguntinensis antistes illis diebus obdormivit in Domino, ideoque Carolus Dux Primates cum Prælatis coadunavit in sanctâ Synodo, postulans ut Winfridus sacerdos orbatæ sedi præficeretur Episcopus, eo quod in conversione paganorum prædicator esset inclytus. Igitur idem VVinfridus Maguntinensis urbis pastor electus pro Pontificali benedictione Romam ascendit: quem ex tunc Papa Gregorius hujus nominis secundus condignè suscepit, tradens eidem Archiepiscopalem benedictionem cum superhumerali pallio, imponensque sibi nomen Bonifacius, ex favore specialissimo. Bonifacius igitur Pontificali fultus honore, reversus est ad Maguntiam, & in finibus suæ diœcesis diligenter exturpavit Idololatriam, ita quod paganorum multitudo maxima jam prophanam sectam refutaret, & Catholicæ fidei documentis salutaribus adhæreret.

VVinfridus dictus Bonifacius.

Carolomannus.

VVinfridus Archiepiscopus Moguntinensis.

Aliquantis elapsis diebus Bonifacius dolenter intelligens sanctum Clementem ab hujus incolatu sæculi transmigrasse, & Ecclesiam Trajectensem pastorali regimine viduatam, congregavit sanctam Synodum quorundam Episcoporum, in qua Lullonem venerabilem sacerdotem Maguntinensem ordinavit Episcopum, nec mora quin & idem (e) Bonifacius consentiente Carolomanno duce, navigando Trajectum advenit, & desolatam in Dei nomine Ecclesiam gubernandam accepit, ne populus per prædicationem suam dudum conversus ad idololatriæ sectam rediret, sed potius in Dei timore constantissimè permaneret. Hic igitur Præsul egregius Divini nominis obsequium ampliare volens, condidit infra (f) civitatem Trajectensem cœnobitalium Canonicorum ecclesiam, oratorio sancti Salvatoris primordiali vicinam & contiguam. Hæc quidem ecclesia diversis titulis privilegiata legitur, quoniam vulgariter antiquum Monasterium pro tanto forte dicitur, quoniam ecclesia Trajectensis abundè renovata fuit, sed hæc in ædificio veteris structuræ permanens hactenus irrenovata duravit. Quidam tamen asserunt eandem ecclesiam à sancto Clemente primo superædificatam esse, & LXXX. Canonicos in ipsâ præbendatos fuisse, de quibus idem Clemens XL. resumpsisset, quos in ecclesiâ sancti Martini confessoris transplantasset. Si autem hoc ita fuit, veritati non contradicimus. Veruntamen nullam exinde certitudinem ex privilegiis vel Historiis aliquatenus indagare potuimus,

Bonifacius sibi ex Synodi sententia substituit Fullonem.

Bonifacius succedens S. VVillebrordo, ædificat Trajecti antiquum Monasterium.

Præsul

Præsul igitur Bonifacius Trajectensem condignè regens ecclesiam, tanquam fidelis servus & prudens, in lucrandis animabus pervigil fuit, & de conversis paganis duplicatum talentum suo Domino reportavit.

(h) His diebus dissensio quædam exorta est inter Ecclesiam Coloniensem & Trajectensem. Postquam enim Bonifacius Archiepiscopus Trajectensis, jubente Zacharia Papa, Pipinum (i) Ducem Suessionis unxisset in Regem Francorum, quem Clemens quidem baptizaverat in regno Germanorum, Archiepiscopus Coloniensis asseruit castrum cum ecclesiâ Trajectensi donatione Dagoberti Regis ad Metropolitatum suum spectare, & contra præfatus Trajectensis Archiepiscopus affirmavit Ecclesiam suam ad sedem Apostolicam sine medio pertinere, quapropter & Bonifacius præsentis epistolæ consultationem scribi fecit, quam sanctissimo Patri Domino Stephano Papæ destinavit. Diligendo Domino Apostolatus privilegio Stephano Papæ, Bonifacius exiguus missus Germaniæ Catholicæ & Apostolicæ Ecclesiæ optabilem in Christi charitate salutem. Tempore Sergii Apostolicæ sedis Pontificis venit ad limina Apostolorum presbyter quidam miræ abstinentiæ & sanctitatis genere Saxo, nomine Willebrordus, & alio nomine Clemens vocatus, quem præfatus Papa Episcopum ordinavit, & ad prædicandum paganam gentem Fresonum transmisit in littoribus Oceani Occidui. Qui per quinquaginta annos prædicans præfatam gentem Fresonum magnâ ex parte convertit ad fidem Christianam Fana & delubra destruxit, & Ecclesias construxit, & sedem Episcopalem in honorem sancti Martini & Basilicam in honorem sanctæ Crucis in loco & castello, quod dicitur Trajectum exstruxit, ubi prædicans usque ad debilem senectutem mansit, & sibi coepiscopum ad ministerium implendum constituit, & finitis longevæ vitæ diebus in pace migravit ad Dominum. Princeps autem Francorum Carolomannus commendavit mihi sedem illam ad constituendum & ordinandum Episcopum: quod & feci: Nunc autem Coloniensis Episcopus eandem sedem præfati Episcopi Clementis à Sergio Papa ordinati sibi usurpat, & ad se pertinere dicit, propter fundamentum quoddam destructæ à paganis Ecclesiolę, quam Willebrordus dirutam usque ad solum in castello Trajecto reppererit, & eam proprio labore à fundamento construxit, & in honorem sancti Martini consecravit, & refert quod ab antiquo Rege Francorum Dagoberto castellum Trajectum cum destructâ ecclesiâ ad Coloniensem parochiam donatum eâ conditione fuisset, ut Episcopus Coloniensis gentem Fresonum ad fidem Christi converteret, & eorum prædicator esset; quod ipse non fecit. Non prædicavit, non convertit Fresones ad fidem Christi, sed pagana mansit gens Fresonum, usque quò venerandus Pontifex Romanæ sedis Sergius supradictum servum Dei Episcopum Willebrordum ad prædicandum dictæ genti transmisit, qui illam gentem, ut præfatus sum, ad fidem Christi convertit. Et modo vult Coloniensis Episcopus sedem supradicti prædicatoris Willebrordi sibi contrahere, ut non sit Episcopalis sedes subjecta Romano Pontifici, prædicans genti Frisonum. Cui respondebam, ut credidi, quod majus & potius fieri debeat præceptum Apostolicæ sedis, & ordinatio Sergii Papæ, & legatio venerandi prædicatoris Willebrordi, (ut & fiat sedes Episcopalis subjecta Romano Pontifici; prædicans genti Frisonum, quia magna pars gentis illius adhuc pagana est, quam destructę ecclesiolę fundamenta diruta, & à paganis conculcata, & per negligentiam Episcoporum derelicta: sed ipse non consentit. Sed modò paternitatis vestrę judicium mihi intimare dignemini, & si hoc justum sit, responsum, & si vobis placeat, quod illi Coloniensi Episcopo reddidi, vestrâ authoritate roborate, ut pręceptum Sergii PP. & sedes illa stabilis permaneat. Sic enim nos potestis, si vobis placet adjuvare, si de scrinio ecclesię vestræ exemplare jubeatis, & mihi transmittere quicquid præfato Episcopo Willebrordo ordinato sanctus Sergius præcepit & conscripsit, ut ex authoritate sanctitatis vestrę contradicentes convincere & superare valeam. Si autem aliter justius sanctitati vestræ videatur, consilium paternitatis vestrę mihi insinuare dignemini, ut sequar. Hanc igitur consultationis epistolam Bonifacius ad Romanam curiam transmisit, qui modico de hinc elapso tempore, negotio nondum expleto, vitam cum Martyrio consumavit.

Dissensio inter sedem Coloniensem & Trajectensem.

Epistola Bonifacij ad Stephanum Papam consultiva.

S. M. collocavit.

MS. Dicti.

De Passione B. Bonifacii Episcopi & Martyris.

Bonifacius in Frisiam proficiscitur ad Martyrium.

ANNo (m) Domini D CC LII. Bonifacius inspiratione divinâ perpendens suum instare Martyrium ordinavit Gregorium venerabilem virum Trajectensem Episcopum, Ipse (n) verò cum Eobano coepiscopo (o) Wintrungo, Waltero ac Adelberto Presbyteris: Haymanno, Skitbaldo & Bosone Levitis, Walkaro, Gundero, Hildero & Bertulfo Monachis, ac circiter 30 summæ religionis viris honestis Flevi alveum transcendens ad infidelem Frisiæ populum navigando devenit, ubi fixis tentoriis aliquantisper recreationi se dedit: denique veritatis præco constanter annunciare cœpit Euangelium pacis, ut plerique Frisones relictâ perfidiâ se subjicerent jugo Christianæ legis. Sed humani generis hostis antiquus totis nisibus in contrarium obstans, suscitavit adversus sanctos prædicatores, quosdam cruentos satellites, malentes potius occumbere, quàm diabolici ritus paternas traditiones omittere. Sanctus autem Episcopus insanientis vulgi minas omnino parvi pendens exhortantibus discipulis codicem constanter aperuit, & verbum æternæ salutis insultanti populo prædicare non distulit. Carnifices verò sicut aspides surdæ, paternis monitis aures suas pertinaciter obturantes, cum lanceis & gladiis in athletas Dei pertinaciter irruerunt, quos omnes diversis plagis afficientes sub die (p) Nonarum Iunii cruentissimè trucidarunt. Sancti quidem Martyres, numero LII. perstiterunt adversus paganorum insultus immobiles, benedictionem pro persecutione præstantes, atque semetipsos ultroneos ad Martyrium offerentes, qui in vico Doccum pro Christi nomine pariter interemti sunt, ac in præclaro cœli palatio cum palmâ victoriæ gloriosæ laureati sunt: nec mora quin prophani Frisones festinaverunt exinde codicem sancti Præsulis particulatim scindere, & Christianam fidem de finibus suis prorsus abjicere: sed virtus divina sacrum codicem de manibus tot gentilium conservavit illaceratum, in quo conscriptum fuit æternæ vitæ salutare documentum. His itaque gestis cruenti carnifices de strage sacrorum Martyrum exultantes reversi sunt ad propria, ut epulando diem festum agerent in magnâ lætitiâ, & ecce miraculum inauditum. Quoniam omnes (q) panes eorundem grassatorum conversi sunt in lapides, qui pro memoriâ sanctorum Martyrum hodierno tempore servantur apud Frisones. Quidam verò Christi fideles collectis XIII. corporibus prædictorum Sanctorum Martyrum transiverunt Flevi alveum repentino navigio inhumantes eadem in ecclesiâ sancti Salvatoris Trajectensis, honore congruo; corpus (r) autem sancti Bonifacii pretiosi Martyris per miracula divinitus ostensa, translatum est ad Fuldense Monasterium ordinis beati Benedicti Maguntinensis diœcesis, quod ipse pridem infra solitudinem Buchoniç super Fuldam eleganter extruxit ad perennem laudem sui nominis: ubinam & idem gloriosus martyr diversis claret virtutibus, & in magnâ reverentiâ frequentatur à devotis Christi fidelibus. Hic electus Deo Pontifex ecclesiç Trajectensis secundus Archiepiscop. fuit, quam à (s) transitu sancti Clementis XVI. annis studiosè rexit. Post cujus necem ecclesia Trajectensis rudis & adhuc tenerâ metropolitanâ dignitate caruit: quoniam adversus ecclesiam Coloniensem magnis opibus abundantem de cætero stare non potuit. Tota nihilominus ecclesiæ Trajectinæ Diœcesis post modicum (t) tempus ex feritate Danorum tantundem pene depopulata fuit, & terra non habens agri colonum aliquanto tempore spinas & tribulos germinavit. Quapropter Episcopi Trajectenses urgente magnâ necessitate, Romanam curiam pro Archiepiscopali benedictione visitare nequeuntes, susceperunt à viciniori (u) metropolitano simplicem benedictionem, sicut Abbates, sine mitrâ pontificali longo tempore celebrantes.

viribus. MS.

Bonifacius cum 52. socijs Doccomi occiditur.

Panes mutantur in lapides.

Corpus Bonifacij Fuldam translatum.

Videkindus princeps ulterioris Frisiæ mortem sanctorum ulciscitur.

Nequaquam & hoc taciturnitate præteriri debet qualiter Deus acerbam ultionem de pretiosâ morte suorum militum suscitavit (x). Widekindus (y) enim Princeps ulterioris Frisiæ cum innumeris bellatoribus Lavicam pertransiens comitatus de Oestergou & Westergou in vastam solitudinem redegit, ac omnes indigenas eorundem comitatuum in ultionem sanctorum Martyrum Deo vindicante, trucidavit.

M. S. Martyrum.

a *Sacerdos quidam Winfridus nomine.*] A Romanis, qui Germanica nomina, ut barbara, aspernabantur, quia erant pronuntiatu difficilia Bonifacius dictus, quasi is Germaniam auspiciis Papç Rom-

face bonâ, illustraſſet. Interpretatur autem Winfrid acquirens pacem; vel ut Scrieckius, Victor pacificus. Videatur & Serrarius Rerum Moguntiacar. lib. 3. Not. 16. Neque obſervatu hic indignum, aut præter rem videtur, quod veteres Franci, Germani, Angli, etiam Chriſtiani effecti, propria nomina ex vernaculo ſermone ſuis imponi curaverint, ut ex hiſtoriis medii ævi, & diplomatibus fit palam; eumque morem diu retinuerint. Sed paullatim quo Chriſtianæ pietatis memoria rudibus adhuc animis melius inſtillaretur, & quæ ad religionem facerent firmiùs mentibus inhærerent, viſum majoribus noſtris haud inconſultum nomina Hebraica, Græca, Latina illorum, quorum operâ Chriſtianitas per orbem promota maximè videretur, liberis ſuis imponere, quæ jam cum tempore & uſu, adeo ſunt nobis facta familiaria, ut vel vix à vulgo à vernaculis diſcernantur.

b *XIII. Annos in S. Traject. Eccl.*] Hinc patet Winfridum Clementi Willebrordo fuiſſe cooperatorem ac (ut vocant) Coepiſcopum, & ex Otthone refert Serrarius in Moguntiacis, quod Willibrordus poſt mortem Switberti, & Vulfranni in Winfridum voluerit transferre Trajectenſem Epiſcopatum. At non 13. ſed 3. tantum Wilbrordo adfuiſſe eum annos apertè tradit. Si cui lubido plura de hâc re ſcire, & exactius omnia de Winfrido ſeu Bonifacio deſcripta legere, adeat Serrarium lib. 3. rer. Moguntiacar; Wilibaldum de S. Bonifacio; Othilonem in vitâ S. Bonifacii; Browerum lib. 2. Antiq. Fuldenſ. Epiſtolas Bonifacii à Serrario editas, præter noſtros ſcriptores, in quibus abundè inveniet, quo ſitim expleat.

c *Francos cum Thuringis convertit.*] Orientales nempe Francos in mediâ Germaniâ habitantes, quorum caput Herbipolis ſive Wurtzburg/ quæ hodie Epiſcopali ſede & ducatu nobilis urbs.

d *Et quoniam Mogunt. antiſtes illis dieb. obierat &c.*] Bonifacius dicitur ſucceſſiſſe Gervilio, ſive Gerwilievio XVI. Moguntinenſium Antiſtiti, qui procurante ipſo Bonifacio, quod patris cædem in Saxonem vindicaſſe ſuâ manu diceretur, remotus erat; Idque ante annum 720. contigiſſe ex eo ſequeretur, quod eodem anno juſſu Gregorii 2. P. R. à Bonifacio Archiepiſcopo Moguntino (Onuphrio teſte) celebrata ſit in Germaniâ Synodus, & Marianus Scotus ſcriptum reliquerit, quod *Gregorius Papa anno 715. ordinaverit Bonifacium Scotum* (hæc ejus verba ſunt) *Epiſcopum Moguntinum.* Verùm cum Othlonus expreſsè tradat, Bonifacium favore Karlomanni, & Pipini fratrum in locum *Garvilij* ſuffectum, quod dubio procul poſt mortem Martelli factum fuit, qui anno Chr. 740. vel 741. mortuus traditur in Annal. Francicis antiq: neſcirem ſanè quam huic rei conciliationem inirem, imò plane hic mihi aqua hæreret; niſi doctiſſ. Miræus lampadem pertuliſſet qui in Notat. ſuis ad Epiſtolam Bonifacii, quæ eſt cap. 9. Cod. piarum donationum, hanc rationem iniit: Bonifacium anno C. 704. ex Britanniâ primùm in Friſiam veniſſe, inde Romam profectum, à Gregorio ſecundo Pontifice prædicandi in Germaniâ accepiſſe poteſtatem, & anno 719. poſt Radbodi mortem, ſecundò veniſſe in Friſiam, ac tribus annis Wilibrordo fuiſſe cooperatorem. A Gregorio inde tertio, anno 732. incertæ ſedis Archiepiſcopum & Legatum Apoſtolicum creatum; anno C. 742. Ratiſbonæ Synodum celebraſſe, cui Carlomannus interfuit; atque alteram anno ſeq. Leptinis. Anno autem 745. demùm à Zachariâ Moguntinum Archiepiſcopum effectum, & poſt decem annos martyrio affectum: Quam equidem non poſſum, non probare, præ illis, quæ Mariano & Onuphrio peritiſſimis, alioqui Eccleſiaſticæ Antiquitatis ſcriptoribus traduntur; cum hi in externis eô facilius errare potuerint, quod Bonifacium longè ante Epiſcopi dignitate præluſtrem inveniſſent.

e *Idem Bonifacius conſentiente Carlomanno Trajectum venit,*) Ex Othilone circa medium libri 2. conſtat Bonifacium, ad ſublevandam ſuam ſenectutem, ſibi in epiſcopatu urbis, quæ dicitur Trecht/ ſurrogaſſe Eobannum Chorepiſcopum ſuum, vel ut alii Coepiſcopum qui cum eodem Bonifacio à Friſiis interfectus fuit, de quo multa Serrarius Mogunt. lib. 3. Not. 45. Molanus in Indiculo, & alii.

f *Cœnobital. Canonicorum eccleſiam Oratorio S. Salv. primordiali vicina.*] Si Epiſtolæ Bonifacii ut à Clariſſ. Miræo edita eſt, fidem dabimus, Willibrordus ſedem Epiſcopalem & Eccleſiam in honorem S. Salvatoris conſtruxit. Sed Annales noſtri Bonifacium faciunt auctorem collegii S. Salvatoris, & Willibrordo cathedrale templum D. Martino dicatum, aſſerunt: quibus concinunt verſus olim ad exitum templi prope turrim ſuſpenſi:

Primitus eccleſia Sancti Thomæ prope caſtrum
Trajectum, quam gens Friſica fregit atrox:
Sed prior Antiſtes dominus Clemens ob honorem
Sancti Martini poſt renovavit eam.

Ego autem N. L. arbitror, remque illam dubiam, cum hoc noſtro auctore, relinquo.

g *Hiſce diebus diſſenſio quædam exorta &c.*] Heda hanc controverſiam ab Hilpero, ſive Hilperto Bonifacio motam ſcribit, quem videntur alii Hildegarium nominaſſe, vel Hildegerum. De hâc re ſic ferè Chronicon Magnum Belg. *Annus Leonis 3. Imp. 15. qui fuit circa annum Domini 732. fuit ſecundum Bedam 36. annus S. Willibrordi primi Ultraject. Epiſcopi. Et uſque ad hæc tempora habuit Colonienſis Archiepiſcopus unum tantum ſuffraganeum, videlicet Leodienſem: Ultrajectenſis fuit ſecundus: & alij*

alij tres cœperunt sub Carolo Magno, nimirum Mindensis, Monasteriensis & Osnaburgensis. Vetustiores, quod sciam nihil tradiderunt, & quæ in Epistolis Zachariæ P. R. extant, videntur his contraria, sic enim ad finem Epist. 138. ad Bonifacium legitur: *De Civitate illa quæ nuper Agrippina vocabatur nunc verò Colonia, juxta petitionem Francorum per nostræ auctoritatis præceptum nomini tuo Metropolim confirmavimus, & tuæ Sanctitati direximus pro futuris temporibus ejusdem Metropolitanæ Ecclesiæ stabilitatem.* Hinc videri posset, quod tempore Bonifacii dignitas Archiepiscopalis Coloniensi adhuc controversa fuerit & nova, quæ tum demùm ad instantiam principum Francorum per Bonifacium fuerit authoritate Ro. Pontificis stabilienda. In aliâ verò Zachariæ P.R. ad Bonifacium Epistolâ, quæ Extat apud Serrarium Rerum Mogunt. lib. 3. ex Othlone lib. 2. de vitâ Bonif. sequentia verba, hanc disceptationem, non tantùm dubiam reddere, sed & penitus tollere, ut minus verosimilem, aut certè non hujus loci, videntur: Scribit enim Pontifex: *Ecclesia Moguntina perpetuis temporibus tibi & successoribus tuis in Metropolim sit confirmata, habens sub se has civitates, id est, Tungras, Coloniam, Wormaciam, Spiratiam & Trectis.* En quantæ hic contradictionis & incertitudinis materia, cum Pontif. Rom. paulatim per Germaniam suam auctoritatem potestatemque extendere inciperent, & primi illi doctores ab ambitione, (quæ nunc inter ecclesiæ præsules regnum tenet,) alieniores essent: ac perinde credibile sit, haud ita exactè bonos istos viros tempora titulosque honorum observasse, cum Willibrordus, Suitbertus, Winfridus, Lullus, Eobanus, Gregorius simul ferè absque ullâ æmulatione verbi sementem fecisse tradantur.

h *Pipinum Ducem Suessonum unxisset.*) Id factum plerique scriptores tradunt anno C. 750; pauci verò in annum sequentem rejiciunt; sed Annales Francorum Pithœi, ut & Fuldenses, Urspergensis quoque Abbas, & Otto Frisingensis præsul, annum ejus coronationis statuunt 752.

i *Diligendo Dom Apostolatus pr. Stephano PP.*) Exstat hæc in lib. Epist. Bonifacii nomine editarum à Serrario, num. 97., eamque in suo Cod. piarum donat. vulgavit. R. V. Aub. Miræus, qui putat hanc anno 754. scriptam, Anno Stephani R. P. 3. tertios, ut Onuphrii calculus habet, cum Bonifacius sequenti anno à Frisiis occideretur. Sunt nihilominus qui fictitiam eam putent, neque in vetustioribus Codd. Epistol. Bonif. inveniri tradant.

k *In Honorem S. Martini.*) Hic tam Serrarii quam Miræi editio habet. *In honore S. Salvatoris constituens in loco, & castello quod dicitur Trajectum & in illa sede & Ecclesia S. Salvatoris, quam construxit prædicans, &c.* Contrà quàm, non tam hic textus; pro quo M. SS. & paraphrasis Teut. antiq. atque maxima scriptorum pars faciunt; sed & diplomata sequentium Episcoporum & Principum; quo templum hoc, quod Salvatoris dicebatur, postea de Bonifacii nomine vocarunt; ut ex donatione Adelheidis Comitissæ anni 1088. Burchardi Anni C. 1108. & Godebaldi Episcoporũ anni 1118. Mechtildis Reginæ 1125. Conradi Imp. 1145. palam fit. Nisi fortè propter Leipsana ejus, in hoc condita, ita quis dictum crediderit.

l *Anno Domini DCC LII. Bonifacius &c.*) De anno mortis Bonifacii cum hoc nostro conveniunt, Chronicon vulgare ex Genebrando, M. S. meus Beka, paraphrastes Teut.; Regino, & Bockenbergius,: 754. volunt, Annales Pipini, Contractus, Marianus, Sigisbertus, Math. Westmonaster. Meyerus, Baron. ad Martyr. Rom. Hincmarus in Epist. Appendix ad Bedam, Plures eum anno 755. martyrio affectum tradunt: inter quos, Abbas Urspergensis, Otto Frising. Florẽtius Wigorniens. Godefridus Witerbiensis, Lamb. Schafnaburg. Abbas Trithemius in compend. *reg. Franc*: Ubbo Emmius, Browerius in hist. Fuldensi, Serrarius in Moguntiacis, Molanus in Indiculo SS: Belgii, Miræus in Ann. Belgicis, Bellarminus de script. Eccles: Balæus de script. Anglicis, Haræus in hist. Brabanticâ, Cratepolius de SS. Germaniæ.

m *Ipse cum Eobano Coepiscopo:*] Eobani hujus meminerunt Usuardus, Notgerus, Rabanus in Martyrologiis, Willibaldus & Othlo in vitâ Bonifacii, Molanus in Indiculo SS. qui hunc Trajecti ad S. Salvatorem sepultum tradit; Martyr Rom. aliique eundem nunc Episcopum, nunc coepiscopum, immo Choroepiscopum dicunt: Sed cuilibet ut ante dixi, propius illorum temporum conditionẽ inspicienti clarum esse poterit, Antistites illos minus sollicitos fuisse de titulis, adeoque ab ambitione hujus ævi alienos, ut Episcopi, præsulis, Abbatis, presbyteri, Sacerdotis nomine contenti, locorum splendidos titulos sæpenumerò neglexerint: Hinc & Koniochum, Switbertum & hunc Eobanum Episcopos invenimus, qui in vineâ Domini apud nos multum laborarunt, etiamsi in catalogo Episcoporum non habeantur. Eobani autem corpus Lullus Moguntinus Præsul Trajecto Erfordiam transtulit unà cum Adalbarii, teste Pet. Cratepolio.

n *Wintrungo*] Apud Othlonem hi numerantur Bonifacii sodales, *Wintrung Walkeri, Adalberi, Hamunt, Skirbalt, Bderso, Vaccar, Kundechar, Williberi & Hadolf.* Heda tantùm Eobanum & Adalarium recenset. Wilibaldus supra dictos ita exprimit: *Wintrung, Waltheri, Helberi, Hanut, Wasa, Wacchar, Gund-Waccher, Illchere, & Barthovulf.* Rabanus, *Wintrunge, Stirbalde, Bosan, Harmunde, Æthelhere, Waecare, Gundacare, Wilhere, Hadoulste,* Sic fere Notkerus; nisi quod *Wintrug, Skirwald, Hetbere, Wacchar* scribat; quod tamen is adjungit & Willibaldum de collegio eorundem fuisse, id verum quidem esse non negaverim; sed cum ii occiderentur absentem eũ fuisse, quod Bonifacio superstes ejus vitã cõscripserit cõstat. Chronicon vernaculum etiam in nominibus aliquantum variat, ut & Snoyus & Bockẽbergius. Serrarius autem ipsa nomina diligenter contulit, quem vide lib. 3. Mog. Not. 46. ubi vitam Bonifacii accuratè describit. Hoc etiam admonendum putavi me ignorare, quid is scriptor qui appendicem ad Bedæ Angl. historiam adjecit sibi velit, cum de Bonifacii obitu hæc scripta reliquerit, *Anno 754. Bonifacius, qui & Winfridus Francorum Episcopus, cum* LIII. *martyrio coronatus est, &*

est, & pro eo Redgerus consecratur Archiepiscopus à Stephano P.R. cum constet Lullum Moguntiæ, & Gregorium Trajecti ipsi successisse Bonifacio, nisi fortè is ad alium Winfridum vel Wilfridum in Angliâ Episcopum respexerit, ut jam ante in Egberto factum palam feci.

o *Sub die Nonarum Iunii*) id est v. Iunii ut concorditer in omnibus Martyrol. scriptum est; nisi quod Kempius Doccomensis, nescio quo auctore, Nonis Iulii 782. passum Bonifacium perperam tradat, quomodo verò Codices sacros Christiani recuperarint, prolixè Willibaldus in vitâ Bonifacii tradit, à quo non longè abit Othelo lib. 2.

p *Panes conversi sunt in lapides,*) Nihil de hoc miraculo apud Willibaldum, nec Othlonem reperitur, cujus tamen meminere Gerbrandus, Snoyus, vulgare Chronicon, Ubbo Emmius in hist. Frisicâ, qui postremus dicit, ad rei memoriam posteros etiamnum hosce lapides conservatos voluisse. Kempius in Frisicâ suâ histor. lib. 3. aliam hujus fabellæ causam narrat, meâ opinione, æque veram, hoc modo: *Ibidem* (de Bonifacio loquitur) *cum panem peteret à Fresonicâ muliere, vetus habet fama, dum in fornace coquerentur, illa negabat se habere panem, & cum D. Martyr instanter peteret, illaque instantius negaret, addita imprecatione dirâ, ut si haberet in lapides converterentur, & continuo in lapides conversi sunt.* Simile est quod de crine, caudæ instar in occipitio posterorum, qui martyres occiderant, enato, idem Kempius, & cum eo R. Snoyus indictum non reliquêre; cui respondent ea; qui præcisa equi D. Thomæ cauda illum ludibrio habuêre, Polidorus Angl. hist. 13. lib. fabulatur.

q *Corpus autem S. Martyris Bon.*) Quomodo illud Trajectum primùm, ac inde ad Fuldense Monasterium sit translatum, prolixè non sine intercurrentibus miraculis narrant Willibaldus, Othlo, & ex recentioribus Serrarius de reb. Moguntior. Originem verò & progressum Fuldensis mon. omnium accuratissimè describit Cristoph. Brouwerus, singulari opere.

r *A transitu S. Clementis XVI. ann.* Hoc tempus plerique scriptores Bonifacio tribuunt; totque annis cum ecclesiæ Ultrajectinæ præfuisse volunt auctor Chronici vulgaris, Ioh. Gerbrandus, Heda, Snoyus, Molanus, Bockenbergius. Si tamen Serrarium Rer. Mogunt. lib. 3. Not. 54. diligentissime hanc rem expendentem sequamur, ipsum vix quatuor, integros annos, vel paulò plus Trajectinæ Ecclesiæ operam ex professo dedisse, reperiemus, tres vivente adhuc Willibrodo, & unum post ipsius mortem; cui rationi calculum videtur addere doctiss. Miræus Cod. donat. piar. eique rei non incommoda admonitio suprà me facta, de neglectis honorum titulis ab illorum temporum doctoribus talium incuriosis, cum incertæ sedis Episcopi haberentur.

ſ *Post modicum tempus ex feritate Danorum,*) Annales Francorum ante annum Christi 800. parum de Danorum aut Normannorum in has terras incursionibus meminerunt; ita ut si quid à vicinis damni hæc diœcesis eo tempore passa est, id Saxonibus, Francis rebellantibus, acceptum referre debeat.

t *Susceperunt à viciniori Metropol.* &c. Hinc Brouwerus in hist. Fuld. Gregorium nunquam Episcopum consecratum, sed secundi ordinis antistitem fuisse, graduque presbyterum & Abbatem; In principum tamen diplomatibus eidem & successoribus ejus fere Episcopi tit. tribuitur.

u *Suscitavit,*) post hoc verbum in M. S. meo leguntur sequentia, ex Othlone: *Nam contigit ex ultione divinâ, ut hi feroces homines occisis sanctis viris, recurrerent ad naves eorum, sperantes in ipsis auri & argenti multam esse copiam, intraverunt igitur naves & nihil invenerunt, nisi cibos & vinum, & clericorum vestes, quæ omnia abstulerunt, & inebriati vino, Dei nutu seu divinâ ultione invicem pugnantes pro prædâ, gladiis & armis quibus sanctos domini atrociter peremerunt, seipsos miserabiliter occiderunt.* Quæ & in Chroco vulgari & aliis narrantur.

x *Wittekindus enim princeps.* Nullus eo tempore ap. Frisones Witekindus Princeps celebratur, nisi ad Saxonem illum Idolorum cultorem, cũ quo Carolus 33. annis bellum gessit, respicias, qui anno demum 782. vel ut Crantzius, 785. ad Christi religionem perductus est, teste etiã Georgio Fabritio de reb. Saxonic. At verò magis videntur similia, quæ Emmius lib. 4. Frisic. tradit in hæc verba: *Pipini præfectus, qui in Orientali Frisiâ circa Amasum tum fortè erat, sive Frisius is fuerit, sive Francus, audito facinore atroci, in vindictam justâ irâ excandescens cum validâ manu Lavicam transiit, cohortemque illam nefariam Latronum, quæ à mutuâ cæde supererat, universam prope ferro perdidit,* &c.

S. Gregorius Episcopus III.

CUM beatus Bonifacius Archiepiscopus diversas perlustraret urbes ad dilatandum cultum divini nominis, contigit ut deveniret ad Monasterium puellarum prope Trenerim in ripâ Mosellæ fluminis. Quem ex tunc Adula venerabilis Abbatissa cum ingenti devotione collegit in hospitio, sperans spiritualem ædificationem audire de tanti patris alloquio, dum autem idem Episcopus ad mensam accederet, ut cum *Qua occasione S. Gregorius innotuerit S. Bonifacio.*

 ancillis

ancillis Christi communem refectionem reciperet, ecce quidam ingenuus puer xv. annorum, nomine Gregorius, secundum claustralem ritum expetiit ab Episcopo benedictionem coram discumbentibus, Homiliam ordinatè legens, finemque suæ lectionis ordine consueto claudens. Beatus igitur Bonifacius eandem Homiliam incepit exinde repetere, & circumsedentium animos ad contemplativæ vitæ dulcorem adeo ferventer incendere, ut idem puer Gregorius relictis statim omnibus, sequeretur eundem Episcopum, qui diebus illis iter arripuit ad convertendum Turingiæ populum. Eidem igitur Episcopo jam dictus puer usque ad maturam ætatem irrevocabiliter adhæsit, ac ipsius fidelis compar in verbo veritatis ubique fuit: Demum verò, ut prædicitur, beatus Bonifacius infidelis Frisię pagos adiens, & Martyrii palmam cum summâ devotione desiderans, substituit Gregorium Trajectensi Ecclesiæ succedentem Episcopum, quem veraciter agnovit virum sanctum, dignum & idoneum: Quantæ verò charitatis & benevolentiæ jam dictus Pontifex in Episcopatu suo vixit, tractatus de vitâ sive conversatione suâ, lucidissimè manifestat: hic idem Episcopus destinavit Lyfvinum, Marcellinum ac Williboldum ad partes Transisellanas prædicare sanctum Euangelium, ubi post plurimorum conversionem idem Lyfvinus apud Oudenseel migravit ad Dominum.

M.S. cum oratione consueto.

Lebuinum.

His temporibus, scilicet Anno Domini D CCLXIII. stellæ subitò visæ sunt quasi de cœlo cecidisse, ita quod plærique nimium perterriti, putabant mundi terminum imminere.

Portentum.

Beatus quidem Gregorius Christi confessor eximius grandevę senectutis, paralitico morbo diu deditus, Clero valedicens, à populo delatus est ante sancti Salvatoris ecclesiam, ibique sacrâ communione susceptâ VIII. Calendis Septembris felicem creatori reddidit animam. Is confessor inclytus ecclesiasticæ sepulturę traditus, illic honorificè requiescit, qui Trajectense Pontificium cum diligenti studio (c) longo tempore gubernavit.

Mors & sepultura S. Gregorij.

Gregorius hic natione Germanus, Trevirensis Diœcesis, teste Chronico magno Belg. cœpit anno 753. seditque annos 26. quod pugnat cum Bockenbergio, Chronico vulgari, aliisque cujus nullam conciliationem video, in tam obscurâ temporum luce, & dubiis rationum calculis. Claro a. genere ortum volunt, & Adulam ejus aviam Dagoberti Regis filiam: cujus tamen rerum Francicarum scriptores non meminerunt. Sunt & qui Gregorium origine Anglosaxonem, ac Alberici successoris consanguineum credunt.

Destinavit Lyfwinum] Ita M. S. & Teut. Paraphrastes cum Lebuinum scribere voluerint: & malè exemplaria tam impressa quam M.S. hæc tria nomina, Livinus, Lijfwinus, & Lebuinus confundunt. Hic verò de quo agit, Lebuinus cujus Leipsana Daventriæ in templo eidem dicata quiescunt unus ex sociis fuit Willebrordi, qui cum ipso ex Angliâ in has terras venit. Sed hic monendus es Lector Cratepolium errare lib. de SS. Germaniæ, cum Lebuinum presbyterum anno C. 784. in vivis fuisse scribat, qui anno 690. ex Angliâ profectus erat: sane admodum longęvus fuisset & centesimum ætatis annum longè supergressus, si verò scripsisse hunc asserere volueris.

b *Anno 763. Stellæ subitò visæ*] Hæc habet & Sigebertus in Chron. Regino, Contractus Lambertus, qui addunt de intensissimo frigore & durissimâ ejus anni hyeme.

c *Longo tempore gubernavit*, Nempe 23 annis ut ex annal. vernaculis Bockenbergius, Snoyus, Molanus. Decessit autem anno C. 784. vel ut Cratepolius 782. æt. 70. Vbbo Emmius longè discedit, & Gregorium anno 768. mortuum tradit, quem anno proximè sequente secutus est Rex Pipinus; cujus obitus annus concordi omnium ferè scriptorum sententiâ in finem anni 768. incidit. Nam quod vetus auctor à Pithœo editus habet annum 765. ab errore est, quem corrigunt Annales Fuldenses, qui sunt iidem cum Pithœanis, sed auctiores. Si Chronicum Magnum Belg. sequamur, ut supra dictum est, anno 778. vel sequente eum mortuum statuemus. Quidquid sit parum certi de anno mortis, tam hujus, quam aliquot sequentium Episcoporum haberi potest; quod & Heda vidit, & frustra conquestus est; hoc interim constat Gregorium sub Carolo Pipini F. vixisse, & ab eo confirmationem privilegiorum impetrasse, quæ apud eundem extat, qui & sedisse Gregorium ann. 22. putat.

Aelbricus Episcopus IV.

VEnerabilis pater Aelbricus de partibus Eboracensis diœcesis ex Angliâ fuit oriundus, qui pro laudabili conversatione suâ Trajectensis ecclesiæ Canonicus est electus. Hic Aelbricus veterascente beato Gregorio, totius Episcopatus fidelis dispensator deputatus, condignè clerum rexit, & populum; quem & post idem Gregorius

se ventu-

se venturum prophetavit Episcopum. Is Aelbricus beatum Ludgerum dehinc Monasteriensem antistitem transmisit ad partes Frisiæ, ut ibidem prædicando sectam aboleret idolatriæ.

(a) His diebus, scilicet anno D cc lxxxij. quidam homo repperit arcam lapideam in urbe Constantinopolitanâ, ac in eâ virum jacentem cum hac Scriptura: Christus nascetur ex Mariâ virgine, & credo in eum. O sol iterum me videbis sub Constantino & Herene Imperatoribus. *Sepulturâ mirabilis.*

Aelbricus autem Episcopus XII. Calendas Septembris in pace migravit ad Dominum, postquam (b) aliquantis annis Trajectensem rexisset Episcopatum, qui ad præfatam ecclesiam deductus, & (c) prædecessori suo consepultus est.

a *Anno 782. quidam Homo* 25.] Id contigit teste Martino Polano, anno 1. Constantini 6. quem Onuphr. 7. vocat, id est secundum eundem Martinum 783. sed Onuphrium 780. Sigisbertus huic nostro adstipulatur: Marianus in annum 35. Caroli, id est, 804. rejicit, sed malè, utpotè imperante tum Nicephoro. Meminere hujus rei quoq. Vincent. Gerbrandus, Palmerius, Nauclerus, alii.

b *Aliquantis annis*] Bockenbergius Chronicon vulgare secutus 10. annos Alberico tribuit, ut ante fecerant Gerbrandus & Snoyus; Barlandus & Noviomagus tempus non exprimunt; Chronicon magnum quatuor tantùm sedisse annos scribit, quamvis Noviomagus non paucis eum post Gregorium annis episcopum fuisse tradat.

c *Prædecessori suo consepultus*] Leodienses Annales ut habet Heda, Gregorium & Aelbericum episcopos Traject. in Susterensi cœnobio, Nobilium virginum, in diœcesi Leodiensi conditos, volunt, id à Willibrodo inchoatum, à Suendeboldo inde rege auctum, & ampliter dotatum; vide Miræum in not. ad Cod. piarum donat. c. 20. qui non tantum superiorium ibi episcoporum corpora, sed & B. Vastradis matris ejusdem Gregorii, a Leodiensibus episcopis elevata & in feretris locata addit. Molanus autem cum hoc nostro auctore facit, & in Salvatoris æde sepultos scribit.

Theodardus Episcopus V.

POst (a) discessum reverendi Patris Aelbrici, Theodardus quintus Trajectensis Episcopus introinsatus est, qui Fresonicæ gentis prædicator fuit inclytus.

His temporibus, scilicet anno Domini (b) D CC LXXXV. Widekindus dux prædictus cum Fresonibus adversus Carolum Regem rebellare cepit, quem idem Rex occisis plurimis cum victoriali laude potentissimè subjugavit, Theodardus verò Pontifex in pace (c) abcessit à seculo, qui ad præfatam ecclesiam superallatus fuit, ubi cum reverendis Patribus honorificè requiescit. *Anno Chr. 785. Videkindus Saxo unà cum Frisijs Carolo Magno rebellat & vincitur.*

Nomen hujus pontificis variè scribitur, utpote Teotardus, Thiedardus vulgò Frisicè Tiard.

a *Post discessum ven. ach.*] ut habet chronicon magnum intronisatus est anno C. 783. Vbbo Emmius anno 780. hunc Alberico successorem datum vult, & in Frisiâ genitum tradit. Bockenbergius vulgare Chronicon, ut ferè solet, secutus anno 794. Eum cœpisse, & anno 800 mortuum scribit. Barlandus ingenuè fatetur, se non reperisse in commentariis, quos secutus fuit, quamdiu præfuerit Ecclesiæ, sunt qui eum anno 792. obiisse annotârunt.

b *Anno Domini DCCLXXXV*] eodem scilicit cum Saxones anno proximo fuissent magno prælio victi, Wittehundus ad Carolum venit, & Baptismum suscepit, sic enim habent Annales Fuldens. qui gemini cum pithœanis Fr. ad hunc annum: *Witikund Saxo Attiniaci ad fidem Caroli venit, & baptisatus est, & Saxonia tota subacta.* Eadem fere scribunt Regino, Contractus; Sigisbertus, Marianus, & ex recentioribus Georgius Fabricius de rebus Saxon. qui id factum anno sequenti tradit.

c *In pace abcessit a seculo*] In Chronico Magno Belg. xv. eum ann. sedisse scribitur; Bockenbergius VI. tantùm dicit, alii omnino silent, Emmius anno eum 790 ex vivis excessisse asserit, inde facilis conjectura, quot eum annis præfuisse velit.

Harmackarus Episcopus VI.

SEpulto Theodardo pio Pontifice, quidam (a) Harmackarus sextus Trajectensis electus est Episcopus, vir devotus, maturus, & prædicator egregius.

(b) His diebus, scilicet anno Domini D CCC. quidam Romanorum civium ceperunt Leonem Papam in processione Letaniæ majoris accusantes ipsum minus justè crimine falsitatis. Pro hac ergo sedandâ discordiâ Carolus cognomento Magnus, Rex & Patritius

Anno Chr. 800. Carolus Magnus Romam profectus à Leone Papa coronatur & proclamatur Imperator Romanorũ.

tritius præruptas alpes transcendit, & Romanam urbem decenter advenit: cùm autem idem Rex civitati jam appropinquaret, Senatus Populusque Romanus cum Sanctorum reliquiis ipsi catarvatim occursarunt: quem & intra Basilicam sancti Petri cum solenni gaudio deduxerunt: Et ecce Leo Papa præfatus ipsâ die nativitatis Domini coronam auream capiti Regis superimposuit, ac universus populus eidem regi præconium laudis applausivè in hunc modum cecinit, Carolo Augusto à Deo coronato magno, & pacifico Romanorum Imperatori vita, salus & victoria.(c) Erubescant igitur hi, qui apocrypha fingunt gesta, dicentes hunc aut quempiam hujus nominis Carolum Romanam urbem armipotenter obsedisse, & eandem devictis Romanis cum Fresonibus expugnasse.

Harmackarus autem Episcopus consummatis dierum suorum curriculis, v. Calendas Septembris Creatori suo reddidit animam,(d) postquam aliquanto tempore Trajectensem laboriosè rexisset Ecclesiam, de quo nusquam aliud invenitur in Chronicis vel gestis, nisi quod idem tumulatus est cum reverendis Patribus antedictis.

a *Harmackarus,*) scribunt & Hermocarus, Harmacarius Harimackarus, Heda etiam Erwacherus videtur legisse.

b *Hisce diebus, scilicet, anno Domini D CCC.*) veteres scriptores ferè conveniunt; Otto tamen Frisingensis anno sequenti videtur id adscribere, videantur Regino, Schafnaburgensis, Marianus, Urspergensis, Sigisbertus, Sigisfridus, Annales Francorum, Westmonasteriensis, Anastasius, Helmoldus, Ado Vienuensis, Annales Constant. Manassis, Annales versibus conscripti de vitâ Caroli M. Aimonius, Rolevincus, Platina, & infiniti recentiores, qui omnes facili inter se negotio conciliari poterunt.

c *Erubescant igitur hi &c.*) Hic miror Emmium Frisiorum vulgarem narrationem probare ac defendere, cum satis ipsum & suos eadem inscriptio, quam Volaterranus lib. 3. Geogr. adfert, refellat: nec quisquam scriptorum vitæ Caroli M. ejus rei meminerit. Falsus is fortè in nomine Caroli Magni, quo titulo & Carolus Calvus & alii ejus posteri vocati sunt, teste etiam Trithemio; qui ad Carolum Regem fratrem Lotharii Imp. Bertramum misisse librum suum, de corpore & sanguine Domini, tradit annum circiter 840. vel, ut Onuphrius vult 860. quem nihilominus Carolum Magnum appellat; quod & Papyrius Massonus Annal. Franciæ lib. 3. vidit. Quin Marmoris inscriptio, cui plurimùm nituntur, si stylum inspicias, illi ævo parum convenit. Sed videat potius Lector curiosus, quæ Sigonius lib. v. de regno Italiæ, ad annum 846. & seqq. de Saracenis Romam aliaque Italiæ loca vastantibus convenienter narrat.

d *Postquam aliquanto tempore,*) De Harmacaro sic Chronicon M.S. *Cæpit anno D.798. Pontif. Leonis P.R. hujus nominis III. anno 3. sedit annis x.* Snoyus ex Gerbr. Chronicon Vulgare & Bockenbergius tribuunt eidem annos 27. quibus accedit Heda. Emmius Chronici Magni auctorem sequitur, nec desunt qui ne ultra octennium quidem eum obtinuisse hanc sedem velint; neque minor est discrepantia de anno obitus, aliis 809. aliis 808. aliis 827. ei tribuentibus.

Rixfridus Episcopus VII.

Stephanus Papa Ludovicum ungit Imperatorem Rhemis.

Carolus Calvus Ludovici ex Iuditha filius.

POst obitum Harmackari præsulis (a) Rixfridus septimus Trajectensium cathedratus est Episcopus, vir divinus, pius, humilis & excellens clericus.

His temporibus, scilicet Anno Domini (b) D CCC XV. Stephanus Papa descendens ad Franciam, solemnisavit Imperialem benedictionem in civitate Remensi, super Ludovicum Regem, ac Ermgardin suam conthoralem, ex quâ jam dictus Imperator (c) duos filios genuit, Lotharium videlicet & Ludovicum: Demum Ermgarde defunctâ prænominatus Cæsar, duxit in uxorem Iudith, filiam (d) Welphonis Ducis Bavariæ, propriam (e) consanguineam, & cognatam. Propter hoc etiam illicitum matrimonium S. Fredericus Episcopus perpessus est Martyrium. Ex eadem enim Iudith idem Imperator genuit Carolum Calvum virum egregium, qui consequenter adeptus est Regnum & Imperium, à (f) quo primus Comes Hollandiæ Feudali jure Principatum accepit, quem longa ejus posteritas ad hæc tempora gubernavit.

Rixfridus verò Pontifex multùm annosus, Deo charus, febre quassatus, (g) III. Nonarum Octobris discessit ab hac vitâ, tumulatus cum anterioribus Episcopis in Ecclesiâ supradictâ.

a *Rixfridus septimus,)* Hunc & Ritzfredum, Ricofridum, Ricsfridum, Rijckfridum, dicunt.

b *Anno D. 815. Stephanus Papa*) Id anno 816. factum Annales Francorum referunt, quos plerique scripto-

ſcriptores ſequuntur, Marianus ad 817. trahit. Ceterùm paucis hiſce lineis in vitâ Rixfridi multa ſphalmata ab auctore noſtro commiſſa ſunt, ut cum duos Imperatori filios natos, cum ſecundâ conjuge illicitum matrimonium, ob ejus reprehenſionem Fredericum martyrio coronatum, ac demum à Calvo Comitatum Hollandiæ initium habere dicit: quæ ſuo ſingula loco patebunt haud vera eſſe.

c *Duos filios genuit,*] Imò tres: Onuphr. Panvin. Rom. principum lib. 3. *Harmingardis Aug. Nigrani Comitis Saxonis F. ex quâ ei* (Ludovico Pio) *nati ſunt Hlotarius Imp. Pipinus Aquitaniæ Rex, Hludovicus ſenior rex Germaniæ*, quem omnes ſequuntur.

d *Welphonis Ducis Bavariæ F.*] Theganus de geſtis Ludov. Imperat. cap. 26. *Inde regrediens invenit Irmgardam Reginam febricitantem, quæ non poſt multos dies obiit. Sequenti anno accepit filiam Welfi Ducis, qui erat de nobiliſſimâ ſtirpe Bavarorum & nomen virginis Iudith, quæ erat ex parte matris nobiliſſimi generis Saxonici* &c. In Chronico Weigartenſis monachi ſic legitur: *Primus Welfo genuit filium Etichonem nomine, filiam Iudith, quam Ludowicus Imp: cognomento Pius, defunctâ Irofihgardi duxit uxorem, quæ genuit. Carolum Calvum* &c. Lambertus Schafnaburgenſ. *Anno* 819. *Ludowicus Iudith filiam Welfii duxit uxorem.* Eodem anno Annales Pithœi Francorum: *Imp. inſpectis pleriſque nobilium filiabus, Iudith filiam VVelphi Comitis duxit uxorem*: alius coëtaneus ſcriptor: *Vndiquaque adductas procerum filias inſpiciens, Iudith filiam VVelfonis nobilis Comitis in matrimonium junxit.* Marianus Scotus, *Imper. Iudith filiam VVelfi Ducis Bavariæ Reginam ſibi ſociavit, anno* 821.

e *Propriam conſanguineam* &c.] Hæc calumnia eſt mera, cum nemo veterum ejus rei meminerit, quod in ſequenti Antiſtite latius exequar, & luce meridianâ clarius oſtendam.

f *A quo primus Comes Holland. &c.*] Nec hoc verum eſt, vide Nobiliſſ. Douſam in Annal. Batavicis tam ſtricto, quàm ſoluto orationis ſtylo conſcriptis.

g III. *Non. Octobr.* Anno C. 836. ut ex Gerbrando, & vulgari Chron. tradit Beckenbergius 9. Pontif. anno; cum quo facit Snoyus; Chron. autem magnum XI. anno mortuum, Heda 6. alius 20. volunt.

S. Fredericus Epiſcopus VIII.

FRedericus patriæ (a) hujus puer ingenuus, in ætate tenera per matrem ſuam nobilem Trajectum adductus eſt, ac in domo Domini cum hoſtiis & muneribus divinæ militiæ mancipatus eſt. Rixfridus autem Epiſcopus eundem puerum velut adoptivum filium, tam in moribus, quam in artibus eleganter inſtruxerat, præmeditans inſpiratione divinâ, quod in Epiſcopatu ſibi ſuccederet. A juvenilibus quidem annis idem puer adeò laudabiliter converſatus eſt in Domo domini, ut ad omnes ſacros Ordines dignè promoveretur per manum ejuſdem Epiſcopi. (b) Demum obeunte Rixfrido Pontifice, Ludovicus Imperator cum illicitâ conthorali ſuâ deſcendit ad inferiores Almanniæ partes cis Rheni fluvium; mandans eccleſiæ Trajectenſi, quatenus dilectus ſibi Fredericus eligeretur in Epiſcopum: cui mox per paſtoralem baculum ſeu annulum inveſtituram Epiſcopatus dedit, ac eundem licet invitum, in præſentiâ ſuâ conſecrari juſſit. Peractâ denique benedictione ſolenni, Cæſar imperavit feſtivam celebrari curiam, cunctiſque diſcumbentibus, magnam ferculorum oſtendit opulentiam: craſtinâ verò ex hinc, exortâ luce, cum ſolare jubar matutinum illuſtraret Hemiſphærium, Imperator placabilibus verbis in hunc modum Fredericum allocutus eſt Epiſcopum: Elegit te, chariſſime fili, clerus urbis Trajectenſis in Paſtorem providum, ut tuâ ſacrâ prædicatione debeas ubique prophanum caſtigare populum: Eſt autem Walachria tuæ diœceſis Inſula multum infamis, ubi, proh dolor, concumbere dicitur non ſolum frater ſorori, verum etiam filius ſuæ propriæ genitrici. Quapropter te juramus propter omnipotentem dominum, quatenus tales abominandos homines ſynodali correctione punire non formides, aut certè ſi opus fuerit execrare non omittas. Fredericus autem Epiſcopus his auditis, ingemuit, ac eidem Imperatori tale reſponſum edidit: Magno quidem juramento me perſtrinxit veſtra Majeſtas Cæſar Auguſte, propterea, dicat oro, Magnificentia veſtra, à quâ parte corporis piſcis manducandus inchoari debeat? Imperator autem admirando ſuper tali quæſtione, ſic reſpondit: Æſtimo quod piſcis à capite primo comedendus eſt, in quo præ ceteris membris medullæ plus eſt: Cui ſanctus ait Epiſcopus, optimè judicaſti, Imperator inclyte; quamobrem vos, qui Princeps eſtis, ſive caput populi, primò redarguam, antequam ad caudam Walachrienſis vulgi deveniam: eſt enim vobis uxor contra decreta Canonum, & ſtatuta Pontificum, Iudith Ducis Bavariæ filia, quæ veſtræ Majeſtatis carnalis eſt conſanguinea: de cujus vetito thoro vos admoneo per condignam pœnitentiam abſtinere, alioquin an-

Fornicatio horribilis in Valachriâ.

Excommunicare M.S.

Illicitum Imperatoris conjugium urbanè & graviter ab Epiſcopo reprehenſum.

nuncio

nuncio vobis inevitabile damnum vel periculum evenire: Dicit enim Apostolus, Fornicatores & adulteros judicabit Deus. Hæc & his similia dum sacer Antistes constanter asseruit, & sermonem suum multis sanctorum authoritatibus explere concluderet. Imperator ingemiscens, postulavit veniam: promittens (c) illicitam à se repudiare fœminam. Beatus Antistes ex tunc valedicens Augusto, magnificè cathedratus est in Trajecto, ubi præcipuam in orationibus, elemosinis & jejuniis curam egit, ac annosas templi sive castri ruinas providissimè reparavit.

Non multo dehinc elapso tempore, sacer Episcopus flante subsolano ratem suam Walachriæ partibus applicuit, ubi pro correctione contaminatæ plebis sacram Synodum celebrare statuit. Quidam enim prædicatione sancti Præsulis verè compuncti susceperunt pœnitentiam, quidam nihilominus obstinati cordis arma comprehendentes, minabantur eidem inferre contumeliam. Quapropter abcedente sancto Pontifice, barbaræ gentes prædictam invaserunt insulam, Eggardim (d) Comitem cum multitudine Francorum perimentes, multasque fæminas abinde captivas cum spoliis diversæ supellectilis absportantes. Sanctus autem Episcopus (e) exinde suam diœcesin undecunque perlustrans, pervenit ad Frisiam, ubi de sanctâ Trinitate percepit Arrianam inolere perfidiam, quam & ipse cum magno laboris studio prorsus extinxit. Beato Odulpho sancti Salvatoris Canonico Staoriensem ecclesiam commisit, & ex tunc omnibus bene peractis, Trajectum saluberrimè transfretavit.

S. Odulphus Staoriensis Ecclesiæ pastor Arrianam sectam in Frisia extirpat.

Ludovicus autem Imperator hoc attendens, verebatur ulterius illic permanere cum bannitâ suâ fæminâ, quæ multis vicibus sanctum antistitem corrumpere nitebatur per oblata munera, sed vir Dei blandis suggestionibus nequaquam emolliri potuit, sed illicitum (f) matrimonium contractum omnibus modis divotiari studuit, qui & Imperatori de paternæ pietatis affectu placabilem direxit epistolam, antequam fulminaret in eum excommunicationis sententiam: quamobrem & Imperatrix instigante diabolo, concepit invidiæ zelum adversus sanctum Episcopum, præmeditans qualiter ipsi inferre posset mortis interitum. Quæ tandem duos malæ voluntatis (g) vernaculos conduxit, quos in mortem sancti Pontificis conjurare fecit. At illi Trajectum euntes, simulaverunt se familiares Imperatoris esse, & Episcopo civitatis necessariam legationem deferre. (h)

Juditha Imperatrix insidiatur vitæ S. Frederici.

Beatus autem Fredericus attendens inspiratione divinâ sibi Martyrium imminere, jussit eosdem legatos ad finem missæ paulisper expectare: qui post lectum Euangelium in Ecclesiâ sancti Salvatoris sermonem fecit ad populum, prædixitque per allegoriam suum jam instare Martyrium. Expleto divino Ministerio, sacer Antistes adhuc ornatus sacerdotalibus sacrarium sancti Ioannis Euangelistæ, subintravit, ibique pro constantiâ passionis devotas preces ad Dominum fudit, jubens legatos ad præsentiam suam accedere, & familiarem suum clericum post altare sancti Salvatoris aliquantisper abcedere. & ecce Præsul almifluus ait carnificibus: vestram nunc adimplete legationem, quam apertè præscivi, priusquam ad hanc devenistis civitatem, at illi continuo trahentes cultros ex manicis, irruerunt in sacro sanctum Episcopum, dicentes hæc verba irrisoria dedignantes alterutrum. Nunc Imperatrix à te desideratam habet ultionem, cui multis vicibus crudelem intulisti persecutionem. Quibus exinde sanctus respondit Episcopus: Charissimi postquam Dominæ vestræ commissum adimplevistis imperium, nunc exinde cursu celeri maturate diffugium; Nec mora, qnin & iidem carnifices concito gradu Rhenum tranfretarunt, ac Imperatrici cruentæ, de nece sancti Martyris nova gaudia detulerunt: Interea Præsul Almifluus convocato clerico suo, dixit: Fili, trucidatus sum, propter veritatem, mansuetudinem & justiciam. convoca sine morâ sanctam Trajectensem ecclesiam, ut corpusculum meum Catholicis inhumetur exequiis, & spiritus redeat ad Dominum in æternis gaudiis: Clericus autem his auditis, concitavit ejulatu magno cunctum populum qui comprehensis armis cucurrerunt ad moribundum Episcopum, quibus flebiliter circumstantibus, electus Dei Martyr, quasi prophetando sic ait: Fratres & filii charissimi, si quæ pars mihi erit in cœlo cum sanctis Martyribus pro vestræ salutis incolumitate, devotis orabo supplicationibus, verum tamen propter Imperatricis istic commanentis manifestum adulterium, Dani prohdolor, totum istud evertent Episcopiū: & his dictis, Martyr inclytus datâ benedictione subterraneam cryptam ejusdem Ecclesiæ constanter intrans in sarcophago se locavit, atque Psalmodias exequiarum personaliter in hunc modum incœpit: Placebo Domino

S. Fredericus cæsus anno Chr. 838. 15. Kalend. Aug.

Domino in regione vivorum. Martyrisatus est autem hic episcopus anno Domini DCCC XXXVIII. xv. Calendas Augusti, qui miraculis ibi claret ad laudem & gloriam Iesu Christi.

(i) Pontifices igitur tam Germaniæ quàm Galliæ percipientes innocentem necem sancti Martyris, conspiraverunt omnes contra tyrannidem Imperatoris, & suæ nefandæ conjugis. Gregorius (k) autem Papa his auditis, descendit ad Franciam, transmittens Ludovicum Cæsarem Suessionis ad claustralem pœnitentiam, Iesse (l) autem Ambianensis Episcopus Imperatrici velamen imposuit, quam ad pœnitendum sub Monasticâ disciplinâ. Tricunus (m) transtulit. Principes Francorum Lotarium primogenitum Ludovici Cæsaris Imperatorem elegerunt, & de communi consensu super thronum Majestatis honorificè collocarunt. Notandum est, quod à passione sancti Bonifacii præsulis, usque ad Martyrium sacro sancti hujus Præsulis, dilapsi sunt anni LXXXVI. in quibus apud sanctam Trajectensem ecclesiam sex egregii floruerunt Episcopi, quorum gesta Chronographorum ignaviâ prætermisit, & minus distinctè post venturis nationibus annotavit.

Si auferas annos 80. ab anni 838. reliqui erunt anni 952. quo S. Bonifacius Martyrium subierit.

a *Fredericus patriæ hujus,)* hic enim teste Vbbone Ret. Fris. lib. V. Frisicæ gentis illustri familiâ ortus fuit, adeò ut ad Radbodum Principem genus suum referret, & à matre, quam Conovellam vocant, ad pietatis, prout tempora illa ferebant, studium à pueris assuefactus erat.

b *Cum illicitâ suâ contborali,)* Nugatur hic auctor, ut toto hoc capite, cum veterum nemo qui fidem meretur, vel verbum de illicitis nuptiis, aut vetito thoro fecerit; & in actis depositionis Ludovici (quæ etiam nunc extant) nulla cognationis aut consanguinitatis cum uxore fiat mentio, quam alioqui occasionem avidè arripuissent ejus filii, cum Episcopis in patrem ac dominum insurgendi causam captantibus. Sed qui odium filiorum prioris thori in Novercam incendere curarunt. Iuditham de stupro accusabant, quod Regino, qui in Lotharii regno vivebat, ideoque Ludowico iniquior erat, sic expressit: *Anno 838. Ludovicus à suis Imperio privatur & custodiæ traditur*: hæc vera quidem sed an tempori conveniant non sat scio, paulò post addit. *Fuit hæc dejectio pro maximâ parte facta propter multimodam fornicationem Iudith uxoris ejus.* Id & Agobardus Lugdunensis Ecclesiæ Episcopus acerrimus Ludowici adversarius scribit, at de incestis nuptiis ne gry quidem: Marianus calumniam detegit his verbis. *Anno 381. Iudith Regina quasi violata à Duce Bernardo à primatibus regni velata est, & in monasterium missa*: & sequenti anno; *Bernardus Dux in palatio Theodonis coram Rege & filio ejus purgavit se, cum nullus vel armis eum culpabilem fecisset*: eadem ferè Sigisbertus, sed multò distinctius Theganus cap. 36. de gestis Lud. Imp. *Alio anno perrexit Dominus Imperator de Aquisgrani Palatio ad Compendium, ibique ei venit obviam Pipinus filius ejus, cum magnatibus primis patris sui, Hilduino Archicapellano & Iesse Ambianensi Episcopo, Hugone, & Matfrido, & multis alijs perfidis, & voluerunt dominum Imperatorum de regno expellere: quod probibuit dilectus æquivocus ejus filius. Supradicti impij objicientes ei multa contraria, dixerunt Iudith reginam violatam esse à quodam Duce Bernhardo, qui erat de stirpe regali & mentientes omnia &c.* Originem ejus mali paucis explicabo: Bernhardus Pipini Fratris Ludowici Imp. filius Rex Italiæ constitutus homo ambitiosus à Mediolanensi, Aurelianensi & aliis præsulibus incitatus contra patruum conspiraverat, sed victus & captus, pænas cum suis dederat meritas; eâ de causâ, quasi duriùs in suos animadvertisset, nec Ecclesiasticis pepercisset, odium quorundam in se procerum Ludowicus, & maximè Ecclesiasticorum concitavit: qui prioris thori liberos, quasi uxori magis, quàm oporteret obnoxius esset, in patrem animârunt, & simul in novercam, ut mulierem impudicam calumnias finxerunt; unde & causam in ipsum conspirandi, & ab uxore separandi sumpserunt: tum etiam congregata Synodo, confictis ab ipsis Episcopis potissimùm in virum ad superstitionem usque pium iniquis, criminibus, eundem obruerunt, ac regno privarunt. Verùm indignantibus Francis, quod paulatim innocentia viri innotesceret, ille tandem, restitutus est, & pœnas à plerisque rebellibus sumpsit; inter quos & Fredericum hunc fuisse credibile est, quod & Pithœus, in præfatione ad Annales veteres Francorum à se editos, indicare videtur, cum ait: *Annalium istorum scriptorem Calvo nostro ad calumniam usque iniquum minus mirabitur, qui Moguntiæ sub Ludowici filij illius ditione conscriptos sciet, leviùs etiam laturus, cum in pium patrem ac Iuditham turpissima convitia Friderici Trajectensis Episcopi historię inserta, legerit.*

c *Promittens illicitam à se repudiare &c.*] Totum hoc Imperatoris & Episcopi colloquium, quàm à veritate sit alienum, ex supradictis satis superque constare ei poterit, cui non obfirmata mens veteribus inhærere fabulis; quod multi ex nostris hactenus scriptoribus fecère.

d *Eggardum Comitem cum multitudine Francorum,*] Sigisbertus eâ de re sic scribit: *Anno 838. Normanni Walachren insulam vastant, & tributum exigunt.* Annales incerti auctoris à Pithæo editi ad annum 836. hæc referunt, *Normanni tributum exactantes in Walchram insulam venerunt, ibique Eggihardum ejusdem loci comitem, & Hemmingum cum alijs multis occiderunt.* Id fuit circa finem vitæ Ludowici Imp. hæc pluribus etiam narrantur à Iacob. Endio V. doctissimo, qui Chron. Zel. lib. 2. cap. 2. hunc Eggigardum secundum Walachriæ Comitem facit, & anno 837. à Normannis occisum tradit.

e *Sanctus autem Episcopus exinde,)* Miræus in Annal. Belgicis ad annum C.830. *S. Fredericus Episcopus Vltrajectinus apud Frisios prædicat contra hæresin Arrianam, quâ tunc ea provincia laborabat. In sancto opere coadjutor illi S. Odulphus presbyter, Orschoti in Campania Brab. natus, qui Stauriæ celebri tunc Frisiæ*

Emporio monasterium ædificavit: quod, amotis clericis, Andreas Episcopus anno 1132. Benedictinis Ostbroucâ evocatis tradidit. De hoc Odulfo vide plura ap. auctorem Magni Chronici Belg. Cratepolium de SS. German. Molan. in Indic. SS. Belgii; Snoyum lib. 4. hist. Corn. Kempium lib. 3. ad finem; Fr. Haræum in Brabanticis, Divæum lib. 1. Rer. Brab. Sifridum Petri de script. Fris. Rikelium Abbat. de Divâ Gertrude, Bockenbergium in Albrico Episcopo. Ioh. Gerbrandum in hist. Holland.

f *Omnibus modis divortiari studuit,*] Miror pertinacem opinionem de illicitis Ludowici Imp. secundis nuptiis in omnibus fere Martyrologiis hærere, & ab Emmio, Molano, aliisque quàm plurimis probari; cum nullus veterum earum vel obiter meminerit, & nulla alia diremptionis causa proposita sit, quam per calumniam inusta Iudithæ libido.

g *Quæ tandem duo mala voluntatis vernaculos.*] An submissi illi fuerint à Iudithâ, vel à fratribus ejus, quos etiam Episcoporum judicio detonsos, & in monasterium invidiâ sororis detrusos narrant Marianus, Scotus, Theganus, aliique, incertum: Imperatrici id plerique adscribunt, Molanus nempe, Snoyus, Chronicon magnum, Chronicon vulgare, Barlandus, Meyerus, Emmius, Bockenbergius. Manet ejus facti memoria extra urbem pons cucullatorum, sub quo personati illi latitasse dicuntur.

h *Martyrium imminere.*] Notum est *non supplitium sed causam facere martyrem*: quare si propter conspirationem in principem & quòd foverit partes filiorum impiorum in parentem piissimum; quòd matrimonium jure divino & humano validum infringere, maritum ab uxore separare, calumniisque optimos principes gravare studuerit, morte affectus fuit; nescio quo errore hunc inter S. Martyres retulerit incauta & malè credula antiquitas. Succurrit hic Bessarionis Card. dictum: *Non paucos se legere in divorum numero, cruce, quàm cælo magis dignos*; & Ioh. Iustiniani asserentis, se multorum afferre posse exempla, qui quum vix inter homines locum tenere debuissent, tamen in cœlo regnasse, legerit.

i *Pontifices igitur tam Germaniæ quàm Galliæ &c.*) Quæ hic narrantur vera falsis intermixta, aliquot annis ante obitum Friderici acciderunt, quem in annum 838. noster & alii retulerunt. Neque enim ob necem Frederici præsulis Imperator solio dejectus est, sed per supradictam procerum cõjurarationem; annitentibus & quasi frigidam suffundentibus antistitibus. Frederico autem postea mors illata est. Sic Annales Francorum: *Anno* D CCC XXX. *Commotio contra Imperatorem à Primoribus Francorum in Compendio exorta, propter Bernardum.* D CCC XXXI. *Conventu apud Novimagum habito Imperator omnes, qui sibi contrarij fuerant veluti justè exauctoravit: quosdam, publicis quosdam privatis rebus exspolians, &c.* D CCC XXXII. *Imp. mense* Majo *contra Ludovicum filium ad Augustam Vindel. cum exercitu venit; inde reversus in Aquitaniam Pipinum filium regno privavit, &c.* D CCC XXXIII. *Imperat. initio quadragesimæ Wormatiam venit, & uxore revocatâ contra filios suos ad se venire volentes in Alsatiam profectus, atque ibi à suis desertus & proditus in filiorum potestatem redactus est.* D CCC XXXIV. *posthæc judicio Episcoporum arma deposuit, & ad agendam pœnitentiam inclusus est; uxor in Italiam ducta; proximâque æstate ipse relaxatus arma resumpsit, uxorem recepit, Lutarium in Italiam redire coegit.* Ex quibus satis constat quam confuso ordine hic auctor procedat, & quos ipse auctores secutus sit, nempe factionibus faventes, qui inverso hoc ordine falsitatem narrationis obnubilare conabantur. De Episcoporum autem iniquitate & in Imperatorem injuriâ sic Theganus oculatus testis; *Omnes Episcopi molesti fuerunt ei, ex maxime hi, quos ex servili conditione honoratos habebat, cum his, qui ex Barbaris nationibus ad hoc fastidium perducti sunt. Elegerunt tunc unum impudicum & crudelissimum, qui dicebatur Hebo Remensis Episcopus, ut eum immaniter affligeret cum confictionibus ceterorum. Inaudita locuti sunt, inaudita fecerunt cottidie improperantes ei. Abstulerunt ei gladium de femore suo, judicio servorum suorum induentes eum cilicio* &c. Quæ brevitatis causâ omitto; & hæc omnia vivo adhuc Frederico facta fuêre.

k *Gregorius autem Papa* &c. Quantum hæc à vero absint, ne longior sim, ipsius Thegani verbis indicabo *Ipso anno* (inquit) *pervenit Dominus Imperator ad Noviomagum castrum & multitudo hominum ex omnibus regnis suis venit ad eum ei. Inde venit Imp. Aquis ad sedem suam, & conjux venit ibi ei obviam, quam honorificè suscepit, jubente Gregorio Rom. Pontifice, cum aliorum Episcoporum justo judicio.* Auctor etiam vitæ Lud. Imper. incertus, cum narrasset Lutharii in parentem & ejus conjugem improbitatem, addit, *Gregorius Papa talia cernens cum maximo mœrore Romam regreditur.* Et quamvis Martinus Polonus videatur innuere consensum Pontificis in exauctorando Ludowico adfuisse, non tamen is auctor mihi tantæ auctoritatis est, ut ei fidem adhibeam contra prædict. scriptores.

l *Iesse autem Ambianensis Ep.*] Hunc jam anno 833. relictâ sede suâ aufugisse tradit Miræus, qui inde teste Thegano, justo judicio Episcoporum Noviomagi depositus, & anno post 836. in Italiâ exul mortuus est. Fuisse autem hunc cum Hebone Remensi Antistite consultorem conspirationis in Lud. Imp. scribit Frodoardus in hist. Ecclesiæ Remensis.

m *Tricunus, transtulit.*) In quibusdam libr. est *Trecas*, & Tricassinas sed malè, Annales enim Francorum Pithœi ad annum C. 834. *in Italiam ductam*, & auct. incertus, cujus supra memini in vitâ Lud. Imp. *In civitatem Italiæ Tartonam deportatam* scribunt. Estque Tartona, vel potius Dertona, antiquissima in liguribus civitas à Gallis condita inde à Rom. Coloniâ aucta, hodièque notissima Lombardiæ Urbs.

Alfri-

Alfricus Episcopus IX.

POst passionem sancti. Frederici Martyris aliqualis erat altercatio tam Cleri quàm populi, quisnam dignus esset possidere cathedram Pontificis almiflui: quidam enim elegerunt Præpositum Craft nomine, virum opulentum ad culmen Ecclesiastici regiminis; cæteri verò postulaverunt (a) Alfricum germanum sancti Frederici Martyris; sed ex arbitrio totius Ecclesiæ jam dictus Præpositus per beatum (b) Odulphum sancti Salvatoris Canonicum abdicatus est, & Alfricus in throno fratris sui laudabiliter collocatus est. *al. Destituitur.*

(c) His diebus in Brixiâ civitate quadam Italicâ, tribus diebus & noctibus sanguis de cœlo pluit, & eo tempore secundum prophetiam sancti Frederici inaudita calamitas invalescere cœpit. Nam (d) Dani, Suevi, sive Normanni coaptatâ classe cum armigerorum inenarrabili multitudine diversas provincias sibi subjugarunt, ac in sanctâ Christianitate stragem cruentissimam commiserunt. *Portenta.*

Alfricus autem pius & virtuosus Episcopus xviij. Calendas Decembris in pace defunctus & in Ecclesiâ Sancti Salvatoris penes germanum suum honorificè tumulatus est.

a *Postularunt Alfricum Germanum,*) Hunc alii Albericum, Alphricum, Alfridum, Alricum dicunt: Frederici fratrem germanum, adstipulante quoque Emmio.

b *Per beatum Odulfum,*) hujus supra memini, ejusque ædes ante paucos annos in cœmiterio S. Salvatoris monstrabantur, his versiculis inscriptæ:

Odulfus, sacrum quem clara Brabantia ab Oirschot
Misit ad hoc templum, has habitavit presbyter ædes.

In vitris quoque a manu non imperitâ depicta spectabatur jam nuper ejus viri vita; ejusque apud sodales istius collegii inter κειμήλια sacra servabatur poculum ligneum, nescio quâ virtute ex vulgi persuasione præditum, vide de eodem Odulfo Miræum in Annal Belg. ad annum C. 830. Sepultus creditur in Oratorio D. Victoris quod Dominico Templo imminet.

c *His diebus in civitate Brixiâ,*) Fasciculus Temporum refert circa illa tempora annonam pluisse in Vasconiâ, alii tempestates, terræmotus, grandines immensos, visos, idque circa vel post mortem Imper. Ludowici: quæ mala dissidium internecinum filiorum Pii, & Normannorum vastationes portendere credita sunt.

d *Nam Dani, Suevi, Normanni &c.*) Annales etiam nostri de Normannorum circa hæc tempora grassationibus multa habent; & sunt qui hos tum primùm Bataviam occupasse volunt, & inter reliquos Alfridum quoque pulsum cum suis, Trajecto exulem anno 845. obiisse; quod tamen pugnat cum sequentibus verbis, indicantibus in pace defunctum, ac cum Germano sepultum. Annales autem Francici incerti auctoris a Pithœo editi, ad annum 835. & sequentem, ingentes has Danorum & Normannorum per Frisiam & vicinas provincias devastationes, referunt, vivente adhuc Frederico: quibus & Sigisbertus, Crantzius, alii adstipulari videntur.

Ludgerus Episcopus X.

DEfuncto quidem Alfrico Pontifice, Ludgerus decimus Trajectensis electus est Episcopus, vir devotus, religiosus, & Doctor inclytus. His temporibus, scilicet anno Domini DCCCLV. (a) Lotharius Imperator tyrannidem Danorum expugnare nequiens, & soli Deo militare desiderans, de consensu Principum terræ Ludovico primogenito suo dedit Imperium, ac in Prumiensi cœnobio sacræ religionis suscepit habitum, ubi sub monasticâ disciplinâ sacram professionem fecit, sed ad paucos annos in pœnitentiâ supervixit: pro cujus animâ plurimùm decertaverunt angeli cum dæmonibus, ita quod corpus distrahi videbatur à cunctis circumstantibus. *Lotharius Imperator Monachum induit in Prumiâ Monasterio Anno Chr. 955. ubi 29. Sept. moritur.*

Monachi quidem devotas preces ex templo fuderunt, quibus malignos spiritus à cadavere profugarunt.

Ludgerus autem Episcopus ix. Calendas Maji dignam creatori reddidit animam, postquam (b) aliquanto tempore sanctam Trajectensem rexisset ecclesiam. Hic ad præfatam ecclesiam similiter allatus est, atque duobus aliis Episcopis consepultus est.

Hunc etiam Lutgerum, & Lugerum scribunt; At hic Beka. Egihardum veteris Trajecti Episcopum omisit, quem secuti plerique scriptores, uno Hedâ excepto, qui hunc ex diplomate Lotharii Imp. posteris communicavit.

a *Anno Domini D CCC LV. Lotharius*, Annales Francorum Pithœi & Fuldenses *Hlutarius Imp. renuntians omnibus quæ habuit Prumiense monasterium ingressus, effectusque ibi monachus*, &c. comam capitis (teste Reginone) deposuit, nec longè supervixit, nam eodem anno mortuus est; quod & apertè testantur Onuphrius, aliique. Quæ addita sunt de pugnâ Angelorum & dæmonum pro ipsius animâ, monachorum somnia sapiunt; nec minus tamen adstipulatores suos invenerunt Martinum Polonum, Gerbrandum, Snoyum, vulgare Chronicon, Chron. Magnum Belg. & alios ejus farinæ scriptores ex speculo Vincentii, ejusmodi deliriorum Oceano, Classicorum verò auctorum nemo, quod sciam, ex professo meminit. Cuspinianus cùm de Lotharii sepulchro egisset, hæc tantùm addit: *super cujus morte admirandus circumlatus est rumor*.

b *Postquam aliquanto tempore rexisset.*) VIII. annis secundum Chronicon magnum Belg. cum incœpisset Episcopum agere anno Christi 846. XI. verò ex sententiâ Bockenbergii Gerbrandum & Snoyum secuti: Alii vix sex annis eum sedisse, & in exilio mortuum putant, Trajecto jam a Normannis vastato: At Heda unum tantùm ipsi annum tribuit.

Hungerus Episcopus XI.

Anno Chr. 856 Dani & Normani Hollandiam classe invadunt.

Post obitum Ludgeri Præsulis, Hungerus XI. Trajectensis electus est Episcopus, vir regularis, pius, prudens & pacificus: his diebus, scilicet anno Domini (a) D CCC LVI. Dani cum Nordtmannis classem suam Hollandię partibus applicarunt: ubi cladem inauditam cum Tyrannide crudelissimâ commiserunt, destruentes Dorestadium (vulgariter Duersteden dictum vicum nominatissimum totius patriæ, in quo lv. (b) parochiales ecclesiæ fuisse dicuntur. Demum iidem Dani vallaverunt urbem Trajectensem per circuitum devastantes cives sagittis & fundibulis per assultum creberrimum, donec tandem egregiam civitatem bellanti manu caperent, nihilominus & castri præsidium armipotenter invaderent;& ecce cruenti prædones universum populum,& totum pene Clerum(proh dolor) occiderunt: Quinimo turres, antemuralia, portas & propugnacula civitatis & castri funditus devastàrunt,ita quod Hungerus Antistes solus cum paucis Canonicis ægrè diffugerit, & ad præsentiam Lotharii regis in Prumicense Monasterium se receperit. Lotharius verò motus misericordiâ bonitatis regiæ contulit Canonicis Trajectensis Ecclesiæ Monasterium (c) montis Odiliæ, quatenus ibidem ab incursione Danorum quietè residerent, & divini nominis cultum devotissimè celebrarent.

His itaque gestis, Dani cum Nordtmannis omnes Hollandiæ populos nimis acriter affligentes, devenerunt ad Kenemariam, ubi sancti Confessoris Adelberti dilapidaverunt Ecclesiam; beatum (d) Ieronem Presbyterum in Noertich, (ut traditur) capite truncantes, & castrum (e) munitissimum Aurindulii quondam Regis prope Voerburch, Vorenburg destruentes. Hollandenses autem incolæ prendiderunt econtra confestim arma bellica, committentes (f) in diversis pagis multa prælia, sed Dani (Deo permittente) prævalentes Thietboldum & Gerolfum egregios Equites cum infinitis Hollandinis cruenter necaverunt, ac mulieres cum parvulis captivas ad exteras partes & provincias abduxerunt.

Anno Chr. 863. Diploma vide infra in Annalib. Egmondani cœnobij cap. 6. ex cujus epocha apparet non Calvum, sed Carolum simplicem esse donationis auctorem, quia datum anno Chr. 923. Vide annales Frisia B. F. Theodoricus Comes Hollandiæ.

Anno Domini D CCC LXIII. Carolus agnominatus (g) Calvus Rex Francorum, & consequenter Imp. Romanorum filius Ludovici Pii, filii Caroli Magni tunc apud vicum Pladellæ residens, ac Hollandiam omnino esse desolatam percipiens, tradidit ad instantiam Comitis Haganonis nobili viro Theodorico fratri Walgeri Principis ecclesiam Egmondensem & Kinhem à Suuthardes-Haga usque Fortrapa per paginam specialis privilegii roboratam imagine regalis annuli. Item idem Theodoricus & sua posteritas eandem ditionem Feudali jure possiderunt, ac atroces Danos de finibus Romani regni potentissimè profugarunt, Ludovicus (h) autem Rex Germaniæ & frater jam dicti Caroli contulit etiam eidem Theodorico Comiti precibus Hemmę reginæ Forestum Wasda comitatui suo contiguum, pro eo quod vir esset valde (i) famosus, & in cunctis gestis militaris exercitii collaudandus: Hic igitur Theodoricus primus Hollandiæ Comes arma gerens (k) aurea cum Leoninâ rubicundi coloris imagine, sicut quidam tradunt, de regali prosapiâ Principum Francigenarum oriundus fuit, qui jurisdictionis suæ terminos contra Danorum incursionem egregiè rexit, habens in uxorem matronam nobilem, (l) nomine Ghenam, ex quâ genuit filium, nomine Theodoricum, Iuvenem (m) multis probitatibus insignitum.

Item

Item Theodoricus senior, ex magno devotionis affectu construxit ligneum (n) in Egmondâ cœnobium, in quo sanctimoniales Ordinis sancti Benedicti primitus instituit, quibus de suis facultatibus vitæ necessaria copiosè tradidit. Ex eodem verò collegio, quædam puella divinitus inspirata Theodoricum Comitem ter admonuit sarcophagum beati confessoris Adelberti (o) citius aperire, & sanctas reliquias ad Monasterium puellarum transferre; & ecce quamprimum Clerus sepulchrum ejusdem almiflui patris aperuit, pallium sanctissimi corporis integrum ab omni labe corruptionis apparuit, crux etiam aurea super pectus ejusdem ibidem inventa est, quæ contra varias ægritudines medicina salutis est: fons insuper limpidi liquoris sub ipsius tumba confestim exsiluit, qui usque in præsentem diem copiosè emanat. (p)

Anno Domini Dccclxvj. xi. Calendas Ianuarij Hungerus Episcopus obdormivit in Domino, postquam cum Alfrico & Ludgero annis xxviij. Trajectensi præfuisset Episcopio, qui per Danorum austeritatem à propriâ sede propulsus fuit, quapropter modernos latet quorsum idem Pontifex requiescit. *Anno Chr. 866. Hungerus moritur.*

a *Anno Domini D CCC LVI. Dani &c.*] Annales Franc. Pithœi. *Anno 854. Normanni, qui xx. continuis annis regni Francorum fines per loca navibus accessibilia cædibus ac rapinis crudeliter vastabant, congregati de regionibus per quas dispersi fuerant, in patriam reversi sunt & Anno 857. Roruc Normannus qui præerat Dorestado cum consensu Lotharij Regis, classem duxit in fines Danorum, & consentiente Rege Horico partem regni quæ inter mare & Egidoram cum sociis suis possedit.* Neque quicquam circa hæc tempora de Normannorum deprædationibus invenio: quare hæc ad anteriora tempora referenda erunt, quando illi, ut supra dixi, crudelissimè per omnem hanc viciniam grassati sunt, quod & ea quæ sequuntur de Lotharii dono, Canonicis Trajecto exulibus facto, montis nempè S. Odiliæ satis indicant, cum is anno 855. dicatur mortuus.

b *Dorestadum in quo LV. Parochiales Eccl.*] ἀδύνατον hoc & inter Luciani veras narrationes referendum, quis istorum temporum peritus non videt, cum ne omnes quidem harum provinciarum parochiales Ecclesiæ sive parœciæ conjunctæ eum numerum effecissent; tantùm abest ut unum oppidum non ita celebre, tot esset ornatum, quot ne nunc quidem in maximis Christianorum urbibus quis inveniet; eò magis cum caput relligionis Trajecti & sedes Episcopi esset constituta & Dorostatum inter municipia locum modo haberet.

c *Monasterium montis S. Odiliæ.*] Est prope Ruremundum Gelris oppidum ad Mosam diœcesis Leodiensis, cujus præpositura etiam nunc ad collegium Martini. Traject. spectat.

d *Beatum Ieronem presbyterum,*] Id sub Ludgero factum vult Bockenbergius; alii ad Hungeri tempora ejus martyrium referunt circa annum nempe 856. vereor tamen ne ii in errore sint, ut ex supradictis patet, cum hisce terris hoc tempore à Normannorum incursionibus quies fuisse videatur, atque ideo vel ad anteriora vel posteriora tempora referri debeat. Venerat is Iero, sive Hero ex Scotiâ, ut Molanus habet in Indiculo SS. Belg. meminerunt & ejus Usuardus, Chronica vulgare & magnum Belgicum, Cratepolius de SS. Germ. Dousa; alii plures.

e *Castrum munitissimum Aurindulij,*) ab Aurelio vel Aureliano Imp. cujus aureum numisma ibi repertum vidi, fortè vulgo sic dictum, unde Annalium nostrorum scriptores Midam quendam ejus castri conditorem finxerunt asininis auribus præditum, istamque fabellam á poëtis mutuati sunt. Hamconius Elinum postremum Frisiæ occiduæ regem auctorem facit, & est apud me nummulus aureus cum inscrip. ELINI. à barbaro isto sæculo Normannorum vel Frisiorum reliquus. Fundamenta hujus castri apud Doorworch circa annum Christ. 1500. detecta, variaque Rom. antiquitatis monumenta ibidem inventa, & meâ ætate plures numi Rom.; quorum magnam partem Nobiliss. vir dominus de Schagen inter Keimelia sua conservat: quæ satis indicant, non Frisiorum aut Danorum esse opus, sed Romanum, eo tempore quo Bataviam possidebant constructum; ita ut mera somnia sint quæ de Aurindulii regno adfert. M. Hovius in suo Belgio libero: Adeat lector curiosus, Hedanam historiam, Iunii Bataviam, Scriverii Antiq. Bataviæ, Boxhornii Civitates Hollandiæ.

f *Committentes in diversis pagis multa prælia,*) Respexit forsan Beka ad illa quæ habent Francorum annales veteres ad annum 845. de Normannis: In Frisiâ quoque tribus præliis conflixerunt; in primo quidem victi, in secundis verò duobus superiores effecti, magnam hominum stragem ediderunt; tempora tantùm convenirent, quorum exigua ejus ævi habita videtur ratio.

g *Anno 863. Carolus cognominatus Calvus.*) Diploma vide integrum apud Nob. Dousam in Annal. Holl. qui multis rationibus & argumentis Carolum hunc non Calvum, sed Simplicem fuisse convincit; quem vide amplissimè eâ de re scribentem; adde Fr. Haræum in historia Brab. & Endium Chron. Zeeland.

h *Ludovicus autem Rex & frater,*) Hoc diploma à Miræo in Cod. piar. Don. exhibetur, putatque Wasdam esse Wasiam Flandriæ; habet quoque illud suspectum, quod Ludovico titulus Augusti non tribuatur, quæ sanè ratio infirma, cum Ludovicus Germ. Rex & Calvi frater nunquam Imperium adeptus sit; Sed Dousa alio hanc donationem trahere videtur nempe ad patrem Gerolfi & avum Theodorici qui primus Hollandiæ Comes vulgo audit, vide V. ejus lib. Annal. Hollandiæ.

i *Quod vir esset valde famosus,)* Famosus verbum purioris Latinitatis sæculo vix aliter repetitur quàm in malam partem, apud posteriores & declinante jam Imperio Rom. sæpe etiam in bonam, pro famigerato ac fama celebri viro. vide Adversaria Sacra. Lud. de la Cerda.

k *Arma gerens aurea)* Nugatur hic Beka, & qui eum sequuntur, nam arma hereditaria eo tempore incognita; quamvis Fauchetus in Originibus circa tempora Ludovici Grossi Franc. Regis, id est post annum Chr. M. incœpisse tradat.

l *Nomine Genan.)* Hanc Pipini Regis Italiæ filiam fabulantur sed nullo probato auctore: perinde hi mihi vero propiores videntur, qui hos comites vel indigenas vel ex vicinis ortos putant, ac tale stemmatis primorum Comitum formant initium.

- Gerhulfus Comes 885. cujus mem. Regino.
  - Waltgarius Dux Comes in Teysterbât 914.940
    - Ratbodus Comes in Lake & Hysela an. 975
    - Hatto Comes
  - Theodoricus quem primum Hollandiæ Comitem faciunt, contra fidem diplom. 916.923. vide Haræum in Simplice.
    - Theodoricus Comes, quem quidam generum faciunt prioris, ex castel. Gandavensibus.
      - Erhulfus. Com. quem Arnoldum Gandavensem vocant, occisus à Frisonibus anno 993.
        - Theodoricus Com. Arnulphi Gandavens. fil. de Frisiis vindictam sumit anno 1018. teste Sigisberto.
          - Theod. Marchio Flarditingæ rebellat Imp. an. 1047. S. L. Contractus. occiditur a. anno 1049. Schafnaburg. 1047.
          - Florentius Comes post fratrē: ab hoc Hollâd. Comites, Lâb. Schaf. 1071.
            - Theod. Hollând. Com. hoc tit. 1.

videantur quæ Miræus in Not. Eccl. Belg. cap. 107. Lindan. de Teneram lib. 3. cap. 3. Andr. Quercetanus in hist. Gisnens. Com. lib. 2. cap. 1. tradunt.

m *Multis probitatibus insignitum.)* Probitas hic sumitur pro fortitudine & virtute militari, quo significatu illo ævo frequens hoc verbum in usu: Hovedenus scriptor Anglicus in Henric. 2. Rege. *Venerunt etiam duo milites miræ probitatis & audaciæ* & in Richardo: *Wilhelmus de Barres miles probus suffocatus in fl. Ethe.* Henr. Huntindoniens. hist. lib. 4. *Probitasque Consulis excelsa loco millium fuit*; alii passim.

n *Construxit ligneum in Egmondâ cœnobium.]* Sic Snoyus, Gerbrandus, Chronicon Magnum Belgic. Bockenbergius. Molanus tamen à filio ejus constructum scribit.

o *Confessoris Adelberti,)* Hunc primum Trajectensis Ecclesię Archidiaconum fuisse, & Deirorum in Angliâ Regis filium ferunt: de quo vide scriptores Hollandicos & insuper Molanum in Indiculo SS. Belgii & ad Usuardum, ac Cratepolium de SS. Germaniæ. De miraculis quæ adduntur, eorum fides sit apud authores.

p *Anno Dom. 866. x1. Calend. Ian.]* Chronicon M. B. *Cœpit anno domini 854. Imperij Lotharij ejus nominis 1. 14. Et præfuit annis x111.* qui calculus non convenit cum annis Lotharii qui (teste Panvinio) à Patre Lud. Pio anno 820. dictus est Augustus, a quo tempore usque ad annum 854. lapsi sunt anni 34. nisi numerare incipias a patris morte, cum quo 20. annis imperavit.

q *Postquam cum Alfrico & Ludgero,]* ex quibus verbis non absurdè inferri posset, non tantùm Hungerum, sed & tres sequentes in exilio mortuos, cum Baldricum tandem Danos expulisse Trajecto velint, ac urbem destructam reperasse. Meminit Flodoardus in hist. Remensi lib. 3. Hungarii Episcopi ad quem scribit Hincmarus Remens. Archiepiscopus pro excommunione Balduini, *qui Iudith filiam Regis viduam sibi furatus fuerat in uxorem, unde & ab Episcopis ejus regni erat excommunicatus.* Hortatur & eundem Hungarium ut admoneat Roricum Normannum (cui Ludow. pius Imp. anno 826. (teste Alberto Stadiensi) donaverat partem Fresiæ, ut piratis resisteret) ne recipiat prædictum Balduinum, neque præsidium ferat &c. Hunc Hungarium nostrum fuisse & ratio temporis & sedes Rorici indicare videntur, quod Buzelinus in Annal. Gallo-Flandricis expressit, quamvis alii aliter sentiant; videantur & eâ de re Papp. Masson, Annal. Francor. lib. 2. ubi agunt de Car. Calvo.

Odilbaldus Episcopus XII.

Dani grassantur per Galliam.

DEfuncto quidem Hungero Pontifice, Dominus Odilbaldus xij. Trajectensis electus est Episcopus, vir sanctus, pius, justus & benevolus.

His temporibus, scilicet anno Dccc lxxxij Dani (a) cum Nordtmannis dissipaverunt totam Galliam, sed & anno sequenti devastaverunt universam Arduvennam.

(b) Carolus autem Imperaror dictus Grossus, cum Lombardis & Germanis adversus eosdem grassatores crudele bellum habuit; sed peccatis Christianorum obstantibus minimè prævalere potuit. (c) Novissimè verò Gotfridus Nordtmannorum Rex ad interloquendum de

dum de pace perductus est, & hac sequenti conditione Christianus effectus est, ut (d) Ghisela Lotharij Regis filia sibi traderetur in uxorem, insuper & Fresiensis provintia sibi daretur in dotem, quod ita factum est, & idem Gotfridus Rex exinde Fresones sibi rebellantes redegit in vile servitutis improperiũ, ita quod omnes circa collum (e) circumastrictum bajularent laqueum, ut unumquemque sine morâ suspenderet, qui contra Majestatem suam aliquo modo rebellare præsumeret. Sed ecce jam dictus Gotfridus Rex post quædam annorum curricula cum infinitis Danis in Batuâ. (f) Deo vindicante, peremptus, & sanguis multorum Christi fidelium sufficienter ultus est. *Godefridus Normannus Frisiam dotalem redegit in servitutẽ.*

Anno Domini Dcccc. quarto Idus Decembris beatus Odilbaldus migravit à sæculo, dignâ Creatori reddens animam, (g) postquam annis xxxiiij. Trajectensem rexisset Ecclesiam; hunc Odilbaldum Regino Prumiensis Abbas in Chronicâ suâ sanctum virum fuisse dixit, qui Trajecti tumulatus cum reverendis Patribus, honorificè requiescit.

a *Anno Domini 882. Dani cum Nortmanni.*] Vide Annales Francor. Pithœi ad hunc annum, & Sigisberti Chron. Qui sic loquitur: *Nortmanni adjunctis sibi Danis Franciam & Lotharingiam pervagantes Ambianum, Atrebates, Corbejam, Cameracum, Tarvennam, fines Morinorum, Menapiorum, Brachbatensium, omnemque circa Scaldim fl. terram & monasteria ferro & igni devastant. Inde Wal fluvium ingressi totam Bataviam, Palatium* etiam *Neomagi incendunt.*

b *Carolus autem Imperator dictus Grossus.*) Latini Crassum vocarunt, fuitque is Ludovici Regis Germaniæ F. & imperare cœpit anno 879. obiit autem diem suum anno 888. teste Panvinio.

c *Novissimè verò Gotfridus Normann. Rex.*) Quæ de Gotfrido Rege & quibus ille conditionibus à Crasso in fœdus assumptus sit & pacatus, totidem pene verbis tradidit Sigesbertus ad annum 884. vide etiam eâ de re Reginonem ad annum 882. Ottonem Frisingensem Chron. lib. 6. Paul. Æmylium de reb. Francicis libr. 3. Cuspin. in Car. Crasso Imperatore, Miræi Annal. Belg. Vbbonem Emmium rer. Frisic. lib. 5. adde & his quæ in Annal. Francorum ad annum 882. habentur.

d *Gisela Lotharij regis filia.*) Hæc Lotharii Iunioris ex Waldradâ filiâ Lotharii primi neptis, quam Ægidiam vocatam dicit Emmius, & sic eam Paul. Æmylius nominat.

e *Circumastrictum bajularent laqueum.*) Id quoque tradit Chronicon Magnum Belgicum, at tacet Emmius.

f *In Batuâ Deo vindicante peremptus.*) Batua sæpe in scriptoribus posterioris ævi pro Bataviâ. Quâ autem de causâ & quomodo sit Godefridus peremptus, fusius tradunt Sigisbertus ad annum 886. Regino Chron. lib. 2. ad annũ 885. & ex iis Fr. Haræus in Simplice, Endius in Chron. Zeel. l. 2. c. 6.

g *Postquam annis* XXXIIII.] Sic Bockenbergius ex Gerbrando, Barlandus & Snoyus eidem dant 33. annos. Heda 23. alii 32. & obiisse volunt anno 900. Miræus ex Reginone 899.

Egilboldus Episcopus XIII.

POst discessum Odilbaldi beati Pontificis Egilboldus XIII. in Episcopatum successit, qui tamen Pontificium parvo tempore gubernavit.

(a) Circiter hæc tempora pridie Nonarum Octobris requievit in Christo Theodoricus primus Comes Hollandiæ, ac Dominus magnæ partis ulterioris Frisiæ, qui Princeps imperterritus fuit, ac limites suos contra Danorum insultus potestativè rexit. Gena verò Comitissa III. Idus Ianuarii decessit à seculo, tumulata penes maritum in Egmundensi cœnobio, quod & ipsi de lignis tunc primitus extruxerunt, in quo religionem sanctimonialium Deo devotè famulantium collocarunt. *Mors Theodorici primi Comitis Hollandiæ incerta.*

Cum Theodoricus primus Comes Hollandiæ defunctus esset, Theodoricus filius ejus unigenitus, secundus Hollandiæ Comes hæreditariè sublimatus est, ducens in uxorem (b) Hildegondim (ut creditur) filiam Ludovici Regis Franciæ, de quâ genuit Arnulphum Comitem, S. Egbertum, Trevirensem Archiepiscopum, ac Arlindim puellam venustatis eximiæ. Is Theodoricus post obitum patris cum Fresonibus discordare cœpit, quos tamen triumphali gladio ditioni suæ subegit, quapropter idem Comes ædificavit lapideum in Egmundâ Monasterium, & amotis monialibus, plantavit ibidem de Religione sancti Benedicti Monachorum collegium, qui continuo Deo devotum obsequium impenderent & cum opus esset, duris Fresonum insultibus obsisterent. Hic ergo Comes Egmondensem ecclesiam largis dotando possessionibus, obtulit historiam tripartitam, & textum quatuor Euangelistarum auro fulvo pretiosisque lapidibus circumtectum: Nihilominus Hildegundis Comitissa consimiliter obtulit eidem Ecclesiæ de liberali munificentiâ seperaltare *Theodoricus Secundus Comes Hollandiæ.* *Frisij subiguntur.* *Donationes in Ecclesiam Egmundensem.*

totum aureum, cum multimodis gemmis incomparabilis pretii valde fulgidum; de cujus cacumine lapis, ut fertur, hostularius furtivè sublatus fuit, qui nocturnis temporibus totum sacrarium radiis emicantibus illustrabat. Hoc etiam tempore sanctus Ieron per dioecesanum Episcopum, & Comitem Theodoricum cum miraculis in Egmondam translatus est, qui pridem (d) à Danis in Nortich, ut prædicitur, Martyrii palmam consecutus est.

Egilboldi mors & sepultura, Anno Chr. 901. 25. Sept.

Egilboldus Episcopus Trajectensem Ecclesiam saltem ad decem (e) menses regens, VII. Calendas Octobris in Domino feliciter obdormivit, qui in eâdem ecclesiâ tumulatus similiter requiescit.

a *Circiter hæc tempora requievit, &c.*) Præterquam quod omnia hæc incerta, aut a vero multum absint, ut Heda & Dousa satis superque demonstrarunt; in antiquo Codice habetur tempus mortis Theodorici hujus ignorari; quod & Chron. Stokii Rithmicum indicat his verbis:

Mès die ghene dict Latijn screef.
Hine bescreef dat Iaer niet mede
Daer hi sinen ende in dede.
Bedies mi oncond das
Hoe lange dat hi Grave vvas.

b *Ducens in uxorem Hildegondim filiam R. Lud.*) Bockenbergius Hildegardim & Hillam appellat. Diligentissimus Scriberius hanc ignotæ stirpis fuisse, quemadmodum & Genam putat. Lindanus loco supra laudato Hildegardim matrem Arnulfi Gandavensis filiam dicit Theodorici I. Comitis Hollandensis quæ Theodorico Comiti Castri Gandavensis, nupserat.

c *S. Egbertum Trevirensem Archiep.*) Scriverius se hæc in antiquo Codice invenisse scribit. Æmilius Stokius ejus etiam meminit, ut & alii rerum Hollandicar. scriptores plerique; Gerbrandus, Snoyus, Cronicon Magnum, B. Heda, Douza, &c. eumque Egbertum 72. præsulem fuisse tradunt, licet alii 74; Bertius 73. & anno eum Chr. 980. obiisse. Wilhelmus tamen Kiriander qui ex Professo. Trevirensem historiam scripsit, 72. quidem Antistitem Trevirensem vocat Egbertum, sed clarâ origine Britannum, Theodorico Comite natum; ad quem diploma Ottonis Imp. recitat benè longum an. Christ. 993. eumq; brevi post, anno nempe 995. in fatis concessisse tradit, quæ ipse Kiriander ex Ioanne Enem & Fr. Ioanne Sthecmanno hausisse videtur, quos etiam vide lib. 2. c. 8. Gestorum Trevirensium.

d *Qui pridem à Danis,*] Illud pridem hic absurdè positum, cum ante quadraginta plures annos martyrio fuerit affectus Ieron.

e *Saltem ad x. menses regens,*) Semestri tantùm Pontificatu functum tradit Bockenbergius ex Gerbrando, & cum eo Snoyus, Barlandus & alii; Heda ap. Bekam sex menses legisse videtur, cum ipse eidem 2. annos tribuat. Et quia tam exiguo in tempore Ecclesiæ regimini præfuit, a quibusdam omittitur, & a Reginone Odilbaldo successor datur Radbodus, quem imitatur, in Annal. Belg. Miræus.

Radbodus Episcopus XIV.

Defuncto quidem Egilboldo Pontifice, Dominus Radbodus, urgente Rege Francorum Arnulfo xiiij. Trajectensis invitè consecratus est Episcopus, vir veraciter (a) sanctus, doctus, pius, & multum ingenuus; fuit enim Radbodus Rex Fresiæ prædictus ipsius maternus attavus, & Guntarius Archiepiscopus Coloniensis ejus avunculus. Interpretatur autem hoc nomen Radbodus in idiomate Germanico, idem quod concilii nuncius in Latino. Fuit enim hic Episcopus magni concilii angelus, in palatio Caroli Regis advocatus, & per Nannonem Philosophum in septem artibus excellenter imbutus, qui flores (b) eximios tam de Willebrordo, quam de Bonifacio composuit, ac integrum officium de translatione beati Martini consimiliter edidit. Hic antistes cùm Trajectensis Pontificii sacræ religionis suscepisset habitum, vacabit indesinenter orationibus, eleemosynis, & abstinentiis usque ad vitæ suæ terminum. Nam cum sui convivales vina potarent infra mensem, ipse solus limpidam occultè bibit aquam: quod Gummarus quidam attendens, supplicavit eidem Episcopo, quatenus sibi gustare liceret de suo poculo, sed beato viro non consentiente, jam dictus Gummarus Episcopalem scyphum clam accepit, & magnum

Alii, educatus.

Nanno Philosophus Præceptor Radbodi.

gnum haustum ex eo sumpsit, & ecce stupendum miraculum. Nam & eadem aqua mutata est in vinum optimum; quâ de causâ tentator ex templo imploravit veniam, & beatus Episcopus ex hoc prodigio non sibi, sed Deo dedit gloriam. Is Præsul egregius Daventriæ sedere consuevit, quoniam civitas Trajectensis per Danorum austeritatem omnino desolata fuit. Accidit autem cum Episcopus una dierum Trajectum adiret, & ibidem loca Sanctorum cum devotione visitaret: Dani verò potenter occursantes in contrarium obsisterent prohibentes ulteriorem sibi transitum, quos sacer Episcopus paternaliter admonuit fidem Catholicam devotè suscipere, & à crudeli Christianorum strage piè desistere: at illi tortores eò magis commoti sunt, ac acerbam necem sancto viro comminati sunt. Præsul autem almifluus hos perditionis filios ex tunc execrando maledixit, quos fulmineus ignis mox de cœlo descendens, miserabili morte vivos absumpsit. Christiani quidem hoc viso miraculo, constanter in arma ruerunt, & residuam Danorum catervam à Trajecto cum victoriâ profugarunt. Iste sanctus Episcopus prophetico sermone claruit, quoniam multa futura secretariis suis edidit. Venerabilis enim Baldricus bonę indolis juvenis, quodam tempore duos clericos suæ patriæ deduxit ad præsentiam ejusdem Episcopi, postulans ut ab ipso promoverentur ad ordinem sacerdotii: beatus verò Pontifex ore jocundo subridens, ait, Fili præcordialis anno mediante tertio me defuncto præsentis ecclesiæ tu Pastor eris, & hos clericos propriis manibus ad sacerdotii gradum promovebis, & tam aulam quàm urbem Trajectensem ad statum pristinum reparabis. Demum idem Radbodus apud Trentam validâ pulsatus ægritudine decubuit, cui Mater misericordiæ Virgo Maria cum splendore radiosi luminis apparuit. Agnem & Teclam concomitantes virgines habens, & in hunc modum venerando Pontifici loquens: Perdilecte fili, ne formides me videre præsentem, quam in magnâ devotione salutasti sæpe absentem, securus esto, quoniam hanc infirmitatem evades, verùm tamen in præsenti vitâ non diu manebis, & ecce splendor immensæ claritatis evanuit, & fragrantia redolentis odoris invaluit: Beatus igitur Pontifex ab eadem convalescens ægritudine, quibusdam familiaribus suis certificaverat cujusmodi pulchritudinis & effigiei Regina cœli virgo Maria fuit, qui dehinc anno Domini Dccccxvij. Trentam exiens, ac in Othmersheim sine languore lecto decumbens hanc antiphonam: *Ecce leti laude*, legit, in quâ tertio Calendas Decembris feliciter ab seculo transmigravit. Hic sacer Episcopus in gravi Danorum persecutione(c) xvij. annis Trajectensem gratiosè rexit Ecclesiam, qui per Clerum & populum honorificè tumulatus requiescit apud Daventriam, ubi tanti Confessoris intercessione Deus indigentibus beneficia largitur, & frequenter multa miracula cum virtutibus operatur.

Aqua mutatur in vinum

Radbodus Daventriæ resides & Danos Trajecto ejicit.

Visio Radbodi.

al. Laude digna.

Radbodus Daventriæ moritur & sepelitur anno Chr. 918. die 29. Novembris.

a *Vir veraciter sanctus*] Hic Rathbodus inter cælites sive sanctos refertur à quibusdam, Cratepolio, Miræo, Vsuardo, Molano, Sweertio, Hamconio aliis; Regino, Venerabilem vocat Antistitem.

b *Qui flores eximios*] Trithemius Abbas de script. eccl. ejus libros recenset hoc ordine: *Laudes S. Martini lib. 1. Laudes S. Bonifacii Episcopi. De. S Amalbergâ lib 1. Homiliarum & sermonum lib. 1. De. S. Willibrordo flores lib. 1. Integrum de S. Martini translatione officium* Sweertius varios cantus in honorem SS. adjungit, in Athenis suis Belg. ex Sifrido Petri. Ecloga de S. Lebuino Tomo 6. Surii.

c *xvii. annis Trajectensem rexit ecclesiam*] Sic & Abbas Spanheimens. Trith. Heda, Desselius, Molanus, Barlandus, Noviomagus, Kempius, Sweertius, sed Bockenbergius xvi. ei tantum annos tribuit, & Chronicon Magnum Belg. annos dat xxvii. fortè errore typographi unum x. superat. Possevini autem Lapsus intollerabilis nisi is à typographo est, qui anno 607. eum vixisse tradit.

Baldricus Episcopus XV.

SIcuti Longobardorum narrat historia, Henricus Romanorum (a) Rex post obitum Radbodi Confessoris decrevit ex magnâ devotione Brunonem filium suum clericali charactere redimire, ac eundem super cathedram præfati Confessoris collocare. Sed quoniam idem Rex audivit atroces Danos civitatem Trajectensem expugnasse, nihilominus & totum episcopatum omnino depopulatum esse, ideoque gloriosus Rex promovit eundem filium suum ad militarem dignitatem, ut Danorum austeritati potenter obsisteret, ac idipsum Episcopium armis bellicis victoriosè reficeret. Igitur secundum beati Radbodi vaticinium Baldricus xv. Trajectensis Episcopus est electus, filius, ut quidam tradunt, (c) Rixfridi Comitis Clivensis, qui Princeps erat egregius.

His tem-

Baldricus filius Rixfridi Comitis Clivensis.

His temporibus in civitate Ianuensi fons sanguinis exsiluit; eisdem diebus vulgus Danorum ubique succubuit, quapropter Baldricus Episcopus (d) effugatis Danis civitatem suam turritis mœnibus struxit, excelsis propugnaculis munivit, incensas Ecclesias refecit, ac aulam cum cæteris ædificiis obrutis honestissimè reparavit.

Hic Episcopus anno Domini (e) DCCCC LXVI. transcendens alpes, devenit in Italiam, ubi pro quibusdam utilitatibus Ecclesiæ, Regis Ottonis exquisivit præsentiam. Demum idem Antistes valedicens Regi, corpora sanctorum Martyrum, Pontiani, Benigni, & Agnetis secum transtulit, ac eadem in Ecclesiâ Trajectensi cum ingenti devotione reposuit; insuper & idem Episcopus corpora sanctorum Werenfridi, Lebuini, Plechelmi, Wironis, Otgeri, Odulphi ac Radbodi per mysticam (f) revelationem adinvenit; de quibus sanctis Patronis Trajectensem ecclesiam gloriosiùs adornavit. Anno Domini DCCCC LXXVII. Baldricus felicis recordationis Episcopus, VI. Idus Ianuarii grandævus migravit ad Dominum, postquam annos lix. (g) in magnâ laude Trajectensem rexisset Ecclesiam, qui ad majorem Ecclesiam nimirum honorificè devectus est, ubi sumptuosis exequiis cum prædictis sanctis Patribus inhumatus est.

Anno Chr. 977. die 8. Ianuarij Baldericus moritur.

a *Henricus Rom. Rex.*) An hæc conveniant videndum, Anno 917. Radbodum obiisse auctores ferè consentiunt, & Henricus cognomento Auceps post mortem Conradi anno nempe Christi 919. Rex electus est testibus Sigiberto, Lamb. Schafnaburgensi, Reginone, & ex recentioribus, accuratissimo Onuphr. Panvinio. Contractus & Marianus anno 918. Alii anno demum 920. Regium eum solium ascendisse volunt, inter quos Otto Frisingensis & Abbas Urspergensis, quos secuti sunt recentiorum Io. Nauclerus, Carrio, Massæus, Miræus, plures: omnes post annum 917. Henricum coronatum uno ore pronuntiantes. At quomodo poterat de filio suo Brunone ad Cathedram defuncti Rathbodi evehendo deliberare nondum Imperio potitus?

b *Brunonem filium,*) Hunc postea Imp. Otho I. Antistitem Agrippinensem & Lotharingiæ Ducem fecit, longè post mortem patris Henrici anno nempe Christi 954. de quo plura apud Conradum à Lichtenaw Abbatem Urspergensem in Ottone magno Imp. & Reginonem ad annum C. 953. qui eundem anno 965. v. Id. Octobris mortuum esse tradit. *Virum* (ut ejus verba sonant) *ducatu pariter & Episcopatu dignissimum*. cui adstipulatur Schafnaburgensis.

c *Filium ut quidam tradunt Rixfridi Com. Clivens.*) Heda dicit oriundum sanguine Comitum Clivensium, patre Rixfrido excomite, Bockenbergius Lutgeri vel Luchardi decimi Clivorum Reguli filium Balduini Comitis fratrem facit ex vulg. Chron. Cuspinianus in Arnulpho Imp. sic habet, nescio quo authore de liberis ejus loquens: *Repperi ejus quoque filiam, sed ex quâ uxore ignoro Bartham: quam Luthardus ejus nominis primus Comes Clivensis, filius Eberhardi, uxorem duxit duosque filios ex eâ peperit Balduinum. 2. XI. Comitem Clivensem, & Rixfridum patrem Walderici Episcopi Trajectensis.* Onuphrius hanc Bartham ignorasse videtur. Cum Cuspiniano fere convenit Teschmakerus parte 2. Annal. Clivensium &c. nisi quod Episcopum nostrum nominet Balduinum.

d *Baldericus effugatis Danis civitatem suam.*] At Beka supra in vitâ Hungeri, cum miraculum recitasset, quod præsulis in Danos anathema secutum erat, hæc addit: *Christiani hoc viso miraculo constanter in arma ruerunt, & residuam Danorum catervam à Trajecto profligarunt*: quæ verba indicare videntur Normannos non Baldrici sed Hungeri tempore Trajecto pulsos. At hæc urbis instauratio secundum Chron. Belg. incœpta anno VIII. præsulatus Balderici, hodieque extat turris vulgo Boldrics Toorn/ dicta.

e *Episcopus anno Dom. DCCC LXVI.*] Eo anno Otho Imp. tertiâ vice Romam venit teste Schafnaburgensi, & forte in ejus comitatu hic præsul. De Pontiano verò Agnete ac Benigno videndi Hagiographi, & in primis Martyriologium Roman. ac in illud notata Baronii; Martyrologia item Rabani, Notheri & Usuardo adjuncta, in quibus & mentio, quod horum SS. Leipsana, Trajectum allata & honorata; nam ad XII. diem Kalen. Febr. sic habent: *Romæ passio S. Agnetis virginis & martyris, cujus relliquiæ habentur in Trajecto inferiore*: ad diem 4. Kal. Iulii, *Item Trajecti reportatio relliquiarum S. Benigni Martyris & Pontificis*, ad diem 17. Febr. *Apud Spoletum passio S. Pontiani Martyris temporibus Anton. Imp. sub Fabiano Iudice; cujus relliquiæ habentur in Trajecto inferiore.* Adde quæ Molanus in Indiculo SS. Belgii.

f *Per mysticam revelationem,*) Id mirum in Radbodo prædecessore, & cui Baldericus immediatè successit, cujus corpus Daventriæ sepultum fuit.

g *Postquam annos LIX.*] Chron. Magn. quod ferè verbotenus ex Bekâ descriptum, annos tantùm 49. ei tribuit, nisi is locus (quod credo) sit corruptus. Bockenbergius ex Gerbr. dat ei LX. annos: alii plerique huic nostro consentiunt. In Snoyo meo M. S. major error apparet sex tantum modo annos Balderico dante. Sed si calculum inieris ab anno 917. (quo obiisse Radbodus traditur) usque ad 977. 60. annos invenies.

Folcma-

Folcmarus Episcopus XVI.

DEfuncto Domino Baldrico Folcmarus XVI. ordinatus est Episcopus, vir bonæ voluntatis, & bonus Catholicus. His diebus, scilicet, anno Domini DCCCC LXXXVIII. pridie Nonarum Maii requievit in Domino Theodoricus secundus Comes Hollandiæ, sepultus apud patrem intra Monasterium Egmondense, hic Theodoricus cum patre suo Comitatum annis (a) C & XXVIII. gloriosè rexit, & crudeles Danos de finibus suis potenter abegit, Hildegondis autem sua conthoralis 3. Idus Aprilis obdormivit in Christo, sepulta penes antedictum Monasterium cum marito. *Anno Chr. 988. moritur Theodoricus secundus Comes Hollandiæ, die 6. Maij.*

Post obitum Theodorici Comitis Arnulfus tertius Comes Hollandiæ effectus, duxit in uxorem Lutgardim, filiam Theophani (b) magnipotentis Imperatoris Græcorum, & sororem Theophanę Imperatricis Romanorum, ex quâ genuit Theodoricum succedentem sibi Comitem, insuper & Sifridum, sive Sicconem præsidem; qui Comitatui quinque saltem annis præfuit, & cum Frisiensi vulgo juge bellum habuit. His temporibus, scilicet anno Domini DCCCC XC. III. Idus Decembris Folcmarus Episcopus defunctus est, ac in Ecclesiâ Trajectensi tumulatus, postquam 13. annis Trajectensem ecclesiam rexisset. (c) *Arnulphus Comes Hollandiæ tertius.*

a *Anni 128.)* Quæ de primis Hollandiæ Comitibus hic traduntur à Doctissimo Scriverio examinantur, cujus compilare scrinea non est meum, paucis tantùm meam mentem de his attigi supra in Hungero Episcopo.

b *Filiam magnipotentis Imp. Græcorum Theophani,]* Hæc vanissima sunt: nec quisquam Græcorum Imperator Theophanus fuit. Onuphrius Nicephoro Imp. conjugem tribuit Theophanonem, ex quâ filiam ejusdem nominis Ottonis secundi uxorem genuerit: Cuspinianus Nicephori sororem vel privignam dicit, sed de hâc Lutgarde scriptorum proborum nullus mentionem facit. Lazius Lutgardim Græcam quidem vocat, sed cujus ea sit filia non addit; lib. 3. de migr. Gentium, cujus etiam Geneal. tabulis exigua fides adhibenda, adeo exorbitat, & à vero discedit in multis. Lindanus Lietgardam quoque illi dat conjugem ex diplomate anni 998. sed cujus ea filia non exprimit. At videat curiosus lector hic Collectanea Doctiss. Scriverii ad Annal. nostros vulgares edita.

c *Anno D CCCC XC. postquam XIII. Eccl. Traject. rexisset,)* Heda habet annum 989. cum in Pontificatu sedisset ann. 12. mens. XI. Barlandus quoque 12. eidem annos & quid amplius tribuit.

Baldevinus Episcopus XVII.

DEfuncto Folcmaro Præsule, Baldevinus XVII. substitutus est Episcopus, vir gloriosus, probus & inclytus. (a)

His diebus, scilicet anno (b) Domini D CCCC XCIII. XIV. Calendis Octobris (c) campestre bellum indictum est in planicie pratorū de Winkel apud pagum West-frisiæ, ubi decenter advenerunt electi pugiles de principatu totius Hollandiæ, qui secundum relationem antiquorum, ardore sitis intollerabilis illic multum afflicti fuerant, quia modicam aquam, & eandem salmaticam ad potandum invenerunt. Arnulphus verò pius Comes oratione præmissâ locum sibi divinitus inspiratum indicavit, ubi fosso puteo recentis aquæ copia magna fuit. Interea Frisiones ad arma convolantes advenerunt ad prælium, ut virtute magnâ disturbarent Hollandiensem exercitum: econtra quidem Arnulphus comes cum tubis perstrepentibus, vexillis coruscantibus, & armatis præliatoribus armipotenter occurrit, & cum eisdem Frisonibus acre bellum egit. Demum post stragem multorum pugilum aggravatum est prælium adversus eundem Comitem, qui ibidem, Deo permittente, pro Republicâ peremptus, imò (d) martyrisatus & exhinc apud Egmōdense Monasterium luctuosis exequiis suis progenitoribus consepultus est. Nostris quoque temporibus de eodem divo Comite quoddam insigne prodigium accidit, quod in præsenti Chronographiâ Christi fidelibus annotare non piguit. In cœnâ namque Domini dum ad Egmondensem ecclesiam diversæ nationes catervatim advenerant, ut secundum antiquam consuetudinem generalis absolutionis gratiam ab Abbate perciperent, quædam rima de sarcophago præfati Comitis ex antiquâ vetustate rupta fuit, de quâ virgula fumi velut ex aromatibus myrrhæ & thuris ad mēsuram duorum cubitorum desuper exhalavit. Lutgardis verò sua conthoralis, pridie *al. Sals…* *Arnulphus Comes Holl. 3. occiditur in Winckel, cum bellum in Frisios movisset non necessarium.*

lis, pridie Idus Maji requievit in Christo, tumulata apud maritum in Monasterio supradicto.

Theodoricus tertius Comes Hollandiæ quartus. Post excidium Arnulfi Pii Principis Theodoricus hujus nominis tertius effectus est quartus Comes Hollandiæ, ducens in uxorem (e) Othildin filiam magnifici Ducis Saxoniç, de quâ duos filios genuit, videlicet Theodoricum succedentem Comitem Hollandiæ, & Florentium Orientalis Frisiç Comitem Hoc (f) tempore quædam statua stabat in Apuliâ, scripturam hanc insculptam habens, Calendis Maij in ortu solis habebo caput aureum, Sarracenus autem ibidem captus suffodiens, capitalem umbram perpendiculariter extensam à statuâ infra prædictam diem & horam, infinitum thesaurum repperit, quem pro redemtione suâ confestim exhibuit, His diebus, scilicet anno Domini DCCCC XCIV. Balduinus Episcopus (g) ad quatuor annos ecclesiæ Trajectensis Pastor existens VI. Idus Maij requievit in Christo, tumulatus cum prædictis Pontificibus in Trajecto.

Anno Chr. 994. Balduinus Episcopus moritur 10. Maij.

a *Vir probus & inclytus,*] Cum Balduinum hunc Annales nostri & Chronicon Mag. Belg. ex stirpe principum Holl. fuisse tradant, mirum Bekam ejus non meminisse, Heda Siphridi præfecti Kenemariorium, & fratris Theodorici 3. Holl. Comitis filium statuit; Bockenbergius Baldrici etiam præsulis nepotem. Noviomagus se nihil de eo invenisse scribit præter nudum nomen, idque in Chronicis Sigisberti: in quo vereor ut à vero aberret, nullum enim ibidem Balduinum Episcopum Trajectinum invenio. Habeo apud me nummum argenteum, sed sanè exiguum, quem hujus Balduini esse non dubito, cum ejus vultum absque infulâ (cujus usu, usque ad Godebaldi tempora, caruêre Antistites) nudum exhibeat & perinde non ad posteriorem Balduinum sed priorem hunc pertinere certum sit; quem hic ideo exprimendum curavi:





b *Anno Dom. DCCCCXCIII.*) Hoc prælium præter Annales vulgares describunt Amelius Stokius in Chronico Rithmico. Snoyus libero V. hist. Holland. Dousâ F. lib. 9. Ann. Holl. Ubbo Emmius Frisic. hist. lib. 6. Snoyus & Dousa nostros Antistites hujus belli auctores faciunt, sed quâ fide æquo lectori, judicandum rellinquo, cum Adelboldus quem Dousa nominat, post 23. demum annos ad pontificatum pervenerit.

c *Campestre bellum indictam,*] Sic Hovedenus scriptor Anglicus in Iohanne Rege *Habuit Campestre bellum*; sic & olim graves controversiç, quarum difficilis probatio esset, Campo, id est, duello dirimebantur, Chronicon Camerac. lib. 1. c. 10. *Ipsum hominem ad singulare certamen, quod rusticè dicimus campum, provocarunt.*

d *Imo martyrisatus est*) Mirum sanè martyrii genus ejus temporis, & alii longè hi martyres, à primis istis veræ relligionis propagatoribus, qui ob confessionem Christi per omnia tormentorum genera felicem vitæ finem invenerunt. Nam cum victi à victoribus, quos neci destinarant occiderentur, posteri eos martyres vocabant.

e *Othildim filiam Ducis Saxoniæ.*) Et hic curiosum Lectorem ad rerum patriæ suæ diligentissimum investigatorem D. Scriverium amando, cum is nihil eorum quæ ad Comites Hollandiæ faciunt intactum reliquerit, sed omnia suo ingenio perspicuum reddiderit.

f *Hoc tempore quædam statua*,] Chronicon Magnum Belg. eadem fere habet, sed addit Saracenum à Robert. Guiscardo Normannorum duce captum, ex speculo Vincentii lib. 18. c. 17. cum quo convenit Martinus Polonus, verùm is hæc sub Henrico III. Imp. quem secundum vocat, post annum 1040. contigisse tradit.

g *Bald. Episc. ad quatuor annos*,) eadem habent Bockenbergius & plerique alii scriptores. Barlandus tantum tres illi annos tribuit.

Aufridus Episcopus XVIII.

Aufridus dotat Ecclesiâ Trajectensẽ. DEfuncto Baldevino Pontifice Aufridus, qui pridem de seculari Comite (a) clericus attonsus est, nunc ab ecclesiâ Trajectensi XVIII. Episcopus electus est. Hic Aufridus inspirante Deo multa prædia patrimonii sui donavit ad usum sanctæ Trajectensis ecclesiæ (b), quæ antea potestativè possederat in Comitatu Teysterbantiæ, qui de-

qui dehinc anno Domini 1005. tanquam filius castigatus & dilectus Deo suorum oculorum lumen amisit: Venerabile collegium (c) Ordinis sancti Benedicti super montem sanctum in honorem sanctæ Dei genetricis Mariæ construxit, in quo sacræ religionis habitum suscepit, & ad vitæ suæ terminum devotissimè perduravit. Idem autem Episcopus anno Domini 1008. v. Nonarum Maij feliciter obdormivit in Domino, postquam XIV. annis Trajectensi præ ui et Episcopio. Sepulchrum autem tanti Patris si quis ex devotione requirit, quispiam de Canonicis majoris ecclesiæ vel monachis sancti Pauli sibi forsitan indicabit.

Anno Chr. 1008. Ausfridus Episcopus moritur die 3. Maji. xv. MS.

a *De seculari Comite.*] Hunc & Ausfridum & Gaufridum nominant, Chron. M. Belg. eum de domo Bratuspantiæ Comitem Lovanii vel Hoyensem; Bockenbergius de Caroli Magni genere fuisse tradunt, videantur Miræi Annal. Belg. ad annum 997. Notitia Ecclesiar. Belgii, & Codex Donationum. Sigisbertus ad annum eundem. Hujus stemma sic se habet:

Raginerius senior ex Albrada tres habuit filios	Lambertum Com. Lovan.	hujus F. Ausfridus C. Bratuspantiæ: inde Episcopus Ultraject. Advocatus Gemblacensis	Invenio in veteri Codice Leodiensi Gallico, aliud stemma, sed mihi suspectum, & fabulis involutum, quare illud omisi, hæc verò nostra ab Henrico D'Outremanno Lib. 2. histor. de urbe Valentianarum confirmatur.
	Giselbertum Lotaringum.		
	Raginerum Longicollum.	cui F. Lambertus successor Ausfridi.	

b *Quæ antea possiderat &c.*] In Chron. M. adduntur seq. *In Comitatu Bratuspantium & Teisterbantiæ ap. Tielam. Fuit autem principalis locus ejus in Driel ap. Boemel. Et erat Dominus fere illius Insulæ. Insuper de Altenâ ap. Woudreghem.*

c *Collegium Ord. S. Benedicti,*) Hoc collegium primo lapide ab Amersfortio conditum à jam lumine capto præsule volunt, anno nempe 1006. ibique eum post biennium mortuum ac sepultum, sunt qui duos annos adjungunt, inter quos Lamb. Schafnaburgensis Monachus, Miræus anno C. 1009. eum mortuum scribit, & prædictum monasterium anno 1050. in urbem Tr. translatum D. Pauli nomine innotuisse.

Adelboldus Episcopus XIX.

Post dormitionem sancti Patris Ausfridi, quidam Adelboldus XIX. electus est Episcopus, qui (a) Cæsaris Henrici Proconsul fuit eximius. Hic Adelboldus anno Domini 1015. Trajectensem (b) ecclesiam veteris structuræ destruxit, novæ fabricæ fundamenta jecit, quam cum Ecclesiâ Tilensi paucis annis decentissimè consumavit.

Anno Domini 1017. (c) Cometa grandis in modum trabis jugiter apparuit, &(e) eodem anno gravis belli tumultus inter Episcopum Trajectensem & Comitem Hollandiæ hâc de causâ primum invaluit: Quidam enim Comes Theodoricus Bavo beneficiatus fuit juxta Bodegraven ab Adelboldo Pontifice, qui Theodoricum Comitem Hollandiæ non quievit infestare quotidiano certamine. Hollandiensis verò Comes contra copiosum exercitum aggregans Theodoricum Bavonem victoriosè subegit, & eundem à possessionibus suis violenter ejecit. Adelboldus autem Episcopus hoc ægrè ferens, collectis immensis bellatoribus, decrevit vasallum suum pristinæ ditioni restituere, & adversus Hollandiæ Comitem crudele bellum committere. Igitur anno Domini 1018. v. Idus Iunii prædictus Episcopus cum vexillis fulgurantibus, & tubis stridentibus ad locum certaminis decenter advenit: & econtra Theodoricus Hollandiensis Comes cum vexillis fulgidis & cornibus horrisonis à papilionibus suis exiens in pratis virentibus armipotenter occurrit, Nec mora quin Trajectenses & Hollandienses populi perniciter in invicem irruerunt pro coronâ victoriæ laboriosè decertantes, & cruentam stragem ab utrâque parte crudelissimè committentes. Denique post aliquantulum temporis robur Episcopalis exercitus quàm plurimum attritum est in occisione magnanimorum Principum, qui in eodem duro certamine corruerunt, videlicet Vegerus advocatus Ecclesiæ, Vilringus & Godezo Comites, Lazo, Algerus & Swesserus milites, cum aliis tyronibus multis & plurimis armigeris laude dignis: Adelboldus autem Episcopus nimirum hoc gravi dolens infortunio collegit extemplò recentem armigerorum numerum, ut crudele bellum iteratò committeret adversus Hollandię populum. Nihilominus & antenominatus Comes Theodoricus cum Siccone fratre suo coadunavit indefessum exercitum, ut jam secundò dimicaret contra prælibatum Episc-

Cometa bellum portendens.

Theodoricus Bavo Comes à Comite Hollâdiæ subjugatur.

Bellum Episcopi contra Comitem Hollandiæ.

Widgerus.

Wykindus.

Exercitum,

Episcopum. Itaque die XIX. subsequente, qui est IV. Calendarum Augusti eodem anno præfati Principes itidem convenerunt ad prælium, committentes alterutrum magnæ depopulationis excidium, ceciderunt enim iterum ex parte Pontificis Adelboldi viri strenui bellanti manu necidati, videlicet Folcardus Presbyter, Bartoldus Diaconus, Ioannes & Gotfridus Comites, Hiddo, Halmaricus, Volcellinus, Hubertus ac Hildeboldus, milites, Zifridus & Heynemannus proceres, cum plurimis scutariis animosis & diversis armigeris approbatis.

Theodoricus igitur Comes ex hac duplici victoriâ, non tamen sine gravi dispendio suorum obtentâ quamplurimum animatus, (e) proposuit recenter eodẽ anno pro vindictâ patris sui debellare Frisones occidentales, ubinam & Imperator Henricus cum Gotfrido duce Mosellanorum destinavit expeditos equites. Cùm autem Hollandiensis & Frisiensis populus in unum occurrentes, in campestri bello ut pro victoriali laude contenderent, ecce vox quædam ab Hemisphærio superioris ętheris horribiliter intonuit: fugite, fugite, & confestim, Hollandiẽsis populus ex formidine terrisonæ vocis diffugiens, pro magnâ parte cæsus est, & Gotfridus Dux ibidem apprehensus ab hostibus & vinculatus est. Hæc itaque strages Hollandiensi populo provisione divinâ contigit, ut Theodoricus Comes in semetipso disceret, quod unus & idem Deus qui humiliat & exaltat.

Anno Domini 1023. Trajectensis ecclesia per Adelboldum Pontificem magnoperè (f) superextructa fuit; ad cujus dedicationem Henricus Imperator cum 12. Episcopis Trajectum advenit, qui eandem Ecclesiam VI. Calendas Iulii mensis, unanimi benedictione consecraverunt, & cum magnâ solemnitate honorifice (g) dedicarunt. Anno Domini (h) 1027. V. Calendas Decembris Adelboldus Episcopus migravit ad Dominum, postquàm annis XVIII. Trajectense rexisset Episcopium, qui sepultus requiescit infra tectum ecclesiæ Traject. quã ipse decẽter ædificavit in honorem sancti Martini serenissimi Cõfessoris.

· Variè hujus nomen scribitur; Athelboldus, Adelbodus, Adelbaldus Albaldus.

a *Qui Cæsaris Henrici proconsul.*] Fuit Henrico II. Imperatori & qui inter cælites postea relatus est à consiliis; de quo Sigisbertus ad annum C. 1004. *Gerardus Cameracensis & Adelbodus Vltrajectensis Episcopi magni in Ecclesiâ & palatio habentur.* Hæc intelligenda de utroque nondum Episcopo, cum tam hic, quàm ille post aliquot demum annos præsules sint facti. vel ad annum 1014. referenda erunt, quo ipse Gerardus Cameracensis electus est Episcopus.

b *Trajectensem Ecclesiam veteris structuræ*] A Willebrordo inchoatam & à Danis destructam Adelboldus renovavit, quam tertiò Henricus Viandensis ad hanc quam videmus ferè formam redegit.

c *Anno Domini 1017. Cometa grandis*] Sigisbertus eodem anno *Cometes solito mirabilior in modum trabis maximæ per quatuor menses apparuit.* Eadem Cronicon Magn. & nostri scriptores pleriq; tradunt.

d *Eodem anno gravis tumultus*] Hanc rem multis & magno verborum apparatu describunt Hollandici annales. verùm eos omnino hic errare mihi videntur. Nam si quis primas controversiarum ac bellorum inter Trajectenses & Hollandos investigare voluerit causas, ei liquido constare poterit, quod Antistites longè prius hic præsederunt & Principum donationibus magnam partem vicinarnm provinciarum nacti sunt, quam & auctoritate Impp. possederunt. Sed cum Danorum, Normannorumque invasionibus et deprædationibus ij impares cedere cogerentur, vicarii ab Impp. ad limitum defentionem missi, quibus pro operâ navatâ beneficiario jure aliqui Comitatus (dominia non adeo magni nominis, ut nunc volunt) concessa fuêre; quorum posteri, haut contenti concessis, limitibus vicinorum, aliquid semper abradere, quæsitis, ad eam rem causis, per fas atque nefas studuerunt. Hinc factum ut cum Arnulphus dictus Gandavensis partem illam Frisiæ (omnis enim circumcirca Provincia Frisus tunc attributa) quæ prima Hollandiæ nomen agnovit, & hodie Zuyt Hollandia, i. Australis dicitur, occupasset, à vicinis sit occisus. Cujus filius Theodoricus, quo ab iisdem tutior esset; eo loci, ubi nunc Durdrechtum (prima. Hollandiæ civitas) castrum vel munimentum firmavit, vel quod olim tempore Zundebaldi ibidem constructum fuerat, instauravit; vicinorumque terram invitis Dominis invadens suam fecit: quare iidem, quorum in numero erant, Coloniensis, Trevirensis, Leodiensis, & qui maximè omnium læsus, Trajectensis Albaldus, Antistites, contra illam violentiam Imperatoris Neomagi existentis opem & auxilium implorarunt. Imp. verò præter injuriam passos, Godefridum Lotharingiæ Ducem contra dictum Theodoricum cum exercitu misit, Sed ij sive hostium contemtu, sive virium fiduciâ & loci ignorantiâ, panico accedente tumultu à Theodorico in fugam, magnâ suorum clade, Duce etiam capto, acti sunt. Idque prælium accidit in Bataviæ inferioris parte juxta fluvium vel insulam Merwede, tradentibus ita, synchronis & neutrarum partium scriptoribus Dithmaro Mersiburgensi Episcopo Chronici sui libro postremo ad finem, Baldrico Tornacensi Episcopo Chroni. Camer. libr. 3. cap. 19. quibus adjungendi Leod. scriptores, & inter eos Io. Placentius in Baldrico 18. Leodiens. Antistite, Sigisbertus in Chron. ad annum C. 1018. & hic consideratione dignum est quod Rithmicus Stokius nihil de his victoriis contra Adelboldum attulerit.

e *Proposuit pro vindictâ patris sui debellare*] Narrationem hanc partim confusam partim falsam esse ex

supra

supra dictis cuilibet facilè constabit: neque enim Godefridus Dux pro, sed contra Theodoricum & suos Frisones missus ab Imp. fuit, ab eodemque captus & dimissus, ut apertis verbis Dithmarus & Baldricus tradunt, quibus accedit Sigisbertus locis supra citatis.

f *Magnopere super extructa fuit*] Chron. magn. Belg. habet, *Magnis sumtibus absoluta fuit*: Sed hujus Chronici auctor quamvis sua ex Beka sumserit, videtur tamen aliquando verba mutasse, manente nihilominus sensu integro.

g. *Honorificè dedicarunt*] post hæc verba in meo. C. M. S. longa extat narratio de clyentibus ecclesiæ S. Martini, & quæ illi bona beneficiario jure possederint: sed cum ea mihi suspecta sit, vel huic loco minus convenire videatur omittenda putavi, maximè cum in quibusdam exemplaribus Bekani Chronici non habeantur; neque Chron. Magnum Belg eorum hic meminerit. Extat nihilominus in historiâ Hedanâ, ubi eam curiosus lector inveniet; & insuper breviter attingit in hujus præsulis vitâ Gerard. Noviomagus.

h *Anno Domini 1027. v. cal. Decembr.*] Bockenb. anno 1029. circa Calend. decemb. sepultum scribit. Heda, nisi corruptus, ann. 1028. præfert, cui consonat Barlandus.

Bernulphus Episcopus XX.

CVM Adelboldus Episcopus defunctus esset, & quotidianus tumultus in electione novi pastoris contentiosè foret, Conradus Rex Trajectum (a) descendit ad supprimendam discordiam, adducens secum Ghiselam (b) Reginam uxorem suam decentissimam. Sed quoniam eadem Regina diebus illis erat (c) gravida, quinimo puerperio proxima, ideoque jam dictus Rex locavit eandem in (d) pago de Oesterbeke apud quendam Presbyterum, cui Bernulphus proprii nominis erat vocabulum. Rex autem ad urbem Trajectensem confestim se transtulit, & Capitulum ad unionem pacis informare studuit; Demum invalescente discordiâ graviori totum Capitulum compromisit in arbitrium Regis præsentare virum discretum ac idoneum, qui dignus esset gubernare tantum Episcopium. Interea Regina nobilis elegantis formę parturiit infantem, transmittens Regi nova gaudia per Bernulphum sacerdotem, & ecce Rex pro desideratâ legatione, nimirum exultans tradidit eidem presbytero Trajectense Pontificium, consimiliter & investituram (e) per annulum & pastoralem baculum, Bernulphus itaque xx. ordinatus Episcopus cum Principibus Hollandiæ pacem fecit. Et idem Theodoricus Comes eo tempore terram promissionis peregrè visitavit. His temporibus; scilicet anno Domini 1039. vi. (f) Calendas Ianuarii obiit magnanimus Comes Theodoricus Ierosolimita tumulatus penes proavum in Egmundâ, qui cunctis diebus vitæ suæ bella gessit, ac Hollandiam xxxiv. annis potentissimè gubernavit: Othildis autem Comitissa post obitum sui conjugis ad Saxoniam reversa est, quæ vii. Calendas Iulii moriens ibidem honorificè tumulata est. *al. Nimium.*

Post obitum Theodorici Ierosolimitæ Theodoricus filius ejus primogenitus Comes quintus effectus est, qui modico tamen tempore Comitatu fruitur. Eodem anno Conradi Cæsaris (g) viscera in Trajecto morientis recondita sunt in Ecclesiâ majori: & Henricus gener ejusdem Imperatoris ibidem electus sublimatus est in throno regali, Hic Henricus quodam brumali tempore Slavos expugnare decrevit, qui cum expeditione magnâ versus Orientalem plagam sua castra locavit: Habuit autem idem Imperator in comitatu suo sororem sanctimonialem, eximiæ venustatis quam Canonicus quidam adamavit zelo nimię dilectionis, quam & blandâ suggestione tandem ad hoc induxerat, ut circa caliginosam noctis umbram ipsum in amoris amplexu susciperet: illis igitur in furtivo cubili clam obdormientibus, per maxima nix inopinatè cecidit: & auroræ jubar terram hemisphærii caliginem jam effugaverat: quapropter idem Canonicus quamplurimum anxiatus qualiter tute tentorium suum accederet, ne primitiale vestigium culpam suam aliquo modo proderet. Tractato denique repentino consilio præfata sanctimonialis eundem Canonicum in humeris bajulavit ad suum tentorium, ut in eundo & redeundo saltem unius solius possit apparere calcaneum. Eadem autem horâ stimulantibus curis bellicis solus Divus Imperator pervigil fuit, qui peregrinum hoc spectaculum è fenestrâ tabernaculi sui procul intuens, piè subrisit. Demum exorto jam sole Cæsar Augustus flagitavit eundem Canonicum, quatenus ad missam Diaconatus expleret officium, quod idem Canonicus remordente conscientiâ modis omnibus abnuit, nec blandimentis ac minis ad hoc emolliri potuit: cernens itaque Cæsar ejusdem Canonici timoratam conscientiam, remisit ex bono corde conceptam pertinaciam. Accidit autem ut Decania similiter & Abbatia diebus illis vacarent Imperiali Cameræ, & idem Cæsar advocans ipsum Canonicum cum sorore

Theodoricus quartus Comes Hollandiæ quintus.

Conrado in Imperium succedit gener ejus Henricus.

Chr. Belg. Relictum in nive.

Imperator videt ac ridet solertiam amantium.

 rore

rore; cœpit loqui per ænigmata secretæ parabolæ Amantissime frater, esto deinceps vir maturus, & ecce tibi hanc vacantem decaniam conferimus, tuam exorando benevolentiam, quatenus nunquam sanctimonialem præsumas equitare fœminam: deinde sorori suæ dixit, Eximia soror, sis abinde matrona continens, & ecce tibi vacantem hanc Abbatiam sive curam ancillarum Christi conferimus per præsentem annulum; præcipientes, ne permittas unquam equitare te Canonicum: quibus ita dictis, ambo se mutuo contuentes, erubuerunt: qui per hanc levem correctionem informati, peccati præteriti culpam, perpetuam per continentiam emendarunt. His temporibus, (k) scilicet anno Domini M XLVIII. Theodoricus Hollandiæ Comes exercitum adversariorum suorum per Dordracum transire cohibuit, qui ibidem Idibus Maii necidatus ab inimicis, occubuit: isteTheodoricus non habuit uxorem aut liberos, qui per spacium IX. annorum rexit Hollandiæ terminos: cujus exanime corpus apud Egmondam devectum est, quod ibidem lugubribus exequiis inhumatum est.

Theodorici Comitis interitus.

Florentius Comes Hollandiæ sextus.

Occiso Theodorico Comite, Barones sive proceres susceperunt Florentium Germanum præfati Theodorici defuncti in Comitem Hollandiæ, qui prius Comes fuit & Dominus ulterioris Frisiæ. Hic Florentius duxit in uxorem (l) Geertrudim (m) filiam Hermanni Ducis Saxonum, ex quâ genuit Theodoricum & Florentium, insuper & Machteldim (n) puellam, venustatis eximiæ, quam post obitum patris duxit in uxorem Philippus, Rex Franciæ.

Ecclesiæ S. Petri & S. Iohannis ædificantur Trajecti à Bernulpho.

Eisdem temporibus Bernulphus Episcopus ad perennem laudis suæ memoriam ædificavit in Trajecto duas collegiatas ecclesias, unam in honorem sanctiPetri venerabilis Apostoli, ac aliam in honorem sancti Ioannis Baptistæ præcursoris Domini; medietatem verò collegii sancti Salvatoris Trajectensis transplantavit in Daventriam, ubi pro reverentiâ Beati Lebuini egregii confessoris Canonicorum extruxit ecclesiam. Abbatiam autem reverendi Patris Aufridi de monte sancto prope Amersfordiam Trajectum transtulit, ubi conventualem ecclesiam in honorem Sancti Pauli condidit: Hic reverendus Antistes anno Domini M LIIII. XIV. Calendas Augusti migravit ad Dominum, postquam annis XXVII. Trajectense in pace gubernasset Episcopium, qui Trajectum condignè convectus est & ibidem in Ecclesiâ Principis Apostolorum honorificè tumulatus est.

Hic Episcopus, & Bernoldus & Benno, vocatur.

a *Conradus Rex Trajectum descendit,*] Hic Conradus junior & Salicus dictus Harmanni Ducis Franconiæ F. Cunonis nepos, Ottonis pronepos anno C. 1024. ad Imperium venerat teste Panvinio lib. 3. de Princip. Rom. Obiit verò anno C. 1039. prope Trajectum Fresiæ secundum eundem, hujus vitam singulari libello, magno historiæ bono, quæ hic valdè corrupta, ad posteros transmisit Wippo, qui eidem à Sacris fuit, eaque anno demum 1607. typis edita Marnianis lucem vidit.

b *Adducens secum Giselam reginam,*) Hæc ab Onuphrio Lotarii Regis Francorum filia dicitur; quod & Cuspinianus & reliqui fere historici tradunt. Wippo tamen supra laudatus, hunc errorem detegens, filiam eam fuisse asserit Harmanni Ducis Alemanniæ ex Kerbergâ filiâ Conradi Regis Burgundiæ, cujus parentes de Caroli Magni stirpe processerant, juxta hos versus:

Quando post decimam numeratur linea quarta,
De Carolo Magno procedit Gisela prudens.

Laudatur eadem à prudentiâ & consilio, unde & marito fuit charissima.

c *Erat gravida,*) De quâ prole ignoratur, cum præter Henricum, quem eodem anno secum penè puerum in regnum sublimaverat pater, nullam apud scriptores, inveniam.

d *In Pago de Oosterbeke,*) Est non procul infra Arnhemium oppidum, prope flu. Rhenum hodie non ignotus.

e *Investituram per annulum & Pastoralem baculum,*) Olim Impp. jus erat Antistites à Clero & populo electos per virgam pastoralem & annulum probare, vel ut loquebantur investire; idque usitatum semper, donec Pontifices Rom. de majoritate cum Imperatoribus certamen inceptantes, & limites Pontificii Rom. & Imperii confundentes, hos tandem frustra contra nitentes de sede potestatis dejicerent. Hujus contentionis documenta infinita suppeditabunt illorum temporum historiæ: Sub Conrado verò & Henrico III. ejus filio Impp. mos iste (ut refert Georg. ab Heymbach in Apolog. contr. Pium, secundum P. R.) adhuc vigebat; & sub Henricis 4. 5. 6. Fredericis primo & secundo, Ludovico 4. potissimum hæc controversia invaluit. Quin & Regibus Angliæ idem jus fuisse testatur Ingulfus Abbas, rer. Angl. libro.

f VI. *Calendas Ianuarii*) Bockenbergius VI. Calend. Iunii habet contra omnium ferè sententiam Idem Bockenb. annos 46. præfuisse Theodoricum hunc tradit, cui adstipulantur auctor Chronici vulgaris, Stokius, Snoyus, Vosmerius: Scriverio Bekæ opinio probabilior videtur; in MS. meo 33. exprimuntur. Cronicon magnum ab iis omnibus dissentit, & 45. ann. potentissimè gubernasse eum tradit, & uxorem VII. Calend. Iulii in Saxoniam reversam ibidem paulo post obiisse.

g *Eodem*

g *Eodem anno Conradi Cæsaris Viscera*) Nempe 1039. In capite summi templi, ante eum locum, ubi olim altare maximum stetit, etiamnum pavimentum ostendit lapides inscriptos hisce literis memoriam hujus rei conservantibus;

Exta
Conradi secundi Imp.
1039.

Vide Lamb. Schafnaburgensem ad hunc eundem annum.

h *Et Henricus gener ejusdem*) Imò filius ex Giselâ uxore suâ ut Onuphrius de Regib. Rom. lib. 3. Wippo in vitâ Conradi Salici. Lambertus Schafnaburg. in Chron. Marian. Schotus, Sigisbertus, Harm. Contractus, Otto Frising præsul, Chronicon Laurishamense, Cuspinianus, Nauclerus generat 35. ubi is refellit opinionem eorum, qui generum volunt, & fabellam à Martino Polono, Gotfrid. Viterbiensi, Vincentio Gallo & aliis eam in rem relatam, ridet; Addit & Harmannum eâ in opinione esse, quod si de Contracto opinatus fuit, erravit, nam is contrariam sententiam asserit.

i *Habuit idem Imp. in comitatu suo sororem,*) Hanc fabulam meus quoque MS. Beka refert, quam Chr. Belg. Mag. non reticuit, cujus editor, falsam illam in hunc locum, & verâ esse in Carolo magno, ad marginem annotavit, de cujus filiâ Immâ & Einhardo ea ferè narrat Chronicon Laurisheimense.

k *Anno Domini 1048.*) hæc eadem tradunt cum Chronico vulgari Stokius, Bockenbergius, Meyerus, Snoyus, Barlandus, plerique alii, sed Chronicon Magnum Belgicum hic longè auctiùs, & rem omnem pluribus describit verbis, ad quem lectorem mitto: Nec tamen omittenda putavi quæ Contractus ad annum 1049. de hâc totâ re narrat, cum anno præcedente retulisset Theodoricum Phlardiţingæ Marchionem Imperatori rebellasse, & Episcopatus sibi contiguos ad injuriam Imp. depopulatum fuisse, nec tamen Imp. aquosis impedientibus locis, vindictam sumere aut contra eundem prævalere potuisse. *Interea* (inquit) *glaciali hyeme suppeditante, nonnulli de partibus maritimis milites & Principes cum Leodiensi, Trajectensi, & Metensi Episcopis congregati Theodorico in Phlarditingâ insidias tendunt commissâque pugnâ victum occidunt, & provinciam illam Imperatori subjiciunt. Quam tamen non multo post Gotefridus occupans, ab eisdem pugnâ petitus & victus vix aufugit.* quæ posteriora sub Wilhelmo præsule accidisse Hollandi ferunt.

l *Duxit in uxorem Gertrudim,*) De hac Florentii uxore vide Scriverium in adversariis suis ad Chron. Holl. & scriptores Flandricos plerosque.

m *Mechtildim puellam venustate eximiæ,*) Hanc scriptores Francici vocant Bertham; Tilletus de Regib. Francor. P. Æmil. lib. 3. *Vxorem duxerat Balduini Com. Hollandiæ Filiam Bertham*, malè Florentii dicere debuerat. Rob. Guagin, Bertam quoque Florentii Hollandiæ Com. & Frisiæ Reguli filiam nominat, cui Sanmarthani fratres accedunt, Bertham Florentii 1. Holl. Com. filiam Philippi I. Regis conjugem dicentes. De Serres Rer. Gal. scriptor non postremus in Philippo I. Bertham Balduini Flandr. Com. filiam appellat: quæ confusio, ut arbitror nata, ex nuptiis Roberti Frisii filii Balduini Flandri cum matre ejus initis. Videatur Chron. Magni. Belg.

Wilhelmus Episcopus XXI.

DEfunctô Bernulpho Pontifice, Wilhelmus XXI. Trajectensis effectus est Episcopus, vir totus belliger & magnanimus. His diebus, scilicet anno Domini M LXI. Florentius Comes Hollandiæ Princeps imperterritus ob vindictam fratris sui contra superiores Comites expeditionem validam eduxit, quos omnes occisis plurimis cum triumphali laude subegit. Contigit autem ut idem Comes nimis confisus in virtute suæ fortitudinis obdormiret lassus in Hammert meridiano tempore sub ramis umbrosæ salicis, & ecce fugitivi pugiles, quos idem Comes paulo prius in bello devicerat inopinatè supervenerunt, qui eundem cum multis armigeris condormientibus XIV. Calendas Iulii necidarunt. Is Florentius Comitatum ulterioris Frisiæ XXII. annis rexit, & principatum totius Hollandię post obitū fratris sui XIV. annis cū potentiâ gubernavit; qui ad Egmondense Monasterium honestè deductus est, & ibidem cum fratre luctuosis exequiis inhumatus est.

Florentij Comitis expeditio Cadmæo.

Neci dederunt.

Gertrudis quidem Comitissima transacto biennio post mortem sui conjugis nupsit Roberto juniori filio Baldivini Comitis Flandriæ, qui ex parte Theodorici Domicelli (a) junioris adhuc ætatis suscepit gubernationem Comitatus Hollandiæ. Wilhelmus autem Trajectensis Episcopus attendens Hollandiam sine defensore desolatam esse, ac eandem ditionem in manibus pueri seu extranei Principis devenisse, impetravit (b) ab Henrico Romanorum Rege Comitatum Hollandiensem, & Abbatiam Egmondensem, proponens adjutorio Gotfridi Ducis Gibbosi pusillum infantem ab Hollandiâ potenter expellere, & pro duplici strage præterita debitam ultionem recipere.

Gertrudis Comitis vidua.

Prælium inter Episcopum & Flādrum ad Hollandiam.

Igitur anno Domini M LXXI. Gotfridus Dux Lotharingiæ cum Wilhelmo Pontifice decenter in signis variis & tubis stridulis Hollandiam intravit: & contra Robertus Comes in vexillis fulgidis & cornibus horrisonis armipotenter occurrit; & ecce commisso gravi prœlio Robertus Comes terga vertens à bello profugatus est, & Hollandiensis populus ex magnâ parte confestim occisus est. Robertus autem cum privignis & uxore Gandavum adveniens, subarravit omnes Flandriæ nobiles in ipsius adjutorium, proponens adversus (c) Arnoldum Comitem pro suo patrimonio festinanter inire prœlium. Arnoldus verò Comes auxiliante Rege Francorum Philippo, aggregavit contra valentes armigeros 5000. ut in virtute magnâ disturbaret adversantes sibi cuneos: & ecce, conserto jam bello penes montem Cassii Philippus Rex proffligatus est, Arnoldus Comes interemtus est, & Robertus Friso Comes Flandriæ potenter effectus est. Interea Gotfridus Dux ditioni suæ transponens Orientalem seu ulteriorem Frisiam bellicâ manu subegit: & Wilhelmus Episcopus contra Domicellum Hollandiæ frequenter observans excubias in Iselmondâ castrum (d) munitissimum fabricavit: Demum idem (e) Dux ad IV. annos Hollandiam regens anno Domini MLXXV. per quendam servum præfati Theodorici comitis Hollandiæ nomine Giselbertum super latrinam lætaliter sauciatus ad Trajectum duci se jussit· ubi v. Calendas Martii vitæ spiritum exhalavit.

Bellum inter Comites Flādriæ.

Godefridus Gibbosus ulteriorem Frisiā occupat.

Castrum Iselmondę cōditur, & Godefridus occiditur.

Wilhelmus Episcopus moritur.

(f) Eodem etiam anno Wilhelmus Episcopus v. Calendas Maii requievit in Domino, postquam annis XXI. Trajectensi præfuisset Episcopio. Hic Trajectum consimiliter allatus est, ac in Ecclesiâ majori reverendis Pontificibus consepultus est.

a *Theodorici Domicelli junioris adhuc,*) Molanus lib. 3. de Cann. capite 1. Domicellos vocatos Hollandiæ Comites, id est, minores Dominos, dicit, ego juniores potius & nondum equestri dignitate donatos; Sic Wilhelmus qui post Romanorum Rex creatus, domicellus vocatur quod nondum eques; & Gisbertus domicellus de Amstel, qui pòst miles dominus de Amstel dictus est, quando & equestri sigillo usus, cum antea pedestri tantùm signaret.

b *Impetravit ab Henrico Rege Rom.*) Plus nimium hic auctor suis favet Hollandis: Neque enim Episcopus pupillum Comitem expellere de suis dominiis tentavit; sed studuit ea quæ prædecessoribus suis injustè, ut credebat, ablata fuerant Imperatoris ope recuperare. Extant diplomata ab Henrico IV. concessa, nec Gotefridus sponte suâ, verum Cæsaris Imperio & auspiciis rem gessit. Legantur quæ hoc loco ad Hedam notavi.

c *Adversus Arnoldum Comitem,*) Mirum, eum qui sua vel privignorum suorum, dominia defendere aut conservare non potuerit, aliena invaserit & injustè fratris liberos spolians quorum tutor esse debuerat invasor factus sit. Sed ad Flandricos scriptores hic lectorem mitto, nec insisto.

d *Iselmundam castrum munitissimum fabr.*] Sunt qui Adelboldum captum ab Hollando in Isselmundanâ arce custodiæ traditum ferunt, inter quos & Snoyus, & Dominus Nordwicensis lib. 6. Annal, versibus conscriptorum,

Vetus Adelbôldi carceris hospitium,

vocat. Hic noster sibi contrarius paulo post Conrado Episcopo ejus exstructionem adscribit.

e *Idem Dux ad quatuor annos,*) Omnes fere Hollandici scriptores 4. eum annis Hollandiam tenuisse, consentiunt, quum nempè anno C. 1071. eam occupasset, & anno 1075. sit Antwerpiæ occisus Lambertus Schafnab. cædem ejus in annum sequentem rejicit, his verbis: Anno 1076. *Gozelo Dux Lotharingorum in civitate quæ Antwerpia dicitur occisus est per insidias Ruperti Flandrens. Comitis: Cum enim quâdam nocte ad necessitatem naturæ secessisset, appositus extra domum speculator confodit eum per secreta natium, relictoque in vulnere ferro conctus aufugit. Vix deinceps VII. diebus superstes 4. Cal. Mart. vita decessit, atque Verdunis juxta patrem sepultus est.* Et Sigisbertus in Chron. eodem anno tradit *Richarium in Frisonia Godefridum, Ducem peremisse,* quem noster Giselbertum appellat, ut & Stokius in Rithm. Hunc eundem quoque annum Divæus hist. lib. 6. annotavit, & cum Bekâ Trajectum delatum & sepultum refert, simile genus necis subiit Edmondus Anglorum Rex, referente Huntingdono hist. Anglico lib. 6. & de Ieremirio Bojemiæ Principe refert Dubravius Hist. Boem. lib. 7.

f *Eodem & anno Wilhelmus Episcop.*] Nempe ut nostri ferè anno 1075. Heda tamen aliique nonnulli annum seq. ei mortualem faciunt, cum Schafnaburgensi Monacho, qui multa de Guilhelmo hoc strenuo Imperatoris contra Papas propugnatore narrat, cui & quidam tribuunt invectivam orationem in Gregorium VII. quam alii volunt esse Venerici Episcopi Vercellens. alii Walrami Naumburgensis. At quod de infelici ejus obitu addit, procul dubio odio partium confictum est. Cujus fuerit familiæ hic Episcopus, Beka noster tacet: plerique tamen scriptores ex Gelriæ principibus ortum volunt. Heda Comitis Gelriæ fratrem dicit; Bockenbergius Widekindi Vicarii Principis Gelriæ filium. Barlandus Gelrici sanguinis, ut quoque Dousa; Snoyus Wilhelmum de Pont nominat, Henricus Aquilius in Chronici Gelrici compendio vult Wikingi Gelriæ præfecti (**Voocht** dicunt) sexti filium, Wichardi fratrem, quod placet, cum eo tempore nondum Comitis titulo Gelriæ Principes gauderent, Chronicon etiam magn. Gelrum vocat.

Conra-

Conradus Episcop. XXII.

POst obitum Wilhelmi Præsulis quidam (a) Conradus XXII. electus est Episcopus, qui Henrici quarti Cæsaris erat Nutritius. Hic Conradus impetravit ab Henrico V. Romanorum Rege Donationem Orientalis Frisiæ, quam (b) Marchiones violenter abstulerunt à principibus Hollandiæ. Idem ergo Conradus Episcopus Castrum Iselmonde contra Domicellum Hollandiæ firmissimis propugnaculis extruxit, ac id ipsum suo fideli satellicio munivit.

Frisia ulterior donatur Episcopo Vltrajectino.

Anno Domini MLXXVI. Theodoricus Domicellus juvenilis ætatis flore vernans decrevit auxilio Roberti vitrici sui Conradum Episcopum in prædicto castro circumvenire, & primam hæreditatem suam compotenter recuperare: Conradus autem Episcopus horum omnium præscius commilitones & Burgenses suos secreta legatione præmonuit, & ab eis sub die terminatâ manuale expetiit juvamen. Nec mora, quin ad edictum Conradi Pontificis copiosus aggregatus est exercitus, cum vexillis fulgurantibus & tubis perstrepentibus. Hollandienses autem econtrà cum Flandrorum balistariis, Trajectensibus audaciter occursarunt in signis choruscantibus & buccinis frementibus; & ecce dies illa, dies iræ, quoniam electi pugiles ceciderunt ab exercitu partis utriusque. Denique post longum conflictum corruerunt (c) ex parte Trajectensis Episcopi, hi viri pugnatores acerrimi, videlicet Garlacus Comes Zutphaniæ ultimus, Lambertus Davantriæ præpositus, Wolmarus sancti Bonifacii Presbyter, Werenboldus & Ghiselbertus milites, cum aliis multis armigeris audacibus, scutariis & burgensibus approbatis, quorum amissione totus Episcopalis exercitus nimium disturbatus est, & residuus populus ad naves inordinatè discurrens pro magnâ parte submersus est. Episcopus ergo Conradus cernens horrorem crudelissimi belli vehementer ingruere, & ruinam populi sui violenter invalescere turres antedicti præsidii communire studuit, & ante muralia ballistariis defensare disposuit: sed Hollandini per crebros ictus mangenarum propugnacula castri conquassarunt, & Flandri nihilominus castrenses à cacumine murorum sagittis & fundibulis abigerunt, ita ut Conradus Episcopus demum necessitate coactus in deditionem transiret, & Hollandiam cum castro, Domicello Theodorico liberè resignaret. His itaque gestis idem Theodoricus Conrado Pontifici condignam exhibuit honorificentiam; quem cum aliis captivis à prisione solutis, remisit ad civitatem propriam. Theodoricus igitur Domicellus cum triumphali victoria reversus ad Comitatum Hollandiæ, duxit in (d) uxorem Othildin, filiam præpotentis Ducis Saxoniæ, de quâ genuit Florentium succedentem Comitem, & Machtildim venustissimam domicellam. His temporibus, scilicet anno Domini MXCII. Theodoricus Comes V. Calendas Decembris Creatori reddidit animam, postquam annis XXX. bellicosè rexisset Hollandiam, cujus uxor Othildis XIV. Calendis Decembris requievit in Christo, tumulata penes maritum in Monasterio supra dicto.

MS. Patriam cum potentiâ.

Theodoricus Hollandiæ pupillus patrimonium suū ab Episcopo armatâ manu repetit & vincit.

In M.S. desunt.

Iselmonde Castrum cum Episcopo deditur Comiti Hollandiæ.

Othildis Ducis Saxoniæ filia nupta Theoderico Holl. Comiti.

Mors Comitum Hol.

Defuncto Theodorico Comite, Florentius filius ejus octavus Hollandiæ Comes effectus, duxit in uxorem Petronellam (e) Lotharii Cæsaris sororem: ex quâ genuit Theodoricum, Florentium, Simonem, ac Hadevigim virginem. Hic Florentius dictus Crassus, staturâ fuit egregius, plurimumque pacificus, largus eleemosynarius, cunctis proficuus, nemini nocivus, qui progenitores suos in divitiis excessit, & virtutibus superavit. His diebus (f) Conradus Episcopus ad felicem recordationis suæ memoriam exædificare proposuit in occiduâ parte civitatis suæ Canonicorū ecclesiam, ubi fundū (g) adeo lutosum repperit, quod bases pilariorum stabilire non potuit: Fuit autem in latomorum consortio quidam Friso, Pleberus nomine, qui eandem Ecclesiam sub judicio mortis fundare promisit, verumtamen immoderatum inde salarium exegit, quapropter Episcopus largis Enceniis (h) à filio præfati Frisonis arcanum magisterium didicit, & inchoatam ecclesiam in honorem sanctæ Dei genetricis magnoperè condidit, quamobrem idem Friso (i) concepit invidiæ zelum adversus Episcopum, præmeditans qualiter eidem posset inferre mortis interitum. Demum anno Domini MXCIX. dum Episcopus Conradus post missarum solennia solus in domo recumberet, & privatas orationes cum devotione legeret, præfa-

Florentius Crassus Comes Holl. 8.

Petronella ejus uxor.

Conradus Episcopus construit ecclesiam B. Mariæ.

MS. Magnificè.

Plebertus Friso Conradum Episcopum interfi-

tis quod arcanum ejus à filio didicisset. præfatus Friso, visâ jam oportunitate, cultrum eduxit, & reverendum Pontificem instigante diabolo trucidavit. Hic Pontifex (k) annis XXIV. regens Episcopatum, VIII. Calendas Maii lamentabiliter occisus est, qui in eadem Ecclesiâ perpetuæ virginis Mariæ celeberrimè tumulatus est.

Anno Chr. 1099.

a *Quidam Conradus electus est.*] Lamb. Schafnaburgens. *Ei* (nempe Wilhelmo) *successit in Episcopatum Conradus Moguntini Archiepiscopi Camerarius.* Snoyus, Barlandus, alii, Suevum, dicunt.

b *Marchiones violenter abstulerant Holl.*) Nominatur in literis Imper. Henrici Egbertus Saxo Marchio Misniæ consanguineus ejus, qui eidem rebellans, sibique regium tit. vendicans, multa mala perpetraverat; quare & is hostis Imperii pronuntiatus, & bona ejus in fiscum allata sunt, unde Imp. quædam Ecclesiæ Trajectinæ contulit. Onuphrius de Regib. Rom. lib. 3. Heda ex Abbate Urspergen. Additiones ad Schafnaburg. Georg. Fabr. Rer. Saxon. lib. 2.

c *Corruerunt ex parte Trajectensis,*] In hoc bello feruntur à partibus Conradi præter proceres tam sacros, quàm profanos, stetisse: *Milites*, id est, equestri dignitate prælustres; *Armigeri*, id est, nobiles sed infra ordinem equestrem; *Scutarij* non ij scuta facientes, sed ferentes, & perinde pugnæ molem sustinentes: *Burgenses*, id est, cives, quasi burgos inhabitantes, ex quibus inde oppida & civitates creverunt.

d *Duxit in uxorem Othildim &c.*) Quæ hic de uxore Theodorici, liberis, & annis regiminis ejus traduntur, propius discussit & examinavit diligentissimus Scriverius in notatis ad Chron. Holland, quem adi.

e *Petronellam Lotharij Cæsaris sororem.*) De hâc quoque videnda Scriverii accuratissima notata.

f *Exædificare proposuit Canon. Ecclesiam &c.*) De fundatione templi D. Virginis, & Canonicorum Collegio ibidem à Conrado constituto, multa in Chronicis nostris narrantur, & quædam etiam Lamb. vander Burch ejus Collegii Decanus de eodem singulari libello tradidit satis jejunè; nec tabula quæ etiamnunc eâ de re in templo pendet, satisfacit, nihil præter vulgi voces referens. Conditorem ejus Cunradum non tantum vulgaris fama ad nos delata, sed & scriptores nostri plerique omnes, faciunt, & insuper Burchardi successoris ejusdem diploma (quod integrum in tablinis hujus collegii extat) fidem facit his verbis: *Sperans sanctæ Dei genetricis patrocinium cum Episcopo Chunrado meo prædecessore, ejusdem loci fundatore me habiturum.* Ab Imperatore etiam Henrico quarto adjutum eum constat, in cujus rei memoriam statua Imp. diu in templi medii turricula visa fuit & alia ejus collegii monumenta, docent. Egregium sanè est ædificium, antiquam, non barbaricam sed Romanam referens structuram.

g *Fundum adeo lutosum,*) Vorago fuit vel æstus, quales in hâc regione frequentes, magna sæpè impedimenta ædificantibus adferentes, **Wellen** vocant; qualem ipse ante non multós annos in suburbano Insulensi vidi, cum ibi ponti lapideo ala adderetur, cujus fundamentum paucorum cubitorum, latomorum per integram ferè æstatem exercuit industriam. Vidimus etiam in siccandâ palude Horstianâ quantum molestiarum ac damni suis possessoribus dederit. Gremay in Taxandriâ suâ cap. 6. simile quid de templo Buscumducensi tradit; & Antiquitas de celeberrimi illius Dianę apud Ephesios templi fundamentis ad posteros transmisit.

h *Largis encæniis à filio,*) Fides hujus narrationis sit penes auctores, voraginis saltem indicium extat Taurus columnæ incisus, sed à posteris, est enim à Scorelii ibidem Canonici arte, cum hoc, ab antiquitate translato disticho:

Accipe posteritas quæ post hæc sæcula narres:
Taurinis cutibus fundo solidata columna est.

i *Conceptis invidiæ zelum adversus Episcopum,*) Hæc vulgata, & omnium penè calculis probata est opinio; verùm ego ab aliâ causâ Episcopo maturatam mortem arbitror, atque ejus lampada mihi prætulit Heda. Constat etenim ex classicis scriptorib. atque etiam diplomatis Imper. Egbertum Marchionem aliquoties in eundem insurrexisse, arma tulisse, atque adeo Frisiæ partem occupasse, quamobrem cum ejus bona publico judicio in fiscum relata essent, ipseque perduellis haberetur, quædam ab ipso occupata Conrado nostro ab Imp. cujus aulicus fuerat, dono accessere; qui quo accepta conservaret, & invadentem Egbertum repelleret, tandem eidem mortis causam præbuisse creditur missis Imperatoriis militibus qui eundem in molendino deprehensum occiderunt: hinc factum, ut credibile est, sicarium ab Egberti amicis ad Episcopum occidendum, emissum: idque firmare videtur quod is Frisius fuisse dicatur: nam Egbertus Marchio præterquam invito Cæsare occupaverat aliquam superioris Frisiæ partem, Saxoniæ suæ vicinam possederat. De hoc Marchione videndi, Abbas Ursp. Sigisb. Lamb. Dodechinus supplemento ad Marianum, Apologia Henrici Imp. Chron. Augustanum, Cuspinian. in vitâ Henr. IV. Ubbo Emm. Fris. lib. 6. Panvinus, qui & eandem tyrannidem assumpsisse contra Henricum anno 1085. tradit, & anno post 1090. occisum. Sunt etiam qui immissum præsuli sicarium a Pontificiis putant, quod Conradus Imperatoris partes acriter defenderet.

Cum

f *Cum 24. ann. rexisset Episcopatum,)* Heda 25. illi annos præsulatus tribuit, cui accedit Snoyus, Sunt etiam qui à 24. demunt.

Burchardus Episcopus XXIII.

POst interitum Conradi Pontificis, Burchardus XXIII. substitutus est Episcopus, vir devotus, pius, & pacificus.

His temporibus quidam (a) Hildebrandus Cardinalis & Apostolicæ sedis legatus devenit in Galliam, ut ibidem aboleret Simoniç perfidiam, Cùm autem ipse Cardinalis adversus diffamatum (b) Episcopum processisset, & idem Episcopus, testes ipsum accusantes, pretio subarrasset, dixit idem legatus, cesset humanum Iudicium, producatur ecce divinum oraculum, cùm certum sit quod Episcopalis gratia donum sit spiritus sancti, et si in ėmptione pontificii non sis consors Simonis Magi, dic, gloria Patri, & Filio, & Spiritui sancto. Simoniacus igitur absque formidine, gloria Patri, & Filio distinctè protulit, veruntamen, Spiritui Sancto nequaquam pronunciare potuit, sed postquam idem ab Episcopatu destitutus fuit totum versiculum sine obstaculo legit. Anno Domini M CXII. Burchardus Episcopus xv. Calendas Iunii requievit in Domino, postquam XIII. (c) annis prę-fuisset Episcopio, qui in Ecclesiâ Trajectensi apud priores Pontifices reconditus est; ac eodem anno Rodolphus major propositus à suis adversariis interemptus est.

Hildebrandus Cardinalis Episcopum Simoniâ convincit Divino judicio.

Burchardus Episcopus moritur anno Ch. 1112. Rodolphus præpositus interficitur.

a *Quidam Hildebrandus card.)* Quas tragœdias in orbe Christiano hic Hildebrandus excitaverit, quibus artibus quove conatu ad Pontificiam sedem evaserit, omnis ejus temporis plena est historia, etiamsi ab ejus adulatoribus eadem corruptior ad nos pervenerit: maximè cum ejus successores, eâdem viâ grassantes ejus facinora probassent. Sed de hoc Hillebrando videndus inter alios ejus seculi scriptores Benno Card. de vitâ & ejus gestis: Dictus autem fuit post occupatam sedem Pontificiam Gregorius ejus nominis VII.

b *Adversus diffamatum Episcopum,]* Hæc narratio fidem inveniat apud suos, mihi conficta videtur ad conflandum odium Imp. quem Simoniaco vitio vel heresi, ut dicebant, inquinatum ferebant, quod investituram prælatorum per baculum & annulum à majoribus acceptam, urgeret.

c *Postquam XIII. annis præfuisset,)* Alii annum adjiciunt, & obiisse eum anno C. 1113. tradunt.

Godeboldus Episcopus XXIV.

DEfuncto Burchardo Præsule, Godebaldus XXIV. cathedratus est Episcopus, vir mansuetus, prudens & religionis amator præcipuus. Nam & hic anno Domini (a) MC XXI. superædificavit in palustri solitudine de Oestbroeck cœnobium Monachorum & monialium in honorem beatæ Mariæ perpetuę virginis, & sancti Laurentii pretiosi Martyris, quod Monasterium propter arctam religionis observantiam dicebatur olim carcer ordinis. Ibidem enim congregatio maxima fuit, & rigor Monasticę disciplinæ secundum regulam sancti Benedicti, districtissimè pullulavit. Hic etiam Episcopus regulares Canonicos habitantes Middelburgi apud Walachriam, propter inordinatam eorum conversationem expulit, & religiosos Monachos (b) ordinis Præmonstratensis de Cœnobio S. Michaëlis Antverpiensis illic attulit. His (c) etiam temporibus Remis generale concilium celebratum est, ubi de multis utilitatibus ecclesię diffinitum. Godeboldus autem Episcopus diebus illis ægrotans oportunitatem absentiæ suæ per vicinos coepiscopos Domino Papæ literatoriè conscripsit, quinimò sanctitatem summi Pontificis humiliter exoravit, quatenus pro reverentiâ sanctæ Trajectensis Ecclesiæ sibi suisque successoribus indulgeret usum Pontificalis infulę, quo prædecessores sui frustrati fuerant longo tempore. (d) Alexander autem Apostolicus nominis hujus tertius prædilecti sui Godelboldi Præsulis desideratam epistolam gratanter accepit, & pro mutuæ dilectionis affectu supplicationem suam clementer admisit. Causa verò sufficienter exprimitur in vitâ sancti Bonifacii, quare Trajectenses Episcopi non fuerunt hactenus infulati. Anno Domini MC XXVI. Florentius (e) Comes Hollandiæ, confrater ecclesiæ Trajectensis VI. Nonarum Martii migravit (f) ad Cœlestem patriam, postquam annis XXX. cum magnâ (g) tranquillitate rexisset Hollandiam: qui prope progenitores suos in Egmondensi Monasterio tumulatus fuit; ubi sub petrâ marmoris

Anno Chr. 1121. Monasterium in Oostbroeck conditum, quod carcer Ordinis dictum.

Concilium Rhemense.

Godebaldus Episcopus Episcopalem Infulâ à Pontifice impetrat.

Cr. Bd. Calixtus habet.

Anno Chr. 1126. Florentius Crassus Comes Hollandiæ moritur.

Petronella condit monasterium in Reinsburch.

moris satis honorificè requiescit. Petronella verò Comitissa post mortem mariti sui Monasterium (h) puellarum ordinis sancti Benedicti devotè condidit, ad honorem beatæ Mariæ semper virginis & Sancti Laurentii victoriosi Martyris in allodio castri sui, quod Reinsburch appellatur, (i) quæ dehinc 10. kalendas Iunii mensis in Christo requiescens ibidem sumptuosis exequiis sepelitur.

Theodoricus sextus Comes Hollandiæ 9.

1125. Henricus V. moritur.

Lotharius Cæsar electus Theodorico Comiti Hollandiæ Comitatus de Ostergou & Westergou assignat.

Horrenda siccitas.

1128. Godeboldus Episcopus moritur in Oostbroeck.

Post obitum ergo Florentii Crassi Theodoricus filius ejus IX. Hollandiæ Comes effectus, duxit, in uxorem Sophiam filiam Ottonis de Rhynegge Comitis Palatini, de quâ genuit Florentium succedentem Hollandiæ Pricipem, Ottonem de Benthem Comitem, Baldevinum Pontificem, Theodoricum Antistitem, Peregrinum Præsidem, Sophiam Abbatissam, Hadevigim sanctimonialem, & Petronellam pulcherrimam Domicellam. His diebus, scilicet anno Domini MCXXV. (k) Henricus Imperator apud Trajectum ægrotans decessit à valle præsentis miseriæ, cujus intestina recondita sunt in medio chori (l) majoris Ecclesiæ, eodem tumulo solennis loci quo pridem inhumata sunt viscere Conradi (m) Cæsaris ejus attavi gloriosi, & Lotharius Dux (n) egregius, avunculus Theodorici Comitis Hollandiæ per Principes illic electus est, qui de hinc in throno regio laudabiliter exaltatus est, Hic Lotharius abstulit Comitatus (o) de Oestergou & Westergou ab ecclesiâ Trajectensi, quos secundum antiqua privilegia concorporavit Comitatui Hollandiæ. Eisdem etiam temporibus æstivalis siccitas in Franciâ tantùm efferbuit, ut desiccatis fontibus, puteis & cisternis, fluminibus, lacubus, flammeus ignis per rimas terræ intraverit, qui nullatenus ad biennium extingui poterat, Anno Domini MCXXVIII. Godelboldus Episcopus morbo gravatus in Oestbroeck habitum sacræ religionis accepit, postquam Trajectensem ecclesiam annis (p) xv. in pace rexisset: qui deinde pridie Idus Novembris defunctus ac in eodem Monasterio satis honorificè tumulatus est.

a *Anno Christi 1121.*) Miræus in Annal. Belg. *Anno 1122. Oostbroucana Benedictinorum Abbatia primo lapide ab Vltrajecto ædificatur à Godeboldo Episcopo.* In meis scedis de fundationibus collegiorum, monasteriorum &c. hujus Diœceseos sic invenio scriptum. *Abbatiæ in Oost-broeck & Vrouwen-Clooster anno 1125. à Godeboldo Episcopo fundatur*, vel potius ab Harmanno & Theodorico Militibus inchoatæ, & à Mechtilde Imperatrice anno 1122. dotatę, à D. Godebaldo confirmatæ sunt, cui rei adstruendæ, partem diplomatis Godeboldiani adjungendum censui:
» In nomine Sanctæ & Individuæ Trinitatis. Ego Godebaldus divinâ propitiante misericordiâ
» Trajectensis Ecclesiæ Episcopus cunctis fidelibus, post hujus vitæ laborem, celestium gaudiorum
» remunerationem. Notum vobis fieri volumus, quod quidam milites Harmanus Theodoricus & a-
» lii quam plures virtute S. Spiritus accensi cingulo militari renuntiantes, & in melius vitam suam
» commutantes, quendam locum solitarium in palude quæ Oostbrouc antiquitus vocabatur, elege-
» runt ibique Ecclesiam in honore S. Mariæ Dei genetricis & Sancti Laurentii construxerunt. Et
» nos quidem bonæ intentioni eorum per Dei gratiam dantes, ac remedio animæ nostræ in poste-
» rum piè consulentes, eandem paludem cum terrâ adiacente videlicet *Vene*, cum proprietate, cum
» censu, decimis majoribus ac minoribus, & omnibus aliis sibi pertinentibus, liberè & legittimè
» eidem ecclesiæ tradidimus &c.

b *Monachos Ord. Præmonstratensis.*) Videatur Miræus in Chronico Ordin. Præmonstratens. ad annum C. 1128. Id Heda anno 1122. factum autumat.

c *Hisce temporibus Remis generale concilium,*] Onuph. Panvin. id factum anno 1119. sub Calixto 2. tradit, quod & Dodechinus in appendice ad Mariani Chronicon confirmat; cui accedunt Robertus de Monte append. ad Sigisb. Chronicon. & Gallici scriptores plerique, qui à Gelasio inceptum illud, à Calixto secundo continuatum scribunt. Bellarminus in Chronologiâ ad scriptores Eccl. ejus non meminit.

d *Alexander autem Apostolicus nominis hujus.*] Hic anno demum 1160. Pontifex R. creatus diu post mortem Godelbaldi, perinde restituendum *Calixtus* II. qui eo tempore in Galliis Gelasio ibidem mortuo successor datus, concilium Remense potissimùm contra Henr. V. Imp. celebrabat, in quo & Godeboldo concessum est gestare mitram & infulam, diu propter difficilia tempora omissam; quod & Chron. Magni B. auctor vidit & mutavit. Sed Snoyus vulgares Annales secutus Alexandrum retinuit Claromontense contra Fredericum concilium celebrantem, cum Godeboldus, ut dixi diu esse desiisset.

e *Florens. Com. Holland. confrater Eccl. Tr.*] Id olim & favoris erat & pietatis adscribi confraternitatibus aut piis, ut credebant, collegiis, ut ex veterum monumentis clarum est: neque etiam maximi principes, Reges, Impp. dedignabantur: Heda sic de eodem Comite, *Obijt Florentius Crass. Com. fraterno amore Ecclesiæ Trajectinæ junctus.*

f *Anno 1126. migravit ad Cœl. patriam.*) Ann. vulgares, Bockenb. 1123. habent, Heda 1121. Chron. rithmic. Stokii 1122. Nec anni regiminis conveniunt. Sed adi Cl. Scriverii notata ad Hollandiæ Chronicon.

Cum

g *Cum magnâ tranquillitate,)* Stokius, Barlandus, Emmius nullius belli meminerunt cum Frisiis ab eo gesti, geminum tamen vulgare Chronicon ex Gerbrando, Snoyus, Bockenbergius referunt. Urſperg. Abb. Conr. à Liechtenauv. Henrici V. Imp. bellum cum Fresonibus, anno 1114. & anno 1124. cum Hollandis ob sororem Lotharii, narrat.

h *Petronella Comitiſſa Monaſterium puellarum &c.]* Quæ hæc fuerit diligenter quæsivit Scriverius. Snoyus verò illam non fundaſſe ſed collapſum reſtauraſſe hoc monaſterium tradit; ne ſcilicet ſibi contradiceret; cum prius fundationem ejus Theod. 2. adſcripſiſſet. Stokius autem Petronellam conditricem facit his verbis:

Petronella.. *Ende vvas te Reynsburch begraven*
Dat ſy Stichte met haren haven.

i *Quæ dehinc 10. Kal. Junij in Chriſto requieſcens.)* Annum ex Egmond. Chronico & Rithmico tradit Scriverius 1244.

k *Anno Domini M CXXV. Henr. Imp.)* Hunc IV. & Iuniorem vocant Itali, Germani V. eundem verò ejus mortis annum annotarunt Gotofredus Viterbienſis, Abbas Urſpergenſ. Otto Fringenſis Episcopus, Dodechinus, Additiones ad Schafnaburgenſem, Crantzius in Saxon. Onuphr. Nauclerus, P. Langius in Chronico Citiz. Miræus in Annal. Bel. Serrarius in Mogunt, Eiſingr. in Chron. Spirenſi. H. Mutius de Reb. Germ. Emmius in Chronol. I. Iſaac Pontanus in Danicis. Fragmentum incerti ab Urſtiſio editum, Franc. Haræus in Brab. Beuterus in Faſtis, aliique. Robertus tamen de Monte appendice ad Sigeberti Chronicon, annum habet mortis Henrici V. Imp. 1126. quem ſequuti Carrion, Helmoldus, Matheus Weſtmonaſter. Angl. Abbas Trithemius Chron. Hirſaug. Sigonius de Regno Italiæ, alii pauciores, quorum diſcrimen fortè ex ratione numerandi annos. Cuſpinianus ferè ſolus 1124. Chriſti anno mortuum tradit.

l *Cujus inteſtina recondita ſunt,)* Locus hodieque monſtratur in templo Martiniano, ubi hæc verba leguntur:

erta
Henrici Quinti Imp.
1125.

Teſtantur Trajecti obiiſſe ferè omnes; in annis regiminis variant.

m *Conradi Cæſaris ejus attavi,)* proavi dicere debuerat; nam avus ipſius Henricus tertius, ut Germani numerum ineunt, & veriùs, quàm Itali, qui ſecundum dicunt, filius fuit Conradi, licet aliqui generum nominent, quod ſupra annotavi.

n *Lotharius Dux avunculus Theodorici,]* Quod Petronella uxor Florentii, ſoror Lotharii fuerit, Henrici V. æmuli & ſucceſſoris non obſcure indicat Abbas Urſperg. & ob hanc bella in Hollandiâ ab Imperatore geſta.

o *Hic abſtulit comitatus de Oeſtergou & Weſtergou.]* Nempe ut ſuis benefaceret, odiumque in eos qui prædeceſſori adhæſerant, exprimeret; Verùm ut Scriverius rectè animadvertit ex Emmio, literis aut diplomatibus Friſii ſibi libertatem eripi paſſi non ſunt, ſed illam armis ac ferro ſemper propugnarunt. Ita ut neque Hollandi neque Trajectenſes, multùm commodi ex hiſce bullis adepti ſint.

p *XV. Annis in pace rexiſſet,)* Anno ut in fœdis meis 1127. Bockenbergius annos præſulatus numerat 16. cum reliqui ferè omnes cum hoc noſtro faciant.

Andræas Epiſcopus XXV.

DEfuncto Godelboldo Pontifice, Dominus Andræas natus (a) de Kuyck, XXV. electus eſt Epiſcopus, vir diſcretus, honeſtus, pius & pacificus. His diebus Theodoricus Comes proavum ſuum in Hammert occiſum ulciſci deſiderans, Heremanno (b) de Kuyck ubique terrarum hoſtiles tetendit inſidias, ita quod nullo pacificatore mediante treugarum obtinere poſſet inducias. Andræas autem Epiſcopus per continuam interpellationem demum intercepit antiquam altercationis invidiam, & per hunc modum in utramque partem firmiſſimam elaboravit amicitiam, ut Heremannus pro animâ Florentii Comitis Monaſterium conſtrueret, & etiam per competentes prædiorum poſſeſſiones dotare promitteret. Igitur eodem anno fundatum eſt Monaſterium in inſula Beatæ Mariæ Virginis, & illati ſunt ibidem Monachi de Lauduno Præmonſtratenſis Ordinis, qui ſub

Theodoricus Comes Hollandiæ, ultor proavi ſui Florentii.
Epiſcopus mediator.
Monaſterium inſulæ B. Virginis.

sub Monasticâ disciplinâ Deo devotè servirent, & pro animâ Florentii sanctis precibus orarent. (c) Anno Domini M C XXXIII. cùm jam hyems brumali rigore foret horrida, & tota quasi Fresia glaciali ponte pervia, Theodoricus Comes cùm plerisque bellatoribus in tubis tremulis & vexillis rutilis Fresiam intravit: contra verò vulgus Fresiæ cum clavatis lanceis & peracutis venabulis viriliter occurrit. Demùm uno & eodem die bis inchoato prœlio multi Fresones interempti sunt, & Hollandiæ milites cum innumeratis captivis victoriosè reversi sunt.

Expeditio Comitis in Frisios.

Eisdem temporibus (d) Florentius dictus Niger adversus fratrem suum Theodoricum rebellare disponens secessit ad Fresones, quorum auxilio succendit Alçmariensem ecclesiam, & exinde per totum annum vicinam infestavit Kenemariam: cui similiter adjuncti sunt vulgares rustici, nouæ potestatis naturaliter cupidi. Qui eundem Florentium exustis antiquorum Comitum habitaculis usque Harlem cum expeditione potentissimâ deduxerunt, & extemplo circa noctis umbram versus Frisiam repedarunt. Theodoricus igitur Comes, associatis sibi quibusdam armigeris confestim irruit super omnes Fresiorum complices, de quibus pro suo beneplacito singillatim accepit obsides: Lotharius verò Imperator amborum fratrum avunculus, hujus discordiæ sinistram famam intelligens, quendam suorum Principum ad Hollandiam transmisit, qui redivivam pacem inter adversantes fratres benevolè reformavit: denique tali sopitâ discordiâ, Florentius secundam contentionem recenter concepit, pro quâ in brevi tempore peremptus est.

Bellum civile inter Hollandos.

Lotharius Cesar pacem inter fratres facit.

Godefridus namque de Arnsbergh, ac Heremannus (e) de Kuyck famosi Comites & dilecti fratres neptim habuerunt Helevigim, ex Aleide sorore ipsorum & Arnoldo de Rothem procreatam, quam idem Heremannus tanquam avunculus post obitum utriusque parentis accepit in tutelam: ministeriales verò jam dictæ juvenculæ Florentii probitatem intuentes, decreverunt omnes eidem Homagium exhibere, ac ipsam puellam suo matrimonio copulare: sed Heremannus auxilio Godefridi Comitis & Andreæ Pontificis contractum matrimonium consentire renuit, ac eidem Florentio pro posse suo viriliter se opposuit. Trajectenses autem tum timore Lotharii Cæsaris, tum amore Theodorici Comitis, ipsi Florentio civitatis ingressum & egressum indulserunt, cui similiter opportunum auxilium multis vicibus asportarunt, ita ut idem Florentius Episcopale præsidium in contumeliam Andreæ Pontificis potenter incenderet, & villam Lakesmonde violenter exureret: Heremānus verò Comes his actis excogitavit ipsum Florentium per insidias clam apprehendere, cui per patentes inimicitias nequivit aliquo modo resistere, qui penes suburbana civitatis per diversas latebras abscondens armigeros in opaco noctis conticinio præstolabatur Florentium egressurum ad assuetas venationes cum suo juvenili sodalitio. Igitur cum auroræ jubar rutilantem fulgorem terris infunderet, & brumale gelu superficiem terræ constringeret, Florentius junctis sibi decem proceribus falconistis gloriosè civitatem exivit, ac eo nesciente laqueum insidiantium mox incidit. At ille festinanter laxatis frænis ad civitatem redire cupiens in Absteden corruit unà cum dextrario, quem insequentes hostes consecuti occiderunt in livore nimio. Lotharius autem Imperator mortem nepotis sui dolenter accipiens, Heremannum de Kuyck dictante sententiâ Principum, dignitate nominis sui privavit, qui pridem ubique terrarum Comes appellatus fuit. Theodoricus verò Comes ut vindicaret mortem fratris sui, terram de Kuyck potenter intrans, eversis castris, & exustis villis eandem ditionem in solitudinem redegit, ac Heremannum ad exteras partes & provincias effugavit: novissimè quidem post obitum Lotharii Cæsaris Heremannus Theodorico Comiti præstans homagium ad sua (f) reversus est, & Andræas in Pontificio suo condignè restitutus est. Eodem anno Fulcoldus quidam miles complex, ut dicitur, in necem Florentii juvenis, effugiens una dierum insidias Theodorici Comitis (g) transnatavit cum paleferdo suo torrentem Mosæ fluminis, qui nimirum de mortis evasione gaudens, ædificare cœpit de castro suo quod Berne dicitur conventualem Ecclesiam, tam pro reconciliatione, quàm pro gratiarum actione, ubinam adducti sunt religiosi viri Pręmonstratensis Ordinis, qui pridem transplantati fuerant in Insulâ Beatę Mariæ Virginis. Eodem anno (h) Præsul Andræas amovit XII. (i) Presbyteros Stauriensis ecclesiæ propter eorum demeritum, adducens ibidem ab Oostbroeck utriusque sexus conventuale Collegium, qui Trajectense Pontificium ad XI. annos honestè regens, anno Domini M C XXXVIII. IX. Kalendas Iulii requievit in Christo, sepultus cum reverendis Pontificibus in Trajecto.

Al. Heylwigem.

Florentij bellum alterum contra Comitem de Kuyck ob neptem ejus quam amabat.

Florentius ex insidiis interficitur.

Hermannus de Kuyc Comitis nomen amittit, sed posteà in gratiam recipitur.

Paraveredo.

Fundatio Bernensis Monasterij.

Ecclesia Stauriensis reformatur.

1138. Episcopus Andreas moritur.

Andraas

a *Andreas natus de Kuyck.)* Cron. Magn. Belg. eum tempore Electionis Præpositum fuisse Leodiensem refert.

b *Heremanno de Kuyck.)* Hunc Annales vulgares dicunt filium istius Heremanni Comitis de Kuyck à quo Florentius I. Comes erat occisus, quod tamen Stokius non attingit, verùm aliam cum Kuyckensibus contentionem narrat Chronicon Rhythmicum, Florentii nigri fratris Theodorici Comitis, quæ eidem Florentio necem attulit & hujus vindictam Theodoricum prosecutum arbitror, ejusque expiandi gratiâ fortè ab Heremanno fundatam ac dotatam, ex temporis ejus ritu. Abbatiam Insulæ S. Mariæ in Betuâ; quod factum anno 1128. ut scedæ apud me referunt, vel sequenti ut vult Miræus, quo tamen tempore adhuc erat in vivis Lotharius, qui anno demùm 1137. teste Rhythmico, vel ut Onuphrius tradit 1138. obiit.

c *Anno Domini M C XXXIII.* Emmius lib. 6. rer. Fris. ad eum annum post alia sic scribit: *Ne avunculi beneficium sibi periret exercitum conscripsit quantum omnino potuit, cum eo Alcmariã veniens asperrimâ hyeme & gelu omnia operiente, inde in proximos Frisiæ agros excurrit*; & quæ sequuntur ad annum proximum. Barlandus coercitos quidem Frisios à Theodorico tradit, sed annum non addit. Chronicon vernacul. ad præcedentem hæc annum videtur referre.

d *Florentius dictus Niger.)* Hæc in Chron. Magno desiderantur, sed à Stokio, Barlando, Snoyo, ad longum exprimuntur ut & in Chron. vulgari.

e *Heremannum de Cuyck dignitate nominis privavit.)* Cuyckii aliquando Comites appellati sunt, non quod Cuyckiense dominium hoc titulo gauderet, sed quia Burchgraviatum & Comitium civitatis Traject. aliquamdiu possederint: quod jus tandem, cùm controversum ipsis esset, Arn. de Kuc. (cujus extant eâ de re literæ) omne remisit Ottoni Episcopo anno 1220. Ideoque illi dicti Comites Trajectens. vide diploma Conradi II. Imp. ubi Henricus & Godefridus nominantur Comites anno 1145. aliquamdiu post Lotharium Imp. & Andream Episcopum.

f *Eodem anno Fulcoldus,)* Præter vulgares annales, hæc quoque tradunt Heda & Snoyus; videndi etiam Miræus in Chron. Ord. Præmonstratensium ad annum 1134. & Gramay in Taxan. cap. 7.

g *Transmeavit cum Palaferdo,)* Paraveredo scribendum puto. Lydius in gloss. Latino-bar. ad Clemangum: *Paraveredus, pferd equus superadditus, item major equus agminalis*, ex Goldasto, Hincmaro, legibus Baioariorum. Gallis *Palefroy*, vide & Urstisium ad scriptores Germanicos à se editos.

h *Eodem anno præsul Andr. amovit,)* Chron. Bel. Magn. id factum anno 1132. Pontificatus Andrææ 6. vult. cùm tamen Miræus, ut jam annotavi, Bernensis Abbatiæ initium faciat annum C. 1134.

i *Ad XI. annos honestè regens,]* Bockenb. ex Chron. Vulgari x. tantum tribuit, sic & Heda, qui 9. Kal. Iunii (nisi ibi mendum) eum decessisse tradit; Barlandus huic assentitur, Noviomagus verò XI. annum cum Beka agnoscit. Sub hoc Episcopo Chronicon magnum Belg. ingens incendium civitatis Trajectens. describit, his verbis Anno 1131. *Civitas Traject. infer. pro maxima parte concrematur scilicet Palatium & major Ecclesia S. Martini & altera S. Bonifacii*, & tertia *S. Mariæ*, quod cum ab aliis eo tempore relatum non inveniam, vereor ut in aliud tempus sit referendum nempe 1148. ut Bockenb. notavit.

Herebertus Episcopus XXVI.

POst obitum Andreę Pontificis, Herebertus XXVI. substitutus est Episcopus, vir constans, & in Ecclesiasticâ disciplinâ multùm fervidus. Hic de Beron ortus Romanam curiam pro quibusdam causis necessariis adiit, ac in reversione gravem seditionem in Trentâ repperit: (a) Oppidani namque Gruningiæ tumultuantes in alterutrum muniverunt ecclesiam Beatæ Walburgis, in modum castri cum excelsis propugnaculis decertantes ex eâ sagittis, saxis & fundibulis. Episcopus igitur pro tali tumultu Gruningiam festinanter adiens, seditiosos viros ab eadem Ecclesiâ cum tormentis absterruit, quos omnes sub Sacramento jurisjurandi vovere compulit, ne deinceps domum Dei, domum belli facerent, aut ipsum oppidum munimento muri cingerent. Sed idem Episcopus in damnabile (b) gravamen totius Episcopatus, geminos fratres suos exaltare desiderans, dedit in feudum uni Præfecturam Gruningiæ, & alteri Castellanatum Coverdiæ. Nam antea Pontifices, aut per seipsos, aut per suos villicos eadem Dominia judicaverunt, ac in eis, nemine molestante, cuncta liberè dispensarunt.

Gruningæ tumultus à Trentinis.

Nota Gruningam hoc tempore Threntiæ partem muro cinctam non fuisse, & ad sedem Episcopi Trajectensis pertinuisse.

Eisdem diebus Otto (c) Palatinus Comes de Ryenegge Castellanus in Benthem, sororius Theodorici Comitis Hollandiæ Trentam devastare studuit, nec ipsi quispiàm ex parte Pontificis obstare potuit. Episcopus autem contrà paucis aggregatis equitibus, quos Hugo **de Borer**/ (d) fortissimus Teutonicorum ductitare præsumpsit, eidem Palatino penes Hemschem in fremitu vociferantium, & sonitu buccinantium occurrit, & cum eodem Palatino campestre bellum egit, sed plurimis ex parte Palatini peremtis, & multis infra sylvarum latibula

Otto Comes Palatinus Trentiam vastat.

Capitur & Trajectum mittitur in custodiam.

tibula fugatis, Otto de Bicklo Comes occisus est, & Otto Palatinus exhinc in deditionem transiens, Trajecti transmissus in captivitate (e) jucundissimâ reservatus est.

Theodoricus Hollandiæ Comes Trajectum obsidet.

Igitur Theodoricus Comes audiens præcordialem sororium suum in prisione detentum, & ipsius exercitum ab Episcopo & Hugone Boter esse superatum, robur totius potestatis suę contraxit, milites stipendiarios eduxit, civitatem obsidione cinxit, papiliones in gyrum erexit, & mangenas ad urbis interitum terribiliter adaptavit. Cùm autem ad assultum civitatis præparata forent omnia, & recta starent instrumenta valde terribilia, quibus idem Comes muros infringeret, mansiones contereret, & flammigerum rogum hinc inde disspergeret; Episcopus autem contra tantum exercitum non habens rebellandi copiam, sed potius imminentem necessariorum indigentiam, excogitavit ut pastor (f) bonus corpus & animam pro suis ovibus audacter exponeret, & civitatem suam à duris insultibus instanter eriperet. Quapropter universo clero convocato, similiter & populo dictus Præsul, sermonem utrique faciens, præcepit per excommunicationis & decollationis sententiam laicali populo, quod ipso die portas urbis exire non præsumerent, sed jugiter pro defensione civitatis cacumina murorum ascenderent. Qui statim cum omni clero spiritualem armaturam induit, valvas urbis cum vexillis cruce signatis exiit, & tam seipsum, quàm suos imminenti martyrio constanter exposuit. Igitur universus clerus, secundum sui gradus ordinem processit in albis; quem idem antistes novissimè sequebatur in pontificalibus ornamentis, fulmineum ignem gerens in manibus, ut ipsum Comitem anathematizaret cum suis complicibus, & ecce tumultus ingens oritur in castris forensibus. Nam & Hollandienses visis vexillis & viris candidis æstimaverunt Episcopum machinari bellum cum armatis civibus. Nec mora, quin Theodoricus Comes imperaret contra, tubis horrisonis clangere, cornibus metallinis perstrepere, rutilantia signa tollere, & episcopali cuneo certatim occurrere. Hollandienses autem populi, pro committendo prælio proximotenus accedentes, inspexerunt Clerum inermem pacem potius, quam discordiam exquirentem, qui nimium admirari cœperunt constantem animum ejusdem Pontificis manus suas unanimiter continentes ab effusione sanguinis: Theodoricus itaque Comes his agnitis in se reversus erubuit, & de proposito malæ voluntatis compunctus ingemuit, qui statim abjiciens pileum fraxineum, galeam splendidam, Leoninum clypeum & paramentum aureum, discalciatus flexis genibus expetivit veniam, orans ne fulminaret in eum excommunicationis sententiam. Episcopus autem pœnitentem Comitem gratanter erexit, quem cum osculo pacis in reconciliationem accepit. Denique prædicti Principes inspirante Deo, fideles amici facti sunt, & cunctis diebus vitæ suæ perpetuæ dilectionis vinculo connodati sunt. Nam & idem Pontifex extunc Ottonem Palatinum amore Theodorici Comitis à prisone relaxavit, & ipse Palatinus (g) castrum suum de Benthem beato Martino tradens, in feudum ab ipso reaccepit: modico quidem dehinc elapso tempore dictus Palatinus vir miræ venustatis ab Heremanno Comite de Scalick indignâ morte peremptus est, & Otto de Hollandiâ filius sororis suæ Comitatum de Benthem hæreditariè suscipiens, castellanus effectus est.

Episcopi fiducia de ope divina. *Theodoricus Comes religioni cedit.* *Episcopo reconciliatur.* *Ab Episcopo recepit.* *Castrum de Benthem fit Feudum sedis Ultrajectinæ.*

Anno Chr. 1138. Com. Theodoricus visitata Hierosolyma, Româ deflectens Papæ tributum offert.

Anno Domini M C XXXVIII. Theodoricus Comes Hollandiæ Iherosolymam peregrè proficiscens, ac anno sequenti versùs Italiam revertens, Domini Papæ præsentiam adiit, ubi sub annuali (h) tributo 4. solidorum sterlingorum beato Petro tam Egmondense Monasterium, quàm Rensborgense cœnobium obtulit, quod sui progenitores à fundamentis superædificaverunt, & regalibus prædiis multum honorificè dotaverunt. Dominus autem Innocentius Papa nominis hujus secundus extunc eadem venerabilia loca cum suis possessionibus habitis, & habendis in proprietatem ecclesiæ Romanæ suscepit, & ea cum speciali libertatis & exemptionis privilegio communivit. Hardbertus autem Episcopus executor hujus gratiæ veniens ad Egmondam Apostolicum privilegium in eâdem Ecclesiâ legi fecit, & quantum in eo fuit per patentes suas literas roboravit.

Hęc desunt in meo MS. Privilegia monastery Egmondani. *Incendium Ultrajecti.*

(i) Anno Domini M C XLVIII. civitas Trajectensis inextinguibili coruscabat incendio, & plures ecclesiæ, videlicet beatorum Martini, Petri & Pauli & Ioannis eodem crematæ sunt incendio. Templum autem sancti Salvatoris eventu miraculi permansit inustum, & altare beati Stephani prothomartyris servabatur illæsum.

Est

Est autem Capella primordialis contigua templo sancti Salvatoris ædificata tempore beati Clementis in honorem sanctæ Crucis, quam edax flamma cum omnibus infra contentis favillatenus exussit, veruntamen imago sancti (k) Salvatoris prorsus incombusta permansit. Hanc igitur sacrosanctam imaginem clerus & populus devotionis honorificentiâ condignè susceperunt, quam ad vicinam ecclesiam cum hymnis & psalmodiis transportarunt. Hardbertus autem Episcopus anno Domini M C L. IV Idus Novembris migravit ad Christum, postquam annis XII. Trajectensem rexisset Episcopatum; hic tumulatus in Ecclesiâ Trajectensi requievit, qui dudum Comitatus Oestergoviæ & Westergoviæ de manu Conradi Regis reaccepit.

Anno Chr. 1150. moritur Episcopus Hardbertus donatus Ostergovia & Vestergovia Comitatibus à Conrado Rege.

Vocatur & hic Hardbertus, & Herbertus, eumque Emmius apud Bierumanos familiâ plebæâ natum tradit.

a *Oppidani namque Groningiæ,*) causam hujus tumultus explicat Ubbo Emmius libro rer. Frisicarum VI.

b *Sed idem Episcopus in damnabile gravamen,*) Id posteri ac successores senserunt. Rem tangunt Heda, Chron. magnum, Snoyus, Emmius.

c *Otto Palatinus C. in Reynegge,*) Quis hic Otto fuerit investigandum; Bockenb. Ottonem Comitis Palatini Rheni filium facit. Marianus Scotus ad finem Chron. lib. 3. agnoscit Ottonem Palatinum Comitem de Rinecke filium Heremanni Lotaringi contra Henricum Imp. instigatione Paschalis P.R. electi, cujus filium fuisse hunc Ottonem & Heremannum nepotem autumo: Sic Stokius in Rythmis:

T'Spalensgrave vanden Rinnegge. Et post:
Den Palensgrave dvvanc hi mede.

At videtur hunc propius indicare Kiriander de reb. Trevirens. parte XI. fol. 84. his verbis: *Anno C. 1148. cum Palatinus Comes Hermannus Castrum Trisse occupasset, operibusque munivisset, id cum attinente terrâ Comes Otto de Rinecke cessit Adalberoni & Ecclesiæ Trevirensi*: nisi quod hunc Heremannum, alium fuisse credam à Rege electo, ex eo quod Onuphrius illum anno 1087. occisum tradat, cui alii adstipulantur. Advocatum etiam Ecclesiæ Trevirensis fuisse ex Originibus Freheri palam est, quem vide parte I. cap. XI. Sororium autem hic dicit uxoris fratrem, quod nescio an Latinè loquentibus probabitur. Verum exacta ratio Latinitatis, ex his & similibus scriptoribus haudquaquam exigenda est, quorum temporibus spississima barbaries regnabat.

d *Hugo de Boter fortissimus Teutonicorum,*) Rhytmicus Batren habet tali elogio:

Entie beste van sire hant
Ridder van al Duutsche lant.

Corruptè id, Boteren dicere debuerat erat enim ex familiâ Arculeanâ, Ioanne 3. ut putant Arculei Regulo genitus: quem Hugonem Arkelium dominum de Bottersloot vocant; nec tempus, si genealog. credendum, dissentit.

e *In captivitate jucundissima,*) Sic est non tantùm in MS. meo sed & in Chron. magno B. translatio Teutonica antiqua MS. in heussche gevangenisse/ id est, liberâ custodiâ.

f *Ut bonus pastor corpus & animam,*) Similibus armis sæpenumero olim usos fuisse Antistites, quibus plus auxilii exspectabant à pietate quàm à ferro, legimus. Nam illi perpendentes illud Christi: Regnum meum non est de hoc mundo, officii sui memores esse maluerunt, idque optimo successu, non ap. Christianos solummodò principes sed & maximè barbaros.

g *Et ipse castrum suum de Benthem,*) In Adelboldo adscripto diplomate de Vassis Ecclesiæ Trajectinæ, quod tamen suspicione non caret, saltem ejus temporis non esse aut ab Adelboldo, quidam putant: Comes de Benthem dicitur tenere ab Ecclesiâ Trajectinâ Burgraviatum Trajectensem &c. nec de castro Benthemico ulla ibi mentio: quare non abs re foret, si hoc primùm tempore ad ecclesiam Trajectensem illud pervenisse diceretur.

h *Annuali tributo 4. solidorum Sterlingorum,*) Hæc tota narratio in M. S. meo desideratur, nec in Chron. Magn. repperi. Sterlingorum moneta Anglicana est Teut. transl. MS. 4. Engelsch schilling. Heda habet sub annuo censu, Snoyus censum exprimit 4. solidorum Frisicorum, Bockenbergius de censu nihil addit, nec Stokius qui hæc acta anno 1140. refert, in vulgari Chron. nominatur een hen-teecken/ ubi & diploma Pontificis Innocentii 2. legitur.

Prælium inter Episcopum & Flādrum ad Hollandiam.

Igitur anno Domini M LXXI. Gotfridus Dux Lotharingiæ cum Wilhelmo Pontifice decenter in signis variis & tubis stridulis Hollandiam intravit: & contra Robertus Comes in vexillis fulgidis & cornibus horrisonis armipotenter occurrit; & ecce commisso gravi prœlio Robertus Comes terga vertens à bello profugatus est, & Hollandiensis populus ex magnâ parte confestim occisus est. Robertus autem cum privignis & uxore Gandavum adveniens, subarravit omnes Flandriæ nobiles in ipsius adjutorium, proponens adversus (c) Arnoldum Comitem pro suo patrimonio festinanter inire prœlium. Arnoldus verò Comes auxiliante Rege Francorum Philippo, aggregavit contra valentes armigeros 5000. ut in virtute magnâ disturbaret adversantes sibi cuneos: & ecce, conserto jam bello penes montem Cassii Philippus Rex proffligatus est, Arnoldus Comes interemtus est, & Robertus Friso Comes Flandriæ potenter effectus est. Interea Gotfridus Dux ditioni suæ transponens Orientalem seu ulteriorem Frisiam bellicâ manu subegit: & Wilhelmus Episcopus contra Domicellum Hollandiæ frequenter observans excubias in Iselmondâ castrum (d) munitissimum fabricavit: Demum idem (e) Dux ad IV. annos Hollandiam regens anno Domini MLXXV. per quendam servum præfati Theodorici comitis Hollandiæ nomine Giselbertum super latrinam lætaliter sauciatus ad Trajectum duci se jussit, ubi v. Calendas Martii vitæ spiritum exhalavit.

Bellum inter Comites Flādriæ.

Godefridus Gibbosus ulteriorem Frisiā occupat.

Castrum Iselmondę cōditur, & Godefridus occiditur.

Wilhelmus Episcopus moritur.

(f) Eodem etiam anno Wilhelmus Episcopus v. Calendas Maii requievit in Domino, postquam annis XXI. Trajectensi præfuisset Episcopio. Hic Trajectum consimiliter allatus est, ac in Ecclesiâ majori reverendis Pontificibus consepultus est.

a *Theodorici Domicelli junioris adhuc,*) Molanus lib. 3. de Cann. capite 1. Domicellos vocatos Hollandiæ Comites, id est, minores Dominos, dicit, ego juniores potius & nondum equestri dignitate donatos; Sic Wilhelmus qui post Romanorum Rex creatus, domicellus vocatur quod nondum eques; & Gisbertus domicellus de Amstel, qui pòst miles dominus de Amstel dictus est, quando & equestri sigillo usus, cum antea pedestri tantùm signaret.

b *Impetravit ab Henrico Rege Rom.*) Plus nimium hic auctor suis favet Hollandis: Neque enim Episcopus pupillum Comitem expellere de suis dominiis tentavit; sed studuit ea quæ prædecessoribus suis injustè, ut credebat, ablata fuerant Imperatoris ope recuperare. Extant diplomata ab Henrico IV. concessa, nec Gotefridus sponte suâ, verum Cæsaris Imperio & auspiciis rem gessit. Legantur quæ hoc loco ad Hedam notavi.

c *Adversus Arnoldum Comitem,*) Mirum, eum qui sua vel privignorum suorum, dominia defendere aut conservare non potuerit, aliena invaserit & injustè fratris liberos spolians quorum tutor esse debuerat invasor factus sit. Sed ad Flandricos scriptores hic lectorem mitto, nec insisto.

d *Iselmundam castrum munitissimum fabr.*] Sunt qui Adelboldum captum ab Hollando in Isselmundanâ arce custodiæ traditum ferunt, inter quos & Snoyus, & Dominus Nordwicensis lib. 6. Annal. versibus conscriptorum,

Vetus Adelbòldi carceris hospitium,

vocat. Hic noster sibi contrarius paulo post Conrado Episcopo ejus exstructionem adscribit.

e *Idem Dux ad quatuor annos,*) Omnes fere Hollandici scriptores 4. eum annis Hollandiam tenuisse, consentiunt, quum nempè anno C. 1071. eam occupasset, & anno 1075. sit Antwerpiæ occisus Lambertus Schafnab. cædem ejus in annum sequentem rejicit, his verbis: Anno 1076. *Gozelo Dux Lotharingorum in civitate quæ Antwerpa dicitur occisus est per insidias Ruperti Flandrens. Comitis: Cum enim quâdam nocte ad necessitatem naturæ secessisset, appositus extra domum speculator confodit eum per secreta natium, relictoque in vulnere ferro concitus aufugit. Vix deinceps VII. diebus superstes 4. Cal. Mart. vita decessit, atque Verdunis juxta patrem sepultus est.* Et Sigisbertus in Chron. eodem anno tradit *Richarium in Frisonia Godefridum, Ducem peremisse,* quem noster Giselbertum appellat, ut & Stokius in Rithm. Hunc eundem quoque annum Divæus hist. lib. 6. annotavit, & cum Bekâ Trajectum delatum & sepultum refert, simile genus necis subiit Edmondus Anglorum Rex, referente Huntingdono hist. Anglico lib. 6. & de Ieremirio Bojemiæ Principe refert Dubravius Hist. Boem. lib. 7.

f *Eodem & anno Wilhelmus Episcop.*] Nempe ut nostri ferè anno 1075. Heda tamen aliique nonnulli annum seq. ei mortualem faciunt, cum Schafnaburgensi Monacho, qui multa de Guilhelmo hoc strenuo Imperatoris contra Papas propugnatore narrat, cui & quidam tribuunt invectivam orationem in Gregorium VII. quam alii volunt esse Venerici Episcopi Vercellens. alii Walrami Naumburgensis. At quod de infelici ejus obitu addit, procul dubio odio partium confictum est. Cujus fuerit familiæ hic Episcopus, Beka noster tacet: plerique tamen scriptores ex Gelriæ principibus ortum volunt. Heda Comitis Gelriæ fratrem dicit; Bockenbergius Widekindi Vicarii Principis Gelriæ filium. Barlandus Gelrici sanguinis, ut quoque Dousa; Snoyus Wilhelmum de Pont nominat, Henricus Aquilius in Chronici Gelrici compendio vult Wikingi Gelriæ præfecti (Doocht dicunt) sexti filium, Wichardi fratrem, quod placet, cum eo tempore nondum Comitis titulo Gelriæ Principes gauderent, Chronicon etiam magn. Gelrum vocat.

Coun-

Conradus Episcop. XXII.

POst obitum Wilhelmi Præsulis quidam (a) Conradus XXII. electus est Episcopus, qui Henrici quarti Cæsaris erat Nutricius, Hic Conradus impetravit ab Henrico V. Romanorum Rege Donationem Orientalis Frisiæ, quam (b) Marchiones violenter abstulerunt à principibus Hollandiæ. Idem ergo Conradus Episcopus Castrum Iselmonde contra Domicellum Hollandiæ firmissimis propugnaculis extruxit, ac id ipsum suo fideli satellicio munivit. *Frisia ulterior donatur Episcopo Vltrajectino.*

Anno Domini MLXXVI. Theodoricus Domicellus juvenilis ætatis flore vernans decrevit auxilio Roberti vitrici sui Conradum Episcopum in prædicto castro circumvenire, & primam hæreditatem suam compotenter recuperare: Conradus autem Episcopus horum omnium præscius commilitones & Burgenses suos secreta legatione præmonuit, & ab eis sub die terminatâ manuale expetiit juvamen. Nec mora, quin ad edictum Conradi Pontificis copiosus aggregatus est exercitus, cum vexillis fulgurantibus & tubis perstrepentibus. Hollandienses autem econtrà cum Flandrorum balistariis, Trajectensibus audaciter occursarunt in signis choruscantibus & buccinis frementibus; & ecce dies illa, dies iræ, quoniam electi pugiles ceciderunt ab exercitu partis utriusque. Denique post longum conflictum corruerunt (c) ex parte Trajectensis Episcopi, hi viri pugnatores acerrimi, videlicet Garlacus Comes Zutphaniæ ultimus, Lambertus Davantriæ præpositus, Wolmarus sancti Bonifacii Presbyter, Werenboldus & Ghiselbertus milites, cum aliis multis armigeris audacibus, scutariis & burgensibus approbatis, quorum amissione totus Episcopalis exercitus nimium disturbatus est, & residuus populus ad naves inordinatè discurrens pro magnâ parte submersus est. Episcopus ergo Conradus cernens horrorem crudelissimi belli vehementer ingruere, & ruinam populi sui violenter invalescere turres antedicti præsidii communire studuit, & ante muralia ballistariis defensare disposuit: sed Hollandini per crebros ictus mangenarum propugnacula castri conquassarunt, & Flandri nihilominus castrenses à cacumine murorum sagittis & fundibulis abigerunt, ita ut Conradus Episcopus demum necessitate coactus in deditionem transiret, & Hollandiam cum castro, Domicello Theodorico liberè resignaret. His itaque gestis idem Theodoricus Conrado Pontifici condignam exhibuit honorificentiam; quem cum aliis captivis à prisione solutis, remisit ad civitatem propriam. Theodoricus igitur Domicellus cum triumphali victoria reversus ad Comitatum Hollandiæ, duxit in (d) uxorem Othildin, filiam prępotentis Ducis Saxoniæ, de quâ genuit Florentium succedentem Comitem, & Machtildim venustissimam domicellam. His temporibus, scilicet anno Domini MXCII. Theodoricus Comes v. Calendas Decembris Creatori reddidit animam, postquam annis XXX. bellicosè rexisset Hollandiam, cujus uxor Othildis XIV. Calendis Decembris requievit in Christo, tumulata penes maritum in Monasterio supra dicto. *MS. Patriam cum potentiâ. Theodoricus Hollandiæ pupillus patrimonium suũ ab Episcopo armata manu repetit & vincit. In M.S. desunt. Iselmonde Castrum cum Episcopo deditur Comiti Hollandiæ. Othildis Ducis Saxoniæ filia, nupta Theoderico Holl. Comiti. Mors Comitum Hol.*

Defuncto Theodorico Comite, Florentius filius ejus octavus Hollandię Comes effectus, duxit in uxorem Petronellam (e) Lotharii Cæsaris sororem: ex quâ genuit Theodoricum, Florentium, Simonem, ac Hadevigim virginem. Hic Florentius dictus Crassus, staturâ fuit egregius, plurimumque pacificus, largus eleemosynarius, cunctis proficuus, nemini nocivus, qui progenitores suos in divitiis excessit, & virtutibus superavit. His diebus (f) Conradus Episcopus ad felicem recordationis suæ memoriam exædificare proposuit in occiduâ parte civitatis suæ Canonicorũ ecclesiam, ubi fundũ (g) adeo lutosum repperit, quod bases pilariorum stabilire non potuit: Fuit autem in latomorum consortio quidam Friso, Pleberus nomine, qui eandem Ecclesiam sub judicio mortis fundare promisit, verumtamen immoderatum inde salarium exegit, quapropter Episcopus largis Enecœniis (h) à filio præfati Frisonis arcanum magisterium didicit, & inchoatam ecclesiam in honorem sanctæ Dei genetricis magnoperè condidit, quamobrem idem Friso (i) concepit invidię zelum adversus Episcopum, præmeditans qualiter eidem posset inferre mortis interitum. Demum anno Domini MXCIX. dum Episcopus Conradus post missarum solennia solus in domo recumberet, & privatas orationes cum devotione legeret, præfa- *Florentius Crassus Comes Holl. 8. Petronella ejus uxor. Conradus Episcopus construit ecclesiam B. Mariæ. MS. Magnificè. Pleberus Friso Conradum Episcopum interfi-*

tit quod arcanum ejus à filio didicisset. praefatus Friso, visâ jam oportunitate, cultrum eduxit, & reverendum Pontificem instigante diabolo trucidavit. Hic Pontifex (k) annis XXIV. regens Episcopatum, VIII. Calendas Maii lamentabiliter occisus est, qui in eadem Ecclesiâ perpetuae virginis Mariae celeberrimè tumulatus est.

Anno Chr. 1099.

a *Quidam Conradus electus est.*) Lamb. Schafnaburgens. *Ei* (nempe Wilhelmo) *successit in Episcopatum Conradus Moguntini Archiepiscopi Camerarius.* Snoyus, Barlandus, alii, Suevum, dicunt.

b *Marchiones violenter abstulerant Holl.*) Nominatur in literis Imper. Henrici Egbertus Saxo Marchio Misniae consanguineus ejus, qui eidem rebellans, sibique regium tit. vendicans, multa mala perpetraverat; quare & is hostis Imperii pronuntiatus, & bona ejus in fiscum allata sunt, unde Imp. quaedam Ecclesiae Trajectinae contulit. Onuphrius de Regib. Rom. lib. 3. Heda ex Abbate Ursperg. Additiones ad Schafnaburg. Georg. Fabr. Rer. Saxon. lib. 2.

c *Corruerunt ex parte Trajectensis,*) In hoc bello feruntur à partibus Conradi praeter proceres tam sacros, quàm profanos, stetisse: *Milites*, id est, equestri dignitate praelustres; *Armigeri*, id est, nobiles sed infra ordinem equestrem; *Scutarij* non ij scuta facientes, sed ferentes, & perinde pugnae molem sustinentes: *Burgenses*, id est, cives, quasi burgos inhabitantes, ex quibus inde oppida & civitates creverunt.

d *Duxit in uxorem Othildim &c.*) Quae hic de uxore Theodorici, liberis, & annis regiminis ejus traduntur, propius discussit & examinavit diligentissimus Scriverius in notatis ad Chron. Holland. quem adi.

e *Petronellam Lotharij Caesaris sororem.*) De hâc quoque videnda Scriverii accuratissima notata.

f *Exaedificare proposuit Canon. Ecclesiam &c.*) De fundatione templi D. Virginis, & Canonicorum Collegio ibidem à Conrado constituto, multa in Chronicis nostris narrantur, & quaedam etiam Lamb. vander Burch ejus Collegii Decanus de eodem singulari libello tradidit satis jejunè; nec tabula quae etiamnunc eâ de re in templo pendet, satisfacit, nihil praeter vulgi voces referens. Conditorem ejus Cunradum non tantum vulgaris fama ad nos delata, sed & scriptores nostri plerique omnes, faciunt, & insuper Burchardi successoris ejusdem diploma (quod integrum in tablinis hujus collegii extat) fidem facit his verbis: *Sperans sanctae Dei genetricis patrocinium cum Episcopo Chonrado meo praedecessore, ejusdem loci fundatore me habiturum.* Ab Imperatore etiam Henrico quarto adjutum eum constat, in cujus rei memoriam statua Imp. diu in templi medii turricula visa fuit & alia ejus collegii monumenta, docent. Egregium sanè est aedificium, antiquam, non barbaricam sed Romanam referens structuram.

g *Fundum adeo lutosum,*) Vorago fuit vel aestus, quales in hâc regione frequentes, magna saepè impedimenta aedificantibus adferentes, **Wellen** vocant; qualem ipse ante non multos annos in suburbano Insulensi vidi, cum ibi ponti lapideo ala adderetur, cujus fundamentum paucorum cubitorum, latomorum per integram ferè aestatem exercuit industriam. Vidimus etiam in siccandâ palude Horstianâ quantum molestiarum ac damni suis possessoribus dederit. Gremay in Taxandriâ suâ cap. 6. simile quid de templo Buscumducensi tradit; & Antiquitas de celeberrimi illius Dianae apud Ephesios templi fundamentis ad posteros transmisit.

h *Largis encaeniis à filio,*) Fides hujus narrationis sit penes auctores, voraginis saltem indicium extat Taurus columnae incisus, sed à posteris, est enim à Scorelii ibidem Canonici arte, cum hoc, ab antiquitate translato disticho:

Accipe posteritas quae post haec saecula narres:
Taurinis cutibus fundo solidata columna est.

i *Concepit invidiae zelum adversus Episcopum,*) Haec vulgata, & omnium penè calculis probata est opinio; verùm ego ab aliâ causâ Episcopo maturatam mortem arbitror, atque ejus lampada mihi praetulit Heda. Constat etenim ex classicis scriptorib. atque etiam diplomatis Imper. Egbertum Marchionem aliquoties in eundem insurrexisse, arma tulisse, atque adeo Frisiae partem occupasse, quamobrem cum ejus bona publico judicio in fiscum relata essent, ipseque perduellis haberetur, quaedam ab ipso occupata Conrado nostro ab Imp. cujus aulicus fuerat, dono accessere; qui quo accepta conservaret, & invadentem Egbertum repelleret, tandem eidem mortis causam praebuisse creditur missis Imperatoriis militibus qui eundem in molendino deprehensum occiderunt: hinc factum, ut credibile est, sicarium ab Egberti amicis ad Episcopum occidendum, emissum: idque firmare videtur quod is Frisius fuisse dicatur: nam Egbertus Marchio praeterquam invito Caesare occupaverat aliquam superioris Frisiae partem, Saxoniae suae vicinam possederat. De hoc Marchione videndi, Abbas Ursp. Sigisb. Lamb. Dodechinus supplemento ad Marianum, Apologia Henrici Imp. Chron. Augustanum, Cuspinian. in vitâ Henr. IV. Ubbo Emm. Fris. lib. 6. Panvinus, qui & eandem tyrannidem assumpsisse contra Henricum anno 1085. tradit, & anno post 1090. occisum. Sunt etiam qui immissum praesuli sicarium a Pontificiis putant, quod Conradus Imperatoris partes acriter defenderet.

Cum

f *Cum 24. ann. rexisset Episcopatum,)* Heda 25. illi annos præsulatus tribuit, cui accedit Snoyus. Sunt etiam qui à 24. demunt.

Burchardus Episcopus XXIII.

POst interitum Conradi Pontificis, Burchardus XXIII. substitutus est Episcopus, vir devotus, pius, & pacificus.

His temporibus quidam (a) Hildebrandus Cardinalis & Apostolicæ sedis legatus devenit in Galliam, ut ibidem aboleret Simoniæ perfidiam, Cùm autem ipse Cardinalis adversus diffamatum (b) Episcopum processisset, & idem Episcopus, testes ipsum accusantes, pretio subarrasset, dixit idem legatus, cesset humanum Iudicium, producatur ecce divinum oraculum, cùm certum sit quod Episcopalis gratia donum sit spiritus sancti, et si in emptione pontificii non sis consors Simonis Magi, dic, gloria, Patri, & Filio, & Spiritui sancto. Simoniacus igitur absque formidine, gloria Patri, & Filio distinctè protulit, veruntamen, Spiritui Sancto nequaquam pronunciare potuit, sed postquam idem ab Episcopatu destitutus fuit totum versiculum sine obstaculo legit. Anno Domini M CXII. Burchardus Episcopus xv. Calendas Iunii requievit in Domino, postquam XIII. (c) annis præfuisset Episcopio, qui in Ecclesiâ Trajectensi apud priores Pontifices reconditus est; ac eodem anno Rodolphus major propositus à suis adversariis interemptus est.

Hildebrandus Cardinalis Episcopum Simoniâ convincit Divino judicio. *Burchardus Episcopus moritur anno Ch. 1112.* *Rodolphus præpositus interficitur.*

a *Quidam Hildebrandus card.)* Quas tragœdias in orbe Christiano hic Hildebrandus excitaverit, quibus artibus quove conatu ad Pontificiam sedem evaserit, omnis ejus temporis plena est historia, etiamsi ab ejus adulatoribus eadem corruptior ad nos pervenerit: maximè cum ejus successores, eâdem viâ grassantes ejus facinora probassent. Sed de hoc Hillebrando videndus inter alios ejus seculi scriptores Benno Card. de vitâ & ejus gestis: Dictus autem fuit post occupatam sedem Pontificiam Gregorius ejus nominis VII.

b *Adversus diffamatum Episcopum,]* Hæc narratio fidem inveniat apud suos, mihi conficta videtur ad conflandum odium Imp. quem Simoniaco vitio vel heresi, ut dicebant, inquinatum ferebant, quod investituram prælatorum per baculum & annulum à majoribus acceptam, urgeret.

c *Postquam XIII. annis præfuisset,)* Alii annum adjiciunt, & obiisse eum anno C. 1113. tradunt.

Godeboldus Episcopus XXIV.

DEfuncto Burchardo Præsule, Godebaldus XXIV. cathedratus est Episcopus, vir mansuetus, prudens & religionis amator præcipuus. Nam & hic anno Domini (a) MC XXI. superædificavit in palustri solitudine de Oestbroeck cœnobium Monachorum & monialium in honorem beatæ Mariæ perpetuæ virginis, & sancti Laurentii pretiosi Martyris, quod Monasterium propter arctam religionis observantiam dicebatur olim carcer ordinis. Ibidem enim congregatio maxima fuit, & rigor Monasticæ disciplinæ secundum regulam sancti Benedicti, districtissimè pullulavit. Hic etiam Episcopus regulares Canonicos habitantes Middelburgi apud Walachriam, propter inordinatam eorum conversationem expulit, & religiosos Monachos (b) ordinis Præmonstratensis de Cœnobio S. Michaëlis Antverpiensis illic attulit. His (c) etiam temporibus Remis generale concilium celebratum est, ubi de multis utilitatibus ecclesiæ diffinitum. Godeboldus autem Episcopus diebus illis ægrotans oportunitatem absentiæ suæ per vicinos coepiscopos Domino Papæ literatoriè conscripsit, quinimò sanctitatem summi Pontificis humiliter exoravit, quatenus pro reverentiâ sanctæ Trajectensis Ecclesiæ sibi suisque successoribus indulgeret usum Pontificalis infulæ, quo prædecessores sui frustrati fuerant longo tempore. (d) Alexander autem Apostolicus nominis hujus tertius prædilecti sui Godelboldi Præsulis desideratam epistolam gratanter accepit, & pro mutuæ dilectionis affectu supplicationem suam clementer admisit. Causa verò sufficienter exprimitur in vitâ sancti Bonifacii, quare Trajectenses Episcopi non fuerunt hactenus infulati. Anno Domini MC XXVI. Florentius (e) Comes Hollandiæ, confrater ecclesiæ Trajectensis VI. Nonarum Martii migravit (f) ad Cœlestem patriam, postquam annis XXX. cum magnâ (g) tranquillitate rexisset Hollandiam: qui prope progenitores suos in Egmondensi Monasterio tumulatus fuit; ubi sub petrâ marmoris

Anno Chr. 1121. Monasterium in Oostbroeck conditum, quod carcer Ordinis dictum. *Concilium Rhemense.* *Godeboldus Episcopus Episcopalem Infulâ à Pontifice impetrat.* *Cr. Bd. Calixtus habet.* *Anno Chr. 1126. Florentius Crassus Comes Hollandiæ moritur.*

Petronella condit monasterium in Reinsburch.

moris satis honorificè requiescit. Petronella verò Comitissa post mortem mariti sui Monasterium (h) puellarum ordinis sancti Benedicti devotè condidit, ad honorem beatæ Mariæ semper virginis & Sancti Laurentii victoriosi Martyris in allodio castri sui, quod Reinsburch appellatur, (i) quæ dehinc 10. kalendas Iunii mensis in Christo requiescens ibidem sumptuosis exequiis sepelitur.

Theodoricus sextus Comes Hollandiæ 9.

1125. Henricus V. moritur.

Lotharius Cæsar electus Theodorico Comiti Hollandiæ Comitatus de Ostergou & Westergou assignat.

Horrenda siccitas.

1128. Godeboldus Episcopus moritur in Oostbroeck.

Post obitum ergo Florentii Crassi Theodoricus filius ejus IX. Hollandiæ Comes effectus, duxit, in uxorem Sophiam filiam Ottonis de Rhynegge Comitis Palatini, de quâ genuit Florentium succedentem Hollandiæ Pricipem, Ottonem de Benthem Comitem, Baldevinum Pontificem, Theodoricum Antistitem, Peregrinum Præsidem, Sophiam Abbatissam, Hadevigim sanctimonialem, & Petronellam pulcherrimam Domicellam. His diebus, scilicet anno Domini MCXXV. (k) Henricus Imperator apud Trajectum ægrotans decessit à valle præsentis miseriæ, cujus intestina recondita sunt in medio chori (l) majoris Ecclesiæ, eodem tumulo solennis loci quo pridem inhumatæ sunt viscere Conradi (m) Cæsaris ejus attavi gloriosi, & Lotharius Dux (n) egregius, avunculus Theodorici Comitis Hollandiæ per Principes illic electus est, qui de hinc in throno regio laudabiliter exaltatus est, Hic Lotharius abstulit Comitatus (o) de Oestergou & Westergou ab ecclesiâ Trajectensi, quos secundum antiqua privilegia concorporavit Comitatui Hollandiæ. Eisdem etiam temporibus æstivalis siccitas in Franciâ tantùm efferbuit, ut desiccatis fontibus, puteis & cisternis, fluminibus, lacubus, flammeus ignis per rimas terræ intraverit, qui nullatenus ad biennium extingui poterat, Anno Domini MCXXVIII. Godelboldus Episcopus morbo gravatus in Oestbroeck habitum sacræ religionis accepit, postquam Trajectensem ecclesiam annis (p) XV. in pace rexisset: qui deinde pridie Idus Novembris defunctus ac in eodem Monasterio satis honorificè tumulatus est.

a *Anno Christi 1121.*) Miræus in Annal. Belg. *Anno 1122. Oostbroucana Benedictinorum Abbatia primo lapide ab Ultrajecto ædificatur à Godeboldo Episcopo.* In meis scedis de fundationibus collegiorum, monasteriorum &c. hujus Diœceseos sic invenio scriptum. *Abbatiæ in Oost-broeck & Vrouwen-Cloøster anno 1125. à Godeboldo Episcopo fundatur*, vel potius ab Harmanno & Theodorico Militibus inchoatæ, & à Mechtilde Imperatrice anno 1122. dotatæ, à D. Godebaldo confirmatæ sunt, cui rei adstruendæ, partem diplomatis Godeboldiani adjungendum censui:
» In nomine Sanctæ & Individuæ Trinitatis. Ego Godebaldus divinâ propitiante misericordiâ
» Trajectensis Ecclesiæ Episcopus cunctis fidelibus, post hujus vitæ laborem, celestium gaudiorum
» remunerationem. Notum vobis fieri volumus, quod quidam milites Harmanus Theodoricus & a-
» lii quam plures virtute S. Spiritus accensi cingulo militari renuntiantes, & in melius vitam suam
» commutantes, quendam locum solitarium in palude quæ Oostbrouc antiquitus vocabatur, elege-
» runt ibique Ecclesiam in honore S. Mariæ Dei genetricis & Sancti Laurentii construxerunt. Et
» nos quidem bonæ intentioni eorum per Dei gratiam dantes, ac remedio animæ nostræ in poste-
» rum piè consulentes, eandem paludem cum terrâ adiacente videlicet *Vene*, cum proprietate, cum
» censu, decimis majoribus ac minoribus, & omnibus aliis sibi pertinentibus, liberè & legittimè
» eidem ecclesiæ tradidimus &c.

b *Monachos Ord. Præmonstratensis.*) Videatur Miræus in Chronico Ordin. Præmonstratens. ad annum C. 1128. Id Heda anno 1122. factum autumat.

c *Hisce temporibus Remis generale concilium,*] Onuph. Panvin. id factum anno 1119. sub Calixto 2. tradit, quod & Dodechinus in appendice ad Mariani Chronicon confirmat; cui accedunt Robertus de Monte append. ad Sigisb. Chronicon. & Gallici scriptores plerique, qui à Gelasio inceptum illud, à Calixto secundo continuatum scribunt. Bellarminus in Chronologiâ ad scriptores Eccl. ejus non meminit.

d *Alexander autem Apostolicus nominis hujus.*] Hic anno demum 1160. Pontifex R. creatus diu post mortem Godelbaldi, perinde restituendum *Calixtus* II. qui eo tempore in Galliis Gelasio ibidem mortuo successor datus, concilium Remense potissimùm contra Henr. V. Imp. celebrabat, in quo & Godeboldo concessum est gestare mitram & infulam, diu propter difficilia tempora omissam; quod & Chron. Magni B. auctor vidit & mutavit. Sed Snoyus vulgares Annales secutus Alexandrum retinuit Claromontense contra Fredericum concilium celebrantem, cum Godeboldus, ut dixi diu esse desiisset.

e *Florent. Com. Holland. confrater Eccl. Tr.*] Id olim & favoris erat & pietatis adscribi confraternitatibus aut piis, ut credebant, collegiis, ut ex veterum monumentis clarum est: neque etiam maximi principes, Reges, Impp. dedignabantur: Heda sic de eodem Comite, *Obijt Florentius Crass. Com. fraterno amore Ecclesiæ Trajectinæ junctus.*

f *Anno 1126. migravit ad Cœl. patriam.*) Ann. vulgares, Bockenb. 1123. habent, Heda 1121. Chron. rithmic. Stokii 1122. Nec anni regiminis conveniunt. Sed adi Cl. Scriverii notata ad Hollandiæ Chronicon.

Cum

g *Cum magnâ tranquillitate,)* Stokius, Barlandus, Emmius nullius belli meminerunt cum Frisiis ab eo gesti, geminum tamen vulgare Chronicon ex Gerbrando, Snoyus, Bockenbergius referunt. Ursperg. Abb. Conr. à Liechtenauv. Henrici V. Imp. bellum cum Fresonibus, anno 1114. & anno 1124. cum Hollandis ob sororem Lotharii, narrat.

h *Petronella Comitissa Monasterium puellarum &c.*] Quæ hæc fuerit diligenter quæsivit Scriverius. Snoyus verò illam non fundasse sed collapsum restaurasse hoc monasterium tradit; ne scilicet sibi contradiceret; cum prius fundationem ejus Theod. 2. adscripsisset. Stokius autem Petronellam conditricem facit his verbis:

Petronella.. *Ende vvas te Reynsburch begraven*
Dat sy stichte met haren haven.

i *Quæ dehinc 10. Kal. Iunij in Christo requiescens.)* Annum ex Egmond. Chronico & Rithmico tradit Scriverius 1244.

k *Anno Domini M CXXV. Henr. Imp.)* Hunc IV. & Iuniorem vocant Itali, Germani v. eundem verò ejus mortis annum annotarunt Gotofredus Viterbiensis, Abbas Urspergens. Otto Fringensis Episcopus, Dodechinus, Additiones ad Schafnaburgensem. Crantzius in Saxon. Onuphr. Nauclerus, P. Langius in Chronico Citiz. Miræus in Annal. Bel. Serrarius in Mogunt, Eisingr. in Chron. Spirensi. H. Mutius de Reb. Germ. Emmius in Chronol. I. Isaac Pontanus in Danicis. Fragmentum incerti ab Urstisio editum, Franc. Haræus in Brab. Beuterus in Fastis, aliique. Robertus tamen de Monte appendice ad Sigeberti Chronicon, annum habet mortis Henrici V. Imp. 1126. quem sequuti Carrion, Helmoldus, Matheus Westmonaster. Angl. Abbas Trithemius Chron. Hirsaug. Sigonius de Regno Italiæ, alii pauciores, quorum discrimen fortè ex ratione numerandi annos. Cuspinianus ferè solus 1124. Christi anno mortuum tradit.

l *Cujus intestina recondita sunt,)* Locus hodieque monstratur in templo Martiniano, ubi hæc verba leguntur:

Erta
Henrici Quinti Imp.
1125.

Testantur Trajecti obiisse ferè omnes; in annis regiminis variant.

m *Conradi Cæsaris ejus atavi,)* proavi dicere debuerat; nam avus ipsius Henricus tertius, ut Germani numerum ineunt, & veriùs, quàm Itali, qui secundum dicunt, filius fuit Conradi, licet aliqui generum nominent, quod supra annotavi.

n *Lotharius Dux avunculus Theodorici,*] Quod Petronella uxor Florentii, soror Lotharii fuerit, Henrici V. æmuli & successoris non obscure indicat Abbas Ursperg. & ob hanc bella in Hollandiâ ab Imperatore gesta.

o *Hic abstulit comitatus de Oestergou & Westergou.*] Nempe ut suis benefaceret, odiumque in eos qui prædecessori adhæserant, exprimeret; Verùm ut Scriverius rectè animadvertit ex Emmio, literis aut diplomatibus Frisii sibi libertatem eripi passi non sunt, sed illam armis ac ferro semper propugnarunt. Ita ut neque Hollandi neque Trajectenses, multùm commodi ex hisce bullis adepti sint.

p *xv. Annis in pace rexisset,)* Anno ut in fœdis meis 1127. Bockenbergius annos præsulatus numerat 16. cum reliqui ferè omnes cum hoc nostro faciant.

Andræas Episcopus XXV.

DEfuncto Godelboldo Pontifice, Dominus Andræas natus (a) de Kuyck, xxv. electus est Episcopus, vir discretus, honestus, pius & pacificus. His diebus Theodoricus Comes proavum suum in Hammert occisum ulcisci desiderans, Heremanno (b) de Kuyck ubique terrarum hostiles tetendit insidias, ita quod nullo pacificatore mediante treugarum obtinere posset inducias. Andræas autem Episcopus per continuam interpellationem demum intercepit antiquam altercationis invidiam, & per hunc modum in utramque partem firmissimam elaboravit amicitiam, ut Heremannus pro animâ Florentii Comitis Monasterium construeret, & etiam per competentes prædiorum possessiones dotare promitteret. Igitur eodem anno fundatum est Monasterium in insula Beatæ Mariæ Virginis, & illati sunt ibidem Monachi de Lauduno Præmonstratensis Ordinis, qui sub

Theodoricus Comes Hollandiæ, ultor proavi sui Florentii.
Episcopus mediator.
Monasterium insulæ B. Virginis.

sub Monasticâ disciplinâ Deo devotè servirent, & pro animâ Florentii sanctis precibus orarent. (c) Anno Domini M C XXXIII. cùm jam hyems brumali rigore foret horrida, & tota quasi Fresia glaciali ponte pervia, Theodoricus Comes cum plerisque bellatoribus in tubis tremulis & vexillis rutilis Fresiam intravit: contra verò vulgus Fresiæ cum clavatis lanceis & peracutis venabulis viriliter occurrit. Demùm uno & eodem die bis inchoato prœlio multi Fresones interempti sunt, & Hollandiæ milites cum innumeratis captivis victoriosè reversi sunt.

Expeditio Comitis in Frisios.

Eisdem temporibus (d) Florentius dictus Niger adversus fratrem suum Theodoricum rebellare disponens secessit ad Fresones, quorum auxilio succendit Alcmariensem ecclesiam, & exinde per totum annum vicinam infestavit Kenemariam: cui similiter adjuncti sunt vulgares rustici, nouæ potestatis naturaliter cupidi. Qui eundem Florentium exustis antiquorum Comitum habitaculis usque Harlem cum expeditione potentissimâ deduxerunt, & extemplo circa noctis umbram versus Frisiam repedarunt. Theodoricus igitur Comes, associatis sibi quibusdam armigeris confestim irruit super omnes Fresiorum complices, de quibus pro suo beneplacito singillatim accepit obsides: Lotharius verò Imperator amborum fratrum avunculus, hujus discordiæ sinistram famam intelligens, quendam suorum Principum ad Hollandiam transmisit, qui redivivam pacem inter adversantes fratres benevolè reformavit: denique tali sopitâ discordiâ, Florentius secundam contentionem recenter concepit, pro quâ in brevi tempore peremptus est.

Bellum civile inter Hollandos.

Lotharius Cæsar pacem inter fratres facit.

Godefridus namque de Arnsbergh, ac Heremannus (e) de Kuyck famosi Comites & dilecti fratres neptim habuerunt Helevigim, ex Aleide sorore ipsorum & Arnoldo de Rothem procreatam, quam idem Heremannus tanquam avunculus post obitum utriusque parentis accepit in tutelam: ministeriales verò jam dictæ juvenculæ Florentii probitatem intuentes, decreverunt omnes eidem Homagium exhibere, ac ipsam puellam suo matrimonio copulare: sed Heremannus auxilio Godefridi Comitis & Andreæ Pontificis contractum matrimonium consentire renuit, ac eidem Florentio pro posse suo viriliter se opposuit. Trajectenses autem tum timore Lotharii Cæsaris, tum amore Theodorici Comitis, ipsi Florentio civitatis ingressum & egressum indulserunt, cui similiter opportunum auxilium multis vicibus asportarunt, ita ut idem Florentius Episcopale præsidium in contumeliam Andreæ Pontificis potenter incenderet, & villam Lakesmonde violenter exureret: Heremãnus verò Comes his actis excogitavit ipsum Florentium per insidias clam apprehendere, cui per patentes inimicitias nequivit aliquo modo resistere, qui penes suburbana civitatis per diversas latebras abscondens armigeros in opaco noctis conticinio præstolabatur Florentium egressurum ad assuetas venationes cum suo juvenili sodalitio. Igitur cum auroræ jubar rutilantem fulgorem terris infunderet, & brumale gelu superficiem terræ constringeret, Florentius junctis sibi decem procetibus falconistis gloriosè civitatem exivit, ac eo nesciente laqueum insidiantium mox incidit. At ille festinanter laxatis frænis ad civitatem redire cupiens in Absteden corruit unà cum dextrario, quem insequentes hostes consecuti occiderunt in livore nimio. Lotharius autem Imperator mortem nepotis sui dolenter accipiens, Heremannum de Kuyck dictante sententiâ Principum, dignitate nominis sui privavit, qui pridem ubique terrarum Comes appellatus fuit, Theodoricus verò Comes ut vindicaret mortem fratris sui, terram de Kuyck potenter intrans, eversis castris, & exustis villis eandem ditionem in solitudinem redegit, ac Heremannum ad exteras partes & provincias effugavit: novissimè quidem post obitum Lotharii Cæsaris Heremannus Theodorico Comiti præstans homagium ad sua (f) reversus est, & Andræas in Pontificio suo condignè restitutus est. Eodem anno Fulcoldus quidam miles complex, ut dicitur, in necem Florentii juvenis, effugiens una dierum insidias Theodorici Comitis (g) transnatavit cum paleferdo suo torrentem Mosæ fluminis, qui nimirum de mortis evasione gaudens, ædificare cœpit de castro suo quod Berne dicitur conventualem Ecclesiam, tam pro reconciliatione, quàm pro gratiarum actione, ubinam adducti sunt religiosi viri Premonstratensis Ordinis, qui pridem transplantati fuerant in Insulâ Beatę Mariæ Virginis. Eodem anno (h) Præsul Andræas amovit XII. (i) Presbyteros Stauriensis ecclesiæ propter eorum demeritum, adducens ibidem ab Oostbroeck utriusque sexus conventuale Collegium, qui Trajectense Pontificium ad XI. annos honestè regens, anno Domini M C XXXVIII. IX. Kalendas Iulii requievit in Christo, sepultus cum reverendis Pontificibus in Trajecto.

Al. Heylwigem.

Florentii bellum alterum contra Comitem de Kuyck ob neptem ejus quam amabat.

Florentius ex insidiis interficitur.

Heremannus de Kuyc Comitis nomen amittit, sed posteà in gratiam recipitur.

Paraveredo.

Fundatio Bernensis Monasterij.

Ecclesia Stauriensis reformatur.

1138. Episcopus Andręas moritur.

Andræas

a *Andreas natus de Kuyck,)* Cron. Magn. Belg. eum tempore Electionis Præpositum fuisse Leodiensem refert.

b *Heremanno de Kuyck.)* Hunc Annales vulgares dicunt filium istius Heremanni Comitis de Kuyck à quo Florentius I. Comes erat occisus, quod tamen Stokius non attingit, verùm aliam cum Kuyckensibus contentionem narrat Chronicon Rhythmicum, Florentii nigri fratris Theodorici Comitis, quæ eidem Florentio necem attulit & hujus vindictam Theodoricum prosecutum arbitror, ejusque expiandi gratiâ fortè ab Heremanno fundatam ac dotatam, ex temporis ejus ritu. Abbatiam Insulæ S. Mariæ in Betuâ; quod factum anno 1128. ut scedæ apud me referunt, vel sequenti ut vult Miræus, quo tamen tempore adhuc erat in vivis Lotharius, qui anno demùm 1137. teste Rhythmico, vel ut Onuphrius tradit 1138. obiit.

c *Anno Domini M C XXXIII.* Emmius lib. 6. rer. Fris. ad eum annum post alia sic scribit: *Ne avunculi beneficium sibi periret exercitum conscripsit quantum omnino potuit, cum eo Alcmariâ veniens asperrimâ hyeme & gelu omnia operiente, inde in proximos Frisiæ agros excurrit*; & quæ sequuntur ad annum proximum. Barlandus coercitos quidem Frisios à Theodorico tradit, sed annum non addit. Chronicon vernacul. ad præcedentem hæc annum videtur referre.

d *Florentius dictus Niger.)* Hæc in Chron. Magno desiderantur, sed à Stokio, Barlando, Snoyo, ad longum exprimuntur ut & in Chron. vulgari.

e *Heremannum de Cuyck dignitate nominis privavit.)* Cuyckii aliquando Comites appellati sunt, non quod Cuyckiense dominium hoc titulo gauderet, sed quia Burchgraviatum & Comitium civitatis Traject. aliquamdiu possederint: quod jus tandem, cùm controversum ipsis esset, Arn. de Kuc. (cujus extant eâ de re literæ) omne remisit Ottoni Episcopo anno 1220. Ideoque illi dicti Comites Trajectens. vide diploma Conradi II. Imp. ubi Henricus & Godefridus nominantur Comites anno 1145. aliquamdiu post Lotharium Imp. & Andream Episcopum.

f *Eodem anno Fulcoldus,)* Præter vulgares annales, hæc quoque tradunt Heda & Snoyus; videndi etiam Miræus in Chron. Ord. Præmonstratensium ad annum 1134. & Gramay in Taxan. cap. 7.

g *Transnatavit cum Palaferdo,)* Paraveredo scribendum puto. Lydius in gloss. Latino-bar. ad. Clemangum: *Paraveredus, pferd equus superadditus, item major equus agminalis*, ex Goldasto, Hincmaro, legibus Baioariorum. Gallis *Palefroy*, vide & Urstisium ad scriptores Germanicos à se editos.

h *Eodem anno præsul Andr. amovit,)* Chron. Bel. Magn. id factum anno 1132. Pontificatus Andrææ 6. vult. cùm tamen Miræus, ut jam annotavi, Bernensis Abbatiæ initium faciat annum C. 1134.

i *Ad xi. annos honostè regens,]* Bockenb. ex Chron. Vulgari x. tantum tribuit, sic & Heda, qui 9. Kal. Iunii (nisi ibi mendum) eum decessisse tradit; Barlandus huic assentitur, Noviomagus verò xi. annum cum Beka agnoscit. Sub hoc Episcopo Chronicon magnum Belg. ingens incendium civitatis Trajectens. describit, his verbis Anno 1131. *Civitas Traject. infer. pro maxima parte concrematur scilicet Palatinum & major Ecclesia S. Martini & altera S. Bonifacii*, & tertia *S. Mariæ*, quod cum ab aliis eo tempore relatum non inveniam, vereor ut in aliud tempus sit referendum nempe 1148. ut Bockenb. notavit.

Herebertus Episcopus XXVI.

POst obitum Andreę Pontificis, Herebertus XXVI. substitutus est Episcopus, vir constans, & in Ecclesiasticâ disciplinâ multùm fervidus. Hic de Beron ortus Romanam curiam pro quibusdam causis necessariis adiit, ac in reversione gravem seditionem in Trentâ repperit: (a) Oppidani namque Gruningiæ tumultuantes in alterutrum muniverunt ecclesiam Beatæ Walburgis, in modum castri cum excelsis propugnaculis decertantes ex eâ sagittis, saxis & fundibulis. Episcopus igitur pro tali tumultu Gruningiam festinanter adiens, seditiosos viros ab eadem Ecclesiâ cum tormentis absterruit, quos omnes sub Sacramento jurisjurandi vovere compulit, ne deinceps domum Dei, domum belli facerent, aut ipsum oppidum munimento muri cingerent. Sed idem Episcopus in damnabile (b) gravamen totius Episcopatus, geminos fratres suos exaltare desiderans, dedit in feudum uni Præfecturam Gruningiæ, & alteri Castellanatum Coverdiæ. Nam antea Pontifices, aut per seipsos, aut per suos villicos eadem Dominia judicaverunt, ac in eis, nemine molestante, cuncta liberè dispensarunt.

Gruningæ tumultus à Trentinis.

Nota Gruningam hoc tempore Threntiæ partem muro cinctam non fuisse, & ad sedem Episcopi Trajectensis pertinuisse.

Eisdem diebus Otto (c) Palatinus Comes de Rynegge Castellanus in Benthem, sororius Theodorici Comitis Hollandiæ Trentam devastare studuit, nec ipsi quispiam ex parte Pontificis obstare potuit. Episcopus autem contrà paucis aggregatis equitibus, quos Hugo De Woter, (d) fortissimus Teutonicorum ductitare præsumpsit, eidem Palatino penes Hemsschem in fremitu vociferantium, & sonitu buccinantium occurrit, & cum eodem Palatino campestre bellum egit, sed plurimis ex parte Palatini peremtis, & multis infra sylvarum latibula

Otto Comes Palatinus Trentiam vastat.

Capitur & Trajectum mittitur in custodiam.

tibula fugatis, Otto de Bicklo Comes occisus est, & Otto Palatinus exhinc in deditionem transiens, Trajecti transmissus in captivitate (e) jucundissimâ reservatus est.

Theodoricus Hollandiæ Comes Trajectum obsidet.

Igitur Theodoricus Comes audiens præcordialem sororium suum in prisione detentum, & ipsius exercitum ab Episcopo & Hugone Boter esse superatum, robur totius potestatis suę contraxit, milites stipendiarios eduxit, civitatem obsidione cinxit, papiliones in gyrum erexit, & mangenas ad urbis interitum terribiliter adaptavit. Cùm autem ad assultum civitatis præparata forent omnia, & recta starent instrumenta valde terribilia, quibus idem Comes muros infringeret, mansiones contereret, & flammigerum rogum hinc inde dispergeret; Episcopus autem contra tantum exercitum non habens rebellandi copiam, sed potius imminentem necessariorum indigentiam, excogitavit ut pastor (f) bonus corpus & animam pro suis ovibus audacter exponeret, & civitatem suam à duris insultibus instanter eriperet. Quapropter universo clero convocato, similiter & populo dictus Præsul, sermonem utrique faciens, præcepit per excommunicationis & decollationis sententiam laicali populo, quod ipso die portas urbis exire non præsumerent, sed jugiter pro defensione civitatis cacumina murorum ascenderent. Qui statim cum omni clero spiritualem armaturam induit, valvas urbis cum vexillis cruce signatis exiit, & tam seipsum, quàm suos imminenti martyrio constanter exposuit. Igitur universus clerus, secundum sui gradus ordinem processit in albis; quem idem antistes novissimè sequebatur in pontificalibus ornamentis, fulmineum ignem gerens in manibus, ut ipsum Comitem anathematizaret cum suis complicibus, & ecce tumultus ingens oritur in castris forensibus. Nam & Hollandienses visis vexillis & viris candidis æstimaverunt Episcopum machinari bellum cum armatis civibus. Nec mora, quin Theodoricus Comes imperaret contra, tubis horrisonis clangere, cornibus metallinis perstrepere, rutilantia signa tollere, & episcopali cuneo certatim occurrere. Hollandienses autem populi, pro committendo prælio proximotenus accedentes, inspexerunt Clerum inermem pacem potius, quam discordiam exquirentem, qui nimium admirari cœperunt constantem animum ejusdem Pontificis manus suas unanimiter continentes ab effusione sanguinis: Theodoricus itaque Comes his agnitis in se reversus erubuit, & de proposito malæ voluntatis compunctus ingemuit, qui statim abjiciens pileum fraxineum, galeam splendidam, Leoninum clypeum & paramentum aureum, discalciatus flexis genibus expetivit veniam, orans ne fulminaret in eum excommunicationis sententiam. Episcopus autem pœnitentem Comitem gratanter erexit, quem cum osculo pacis in reconciliationem accepit. Denique prædicti Principes inspirante Deo, fideles amici facti sunt, & cunctis diebus vitæ suæ perpetuæ dilectionis vinculo connodati sunt. Nam & idem Pontifex extunc Ottonem Palatinum amore Theodorici Comitis à prisone relaxavit, & ipse Palatinus (g) castrum suum de Benthem beato Martino tradens, in feudum ab ipso reaccepit: modico quidem dehinc elapso tempore dictus Palatinus vir miræ venustatis ab Heremanno Comite de Scalick indignâ morte peremptus est, & Otto de Hollandiâ filius sororis suæ Comitatum de Benthem hæreditariè suscipiens, castellanus effectus est.

Episcopi fiducia de ope divina.

Theodoricus Comes religioni cedit.

Episcopo reconciliatur.

Ab Episcopo recepit.

Castrum de Benthem fit Feudum sedis Vltrajectinæ

Anno Chr. 1138. Com. Theodoricus visitata Hierosolyma. Româ deflectens Papæ tributum offert.

Anno Domini M C XXXVIII. Theodoricus Comes Hollandiæ Iherosolymam peregrè proficiscens, ac anno sequenti versùs Italiam revertens, Domini Papæ præsentiam adiit, ubi sub annuali (h) tributo 4. solidorum sterlingorum beato Petro tam Egmondense Monasterium, quàm Rensborgense cœnobium obtulit, quod sui progenitores à fundamentis superædificaverunt, & regalibus prædiis multum honorificè dotaverunt. Dominus autem Innocentius Papa nominis hujus secundus extunc eadem venerabilia loca cum suis possessionibus habitis, & habendis in proprietatem ecclesiæ Romanæ suscepit, & ea cum speciali libertatis & exemptionis privilegio communivit. Hardbertus autem Episcopus executor hujus gratiæ veniens ad Egmondam Apostolicum privilegium in eâdem Ecclesiâ legi fecit, & quantum in eo fuit per patentes suas literas roboravit.

Hęc desunt in meo MS.

Privilegia monasterij Egmondani.

Incendium Vltrajecti.

(i) Anno Domini M C XLVIII. civitas Trajectensis inextinguibili coruscabat incendio, & plures ecclesiæ, videlicet beatorum Martini, Petri & Pauli & Ioannis eodem crematæ sunt incendio. Templum autem sancti Salvatoris eventu miraculi permansit inustum, & altare beati Stephani prothomartyris servabatur illæsum.

Est

Est autem Capella primordialis contigua templo sancti Salvatoris ædificata tempore beati Clementis in honorem sanctæ Crucis, quam edax flamma cum omnibus infra contentis favillatenus exussit, veruntamen imago sancti (k) Salvatoris prorsus incombusta permansit. Hanc igitur sacrosanctam imaginem clerus & populus devotionis honorificentiâ condignè susceperunt, quam ad vicinam ecclesiam cum hymnis & psalmodiis transportarunt. Hardbertus autem Episcopus anno Domini M C L. IV Idus Novembris migravit ad Christum, postquam annis XII. Trajectensem rexisset Episcopatum; hic tumulatus in Ecclesiâ Trajectensi requievit, qui dudum Comitatus Oestergoviæ & Westergoviæ de manu Conradi Regis reaccepit.

Anno Chr. 1150. moritur Episcopus Hardbertus donatus Ostergovia & Vestergovia Comitatibus à Conrado Rege.

Vocatur & hic Hardbertus, & Herbertus, eumque Emmius apud Bierumanos familiâ plebæâ natum tradit.

a *Oppidani namque Groningiæ,*) causam hujus tumultus explicat Ubbo Emmius libro rer. Frisicarum VI.

b *Sed idem Episcopus in damnabile gravamen,*) Id posteri ac successores senserunt. Rem tangunt Heda, Chron. magnum, Snoyus, Emmius.

c *Otto Palatinus C. in Reynegge,*) Quis hic Otto fuerit investigandum; Bockenb. Ottonem Comitis Palatini Rheni filium facit. Marianus Scotus ad finem Chron. lib. 3. agnoscit Ottonem Palatinum Comitem de Rinecke filium Heremanni Lotaringi contra Henricum Imp. instigatione Paschalis P.R. electi, cujus filium fuisse hunc Ottonem & Heremannum nepotem autumo: Sic Stokius in Rythmis:

T'Spalensgrave vanden Rinnegge. Et post:
Den Palensgrave dwanc hi mede.

At videtur hunc propius indicare Kiriander de reb. Trevirens. parte XI. fol. 84. his verbis: *Anno C. 1148. cum Palatinus Comes Hermannus Castrum Trisse occupasset, operibusque munivisset, id cum attinente terrâ Comes Otto de Rinecke cessit Adalberoni & Ecclesiæ Trevirensi*: nisi quod hunc Heremannum, alium fuisse credam à Rege electo, ex eo quod Onuphrius illum anno 1087. occisum tradat, cui alii adstipulantur. Advocatum etiam Ecclesiæ Trevirensis fuisse ex Originibus Freheri palam est, quem vide parte 1. cap. XI. Sororium autem hic dicit uxoris fratrem, quod nescio an Latinè loquentibus probabitur. Verum exacta ratio Latinitatis, ex his & similibus scriptoribus haudquaquam exigenda est, quorum temporibus spississima barbaries regnabat.

d *Hugo de Boter fortissimus Teutonicorum,*) Rhytmicus Batren habet tali elogio:

Entie beste van sire hant
Ridder van al Duutsche lant.

Corruptè id, Boteren dicere debuerat erat enim ex familiâ Arculeanâ, Ioanne 3. ut putant Arculei Regulo genitus: quem Hugonem Arkelium dominum de Bottersloot vocant; nec tempus, si genealog. credendum, dissentit.

e *In captivitate jucundissima,*) Sic est non tantùm in MS. meo sed & in Chron. magno B. translatio Teutonica antiqua MS. in heusssche gevangenisse/ id est, liberâ custodiâ.

f *Ut bonus pastor corpus & animam,*) Similibus armis sæpenumero olim usos fuisse Antistites, quibus plus auxilii exspectabant à pietate quàm à ferro, legimus. Nam illi perpendentes illud Christi: Regnum meum non est de hoc mundo, officii sui memores esse maluerunt, idque optimo successu, non ap. Christianos solummodò principes sed & maximè barbaros.

g *Et ipse castrum suum de Benthem,*) In Adelboldo adscripto diplomate de Vassis Ecclesiæ Trajectinæ, quod tamen suspicione non caret, saltem ejus temporis non esse aut ab Adelboldo, quidam putant: Comes de Benthem dicitur tenere ab Ecclesiâ Trajectinâ Burgraviatum Trajectensem &c. nec de castro Benthemico ulla ibi mentio: quare non abs re foret, si hoc primùm tempore ad ecclesiam Trajectensem illud pervenisse diceretur.

h *Annuali tributo 4. solidorum Sterlingorum,*) Hæc tota narratio in M. S. meo desideratur, nec in Chron. Magn. repperi. Sterlingorum moneta Anglicana est Teut. transl. MS. 4. Engelsch schilling. Heda habet sub annuo censu, Snoyus censum exprimit 4. solidorum Frisicorum, Bockenbergius de censu nihil addit, nec Stokius qui hæc acta anno 1140. refert, in vulgari Chron. nominatur een hen-teeckien/ ubi & diploma Pontificis Innocentii 2. legitur.

i *Anno Domini* 1148. *civitas Traject.* Hæc fere referunt ſcriptores circa finem Hereberti; Cronicon Magnum, Heda, Annales vulgares, Bockenb. Barlandus ita breviter in Theod.6.Com.Holl. *Hujus tempore Trajecti, neſcio quo caſu, ortum incendium cujus adeo flamma invaluit, ut præcipua urbis templa arſerint. Miraculi loco habitum, quod in tanta pulcherrimæ urbis conflagratione Ædem Salvatori dicatam ignis non attigit.*

k *Imago ſancti Salvatoris.*) Hæc eadem (ut credebatur) imago à me puero viſa parum uſtulata, Teut. antiq. Tranſl. hæc fuſius exprimit. *Tunc* (ut ſcribit Heda) *periculis incendiorum proſpectum, atque aque è Rheno inducta & ordinatæ foſſæ per urbem*; quod de veteri foſſa, **de oude graft** / intelligendum eſt. Nova enim poſt 200. demum annos perfecta fuit.

l *IV. Id. Novembr.*] Bockenb. III. Non. Novembr. ex Chron. vulg. Chronicon magnum & ſcedæ huic noſtro adſtipulantur.

Hermannus Epiſcopus XXVII.

Diſcordia ob electionem Epiſcopi.

DEfuncto vero Hardberto, ſicut prædicitur, Epiſcopo, gravis diſcordia ſuborta fuit in Capitulo, principales namque vaſalli Trajectenſis eccleſię, videlicet Theodoricus Hollandię, Henricus Geldrię, & Theodoricus Clivię magnifici Comites Heremannum de Horn præpoſitum ſancti Gereonis Colonienſis petierunt in Epiſcopum promoveri; Cives autem Trajectenſes & Daventrienſes cum agricolonis exoraverunt (a) Fredericum de Hamel in Pontificem exaltari, ſed violenta pars Nobilium partem ſuppreſſit civium, & Theodoricus Hollandię Comes rebellanti manu Heremannum duxit in poſſeſſionem Epiſcopii, ſubjiciens ipſi poteſtatem omnis adverſantis populi. Demum tranſacto biennio Cardinalis quidam à latere Papę delegatus citavit utroſque electos Leodium: ubi prędfatus Heremannus per eundem Cardinalem & Regem Conradum adeptus fuit Pontificium.

Heremannus confirmatur à Cardinale & Rege.

Hic Heremannus fuit homo levis (b) animi, in cujus pręſentiâ ſępe contigebat ſtrages homicidii, nam & Burgenſes non potuit ab inteſtinis bellis prohibere, & miniſteriales nequivit à conſuetâ rebellione refrenare.

Oſtenta cœli.

Anno M C LII. XI. Kalendas Aprilis circulus magnus latè plenam lunam ambiens, coruſcus ut arcus pluvialis apparuit circa mediam noctem, ac a lunâ quatuor radii ſplendoris ejuſdem in modum crucis extendebantur ad circulum; Stellę nihilominus tam in circulis, quàm in radiis illuxerunt. Terręmotus ingens ad XV. annos fuit, qui Tripolim, Damaſcum, & Antiochiam omninò deſtruxit. Porrò civitas Cathanenſis penitus eſt everſa, in quâ multitudo maxima promiſcui ſexus hominum ad XX. millia ſuffocata eſt.

1155. Freſones de Drechten Hollandiam vaſtant.

Anno Domini M C LV. Freſones de (c) Drechten finitimos Hollandię pagos cum rapinis crudeliter invaſerunt, villam de Zanden exurentes, & abinde prędam diverſę ſupellectilis aſportantes, milites autem de Harlem acerrimi bellatores cum villanis de (d) Opdorp illis viriliter occurſarunt, & occiſis nongentis Friſionibus, ad Harlemenſe pręſidium honeſtiſſimè redierunt.

1156. Epiſcopus Heremannus moritur.

Anno Domini M C LVI. Pręſul Heremannus obivit in Domino, poſtquam VI. annis Trajectenſi pręfuiſſet Epiſcopio: qui VI. Kalendas Aprilis defunctus eſt, & in eccleſiâ Trajectenſi ſimiliter inhumatus eſt.

Notandum, quod hactenus libera electio penes Clerum & populum ſtetit, approbatio apud Principem: ſed poſtquam ſub Hardberto Conradus 3. Rom Rex juri ſuo renuntiaſſet & Eugenio Papa Ro. conſentiente electionem Clero privativè conceſſiſſet; ambitioni ſtatim locus patefactus fuit, vicinis principibus & majoribus Vaſallis certatim ſuos obtrudentibus. Hinc magnæ ſæpè exortæ diſſidiæ, adeo ut rarus abſque certamine Antiſtes Martini (ut vocant) ſedem aſcenderit, videatur Douza. Ann. metr. lib. 8.

a *Fredericum de Hamel,*] Heda Havell., vel ut MS. Cod. Hovel. eum nominat, ut & MS. meus Beka, Chron. Magn. B. Huevel habet; Snoyus autem Himel ſcribit.

b *Hic fuit homo levis animi,*] Lenis alii legunt;] Barlandus enim mite ipſi ingenium tribuit. Snoyus autem levem & confracti animi virum, cui conſonat Chron. Magn. Belg. Heda parum utilem ac ignavum vocat. Bockenbergius, nimia lenitate notatum dicit. Hinc Douſa in Ann.

Lentus

Lentus & ignavi capitis quoque labe notatus.

Noviomagus exitiales sub hoc factiones crevisse tradit, & Teut. vetus transl. tum primum in urbe factiones exortas refert.

c *Anno Domini M C LV. Fresones de Drechten,*) Hoc bellum Stokius quoque describit eodem anno Scriverius in notationibus ad Chron. Hol. discutit circa illud plura, quæ vide Snoyus. attingit quidem verùm admodum sobriè. Ubbo Emmius quod mirum nihil habet; perpauca Heda; Bockenbergius silentio fere præterit. Adi tamen quæ de toto hoc bello versibus decantat Dominus de Noortwijck, libro 8. Annal. Holl.

d *Villani de Opdorp.*) In hoc nomine admodum varii sunt scriptores, nam & Outdorp, Okesdorp, Exdorp scribunt, sed videatur Doctiss. Scriverius in notat. sæpe laudatis.

Godefridus Episcopus XXVIII.

POst obitum Heremanni Præsulis Fredericus Imperator Trajectum descendit, & discordem electionem Capituli sapienter intercepit: per cujus instantiam Godefridus de Renen major præpositus, XXVIII. electus est Episcopus: vir multum gloriosus & magnanimus. His diebus, scilicet anno Domini M C LXIII. nonas Augusti Theodoricus Comes in pace quievit, qui Comitatum Hollandię (a) XXXVII. annis valde strenuè gubernavit. Hic Egmondæ tumulatus est infra templum Monasterii, qui paulò priùs impetraverat exemptionis privilegium. Sophia (b) verò veneranda Comitissa in orationibus, eleemosynis & jejuniis indefessa veraciter fuit sancta, per quam Deus operatus est miracula etiam in ipsius vitâ. Nam & hæc divina matrona viam peregrinationis ad Sanctum Iacobum semel arripuit, & per casum infortunii clam latrones incidit, qui eandem totâ vi nitebantur occidere, & elenodia sua violenter abstrahere. Sed hi prædones Deo judicante meritis beati Iacobi stabant immobiles nihil adversitatis sibi quo modo libet inferre valentes, ac eandem virtute divinâ munitam attingere formidantes, quo viso miraculo prædicti nequam demum gementes postulaverunt ab eâ veniam: pro quorum absolutione benedicta matrona exoravit omnipotentis Dei misericordiam. Hæc Deo dilecta fœmina jam tertiò Ierosolymis profecta est, quæ ibidem VI. Kalendas Octobris in Domino fęliciter obdormiens, ad hospitale Teutonicorum in Ierosolymâ tumulata est.

1163. Comes Theodoricus moritur.

Sophia uxor ejus D. Iacobum visitat.

Tertiâ peregrinatione Hierosolymis moritur.

Defuncto Theodorico Comite, Florentius Filius ejus X. Comes effectus, duxit in uxorem (c) Adan filiam Henrici præpotentis Regis Scotorum; de quâ genuit Theodoricum succedentem Comitem Hollandię, Wilhelmum Comitem Orientalis Frisię, Florentium Præpositum Trajectensis ecclesię, Robertum Præsidem Kenemariæ, Beatricem, Elisabeth, Adelheidin & Margaritam Comitissam Clivię.

Theodoricus tertius Comes Hollādię 10.

Ada Henrici Regis Scotiæ filia uxor Florentij.

His temporibus, scilicet anno Domini M C LXIII. Trentones (d) tumultuari ceperunt adversus Episcopum pro Prefecturâ Groningię, consociantes sibi cives Trajectenses, cum plerisque vasallis ecclesię. Asseruit enim idem Episcopus, quod Prefectura sibi liberè vacaret, pro eo, quod Lifridus Prefectus nunc defunctus filium superstitem non haberet. Nepotes tamen ejusdem Lifridi de filio suo primogenito, Prefecturam ipsam ambientes, feudales effecti sunt homines Henrici Comitis Geldrię, ut eo suffragante melius obstare possent insultibus Episcopi Trajectensis: cujus demum auxilio prædicti juvenes, ministeriales & cives Episcopum cum suis militibus circumvallatum in turri proculdubio captivassent, ni consilio Theodorici Comitis de Clivis maturius evasisset. Comes autem Geldrię civibus & ministerialibus castellanos multis incursionibus lacessivit: quos cum balistis & fundibulis quotidianis assultibus nimis acriter infestavit, adeo quod tam hyemalem, quàm ęstivalem domum exureret, & mangenas ad turris eversionem erigeret. Episcopus igitur plurimùm anxiatus, & à cunctis auxiliatoribus pene destitutus, supplici prece constanter admonuit hominii Florentium Comitem Hollandię, quatenus opportunus auxiliator sibi foret in necessitate talis angustię. Nec mora, quin & idem Comes collectis hinc inde bellatoribus plus quàm oportuit Episcopo magnificus auxiliator exstitit: Civitatem verò tam Episcopus quàm Comes exteriùs crebris infestaverunt insultibus. Quam Comes Geldrię similiter & Theodoricus de Batenburch interiùs defensaverunt cum electis equitibus. Invaluit autem hęc discordia ferè per annum, quę tandem jussu Frederici Cęsaris

1163 Trentones tumultuantur ob præfecturam Groninganā adversus Episcopum.

Præfectura Groningæ Lyffridi nepotibus addicta.

per Reinoldum Archiepiscopum Coloniensem sopita est; & Episcopus acceptis trecentis marchis, Præfecturam Groningiæ nepotibus Lifridi cum novis privilegiis recognovit. (e).

1165 Contentio inter Episcopum & Comitem ob Frisię dominationem.

Anno Domini M C LXV. contentio gravis exorta fuit inter Godefridum Trajectensem Episcopum, & Florentium Hollandię Comitem, quidam enim Imperatorum & Regum, utpote Carolus & Lotharius tradiderunt Orientalem Frisiam usque rivulum Lavicæ principibus Hollandiæ. Quidam nihilominus Regum & Imperatorum, videlicet Henricus & Conradus contulerunt eandem patriam Pontificibus Trajectensis ecclesiæ. Quapropter idem Florentius terram ipsam ex integro possidere volens, Godefridum Episcopum profugare decrevit, quem nuper ab inimicis suis potentissimè liberaverat. Episcopus itaque nunc à cunctis auxiliatoribus destitutus, imploravit opem Frederici Cæsaris quatenus ipsum eriperet de persecutione magnipotentis Comitis: Imperator autem anxiam necessitatem Godefridi Pontificis attendens, Trajectum extemplò descendens, per amicabilem compositionem inter discordes Principes redivivam amicitiam reformavit.

Fredericus Imperator pacem componit inter Episcopum & Comitem.

1166. Frisones insurgunt contra Comitem Hollandię.

Anno Domini M C LXVI. Frisones cum infinitis prœliatoribus vadum (f) Ockenvord transeuntes, devenerunt Alcmariam, ut abinde transirent ad deprædandam vicinam Kenemariam. Et ecce, commisso jam duro certamine circiter LXXX. viri pugnantes ex Almariâ crudeliter interemti sunt, qui pro transitoriâ, vitam æternam mercati sunt. Si enim pugnare pro Patria virtutis est, mori pro patria felicitatis est. Frisones a. hac adeptâ victoriâ, totum oppidum concremarunt, solam quidem ecclesiam incombustam de communi beneplacito reliquerunt, ita quod nongenti Fresones sufficienter essent ulti, qui pridem à militibus de Harlem, ut prædicitur, sunt occisi.

1168. Florentius Comes expeditionem parat in Frisiam.

Anno Domini M C LXVIII. cùm jam tota Frisia glaciatim esset pervia, Florentius Comes cum ingenti copiâ præpotentis exercitus in villam Scorle adveniens, deliberationem habuit, & rebellantem Frisiam expugnare proposuit: Inque ipsâ verò deliberationis morâ, quidam animosi milites equos ascendentes, dissuadente Comite, villam Schagen incenderunt, de quâ spolia diversę suppellectilis abundantiùs asportarunt.

Stratagema Frisiorum in ponendis insidiis.

Fresones autem latenter in insidiis positi domorum suarum parvipenderunt incendia, similiter & rerum suarum copiosa spolia, dummodo solos hostes suos occultè concluderent, & eorum reditum potenter interciperent. Cùm igitur prædicti milites deprædationibus occuparentur, ac omnes fugitivos in locis palustribus disparsim sequerentur, ecce Fresones de latibulis insidiarum ex arundinetis utrobique surrexerunt, præfatis militibus viam redeundi festinanter anticipantes; & cum eis in magnâ prærogativâ grave prœlium committentes. Demum accrescentibus Fresonum copiis, quidam milites medium hostium viriliter irrumpentes ad præsentiam Comitis cum augustiâ sunt reversi: cæteri verò rebellanti manu semetipsos ulciscentes, cruentissime sunt occisi: Videlicet, Simon de Antverpiâ juvenis incomparabilis pulchritudinis, Wilhelmus de Vortholt, Baldevinus de Harlem, Gerardus Dapifer, Florentius Roescher, Allardus de Egmondâ, Bruno de Castrichem, Gerardus Iuvenis de Monstre, ac Everardus de Noertich, quorum corpora de hinc Egmondæ delata sunt, quæ inde lamentis amarissimis consepulta sunt.

Equitû. MS.

Hollandi succumbunt.

Voorhoute Rust. vel Ruscbe.

1166. Frisij iteratò Alcmariæ pagû adorti repelluntur.

Anno verò sequenti Fresones in die sancti Hipoliti, quæ solemnis est apud eos, iteratò populosam expeditionem eduxerunt, ut pagum Almariæ iterato destruerent. E contra verò milites præparati cum inquilinis Kenemariæ, tam per terram, quàm per aquam eisdem audaciter occurrarunt, qui XXX. fortissimos Frisones cum impetu terribiliter occiderunt: quibus peremtis reliquum vulgus absque graviori damno diffugit ad Fresiam, quoniam Hollandiæ milites equorum insequentium eo tempore magnam habuerunt inopiam: Flandrienses & Sagittarii, qui Comiti pro stipendiis ministrarunt, eadem die cum suis complicibus satis tardiùs ad conflictum affuerunt. Annis tamen paucis abinde delapsis, Florentius Comes cum expeditione validâ Fresiam intrans, villam Winckel cum Nyendorp incendit, Tessaliam cum Wiringiâ subegit. Quatuor millia marcarum argenti, conditione pacis accepit, & exinde sepulchrum sanctæ Sophiæ matris suæ Ierosolymis visitavit.

Pax argento redimitur, & Comes hierosolymam proficiscitur.

1170. Inundatio vehemens.

Anno Domini M C LXX. (g) validissima ventorum intemperies in Autumno truculentiùs inhorruit, ita quod inundatio maris usque ad muros urbis Trajectensis impetuosè deflueret, & marinus piscis, qui vulgò **Bollic** dicitur, prope mœnia civitatis sagenis ut asseritur, caperetur. Anno verò sequenti nocte natalis Domini crebra fulgura micuerunt, cunctisque nimirum obstupentibus tonitrua satis horrida resonaverunt. Anno quidem insequenti frondes

Fulmen & tonitrum natali Domini.

& gra-

& gramina præ solito veris tempore germinarunt, & volatilia circa purificationem beatæ Mariæ Virginis ovis cubantia pullos in his partibus produxerunt.

Annus præcox.

Anno Domini M C LXXIII. vivificum corpus Domini de duabis ecclesiis in Trajecto videlicet Beatæ Mariæ minoris, & sancti Iacobi majoris furto sublatum fuerat, sed nec reus aliquo scrutinio reperiri poterat: Quinto dehinc Idus Maji facta est repentè gravissima plaga diluvii, quæ totam superficiem terræ vehementer operiens, domus cum arboribus violenter secum abduxit in torrente profluvii, ita quod plærique prudentes putarent novum cathaclysmum imminere, ac universum mundum aquis inundantibus secundario deperire, quod si tam diuturnum quàm impetuosum fuisset ipsum diluvium, procul dubio civitas Trajectensis non substitisset ad tempus modicum: post triduum verò misericordia Dei diminuit aquas, quæ paulatim refluentes ad alveum suum reversæ sunt, & omnes circummanentes villæ de tam diræ calamitatis periculo liberatæ sunt. Hildebrandus autem venerabilis Abbas sancti Pauli Trajectensis in ascensione Domini proximâ, sermonem ad populum faciens instanter admonuit quatenus tota civitas orationibus, elemosynis & jejuniis super negligentiam Dominici corporis, divinam indignationem placarent, alioquin in proximo civitati plaga gravior immineret: & ecce prophetia tanti Patris veritate non caruit. Nam & eodem die circa vesperam horrendum incendium accidit, quod beatæ Mariæ præfatam absumsit ecclesiam, nihilominus & partem civitatis maximam. Quamobrem Godefridus Episcopus iram Dei pertimescens convocatâ generali Synodo cunctis fidelibus suæ Diœcesis jejunium indixit, quinimo feriâ quintâ post Pentecosten nudis incedens pedibus diversa sanctorum loca cum lætaniis devotissimè visitavit. Hic insuper Episcopus pro sempiternæ suæ laudis memoriâ superædificavit beato Martino quatuor castra, videlicet Horst contra Comitatum Geldriæ, Vullenho contra Dominatum Frisiæ, Montforde adversus Comitatum Hollandiæ, & Woerden adversus rebellionem propriæ civitatis, ut ex eis imperium inimicorum ab omni parte restringeret, & diversis raptoribus facilem Episcopatus ingressum interdiceret: Qui cùm annis (h) XXII, Trajectensem dignè rexisset ecclesiam, anno Domini M C LXXVII. VI. Calendas Iunii, Creatori reddidit animam. Is Episcopus penes antecessores suos in ecclesia majori decenter inhumatus est, nam & ipso virtuosis operibus hodierno die non immeritò collaudandus est.

1173. Hostia sacra furto sublata.

Inundatio insolens.

Hildebrandus Abbas S. Pauli pœnitentiam suadet.

Incendium subitum Trajecti.

Episcopus habita Synodo supplicationes indixit

Munimēta4. contra hostes sedis Vltrajectinæ ab Episcopo condita.

1177. Episcopus moritur.

a *Qui comitatum Holland XXXVII annis,)* Heda: *Hoc tempore obiit Theodoricus Com. Holl. postquam rexisset Comitatum annis XL. secundum alios XXXVI.* Bockenbergius quoque 40. ei annos tribuit Stokius apertè anno 1157. obiisse tradit, ex quo infert Scriverius 35. annis eum Hollandiæ præfuisse, Snoyus 39. Dousa 40. item annos regiminis ejus statuunt, quos vide, sed præ aliis Scriverium in annot. ad Chronicon vulgare, hoc loco.

b *Sophia vero veneranda Comitissa,)* has narratiunculas quoque vide apud Stokium, Snoyum, Dousam; nec Gerbrandus aut Chron. vulgare omittunt, & Chron. Magn. Belg. ex hoc nostro refert eisdem penè verbis. Obiit autem anno 1176. Ierosol. vide quæ Dousa Annal. lib. 8. ad finem.

c *Duxit in uxorem Adam F. Henrici præpotentis Regis Scotorum,)* Hanc rem discutiunt. Dousa & Scriverius, & licet plerique nostri scriptores conveniant cum Beka, Barlandus Regis nomen non addit. Rerumque Scoticarum scriptores circa illa tempora nullum Henricum Scotiæ Regem agnoscunt; ex stirpe nihilominus Regiâ ortam hanc Adan post demonstrabo. Hovedenus scriptor Angl. hujus mem. his verbis: *Eodem* anno (1162.) *Malcolmus Rex Scotorum dedit sororem suam Adam Comiti de Hollant in uxorem*: ut & Ioannes Major de gestis Scotorum lib. 3. cap 11.

d *Anno 1163. Trentones tumultuari ceperunt adversus Episcopum,)* Groningensium & Trentonum rebellionem adversus Antistitem quoque describunt Chron. Magnum. Gerbrandus, Chron. vulgare, Heda, Snoyus, Dousa, Emmius lib. 7. rer. Frisicarum ad annum 1164.

e *Anno 1165. Gravis exorta fuit inter Godefridum & Florentium &c.* Nullus Hollandicarum aut rer. nostr scriptorum hæc nón attingit. Heda a. Frederici Imp. eam in rem diploma recitat, quo hanc controversiam componere visus fuit, sed exiguum posteris momentum allaturum.

f *Vadum Ockenvord,)* alii Ottenfurt & Okenword, ut Heda qui hæc in annum 1161. confert, sed melius Stokius qui cum Bekâ annum 1166. agnoscit. Hinc apparet, ut pluries dixi, eo tempore Schagen pagum & vicina loca nondum Hollandis paruisse, imò post totum seculum Frisios Occidentales, quos nunc Hollandos Septentrionales vulgò vocant, liberos vixisse ad Alcmariam usque, nam hujus loci non ita longè ab Alcmaria videtur servare memoriam den Ouerdijck / vide Ubbonem Emmium lib. 7. rer. Fris.

g *Anno 1670. Validissima ventorum intemperies,)* Hic annus & sequentes prodigiis damnosis infames fuerunt, & præter Hollandiam, Trajectum ipsum inundatione ac incendio deformatum fuit; causam referunt in violationem sacrorum, unde & supplicationes nudipedales institutæ ad avertendam Numinis iram: hæc inundatio, ut Annales innuere videntur, ex Oceano fuit, vel Rheni ostio apud

Catvicum

Catvicum tum obturato, vel mari apud Pettemios aggere supergresso. Sunt tamen qui temporibus Hungeri Episcopi Rheni ostium arenâ clausum arbitrantur. Iunius ante 400. ab ævo suo annos obturatum istud ostium in Bataviæ suæ cap. 8. putat, id est, si bene calculum ponamus, anno 1170. vel circa, Hovedenus Anglus, de hâc inundatione videtur agere cum scribit. *Anno 1177. factum est magnum diluvium in Hollant, ruptis fossatis marinis, & diluit fere omnem substantiam illius Provinciæ, & homines multos submersit 7. Idus Ianuarij* annus tamen non convenit.

h *Qui cum annis XXII. Traject. rexisset Ecclesiam.)* Sic Heda, Chronicon magnum, Barlandus, Snoyus, Bockenbergius ex Chron. vernaculo, anno 1178. Ut concorditer ferè omnes; Attamen diploma donationis castri de Horst ab ipso factæ Trajectinæ Ecclesiæ, quod in archivis extat, præfert annum regiminis ejus 23.

Baldevinus II. Episcopus XXIX.

POst obitum Godefridi, Præsul Baldevinus nominis hujus secundus ad sanctam Mariam Trajectensem, ac in Aldenzeel præpositus XXIX. introinsatus est Episcopus: vir mansuetus, & adeo castus, ut in fine vitæ suæ virgo credatur esse mortuus; cujus fratres erant Comes Hollandiæ Florentius, Theodoricus major in Trajecto Præpositus, ac Otto Comes de Benthem, sive Castellanus, per quorum auxilium prædones ab Episcopatu fugavit, & totam terram aliquantis annis gloriosè rexit. Omnes itaque Burgenses susceperunt ab eo Iura Civilia, & similiter Ministeriales bona feudalia, Solus autem (a) Dux Brabantiæ statuto tempore Veluam acceptare neglexit, quam Comes Geldriensis ab eodem Duce subinfeudatam tenebat. Quapropter Episcopus Veluam occupavit cum invictis bellatoribus, effugato Gerardo Comite, cum omnibus suis complicibus. Comes igitur Gerardus tantæ ditionis amissionem ægrè ferens, aggregavit armigerorum magnam copiam, & per 4. dies circumvalavit econtra Davantriam. Sed Fredericus Imperator illuc adveniens, omnem belli tumultum suppressit, & in oblongas treugas utrobique servari mandavit: Durantibus itaque treugis, Gerardus Comes absque liberis migravit à seculo, & Episcopus iteratò Veluam, intravit armato satellitio, qui de Comitatu Zutphaniæ plures villas incendit, & abinde rapinam multimodæ facultatis abstraxit. Theodoricus verò Comes de Clivis sororius Episcopi congregavit ingentes copias electæ militiæ, devastans ex magnâ parte Comitatum Geldriæ. Florentius autem Comes Hollandiæ, Comitatui graviora damna fecit. Nam & omnia pecora totius Veluæ potenter in Davantriam congregavit. Otto quidem de Geldria fratri succedens in Comitatum, perpendens impetum inimicorum suorum violenter invalescere, nec vires sui solius contra tot magnates posse sufficere, de potestate Pontificum Coloniensis, Monasteriensis, Ducis Brabantiæ, & Comitis de Monte circa 111. millia pro stipendiis eduxit, cum quibus octingentos equites Episcopi tribus septimanis in Davantriâ obsedit. Baldevinus autem Episcopus anxiam necessitatem suæ civitatis audiens, auxilio sui fratris Florentii, & Theodorici sui sororii prædictorum Comitum contraxit robur tam Hollandiæ, quàm Cliviæ, ut Ottonem Comitem procul pelleret ab obsidione civitatis Daventriæ. Sed ecce Fredericus Imp. iteratò partes inferiores adiens intercepit hoc prœlium, statuens inter utramque partem amicabile pacis interloquium. Videlicet ut idem Comes Otto dominationem Veluæ secundum jus ante habitum quiete possideret, quoadusque super hoc de Principum suorum consilio judicium vel arbitrium promulgaret.

Dux Brabantiæ ob negligentiam feudo cadit.

Inde bellum inter Trajectenses & Geldros.

Fredericus Imp. inducias sancit.

Otto Comes Geldriæ se opponit Episcopo.

Fredericus Imp. inducias iterum pangit bonis conditionibus.

Anno Domini M C LXXXVIII. decreto Alexandri Romani Pontificis, & edicto Frederici gloriosi Cæsaris inæstimabilis exercitus Christianæ professionis cruce signatus est apud Maguntiam ab Henrico Cardinali sive legato sedis Apostolicæ pro recuperatione sanctæ civitatis Iherusalem, quæ traditione Comitis Hugonis de Tripoli per Saladinum Soldanum Babyloniæ expugnata est, & pro restauratione benedictæ crucis, quæ per Agarenos ad Barbaras regiones (b) abducta erat, cujus innumerabilis exercitus capitanei principes erant, Fredericus Romanorum Imperator, Philippus Franciæ, & Richardus Angliæ Reges, Fredericus Sueviæ & Conradus Austriæ Duces, Florentius Hollandiæ, & Philippus Flandriæ Comites, cum aliis magnatibus multis, & proceribus infinitis. Imperator autem consilium petiit

1188. Cruce signatus exercitus Christianorũ pro recuperatione sanctæ civitatis & crucis.

Duces exercitus sacri.

petiit à quodam incluſo, qualiter Chriſtianum exercitum dirigeret, & contra fortitudinem gentium magis ſecurè contenderet. Incluſus verò prophetando reſpondit, quod idem Imperator aquis ſuffocari deberet, antequam de tranſmarinis partibus in patriam rediret. Quamobrem idem Auguſtus tranſitum mediterranei maris evitans, trans Bulgariam viam obliquans, brachium ſancti Georgii tranſcendens, iter ad ſanctam civitatem arripuit & cum antedictis principibus civitates, præſidia, munitiones & oppida potenter uſque Sur acquiſivit & de perfidis gentilium turmis multis vicibus honeſtiſſimè triumphavit. (d) Anno Domini M C X C. idem Imperator quodam æſtivo tempore feſſus ex itinere, feſtinavit in limpido torrentis alveo profluentem ſudorem abluere, & per modicùm refrigerio ſe reficere. Qui peritiâ nandi confiſus in fluctuariis undis deſcendit, quem fluminis impetus rabido curſu mox ad rupem ſubterlatentem allidit, qui ſecundum Anachoritæ vaticinium ibidem ſubmerſus, & apud Antiochiam in Baſilicâ ſancti Petri lamentis amariſſimis inhumatus eſt. Eodem (e) etiam anno non multo dilapſo tempore Florentius Comes Hollandiæ, Kalendis Auguſti menſis obiit in Antiochiâ, ſepultus ibidem apud tumbam Imperatoris in eâdem eccleſiâ. Wilhelmus autem de Hollandiâ filius ejus junior natu Frederico Duci Sueviæ ſociatus, ad annos quinque poſt obitum patris in terrâ Sanctâ permanſit, qui in diverſis bellis campeſtribus contra paganos victoriæ palmam multis vicibus acquiſivit, per cujus induſtriæ probitatem Chriſtiani dicuntur (f) obtinuiſſe Damiatam urbem Ægypti prorſus inexpugnabilem, cæſis in ea cunctis Turcis cum cæteris infidelibus Agarenis. Ada quidem Hollandiæ Comitiſſa regiæ ſtirpis electa matrona III. Idus Ianuarii inde fuit defuncta, ac in Middelburgenſi Monaſterio tumulata.

Anno Chr. 1190. Fredericus Imp. ſubmergitur. al. in fluctu maligno nudus.

Florentius Hollandiæ Comes Antiochiæ moritur.

Wilhelmi Comitis Hollandiæ de Saracenis victoria.

Ada Comitiſſa Holl. moritur.

Defuncto penes Antiochiam Florentio Comite, Theodoricus filius ejus XI. Comes effectus; duxit in uxorem Adelheidim filiam illuſtris viri Theodorici Comitis de Clivis, de quâ duas excellentis formæ ſuſcepit filias, videlicet Adelheidim & Adan. Adelheidis autem Henrico Domicello Geldriæ deſponſata fuit. Adan verò Ludovicus Comes de Loon contra voluntatem totius Hollandienſis populi ſibi conjugem deſponſavit. His temporibus, ſcilicet anno Domini M C X C V. Wilhelmus de Hollandiâ, miles ab expeditione Iheroſolymitanâ reverſus eſt ad Hollandiam, quem frater ſuus Theodoricus Comes primo gratioſè ſuſcepit ſecundum debitam honorificentiam. Denique ſuſurronum exoſa ſuggeſtio ſeminavit invidiæ zelum inter fratres, ut Wilhelmus (g) ad Drechtenſes Freſones extemplò tranſiret, & cum eis forenſes Hollandiæ villas diurnatim impugnaret. Eodem fere tempore Baldevinus Flandriæ Comes ſubintravit armatâ manu Zelandiam, ut expugnaret vicinam (h) terræ ſuæ Walachriam: Quapropter Theodoricus Comes utrobique perplexus tum contra Freſones, tum contra Flandros populoſum eduxit exercitum, quem de primatum ſuorum conſilio ſubdiviſit in bipartitum cuneum, quatenus unum verſus Flandriam ſecum aſſumeret, & alterum Alheidi Comitiſſæ pro Freſonibus expugnandis in Egmondâ dimitteret. Quibus ita geſtis idem Comes verſus Zelandiam remigans, adverſus Baldevinum Comitem grande bellum commiſit, quem potenter à Zelandiæ finibus cum victoriâ profugavit. Adelheidis autem Comitiſſa tanquam mulier imperterrita, cum vexillis fulgidis & tubis ſtridolis ab Egmondâ devenit in Alcmariam, ut juxta præceptum Domini ſui rebellantem expugnaret Freſiam. Wilhelmus verò miles egregius contra Freſingenſem eduxit exercitum, non formidans adverſus Hollandienſem decertare populum, & ecce commiſſo prœlio Freſones de Winkel & Nyendorp diffugerunt pro pactâ pecuniâ, derelinquentes ipſum Wilhelmum cum cæteris Freſonibus in mortis anguſtiâ, qui per Kinemarios in vado propulſus, & fere circumventus fuit, ſed poſt aliquantulam reluctationem cum ſuis Freſonibus abinde vix aufugit. Hoc autem infortunium Freſones non ipſi Wilhelmo, ſed proh dolor ignaviæ ſuæ imputarunt: cui de cætero ſine ſuſpicione aliquâ fideliter adhæſerunt: Igitur cùm Theodoricus Comes de Flandris victor rediſſet ad Hollandiam, Baldevinus Trajectenſis Epiſcopus, Theodoricus major Præpoſitus, & Otto Caſtellaneus fratres & patrui, tam Theodorici quam Wilhelmi devenerunt ad Kinemariam, ut aliquam pacis compoſitionem invenirent, per quam diſcordes fratres ſimiliter amicari poſſent. Quorum arbitrio denique definitum eſt, ut Theodoricus tanquam major natu quietè permaneret Comes Hollandiæ, & Wilhelmus de manu fratris ſui ſuſciperet in feudum Comitatum Orientalis Freſiæ, inſuper idem Wilhelmus ex Telonio de Geervliet CCC. libras annuatim reciperet, & de cętero fratrem ſuum inquietare non præſumeret: terminata itaque fuit fraternalis diſcordia, ac ipſe Wilhelmus benignè ſuſceptus eſt Comes

Theodoricus ſeptimus Comes Hollandiæ 11.

1195. Wilhelmus Holl. Comes junior demum revertitur.

Bellum inter fratres Hollandiæ Comites.

Bellum item inter Flandros & Hollandos ob Zelandiam.

Wilhelmus in prœlio destituitur à ſubditis pecuniâ corruptis.

Pax inter fratres per patruos componitur ſubjectis conditionibus.

Wilhelmus Comes Friſiæ Orienta-

lis castrum condit in Oosterzee.

Comes in Orientali Fresiâ;qui penes (k) Oosterzee castrum construxit, cum illis (l) de Kuynrè sæpe conflixit, è quibus plus quàm D. viros occidit, & exinde totam patriam ditioni suæ potentissimè subjugavit.

1196. Trenta Episcopo subjecta.

Anno Domini M C XCVI. cùm Baldevinus Episcopus Trentam cum Tuentâ regeret potestativè, nec quisquam eum in aliquo molestare præsumeret,(m) Otto Comes de Benthem per Florentium Castellanum Covordensem in curtilibus suis quamplurimùm exactionatus, Episcopo fratri suo continuam fecit queremoniam: Ita quod ipse Pontifex demùm contra Castellanum procederet ad excommunicationis sententiam: Indurato tandem Florentio Dominus Episcopus cum expeditis bellatoribus præsidium Covordeuse vallavit, quod cum terribilibus machinis adeo frequenter impegit, ut idem Florentius unà cum privigno suo Fulkero deditionem expeteret, ac ipsum castrum cum suis attinentiis Episcopo liberè traderet: Episcopus autem expugnatum castrum commisit cuidam militi de Hollandiâ Giselberto Postekin ad tuendum, qui totum Trentoniæ Dominium duxit prudentissimè gubernandum. Sed Episcopus ad malum omen eodem amoto milite fratrem suum Ottonem Comitem constituit esse Castellanum, insuper & Trentonicæ plebis justiciarium, qui diu desideratum Covordense Castrum in potestatem suscepit, in quo cum universâ clientelâ suâ manere decrevit: Interea Fulkerus de Coverdiâ vinculatus adhuc in Horst nobilem puellam duxit in conjugem, per cujus amicos hoc obtinuit erga Pontificem, ut idem Iuvenis patrimonii sui partem reciperet, ut tamen nunquam adversus Episcopum rebellare præsumeret. Sed irrita ventosæ rapuerunt verba procellæ. Quin idem Fulkerus prisione laxatus, agnatos & notos sibi clam adduxit, totamque Trentam adversus Comitem de Benthem citò rebellare fecit. Ita quod Groningenses primò judicem suum interficientes contra jusjurandum ipsum oppidum muro cingerent, & Trentones Episcopales reditus per Tuentam rapientes, villam Coverdiæ cum suburbio penitus exurerent. Episcopus igitur ex hujusmodi præsumptione plurimùm indignatus, cum exercitu forti per Coverdiam Trentam ingrediens, condignam ultionem suscepit ab eisdem grassatoribus, & Comes de Benthem ab alterâ parte per Steenwick Trentam introiens, debitam vindictam accepit de suis hostibus. Sed Otto Comes Geldriç, cujus occulto consilio Trentones animari dicebantur, Episcopo venit in auxilium, suggerens tandem Episcopo per amicabile pacis interloquium quatenus 4. obsides de Groningiâ, & XII. de Trentoniâ Davantriç perseveranter residerent, donec ipsi super excessibus plenariè satisfactum esset, ac omne malum litis ad bonum pacis reconciliatum foret. His itaque gestis Comes Geldriæ cum iisdem obsidibus Davantriam intrans, placitare cœpit adversus Episcopum, & Episcopus ipsos obsides extemplò vinculari jussit in ipsius offendiculum. Quâ de causâ jam dictus Comes aliquantulum confusus fuit, & abinde cum maximâ indignatione retrocessit. Interea Fulckerus de Coverdiâ perpendens Ottonem Comitem de Benthem Episcopalibus causis esse præpeditum, ac ipsum castrum minus providè præmunitum, contractis armigeris sæpe dictum castrum impetuosè cœpit, & Comitissam cum omni suppellectili captivavit. Episcopus autem amissionem castri molestè ferens, captivam Comitissam per præfatos redemit obsides, recollegitque pro novo bello recentes equites, cum quibus Trentam ex magnâ parte succendit & castrum Coverdiæ quotidianis assultibus infestavit. Cum autem hæc agerentur, Philippus Coloniensis, & Conradus Maguntinensis Archiepiscopi metuentes de conspiratione Comitis Geldriç, & Castellani Covardiç, devenerunt in Daventriam, ordinaveruntque in hunc modum inter utramque partem indurabilem amicitiam. Quatenus Rodolphus verus Castellanus Covardiam cum Trentâ secundum tenorem antiqui privilegii potestativè reciperet, ab Episcopo & eidem M. marcas pro illatis damnis in promtu persolveret: Sed Comes de Benthem abscedentibus illis reverendis Pontificibus, hoc arbitrium observare renuens, recollegit ex parte fratris sui roboratum exercitum, ut alterâ die dimicaret adversus Coverdensem populum, locatis itaque castris, quidam temerarii juvenes advesperascente jam die, balistare cœperunt adversus Trentones: quos Trentones econtrà sauciaverunt ultra modum cum clavatis missilibus, ut tandem prædicti Iuvenes dedecorosè diffugerent, & totum Episcopalem exercitum relictis papilionibus in repentinam fugam secum attraherent. Episcopus autem ut vir imperterritus, fugientem exercitum virili voce revocans parvum coadunavit cuneum, & cum ipsis Trentonibus formidolosum inivit prœlium. Sed Trentonicis incolis indesinenter accrescentibus, suisque bellatoribus paulatim declinantibus, idem illustris Pontifex demum à bello quievit, & ab ipsis locis palustribus cum

Episcopus Fratrem suũ Ottonem cõstituit Castellanum Coverdiæ & Præfectum Trentæ.

Fulckerus rebellis totam Trentam ad defectionem impellit.

Trenta miserè affligitur.

Fulckerus Covardiam capit.

Intercessione Episcoporũ pax conficitur, quam Comes de Benthem infringit.

cum cæteris fugientibus vix evasit. Ceciderunt autem in ipso conflictu xxx. pugiles, capti verò fuerunt circa centum milites, cum multis armigeris laude dignis ac scutariis approbatis: denique dictus Episcopus ad partes Iselanas deveniens, recollecto militari robore, damnum illatum in Comitem Geldriæ tanquam fautorem ferventer ulcisci decrevit: Nam & Veluam cum finitimis villis ejusdem Comitatus, acceptis spoliis omninò succendit: Contra verò Comes cum Trentonibus Homersſhē, & quasdam turres Episcopalis Cameræ destruxit, & Daventriam ad xi. dies magenis terribilibus infestavit. Sed Dux Brabantiæ, cujus negligentia principalis causa fuit, hujus litis culpam suam recognoscens, venit in auxilium Episcopo, cum quibusdam equitibus, elaborans treugas modici temporis ab utrisque partibus, quoad usque Cæsar Henricus ad inferiores partes descenderet, qui inter Episcopum & Comitem de Dominio Veluç per auream bullam finem liti imposuit. Trentones autem discedente glorioso Cæsare treugas elaboratas inficiaverunt, quoniam omnes Episcopales redditus in Trentoniâ Comiti Geldriæ pro stipendiis assignarunt. Quapropter Episcopus de Prælatorum suorum consilio secessit ad Maguntiam, ut glorioso Cæsari manifestaret hanc novam violentiam: Cum autem hic Augustus super tali forefacto valdè commotus esset, & Episcopo Baldevino tanquam suo cognato manuale juvamen erogasset, ecce Præsul illustris die dehinc quintâ, qui est xi. Calendas Maji migravit ad cœlestem patriam, postquam annis xviii. Trajectensem bellicosè rexisset ecclesiam, qui deinde Trajectum devectus est, ac ibidem in Ecclesiâ majori cum exequiis congruentibus inhumatus est.

Episcopus & Geldriæ Comes Trentones inimici, sed à Duce Brabantiæ pacantur datis induciis.

Balduinus Episcopus moritur.

a *Solus autem Dux Brabantiæ,*) Beneficium Episcopi Velua fuit, cujus professionem cum de more Brabantus neglexisset, cecidit ea in commissum, & ad directum dominum, etiam invito subfeudato Gelro; unde bellum exortum, per Fredericum Imp. compositum, & paullo post regnante Henrico VI. anno nempe 1196. resuscitatum, ut sub finem hujus cap. traditur, qui & suam authoritatem interposuit, cujus eâ de re extat diploma in archivis collegiorum, & apud Hedam hist. Traject.

b *Ad barbaras regiones abducta,*) In M. S. meo post hæc verba, plura inseruntur de Soldano Babiloniæ, ut se contra Christianos munierit, quam contemtim ad eos scripserit &c. quæ hic omittuntur, neque ad historiam nostram multum facere videntur. Vide hanc expeditionem plenius descriptam Tom. V. Antiquar. lect. Canisii, parte 2.

c *Consilium petiit à quodam incluso,*) Hunc quidam Abbam Ioachim fuisse volunt, de quo Trith, de scriptorib. Eccl., Gobelin. Martinus Polonus, Menol. Ord. Cistert. 19. Maji. Baron. Tom. 12. ad annum 1201. Is scripsit contra Magistrum sententiarum, ut patet lib. decret. Epist. 1. De summâ Trinit. c. Damnamus. In cujus tamen defensionem plura adfert Chrisostomus Hortensis ad d. Menolog.

d *Anno Domini 1180. Idem Imperator,*) Refrigerandi causâ in flumen descendisse Imperatorem cum hoc nostro tradunt, Gotofridus Monachus S. Pantaleon. Col. ad annum 1190. Cuspin. in ejus vitâ, qui cum id sudoris abluendi causâ fecisse addit; quibus accedunt Abbas Urspergensis, Chronicō Augustanū, Expeditio Asiatica Frederici, Tageno Patavinus de hac expeditione, Martin. Polon. Platina in Clem. 3. Nauclerus, Otto de S. Blasio, Paul. Langius Chron. Citizensi, Snoyus, Meyerus de reb. Flandr. Guil. Briton. libro 4. Philipp. Miræus in Annal. Belg. Pontanus rer. Danic. in Canuto, & alii infiniti scriptores. Gobelinus, equo flumen transire volentem absorptum. Melanthon verò ad Carrionem tradit labore & æstu fatigatum descendisse in flumen, quod Serram incolæ vocarunt, *ibi* (inquit) *alij ferunt eum abreptum vorticibus periisse; alij redeunti ex aquâ hepar malè affectum fuisse, atque ita intra paucos dies in Seleuciâ Syriç extinctum 4. Id. Iunii.* Flumen, ut hic, Serra vocatur à quibusdam, ab aliis Farfar. Sunt qui Saleph appellarunt; Onuphrio Salefa est, ut & Chronico Rhythm. Matheus Paris Saphet nominat; Ortelius Calycadnum Ciliciæ Flumen, cujus Ptolomeus meminit, putat. Iustinianus in Genuensi historiâ hodie Ferto dici vult; Pharphar vel Far Orontem credit Cotovicus in Itiner. terræ S. Otto de Santo Blasio Fredericum in Cydno amne (in quo Alexander Maced. Rex periclitatus quoque dicitur) periisse, refert, quod & Hier. Mercurialis alibi probavit.

e *Eodem quoque anno Florentius Comes,*) In descriptione Expeditionis Asiaticæ Frederici Imp. à Canisio edita fit mentio Comitis Hollandiæ, tacito nomine, his verbis: *Dux igitur Meraniç & magnus Comes Hollandiæ & Henricus de Berguen cum 300. electis Philippopolim mittuntur*: & paullo antè: *Comes de Hollant cum Germano suo & reliquum robur militiæ computantur.* Sed fuit cum Florentio filius Wilhelmus non autem frater, qui post patris obitum, ut Beka tradit, quinquennium ibidem mansit ap. Fredericum Ducem Sueviæ (Chron. magnum B. Saxoniæ habet), quod quomodo verum sit non video, cum ap. Ottonem de S. Blasio inveniam hunc Fredericum patri nōn diu superstitem fuisse, & Stokius anno 1191. eum defunctum dicat.

f *Per cujus industriç probitatem Christiani dicuntur obtinuisse Damiatam,*) Anno quidem 1189. Classem Danorum & Fresonēm advenisse in Syriam tradit Mathias Westmonast. cujus adventu territus Saladinus Accon urbem, quam obsederat, reliquit. Meminit & classis in Syriam profecti in quâ & Hollan-

Hollandi ac Frisii Meyerus ad annum 1188. Et Haerlemenses sibi affectant gloriam superati à Christianis Pelusii, Damiatam vocant, ejusque inditia plura etiam hodie ostentaut; de quibus vide Trophæum Pelusiacum Theod. Screvelii, & plenissimam ejus rei descriptionem ap. Samuel. Amzingium patriæ antiquitatis diligentissimum investigatorem, in suo Haerlemo; sed utrumque deceperunt annales vulgares nam hæc post aliquot annos contigerunt, anno nempe 1219. quo tempore an Wilhelmus in Syria fuerit, multum dubito.

g *Vt Wilhelmus ad Drechterenses Fresones extemplo transiret,*) Ubbo Emmius ad Frisios Hollandiæ finitimos Wilhelmum è vinculis fratris elapsum se contulisse refert, quem vide libro 7. Rer. Fris. circa finem. Stokius in Rhythm.

Ende hi vloe tot sijn behout,
Toten Vriesen van Drechterlant.

Hos circa Enckhusan habitasse etiam Pontanus in notis ad Haemrodium tradit.

h *Vt expugnaret vicinam terræ suæ Walachriam,*) Magnam Zeelandiæ partem olim Flandriæ annexam & continuam fuisse priusquam maris violentia ab eâdem avelleretur, auctores plures docent. Hinc & diu ea Iuris Flandrici fuit, nam cum anno C. 980. Otto 111. Imp. fossam ibidem fieri fecisset, quæ Othoniana à posteris dicta fuit, eamque contra maris impetum cataractis aliisque machinis ejusmodi firmasset, eaq; 300. amplius annis ejus vim sustinuisset, anno demùm 1377. testè Meyero, magnâ clade à fluctibus Oceani illatâ, à continenti avulsa est. Meyerus verò de Walachriâ sic scribit ad annum 1007. ubi de Henrico 2. Imp. bellum cum Balduino gerente, ac demum reconciliato, egit: *Tantamque ab eo iniit gratiam, ut & Walachras cum aliis Zelandiæ insulis dono ab eo accipere mereretur: quæ quidem res origo fuit longissimæ inter Flandros atque Hollandos discordiæ ac belli 400. prope per intervalla tenuis annos, contendentibus usque Hollandis Zeelandiam jure optimo esse suam donatione quadam ab Luduvico Cæs. Lud. Pii filio profecta.* Hujus quoque donationis ab Imp. Balduino de Walachris factæ meminit Sigisb. & ex eo, & Baldrico Miræus in Annal. Belg. ad annum 1006.

i *Quorum arbitrio demum definitum est,*] Ut nempe Wilhelmus de manu fratris susciperet in feudum Comitatum Orientalis Frisiæ. Emmius hæc eadem fere tradit lib. 7. hist. sed hoc Ephinemate narrationem claudit. *Atque ita quidem tum inter fratres transactum. Quo vero jure illis hoc de Frisia licuerit, nulli annales exponunt.* vide quæ sequuntur non multum à libri fine, & adde Stokii Rhythmicum Chronicon, Snoyum, item qui hasce conditiones suo more Latius interpretatur; Barlandum &c.

k *Penes Oosterzee castrum construxit,*) Extat hodie non procul à littore maris Australis sive interni habetque vicinum castrum Kuneram intra Blocziel & Sloten. Domini vero Kunerani Comitis olim titulo gaudebant, & jus cudendi monetam habebant; quorum posteri insulas Urkiam & Emeloweertium ejus dominii partes Soudenbalchiis reliquerunt, verùm jam maris sævitiâ eæ ferè obrutæ exigui sunt momenti, castris, templis, villisque integris fluctubus obrutis.

l *Cum illis de Kuinre sæpe conflixit,*] Balduino Episcopo cum Kuneranis bellum fuisse, tradit Emmius, non Wilhelmo, qui bellum cum Henrico Grue vel Crane gerebat, itidem vicino, verba Ubbonis sunt: *Cunera quæ ad sinum Austrinum extrema in Frisiæ agro est, opposita Vltrajectinis, suis Comitibus eo seculo parebat; iis tum bellum cum Balduino fuit, quanquam non summis viribus gestum: nec enim sustinere Cunerani potuissent. Cujus is finis tandem extitit, ut Cunerani prælio majore victi cum suorum 500. amisissent, redemptâ Episcopi gratiâ, iis conditionibus quæ ferebantur conquiescerent.* Stokius, de bello Wilhelmi cum Henrico de Crane gesto mentionem facit, nihil de Cunerano. Chronicon tamen magnum B. Snoyus, aliique huic nostro consentiunt; nec est quomodo conciliem nisi dicamus Wilhelmum patruo suo Balduino auxiliarem manum attulisse ad hoc bellum, cum & ipse Cunerensibus esset proximus.

m *Anno Domini 1196. Otto Comes de Benthem per Florent. Castel. Covordensem,*] Hoc bellum succinctè enarrat Emmius ad finem libri 7. item Heda, Chron. Magn. Belg.: Gerbr. Chron. vulgare Snoyus ad finem Florentii Comitis.

n *xi. Kalend. Maji migravit ad Celestem patr.*] Alii 11. Novembris ut annotavit Heda: Bockenb. 8. Kal. Maji anni 1196. quem annum præfert. Godefrid. Monach. Pantaliònis, & alii plerique. Ubbo autem annum 1197. habet, cum annis 18. præfuisset Ecclesiæ Traject.

Arnoldus primus Episcopus XXX.

Theodoricus primus Episcop. XXXI.

POstquam sepultus esset Baldevinus Episcopus, Theodoricus Hollandiæ, ac Otto Geldriæ Comites armipotenter in Trajecto venientes seminaverunt exosum invidiæ malum in electione novi pastoris, ita quod admodum disturbarent vasallos & Canonicos ecclesiæ

ecclesię Trajectensis, quidam enim capitularium elegerunt Theodoricum de Hollandiá fratrem Baldevini Præsulis jam defuncti, majorem Præpositum: cui fideliter adhæsit Theodoricus Hollandię Comes, & tota terra Trajectensis. Cæteri verò Canonicorum elegerunt Arnoldum de Isenburch Præpositum Daventriensem, cujus partem assumpsit Otto Geldriæ Comes, & tota terra Transisulensis: Henricus autem Imperator Theodorico (a) cognato suo per annulum & Pastoralem baculum investituram Episcopatus dedit, quinimo temporalem jurisdictionem Theodorico Comiti Hollandiæ gubernandam commisit, donec in Romanâ curiâ definitum foret, quis eorum, dictante sententiâ justitiæ, Pontificium obtineret.

Itaque Theodoricus Comes propugnator sive tutor existens Episcopatus, ac in castro quod dicitur Horst cum totâ suâ curia manere disponens Episcopales redditus ex Imperiali præcepto curiosè recollegit, sed obstante consilio Comitis Geldrię, de partibus Transiselanis nihil omninò recepit. Quapropter idem Theodoricus Comes coadjunctis sibi robustis bellatoribus, tam ex Hollandiâ, quàm ex Zelandiâ, cum cornibus horrisonis & vexillis fulgidis universum pagum Veluę potenter incendit, magnamque prædam multimodę facultatis secum gloriosus asportavit, nec mora quin & Geldrię Comes contractis pugilum immensis copiis cum tubis stridentibus & signis coruscantibus Hollandię Comitem usque montem (b) Haymonis festinanter insecutus est: quatenus raptam prædam potenter excuteret, & pro illatâ sibi contumeliâ crudele bellum ageret: & ecce concurrentibus invicem utrisque partibus cruentum bellum inhorruit, in quo stridor balistarum, tinnitus gladiorum, fragor hastarum, & hinnitus equorum terribiliter invaluit, demùm post utriusque partis horrendum excidium, Otto Comes Geldriæ suis paulatim diffugientibus trans Nodam in equo cursatili retrocessit, & Hollandię Comes fugitivos hostes cursu celeri subsecutus, copiosum numerum plebis & militiæ captitavit. His ita gestis Wilhelmus Orientalis Frisię Comes hac auditâ victoriâ, gavisus venit ad Hollandiam, deinde secessit ad Horst, ut fratris sui visitaret præsentiam. Quem Theodoricus Comes jussit extemplò per Henricum Grus apprehendi, ac in prisone carceris districtissimè catenari. Modico tamen dehinc elapso tempore jam dictus Wilhelmus Comes disruptis claustris à captivitate clam exiens spe protectionis devenit ad Ottonem Comitem Geldriæ, à quo per dies aliquot detentus fuit in contubernio magnę lætitiæ. Noverat enim idem Otto Comes eundem Wilhelmum Comitem in terrâ Sanctâ virum strenuum & illustrem; quapropter dedit eidem Adelheidim suam filiam in uxorem: ex quâ genuit Florentium Hollandiæ Comitem, Ottonem Trajectensem Pontificem, Wilhelmum Pręsidem, Adan Abbatissam (c) Reinsburgensem, & Richardim devotissimam monialem. Nuptiis verò magnificè celebratis in Stauriâ, sæpedictus Wilhelmus gloriosè receptus est in Orientali Frisiâ. Eodem anno Theodoricus Hollandiæ, ac Otto Geldriæ Comites ab omni controversię discordiâ reconciliati sunt in hunc modum, ut Henricus filius Ottonis Comitis Geldriæ duceret in uxorem Adelheidim filiam Theodorici Comitis Hollandiæ, sed ambo post modicum tempus defuncti sunt, ac in (d) Reinsburgensi Monasterio luctuosis funeralibus inhumati.

Anno Domini M.CXCVIII. Theodoricus & Arnoldus electi Trajectenses Episcopi per definitivam Innocentii Papę (e) sententiam finem litis habuerunt. Arnoldus etenim primò Pontificium obtinens, xxx. Episcopus consecratus est, qui post tempus exiguum VIII. Idus Aprilis in urbe Romanâ mortuus & sepultus est. Deinde dictus Apostolicus Theodoricum XXXI. consecravit Episcopum, monens ut continuò rediret ad commissum sibi populum. Hic igitur Theodoricus Trajectum venire disponens, Papiæ defunctus est; qui ibidem Catholicis exequiis honorificè tumulatus (f).

MS. Coadunatis.

Ob gubernationem Episcopatus inter Comites Holland. & Geldriæ bellum.

Wilhelmus Comes Frisię à fratre capitur.

Bella Principum exeunt in nuptias.

Arnoldus & Theodoricus Episcopi vicissim consecrati in Italia moriuntur.

a *Imp. Theodorico cognato suo per annulum & pastor. baculum,*) Hic mos, tanto-opere à Rom. pont. impugnatus, hoc tempore videtur adhuc aliquo modo in usu fuisse, de quo supra plura: Sed hic non absolutè eo jure usus est Imp. at ad illud tempus solummodò quo pontifex sententiâ suâ dissidentium causam absolveret: videturque is, ne Imperatori hâc in parte concederet, Theodorici adversarium confirmare maluisse.

b *Otto Com. Gelr. apud Haymonis montem,*) Cum Theodorico is pugnam iniit hoc loco, ut non tantùm Chronicon vulgare sed & Heda, Chron. Magnum B., Stokius, Bockenb. expressis verbis declarant, unde miror editorem Chronici Bekani hic pro Noda (locus est vulgo de grebbe, dictus non multum

multum à supra d. monte distans) substituisse Mosam, nimiâ distantiâ ab hoc loco Rhenis oppidulo vicino, separatam.

c *Anno 1198. per Innocentii Papæ sententiam,)* hic annus fuit Innoc. hoc nomine 3. primus, qui paullo antè nempe 6. Id. Januar. ad sedem Rom. fuerat electus & 8. Kal. Martii, teste Onuphrio consecratus.

d *Papiæ defunctus est & sepultus,)* Malè Bockenb. Paduæ 1. Patavii ex Chronico vulg. & nescio quo alio: plerique scriptores ut & Chronicon magnum Belg. cum Becano Papiæ vel Ticini eum mortuum & sepultum tradunt. Noviomagus solus Venetiis sepulturæ eum traditum scribit. Stokius Arnoldum mortuum fuisse ante litis finem apertè innuit, & perinde Theodoricum competitorem sine æmulo tum Episcopatum à Papa obtinuisse.

Theodoricus secundus Episc. XXXII.

POst obitum duorum Pontificum prædictorum, Theodoricus de Are Præpositus Trajecti superioris XXXII. electus est Episcopus, vir illustris & prudens consiliarius. Hic à Siciliâ de negotiis Imperialibus ab Ecclesiâ vocatus, Trajectum festinanter advenit, totumque Pontificium expensis innumeris gravatum invenit. Quapropter & ipse de prælatorum suorum consilio primò secessit ad Orientalem Frisiam, ut tam de precariâ quàm de Iustitiâ Frisonicæ plebis aliquantulam posset aggregare pecuniam. Sed VVilhelmus de Hollandiâ existens illis diebus ibidem Comes, exactionem suæ gentis indignè ferens ipsum Episcopum in Monasterio Stauriæ post missarum celebrationem (a) armatâ manu cepit, quem etiam captivum ad præsidium suum penes Oosterzee festinanter abducere decrevit. Quidam autem Monachorum & Frisonum viri timorati, metuentes per temeritatem Comitis æternæ maledictionis innodari sententiâ. Dominum Episcopum à captivitate Comitis violenter eruerunt, cum quo Trajectum repentino navigio remigarunt. Quibus ita gestis, Theodoricus (b) Hollandiæ, & Otto Geldriæ Comites inierunt adversus eundem Episcopum validam conspirationem pro eo, quod idem Pontifex contra Wilhelmum Orientalis Frisiæ Comitem pridem movisset hostilem contentionem. Nam & Comes Hollandię fuit ejusdem VVilhelmi frater, & Comes Geldrię socer.

Wilhelmus Comes Frisię Episcopum Stauriæ capit.

Conspirant in Episcopum Hollandiæ & Geldriæ Comites.

Otto quidem Comes Geldrię totam terram Transiselanam propulsis officialibus Episcopi ditioni suæ subjiciens, Daventriam suo satellitio communivit. Theodoricus autem Comes Hollandiæ totam Cisiselaniam depopulans fixis papilionibus Trajectum in gyrum vallavit. Sed ecce præfatus Otto Comes Geldriensis eodem tempore dolosè captus est à Duce Brabantiæ sub conductu Regis Ottonis, & Adulphi Archiepiscopi Coloniensis. Quamobrem Theodoricus Hollandię Comes volens Ottonem Geldriæ suum complicem eruere de prisione Ducis, dissolvit obsidionem ab urbe Trajectensi, ac oppidum Ducis, quod dicitur Buscum circum obsedit in manu forti, quod tandem die VII. mensis Septembris armipotenter intravit, Wilhelmum fratrem Ducis, ac Henricum de Kuyc complurimosque milites cepit, & cum prædâ multimodæ suppellectilis ad Hollandiam navigare decrevit. Dux verò Brabantiæ præcellentes Principes interim ad auxilium suum invocaverat, utpote Coloniensem Archiepiscopum, Leodiensem Episcopum, Ducem Lymburgiæ, & Comitem Flandrię, quorum auxilio, Theodorico Comiti redeundi viam festinanter anticipaverat, Theodoricus igitur Comes ex magnanimitate suâ cum tubis stridentibus, & vexillis rutilantibus in castro sive oppido quod Hoesden dicitur, eisdem principibus occursare præsumpsit, sed devictis extemplò Hollandis, idem Comes ibidem captus est.

Comes Geldriæ capitur à Duce Brabantiæ.

Alea belli anceps.

(c) Interea Theodoricus Episcopus attendens tam Hollandiam, quàm Geldriam absque defensore desolatam, coadunavit blandimentis & donis electam militiam; cum quâ festinanter ingressus est Hollandiam, ubi prædam copiosam extemplò contraxit; quam instante noctis umbrâ secum intra muros urbis potenter abduxit. Hollandienses autem milites cùm vulgo pro rapinâ reducendâ perniciter insecuti, quosdam equites in itinere retardatos prendiderunt, ac in reversione plures villas Episcopatus favillâ tenus inflammarunt. Crastinâ dehinc exortâ luce cum aurorę jubar graminosam terræ superficiem stillicidio roris aspergeret, idem Episcopus de procerum suorum Consilio pagum Veluæ cum expeditâ militia potenter exussit, Zutphaniam obsidione cingens cepit, & exinde Daventriam intrans, à fautoribus capti Comitis gazam maximam acquisivit. Eodem

Episcopus utrique Comiti damna infert.

Eodem anno Theodoricus Comes Hollandiæ liberè laxatus est à captivitate Ducis Brabantiæ. Nam idem Comes prefato Duci duo millia marcarum argenti pro illato damno persolvit, cum quibus ipse Dux suum oppidum reparavit. Eodem verò tempore Theodoricus Trajectensis Episcopus, & Theodoricus Hollandiæ Comes consimiliter ad unionem pacis sunt perducti, qui deinde cunctis diebus vitæ suæ semper amici fidelissimi fuerunt.

Pax inter Comitem & Episcopum.

(d) Anno Domini M CC III. Theodoricus Comes apud Dordracum infirmitate laborans, circiter agonem suæ mortis, quamplurimùm conqueri cœpit propter absentiam Wilhelmi Comitis Oest-Frisie sui fratris, præsertim quod de provisione Comitatus cum ipso nihil ante mortem egisset: aut certè quod unicam filiam suam Adan nomine, puellam præclaram & nubilem tutele sue minimè commendasset. Adelheidis quidem Comitissa contra perperam intendens, proposuit ipsam puellam Comiti Ludovico de Loon despondere, & sic cum extraneo principe Comitatum Hollandiæ pro suo bene placito gubernare. Theodoricus verò Comes interim pridie Nonarum Novembris requievit in pace, Creatori reddens animam, postquam annis (e) XIII. bellicosè rexisset Hollandiam. Cujus obitu jam cognito, Ludovicus de Loon ab Althenâ Dordracum festinanter advenit, & secundum Adelheidis Comitissæ ordinationem, Adan puellam de Regali stirpe progenitam, in festino gaudio sponsam accepit. Et erat miserabile spectaculum intueri, tam citò magnifici Comitis disparuisse reverentiam, ut Adelheidis Comitissa sepositis funeralibus exequiis (proh pudor) sponsalem auderet celebrare lætitiam. Sed quid plura? Comitis exanime corpus Egmondam devectum est, quod ibidem apud anterioresComites in capellâ sancti prothomartyris Stephani honorificè tumulatum est.

Theodoricus Comes Hollandie moritur.

Nuptie miscentur exequiis.

Interea Wilhelmus Orientalis Frisie Comes percepta fratris sui morte, dolenter venit ad portum Zipæ, conductum ulterius impetrare nequiens, ut ad tumulum fratris sui securus accederet, & expletis exequiis ad Frisiam sine deliberatione discederet. Cui plerique Nobiles Hollandie compassi sunt, eique firmissimâ conspiratione fœderati sunt, utpote Florentius frater suus Trajectensis Præpositus major, Otto Comes de Benthem ipsius patruus, Iacobus Leydensis Castellanius, Philippus de Wassenaer, Simon de Harlem, Wilhelmus de Teylinghen, Iohannes de Rijswijck, Valterus de Egmundâ, & Albertus Baniart milites, demandantes ipsi Wilhelmo Comiti, quod sub pactâ fide securus ad eos transiret, & principatum hereditatis suæ potenter occuparet presertim cùm à primatibus Hollandiæ decretum esset, quod à mobili muliere nollent regi: nec extraneum Principem super eos aliquatenus dominari. Wilhelmus itaque Comes hac clandestinâ legatione vocatus, ducatu Philippi de Wassenaer ad portum de Zyrckzee (f) latenter devectus est, ubi mox à Zelandensi populo gratanter in Comitem exaltatus est: Walterus verò de Egmundâ, & Albertus Banjart (g) cum Kenemaris insultum fecerunt, interim in Harlem adversus Ludovicum Comitem de Loon, & Adelheidin Hollandie viduam, ita quod ambo circa noctis caliginem una cum Giselberto de Aemstel properè diffugerent, & ad civitatem Trajectensem pro subsidio tenderent, Ada verò juvencula materno destituta solatio, cum (h) Rogero de Merhem & Ottone de Bueren militibus, cunctisque balistariis Ludovici Comitis ad presidium Leidis anxiè confugit, & ibidem impetum* adversariorum suorum *observare decrevit: sed indomita gens Kinemarie ducatu Walteri de Egmundâ quantocius illuc affuit. Nihilominus & plebs Rijnlandie conductu Philippi de Wassenaer ibi non defuit, qui fortiter ipsum presidium illuc assilientes cum sagittis & fundibulis impegerunt turres & mœnia cum diversis mangenis, quoadusque præfati milites urgente penuriâ victualium in deditionem transirent, ipsumque presidium Kinemaris liberè resignarent. Wilhelmus igitur Comes omnem rem gestam festinanter intelligens, devenit ad Hollandiam & neptem suam Adan cum pedissequis custodiendam transmisit ad Texaliam, qui totum exinde Comitatum ditioni suæ subegit, & de prædiis suorum infidelium prout voluit, ordinavit.

Conspiratio Nobilium contra Adam Comitissam.

Ludovicus Comes de Loon unà cum socris Harlemo pulsus fugit Trajectum.

** Obstare M.S.*

Ada captiva mittitur in Texaliam.

Ludovicus itaque de LoonComes totus ad vindictam è contrario consurrexit, qui Episcopũ Leodiensem, Ducem Limburgẽsem, & Comitem Flandriensem pro stipendiis subarravit, specialem tamen confidentiam habens in potestate Theodor. Episc. Traject., quem pro summâ duorum millium talentorum conquisivit in juvamen jam instantis prælii, promittens quod de manu suâ Comitatum Hollandie reciperet in feudum: super quibus fratrem suum eidem Episcopo dedit obsidem. Wilhelmus autem Comes Oost-Frisiæ his agnitis VValterum

Subsidia Ludovici Comitis à Loon. Expetiit.

terum de Egmundâ, & Albertum Baniart Kinemariis Philippum autem de Waſſenaer, & VVilhelmum de Teylingen Rijnlandis præficiens, ad Zelandiam ſeceſſit, ubi cunctos incolas in ipſius adjutorium invitavit. Nec mora, quin Philippus & VVilhelmus antedicti milites duas fortes munitiones cum (l) propugnaculis extruxerunt, quarum unam Florentio Trajectenſi Præpoſito ſitam in Buſch, reliquam autem Ottoni Comiti de Benthem ſitam in Zuadenburchdam ad tuendam fideliſſimè commendarunt. VValterus quidem & Albertus præfati milites Kinemaris induxerunt claſſem aſſumere, aggerem interrumpere, & prata totius Amſtelandię ſubmergere. Qui continuò totam ditionem Giſelberti de Aemſtel, tam aquis, quàm incendiis uſque ad fines * Broeckenlandiæ everterunt, & exinde cum ingenti præda multimodę facultatis Kinemariam remigarunt. Epiſcopus verò Theodoricus hanc ulciſci volens injuriam, die XXIIII. menſis Iunii prope Midracum perſonaliter intravit Hollandiam, ubi Comitem de Benthem fugavit à præſidio, & exinde plures villas hoſtili conflagravit incendio. His itaque proſperè ſuccedentibus, idem Pontifex levem equum ſolus aſcendit, pedeſtrem exercitum trans paludes ſequi juſſit, & à pleriſque villis ſingulatim obſides accepit, donec ad munitionem quam Florentius Præpoſitus tuebatur glorioſè deveniret, & eandem cum expeditis bellatoribus expugnaret: Epiſcopus igitur hanc munitionem leviter obtinuit abſque gravi diſpendio, quoniam milites de terrâ Trajectenſi deſerentes Prępoſitum fugerunt ex eodem pręſidio, aſſerentes ſe nequaquam Epiſcopo velle reſiſtere, nec adverſus eorum verum Dominum rebellionem committere. Itaque Florentius Prępoſitus non habens ultra reſiſtendi copiam illic apprehenſus eſt, qui in Horſt ſub diligenti cuſtodiâ reſervatus eſt. Alterâ verò die cum ſolare jubar diaphanum illuſtraret hemiſpherium, idem Epiſcopus comitante militiâ Leydis venit, ibi Ludovicus Comes ſubjugata Zuyt-Hollandia Epiſcopo ſe potenter conjunxit, plurimi quoque Nobiles Hollandię principales ibidem Ludovico gratulanter occurſarunt, cum quo fœdus inſeperabilis amicitię percuſſerunt, utpote Iohannes Perſin, Iohannes, Iſebrandus & Gherardus de Harlem, Arnoldus & Henricus de Ryſwijck, & VValterus de Ruven milites, quorum ſecuro conductu Epiſcopus & Comes nemine rebellante venerunt in Harlem, villas ſibi ſingulas ſupprimentes, & de jucunda proſperitate non immeritò glorian- tes. Econtra verò Kenemari cunctis belli neceſſariis abunde præmuniti feſtinaverunt antedictis Principibus certatìm occurrere, & cum eiſdem in campi planicie grave bellum committere. Sed (m) prænarrati milites tumultum tam effrenatæ plebis agnoſcentes, hunc belli ſtrepitum prudenter interceperunt, ac inter utramque partem hoc arbitrium promulgarunt, quatenus Kinemarii pro foresfacto, quod dudum in Amſterlandiâ temerariè commiſerant, tam Epiſcopo, quàm Comiti, ſummam quingentorum talentorum perſolverent, & exinde reſumptâ claſſe, cum pace diſcederent. Quibus ita geſtis, Epiſcopus & Comes nihil infortunii de cæterò formidantes, villam S. Agathæ, (quæ nunc dicitur Beverſwijck) cum poſſeſſionibus Alberti Baniart militis omninò ſuccenderunt, & extunc limina beati Adelberti Confeſſoris in Egmondâ peregrè viſitantes totam Hollandiam bipartitam, & in ſe diviſam, non obſtante quovis adverſario, ſubjugarunt. Ludovicus itaque Comes cernens quod nullam rebellionem jam haberet, exoravit inſtanter Epiſcopum, ut ad propria remearet. Cùm autem hæc agerentur apud Hollandiam, Comes Namurcenſis ex parte Comitis Flandriæ cepit expugnare Walachriam. (n) Hugo quidem de Voern acceptis obſidibus, reliquas inſulas Ludovico ſubegit, & Wilhelmum Comitem à Zelandiâ profugavit. Wilhelmus itaque Comes nullibi tutus cum nave piſcatoria retibus obtectus à ſuis perſecutoribus eventu mirabili elapſus eſt. Sed cùm Hugo de Voerne ex parte Ludovici Comitis totius Zelandiæ Præfectus exiſteret, modumque ſuæ poteſtatis arroganter excederet, Zelandiæ populus denuò conſpiratoriè fœderatus, Hugonem probroſè depulit, & Wilhelmum filium Hollandiæ Comitis undique requiſitum iteratò Comitem ſtatuit. Nec mora quin & idem Wilhelmus Comes per occultas literas Waltero de Egmonda, Alberto Baniart, VVilhelmo de Teylingen, & Philippo de VVaſſenaer omnem rem geſtans ſeriatim expoſuit, quinimo quantum potuit humillimè petiit, quatenus die determinatâ cum armatorum copiâ Leydis advenirent, nec in abſentiâ ſuâ contra Ludovicum Comitem prælium aliquatenus inchoarent.

Munitiones extructæ à parte Wilhelmi Comitis Hollandiæ.

**MS. Broiclede.*

Epiſcopus Trajectenſis Hollandiam invadit.

M. S. Laborioſè.

Munitionē cum præſidio capit.

Kennemarij Epiſcopo reſiſtunt, ſed per compoſitionem diſcedunt.

Ludovicus Comes & Epiſcopus victores Hollandiam tenent.

Voerne.

Wilhelmus Comes Hollandiæ pellitur Zelādiâ, ſed clam revocatur.

Ludovi-

Ludovicus igitur intelligens Zelandinos sibi rebellasse, & Kenemarios cum armis occurrisse, direxit exercitum suum in Leidis, ut primò Kinemariis armipotenter occurreret, & deinde contra Zelandos grave bellum committeret, Kennemarii verò festinaverunt econtra prędictum exire pręsidium cursitantes inordinatè nimis ad prælium, quapropter à viris belligeris absque morâ disturbati sunt, ex quibus & multi crudeliter interemti sunt, cęteri verò classem introire nequientes, scanderunt pontis propugnaculū, ut ibidē ad novū bellum recenter aggregarent exercitum: sed ecce pons idem mole tot armigerorum confractus corruit, & maxima multitudo Kinemariorum in torrente Rheni fluminis suffocata periit. Philippus autem de Wassenaer cum Waltero de Egmondâ, & Albetto Baniaert trans paludes celeri fugâ dilapsus est. Sed Wilhelmus de Teylingen hostibus aliquantulum obstans ibidem captus est. Ludovicus itaque Comes hac adeptâ victoriâ, statim ad nemorosa loca versus Voerschoten gloriosè reversus est, & ibidem in pratis virentibus sua castra metatus est. *Kenemarij temerè pugnantes cladem accipiunt.*

Interea Wilhelmus Comes cum expeditione validâ de Zelandiâ adveniens, tabernacula fixit in Tol, * deinde in Ryswijck prope Hagis, deinde circa noctem castra metatus fuit apud Schakenburch, ut alterâ die contra Ludovicum Comitem indilatè confligeret, & eundem ab hereditate paternâ procul expelleret. Ludovicus autem hanc sinistram famam audiens, transmisit ad Wilhelmum Ducem Limburgię, quatenus ipse tentaret de compositione pacis & concordię: sed idem Dux vir belli gnatus sine pacis effectu rediens, visâ nihilominus & audita referens, sua pręcepit evelli tentoria, & à facie supervenientis exercitus absquę morâ declinavit ab Hollandiâ: Ludovicus etiam Comes relictis ibidem tabernaculis festino diffugio Trajectum adiit, & captivos equites Episcopo pro stipendiis tradidit. Quidam verò militum pręcipiti cursu proruentes in lacum Zylę suffocati spiritum aquę supposuerunt: alii quoque vagantes per devia diversis incommoditatibus afflicti, lassam animam exhalarunt: cæteri quidem fugitivi loricas, thoraces, galeros & clypeos abjicientes, vel passim occisi sunt, vel catervatim appręhensi sunt. ** In M. S. non habetur.* *Ludovicus frustra tentata pace fugit.*

Wilhelmus itaque profugientem exercitum perniciter insecutus militum numerosum eudeum apprehendit: quinimo papiliones & victualia cum clenodiis diversę suppellectilis acquisivit: Itaque Ludovicus Comes de Loon nunquam reversurus ab Hollandiâ propulsus est, & Wilhelmus in paternam hæreditatem laudabiliter exaltatus est. Modico dehinc elapso tempore Wilhelmus Comes recollectâ militiâ, munitionem Folpetri & Florentii de Asperen (o) adversariorum suorum applicatis magenis destruxit, & econtra Gerardus (p) Comes de Arę, frater Theodorici Pontificis, cum Trajectensibus Dordracum favillatenus inflammavit: Denique Theodoricus Episcopus, & Wilhelmus Comes (q) per amicabiles internuncios hoc modo reconciliati sunt; ut Comes Episcopo pro illato damno M. talenta persolveret, ac Henrico Grus integrò sua restitueret, insuper & ministeriales Episcopi manentes in Comitatu, cederent in potestatem Comitis, morantes in Episcopatu, cederent in proprietatem Episcopi. Præterea Wilhelmus Comes cum (r) quingentis militibus, vestibus laneis, & nudis pedibus apud ecclesiam Trajectensem veniam expeteret, pro eo quod pridem ipsum Episcopum in Monasterio Stauriensi violentâ manu temerè ceperat. Theodoricus igitur Episcopus ex hac guerrâ plerumque locupletatus impignorata prædia redemit, castra sua victualibus adimplevit, debita Romanę curię persolvit, & exinde totum Pontificium gloriosè rexit. Wilhelmns etiam Comes post obitum Adę neptis suę, Comitatum Hollandię de manu Frederici Cæsaris in feudum accepit, quem in tranquillâ pace deinceps longo tempore gubernavit. *Wilhelmus fugato Ludovico Comitatū Hollandię obtinet, & cum Episcopo pacem facit.* *Henricus dictus est Craen, quem Gruem vocat.*

(s) His temporibus obiit *Malgotinus Rex Scotorum, avunculus Wilhelmi Comitis Hollandię, cujus regnum quidam Scotus suscepit in feudum de manu Regis Angliæ. Quapropter Wilhelmus verus hæres ejusdem regni Scotiæ confœderatus est cum Ludovico primogenito Regis Franciæ, qui continuò classem aptans mare transmisit, & civitates expugnans honorificè triumphavit. Denique Ludovicus Comes iteratò notos & amicos sollicitavit, ut absente VVilhelmo latenter Hollandiam introiret, quapropter idem VVilhelmus extemplo ratem ingressus est, & ad patriam suam cum victoriali laude reversus est, ne Comitatum paternæ hæreditatis certum & acquisitum pro regno maternæ hæreditatis incerto & acquirendo amitteret; ac hostes suos ab Hollandiæ finibus potenter expelleret. Anno Domini M CC XII. Nonis Decembris Theodoricus Episcopus apnd Daventriam ** In M. S. Henricus.* *Wilhelmus Comitatum à Frederico Cæsare in feudum accipit.* *Theodoricus Episcopus moritur.*

requievit in Domino, poſtquam annis XIII. Trajectenſi præfuiſſet Epiſcopio, qui de partibus Tranſiſelanis Trajectum advectus eſt, & in Eccleſiâ majori penes anteriores Pontifices honorificè tumulatus eſt.

Heda ſcribit poſt Theodoricum I. Godefridum ab Amſtel, alii Goſuinum habent, electum Epiſcopum: ego de Godefrido nihil invenio, de Goſuino poſt videbimus.

a *Armata manu cepit,)* Hanc rem breviter tangit Emmius ad finem libri VII. ut & Heda, Chron. Magn. Snoyus Annal. vulg. alii.

b *Theodor. Holl. & Otto Gelriæ Comites,)* Hoc bellum avertit Henricus Brabantiæ Dux, qui Ottonem Gelrum dolo cepit, & ſic in ſe Theodoricum Hollandum concitavit. De hoc bello ſic Divæus lib. X. rer. Brab. *Eodem penè tempore* (circa annum 1200.) *cum Theodorico de Are Epiſcopo Vltrajectino Theodoricum Hollandiæ & Ottonem Gelriæ Comites contendiſſe lego Anno* 1202. *Henricus noſter dux Theodorico Epiſcopo confœderatus in Gelriam movet: Occurrit Comes Otto, & congreſſuri procul dubio fuiſſent, niſi Otto Imp. & Adolphus Archiepiſcopus Coloniæ, utroque Trajectum ad Moſam vocato, pacem fieri impetraſſent: alij poſteriùs prælio decertatum, captumque Gelrum; alij ad Imperatorem iter habentem, furtivè interceptum ferunt. Conſtat ſanè captum fuiſſe. Obſidebat tum Vltrajectum Theodoricus Holland. Comes, qui fortunâ Othonis intellectâ, ſolutâ obſidione, cum omnibus viribus Brabantiam ingreditur, ubi ſubitâ invaſione Buſcoducis capto, Gulielmum, primum Parwiſii Baronem, & Henricum D. de Cuyck fratres Ducis cum ingenti prædâ abegit,* &c. Quæ ſequuntur; adde quæ Haræus hac de re in Henrico IV. 27. Brab. Principe præterea tradit & Chronicon Rhythmicum fol. 20. attingit.

c *Interea Theodoricus Epiſcopus tam Hollandiam quàm Gelriam,)* Hæc quoque Chron. magnam, Snoyus, Io. Gerbrandus.

d *Anno* D M CC III.)Sic corrigendum putavi ex meo MS. covenienter omnibus fere ſcriptoribus; etiam expreſſis verbis Chronici Stokiani.

e *Poſtquam annis* XIII.) Ita repoſui ex Rhythmico vernac. Chron. magno Belg., Snoyo, Bockenbergio.

f *Wilhelmus clandeſtinâ legatione vocatus,)* Iter Wilhelmi per Hollandiam Zierieczeam uſque ſingulatim deſcribitur in Chronico Rhythmico Æmilii Stokii.

g *Albertus Baniaert cum Kenemaris,)* Hunc Kenemariorum contra Aleydim & Adan tumultum, conſpirantibus procerum pleriſq; etiam in Rhythmico, expreſſum habemus, & Douſa verſibus lib. X. decantat. Stokius verò non Albertum ſed Allardum vocat. Chronicon vulgare Albertum Baniaert de Brero indigitat; unde ab hoc ſunt qui Brederodios deducunt, quod nullum extet publicum monumentum de hâc familiâ antiquius. Sed ſcriptores ferè omnes repugnant.

h *Cum Rogero de Merhem & Ottone de Buren,)* Stokius:

> *Mijn Heer Rogier van Mathem,*
> *Ende van Borne mijn Here Oeſt.*

Snoyus: *cum Rogero de Merchem Principe de Ooſtvoorn, & Ottone de Buren.* Ex vernaculo ſcilicet Borne & Oeſt, *Ooſtvoorn*, effecit; vulgare Chron. habet Rogier de Meeren & Otte van Vueren; Inveniuntur & Ogier de Merchem & Iuſtus de Voorn, verùm ego cum Scriverio Stokium magis probarem, ſi pro Borne Voorne legeretur; ad hoc enim tempus nullum Ottonem de Buren multo minus de Vueren invenio.

i *Ludovicus itaque de Loen C.)* Quis hic Ludovicus & cujus filius? P. Scriverius in notatis ad Chron. Holland. tradit ex Chron. Leod. & Bertelii hiſt. Luxenburgicâ, vide etiam Miræum in Cod. donpiarum ca. 92. & in Notit. Eccl. Belg. cap. 146. ubi ſtemma Loſſenſ. Comitum exhibet.

k *Promittens quod de manu ſuâ com. Holl. reciperet,)* Diploma infeudationis etiamnum legitur ap. Hedam ex tablinis publ. deſcriptum.

l *Duas fortes munitiones cum propugnaculis &c.)* Stokius in Chron.

> *Sy maecten tvvee vveren gereet*
> *Ene diemen ten Buſche heet*
> *Ende een ander biden Rine*
> *Heet Zvvadenburchdam,* nunc Swammerdam ad Rhenum

inter Woerden & Bodegraven.

m *Sed prænarrati milites &c.)* Kinemarios ad prelium paratos conſilio Adæ matris Com. Wilhelmi domum reverſos tradit Stokius; Emmius verò ſolertiâ Iſbrandi & Gerardi pugnam interceptam dicit; Douſa proceres reconciliatos Lonio, interceſſiſſe, & pacatos reddidiſſe Kinemarios ex vulgari Chron. & hoc noſtro, auctor eſt.

n *Hugo quidem de Voerne,*] Vornenses Castellani seu Burchgravii Zeelandiæ longo tempore fuêre: qui stirpis suæ originem à Seinensibus Germaniæ Comitibus ducere, nullo tamen idoneo dicuntur quod sciam, auctore. Hoc saltem posteri titulo gavisi sunt ad annum 1400. & ultra: de hoc Hugone sic Dousa lib. x.

> *Audiit hoc Hugo (Burgi Comes ille Zelandi)*
> *Et nobis aliquid imputet hostis, ait.*
> *Debeat & victor, studeant faxo omnia Tungro*
> *Nec favor hic nobis invidiosus erit.*

o *Munitionem Folberti & Florentii de Asperen.*) Hujus rei non meminit Stokius. At Heda breviter in hæc verba: *Wilhelmus brevi post fautoribus Episcopi bellum intulit, Asprenam munitionem eorum destruendo.* Snoyus & Chron. vulgaris auctor eadem fere tradunt.

p *Ex adverso Gerardus Comes de Are fr. Episcopi Dordracum &c.*) De incenso Dordrechto, agit quoque Stokius in Rhythmis, sed Snoyus ornare rem cupiens, addit quædam, ut arbitror, de suo: *Comes de Are frater ipsius Episcopi, dum Gulielmus arcem Folberti atque Florentii de Asperen hostium suorum evertere conatur, cum Vltrajectinis Dordracum, amissis prius de suis sex millibus incendit &c.* Quod postremum unde hauserit equidem ignoro, nec enim ab alio traditum vidi.

q *Comes per amicabiles internuntios.*) Conditiones hic expressæ satis duræ videntur, sed & aliæ omissæ quæ apud Hedam leguntur.

r *Cum quingentis militibus &c.*) Hinc Bockenbergius ait, *Comitem se alterum Theodosium Pontifici exhibuisse,* quasi non coactus & ex re suâ talem se exhibuerit. Snoyus hanc narrationem nescio quo Epiphonemate absolvit, *Contumeliosa sanè conditio, præsertim homini militari & victori, sed alia Guilielmo ad festinandam pacem &c.* Chronicon quoque vulgare mansuetudini Comitis hanc submissionem dare videtur; Nugæ: neque enim Principes ad talia descendunt, nisi coacti. Neque hic Wilhelmus, si omnem ipsius vitæ cursum inspicias, quicquam Theodosii habuit, qui quidem Imp. quæ ad pietatem pertinebant humillimè professus est; nihil autem de imperio eo prætextu imminutum ivit, aut majestati in re politicâ quicquam detrahi passus est.

ſ *His temporibus obiit Malgorinus,*] Forte Milcolumbus; MS. meus Beka Heynricus habet, sed is Wilhelmi avus maternus non avunculus. Anno C. 1214. obiit Wilhelmus Scotiæ Rex Wilhelmi Holl. Comitis avunculus Milcolumbi frater, relicto filio Alexandro, ut auctor est Buchananus lib. VII. Rer. Scotic. neque hic Malgorinum ullum Regem novit. Verùm quo res tota clarius pateat, ex eodem Buchanano sequentem stemmatis Scoticę partem posui, ut quivis intelligat, quàm id futile sit, quod de jure successionis ad regnum Scotiæ hic narratur.

Malcolmo Margareta peperit.	Davidem Scotiæ Regem cui ex Mahilde natus, Hic ob. 1154.	Henricus qui ante patrem obiit anno 1142. relictis ex Ada conjuge	Milcolumbo qui post obitum avi regnavit & obiit a. 1163. S.L. Guilielmo, qui fratri succeſsit. Et ex Ermgarde ei nati.	Alexander cui juncta Maria Engelberti Cociaci F. Unde ob. an. 1249. Margareta Isabella.	Alexander cui nupta Flandriæ Co. F. quæ mater ob. 1285. Iola.	Alexandri 3. qui vixit ad ann. 1286. Davidis nati anno C. 1273. Margaretę nuptæ Norwego.
Videantur Pol. Verg. hist. Angl. lib. 17. Buchen. Rer. Scot. lib. 8. Hect. Boetius Rer. Scot. Ioan. Major de gest. Scotorum.			Davide Gariochiæ Com. unde 3. filiæ, quarum posteritas regnum postea obtinuit. Ada Florent. C. Holl. uxor. cujus Io. Major mem. & Boetius Adamam vocat.			

Hinc patet in primis Adan perperam dici Regis Scotiæ filiam, cum pater ejus ante avum Regem obierit, ut neque ullum jus in regnum Wilhelmo Comiti, vel per mortem Milcolumbi avunculi, vel Wilhelmi ejus fratris Regum competere potuerit; cum hic filium & nepotes usque ad annum 1285. reliquerit: inde per Ericum Margaretæ maritum, & post hunc per Baliolum & Bruseum de regno coram Anglorum Rege fuerit disceptatum. Quæ verò hic habentur, ad Florent. V. Comitem referenda erunt, qui anno demum 1292. fuit inter eos, qui jus sibi competere ad illud regnum putabant, citatus. Vide quæ Thomas Walsingamus in Eduardo Angl. Rege, eâ de re habet. Snoyus, Heda, Barlandus, alii plerique huic nostro assentiuntur præter Chron. Rhythmicum, in quo ne verbum quidem de hâc expeditione, de quâ etiam Scotici scriptores omnino tacent; Ac nobis narrasse, ut sæpe alias Hollandi videntur.

t *Anno Domini M CC XII. Nonis Decembr.*) Ita plerique, Bockenbergius habet anno 1210. plures 12. ei annos regiminis adscribunt, alii 13. MS. meus Beka 14 quod & Heda refert. Barlandus & quod

quod miror, eum ſeptimum vix annum ingreſſum mortuum, tradit, Nonis Decembribus: cum hoc noſtro plerique niſi quod Bockenb. Novembris ſcriptum reliquerit. Diem S. Nicolai anni 1212. exprimit Monach. S. Pantal. Col. Heda hic narrat ex Bekano Chronico miraculum de Everimacho à mortè excitato, quod neque in impreſſo, neque in meo MS. Beka invenio, Annal. autem vulgares ad longum referunt diviſ. 16. cap. 6.

Otto primus Epiſcopus XXXIII.

DEfunćto Theodorico Pontifice venerando, Dominus Adulphus Colonienſis, Otto Monaſterienſis, & Gerardus Oſnaburgenſis fratres & Pontifices, Wilhelmus Hollandiæ, ac Otto Geldriæ Comites convenerunt in Trajećto, quatenus ſupplicarent Eccleſię pro Paſtore novo, quorum denique precibus Otto Zantenſis Præpoſitus, XXXIII. elećtus eſt Epiſcopus, juvenis ingenio clarus, aſpećtu venuſtus, & egregius (a) frater ejuſdem Comitis Geldrię, & ſororius præfati Comitis Hollandię. Hic Otto juvenis XVIII. annorum ſuper (b) minoris ætatis diſpenſatione (c) Romanam curiam anno Domini 1215. viſitare propoſuit. Qui ſtatim apud (d) Nordthuſen febre pulſatus, VII. Kalendas (e) Aprilis occubit, rexit autem Epiſcopatum in abundantiâ pacis annis tribus (f) cum dimidio, ſepultus infra eccleſiam Trajećtenſem honore congruo, fuit enim idem juvenis in cauſis judicialibus multum diſcretus, & in cunćtis negotiis Reipub. valdè cautus.

In Noordthuyſen moritur Otto Epiſcopus.

a *Frater ejuſdem Comitis Geldriæ,*) Imò filius Ottonis 2. Comitis Gelriæ & frater Gerardi 3. Comitis. Neque enim Otto pater hanc elećtionem ſolicitare potuit utpote anno 1202. (quamvis eundem ad annum 1204. perveniſſe putem) mortuus, ut Aquilius tradit; neque Adolphus Colonienſ. præſul ex familiâ de Altenâ hic locum invenire poterit, qui anno 1205. depoſitus, & ſequenti mortuus dicitur; Cum hic Otto anno 1212. etiam Chronico Magno teſtante, Epiſcopatum inierit. Otto & Gerardus Epiſcopi fratres fuerunt de Lippiâ, quorum poſterior, teſte Crantzio ad Epiſcopatum Bremenſem ab Oſnaburgenſi tranſlatus fuit; Atque hinc confuſam hic eſſe hiſtoriam ex ſtemmatis ignatione crederem.

b *Super minoris ætatis diſpenſatione,*] In jure Canonico cautum ne quis ante 30. annum preſbyter ordinetur, vide diſtin. 78. *In qua ætate Eccl. ſint ordinandi.*

c *Romanam curiam anno Domini M CC XV. viſitare propoſuit.*) Ita putavi emendandum cum in impreſſo 1205. haberetur perperàm: cœpit enim anno C. 1212. ut plerique ſcriptores habent & tertio præſulatus anno mortuus eſt. Neomagus nihilominus annum retinet 1205. neſcio quo calculo, niſi vitioſum Bekæ exemplar ſecutus ſit. Bockenbergius autem ex vulgari Chron. anno 1213. obiiſſe vult.

d *Apud Northuſen*) eſt, eo nomine Imperialis civitas ditionis Rhenanæ, vel ut Munſterus, in Thuringiâ ſita, haud procul à Mulhuſen. Verùm cum vulgare chronicon, atque Hedam inſpicio, locus hic apud Tranſ-Iſſulanos fuerit, neceſſe eſt, nec à patriâ procul apud Northuſen juxta Altinum Markiæ oppidum febre correptum ſcribit Heda. Chronicon verò vulgare in ſuperiori diœceſi, tradit; nec itineris ratio Thuringorum illam civitatem admittit.

e *VII. Kal. Aprilis occubuit,*) Bockenberg. VII. Idus habet.

f *Tribus annis cum dimidio,*] Sic Chron. magnum Belg. Bockenberg. ex vulgari. Heda dubitat duos an tres illi cum dimidio annos tribuat, Snoyus tantùm tres; Noviomagus quatuor; Barlandus autem nondum biennium præfuiſſe tradit.

Otto ſecundus Epiſcopus XXXIV.

SEpulto juvenilis ætatis Ottone Pontifice, prælibati Comites, ſcilicet Hollandiæ & Geldriæ præſentes in ejuſdem exequiis obtinuerunt à capitulo ſupplicationibus aſſiduis, ut Otto (a) ſecundus, natus de Lippiâ, major Præpoſitus, XXXIV. eligeretur Epiſcopus. Qui de conſenſu metropolitani ſui ſuſcepit Epiſcopalem benedićtionem apud Frankevordiam, ubi conſimiliter à Frederico Cæſare temporalem acceptavit juſticiam. Hic Otto diſpoſitis Epiſcopatus ſui cunćtis utilitatibus cum Imperatore cruce (b) ſignatus mare tranſivit, totamque terram ſuam Heremanno fratri ſuo gubernandam fideliſſimè commendavit. (c)

Epiſcopus cum imperatore cruce ſignatus, terram ſanćtam viſitat.

Circa hæc tempora floruernut duo milites famoſi, qui Walterus & Waluinus fuerunt appellati,

pellati, Walterus ortus fuit ex Brabantiâ, Waluinus ex Hollandiâ. Contigit autem ut hi dilecti consodales ad exteras partes insimiliter irent ut de torneamento laudem inanis gloriæ reportarent: qui summo mane quoddam intraverunt oratorium, ut devotè missam audirent ante tyrocinium, factum est autem quod clerus missam sancti Spiritus eadem hora festivè caneret, quâ finitâ, beatę Marię Virginis missam sine mora subjungeret, & cùm Walterus beatam Mariam ardenter amaret, ideoque missam ejus ad finem audiret; Waluinus autem secularis gloriæ multum cupidus, finitâ primâ missâ, tyrocinium incepit, in quo cum militari laude multum laboris explevit. VValterus verò perceptâ benedictione secundæ missæ, cepit arma festinanter induere, & cum suâ clientelâ decenter ad campum tendere, sed ecce quamprimùm idem Walterus introivit equitium, unusquisque miles lassatus petebat hospitium. Waluinus autem occurrens Walterum, gratulanter amplexatus est, & eundem talibus verbis allocutus est: Clarissimè miles, benedicaris à Domino, qui hodierno die preconium laudis acquisivisti, ac innumerabiles equites ejiciendo conculcasti. Walterus quidem humiliato capite primò subrisit, sciens, quod ipso die torneamenti conflictum nequaquam introivit. Sed postquam idem Walterus laudem sui nominis indesinenter ab histrionibus acclamari percepit cum admiratione magnâ Waluino dixit: Chare sodalis, scito quod hac die tyrocinium non intravi, quoniam te discedente missam gloriosæ Matris ad finem audivi, quæ mihi præconium laudis obtinuit, atque titulum mei nominis exaltare voluit, quapropter amantissime, compar deseramus ejus amore secularem gloriam, & appetamus in similiter vitam celestem, nunquam transituram: nec mora quin & hi milites intraverunt Heimenrodense monasterium, ubi sub cœnobitali disciplinâ sacrę religionis susceperunt habitum. Walterus autem abinde Psalterium ex toto didicit, & psalmodias suas præ cæteris fratribus indilatè cecinit, qui cum unâ dierum intra missarum solemnia devotus assisteret, & utrasque manus cum devotâ prece desuper expanderet, ecce crux aurea cœlo delapsa cecidit in ipsius manibus, in signum quod Deus annueret ejus sanctis precibus, eandem autem crucem Adelheidis Comitissa dehinc asportavit ad Hollandiam, & ad Reynsburgensè Monasterium transtulit, quæ largam butyri copiam ipsi Monasterio dedit annuatim in eleemosynam. Hæc autem Comitissa venerabilis anno Domini M CC XVIII. pridie Idus Februarii defuncta est, & in Reynsburgensi Monasterio honorificè tumulata. Wilhelmus autem Comes post hanc aliam uxorem, nomine Mariam superduxit. (d) Sed paucis annis in hac vita superstes fuit: nam & idem Comes anno Domini M CC XXII. secundo Nonarum Februarii Creatori reddidit animam, postquam (e) annis XIX. bellicosè rexisset tam Hollandiam quàm Orientalem Frisiam. Hic Wilhelmus ad præfatum Monasterium consimiliter advectus & ibidem cum exequiis congruentibus inhumatus est.

Hastiludiū imaginariū.

Wilhelmus Comes moritur.

Post obitum Wilhelmi Principis filius ejus Florentius hujus nominis quartus XIII. Comes Hollandiæ duxit in uxorem Machtildim filiam Henrici Ducis Brabantiæ, de quâ genuit VVilhelmum Romanorum Regem, Florentium Præsidem, Adelheidin Hannoniæ, & Machtildim (f) Hennenbergiæ Comitissas.

Florentius quartus Comes Hollandiæ 13.

His temporibus Otto Trajectensis Episcopus de Hierosolymitana profectione reversus, totam terram suam benè pacatam invenit, qui maximis se discordiis involvit. Otto namque Comes Geldriæ plures quondam vasallos habuit in terrâ Zallandia, qui per villicos Episcopi sæpè graviter exactionati sunt, adeo quod in bonis temporalibus multum inopes effecti sunt; quapropter idem Comes homines Episcopatus apud telonium Lobek arrestari fecit, & cum incolis Zallandiæ contra dictum jam Pontificem conspiravit. Episcopus autem auxilio Theodorici Monasteriensis Episcopi, ac Heremanni fratris sui copiosum congregavit exercitum, ut vicinas villas Comitatus Geldriæ potenter incenderet, & rebelle vulgus de terra Zallandię victoriosè compesceret. Econtra verò jam dictus populus eodem auxiliante Comite, (g) penes Arckelo congregatus in aggere, decrevit omnibus modis Episcopo resistere. Sed Episcopus in fremitu buccinarum, ac in sonitu tympanarum adversus hostes viriliter aggressus, quosdam occidit, plures cepit, ac omnes alios cum victoriâ profugavit. Nec mora quin & idem Episcopus duo fortia castra, quæ Voorst dicebantur omninò destruxit, & tertium quod Buchorst appellabatur, exceptâ majori turri favillatenus inflammavit, quoniam eorundem castrorum Præfecti primitivam suscitaverint rebellionem, & universum Zallandię populum animaverint ad illicitam conspirationem. Comes igitur Geldriæ pro victoriâ Pontificis indignatus Walravium Ducem Limburgensem, ac Henricum Comitem Zeynensem cum duobus

Episcopus Hierosolymâ reversus, Dioecesim turbat.

Exactores injustos tuetur.

Al. Borclo.

Resistit & Otto Geldriæ Comes.

bus millibus militum, in ipsius auxilium invitavit, & Florentium juvenem Hollandiæ Comitem nepotem suum sibi complacare conquisivit. Qui continuò Leccam ascendit, cum infinito quasi navigio, & Episcopalem domum cum villâ Gheyn hostili conflagravit incendio, econtra verò dictus Episcopus auxilio Gerardi Bremensis Archiepiscopi fratris sui Theodorici Monasteriensis Episcopi propinqui sui, ac Heremanni de Lippiâ germani sui mille milites aggregavit, & adversus antedictos Principes intrepidè bellum instaurare decrevit. Sed ecce dominus Conradus (h) Portuensis Episcopus, & Apostolicæ sedis Legatus ex insperato supervenit ad locum certaminis suspendens jam inchoatum prælium, & de consensu partis utriusque tale promens arbitrium, quatenus Comes Geldrię advocatiam suam de terrâ Zallandiæ beato Martino traderet, & Episcopus eidem allodium elistense, montisque beatæ Odiliæ, (Præposituris & Vasallis exceptis) in feudum restitueret. (i) Comes insuper Hollandiæ pro ministerialibus suis illic inhabitantibus octingentas libras haberet, ac eosdem ecclesiæ Trajectensi, manu missione factâ liberè resignaret.

Complicem M.S.

Bellum componitur.

Bellum inter Groningam & Coverdiâ.

Anno Domini M CC XXV. commissum est civile prælium inter Egbertum (k) Præfectum Groningiæ, & Rodolphum castellanum Covordiæ. Quapropter dictus Episcopus in manu forti Groningiam ivit, & pacificas treugas sub judicio mortis ab utrâque parte servari mandavit. Sed Rodolphus abcedente Pontifice castrum Egberti pœnes Homme destruens, potenter introivit Groningiam, & infectis treugis Egbertum effugavit ad Frisiam. Econtra quidem Egbertus de Frisiâ copiosum eduxit exercitum, ac oppidum Groningię gravi vallavit obsidione per circuitum, qui tandem per diversos assultus ipsum oppidum in parte succendit, & Rodolphum in periculo mortis vix elapsum, ad Covordiam profugavit; Rodolphus autem illatam contumeliam modis omnibus ulcisci statuens, confestim aggregavit expeditos armigeros, ac ipsum oppidum hostiliter infestavit per assultus creberrimos. Sed ecce Dominus Episcopus necessitatem oppidi sui festinâ relatione percipiens, aggregatis electis bellatoribus, proposuit Rodolphum ab obsidione propellere, vel castrum Covordię cum tormentis potenter evertere. In cujus adjutorium Gerardus Comes Geldriæ cum multis præliatoribus personaliter advenit, cui consimiliter Florentius Comes Hollandię robustam militiam destinavit: Theodoricus item Clivensis, & Balduinus de Benthem Comites sibi præstiterunt manuale subsidium: Episcopi etiam Coloniensis & Monasteriensis transmiserunt (l) eidem adoptatum auxilium, ex quibus omnibus perpulcher exercitus apud Anem aggregatus est; ubi Dominus Episcopus fixis castris per diurnum spacium cum antedictis Principibus plerumque gavisus est, qui dictante sententiâ Principum, Rodolphum à bonis suis ibidem proscripsit, ac omnibus adjutoribus suis plenam indulgentiam prædicavit. Rodolphus verò perpendens Episcopi magnipotentiam, dissolvit obsidionem ab oppido Groningiæ, & continuò castra sua fixit prope villam Covordię, præmeditans quod latissima palus situata foret in medium quæ difficilem cunctis hostibus exhiberet aditum. Altera verò die cum emicantibus radiis, auroræ jubar accresceret, Dominus de Ghore beati Martini vexillifer in clangore turbarum, & stridore tympanorum cum electis antecessit armigeris, quem totus exercitus subsecutus est, cum diversis armaturis bellicis: & ecce pugiles Episcopalis exercitus primam gubernãtes aciem armorum sarcinâ prægravati paulatim in ipsis paludosis locis (proh dolor) vivi submersi sunt, qui non solùm à Trentonibus, verumetiam à mulieribus misero mortis genere crudeliter interemti sunt. Alii autem propter æstuantem solis ardorem intolerabili siti suffocati sunt, cæteri plerumque sauciari per repentinam fugam ab hostibus vix elapsi sunt. Rodolphus autem cum quibusdam equitibus totâ nocte fugitivos insecutus, victualium appręhendit magnam copiam: & cum multis captivis gloriosè reversus est ad Covordiam, inter quos principales erant, Gerardus Comes Geldriæ, Giselbertus Dominus Amstellandię, & Theodoricus frater Episcopi, Præpositus Daventrię, Dominus autem Episcopus in palustri loco captus & ibidem per diversa tormentorum genera dirè martyrisatus est. Nam felliti carnifices coronam ejus cum cruentâ carne gladiis acutissimis abraserunt; quem demum post opprobria multa sub ipso die Kalend. Augusti mensis in locis immundissimis conculcarunt. Ceciderunt autem in ipso conflictu, cum Episcopo suffocati, submersi & trucidati, Dominus de Arckel cum nepote suo, & nihilominus plus quàm (m) quadringenti milites, & armigeri bellatores egregii, inter quos Bernardus de Horstmaria miles valde strenuus, & Teutonicorum omnium famosissimus, super clypeum suum aliquandiu sustentatus paludosis vadis demum immersus est, veruntamen antequam interiit horrendam stragem in adversos

Rodolphus Coverdiensis proscribitur.

Episcopales copiæ in paludibus occumbunt una cum Episcopo.

Rodulphus vincit, & captivos multos secum ducit.

versos hostes operatus est, Otto quidem Episcopus à locis palustribus clam abstractus cum ingenti fletu tam cleri, quàm populi tumulatus est in ecclesiâ Trajectensi, quam (n) XIII. annis egregiè rexit, & contra raptores hostes usque ad mortem strenuissimè defensavit. Eodem anno sanctimoniales beati Servatii mutata nigrâ cucullâ gryseum acceperunt habitum, contra Golindis Priorissæ suæ voluntatem & beneplacitum.

Sepultura Episcopi apud Trajectenses.

a *Otto secundus natus de Lippiâ,)* Hic Otto aulam Frederici II. Imp. aliquamdiu secutus, cum eodem quoque, si Hedæ fidendum, in Syriam profectus; filius fuit Bernardi, & Harmanni frater Comitum Lippiensium; habuit præterea fratres Ottonem Episcopum Monasteriensem, Gerardum Osnaburgensem, & inde Bremensem Antistitem; qui forsitan intercessores pro fratre huc à præcedente Ottone erunt reducendi. Quartus item ipsi frater erat Theodoricus Præpositus Daventriæ Otto autem à Coloniensi Metropol. accepit benedictionem Episcopalem; & temporalem investituram, utpote Imperii Princeps, ab Imperatore, quo titulo plerique antistites usi sunt, quamdiu Dominium Provinciæ Traject. penes ipsos fuit, & vernaculâ liuguâ genadige Vorsten dicti sunt. Quin & subditorum ab ipsis ad Imperatorem provocatio, erat, ut pluribus probari posset, nisi instituta brevitas vetaret. Extat, ut hoc unum addam, in archivis summi collegii sententia Caroli IV. Imp. à Walthero de Morsenberg. præfecto curiæ Cæsareæ, ad provocationem Wilhelmi de Dashorst, pro vindicanda ingenuitate ipsius, contra Iohannem Episcopum, Coloniæ die Martis post S. Laurentii anno 1349. prolata, in quâ hæc verba: *Von wegen des vribels. das von dem Erwertigen Fursten Hern Iohan Byschofs zo Vtrecht, of einer seit, vnd von Wilhelm von Dashorst of die ander seit &c.*

b *Cum Imperatore cruce signatus mare transivit,)* Chronicon Augustens. ad annum 1217. *Rex Vngariæ Andreas, & Leopoldus Dux Austriæ, & Moraviæ, Otto Episcopus Babenbergensis aliique nobiles & Comites cum manu validâ transfretarunt ad succursum terræ S.* Annales Godefridi Mon Coloniensis ad S. Panthalonem expresserunt nomen Wilhelmi Comitis Hollandiæ; & eodem anno hæc habent: *Rex Ierosolim. & Dux Austriæ cum Monasteriensi & Trajectensi Episcopis castrũ Cæsariense semidirutum brevi tempore viriliter firmârunt.* Inter eos quoque qui anno 1217. ad Acconem cum tribus regibus castramentati sunt nominatur Trajectensis Episcopus à Vitriaco in hist. Hierosolom. & à Mathæo Paris hist. Angl. in Henrico III. Anno sequenti Damiatam obsessam à Christianis supra laudatus Monachus Colon. tradit, qui & catenâ & turris in medio flumine occupatæ meminit, & anno demum 1219. urbem captam scribit, unde patet hanc obsessionem malè ad annum 1190. relatam, habeo ego literarum exemplar Suederi de Ringelenberch in castris ad Damiatam anno 1219. datarum. Imperatorem verò Fredericum serò in Syriam profectum, & cum noster hic Otto jam obiisset, etsi expeditionem illam longè ante in animo habuisset, literis traditum invenimus. Sic enim Sigisfridus presb. Misnens. lib. 2. Epitomes ad annum C: 1227. *Imperator Fredericus cum multâ turbâ cruce signatorum ad terram sanctam proparavit, sed illud passagium impeditum est*, & hoc eodem anno Pontifex Otto occisus est. Sed post biennium anno nempe 1229. eum Hierosol. coronatum Cisnerus in ejus vita auctor est, unde certum est Ottonem hunc absque Imperatore in Syriam profectum, & fortè in comitatu Wilhelmi Holland. Comitis.

c *Floruerunt duo milites,)* Hanc sive historiam, sive quod magis probo, fabellam vulgares quoque Annales habent, ut & innominatus Clericus, qui in multis Bekæ vestigia sequitur; ibique Walterus cognominatur Persinus Iohannis F. & alter Walewin, dicitur ex nobili fuisse Leefdaliorum ap. Brabantos fam. oriundus. De cruce verò quod additur causam dedit Annalist. scribendi Persinorum insignia crucibus ad memoriam istius rei esse aucta & ornata. Sed totam ego hanc narratiunculam puto ab imperitis armorum Præfectis, sive ut vocant Haraldis confictam, qui ejusmodi næniis Nobilium origines & arma, ut sæpius dixi, decorare solent.

d *Comes anno Domini M CC XXII. creatori animam,)* Bockenberg. eum anno sequenti mortuum dicit, atque ut Snoyus anno 4. post obitum prioris conjugis.

e *Postquam annis XIX.)* alii distingunt; & Snoyus 19. quidem annis eum præfuisse Hollandis, scribit Frisiis vero Orientalibus 26. quem Barlandus sequitur.

f *Mechtildim Hennebergiæ Comitissam,)* Margaretam vocat eam Bockenbergius, Hermanni Comitis Hennenbergii conjugem, ex chronico vulgari & Genebrando; cum quibus faciunt, Huterus Snoyus, Tabula ap. Losdunenses suspensa, Iunius, Chron. rhythmicum Frisiæ, cujus meminit Scriverius, huic nostro vero assentiuntur Heda, Chron. Belg. magnum, Cuspinianus, Mejerus & Lazius. Chronicum tamen Stokii nihil de hac multipara, vide apud Scriverium in notat. ad Chron. patriæ, cui addi poterunt, quæ curiosè collegit Boxhornius in Theatr. Holl.

g *Penes Arkelo congregatus,)* Sic & Chronicon Magn. Bel. & meus MS. Beka; alii nomen loci non exprimunt; Chron. vernaculum habet Broculo, vidi & MS. Bekam ubi Borclo legebatur, Borkelo, Almelo invenio in confinibus Zallandiæ (ubi Salios olim habitasse opinio est) & in ipsa Arkelstein; Arkelo verò nusquam.

h *D. Conradus Portuensis Episcopus,)* Conradus ille Abbas Vilariensis prope Lovanium, filius Comitis Seynensis, Cardinalis & Episcopus Portuensis designatus ab Honorio 3. P. R. legitur in Chronico Cisterciensi; ubi additur, secundum Ciacconium, eum obiisse anno 1234.; aut anno 1225. juxta Onuphrium. Vide Chron. prædictum, ab A. Mireo editum, in 8. forma pag. 124.214. Verùm

rùm

rùm cum Onuphr. lib. de Pontificum & Cardinalium creatione in Honorio 3. qui circa annum 1216. Pontificiam sedem ascendit, & anno 1227. in Martio mortuus, Conradi ne meminerit quidem, nescio quo loco id à Panvinio traditum sit. Meminêre ejus Ubbo Emmius Rer. Frisic. lib. 9. ad annum 1223. God. Monach. Colon. ad ann. 1224. & seq. Chron. August. anno 1226.

i *Comes insuper Hollandiæ pro ministerial.)* Insequendo (ut ait Heda) *sententiam per Henricum Imp paulò ante latam anno 1196. inter Balduinum Episcopum, & Henricum Ducem Lotharingiæ*; & ut ante inter Theodoricum Episcopum, & Ludovicum Lossensem convenerat.

k *Inter Egbertum præfectum Groningiæ.)* Heda Everhardum vocat, alii vero scriptores, vel non nominant, vel huic nostro adstipulantur. Bellum hoc paulò clarius Ubbo Emmius enarrat lib. 9. Rerum Frisicarum ad annum 1225. & seq.

l *Apud Anen,)* Ubbo, Anenim vicum, dicit, Chron. Magn. Aven, vulgare Anen. Est hodie itinere inter Groeningam & Coevardiam medio vicus Anloo.

m *Plusquam quadringenti milites,)* Emmius 500. habet, reliqui ferè omnes cum Bekâ faciunt. Albertus Stadiensis numerum minorem statuit 200. scilicet militum, sed hic forsitan ad equestris Ordinis milites tantum respexit, vulgo equitum omisso. Accidit hæc clades anno 1227. de qua sic idem Stadensis ad eundem annum: *Otto Trajectens. Episcopus versus Trentam ante Coevorde Fresonum insolentiam compressurus in paludoso loco à rusticis die Pantaleonis feriâ quartâ occiditur. Ibi Comes Gelriæ vulneratur & plurimi circa ducenti, omnes milites, aut filii militum perimuntur. Thidericus præpositus Daventriæ Episcopi frater vulneratus 8. die occubuit. Corpus defuncti Episcopi Maximo Cleri & populi mœrore Trajectum defertur, & in beati Martini Ecclesia sepelitur. Wilibrandus Paderbornensis Episcopus concedente Apostolico ei subrogatur*, vide etiam Chronicon Godefridi Monachi S. Pantalionis Col. eodem anno.

n *Quare XIII. annis egregiè rexit,)* Ita emendandum censui, quamvis Noviomagus 20. habeat, præter omnium calculum. Chronicon Magnum Bel. quod (ut alio loco indicavi) sua ex Becani Chronico transtulit 12. annos 7. menses eum in præsulatu sedisse, tradit. Bockenbergius verò 14. ei annos tribuit. Heda varias adfert opiniones.

Willibrandus Episcopus XXXV.

Occiso, sicut antè dicitur, Ottone Pontifice, Florentius Hollandię Comes cum cæteris principalibus ecclesiæ vasallis Trajectum advenit, qui pro suo consanguineo Domino Willibrando Paderbornensi Pontifice, filio Comitis de Oldenburch supplicatorias preces fudit. Cum autem universale Capitulum super his deliberationem ageret, ut devotas instantias ejusdem Comitis admitteret, ecce Comes Geldriæ, simul & Dominus Amsterlandię letaliter vulnerati, & per breves inducias à prisone dimissi recumbentes in culcitris delati sunt in Capitulum, qui plangendo deprecabantur ab Ecclesiâ suę redemptionis auxilium. Quibus visis, universus clerus amarè lachrimatus est, & dolor totius populi de nece Pontificis non immeritò renovatus est. Quamobrem idem Dominus Willibrandus Padebornensis Episcopus tanquam idoneus vindex XXXV. postulatus est Episcopus, vir constans, audax & ingenuus, sed quoniam idem Willibrandus fuit illis diebus in Italię partibus occupatus assiduè negotiis Imperialibus, ideò discreti viri trans Alpes festinanter emissi sunt, ut eidem Episcopo de novo Pontificio novam famam deferrent, & postulationem ecclesię Trajectensis in Romanâ curiâ præsentarent, quod & ita factum est, nam dominus Papa Gregorius, nominis hujus IX. de consilio fratrum suorum notum & dilectum sibi Willibrandum de Paderborno Trajectum transtulit, & cum Apostolicâ benedictione versus patriam honestè remisit. Idem igitur novus Pontifex in Trajecto pro tribunali sedens dictante sententiâ principalium vasallorum Comitem Geldrię cum cæteris captivis à prisione castellani Covordiensis absolutum esse judicavit. Quum idem Castellanus tanquam proscriptus grassator, & exlex suum verum Dominum indignâ morte pridem occidisset, qui continuò tam de potestate propriâ, quam de Frisiâ, per papales indulgentias copiosum eduxit exercitum, quem adversus Covordienses & Trentones in sex turmas divisum ordinavit ad prælium. Econtra verò predicti populi sex cuneos statuerunt in gyrum ad resistendum Episcopo, ita quod terram eorum nullus intrare posset absque gravi dispendio. Sed Episcopus ut vir imperterritus adversos hostes ex omni parte circumvenit; plures sibi resistentes contrivit, quasdam villas incendit, & usque ad opacam noctis umbram diffugientes adversarios profugavit. Mane dehinc facto, cùm garritus volatilium annunciasset adesse diluculum Covordienses, cum Trentonibus metuentes Episcopi magnificentiam, datis obsidibus obtulerunt semetipsos ad gratiam: quos idem Episcopus in deditionem benignè suscepit, & per sequentes conditiones à sen-

Miserabilis species electionis.

Episcopus expeditionem parat in Rodulphum Coeverdiensem.

Rodulphus Coeverdiensis recipitur in gratiam.

à ſententiâ maledictionis abſolvit, videlicet, ut Rudolphus caſtella Covordię & Lare ſibi liberè traderet, Iuriſdictionem Trentonię beato Martino proprietariè redderet, tria millia marcarum pro diverſis damnis exſolveret, centum (a) armigeros in Livoniam mitteret, & monaſterium puellarum ordinis ſancti Benedicti de xxv. præbendis dotando conſtrueret. His ita peractis, Epiſcopus caſtrum Lare funditus deſtruens, & caſtrum Covordiæ fideli cuſtodiâ muniens, coadjutoribus ſuis cum gratiarum actione valedixit, & ad feſtivitatem Beati Martini Trajectum honorificè properavit. Sed ecce Rodulphus amarè dolens ſe caſtrum Epiſcopo reſignaſſe, & a villicatione Trentonicę terræ ſic omninò deſtitutum eſſe, corrupit unum de caſtrenſibus pro quadam ſummâ pecunię, quatenus ſibi caſtrum traderet opportuno tempore. Nec mora quin cunctis quaſi caſtrenſibus cum traditore villam ingredientibus, Rodolphus infra ſuburbium latens pontem extemplò præoccupavit, portam ulteriorem introivit, caſtrum doloſè cepit, cuſtodes intrantes occidit, & exinde totam munitionem ſuo ſatellitio communivit. Epiſcopus autem ex amiſſione caſtellum Hardenberghe præcepit econtra fulciri, & generalem expeditionem adverſus Covordienſes & Trentones proclamari.

Rodulphus pœnitentia pacti ductus, Coverdiam dolo recuperat.

(b) Igitur anno Domini M CC XXVIII. cùm tota palus ex gelido rigore eſſet ubique pervia, Dominus Epiſcopus validum eduxit exercitum in Trentoniam, ſperans alterâ die turres & mœnia caſtri Covordenſis cum diverſis ingeniis atterere, & omnes inimicos ſuos in eo ſimiliter comprehendere. Sed ſpes hæc omninò fruſtrata eſt, quoniam eadem nocte ventus validus cum imbri maximo de repente cadens in tantùm attenuavit nivem & glaciem, ut totus exercitus dimiſſis ibidem ingeniis ad partes Iſelanas neceſſariò retrocederet, & Epiſcopus iterum prædicando papales indulgentias ad Friſiam pro ſubſidio tenderet. Superveniente demum æſtate, Rodulphus obtentis ſaltem xv. dierum treugis, trium Abbatum de Friſiâ ſervare compromiſit arbitrium de omni fore facto, quod hactenus invaluit inter ipſum & Epiſcopum. Durantibus itaque treugarum induciis, Rodulphus Caſtellum Hardenberch adivit, & de compoſitione pacis cum Epiſcopo tractare cœpit, de cujus adventu Dominus Epiſcopus plurimùm ſtupens, cum admiratione cœpit inquirere, cur ad tot capitales inimicos ſuos uno ſervo Comite, ſolus auſus eſſet accedere, & ecce, Caſtrenſes obſtante Pontifice Willibrando, ſæpe dictum Rodulphum tanquam exlegem de conclavi violenter abſtraxerunt, quem cum Henrico de Granſdorp dirè rotatum (c) in ſtipitibus exaltarunt, Interea populus in terrâ Trajectenſi tumultuare cœpit inter ſe, ut de die in diem metueretur aut bellum aut incendium. Pro quo dictus Epiſcopus Trajectum ivit, excuſationem de nece Rodulphi coram omnibus fecit, & per auxilium Florentii Comitis Hollandiæ inter miniſteriales diſcordes pacis amicitiam reformavit.

Rodulphus tanquam exlex durantibus induciis in rotam attollitur.

(d) Anno Domini M CC XXXI. prophana gens Trentonica recollectis iterum innumeris bellatoribus, obſedit Groningiam, & Egbertus Præfectus (e) contra portas armipotenter aperiens, occidit adverſariorum ſuorum magnam copiam, qui currus & victualia cum ſexcentis equis ibidem apprehendit, & altera die plures villas in Trentoniâ conflagravit. Epiſcopus autem ſuper his plurimùm gaviſus ſeceſſit ad Friſiam, & ibidem per papales indulgentias eduxit jam tertiò gentem maximam, cum quâ Trentoniam potenter introivit, & villam Covordiæ cum ſuburbio caſtri prorſus incendit: in quibus armigeri plurimos equos, arma, veſtes, & victualia prendiderunt, quinimo parvulos & mulieres apprehenſos crudeliſſimè trucidarunt, adveſperaſcente denique die totus Epiſcopalis exercitus trans paludem ad munitionem verſus Avem reverſus eſt, & ibidem in magnâ gloriâ cum obtentâ prædâ mirificè * jucundatus eſt. Matutinâ dehinc exortâ luce Pontificalis exercitus cum tubis frementibus, & ſignis irradientibus paludem curſus tranſiens properavit ad obſidionem caſtri Covordię: ſed ecce * Trentinorum innumerabiles copię præteritâ nocte clam intraverunt ejuſdem caſtri præſidium, & ab aliâ parte Freſones Monaſterienſis Diœceſis cum Trentinus in magnâ prærogativâ parati ſtabant ad prælium. Freſones etiam Trajectenſis Diœceſis auxiliatores Epiſcopi conſimiliter heſternâ die devicti ſunt. Quapropter & Trentones adeò viriliter animati ſunt, ut in manu forti Covordiam audacter accederent, & adverſus Epiſcopalem exercitum ſine morâ confligerent. Sed Epiſcopus attenuatis expenſis verſus Caſtellum Herdenbergh

Trentones Gruningam obſidentes, ab Egberto Præſide repelluntur.

* *Exhilaratus.*

* *Trentonii.*

retrocessit, stipendiarios suos dissolvit, coadjutoribus suis valedixit, & castra sua cunctis necessariis adimplevit.

Liber ligneus in lapide repertus.

Circiter hæc tempora quidam (e) Iudæus in Hispaniâ comminuendo rupem propter vineam ampliandam, repperit in solidâ concavitate lapidis librum, habentem folia lignea, conscriptum tribus linguis, scilicet Hebraicâ, Greçâ & Latinâ singillatim in hunc modum: Christus Dei Filius ex Mariâ Virgine nascetur, qui pro salute generis humani patietur; Quo lecto Iudęus ad fidem Christianam conversus est, & cum totâ familiâ baptizatus est.

Anno Chr. 1233. 6 kal. Augusti Willibrádus Episcopus moritur.

Mons fatorum.

** Tyalam.*

(f) Anno Domini M CC XXXIII. VI. Kalendas Augusti Willibrandus Episcopus in Zwollis adimplevit vitę terminum, postquam annis VIII. Trajectense rexisset Episcopium, qui deinde translatus in Monasterio S. Servatii Trajectensis honorificè requiescit. Nam ad ejusdem (g) Ecclesię fundamentum primitialem lapidem jecit. Hic Willibrandus cùm adhuc Paderbornensis esset Episcopus, bis ad terram sanctam profectus est ob Imperiale negotium, ubi diebus illis frequenter expertus est quoddam speciale prodigium. A civitate namque (h) Tharsensi ad duas dietas prope * Thilam, mons quidam amœnus situ est, qui ab incolis illius terræ mons fatorum dicitur: Nam quicunque sex septimanis jejunaverit, & exinde purè confessus communionem acceperit, & sic sobrius prædictum montem ascenderit: proculdubio fatum prosperum inveniret, prælibatus ergo Willibrandus Episcopus in verbo veritatis asseruit, se vidisse quendam militem apud Antiochiam, qui prædictum montem illum ascenderat ad inveniendam fortunatam gratiam. Hic utique miles in cacumine montis illius quoddam mensale diversis cibariis adimpletum invenit, quod sibi suęque familię sine diminutione diurnatim larga victualia ministravit.

a *Centum armigeros in Livoniam mitterет &c.*) Nota mores ejus temporis in expiandis cædibus usitatos: milites mittendi contra infideles, construendi & fundandi monasteria, & peregrinationibus sanctos visitandi; ejus rei plura extant apud auctores illius ævi testimonia. Hinc quoque cœnobia & monasteria in magnum tunc numerum creverunt, Sic monasterium D. Virginis in Insulâ Betuâ, à Cuyckensibus, & Bernense non longè à Busco ducensi oppido per Fulbertum extructum, aliud à Trentonibus ob cædem Ottonis Episcopi, cujus & mem. Ubbo lib. x. rer. Frisic. aliud à Domino de Nigello ob cædem Flor. 4. Holl. Com. quorum omnium Beka suis in locis mentionem facit. Sic Fulco Andegavensis, ob cædes & rapinas monasterium fundare cupit; Glaber. lib. 2. ca. 4. Conciacus coactus ob cædem duorum juvenum duas instituere capellanias (ut vocant): Guil. de Nangis in vitâ Lud. Reg. Franc. Monasterium, item factum propter sacra violata, apud Cosmam Pragensem lib. 2. & infinita alia supersunt indicia ejus moris in historiis, quæ res gestas à 700. adhinc gestas referunt.

b *Anno Domini M CC XXVIII. cum jam tota palus,*] Hæc Ubbo Emmius quoque prosequitur ex Worperio, & paulò aliter ex Emone Antistite illorum temporum, quem vide lib. rer. Fris. 9. dicitque venisse Rodulphum unico cognato suo comitatum ad Episcopum; nomen non addit. Snoyus & Chron. Magnum Henr. de Gravesdorp. appellant; idem nomen est in Chronico vernaculo. Godefrid. Mon. Pantal. in Chron. suo ad annum 1228. rem paucis exequitur: *Eodem tempore* (inquit) *Episcop. Traject. castrum Kuvorde iterum impugnat. sed defensoribus sibi diffidentibus, castrum in deditionem recepit, & nefarium Rudolphum dominum castri ejicit. & exulare præcepit. Qui exilium simulans occultè revertitur, & castrum dolo captum possidet, ejectis illis, quos Episcopus ibi posuerat.* Et post ad annum C. 1231. *Rudolphus de Kuvorde & sui complices à Trajectensibus in rotis confringuntur.* Hinc patet non ita statim, ut noster innuere videtur supplicium de Kuvordio sumptum. Emmius eum in carcerem conjectum, & ibidem multis ærumnis toleratis tandem capitis damnatum, & cum propinquo suo gravissimo affectum supplicio corpusque enecti ignominiæ causâ rotæ impositum scribit, idque anno 1229.

c *Dirè rotatum instipitibus exaltant,*] Hoc supplicium Rotæ illo tempore frequens fuit, præcipuè in Fœdifragos, Latrones, ac Læsæ Majestatis damnatos; cujus exempla passim in historiis occurrunt. Testatur de comite Isenburgico, qui Engelbertum Archiep. Agrippinensem occiderat, Cæsarius lib. 2. cap. 17. de vitâ S. Engelberti: *Comes* (inquit) *Fredericus eodem penè die, anno evoluto, quo B. Engelbertus civitati mortuus illatus, per oppositam portam captivus introductus est, atque inde quarto die turpissimè in rotam cum tormentis impositus.* Hac quoque de re Ægidius Gelenius in notatis ad eundem auctorem, Chron. Alb. Stadensis ad annum 1226. Crantz. Metropol. lib. 7. cap. 43. de Frederico agens hoc supplicium ita describit; *decernitur rotis tormentalibus per crura, per brachia, per dorsum & cervicem confringi, ita pavit corvos nobile cadaver.* Godefridus Mon. S. Panthal. ad annum 1226. aliique Stadensis item ad annum 1192. simili pœnâ affectos occisores Christiani C. *Oldenburg.* tradit.

d *Anno Dom. M. CCXXXI. Prophana gens Trentonica.*) Hoc bellum ab Ubbone præd. libro 9. circa finem longè fusius describitur.

e *Quidam Iudæus,*] Hæc non neglexit in Fred. 2. Imp. Martinus Polonus, sed variat aliquantum.

tum. Chronicon Augustense in annum 1253. rejicit, refert & eadem Chron. Magnum pa. 223.

f *Anno D.1233. 6. Kal. Aug. Willibrandus Episcopus,)* Heda habet 7. Kal. A. ut & M.S. meus. Vidi à Brockio, rer. nostrarum valde gnaro, olim notatum anno 1236. Willibrandum vivere desiisse, quod vero magis est simile; nam si anno 1227. occisus est Otto prædecessor illius; ut auctores constanter asserunt; & ille 8. annis præfuit, quod & Epitaphium indicat, ultra annum 1233. vixisse eum oportet. Bockenbergius ex Chronico vernaculo 6. tantum annos ei tribuit.

g *Nam ad ejusdem ecclesiæ fundamentum &c.)* Noviomagus: *Hic S. Servatio Ultrajecti templum exstruxit.* Heda: *Sepultus apud Ecclesiam S. Servatii, cujus prima jecit fundamenta*, hodie sepulcrum ejus extat ad parietem Aquilonarem, duos pedes è terra elevatum, ubi hæc leguntur: *Willibrandus de Oldenborch XXXV. Episcopus Traject. fundator primus hujus monasterii monial. Ord. Cisterciensis, hic sepultus: sedit ann. VIII.* Quod intelligi debet de translatione monasterii ex Abstede, & novi templi fundatione; meminit enim loci *Abstede* (ita propter Abbatiam dicti) Stokius circa annum 1137. & dicuntur moniales S Servatii sub Ottone prædecessore Willibrandi habitum mutasse, invitâ Golindâ priorissâ. Quin & in descriptione quæ addita imagini Urbis Trajecti, sic legitur: *Willibrandus de Oldenborch fundavit in Trajecto Monasterium S. Servatii in quod Sanctimoniales ex villa de Abstede* transtulit, *eodem in loco magnificè tumulatus an. 1236.*

h *A civitate Tharsensi mons quidam &c.)* Hæ nugæ in Chronico magno Belg. quoque ad verbum exprimuntur, nec Chronicon vulgare omittit. Similes quisquilias profert liber Gallicus, pro more ejus seculi, quando ejusmodi fabulæ, fidem inveniebant, cui tit. la Salade, de monte Sibyllæ in Apuliâ; sed relationem non merentur.

Otto tertius Episcopus XXXVI.

CUM itaque Trajectensis Ecclesia post obitum Willibrandi Præsulis Pastorali regimine viduata foret, & generale capitulum ad electionem novi Pontificis convocatum esset, Otto de Hollandiâ nominis hujus III. per invocationem sancti Spiritus XXXVI. concorditer electus est Episcopus, vir illustris, & de regali stirpe progenitus. Hic Otto post obitum patris asscriptus fuit ad titulum militiæ, suscepitque de manu fratris sui Dominationem Orientalis Frisiç. Is ergo Otto militiæ cedens, & Pontificium acceptans, pauperrimum invenit Episcopatum, infinitis quasi debitis involutum, tum propter assiduam Trentonicæ gentis rebellionem, tum propter fluctuosam aggerum irruptionem. Sed divinâ disponente misericordiâ, jam dictus Episcopus patrimonii sui possessiones in Hollandiâ vendidit, debita solvit, Castra repetiit, totumque Pontificium sicut Dux temporalis longo tempore gubernavit, ad cujus etiam devotam supplicationem Florentius Comes Hollandiæ frater ejus fortissimum aggerem ab Amerongen usque Schoenhoven sumptuosè construxit, & ad perennem laudis suæ memoriam Episcopatui multa commoda sæpe fecit. Hic Florentius Comes (a) anno Domini M CC XXXIV. cum Henrico Duce Brabantiæ, & Theodorico Comite Cliviç, jussu Domini Gregorii Papç noni, terram Stadingen Bremensis Diœcesis cum viris mulieribus & parvulis omninò depopulatus est, pro eo quod idem populus expulsis sacerdotibus & clericis ad prophanam sectam Idololatriæ reversus esset.

Otto 3. Episcopatus sui statū patrimonio venditorestituit.

Anno Chr. 1234. Expeditio Comitum aliquot in Stadingios.

Eodem anno Florentius Comes Princeps imperterritus multa tyrocinia per diversas provincias frequentavit, de quibus præconium laudis gloriosiùs acquisivit. Comitissa verò Claremontensis famosam probitatem ejusdem Principis frequenter audiens, intra secreta cordis assiduè meditari cœpit, qualiter electum Comitem facietenus aspiceret, de quo tot militares probitates frequenter audierat. Quæ tandem arcanum hoc consilium adinvenit, ut maritum suum blandis suggestionibus instigaret, quo solemnem curiam in Almannia præconizari faceret. In quâ & ipse tanquam veteranus militiç afforet, sciens pro certo quod Hollandiæ Comes illic venturus esset cum proceribus Germaniæ pro conquirendâ sibi laude militaris gloriæ. Igitur idem Comes Florentius associato sibi Comite de Clivis, magnificis expensis illuc affuit, atque titulum sui nominis dilatari voluit, qui & magister militum ibidem ab Almannis est electus & econtrà Dominus de Nigello Gallicanæ militiæ princeps institutus est. Nec mora, quin ordinatis (b) aciebus ab Histrionibus, electi milites utriusque partis concrepantibus buccinis, perstrepentibus tympanis, choruscantibus vexillis, ac enitentibus gladiis promiscuè conglobati sunt, contendentes propter laudem, inanis gloriæ. Sed Comes Hollandiæ exercitatus in hujusmodi ludo præ cæteris excellenter elaboravit pro palmâ triumphalis gloriæ, nam & idem plures Gal-

Florentii Comitis virtus fama sui Comitissam Claremontensem pellicit.

res Gallicanos milites dejecit, adversas cohortes disiunxit, ac Almannis hinc inde gravatis opportunum auxilium apportavit, Comitissa verò Claremontensis præcipuam probitatem Florentii Comitis ab altitudine turris procul intuens, & gloriam suæ laudis ubique preconizari percipiens, ex magno dilectionis affectu sæpius à viro cœpit expetere, quatenus Hollandię Comitem inter equestres cuneos sibi vellet ostendere, quod tandem ipse Comes pro ingrato recepit, & uxori suæ nobili torvis aspectibus sic respondit: Scio quod ex abundantiâ cordis os loquitur, & Hollandiæ Comes amore tuo fungitur, ecce tuus amasius hic Princeps est egregius, vexillum qui fert aureum, leonem habens rubeum, quem ardenti desiderio multoties optasti videre vivum, sed vivit Dominus, quoniam & hunc in vespere videbis extinctum. Comitissa quidem amabilis mariti sui fellitum agnoscens animum, satagebat Hollandiæ Comitem per secretum præmovere nuntium. Sed Claremontensis Comes quanquam decrepitus arma protinus induens Gallicanos sibi milites adjunxit, & cum Domino de Nigello Florentium Comitem fulmineis ictibus ex omni parte vallavit. Florentius autem horum omnium inscius adversus Gallicanam multitudinem solus quantum potuit egregiè restitit, & plurimos eum hostiliter impugnantes virili probitate repulit, donec tandem Claremontensis Comes in Florentium violenter irrueret, & eundem in (c) Corbiaco XIIII. (d) Kalendas Augusti crudeliter interimeret. Comes verò Clivensis cum Teutonicis perniciter advolans Comitem Claremontensem in vindictam agnati sui recenter occisi similiter occidit, & Dominum de Nigello confestim ab eodem tyrocinio profugavit, & (e) ecce jocosum tyrocinium conversum est in *exosum prælium, Comitissa verò Claremontensis reminiscens quod Florentius Comes innocenter occubuisset, & quod ipsa principalis causa suæ necis esset, per nimiam cordis amaritudinem mentis alienationem sustinuit, & seipsam de cacumine turris præcipitare voluit, quæ dehinc incurabilem morbum, quem Medici vocant Hæmorrhoidem, incurrit, & post modicum intervallum temporis ab hoc seculo transmigravit. Porrò corpus electissimi Comitis per Almanniæ proceres ad Ryncsburgense cœnobium devectum est, quod ibidem lugubribus exequiis inhumatum est.

Zelotopiæ exemplum admirandū.

** Exitiosum Ex hastiludio bellum.*

Hic Florentius floridæ fuit ætatis excellenter gloriosus inter omnes primates Almanniæ, qui XII. annis strenuâ probitate Comitatum rexit Hollandiæ, post cujus obitum Otto Trajectensis Episcopus suscepit Wilhelmum Hollandiæ (f) Domicellum in tuitionem, consimiliter & Comitatum ejusdem in gubernationem: per cujus potestatem idem Episcopus Trentones (g) devicit, Covordienses subegit, & terram eorum nemine resistente, quum voluit, introivit, & ad suum arbitrium gubernavit. Dominus autem de Nigello per quosdam amicabiles internuncios eidem Episcopo postmodum reconciliatus est, ut collegiatam ecclesiam in eodem campo quo frater ejus dudum interemtus est, fundaret. Anno dehinc Domini M CC LXVII. XI. Kal. Ian. Machtildis Comitissa (h) decessit à peregrinatione præsentis seculi, quæ tumulata fuit apud puellas Cisterciensis ordinis Loesdunensis Monasterii, quod ipsa pro remedio peccatorum suorum & filiæ suę devotè construxit, & adjectis prædiis honorificè consummavit.

Wilhelmus Hollandiæ pupillus in tutela Ottonis Episcopi.

Ejus mater moritur anno 1267.

Occiso Florentio strenuissimo Principe, filius ejus Wilhelmus nominis hujus secundus Comes Hollandiæ XIV. hereditariè sublimatus est, ducens (i) in uxorem Elisabeth filiam Ducis de Brunswick præclaram virginem, de quâ genuit Florentium succedentem Hollandię Comitem. Hic Wilhelmus à primævo juventutis suę tempore magis adamavit rigorem ferri, quàm nitorem auri. Eisdem temporibus Fredericus Imperator ab Honorio Papa dudum excommunicatus, per Innocentium quartum ab Imperiali dignitate destitutus est, & Lantgravius Turingię per officiales Imperii Romanorum Rex electus. Sed idem Lantgravius paucos annos supervixit, & Romanum regnum denuò vacare cœpit. Quapropter idem Apostolicus de generali consilio fratrum suorum, Dominum Petrum Capucium ad Velum (k) aureum S. Georgii Diaconum Cardinalem delegavit in Germaniam, monens ut Officiales iteratò celebrarent (l) electionem regiam. Electores itaque convenientes apud (m) pagum Woringię Coloniensis Diœcesis elegerunt, in Regem Wilhelmum Domicellum Hollandię, protestantes ipsum potentiorem esse Principem in regno Germaniæ. Et ecce quàm primum publicata fuit electio, totius militiæ solennis erat exultatio, nam & idem electus vicesimum agens annum adhuc fuit imberbis, robore decorus, cute candidus, crine nigerrimus, staturâ procerus, ac in dispositione totius corporis collaudandus.

Wilhelmus secundus Comes Hollandiæ 14.

Imperator excommunicatus deponitur.

Wilhelmus Comes Hollandiæ eligitur Imperator.

Sed

Sed quoniam idem Adolescentulus electionis suæ tempore fuit armiger, ideoque cum repentinâ festinatione præparata sunt omnia, quæcunque sibi fuerint necessaria, ut secundum ritum Christicolarum Imperatorum miles (n) fieret antequam Aquisgrani diadema regni susciperet, & quoniam plerique milites moderno tempore parcimoniis intendentes omissis sumptuosis solennitatibus saltem per colaphum militarem dignitatem accipiunt; Ideoque multi regulam ejusdem ordinis ignorantes debitè militare nesciunt, quamobrem materiam aliquantisper prorogare decrevimus, & præsenti Chronographiâ dignum annotare duximus, qualiter hic VVilhelmus secundum Christianam institutionem miles est effectus, atque regulam militaris ordinis cum summâ festivitate professus est, ut ex eo discant moderni milites, quale jugum in ordine suo susceperint, ac certè quale votum in professione suæ regulę promiserint. Itaque præparatis in Ecclesiâ Coloniensi omnibus post Euangelium solennis, missępræfatus VVilhelmus armiger coram Cardinali productus est, per Regem Bohemię dicentem in hunc modum. Vestrę reverentię pater almiflue præsentamus hunc electum armigerum, devotissimè supplicantes quatenus vestra paternitas, votivam ejus professionem accipiat, ut militari nostro collegio dignanter adscribi valeat. Dominus autem Cardinalis in Pontificalibus assistens ornamentis, eidem dixit armigero, secundum Etymologiam ejusdem nominis, quod est miles: Oportet unumquemque militare volentem, esse magnanimum, ingenuum, largifluum, egregium & strenuum: Magnanimum in adversitate, ingenuum in consanguinitate, largifluum in honestate, egregium in curialitate, & strenuum in virili probitate; verumtamen, antequam votum professionis tuæ facias, cum maturâ deliberatione jugum regulæ priùs audies: Hęc est itaque regula militaris ordinis: In primis cum devotâ recordatione Dominicę passionis missam diurnatim audire; pro fide Catholicâ corpus audacter exponere; sanctam ecclesiam cum ministris ejus à quibuscunque grassatoribus liberare; viduas, pupillos aut orphanos in eorum necessitate protegere, injusta bella vitare; iniqua stipendia renuere, pro liberatione cujuslibet innocentis duellum inire; Tyrocinia non nisi causâ militaris exercitii frequentare; Imperatori Romanorum seu ejus patritio reverenter in temporalibus obedire; rempublicam illibatam in vigore suo permittere; feudalia bona regni vel Imperii nequaquam alienare; ac irrepræhensibiliter apud Deum & homines in hoc mundo vivere. Hæc statuta militaris regulę si devotè custodieris, & pro posse sive nosse diligenter adimpleveris, scias te mereri temporalem honorem in terris, & post hanc vitam requiem æternam in Cœlis. His autem expletis, Dominus Cardinalis conjunctas manus ejus tyronis clausit in missali super lectum Euangelium, ita dicens: Vis ergo militarem ordinem in nomine Domini suscipere devotè, & regulam tibi verbotenus explicatam pro tuâ possibilitate perficere? cui respondit armiger: Volo. Dominus autem Cardinalis subsequentem exinde professionem eidem armigero dedit, quam & idem armiger palam omnibus in hunc modum legit: Ego VVilhelmus Hollandiensis militię Princeps, sacrique Imperii vasallus liber, jurando profiteor regulæ militaris observantiam in præsentiâ Domini mei Petri S.Georgii ad Velum aureum Diaconi, Cardinali, & Apostolicæ sedis legati per hoc sacrosanctum Euangelium quod manu tango. Cui Cardinalis. Hæc devota professio, peccatorum tuorum sit vera remissio, Amen. His itaque * dictis Rex Bohemię grandem dedit ictum in collo tyronis, ita dicens: Ad honorem omnipotentis Dei te militem ordino, ac in nostro collegio te gratulanter accipio; & memento, quod Salvator mundi coram Anna Pontifice pro te colaphisatus & illusus, coram Herode Rege chlamyde vestitus & derisus & coram omni populo nudus & vulneratus in cruce suspensus est, cujus opprobria te meminisse suadeo, cujus crucem acceptare te consulo, cujus etiam mortem ulcisci te moneo. Quibus ita solemniter adimpletis, novus tyro post dictam missam cum stridentibus buccinis, perstrepentibus tympanis, & tinnientibus cymbalis contra filium Regis Bohemiæ tribus vicibus commisit hastiludium, & exinde cum gladiis * emicantibus dimicando tyrocinium explevit, celebravitque magnificis expensis triduanam curiam, ac donis largifluis cunctis magnatibus suam manifestavit honorificentiam. Sed & Dominus Petrus Cardinalis interim omnem rem gestam per festinum nuntium literatoriè conscripsit Domino Apostolico, & Dominus Papa plurimum gavisus ex hac famâ dispensatori suo tenorem subsequentis epistolæ destinavit: Innocentius Episcopus, servus servorum Dei, Rectori sanctæ Mariæ in Cos-

Equestris dignitatis solennitas cognitu digna.

Qualis debeat esse miles.

Regula militaris ordinis.

Iusjurandū professionis militaris.

* *Peractis.*

Rex Bohemiæ ictu in collum dato tyronem promovet.

* *Enitentibus.*

Innocentij Papæ litera.

in Coſmedin ſalutem & Apoſtolicam benedictionem; Confitere nobiſcum fili, qui tanquam vividum corporis membrum ſentire noſti cum capite: nobis igitur tibi jucunda ſcribentibus, jucundus agnoſce, quod 5. Nonas Octobris in curiâ juxta Coloniam ſolemniter congregatâ, chariſſimus in Chriſto filius noſter Wilhelmus Comes Hollandiæ communi voto principum, qui in electione Cæſaris jus habere noſcuntur, in Romanum Regem cæteris Principibus applaudentibus eſt electus, ſicut per literas Regis ejuſdem, & dilecti filii noſtri Petri, S. Georgii ad Velum aureum Diaconi Cardinalis nobis cônſtitit manifeſtè: porrò ut ſuper gaudium quod de proſpero geſto negotio eſt agendum tibi etiam de perſonâ electi cumuletur novum gaudium, idem Rex, ſicut eodem Cardinale referente percepimus, & publica fama teſtatur, eſt fidelis Catholicus, animo prudens, militiâ ſtrenuus, propriis potens viribus, multorum Principum conſanguinitate & affinitate connexus, Iuventute fervidus, experientiâ moderatus, gratus moribus, & ſpecie corporis, in oculis omnium gratioſus; quapropter ſperamus in Domino & ipſius potentiâ majeſtatis, quod ſub pedibus ejuſdem Regis perſecutore calcato velóciter, & malignantium capitibus conquaſſatis, fides catholica, pax eccleſiæ, tranquillitas orbis, ac fidelium ſtatus debeant ab omnipotente per ipſum magnificè reparari, nam & innumerabiles magnates huic electo protinus ſua capita ſubdiderunt: hæc ergo dic & manda fidelibus, quos noſti de his rumoribus gaviſuros. Datum, &c.

Intereà cùm adhuc electus Rex inexultatione reſideret apud Woringiam, atque triduanam jam expleviſſet curiam, quartâ dehinc exortâ luce, quum brumale gelu graminoſam terrę ſuperficiem in aurora conſtringeret, tubicinatum eſt, caſtra tollere, & civitatem Aquenſem (p) obſidione cingere. Cives autem Aquenſes contra feſtinaverunt extemplò portas claudere, & valvas obſtruere, nec mora quin & idem electus cum invictis bellatoribus papiliones in gyrum erexit, & cum Principibus arcana conſilia tractavit, qualiter aliquod machinamentum poſſet excogitari, quo regia civitas abſque tormentis poſſet obtineri. Denique per quoſdam ingenioſos opifices decretum eſt, ut populare vulgus vallum (q) proceræ celſitudinis extrueret, ac urbem in modum aggeris undicunque cingeret: & cum eadem civitas in convallibus montium ſituata plurimis aquis ſulphuriis eſt irrigua, multiſque fontibus lympidiſſimis ſuperabinde fluida, ideò ſemper inundans aqua nullibi defluentem habens meatum, adeo breviter exuberare incepit, ut nullus civium abſque navigio proprium domicilium commodè poſſet exire. Hoc ergo gravi diſpendio Burgenſes afflicti, promiſerunt electo Regi portas urbis abſque rebellione patefacere, & eundem pro vero domino votivè ſuſcipere, ut circumſeptum vallum infringi præciperet, & inundantem aquam conſueto meatu manare permitteret. Igitur infracto vallo Rex ultimâ die menſis Octobris urbem ingreſſus eſt, & ab univerſis civibus glorioſè receptus. Poſterà vero die, quæ eſt omnium Sanctorum feſtiva ſolemnitas, univerſa multitudo Prælatorum & Principum deduxit electum Regem ad Baſilicam perpetuæ Virginis Mariæ, ut ſolemnem benedictionem acciperet ſecundum ritum antiquæ conſuetudinis: quem Monaſterienſis & Mindenſis Epiſcopi ſimul ordinarunt infra ſacrarium, ſed eundem Leodienſis & Trajectenſis Epiſcopi veſtitum ornamentis Leviticis in modum Diaconi produxerunt ante Regale ſolium, quem ex tunc Colonienſis Archiepiſcopus Cancellarius Italiæ collocavit in ſede Majeſtatis, ita dicens: Super thronum regni glorioſè ſedens, Iudicium & Iuſtitiam in terrâ facias. Archiepiſcopus verò Maguntinenſis Cancelarius Germaniæ cum oleo ſanctificato dextram ejus foras (r) unxit, ita dicens: Conſecrare te dignetur omnipotens Deus in Regem Romanorum, qui David per manum Samuelis Prophetę Regem inungi juſſit ſuper populum Hebreorum: Archiepiſcopus autem Treverenſis Cancellarius Galliæ manus illi ſuperimpoſuit, ita dicens: Deſcendat in te ſpiritus ſapientiæ, intelligentię, ſcientię, pietatis, fortitudinis & conſilii, repleariſque ſpiritu timoris Domini, Marchio quidem Brandenburgię Regis Camerarius annulum ei tradidit, ita dicens: Accipe ſignaculum Monarchiæ, ut Romanum Regnum in ſuo vigore conſerves, quod ab incurſione Barbarorum invictâ virtute defendas. Dux autem Saxoniæ Regis juſticiarius donavit ipſi gladium, ita dicens: Accipe ſceptrum Regium, ut rebelles ſeverâ correctione potenter affligas, omneſque benevolos in tranquillâ pace gubernes. Dux equidem Bavariæ Comes Palatii ſeu Dapifer, dedit ipſi globum aureum, ita dicens; Accipe globum ſphæricum, & omnes terrę nationes Romano Regno ſubjice, ut glorioſus Auguſtus appellari valeas. Rex dehinc Bohemiæ, Regis pincerna de conſenſu Colonienſis Archiepiſcopi, coronam argenteam capiti ejus ſuperimpreſſit, ita dicens: Accipe ſplendidum, & ſis in virtuoſis actibus adeò cho-

Wilhelmus Aquiſgranum obſidet.

Aquiſgranū vallo cinctum ab aquis internis vincitur.

Ritus coronandi Imperatores apud Aquiſgranum.

cò choruscus in terris, ut coronam æternæ felicitatis habere merearis in cœlis. Post hæc autem circumstantes Principes adorantes Majestatem Regiam, acclamaverunt ipsi salutem laudem & gloriam; accedentes quoque singulatim primates ad regale solium præstiterunt eidem debitæ fidelitatis homagium. Tunc his mirâ solemnitate peractis, idem Rex per plenam hebdomadam festivam explevit curiam, cunctisque Principibus suę ditionis patefecit excellentiam. Demum octavo die convenientes Officiales Imperii, statuerunt arcanum colloquium, ut de commoditate Regis tractarent speciale consilium, quatenus magnifici viri, scilicet, Otto Trajectensis Episcopus ejus patruus, & Henricus Brabantiæ Dux ipsius avunculus, ejusdem Regis Consiliatores, & auxiliatores forent, & juvenilem animum ejus à belli strepitu temperarent. Dominus verò Lubbertus Regalis Abbas Egmondensis, vir maturus & egregius constitutus est ejus Vicecancellarius. Quibus ita gestis Rex in magnâ gratitudine cunctis Principibus valedixit, & universa castra Romani Regni studiosiùs perlustravit. *Ephori constitui Wilhelmo Regi Romanorum*

(s) Omnes ubique Castellanii sibi debitam exhibuerunt obedientiam, præterquam solus Castellanius apud Imperatoris insulam. Quapropter ipse Rex jam dictum castrum cum invictis circumvallavit armigeris, impugnans idem diversorum (t) tormentorum *magenis. Nam creberrimi ictus & jactus saxorum quassaverunt turres & mœnia aliquoties, & aries ferratę frontis impegit portas & antemuralia. Econtra verò Castellanius victualibus & armis abundè præmunitus fuit, qui per annum & amplius ipsum castrum honorificè defensavit; deficientibus denium victualibus idem Castellanius expetivit veniam, quem & ipse Rex, obtento castro, recepit in gratiam, ut sibi de cætero fidelis esset, nec rebellionem adversus eum aliquatenus attentaret. *Castellanius apud insulam Cæsaris solus Regi resistit.* **Ingeniis* *Sed post anni obsidionē se dedit, & in gratiam recipitur.*

(u) Demum appropinquante Epiphaniâ Domini Rex migravit ad Coloniam, ut ibidem in honorem trium (x) Regum solemnem immolaret hostiam. Fuit enim illis diebus regens & legens apud Coloniam Dominus Albertus (y) Ratisponensis Episcopus de ordine Prædicatorum, magnus in nigromantiâ, major in Philosophiâ, sed maximus in Theologiâ; qui Regem humillimè precabatur, ut in die solemni secum discumbere dignaretur. Rex autem sperans aliquod prodigiale signum videre, noluit eidem reverendo Patri preces supplices denegare. Celebratis igitur Epiphanię solenniis, idem Episcopus à studorio suo progrediens Regem cum suâ familiâ gratiosè suscepit. Quem extra cœnaculum in viridarium secum adduxit, ubi ministeriales miræ pulchritudinis affuerunt, qui ad convivalem lætitiam quævis necessaria pręparaverunt; fuit utique diebus illis hyems asperrima totaque superficies terræ cooperta nive maximâ: quapropter universa multitudo procerum murmurare cepit adversus Episcopum, quod in tam horrido frigore convivas suos absque foco prandêre jussisset intra pomarium: sed postquam Dominus Episcopus futurorum omnium conscius, una cum Rege resideret ad mensam, & omnis conviva secundum statum dignitatis suę locatus, exspectaret escam, ecce glaciei & nivis immensa moles in momento disparuit, ac ęstivalis calor emicantibus solis radiis ferventer invaluit, terra gramineum germen edidit, ut vernantes flores in mirâ venustate protulit: una quævis arbor frondibus extemplò viruit, & maturos fructus ad vescendum cunctis exhibuit, vinea florens odorem suavitatis reddidit, & recentes uvas in ubertate magnâ citò præbuit, garritus volatilium applaudentibus alis illic intonuit, quarum grata modulatio cunctis accumbentibus magnam exultationem intulit. Quid longius algor hyemalis frigiditatis prorsus evanuit, & fervor ęstivalis caliditatis in tantùm efferbuit, ut quidam discumbentium propter aëris intemperiem exutis duplicibus indumentis seminudos se facerent, & plurimi sub frondosis arborum frondibus hinc inde refrigerium appeterent; ministeriales verò detulerunt ubique copiosam epularum plenitudinem, ita ut abundè satiarent populosam convivarum multitudinem, & lætatus est Rex cum simul discumbentibus in eadem curiâ tot & tanta cernens inaudita mirabilia. Expleto demum convivio turba ministerialium quasi fantasma disparuit: garritus avium omninò siluit, germen arboreum confestim evanuit, florida tellus inarescens exaruit, copia nivis iteratò rediit, & repetinum gelu truculenter inhorruit, ut omnes, qui prius exutis vestibus desudaverunt infra convivium nunc trepidantes accelerarent ad ignem infra cœnaculum. His autem mirâ jucunditate peractis, Albertus Episcopus instanter exoravit Regem, quatenus fratribus suis Prædicatoribus claustralem aream in civitate Trajectensi vellet expetere, & eisdem pro stabilitate regni sui munificas eleemosinas attribuere. Rex autem supplicatorias preces ejusdem Reverendi Patris clementer exaudiens, Trajectum exinde descendit, quem Otto Pontifex ejus patruus cum prælatis & civibus glo- *Albertus Magnus Regem Wilhelmum præstigiis excipit.* *Albertus Magnus Wilhelmum Imperatorē præstigiis excipit.* *Monasteriū prædicatoriū Trajecti à Wilhelmo Imperatore collatum.*

bus gloriose suscepit, qui de fidelium suorum consilio Burgensis effectus est, & extunc spaciosam campi planiciem infra civitatem nemine contravemente mercatus est, quam ad structuram claustri donavit antedictis fratribus in eleemosynam, insuper & auri fulvi satis magnam copiam. Denique confirmatis ab eo libertatibus civitatis & ecclesię, idem Rex gloriosè susceptus est intra Comitatum Hollandiæ, qui & in Hagâ Regale palatium extruxit, ubi de causis (z) arduis regni tribunale consistorium frequentavit.

Palatium Hagense ab eodem extructum.

Civitatenses autem & Castrenses Imperialis Camerę reddiderunt eidem(aa)benevolè censum Regium, ita quod indeficienti thesauro suo exubetaret gazophylacium; qui quoque pro tractatu generalis pacis convenerunt apud Maguntiam, destinantes eidem per solennes nuntios hanc Epistolam: Glorioso Domino suo Romanorum Regi Wilhelmo Consules & Iudices plus quàm lxx. civitatum superioris Germaniæ reverentiam & obsequium perennale. Excellentiæ vestræ tenore præsentium declaramus, quod nobis apud Maguntiam existentibus die 19. mensis Iunii ad generale colloquium mediante nobili viro Alberto de Waldecke Imperialis aulæ Iustitiario, firma pax & treugę stabiles super universis guerris & discordiis sunt statutæ. Quapropter Majestatem vestram Regiam humiliter exoramus & consulimus quantum licet, quatenus pacem terrę salubriter inchoatum per literas magnipotentię vestræ jam dignemini confirmare, eo quod vestrum commodum, utilitatem, salutem importare dinoscitur & honorem; scientes quod vestræ serenitatis adventum nobis salubrem ad partes nostras cum ingenti desiderio præstolamur. Datum apud Maguntiam ultimâ die mensis Iunii. Rex ergo hac Epistolâ gratulanter acceptâ, pacem inchoatam sub banno capitalis sententię firmiter observari præcepit: quinimo prælibatos ambasiatores, ditatos regiis muneribus ad patriam honorificè destinavit.

Obedientia Imperialiũ civitatum.

Eisdem diebus Dominus Episcopus cum ecclesiâ Trajectensi glorioso regi conquestus est, quod idem Episcopus à Comite de Ghore tam in possessionibus, quàm in hominibus injuriatus est, quapropter & ipse Rex eundem Comitem citari fecit ad ipsius pręsentiam, sed & idem Comes nequaquam comparere volens, absentavit se per obstinatam contumaciam, Rex autem coram altari sancti Martini Confessoris arma protinus induens, indesinenter equitans, prędictum Comitem capiens, & terram ejus depopulans, cum victoriali laude Trajectum revenit, captivum Comitem Episcopo dedit, ac eundem jure debito dignitate sui nominis deprivavit.

Comes de Ghoer contumaciâ damnatur, & dignitate nominis sui privatur.

Anno Domini MCCXLIX. venerabilis pater Dominus Otto Trajectensis Episcopus III. Nonarum Aprilis obdormivit in Domino, tumulatus apud Ecclesiam majorem honore congruo. Hic Otto XVI. annis egregiè rexit Episcopatum, quem in introitu suo pauperrimum invenit, sed superabundantem in multis divitiis, suis posteris reliquit.

Otto Episcopus moritur bonus œconomus.

a *Hic Florentius Comes anno 1234. &c.*] Bellum hoc contra Stadingos, quos Emmius Stedingos vocat, & Frisiis annumerat, prolixè & accuratè idem describit principio lib. x. rer. Fris. Meminêre ejus & Chronicon vulgare, Meyerus, Heda, Chronicon Magnum, Annales Godefridi mon. Col. Chronicon. Alb. Stadensis Crantz. Metrop. lib. 7. cap. 47. Molanus de Militiâ sacrâ, Divæus lib. x. Brab. Haræus in Henrico IV. Brab. Duce liber de Episcopis Bremens. & alii plures. Snoyus in annum 1230. videtur hoc bellum referre, & multa addit, quæ neque Chron. vernaculum, neque quisquam alius, quod sciam, habet; ut neque singulare illud de cæde Egmondani à Stadingis, & clade Hollandorum, cujus tamen meminit Bockenbergius in Wilhelmo I Egmond. Domino, & unico verbo attingit Chron. vulgare.

b *Ordinatis aciebus ab Histrionibus,*) Histriones appellat Heraldos vulgo dictos, id est magistros armorum & cæremoniarum.

c *In Corbiaco,*] Corbrata habet Chronicon, Magnum Belg. Alber. Stadensis, & scriptor incertus de Archiep. Brem. Noviomagi occisum volunt. Sic n. ap. Hunc legitur: *Sed Comes Holland. domum veniens in torniamento ap. Noviomagum est occisus.* Scriverius interpretatur Noyon; sed Nomenclator ad Iul. Cæsarem ex Ortelio, Noviodunum dicit esse *Noyon* non Noviomagum. Merula nihilominus auctore Scaligero Noviomagũ asserit, & Scriverio accedit. Potior autem pars scriptorum locum cædis faciunt Corbiacum. Hodie Corbie, intra Ambianum & *Roye* situm ad Somonam fl., non ita longe à Clermontio. Godefridus Monach. Colon. ad ann. 1234. *Ipso anno Comes Hollandiæ in torneamento suffocatur ap. Corbiam in Ambianensi diœcesi*, cui accedunt, Heda, Stokius, Snoyus & alii. Chronicon vulgare ex Gerbrando Clermontiæ hæc accidisse refert. Bockenbergius locum non addit.

d *XIV. Kal. Augusti.*) Heda, Snoyus, Chron. Magnum huic nostro adstipulantur. Annum plerique 1234. exprimunt, Bockenb. verò 1235. Emmius biennio post bellum Stedingense factum esse.

esse. Idque vero magis videtur simile, nam si in Majo prælio contra Stedingos adfuit, tam breve tempus *duarum* scilicet mensium intercessisse vix credibile est.

e *Et ecce jocosum tyrocinium,*] Tyrocinium & torneamentum mediæ ætatis scriptoribus ludus equestris denotatur & hastiludium M. Goldast. Ludos quoque hasticos appellatos refert. Tyrocinii verbum etiam Snoyus in suâ historiâ retinuit; & auctor noster eo aliquoties usus est. Tyrocinio quoque ludere legitur in Rigordo de gestis Philippi Aug. Francorum Regis. Admodum olim frequentes hi ludi equestres, sed propter incommoda & inimicitiæ quæ inde sæpe oriebantur, prohibiti fuêre; idque in Concilio Lateranensi ann. 1139. ut testatur Sigonius de regno Ital. lib. XI. quod tamen indictum non celebratum dicit Panvinius. Hovedenus idem statutum ab Alexan. P.R. anno 1279. refert.

f *Hollandiæ Domicellum,*) Teutonicè **den Jonckheer van Hollandt** / ita vocabantur, quorum pater adhuc superesset, vel sub tutela aliorum degerent, *etiam qui* nondum equestri dignitate donati essent; Sic Florentius V. sub tutela existens infra in Ioanne. I. dicitur domicellus; sic anno 1252. Giselbertus Domicellus de Amstelle.

g *Idem Episcopus Trentones devicit,*) Vide hic Ubbonem Emmium lib. X. rer. Fres. qui tradit Drentones, ut malo maturè occurrerent, sponte sua legatos Trajectum misisse, petitâque venia, tolerabiles deditionis conditiones obtulisse.

h *Machtildis Comitissa decessit,*) Hanc Margaretam videtur appellare Suerius Boxhornius, at nescio quo authore, omnes enim scriptores Machtildim Henrici Lothar. Ducis F. agnoscunt. Chronicum verò magnum Belg. in anno obitus ejus fallitur, nisi typographi culpa sit cum annum habeat 1247.

i *Ducens in uxorem Elizabeth* &c.] De hac videatur accuratissimus rer. Hollandicarum investigator. P. Scriverius, in notat. ad historiam patriam; Chronicon Alberti Stadens. Abb. ad ann. 1251. Crantz. Saxon. lib. 8. cap. 27.; Georg. Fabricius Saxon. mem. lib. 2 ad eundem annum.

k *D. Petrum Capucium ad velum aur.* &c.) Onuphrius tradit hunc Petrum Rom. Card. ad Velum aureum S. Georgii ab Innocentio 4. P.R. creatum Legatum per Germaniam pro defensione Iurium Ecclesiæ contra Fredericum 2. Imp. Excommunicatum.

l *Celebrarent electionem Regiam,*) De Electione Wilhelmi vide plura ap. Scriverium in Censuris ad Chron. Vulg. eaque facta anno 1247. coronatione secutâ anno seq.; ut tradit Stokius. Stadensis eo quoque eum anno in Nussiâ creatum Regem scribit; quem perperam Hollandiæ Comitis fratrem credit. Trithem. Abb. in Chron. Hirsaug. anno 1249. ap. villam Woring. creatum dicit. Onuphrius in Fastis Impp. annum præfert 1247., ut & in Chron. Ecclesiastico, ac libro de princip. Rom. quem annum laudant scriptores Magdeb. Major nihilominus pars historicorum anno 1247. electum asserit, & seq. 48. Aquis coronatum; in quâ sententiâ sunt Emmius, Snoyus, Meyerus; Chron. Augustense, Mathæus Westmonasteriensis Anglus, Mathæus Paris, Francisc. Guilimannus de reb. Austr. Rubius in historiâ Ravennatium, Peucerus ad Chron. Carionis, Paralipomena ad Urspergensem Abb. Nauclerus, Meursius in Athen. Leidens. Descriptio Leidensis, Chron. populare &c. Sunt qui annum probant electionis ejus 1248. quo in numero Sifridus presbyter Misnensis. M.S. Chron. ap. Serrarium, Chronicon Monachi Paduani, Haræus, Georg. Fabricius, Divæus & Bertius. Sed facilem conciliationem hi accipient, si dixero illos ad Electionem, quæ facta in fine anni 1247. hos verò ad coronationem Aquisgr., quæ contigit anno sequenti respexisse, quod etiam vidit Bockenbergius. Alii autem longius abeunt, Carionis Chronicon Venet. anno 1556. editum, sic habet: *Anno 1255. electus est Cæsar Wilhelmus Holl. Comes, principem ferunt probitate morum & vitæ innocentia insignem fuisse, sed à Frisiis cæsus est anno* 1256. Arn. Pontacus Chronogr. lib. 2. *Mortuo Henrico Lantgravio anno 1259. statim ab Electoribus Imperii procurante P. R. per legatum Petrum Caputium contra Fredericum & Conradum ejus F. designatus est Rex Rom. & coronatus Wilhelmus Comes Holl. &c.* Polidor. Vergilius Rer. Angl. lib. 16. *Insecutus est inde annus hum. Sal.* 1157. *quando inter Principes Germanos, Guil. Holland. Comes paulò ante Rom. Rege facto à Frisonum gente interfecto, de Imperio coaptando contentio est orta*: Hæc tamen magis ad tempus mortis, quam electionis spectare videbuntur.

m *Apud pagum Woringiæ Col. diœcesis elegerunt,*) Hic pagus nobilitatus memorabili prælio inter Iohannem I. Brab. principem & Remold. Gelriæ Comitem, postea anno 1288. gesto. In loco variant scriptores, Franc. Guiliman. Habsp. lib. 6. sic habet: *Moniti à pontifice summo principes Regni Guilielmum Hollandiæ Comitem pauci Novesij congregati præside Conrado Col. Archiepiscopo, & P. Capucio ad velum aureum Card. præsente Regem nominarunt.* Mutius Rer. German. libr. 20. *Post hujus* (Thuringiæ Lantgravii) *mortem mox conveniunt Francofortiæ principes, eligunt Wilhelmum Com. Hollandiæ qui post electionem exercitum, quem habuit Francofurdiæ, duxit contra Fresones, à quibus superatus prælio, occisus est.* Nimis hæc concise, res enim gestas 9. annorum in unum quasi momentum contrahit. Crantz. Saxon. lib. 8. cap. 16. Nussiæ quoque electionem factam vult: Cum Bekâ facit Trith. in Chron. Hersaug. sed corruptè ibi *Wornich* pro *Worinch* legitur; Cuspinianus Waringen habet. Nec in tempore, quo præfuit Rom. Imperio conveniunt. Sunt qui novem ei annos tribuunt ut Chron. Augustense, Onuphrius, Cuspinianus, Emmius, Munsterus, Strada, Bertius, plures. Alii tantùm septem ut Trith. Abbas, Arnol. Pontacus, Chronicon vulgare, Snoyus, Georg. Fabritius in historiâ Saxonicâ præfuisse eum Regno VIII. ann. II. mens. dies XXVIII. tradit, sic & ad Barlandum annot. Marsæi Chron. VI. tantum hæc breviter qui plura desiderant, rem cum curâ discussam à do-

ctissimo

ctiſſimo Scriverio inveniet. *Itali* plerique Imp. Thuringum, Hollandum, Luſitanum, Anglum, ne nominant quidem, ſed vacaſſe Imperium volunt. Benevenutus de Rambaldis ex antiquioribus omnino omittit, Goltzius pſeudo-Imperatores & vitio-creatos dicit. Balæus in actis Pontificum Rom. Guillielmum ſolummodo duos annos regnaſſe, ſed nihil pro tantâ dignitate memorabile feciſſe ſcriptum reliquit. In Faſciculo temporum ſic legitur: *Lantgravius Turingiæ & Comes Holl. fuerunt electi ex mandato Papę contra Fredericum ſucceſſivè, ſed non prævaluerunt contra eum, quia potens nimis erat, nec fuêre coronati, morte præveniente.*

n *Miles fieret,*) Id eſt, inter equites legeretur, nam eo ævo equites nobiles, vel equeſtri dignitate, donati milites dicebantur: cæteri nobiles famuli, vel armigeri. De equeſtri ordine ſuſcipiendâ alii quoque ſcripſerunt: & nihil olim nobilibus honorabilius eâ dignitate, quæ præmium erat virtutis; nec ita paſſim impertiebatur *in bonos* ex favore aut pretio imò ut extra hanc dignitatem *poſitis*, ne ſigillo quidem uti aliquando concederetur, cujus rei documento ſunt diplomata à me viſa. Scripſêre de Originib. Equeſtr. præter alios Claudius Fanchetus Gallicè, Puteanus, Menenius Latinè, & hoc ipſo tempore Chifletius Burgundus opus parat inſigne de Equeſtri Ordine, qui non ita nuper Aurei Velleris ordinem ſingulari libello ornavit.

o *Cujus etiam mortem ulciſci te moneo,*) Iocò ne hæc an ſeriò? Contra quos iram illam ſuam effundet? Saracenoſnè, Turcas, Arabes? qui 1200. & pluribus annos poſt Crucifixum Chriſtum nati ſunt, an contra Iudæos? quorum majores iſtius piaculi fuere participes, at illi patriâ extorres pœnas tanti criminis pendunt, omniſque eorum poſteritas per totum terrarum orbem incertis ſedibus vagatur. Hæc ſanè tam ſtulta quam impia perſuaſio olim omnem pœnè Europam Aſiamque perturbavit, majore oppugnantium quàm defendentium incommodo, aliquot enim centena millia hominum, hæc, quæ pia & ſancta vocabatur, expeditio, conſumpſit. Senes quippe juveneſque ſummæ infimæque conditionis, quaſi oeſtro perciti eò ferebantur: mulieres ex bonis ſuis in eam largiter conferebant expeditionem; omniumque criminum rei, eo tanquam ad expiationem ſcelerum properabant, etiam condemnabantur, nihil præter ſolum & ſalem mutaturi. Vide quæ in hanc rem Conradus à Lichtenau in Chronico, de Freder. 2. Imp. agens ſcribit.

p *Civitatem Aquenſem obſidione cingere,*) Aquenſes enim partes Frederici ſequebantur & adhærebant Cunrado, cui à patre Imperium traditum fuerat, vide ſcriptores Magdeburgenſes, cent. 13. ca 16. Franciſcus Haræus in Henr. VI. Brab. Duce, 6. menſib. obſeſſam auctor eſt. Sic de totâ eâ re Sifridus Miſnenſ. preſbyter ad annum 1248. *Wilhelmus Comes Hollandiæ in Regem Rom. Electus eſt, & civitatem Aquiſgrani expugnavit.* Math. Weſtmonaſterienſis tradit civitatem Aquiſgranenſem à Cunrado munitam, ne novus electus ibidem coronaretur, ut autem Rex electus Freſonum induſtria Aquenſes domuerit, vide Ubb. Emmium in hiſt. Friſ. lib. x.

q *Vallum proceræ altitudinis exſtrueret,*) Simili ſtratagemate Ioan. Corvinus Mathiæ Ungariæ Regis pater uſus in expugnando quodam caſtro, teſte Bonfinio Rer. Ungar. lib. 7. Dec. 3. hiſtoriam etiam hanc deſcribit Hocſemius in vitâ Henrici Gelrii Leodienſis Epiſcopi.

r *Dextram ejus foras unxit,*] In MS. meo eſt, intus & foras unxit. Chron. Magnum parumper variat, & Coronationis cæremonias aliquanto latius exſequitur Snoyus, videatur & Trith. Chron.

ſ *Solus Caſtellanius ap. Imperatoris Inſulam,*) Keyſerſwerda vulgo dicitur. Meminerunt hujus expeditionis Chronicon Rhytmicum Stokii, vulgare Chron. Holl. Snoyus etiam, qui Caſtellanum hunc, ob fidem Regi deinceps pertinaciter ſervatam, generum eſſe effectum Theodorici Bredenrodii Principis Hollandici, (quem Bockenbergius in illuſtr. Bredenr. Alphardum vocat) addit, ſed horum fidem auctoribus ſuis relinquo, hanc rem ita breviter attingit Abbas Ioan. Trithemius in Chron Hirſaug. *Omnes autem Inferiorum partium principes & nobiles obedientiam ei præſtiterunt, præter quoſdam caſtellanos, adhuc Frederico fideles. Inter quos fuit Caſtellanus de Keyſerswert, quem Rex Wilhelmus obſidione cingens, ſuperare non potuit, quoniam fortiter ſe defendit.*

t *Diverſorum tormentorum Magenis*;] In MS. meo ingeniis legitur: Ingenia autem ſunt inſtrumenta & machinæ bellicæ *Engins* Gallicè, unde apud nos dicti *Ingenieurs* talium machinarum inventores, horum meminerunt Goldaſtus, Freherus, Lydius, quinimo & Lipſius Poliorceticon lib. 1. Dial. 3. *Poſteriores (*inquit*) ſcriptores Latini hæc ideo ingenia, & eorum architectos Ingeniarios dixerunt*: paſſim in mediæ ætatis ſcriptoribus occurrit hoc vocabulum, vide Gotifredi Mon. Col. Chron. pa. 270. edit. Freherianę. Huntingdonenſem Angl. hiſt. lib. 7. Dicuntur & Mangenæ, Mangonelle, Manga; inſtrumenta Petraria, quibus muros olim verberabant. Abbo à Pithæo editus, ubi agit de obſidione Lutetię Par. ea ſic deſcribit:

Conficiunt longis æquè lignis geminatis,
Mangana, quæ proprio vulgi libitu vocitantur,
Saxa quibus jaciunt ingentia.

Paulus quoque Diaconus, vel potius Landulfus Sagax in continuatione Diaconi, lib. 21. *Dejicitur lapide emiſſo ex Mangone, & contritum eſt caput ejus.* Vide & Lipſium Poliorcet. lib. 3. Dial. 2. Chriſtian. Urſtiſium ad hiſtoricos à ſe editos. Freherus *Mogonellos* vocat; Fauchetus antiquarius Gallicus *Man-*

cus *Mangonellos* videtur legisse, *Mangoneaux* lib. 2. de mil. & armis.

u *Demum appropinquante Epiphaniâ,*) Sic restitui ex MS. meo, adstipulantibus Chron. Magn. Belg. & Chron. Sponheim. Trithemi, quæ sua ex Bekâ descripserunt. Theophaniam enim Domini ex Nazianzeno appellatum diem, quo Christus redemptor noster natus est, Baronius ad Martyrolog. Rom. testatur; nec Magorum festum alio, quam Epiphaniæ nomine in Martyrologiis invenio, nisi quod Notkerus etiam Theophaniam à quibusdam Græcorum dici scribat.

x *In honorem trium Regum* &c. Ita ex MS. meo & aliorum, ac chronico magno Belgico lego. Trythemius in Chron. Sponheim. Magorum habet, unde Furmerius fortè mutationem hausit: verùm Trithem. sensum quidem Bekæ expressit, sed verba plurimum mutavit, ego exemplaria MS. malui sequi.

y *Albertus magnus in nigromantiâ,*) Hanc narratiunculam, licet fabulosam eam credam, etiam referunt Chronicon Magn. Bel. Cuspin. de Cæsarib. Chron. vernaculum, Trithem. Abbas loco supra nominato ex Bekâ; de veritate tamen non judicant. Opmerius ut verosimilem faciat ex ingenio explicat in Chronico suo generali. Hoc saltem verum est, quod Albertus eo tempore Guillielmo Regi auctor fuerit in Trajecto monasterium fratribus Dominicanis construendi. *Id etiam pro more istorum* temporum fuit, ut occultioris philosophiæ ac Mathesios peritos, Nigromantiæ labe infectos ac Magos putarent. Sic & Guibertum, qui ad pontificatum ascendens Silvester II. dictus est, magum celebrem faciunt, & malis artibus infamem, Martin. Polonus, Platina, Sigisbertus, Balæus, scriptores Magdeb. Chronicon Carionis, alii: Sed quàm illi decepti sint errore hoc populari, notis suis ad Platinam ostendit Onuphr. Panvinius.

z *In Hagâ Regale Palatium extruxit,*) Ex Gravisandâ Curiam eum Hagam transtulisse traditur, non tantùm Chronico vulg. sed & Snoyo, Berlando, Iunio, Bockenbergio, aliisque adstipulantibus.

aa *Ita quod indeficienti Thesauro suo exuberaret Gazophylacium.*) Immò Guil. pecuniis semper indiguisse sunt qui scribant, & proinde plura Imperii loca & jura alienasse; quod de Noviomago Ottoni Geldriæ Comiti pro 16000. Marcar. arg. puri anno 1248. obligato in primis constare poterit. Albertus Stadensis Abb. 1249. *Wilhelmus coronatus circa Rhenum aliquandiu commoratus cum exercitu, cum expensas Regi congruas non haberet in Hollandiam regressus est:* Guilimannus lib. 6. Habspurg. *Nam neque Guillielmo vires dignitati pares aderant, aut in tantum auctoritate adoleverat* &c. quæ ibi sequuntur.

Goesvinus Episcopus XXXVII.

POst obitum reverendi Patris Ottonis, Goesvinus sancti Ioannis in Trajecto Præpositus XXXVII. electus est Episcopus. Hic Goesvinus ab (a) Amstel oriundus saltem ad (b) annum vel paulò plus regens Episcopatum, vir erat simplicitati deditus, & de (c) rebus Ecclesię minùs bene sollicitus. Quapropter totus Episcopatus in brevi tempore tantundem penè distractus fuit, quantùm paulò priùs per Dominum Ottonem gloriose sublimatus fuit. Provisores autem Ecclesiæ totius Episcopatus utilitati fideliter intendentes, coadunaverunt generale Capitulum, ut de bono statu terræ tractarent * generale colloquium. Convenerunt enim ad hanc Synodum Wilhelmus Romanorum Rex egregius, Dominus Cardinalis Petrus Caputius, & Conradus Coloniensis Archiepiscopus: in quorum præsentiâ Goesvinus electus astans honori cessit & oneri, ac in manus Regis & Cardinalis renunciavit Episcopatui. Dominus autem Cardinalis ad postulationem Archiepiscopi Coloniensis extunc (d) Henricum de Vianâ cathedrari jussit, cui similiter & ipse Rex per pastoralem baculum & annulum, temporalem Iurisdictionem dedit. Fuit etenim Henricus ejusdem Archiepiscopi consanguineus, vir illustris & constans, & magnanimus, ac ecclesiæ Coloniensis Archidiaconus, pro quo totus Episcopatus Trajectensis nimium exultavit, & cum gratiarum actione Deo cœli devotissimè benedixit.

** Vniversale Synodus congregata inquirit in mores Episcopi. Viandâ. Henricus de Viana Goesvino renuncianti, in Episcopatu succedit.*

In MS. meo, & Chron. magno Bel. est Goeswinus: Heda Gosvinum vocat; Noviomagus Gosuinum; Barlandus Gosuvinum; Snoyus Gosewinum.

a *Hic Goesvinus ab Amstel oriundus,*) Hunc filium putant Ægidii fratris Giselberti II. Domini de Amstelle, qui inter testes controversiæ sopitæ inter collegium Marianum & Dominum de Goye, anno 1227. de decimis in Halten, nominatur; ab hoc Ægidio etiam Mindenos ortos credibile est, cum paullo post illud tempus anno nempe 1235. inveniatur Wilhelmus de Minden F. Domini Ægidii de Minden militis, à quo Amylius de Minden pater Walteri, & sic deinceps alii, quorum hodie adhuc posteritas vivit.

b *Saltem ad annum vel paullo plus,*) Barlandus dignitatem ultrò deposuisse tradit. Noviomagus intra annum Episcopatu se abdicasse. Bockenberg. biennio functum Episcopatu, remotum vult; alii

post

post biennium cedentem factum Decanum Coloniensem, scribunt. Heda ei unum quoque annum tribuit; chron. vulgare duos circiter annos rexisse eum dicit, chron. Magnum Bekæ concordat.

c *De rebus ecclesiæ minus solicitus,*) Plerique negligentiæ & malè administratæ Reipubl eum accusant. Heda autem causam cessionis fuisse innuit, quia minus gratus esset Guil. Regi propter gentiles suos Amstelios, quod & probo: Nam potentiores Nobiles Principibus suspecti esse solent; sic Amstelios, Arckelios, Wassenarios in Bataviâ oppressos vidimus, aut subjugatos.

d *Henricum de Vianda,*) Sic scribendum putavi, cum ante de vianâ legeretur; In meo MS. est de Vigena, sic chronicon habet magnum & cum eo Snoyus. Heda ex gente illustri Viennâ oriundum, at Bockenbergius crasso errore Vianii domini filium facit. Melius Noviomagus, qui Viandensis Comitis filium scribit quorum stemma videre est ap. Miræum Notitiâ Belg. Eccl. c. 181. & 221. Comitatus verò ad Nassovios pervenit, qui eo & titulos & insignia augent.

Henricus Episcopus XXXVIII.

Henricus itaque XXXVIII. ordinatus Episcopus, quævis ecclesiastica ministeria piâ solicitudine sublimare studuit, nihilominus & temporalia Iura strenuâ probitate gubernare disposuit, sed livor & indignatio Dominorum de Amstel & de Woerden vehementer inflammari cœpit adversus eundem Episcopum, pro eo, quod Goesvinus propinquus eorum destitutus esset per generale capitulum: qui conspiratoriè Comiti Geldriç fœderati totum Episcopatum assiduis perturbaverunt incursionibus quibus Henricus viriliter se opposuit, cum quibusdam suis ministerialibus. Denique post multas incursiones definitum est, ut utraque pars in planicie pratorum virentium conveniret ad bellum campestre, & ibidem sub dio determinatâ pro coronâ victoriæ decertarent. Domini siquidem de Amstel & de Woerden contractis undecunque multis preliatoribus in magnâ superbiâ devenerunt ad locum certaminis, ut totis viribus disturbarent exercitum Henrici pontificis; econtra verò jam dictus Episcopus vasallos suos cum (a) Burgensibus fideliter admonuit, & arrogantiam (b) illorum * duorum potenter edomare disposuit. Cùm itaque præliandi dies jam instaret, ut idem Episcopus cum suo exercitu locum certaminis adiret, Coloniensis Archiepiscopus diebus illis existens in Trajecto (c) pretiosum annulum dedit Henrico Pontifici, dicens, hæc verba coram innumerabili turbâ circumastantis populi: Fili, præcordialis, securus esto quoniam hodierno die per intercessionem beati Martini Confessoris almiflui, & per virtutem præsentis annuli omnem rebellionem adversariorum tuorum egregiè coercebis, & victorialem laudem de cunctis inimicis tuis sine dubio reportabis: ego namque civitatem hanc cum matronis & Canonicis fidelissimè tibi custodiam, & solemnem orationem interim Domino Deo exercituum pro labore tuo faciam. Henricus igitur Episcopus his auditis, in Domino confortatus cum sonitu tubarum concrepantium, & exercitu bellatorum decentium urbem egrediens, campum belli decenter adivit, ac acies suas ad preliandum sagaciter ordinavit. Interea cùm hęc agerentur apud Trajectum, Wilhelmus Romanorum Rex festino referente nuncio percepit Episcopum & prefatos Dominos contraxisse populosum exercitum, ut in pratis virentibus committerent exosum prælium; quapropter & ipse Rex festinanter adunavit expeditos equites & elegantes pedites viam celerem versus Trajectum instituens, ut hujusmodi belli tumultum interciperet, & pacis amicitiam utrobique * reformaret, & ecce regalis exercitus per Borealem (d) portam vix urbem intraverat, cùm Episcopalis exercitus per Occidentalem (e) portam civitatem jam exierat: Archiepiscopus verò Coloniensis cum matronis & Canonicis circa civitatem curam agens, & angulum civitatis in gyrum undecunque perlustrans, clavicularìis urbis (f) indixit, valuas urbis firmiter obserari, & sibi claves portarum absque dilatione deferri, ignorans quod exercitus urbem recenter esset ingressus, ac infra muros sub arctâ clausurâ circumseptus. Rex igitur festinanter Episcopalem exercitum volens insequi, nullibi patentem adinvenit exitum, & cùm idem Rex aliquantulum moram traheret, nemoque valvas urbis citò patefaceret ex animi sui vehementiâ cœpit extemplò seras portarum evellere, & vectes ferreos atterere, ut incessanter Episcopalem insequi posset exercitum, & jam inchoatum sequestrare prælium. Archiepiscopus verò Coloniensis hoc intelligens, vehementer anxiatus est, credens civitatem à Rege esse captam, & exercitum per clavigerorum ignaviam intromissum, quamobrem & ipse cum matronis & Canonicis urbis excubias

Domini de Amstel & de Woerden contra Episcopum insurgunt.

* *Dominorum.*

Archiepiscopus Coloniensis hortatur ad bellum.

* *Faceret.* *Wilhelmus Imperator suadet & quærit pacem.*

Imperator exitum quærit.

excubias observans, Regis præsentiam confestim aggressus est, ac eidem facto silentio taliter allocutus est: Domine Rex audiat Magnificentia vestra quædam sermonis mei breviloquia: Regiæ Majestatis interest subjectum sibi populum in tranquillâ pace regere, æquitatem, judicium & justitiam in terrâ facere, nunc ergo (salvâ vestrâ reverentiâ) si fas est dicere, vereor econtrà, quod hâc de causâ cum armatis bellatoribus civitatem occupastis, serasque portarum infringi præcepistis, ut Burgenses à propriâ civitate possetis excludere, & eandem intromissis novis inquilinis potestati vestræ subjicere, si autem hoc, (quod absit) contra justitiam attentare præsumpseritis, me vestrum Cancellarium confunditis, & honorem magnificentiæ vestræ plurimùm diminuitis; Quapropter vestram benignitatem clementer admoneo, quatenus hanc urbem mihi dignemini restituere, & concives a violentâ molestatione (g) dimittere. Rex autem expletis sermonibus ejusdem Episcopi, tale responsum dedit, in audientiâ circumstantis populi: Venerande Pastor, & Episcope, sicut tua novit industria, decet Regem ubique bella supprimere, & grassatores austerâ correctione potenter affligere; discernas igitur quantum nobis dedecus esset & opprobrium, si in confinio Majestatis nostræ populare committeretur hoc prælium. Ideoque cum militibus nobis adjunctis & armigeris civitatem hanc potenter introivimus, & Episcopum cum ministerialibus suis reconciliare decrevimus. Postquam autem intelligimus Episcopum foris esse cum civibus ad committendum campestre prælium, maturamus iter ut festinanter ejus insequeremur exercitum. Igitur nobis aliquantisper exspectantibus, cum nemo compareret, qui intrantibus, urbis patefaceret exitum, & sic hactenus nostrum bonæ voluntatis propositum impediretur; securibus & malleis vectes & valvas infringi præcepimus, & vestigia præcedentis exercitus insequi mandavimus, quatenus edictum bellum interciperemus authoritate Regiâ, ut utraque pars sine conflictu cum pace rediret ad propria. Non enim æstimare debes quod adversus Henricum Pontificem aliquo modo fellitum (h) geramus animum, quem paulò pridem ex bono favore te rogante, postulavimus in Episcopum; quinimò civitatem hanc sub nostram protectionem benignè suscepimus, cujus jamdudum, promissâ fidelitate, Burgensis effecti sumus. Ut autem cognoveris, quod in dolo tibi non loquimur, & Episcopo sive civitati non irascimur, ecce jam urbem, quam inopinatè cœpimus, & exclusis civibus possidere possumus, tibi benignè restituimus, & præconis voce tubicinari præcipimus, quatenus nostri commilitones ad hospitia tendant, arma deponant, & residuum diei in lætitiâ deducant.

Ab Archiepiscopo errante verbis mitigatur.

Respondet Archiepiscopo.

Interea Dominus Episcopus adversus inimicos suos crudele bellum agens plerosque fugavit, multos occidit, & Dominos de Amstel & de Woerden captivos comprehendit, quos * extemplò funibus alligari præcepit, atque circa dextrarium suum trocitantes infra Trajectum deduxit, & quamprimum vespertinum cœpisset intonare cymbalum, idem Episcopus urbem victoriosus ingressus est, & tam à Rege quàm ab Archiepiscopo gloriosè receptus est: ad quorum devotam supplicationem idem Episcopus prælibatos captivos suscepit ad veniam, quibus etiam relaxatâ prisione magnam abinde fecit gratiam. Alterâ verò die cum auroræ jubar rutilantes cœpisset exaltare radios, Rex Episcopo valedixit, & pro quibusdam Regni causis expediendis ad Hollandiam properavit.

Episcopus hostes vincit, & captos Trajectum ducit.

** Protinus.*

Eosdem clementer in gratiam recipit.

Sed quia Comes Geldriæ jam pridem cum præfatis Dominis de Amstel & de Woerden adversus Henricum Pontificem fœdus conspirationis percusserat, totamque terram Trajectensem assiduis perturbationibus infestaverat; Ideo Dominus Episcopus cum copiosâ turbâ plebis & militiæ potenter intravit Veluvam, concrematisque villis plurimis prædam contraxit abinde maximam, milites autem & incolæ de terra Geldriensi constanter in unum conglobati festinaverunt econtrà captam prædam violenter excutere, & adversus Episcopalem exercitum crudele bellum agere. Sed Dominus Episcopus, ut vir imperterritus, cum tubis stridentibus, & vexillis fulgentibus adversas cohortes horribiliter aggressus est, & ipsis profugatis cum captivis & spoliis Trajectum gloriosè reversus est. Ex quibus idem Episcopus adeo ditari cœpit, ut castrum (k) Vredelant adversus incursionem Domini de Amstel, expensis magnificis ædificaret, quo circumjacentes rusticos à consuetâ rebellione consimiliter absterreret.

Episcopus infensus Comiti Geldriæ Veluam vastat.

Vredelant castrum ex manubiis construitur.

Anno Domini M CC LIII. Theobaldus (l) de Ghysen & Wolfardus de Berro Comites cum Guidone & Ioanne de Dampier filiis Margaritæ Comitissæ Flandriensis, collegerunt innumerabilem exercitum ex Flandriâ, Franciâ, Picardiâ & Pictaviâ, magnam expeditionem in-

Controversiæ inter hæredes Margaritæ Flâ-

drensis, & Wilhelmus Imp. ob Walachriam. nem insistentes pro subjugandâ Walacriâ. Wilhelmus autem Rex econtrà Florentium fratrem suum cum exercitu valido destinavit ad Zelandiam, ut Margaritæ Comitissæ contumeliosam edomaret arrogantiam. Dux verò Brabantię Regis avunculus controversiam hanc reconciliari disponens, diem instituit ad interloquenduu de concordiâ, quatenus utriusque partis exercitus sine conflictu rediret ad propria. Cùm autem apud Antverpiam triduanum *Dux Brabantiæ pacem tentat.* tractaretur interloquium, Margarita Comitissa perperam intendens occultâ legatione mandavit exercitus sui capitaneis, ut extemplò Walacriam introirent, & in absentiâ Regis cum Florentio Præside bellum anticiparent. Ac illi mandatis Comitissæ festinanter obtemperantes, cum centum & quinquaginta millibus armatorum transfreraverunt ad Walacriam, minimè diffidentes contra Florentium obtinere victoriam. Econtrà vero Florentius Præses *Margarita fraudulenter agit.* cum tubis stridulis & cornibus horrisonis in Westcapel adversos hostes viriliter aggressus est, de quibus inopinatum tropheum die IV. mensis Iulii potenter adeptus est. Fuit etenim in eodem bello tam cruenta strages, & horrendum excidium, ut Hollandiæ & Zelandiæ populi per maximam multitudinem Flandriensium & Francorum interimerent, & usque ad talos in occisorum cruore pugnando subsisterent. Interea Rex omnem rem gestam per festivum nuntium intelligens, & Margaritæ Comitissæ dolosam traditionem intuens, deseruit Antverpiam, & repentino remigio profectus est in Walachriam: Et ecce fugitivi Flandrienses & Franci depositis armis humillimâ prece Regis adiere præsentiam: quos & ipse ex misericordiâ motus suscepit in gratiam. Istud prælium contigit anno præfato in die translationis B. Martini & eodem de parte Flandriensium & Gallorum quinquaginta *Ejus exercitus à Florentio Præside vincitur.* millia sunt (m) occisa, quinquaginta millia submersa, & quinquaginta millia captivata. Rex igitur Comites de Ghysen, & de Berro, duosque filios Margaritæ Comitissæ captivos, destinavit ad Hollandiam, qui & vulgarem populum omnino denudatum remisit ad Flandriam; ita quod unusquisque Flamingus è pisis virentibus perizomata circumplectens,& exinde bracas lumbis suis adaptans ad Flandriam reversus est, & Rex triumphalem laudem ab hostibus inopinatè potitus est.

Margarita quidem Comitissa ruinam suæ gentis amarè deflens, sollicitavit Carolum An- *Margarita implorat auxilium Caroli Andegavensis adversus Imp.* dagavensem Comitem, fratrem sancti Ludovici Confessoris, & Regis blandis suggestionibus, & largis stipendiis, ut idem Comes cum exercitu copioso demum ad Hannoniam veniret, demandans Regi, quod ipsum ad committendum pręlium in desertâ planicie de Aschâ potenter exspectaret. Nec mora,quin ipse Rex cum electis bellatoribus in Ascham (n) venit, & Comitem Carolum ad tres dies ultra præfixum terminum exspectavit. Denique Rex evulsis castris exercitum suum direxit ad Hannoniam, disponens circumvallare Carolum Comitem infra Valencenam; sed Carolus magnanimitatem Regis intuens, secessit ad *Valencena Imperatori dedita.* Franciam, & extunc oppidani Domino Regi portas aperientes, recepti sunt ad gratiam. Demum per amicabiles internuncios Margarita Comitissa Flandriensis amicitiam Regis adepta est, & omnis controversiæ discordia in hunc modum terminata fuit, quatenus Iohan- *Pax inter Margaritâ & Imperatorem.* nes de Avennis primogenitus ejusdem Margaritę, sororius Regis, Comitatum Hannonię, & terram Alostensem in hæreditatem acciperet, & Guido, qui minor natu fuerat, Comitatum Flandrię possideret.

Anno Dom. M CC LIV. Dominus Papa plurimùm gavisus de prosperitate (o) Regis, Cardinalem legavit ad Hollandiam, qui Domino Regi subsequentem destinavit Epistolam.

Innocentij Papæ Epistola ad Imperatorem, ut Romam veniat ad accipiendam Imperij coronam. Innocentius Episcopus servus servorum Dei excellentissimo filio nostro Wilhelmo Romanorum Regi salutem,& Apostolicam benedictionem. Postquam divina potentia suam ecclesiam pacificare disponens; celsitudini tuæ manifesta bonitatis signa protenderit, de viâ per quam prosperè procedas & regnes. Ita quod Conrado Frederici quondam Imperatoris filio sublato de medio, alius jam superstes non sit, qui Deo tibi propitio, tuis valeat progressibus adversari, rogamus igitur & requirimus magnitudinem tuam, paternitis monitis suadentes dilecti filii nostri Petri sancti Georgii ad Velum aureum Diaconi Cardinalis & Apostolicæ sedis Legati communicato consilio à cęteris difficultatibus te explicans, ad veniendum in Italiam apparatu regio succingaris & festinatè ad Apostolorum limina, Deo Duce te transferas: ibidem circa festum nativitatis Dominicæ proximè venturus & recepturus solemniter de manibus nostris Imperii diadema, Datum, &c.

Imperator clàm & ignotus ad Papam proficiscitur, & Italiam lustrat. Rex igitur cum XII. armigeris, ut peregrinus Alpes transcendit, statum Italię sagaciter exploravit,& ad pręsentiam Domini Papę demum in civitate Ianuensi clàm accessit. Dominus au-

nus autem Apostolicus eundem Regem suscepit cum solemni gratitudine, quem & in festivo contubernio secum detinuit aliquanto tempore, ad cujus supplicationem idem Papa contulit Abbatibus Egmondensis Monasterii quævis ornamenta Pontificalia, Insuper & alia multa gratiosa privilegia. Denique prælibatus Rex Domino Papę valedicens Longobardis ignorantibus exivit Italiam, & cum inęstimabili gloriâ receptus est in ulteriore Alemanniâ, ubi quantum honoris sibi quisque Princeps impendit, præsens hæc Epistola lucidissimè manifestat.

Egmonda dotatur privilegiis à Pontifice.

Wilhelmus Dei gratiâ Romanorum Rex, semper Augustus, Abbati Egmondensi Vicecancellario gratiam suam & omne bonum. Ut intellectâ continentiâ status nostri in exultatione tuus respiret animus, suscipiatque materiam gaudiorum: Noveris, quod, dum nuper partes superioris Alemāniç adiremus, omnium vota in amplexione nostri Dominii sic defixa invenimus, ut cuncti, tanquam mater super unico filio de mortuis suscitato, viderentur nostris in aspectibus gratulari, nostris pręcisè parendo bene placitis & mandatis. Insuper accedat tibi ad cumulum gaudiorum, quod castrum Driesvelt & insignia Imperialia, diadema videlicet cum multis sanctuariis & ornatu ineffabili, lanceam & coronam in nostro Dominio jam habemus, & pacificè possidemus. Datum Spiræ, &c.

Epistola Wilhelmi Imp. ad Abbatem Egmondensem.

Cùm igitur Rex apud ulteriorem Alemāniam regni negotia prosperè dispensaret, ut ad exhortationem Domini Papę pro Cæsareâ benedictione versus Italiam iret; ecce Fresones secundum consuetam rebellionem tumultuare cœperunt in ejus absentiâ contrahentes * assiduò deprędationes ab Hollandiâ: Rex verò nolens aliquam * objurgationis materiam æmulis * in tergiversatione suâ relinquere, proposuit rebellātem Fresiam primò subjicere sibi, & hac subjectâ pro Imperiali benedictione versus Italiam tendere. Qui confestim in manu robusta * Trajectum descendit, & Prælatos Ecclesiæ simul in atrio S. Mariæ congregavit, ut ibidem locum aptum exquireret, ubi capellam in honore S. Georgii Martyris devotè construeret. Dum autem ipse Rex cum Pręlatis resideret in jucundo contubernio, & de curialibus causis optato frueretur alloquio, ecce quidam turbator sanctæ pacis, ac intentor novæ litis à remoto volatile saxum secretò projecerat, & Regis honorandum (q) caput ferè contriverat, quapropter circumsedentes Prælati nimium scandalizati sunt: quinimo de tantâ præsumptione plurimum stupefacti sunt. Rex autem eundem lapidem trutinando suscepit in manibus hujusmodi verba promens coram astantibus: Reverendi Patres, attendite quam talionem Trajectenses nobis impendunt, qui jactu tam grandis silicis nos absque demeritis neci dare quærunt, quorum fidelis Conburgensis hactenus fuimus, & quorum forenses hostes sub expensis propriis laboriosè subegimus. Sed vivit Dominus & martyr ejus Georgius, quoniam & hoc forefactū nequaquam transibit inultum, si vita nos incolumes conservare queat ad annum. Nec mora, quin & ipse Rex cursatilem equum ascendens, cives diffidari jussit, & ad expugnandam civitatem modis omnibus se præparavit. Trajectenses pro casu talis infortunii plurimùm disturbati, destinaverunt Magistros civium ad Hollandiam, tentantes cum eodem Rege reformare pacis amicitiam. Sed quid plura; Rex immobilem sententiam edidit, quatenus civitas grassatorem sibi traderet, alioquin ipsam (r) urbem humotenus everteret. Itaque Trajectenses, obtentâ pace modici temporis, redierunt ad Iudiciale capitolium, statuentes pro malefactore nimis arcanum scrutinium, ut ipsius Regis indignationem aliquo modo placarent, & Burgenses innocui sceleris tanti in pace quietissimâ permanerent.

Frisonum rebellio Imperatorem ab incepto itinere in Italiam revocat.
** Quotidie.*
** Contentionis.*
** Post se.*
** Forti.*
Imperator ictu lapidis in consilio sedens percellitur.
Imperator Trajectensibus comminatur exitium.

Anno Domini M CC LV. Rex ipsam Fresiam (s) potenter intravit, rebellantes sibi Fresones egregiè vicit, & castrum Torenburch ad eorum * sempiternum offendiculum fabricavit. Demùm cùm jam tota terra glaciatim esset pervia, Rex iterum v. Kalendas Februarii cum duobus exercitibus armipotenter ingressus est Fresiam, sperans ipso die, sicuti prius obtinere victoriam, sed non eodem cursu respondent ultima primis: Nam Wilhelmus de Brederoede miles, capitaneus unius exercitus ordinatus contra * Drechtenses Fresones trophæum laudis adeptus est. Rex autem in dextrario residens, secundum gubernavit exercitum, qui ad villam Hooch-hout-woude concremandam trans paludes securum exquisivit aditum, & cum idem Rex pedestrem exercitum solus in magnâ distantiâ præcessisset, viamque meabilem ad expugnandos adversarios explorasset, ecce dextrarius ejus in paludoso vado circumfractâ glacie paulatim immersus est, & ibidem absque juvamine cujusquam familiaris suffocatus est, Fresones verò de latibulis insidiarum ex arundinetis

Wilhelmus Imperator Frisiam subigit.
** Perpetuum*
** Drechtensis.*

 ubique

ubique consurgentes (proh dolor) ipsum Regem antequam exercitus ejus appropinquare poterat, occiderunt: quem propter pulchritudinem armorum timore supervenientis exercitus, ad proximam villam festinantiùs asportarunt. Morabantur autem illis diebus quidam fugitivi per diversas villas in Frisiâ, qui paulò pridem propter eorum forefacta proscripti fuerant ab Hollandiâ; hi Regis arma cognoscentes ex auro fulvo splendida, in quibus atri coloris coruscabat aquila, dixerunt occultè Fresonibus, quod eorum verum Dominum Regem & Comitem occidissent, ignorantes; quapropter quatuor totius Fresiæ principales sive Capitanei, timentes læsæ Majestatis injuriam, sepelierunt occultè Regium corpus in domo cujusdam Fresonis, ut per succedentia tempora deperiret tam vindicta, quam memoria sui nominis.

Wilhelmus Imperator à Frisiis occiditur, & clàm sepelitur.

Cæsus est autem hic Wilhelmus Romanorum Rex illustris, postquam Hollandiam XXI. annis rexisset, & Romanum Regnum annis VII. cum potentiâ (t) gubernasset. Impletaque est prophetia Sibyllæ Erythrææ, quæ veridico sermone longè prædixit, quod idem Wilhelmus Romanorum Rex à Fresonibus occidendus esset. Eodem anno Domicella Richardis ad remedium animæ fratris sui sæpe dicti Regis Monasterium puellarum ordinis Præmonstratensis in allodio patrimonii sui, prope Delft, quod campus Regalis dicitur, ædificare cœpit; quod etiam ad fœlicem recordationis suæ memoriam devotissimè consummavit. Anno dehinc M CC LXVI. obiit venerabilis matrona Elisabeth Romanorum Regina, in Middelburgensi Monasterio tumulata.

Campus Regalis Monasterium ædificatur.

Occiso glorioso Rege Wilhelmo, Florentius hujus nominis quintus anni dimidii tener infantulus XV. Hollandiæ Comes successit, quem Florentius Præses patruus ejus in tutelam accipiens, Comitatum ad tres annos in pace rexit: qui demùm læsus in tyrocinio defunctus est in Antverpiâ, sed abinde translatus requiescit in Walachriâ. Hic Florentius Præses Zelandis tribuit jura per quæ adhuc regunt Zelandiam. Dux verò Brabantię dehinc curam ejusdem infantis accipiens, Hollandiam ad tempus regere cœpit, qui pro (u) forefacto suorum ministerialium dedignanter expulsus fuit. Deinde primates Hollandiæ constanter elegerunt in tutorem ejusdem pueri Comitem Geldriæ, & econtrà principales Zelandiæ constituerunt tutricem ipsius infantis Aleidim Comitissam Hannoniæ; de quâ controversiâ demum in (x) Voorner-zee magnum excrevit prælium, ubi plurimis ab utrâque parte peremtis, magnę depopulationis invalescebat homicidium. Sed Hollandiæ populus victoriosè prævaluit, & Comes Geldriæ Præfecturam terrę potenter obtinuit.

Florentius quintus Comes Hollandiæ 15.

Ejus varii tutores quæstiones & certamina commovent.

Eodem tempore discordia (y) magna suborta est inter Conradum Archiepiscopum Coloniensem, & Wilhelmum Comitem Iuliacensem: Henricus verò Trajectensis Episcopus aggregavit extemplò tam ex Hollandiâ, quàm ex potestate propriâ roboratum exercitum, ut Metropolitano suo manuale conferret auxilium. Cùm autem utraque pars in loco campestri hinc inde resideret, aut alterâ dię crudele bellum iniret, Henricus Episcopus circa caliginosam noctis umbram (z) amotis tabernaculis simulavit fugere, & cum exercitu suo festinanter ad propria tendere; sed ecce quàm primum aurorę jubar nocturnam incępit effugare caliginem, idem Episcopus Comitatum Iuliacensem audacter ingrediens, plures villas incendit, prædam magnam contraxit, & captivos, quotquot voluit, apprehendit: Custodes autem Iuliacensis exercitus nocturnas observâtes excubias, cum clamore valido totum exterruerunt exercitû, annunciantes per universam suâ patriâ flagrare jam incendiû. Nec mora, quin & omnes pro rebus suis propriis anxiati, perdiderunt animosam audaciam, derelictis quoque papilionibus festinaverunt ad terram propriam; quibus Henricus Episcopus haud piger, in signis rutilantibus, & tubis stridentibus instanter occurrit, qui captis & occisis plurimis, Iuliacensem populum cum victoriâ superavit. Itaque Coloniensis Archiepiscopus per solam industriam Henrici Pontificis ab imminenti bello liberatus est, & Henricus Episcopus ditatus innumeris facultatibus ad terram propriam gloriosè reversus est.

Bellum inter Archiepiscopum Coloniensem & Comitem Iuliacensem.

Stratagema Henrici Episcopi invadentis ditionem Iuliacensem.

(aa) Anno Domini M CC LXVII. pridie Nonarum Iunii, Henricus Episcopus requievit in Domino, postquam idem annis XV. (bb) victoriosè præfuisset Episcopio. Hic reverendus Pater Collegium XII. Canonicorum in Steenwick primitus instituit, & ad (cc) fundamentum novæ fabricæ Trajectensis Ecclesiæ lapidem primitivum imposuit, qui ad eandem Ecclesiam tam a clero, quàm à populo devectus, ibi penes anteriores Pontifices honorificè tumulatus est.

Henricus Episcopus moritur anno 1267. 2. Non. Iunij.

 Cum

a *Cum Burgensibus &c.*) Cùm in castris vernaculè *Burgis* plerique olim incolarum habitarent, & ex burgis inde oppida fierẽt, eorũ cives Burgenses & Borchwoners longo tempore appellati: qui hodie Borgers. Quin & inde Burchgravii nomen & Burgimagistri. In sigillo veteri Trajectensi hic expresso burgus, id est castrum conspicitur, sic & in aliis, ut SIGILLUM BURGENSIUM DE SWOLLÆ, S. BURGENSIUM DE GENEMUDE. &c.



b *Arrogantiã illorũ domare disp.*) Causam hujus belli & dissidii jam auctor noster posuit depositionẽ Goeswini prædecessoris, qui Henrico Pontificatum sive volens, sive coactus, sive permutatione factâ, cesserat. Aliam hic statuit, arrogantiam illorũ Dominorũ, quod cum subditi & vasalli, qui tunc dicebantur Ministeriales, essent Episcopi, minus tamen, potentiâ suâ freti, dicto audientes essent, adeò ut vel cum externis conspirare in dominum ac principem auderent, ac ipsi bellum ultrò denunciarent.

c *Pretiosum annulum dedit H. Pontifici,*) Superstitio iis temporibus, ne dicam impietas eò pervenerat, ut rebus inanimatis, nescio quibus verborum fallaciis consecratis supernaturalem vim tribuerent. Quin & olim ante Christum natum talis persuasio homines fascinarat, ut de Eleazari annulo narrat Iosephus Antiq. Iudaic lib.8.cap.2. quo demoniacos arte (ut fama erat) à Salomone tradita, curabat. De annulo etiam ejus virtutis, ut felicem conservaret eventum in quocunque genere lusus, quamdiu quis eum apud se haberet, videndus Wierus de præst demon. lib.2.ca. 12. & quàm exigui momenti sint ejusmodi nugæ libr.4.ca.8. ostendit. Hæc etiam narrant Chron. Magnum, Heda, Gerbran. Snoyus.

d *Per Borealem portam intraverat,*) Hanc Insulensem vocant, vulgò de Weert-poort; cujus suburbium muris & fossâ munitum mediocris instar Oppidi habet; & Nobili olim familię, ab Insulâ dictæ originem dedisse, videtur; à quorum posteris post seculorum intervalla ad Soudenbalchios ejus dominium pervenit, & tandem ex emptione Civitati est annexum.

e *Per Occidentalem portam,*) Ea à templo equitum Rhodiensium D. Johannis Cathariniana vocata fuit, olim validè munita, carceris aliquamdiu locum obtinuit; inde pro arce fuit Hollandis qui sub Davide Burgundo illam accuparaverant, donec illis ejectis, civibus libera ejus possessio restituta.

f *Clavicularius urbis,*) Clavium custodibus, quos Chronicon vernaculum poortiers appellat.

g *Et concives à violentâ molestatione,*) Chronicon magnum habet *cives*, sed *concives* retinere malui, cùm in sequentibus Rex se defensorem civitatis & ejus burgensem effectum dicat, quod & hic auctor sup. in Ottone III. Episcopo refert, qui paulò post, cum in Trajecto lapidis ictu vulneratus esset idem Rex: hæc ejus verba profert: *Attendite quam talionem Trajectenses nobis impendunt, qui jactũ tam grandis filicis nos necare quærunt, comburgensis hactenus fuimus.* Extat etiam diploma Conradi Archiepiscopi Col. quo is cives Trajectenses in tutelam suam suscipit, non secus ac suos subditos ac cives, sed illud posterius est.

h *Fellitum geramus animum*;] Chronicon vernaculum **fellen moet** / traduxit, Snoyus & Chron. Magnum Latinioribus verbis circumſcribunt. Fellitum enim vocabulum barbarum eſt; à felle deductum. Felonia, Feudiſtis in uſu eſt, quod verbum Hottomanus in Com. de verb. Feudalib. Gothis, & Longobardis eſſe dicit idem quod Germanis **ſchelmerije** / apud quem vide plura.

i *Captivos ſuſcepit ad veniam*,) Giſelbertum nempè Amſtelium & Harmannum Woerdenum: at certis id factum conditionibus, quæ literis traditę etiam nunc ſuperant.

k *Vt caſtrum de Vredelant adverſus incurſionem &c.*) Id factum videtur anno 1252 ſtatim poſt victoriam ex manubiis belli Amſtelii & Gelrici. Vidimus ante plures annos ſigillum ejus loci, quod hic exprimendum curavi, unde apparet inter *oppida* numeratum, & aliquod jus ſingulare acquiſiviſſe.



l *Theobaldus de Ghyſen & Wolfardus de Berro* &c.) Hunc locum ſic reſtituendum puto, adſtipulante Meyero: Anno Domini M CC LIII. *Theobaldus de Barre & Wolfardus de Ghiſne Comites cum Guidone & Ioanne de Dampier filiis* &c. De quibus plura apud Scriverium in not. ad Chronicon Hollandiæ hoc loco.

m *Quinquaginta millia occiſa*, &c.) Nimius eſt hic auctor noſter, cui vel jurato non crederem, ejus licet veſtigiis inſiſtant, Amel. Stokius. Snoyus, Gerbrandus, Bockenbergius & neſcio qui alii: Externi enim ſcriptores diſſentiunt; vide hic Scriverium, Divæum, Meyerum, & Chronicon Zeelandiæ Reygerſberg & Iac. Endi. lib. 2. cap. 15. Simile in recentiore hiſtoriâ Bonfinii, ubi ad Albam Regalem cæſa Turcarum 40000. proditum eſſe tradit à nonnullis 20000, eſſe quoque qui 4000. tantum affirment.

n *Rex cum electis bellatoribus in Aſcham venit*,) Hic in MS. meo plura ſubjiciuntur de Ioanne de Avennis, ejuſque à matre exhæredatione. Hanc verò expeditionem accuratè ſatis deſcribit Stokius.

o *Anno* 1254. *Dominus Papa Card. legavit ad Holl.*) Quod an factum ſit negare non audeo; ſed Wilhelmum occultè Italiam adiiſſe, & Genuæ à Pont. R. Coronam accepiſſe, ut Barlandus vult, vero haud mihi ſimile videtur; nec ullus ejus rei idoneus extat auctor; quin nec Chron. Magnum, quod ſua fere ex Bekâ tranſcripſit, ejus meminit, ut nec Rhytmicum Stokii. Quæ autem ex Steronis Chronico adferri poſſent, nihil hic faciunt, cum illa de ſimplici pontificis approbatione, ceu confirmatione electionis agant, non de ſuſceptione Inſignium Imperialium, & in tempore differunt. Ea quoque quæ ſequuntur, aliud indicant, nec credendum Barlando cui contradicit expreſſis verbis Meyerus.

p *Capellam in honore S. Georgii Mart.*] Immò jam antè Oratorium S. Georgii hoc in loco fundaverat Alinus Canon. Florentii ejuſque filii Theodorici Comitum Capellanus, anno nempe 1198. ut ex diplomate quod integrum in tablinis ejus collegii extat, conſtare poterit.

q *Regis honorandum caput ferè contriverat*,) Nihil de hac re Stokius aut Heda habent, aſſerunt nihilominus Chron. Magn. Gerbrandus, Chron. populare, Snoyus.

r *Alioquin ipſam urbem humotenus everteret*,] Impotens ſanè ira, & tanto principe indigna, ob unius culpam ignoti, totam velle evertere civitatem innocentem, & forſitan hinc juſtiſſimâ Dei offenſione punitus eſt, ne innocentem temerè effunderet ſanguinem.

ſ *Anno Dom. M CC LV. Rex Friſiam potenter intravit*,] Initio hujus anni duplicem expeditionem Regem

Regem in Frisiam fecisse cum Bekâ refert quoque Snoyus; in quarum prima vicit, in altera ipse occubuit, quibus concinit Barlandus & cum eo Chron. vulgare ex Gerbr. Chronicon Magnum, Stokius in Rhytmico unicam tantum expeditionem videtur agnoscere, in cujus initio fausta omnia ei advenere, non pari exitu, quod & temporis brevitas indicare videtur: Meyerus & alii externi de unicâ expeditione mentionem injiciunt. Emmius rem exactiùs enarrat, & primum in Frisiam ingressum vergente Julio anni 1255. sed impeditum; deinde majore contracto exercitu circa initium sequentis anni, cum gelu omnia pervia fecisset, alteram suscepisse, sed fatalem; quod & Scriverius validissimis argumentis probare conatur. Albertus Stadiensis eundem annum mortis ejus agnoscit, nempè 1256. ut & Crantzius, Crusius, Chron. August. Math. Paris, Trithem. Cum Bekâ faciunt Stokius, Hocsemius, Chron. Magn. Chron. vulg. Meyerus, Cuspinianus, Onuphrius, Hamconius, Bockenbergius, Eyndius, alii. Nauclerus ab utrâque opinione discedit, cujus verba sequuntur. *Anno Domini 1256. Rex Guilielmus conventum Principum ad VIII. Cal. Iulii Coloniæ fieri mandat, in quo pro nanciscendâ Imperii coronâ, in Italiam proficisci proponit, utque principes ad quadragesimæ dies Augustæ occurrant, indicit. Verùm interim Fresones gens inquieta, Cũradi (ut creditur) factione, incitatata Hollandiam devastare cœpit; quod Rex Guillielmus audiens, veritus ne majora propter sui absentiam attentarent, coadunato suorum valido exercitu 28. die mensis Decembris in Fresones movit. Et cum Fresonum, terra admodum sit paludosa, Rex ipse, dum exercitum præcedere, & locum ubi ad hostes commodè intrare posset, cogitaret; caballus, cui insederat, cespitans in paludem glacie coopertam præceps prolabitur, ita ut nec regredi fuerit possibile; dum autem ita volutaretur, Fresones qui in arundineto latitabant, quempiam ex militibus existimantes, cum luto inhærentem interficiunt, anno æt. suæ 27. Regni autem 7. Exercitus diu exspectans Regis adventum frustra tandem evanuit, & tertiâ demum die Regem à Fresonibus occisum rumor increbuit, unde sui animis non parum consternati, dum ad locum interfectionis pervenissent, hunc in abjecti hominis domuncula sepultum inveniunt, cujus cadaver exhumantes ad Mittelburg transferunt*, hic in principio anni 1257. occisum, plerique alii 1256. tradunt.

t *Impletaque est prophetia Sybillæ Erythicæ* &c.) Hæc quoque Snoyus fabulatur, & cum eo Chronicon vernaculum ex Gerbrando, notæ ad Barlandum vaticiniorum de ejus morte meminerunt.

u *Qui pro forefacto*,) Hæc dictio frequens in usu mediæ ætatis scriptoribus, quando spississima barbaries regnabat, à Gallis sumpta, & pro delicto usurpata, vide Ioan. Lydii glossas Latina-barbaras in Clemangim, Iuretum ad Epistolas Iuonis. Haræus in Brab. pro insolentiâ sumit. Sed Brabantum idem vult ultrò potius cessisse quàm invitum pulsum.

x *Voorner-zee*.] In Chronico vernaculo Rhythmico, *Vernouts ee* legitur,

> *Ende vergaderden op Vernouts ee* post,
> *Die te Vernouts ee geschiede.*

Snovus meus MS. *Bonenzee* habet Chron. magnum *Vernouts Zee* Reygersberg in Chron. Zeelandiæ *Voortnent Zee* Chron. Magnum *Vernots Zee*, Chron. Ignoti clerici clarè scribit *Vernouts ee*, quod mihi non displicet; & factum illud navale prælium inter Vornanã & Duvelandiã insulas, haud multum à vero abesse videtur; vel si Snoyus audiendus, inter Vornensem, & superiorem Flacciam, ubi & hodie locus Bomel superest. In Schoudiâ quoque Insulâ est locus Bommenee, juxta quem pugna hæc navalis gesta credi posset; certè non procul ab Insulâ Vornanâ, inter Hollandiam & Zeelandiam: sed videatur diligentissimus Scriverius in not. ad Chr. Holl. Tutelam verò principis infantis gesserunt successivè primus Florentius Præses patruus, quem ejus sæculi more avunculum dicit Beka; sed Furmerius & Chronici Magni auctor rectè patruum vocant. Quo in equestri certamine interempto, tutelam cœpit Henricus VI. Brabantiæ princeps Florentii hujus consobrinus; hoc depulso, pro tutelâ certamen fuit inter Aleidam Comitissam Hannoniæ pueri amitam, & Comitem Gelriæ Otthonem Claudum, vulgo **metten Peerts voet** / dictum; cui Hollandi, illi vero Zeelandi favebant; attamen Marte judice Gelder prævaluit, & Aleydis licet propinquior tanquam fœmina cedere coacta est.

y *Discordia magna suborta est inter Colon. Archiepiscopum Conr.* &c.) Hic Conradus ex familiâ Comitum de Honstein 54. Colon. Antistes (Bertius 52. facit) magnus Frederici II. Imp. adversarius fuit; atque hinc puto belli hujus causam exortam, cum Wilhelmus Iuliacensis jus Imperatorium ubique defenderet; unde & odium papalium incurrisse videtur.

z *Amotis tabernaculis simulavit fugere.*] De hoc subsidio nihil in Chronico Magno, sed tantùm, Colon. Antistitem Conradum à Iuliacensi C. Wilhelmo prælio captum, & ab eodem 9. menses in vinculis detentum. Heda hanc contra Iuliacens. victoriam non tacuit, nec Chronicon vulgare, ubi tamen is Comes Gerardus dicitur, sed malè: vide Annalium Teschenmakeri partem 2. sect. 1 de Comitibus Iuliæ.

22 *Anno Dom. 1267. prid. Non. Iunii*,] Sic Chron. vulgare, Hamconius, Bockenbergius, scedæ M. S. alii. Heda dissentit & decem ante annos mortuum dicit, Chronicon Magnum præfert annum obitus ejus 1276. hic itaque magna est auctorum discrepantia, quam vidit quidem Heda, sed non solvit, in annis regiminis non minor est dissensio, ut sequitur.

bb *Postquam idem annis* XV. *præfuisset,*) Bockenbergius 16. eum ann. præfuisse tradit; Chron. vulgare 18; cum Barlando; Heda eidem 21. tribuit; Noviomagus 25. Chron. Magnum 26. Quis nobis hunc nodum solvet in re non longè dissitâ? ego mallem Bockenbergium sequi; nam si anno 1251. ut apparet, fuit electus, & anno 1267. obiit; illud sanè interstitium 16. annor. non longè à vero calculo aberit.

cc *Ad fundamentum novæ fabricæ Tr. Ecclesiæ* &c.) Anno C. 1254. Extat tabula in hoc templo suspensa, quæ continet annos fundati, & restaurati hujus templi minio notatos; cujus postremi hi versus:

——Denique præsul
Henricus cœpit hanc renovare suam
Ecclesiam, Regis Guilielmi tempore.

Spectatur hoc opus ingenti mole, sed, ut fieri amat in magnis, imperfectum adhuc.

Iohannes I. Episcopus XXXIX.

Postquam mortuus & sepultus esset Henricus Episcopus, ecclesia Trajectensis Ioannem de Nassoven elegit antistitem virum quasi secularem, (a) & simplicem. Hic Episcopus Episcopalia castra plene referta cunctis necessariis adinvenit; quæ providentiâ prædecessoris sui contra circumjacentes hostes sagacissimè præmunivit.

** Invicem*
** Comes*
Prodigium in aëre visum.

Circa hæc tempora visum est quoddam prodigale signum in aëre: pugiles enim apparuerunt dimicantes * alterutrum ut bellatores in acie: quod prodigium secuta fuit immensa calamitas. Nam adversus nobiles (b) surrexit ubique severa communitas. Cum enim Florentius Hollandię * Domicellus juvenilis esset ætatis, vulgus Kinemarię contra Nobiles primò tumultuari cœpit, & plurima castra Dominorum ausu temerario devastavit, ita quod omnes ferè Nobiles ad præsidium in Harlem anxiè confugerent, ut ibidem tumultuanti vulgo securè resisterent. Decreverunt enim Kinemarii cunctos Nobiles procul expellere, castra subvertere, munitiones destruere, & totam Trajectensem Diœcesim in vulgarem communitatem redigere, quibus extemplò vicini Fresones fortissimâ cōspiratione fœderati sunt, nihilominus & Waterlandi cum plerisque nationibus coadjuncti sunt. Itaque Kinemarii præliatorum innumerabilem aggregantes copiam, occuparunt primò totam Amsterlandiam, Giselbertus quidem ejusdem terrę Domicellus, attendens vires suas contra tantum exercitum nequaquam posse sufficere, cautè consultus pacem acquisivit, fidelitatem juravit, & insulsæ plebi cum suis armigeris se conjunxit. Qui tantæ multitudinis capitaneus effectus, decrevit omnes inimicos suos ab Episcopatu propellere: & primò castrum Vredelandt assultuosè destruere. Sed cùm idem Giselbertus in expugnatione castri nihil omninò proficeret, ac indomita gens hominibus suæ ditionis alimenta violenter abstraheret. Idem Giselbertus Kinemarios admonuit arcano consilio circa noctis umbraculum castra tollere, repentinum iter arripere, & civitatem Trajectensem occultè capere. Nec mora quin Kinemarii Giselberto consiliante devenerunt clàm ad civitatem ante Solis ortum: quam extunc cum innumeris bellatoribus vallaverunt in gyrum, excubitores verò nocturnis deputati vigiliis stupefacti de tantâ multitudine plebis inopinatè supervenientis, excitatis citò civibus nunciaverunt Tartaros advenisse, totamque civitatem cum infinitis armigeris occupasse. Cives autem apprehensis armis ad defensionem urbis accelerantes ascenderunt turres & mœnia, statueruntque de cacumine murorum primo quædam interloquia; econtra quidem, unus de Kinemariis eloquenter in verba prorupit; qui facto silentio, civibus in hunc modum ait: Salutat vos amicos libera gens Kinemariæ, constanter expostulans quatenus omnes Nobiles communitatem aggravantes ab urbe vestrâ proscribatis, & eorum facultates egenis seu pauperibus erogetis; & ecce vix hic interpres sua verba finierat, cùm inter Burgenses magnus tumultus exortus fuit. Vulgares utique cives de verbis Kinemarii magnanimi effecti comprehensis armis, statim ejecerunt tribunitię dignitatis illustres viros & nobiles; statueruntque de senioribus cujuslibet officii Scabinos & Consules qui judicium sive Iustitiam in urbe facerent, & ad communem utilitatem civilia jura disponerent. Igitur expulsis à civitate cunctis Nobilibus, vulgus, novæ potestatis

Frisones & Waterlandi cum Kenemariis in Nobiles & Magistratus conspirant.

Giselbertus Capitaneus seditiosæ plebis.

Kenemarii Trajectum obsidens.

Trajectenses ad instantiâ Kenemariorum Magistratus mutat.

testatis percussit cum Kinemariis fœdus inseparabilis amicitię, quibus extemplò conjuncti sunt Amersfordenses, cum inquilinis Amsterlandiæ*: Iohannes quidem Episcopus hæc intelligens cum Comite Geldriæ venit in Zeist, ut expulsos intra civitatem reduceret, & tumultum insanientis vulgi severè corrigeret. Econtra verò Kenemarii suas acies ordinaverunt ad prælium, ut in virtute magnâ disturbarent Episcopalem cuneum. Sed Comes Geldriæ vir belli gnarus, attendens infrenatum populum innumerabilis esse multitudinis, recusavit cum paucis militibus discrimen inire certaminis: quapropter & ipse sine morâ cum Episcopo retrocessit ad Veluam, ut ad cruentum bellum sufficientem armigerorum posset aggregare copiam. Giselbertus itaque de Amstel Capitaneus tam indomitæ plebis, cernens sibi cuncta prosperari, castella scilicet Giselberti de Abcoude, Wilhelmi de Risenburch, ac Huberti de Vianen adversariorum suorum destruxit, & exinde Kinemarios per quandam astutiam à belli tumultu temperans, in hunc modum loqui cœpit: Bellatores acerrimi, ac amici charissimi, videtis quod totum Episcopatum hoc anno subegimus, & propulsis Nobilibus fortia castra ipsorum potenter evertimus, anno vero sequenti Comitem Geldriæ, qui se nobis opposuit, expugnare proponimus, totamque ditionem suam hostili bello depopulare decrevimus; nunc autem cùm vindemiæ tempus instat, oportet ut omnes tendamus ad propria, & ad sustentationem parvulorum nostrorum colligamus quævis necessaria. Igitur Kenemarii suadente Giselberto coadunaverunt exercitum, & extemplò redeuntes ad Kinemariam, vallaverunt oppidum Harlemense per circuitum, quod sine intermissione duris impegerunt assultibus, ut quam plures intus eliderent fundis & missilibus. Econtra verò Burgenses cum Nobilibus circumvallatum oppidum egregiè defensarunt, & forenses hostes à munitione præsidii sagittis & lapidibus abegerunt. Ioannes verò Persyn miles inclytus, oppidum intereà clam exiens vehicula Kinemariorum cibariis onustata comprehendit, & exinde plurimas villas hostium capitalium inflammavit. Kinemarii autem post tergum aspicientes incendium, relictâ jam obsidione, festinaverunt ad propria, deserentes in papilionibus diversę facultatis suppellectilia. Nec mora, quin & Oppidani de munitione suâ catervatim erumpentes fugitivos hostes perniciter insecuti sunt, & occisis multis, cum captivis & spoliis in Harlem gloriosè reversi sunt. Episcopus itaque Trajectensis, & Comes Geldriæ gavisi de confusione Kinemariorum, roboratum attraxerunt exercitum, & civitatem Trajectensem die XXIX. mensis Augusti vallaverunt per circuitum. Die verò quartâ præfati Principes attendentes urbem non posse capi sine magnis expensis & * mangenis, perpendentes etiam quotidianum dolorem de suis vulneratis armigeris; avulsis ilicò tabernaculis, obsederunt oppidanos Amersfordię, pro eo, quod paulò pridem pepegissent cum Kinemariis fœdus amicitiæ: quos Comes Geldriæ in deditionem accepit, qui tamen ipsum oppidum pro quibusdam verbis contumacibus omninò destruxit. His ita gestis Comes valedicens Episcopo secessit ad terram propriam, & Episcopus trans-Iselam tendens, devenit in Daventriam: Demum transacto biennio Zuederus de Boesinchem miles imperterritus cum omnibus dudum expulsis die X. mensis Septembris in aurorâ per scalas mœnia scandens, urbem clàm ingressus est, & occisis ab utraque parte plurimis, idem Zuederus triumphum adeptus est, qui vulgares viros confestim ab urbe proscripsit, & antiquos Scabinos cum Magistris civium potestati pristinæ restauravit. Processu verò temporis econtra quidam proscriptorum urbem tacitè subintrarunt, totumque populum intestino bello crudelissimè vexaverunt, quibus utrimque discordantibus, Nicolaus de Catze miles Florentii juvenis Hollandię Domicelli tutelam adhuc habens cum quingentis saltem armigeris Trajectum ivit, bipennibus & securibus valvas portarum infregit; in medio civitatis pro tribunali sedēs, mille & quadringentas (c) personas ab urbe proscripsit, & cuncta civilia jura potenter ad voluntatis suæ benè placitum ordinavit.

(d) Anno Domini M CC LXXII. Florentius Domicellus Hollandię validam expeditionem indixit adversus Frisiam, ut ossa patris sui deportaret ad Hollandiam. Sed Fresones econtra cum aciebus fortissimis occurrarunt, & quingentos bellatores pugnantes cruentissimè necaverunt. In quo conflictu corruerunt hi milites, & approbatę laudis, egregii pugiles, utpote Werenboldus ex Haga, & Albertus filius ejus, Walterus de Egmonda, & Wilhelmus filius ejus, Theodoricus de Raephorst & Gerardus frater ejus, Iacobus de Wassenaer, Bernardus ex Haga, Gerardus de * Harmelen, & (e) Walterus Freso Balyvus * Kinemerlandię. Occisis itaque tot electis bellatoribus, Hollandiensis exercitus usque planiciem agrorum in Heylo diffugium arripuit: ubi secundariò per recentes armigeros crudele bellum inhorruit, in quo

*Eemlandię in MS. Teut.

Harlemum à Kenemariis obsessum.

Iohannes Persyn Kenemarios strategemate ab obsidione deducit.

* *Ingeniis.*

Amersfordia Comiti Geldriæ deditur.

Zuederus de Boesinchem Trajectum recuperat.

Ejecti urbē retentant.

Nicolaus de Catze Trajectum purgat à sediti osis.

Florentius Hollandiæ Comes expeditionem, parat in Frisiam.

* *Al. Harlem.*

* *Kinemariæ.*

in quo perempti sunt plus quàm octingenti Fresones, ita quod eodem die sufficienter (f) ulti sunt prædictos milites.

Florentius Comes oppressis Frisiis paternas reliquias aufert.

Anno Domini M CC LXXXII. Florentius Comes ædificato quodam castro in Widenes Fresicensem exercitum in Hooch-out-woude audacter aggressus est, occisisque sexcentis Fresonibus inopinatam victoriam ibidem adeptus est. In eodem (g) namque bello quidam vetulus ad vitam reservatus, sepulchrum Regis prodidit, & Florentius Comes cum paternis ossibus Trajectum adiit, ubi celebratis regalibus exequiis ad Walachriam in expensis magnificis descendit, & Regale corpus in Middelburgensi Monasterio tumulandum honorificè collocavit.

Inundatio maris Frisici.

Castra adversus Frisios ædificata.

Guido Comes Flādriæ Walachriā impetit.

Florentij Comitis uxor atq; liberi

Anno Domini M CC LXXXVII. die XIV. mensis Decembris ex magnâ (h) ventorum intemperie factum est undosum diluvium, quod submersis hominibus & jumentis lachrymosum fecit excidium. Theodoricus igitur Dominus de Brederode, jubente Florentio Comite, classem aptans, remigavit in Frisiam, & acceptis singillatim obsidibus, totam illam sine bello subegit patriam. Comes ergo refluentibus aquis, quatuor fortia castra, scilicet Medemblick, Eningenburch, Middelburch & Nyenburch ædificari fecit, cum quibus effrenatæ plebis innatam rebellionem edomare posset. Cumque Florentius Comes potestativè possideret Frisiam, Guido Flandriensis (k) Comes transfretavit ad subjugandam Walacriam, econtrà verò Florentius Comes cum electis armigeris festinavit Guidoni potenter occurrere, & cum eo bellum navale committere. Sed Ioannes Brabantiæ Dux hoc intelligens, in Zelandiam citò venit, bellum suspendit, & in hunc modum firmam amicitiam in utramque partem laboriosè refecit; quatenus ipse Florentius (l) Beatricem filiam Guidonis in uxorem duceret, & sic utriusque partis exercitus sine conflictu certaminis ad propria tenderet: Ex quâ quidem (m) Beatrice Florentius genuit Theodoricum, Florentium, Wilhelmum, Ottonem, & Iohannem Hollandię Comitem, Beatricem, Machtildim. Elisabeth & (n) Margaritam Anglię Reginam. Florentius itaque Comes exaltari vehementer incipiens transfretavit ad (o) Eduardum Regem Angliæ, tentans, si aliquo modo devenire posset in possessionem (p) Regni Scotiæ, quod hæreditario Iure Florentii Comitis fuit, quanquam obstantibus quibusdam Scotis obtinere nequivit: ubinam Elisabeth ejusdem Eduardi Regis filiâ copulata fuit Iohanni filio Florentii Comitis in uxorem, ut Rex & Comes firmarent alterutrum perpetuę fidelitatis amorem. Interea Guido Comes Flandriensis invidens amicitiæ Regis & Comitis, collegit apud Catzant extemplò navigium, & ad subjugandam Walachriam jam secundò direxit exercitum: econtra verò Florentius Comes ab Angliâ festinanter adveniens classem suam in Flissingem applicuit, ubi populum suum in unum congregari voluit. Denique cùm Guido Comes in transfretando moram faceret, Ioannes de Renes ex parte Comitis Florentii oppidum Sluyse potenter incendit, & Theodoricus de Brederode totam Catzand favillatenus inflammavit. Flandrienses quidem ad tria millia pariter aggregati, festinaverunt econtra Zelandos in unum concludere, & eorum classem in ponto submergere, sed ecce Ioannes de Renes miles (q) semper imperterritus cum trecentis Zelandis tria millia Flandrorum audacter aggressus est, & occisis trecentis Flandris ad Florentium Comitem cum multis captivis gloriosè reversus est. His diebus quidam Nigromanticus (r) in * Misia comparuit, qui se Fridericum Imperatorem fuisse constanter asseruit, qui plerisque ministerialibus quondam Frederici Cæsaris multa patefecit arcana, ut quam plures regni Principes per varia seduceret signa. Fresones autem accedentes ad præsentiam ejusdem ficti Cæsaris, conquesti sunt de violenta molestatione Florentii Comitis, & ecce seductor ille pro tribunali sedens in ornamentis Imperialibus Comitem Hollandię per Episcopum Trajectensem citari fecit, cui per quosdam legatos hujusmodi * citationem destinavit: Fredericus Dei gratiâ Romanorum Imperator semper Augustus, venerabili viro Episcopo Trajectensi gratiam suam & omne bonum. Cùm Imperatorię Majestatis intersit, sedare discordiam, & punire violentiam, fidelitatem tuam his præsentibus admonemus, quatenus Hollandiæ Comitem coram vasallis Imperii constanter admoneas, ut à violentâ molestatione Fresonicæ gentis se contineat & desistat, alioquin adversus ipsum procedemus, ut dictaverint Iura legum; si verò dictus Comes quicquam Iuris sibi competere dixerit ex privilegiis Imperatorum sive Regum in Fresonibus liberis, mandamus tibi quatenus eundem Comitem cites infra spacium sex hebdomadarum cum eisdem privilegiis nobis ostendendis ad nostrum Imperiale consistorium in Nusia. Datum ibidem, &c.

Iohannes filius Florentij filiam Eduardi Regis Angliæ ducit uxorem.

Bellum Flādrense in Zelandiâ.

** Nusia.*

Pseudo-Fredericus Cæsar turbat Imperium.

** Citatoriū. Epistola ejus ad Episcopum Trajectensem.*

Florentius itaque Comes eidem Nigromantico rescripsit hos versiculos: non ignorans

quod

quod Fredericus Imperator pridem suffocatus esset per suos domesticos.

Non es magnificus quondam Cæsar Fredericus,
Non es Monarcha([s]), *sed nec Nusiæ Patriarcha.*

Pseudo-Fredericus captus & combustus.

Hic Misellus demum ab Archiepiscopo Coloniensi captus, omnem nequitiam Nigromanticę falsitatis in aperto confessus est, ac in villâ Witteflor palàm omnibus non immeritò concrematus est.

His itaque gestis Florentius Comes vocatus ad consilium capituli Trajectensis cum cæteris nobilibus civitatem adiit, quoniam Ioannes electus, sed nondum adhuc confirmatus ab Episcopatu (t) deponendus esset. Nam & idem Ioannes Domino de Amstel castrum Vredelandię, & Domino de Woerden castrum Montfordiense pro quadam sommâ pecuniæ dedit in vadimonium, ex quo totum non immeritò cœpit querulare Episcopium. Igitur anno (u) Domini M CC LXXXVIII. postquam idem Iohannes electus tanquam laicus annis XXI Trajectensi Pontificio præfuisset, ac in magnis debitis diversis fœneratoribus obligatus esset, tota simul ecclesia miserabilem statum terrę Trajectensis Domino Papę scripsit, & pro quodam Iohanne nato de Zirck supplicationem devotè fecit. Demùm authoritate sedis Apostolicę Iohannes de Nassou à Pontificio destitutus, & Iohannes de Zirck XL. Trajectensis Episcopus cathedratus est.

Iohannes de Nassau deponitur & alter Iohannes eligitur authoritate Pontificio.

a *Virum quasi secularem & simplicem,*) Hunc plerique tanquam profanum ac regimini Ecclesiastico minus idoneum, traducunt; jure ne an injuriâ non dixerim: hoc saltem constat omnem circa illud seculum scientiam & eruditionem penes ecclesiasticos stetisse; extra quos, omnes laici & seculares habebantur, maximè, si minus superstitionibus tribuerent, causam hujus in hoc principe videtur attingere Noviomagus hisce verbis: *Confirmationem à Papâ Rom. ob literarum imperitiam obtinere non potuit, præfuit nihilominus in vito pontifice ditioni Vltrajectinæ annis* 21. &c. Quis autem fuerit ipsius Ioannis Nassovii Pater invenire non potui: neque ejus Merula, aut alii qui Genealogiam Nassovicam, aut Gelricam confecère, meminerunt. Gelriæ nihilominus principibus sanguine junctum fuisse ut ex indiciis satis firmis credi potest. Bertius in Germaniâ suâ nominat quidem; sed extra seriem, & originis incertæ.

b *Adversus nobiles surrexit severa communitas.*) Heda hujus causas tumultus attingit, & annales populares fusius enarrant, Ubbo Emmius hos motus Kinhemariorum in annum C. 1268. refert, lib. XI. rer. Frisicar. Snoyus ad initium Florentii fusissimè describit, & eloquentiam suam hic ostentare velle videtur, multa affingens de suo, vide Chronicon ignoti Clerici, Scriverium in not. ad Annal. Patr. Pontanum in Gelricis, Chron. Magn. Belg. Nassovii ingressum ad præsulatum, & consequenter tumultum hunc in annum 1277. retulit, nisi numerus is sit vitiatus quod credo. At quod mirandum, ne verbo quidem hæc attingit Stokius, qui tamen non multò post ea tempora vixit.

c *Mille & quadringentas personas proscripsit,*) Hic ne jurato quidem Bekæ ut credam facit exorbitans numerus proscriptorum, extra eos qui cæsi; & vix credo tot omnino viros, si nobiles & clerum (quorum magnus in civitate numerus) excipias, armis idoneos in eâ repertos; quare hæc inter ἀδύνατα referenda puto, nec ultra quadringentos crederē fuisse; solent enim non omnes in talibus factionibus, adversæ partis expelli, sed capita tantùm. Caulæo non sufficit numerus supra relatus, at centum viris auctiorem facit: alii, 360 de numero demunt. Hoc nihilominus scio, post hæc tempora statum Reipubl. & regimen mutatum, magisque populare redditum, nam Collegia opificum tunc instituta, penes quorum posteros ferè omnis administratio urbis, usque ad annum 1528. remansit.

d *Anno Domini M CC LXXII. Domicellus Holl. validam Expeditionem,*) Bellum hoc anno 1271. gestum Annal. vulgares scribunt, anno æt. Florentii 17. Stokius verò cum Bekâ facit, & cruentum sanè fuit, in quo multi proceres partium Hollandicarum, & (ut Chron. magnum habet) numero fere 500, plures tamen ex Frisonum vulgo, periere; primum enim in fugam acti Hollandi Alcmariam usque; ubi vel novo Exercitu aucti, vel animis resumtis à fugâ in hostem versi, eundem fugarunt. Hinc patet, quo in errore versentur, qui Hollandiæ Comites bella cum Frisiis Orientalibus juxta Lavicam amnem gessisse credunt, cum omnia illa bella ad ann. 1300. & ultrà cum Occidentalibus Hollandiæ proximis gesta sint. Orientales verò (ut rectè tradit Ubbo Emmius) non nisi cum inter se minus convenirent, cùm Hollando fœdera iniisse, subjecisse autem ei se nunquam, invenimus.

e *Gerardus de Harmelen,*) Ita MS. meus cum Snoyo habet, alii de Haerlem legunt, cum Chronico vernaculo; quod magis probo.

f *Sufficienter ulti sunt prædictos milites,*) Post hæc verba in meo MS. Bekâ hæc leguntur: Anno Domini M CC LXXIX. in die S. Gregorii PR. magnum incendium fuerat in civitate Trajectensi,

jectensi, in quo combusserunt Ecclesia S. Petri Apostoli, S. Iohannis Bapt. Ecclesia Buerkercke & S. Catharinæ virg. & Martyr. & major pars civitatis. Heda ejus meminit eodem anno & cujusdam mulierculæ factum ex vulgi famâ tradit, unde in Teut. versione Bekæ vocatur Wijvekens brandt/ quod & vernaculum habet Chronicon, ubi additur templum Minoritarum quoque incensum, quod non videtur verum, cum anno demum 1308. inveniam monasterium Franciscanorum à dominâ de Emâ ex familiâ Arculanâ constructum, Clariss. tamen vir M. Gib. Lappius IC. ante hæc tempora Franciscanos in urbe sedem habuisse putat, & forsan illorum tum ædes igne deforma à D. de Ema restauratæ fuêre.

„ g *In eodem namque bello,*] Hæc in meo MS. ita exprimuntur. In quo quidem bello quidam Freso „ provectæ ætatis captus est, qui cunctis manifestavit sepulchrum gloriosi Regis: quo cognito, Flo„ rentius Comes filius ejus aperiens monumentum flebiliter ossa Regis secum detulit Trajectum, ubi „ in Ecclesiis expletis exequiis, idem Florentius iterum eadem ossa resumens transtulit ad Walachriã, „ & ibidem in monasterio Middelburgensi exequiis congruentibus recondit. Hæc verbis differunt, re tamen eadem sunt: Chronicum Magnum cum impressis concordat. Unde miror Crantzium scribere ne suo quidem tempore constitisse ubi Regis corpus sit tumulatum.

h *Anno Dom. 1178. ex magna ventorum intemperie &c.*) Chron. Rhythm. nobis geminam ejus temporis inundationem describit; priorem 16. Kal. Ian. id est 17. Decembris ann. 1287.; posteriorem die S. Agathæ, id est Nonis Februarii anni sequentis Chron. vulgare refert in annum 1285. meminit utriusque Reigersberg. in Chronico Zeland. sed annum notat 1288.

i *Quatuor fortia castra,*) Stokius hisce nominibus indigitat; Middelburgh/ Toornenburgh/ Medemeiet/ Nyendorp. Chronicon vernaculum Enigenborch non habet & Toornenburch à patre ejus constructum indicat. Chron. Magnum & Bockenberg. Bekæ adstipulantur; Ubbo Emmius pro Toornenburg. Touwenburg legisse videtur quem vide lib. 12. ad annum 1287. prioris edit. sed in posteriore mutavit. In Snoyo meo MS. ea res sic narratur: *Descendens Alemariâ contra Veronam primum Frisonum occidentalium oppidum pro Hollandiâ castrum constituit Nieuburgum viamque palustrem jacto aggere munivit usque Alcmariam, & propter aggerem alterum castrum Middelburg; nec procul tertium utriusque obsidionem impediturum, cui Teernenburgo* (forte Toornenburgo) *nomen est. Quartam item in Frisia Symburgum aliter Niendoerne dictum.* Extat hodieque Eningenburg pagus, & familia Nienborgiorum, in quibus memoria horum castrorum conservatur.

k *Guido Flandriensis Comes transfretavit, &c.*] Bellum hoc Stokius satis accuratè describit; vide & hic, quæ diligentissimus historiæ Hollandicæ investigator P. Scriverius, ad Chron. vulgare notavit, cui adjunge Meyerum in Flandricis.

l *Quatenus ipse Florentius Beatricem F. Guidonis,*) Hic errare Bekam puto. Nam longè ante convenerat de hoc matrimonio, infante adhuc Florentio, ut tradit Meyerus Annal. Fland. lib. 9. ad annum 1256. nisi fortè in hoc usque tempus dilatas hasce nuptias, dicas, & cum hoc matrimonio Zelandicas Insulas Hollandiæ Comiti confirmatas, ut ita lis inter Flandros Hollandosque sopiretur. vide & Divæum Brab. lib. XI. ad annum 1258; & ex eo Haræum in Henrico VI. Duce.

m *Ex quâ Beatrice Florentius genuit.*] Exprimit hic Beka 5. filios, ex quibus unicus tantum natu minimus Ioannes patri superfuit, & 4. filias. Bockenbergius XI. liberis fœcundam Beatricem facit, & superstitem patri tantum Ioannem natu maximum dicit. In MS. Becani Chronico, duo insuper filii nominantur, Wilhelmus nempè alter. & Florentius item secundus; atque ita Bockenbergii numerus esset completus. Barlandus 4. tantum Florentio ex Beatrice filios susceptos, quorum 3. in primo flore æt. extincti, scriptum reliquit. Huterus in Geneal. Holl. 7. Florentio Filios tribuit & 4. filias. Regersb. verò 4. filios & totidem filias, omnes puerili ætate extinctos, præter unum, & Loesduni, sepultos, tradit.

n *Margaretam Angliæ Reginam,*) Hoc an verum sit, asserere non audeo; neque enim adhuc mihi patuit, eo tempore Angliæ Reginam fuisse Hollandiæ Comitis filiam; quod absque piaculo Huterus, Bertius, alii omittere non potuerant. Eduardus quidem primus post Leonoram in Decembri 1291. mortuam, alteram Margaretam anno 1299. duxit uxorem, sed Philippi Francorum Regis sororem, teste Westmonaster. in Chronico; ex utraque is liberos suscepit, quos vide ap. Polyd. Virg. Rerum Anglicar. lib. 17. cui addantur Paul. Iovius in Regum Anglic. Chronico, Thom. Walsingamus ad finem vitæ Eduardi. I. Quin & Snoyus Goudanus 13. liberos Florentio fuisse ex uxore suâ refert, sed omnes præter Ioannem successorem minore ætate mortuos, proinde miror unde hæc Beka habuerit, qui non procul ab illo tempore abfuit, nisi fortè hæc Angliæ Regis filio infanti adhuc desponsata fuerit, quod Stokius indicare videtur.

o *Transfretavit ad Regem Angliæ Eduardum,*) Nempe ejus nominis I. cujus filiam Elisabetham filio suo Iohanni desponsavit, ut auctor est domesticus Walsingamus supra nominatus, quæ post mortem Iohannis nupsit Humfredo Comiti Herefordiensi, teste Polydoro loco supra laudato.

p *In possessionem Regni Scotici,*) Cujus juris prætensio ab Adâ Henrici filii Davidis Regis, Scotorum filiâ Florentio Hol. Comiti ejus nominis III. matrimonio junctâ, de qua supra dixi, videndus hic Matheus Westmonasteriensis ad annum 1291. ubi is inter candidatos Regni Scotici, de jure suo apud Eduardum Angliæ Regem disceptantes Florentium Hollandiæ comitem ponit, literasque procuratorias vel potius, ut vocat compromissorias Gallico vel Francico ejus ævi stilo exhibet.

Hanc

Hanc rem accuratè quoque tractat Walsingamus loco jam laudato. Polydorus rem itidem attingit in Angl. historiâ, sed tres tantùm Regni competitores nominat à tribus Davidis filiabus ortos, Baliolum, Brusium, Hastingium. Adde Buchananum Scoticor. lib. 8. in princip. Guil. Neubrig. rer. Angl. lib. 1. cap. 29. Hectorem Boëtium hist. lib. 12. & Walsingamum in hypodigmate Neustr. Clerici innom. Chronicum.

q *Ioannes de Renesse ex parte Comitis Flor.*) Chronicon innominati Cl. tradit Ioannem de Renesse cum 300. Zeelandis 4000. Flandr. fugasse, parte eorum cæsâ, parte captâ, idque anno 1295. Videantur & Stokii Rhythmi. Reigersbergius assentitur Bekæ. Snoyus Renessium ne nominat quidem, sed ejus loco Cruningium producit, sic inter se variant, dissentiunt, & incerti fluctuant scriptores.

r *His diebus quidam Nigromanticus in Nussiâ,*) Pseudi hujus Friderici non unus auctor meminit, & præter Chronicon vulgare & Magnum Belgicum, Snoyus, Historia Australis ad annum 1244. Math. Westmonast. Sifridus Misnensis, Crantzius Sax. lib. 8. Annales Colmarienses, Trithem. Abb. Chr. Sponheim. Cuspin. in Rudolpho I. Appendix ad Sigisbertum, Paul. Æmyl. in histr. Fr. I. Lipsius lib. 2. de Mon. & Exemplis Politicis.

ſ *Nusiæ Patriarcha,*) Sic restituendum putavi ex Chron. Magno Belgico, alii licet Misiæ, & vulgare Chron. principem de Micheni faciant. Nusia enim oppidum est ditionis Coloniensis ad Rhenum, obsidione contra Car. Burgundum fortiter toleratâ notissimum; quod eò magis credo, quod is à Coloniensi Antistite captus & exustus traditur.

t *Ab Episcopatu deponendus esset,*) Iniquiores, ut jam dixi, huic fuêre Ecclesiastici scriptores, quod minùs Pontif. Rom. videbatur tribuere, nec ejusdem confirmationem multùm curare; verùm, eum nolentem depositum, quod volunt, omnino meâ opinione, veritati absonum videtur, meamque persuasionem firmat plurimùm diploma à me visum, & ex autographo descriptum: cujus hic compendium inserere, non abs re fore putavi: *Vniversis &c. Nos Iohannes de Nassowen quondam Traject. electus, notum facimus, quod ob sanctam devotionem & dilectionem quam habemus erga Ecclesiam Trajectensem, Ven. viris majoris, S. Salvatoris, S. Petri, S. Ioannis & S. Marię Trajectensis Eccles. Prelatis & Capitulis amicis nostris promisimus, quod si contingat (quod absit) quod Dominus Electus Episcopus, quicunque pro tempore fuerit, pensionem mille librarum singulis annis de bonis Episcopatus recipiendam nobis de gratiâ sedis Apostolicæ concessam &c. prout in literis super hoc confectis pleniùs continetur, nobis detineret, aut super iis aliquod impedimentum inferret; quod nos prelatos antedictos &c. propter hoc, non vexabimus, nec aliquid petemus, aut damnum ejus occasione eis inferemus. nec fieri permittemus, Imò eis ad protectionem personarum & rerum suarum fideliter assistemus, ne occasione prædictorum aliquod incommodum incurrant. Insuper rogamus Magnificos & Nobiles viros consanguineos & affines nostros dilectos, videlicet Dominos Florentium Hollandiæ, Reinaldum Gelrię, Theoricum Cliviæ Comites, Iohannem dominum de Kuick, Henricum & Wilhelmum ejus filios milites, quatenus unà nobiscum promittant & se obligent ad observanda prædicta &c. In quorum omnium testimonium sigilla nostra &c. Datum anno Domini M CC nonagesimo quinto.*

u *Igitur anno Domini M CC LXXXVIII.*) In anno cessionis ferè scriptores conveniunt, nisi quod Bockenb. præcedentem annum præferat ex annal. patriis. Heda ipsi annos tribuit administrationis 16. Barlandus 20. Noviomagus 21. cum Bekâ.

Ioannes II. Episcopus XL.

CUM itaque Iohannes hujus (a) nominis secundus, Trajectensis effectus esset Episcopus. Giselbertus (b) de Aemstel habens castrum Vredeland in vadimonium, incepit per quoddam novum telonium Trajectensem aggravare populum. Quapropter Episcopus de consilio civitatis & Ecclesiæ Giselberto pecuniam exhibens, castrum expetiit: sed Giselbertus diversas conditiones in contrarium allegans, pecuniam accipere renuit, quamobrem Episcopus congregatis expeditis armigeris, decrevit Dominum Aemsterlandiæ potenter invadere, terram ipsius incendere, ac ipsum castrum a Giselberto minis & terroribus extorquere. Econtra Giselbertus Heremanno de Woerden auxiliante, contraxit ab Hollandiâ roboratum exercitum, devenitque in Zoserenge præliaturus adversus Episcopum: & ecce concurrentibus invicem utriusque partis militibus, cum tubis stridentibus, & vexillis irradiantibus, Episcopalis exercitus primò prævaluit, & Giselbertum cum omnibus villanis suæ ditionis egregiè reppulit. Nec mora, quin & Hermannus Hollandiensem eduxit exercitum, totisque viribus Episcopalem nitebatur disturbare populum. Hic igitur Hermannus in primâ congressione lætaliter vulneratus in agone certaminis ita strennuè mansit, ut tandem Episcopalem exercitum infra munitionem Amersfordiæ profugaret. Ceciderunt autem in eodem conflictu quidam bellatores egregii, vide-

Bellum ob castrū Vredelandt.

Florentius Comes obsidet castrum Vredeland. gii, videlicet Stephanus (c) & Fredericus de Zulen viri pugnaces & strenui. Igitur Florentius Comes requisitus ab Ecclesiâ, præmissâ diffidatione castrum Vredeland circumvallavit cum quibusdam armigeris ex Hollandiâ applicando manginellas ad quassandum turres & mœnia. Aliquanto dehinc elapso tempore Comes obsidionem castri renovare desiderans, evocavit recentes armigeros ex Zelandiâ, proponens ipsum castrum obsidione vallare strictissimâ. Giselbertus autem his agnitis stipendiarios occultè collegit, ac improvisis Zelandis prope Lonem potenter occurrit. Econtrà verò Costinus de Renes (d) Capitaneus Zelandorum cum cornibus horrisonis, & vexillis fulgidis adversam multitudinem audacter aggressus est, de quibus rebellante manu triumphalem laudem adeptus est, corruit equidem in ipso conflictu Dominus de Branio miles inclytus cum quibusdam aliis electis bellatoribus, & Giselbertus de Aemstel ibidem captivatus est cum plerisque de suis commilitonibus: Arnoldus autem Giselberti ipsius frater magnificentiam Comitis expavescens castrum extunc suâ sponte resignavit, quod idem Comes suis ballistariis fidelissimè communivit, sed quoniam Hermannus de Woerden Giselberti complex omninò fuit, apertamque rebellionem adversus Episcopum in Zosteringe dudum egit, ideò Comes injuriosam contumeliam Episcopo pridem illatam, emendare volens, expeditum iteratò collegit exercitum, totamque terram Hermanni per hostile depopulari decrevit incendium. Hermannus verò contra magnipotentem * Comitem non habens sufficientem resistendi copiam, castrum Montfordiæ suis satellitibus communivit, & ad exteras partes à facie Comitis quasi profugus declinavit. Sed ecce Comes non desistens ab inchoato proposito, dictum castrum circiter annum obsidione cingens, quotidianis impugnavit assultibus, aptatis ad hoc multis * mangenis cum diversis tormentorum generibus. Denique Comes perseveranter in obsidione manens, castrum rebellanti manu violenter obtinuit, ac omnes castrenses, exceptis duobus, (e) decollari voluit. Hic ergo Comes adeptum castrum propriis adimplevit armigeris, ut adversus incursionem Hermanni quotidianis invigilarent excubiis. (f) Processu verò temporis verbum pacis inter eosdem Principes in hunc modum ordinatum est; quatenus Giselbertus de Aemstel & Hermannus de Woerden sub omnium bonorum suorum stipulata cautione fideliter hoc promitterent, quod adversus Episcopum Trajectensem & Comitem Hollandiæ nunquam rebellionem attentare præsumerent. Comes autem pro sumptuosis laboribus ab eisdem complicibus fidelitatis acceptaret homagia, & extunc Episcopus sua castra rehaberet in potestate propriâ. Ratificatum est itaque patentibus instrumentis ab omni parte præfatum arbitrium, & terminatum est inter eosdem magnates hostile litigium. Comes equidem ex merâ nobilitate prorsus omnem animi rancorem ex corde remisit, & Giselbertum ac Hermannum Consilii sui præcipuos secretarios ordinavit. Sed Hermannus (proh nefas) invidiæ (g) zelum oblivisci nesciens circumvenit Giselbertum virum simplicem, quem secum attraxit in conspirationem adversus Comitem; cujus etiam instinctu Dominus Gerardus de Velsen miles egregius, & in omnibus laudandus præter in isto puncto, Internuncius collegit in Cameraco Duramensem Episcopum ex parte Regis Angliæ, Dominum de Kuyck ex parte Ducis Brabantiæ, & duos Consiliarios Comitis Flandriæ, ubi definito Consilio decretum est, quatenus Florentius Comes vivus debeat apprehendi, & ad perpetuam prisionem Regis Angliæ transmitti, & Ioannes filius ejus, gener Regis in Hollandiâ dominari.

Giselbertus in prælio capitur, & castrum Vredelandt à fratre traditur.

** Exercitum*

Castrum Montfort capitur à Comite.

** Ingeniis*

Giselbertus & Hermannus in gratiam recipiuntur subjectis conditionibus.

Conspiratio adversus Comitem Florentium auctore Hermanno supra dicto.

Interea Florentius illustris Comes harum traditionum inscius paulò pridem excellentis ædificii curiales mansiones seu præclara palatia construxit in Fogelsang & in Haga, ubi cum proceribus & puellis infra sylvarum frondosa latibula, vel continuam venationi dedit operam, aut in armis militarem exercebat industriam. Igitur anno Domini M CC XCVI. Florentius Comes Trajectum tendens ad sedandam discordiam inter milites de Zulen & prædictos (h) suos Consules, introit Ecclesiam, (i) assumens secum quosdam milites, & ecce quædam muliercula divinitùs inspirata sibi chartam occultè porrexit, quam & idem Comes per secretarium suum in hunc modum legi fecit: Regia proles, inclyte Princeps, animadverte quod Psalmista prophetavit. Homo pacis meæ in quo speravi, magnificavit super me supplantationes. Florentius verò Comes ex magnanimitate sua parvipendens hunc versiculum, celebravit cum Prælatis & civibus solemne prandium, qui citra meridionalē horam decrevit aliquātisper

Admonitio divino contempta.

tisper obdormire, & residuum diem in jucundo contubernio consummare, quem soporantem Giselbertus de Aemstel à somno suscitans indesinenter admonuit, ut cum falconistis urbem exiret, quoniam inaudita copia volatilium in campestribus resideret. Comes aucupalis ludi plurimùm cupidus, pulcherrimum Nisum ad manum sumens, cum paucis familiaribus urbem egressus est, & per latentes insidias ad distantiam medii miliaris fere productus est. Sed ecce Hermannus de Woerden cum infinitis armatis de latibulis insidiarum erumpens Comitem ab omni parte vallare studuit, & Gerardus de Velsen haud piger primus in Comitem irruit: econtrà verò Comes, ut vir imperterritus abjecto Niso, gladium educens semetipsum nitebatur defendere, malens anteà mori, quàm tantis traditoribus se captivum tradere. Sed hoc minimè profecit, quoniam prædicti grassatores (proh pudor) adhuc ejusdem Comitis vestimentis amicti, ac eodem die suis alimentis in Trajecto depasti, tantum Principem traditoriè captivarunt, quem ad præsidium Mudense ipsâ nocte secretissimè adduxerunt. Interea rumor tam odiosæ famæ plurimorum corda perterruit, & vulgus Kinemariæ, Waterlandiæ, similiter & Frisiæ pro liberando Comite repentinum iter arripuit. Quod grassatores agnoscentes, fugerunt extemplò cum captivo Comite per paludes & devia; & econtrà cives Nardenses Comitem liberare meditantes, occursarunt in magnâ copiâ. Igitur hi fugitivi nimis anxiati sunt, tum ex populosâ multitudine Kinemariorum subsequentium, tum ex formidulosâ solicitudine villanorum occurrentium. Comitis autem equus exiguus fossarum latitudinem transilire nequiens, in vado cecidit, quem Gerardus de Velsen, timore supervenientis exercitus extrahere non potuit, quamobrem idem Gerardus fellitum habens animum eundem dirè vulneravit & cum mucrone suo XXI. vulneribus occidit, & ad castrum Cronenburch in equo cursatili citissimè retrocessit: Hermannus verò de Woerden ad exteras partes declinans, exquisivit hinc inde refugium, qui de ditione suâ propulsus perpetuæ desolationis intravit exilium. Sed Giselbertus vir simplex & grandævus ab eodem Hermanno de Woerden omninò seductus est, qui ab externis amicis ad vitæ suæ consummationem satis debitè sustentatus est. Intereà Kenemarii semivivum Comitem invenientes, & adhuc respirantem, & (ut quidam tradunt,) pauca loquentem; apprehenderunt quosdam de prædictorum latronum clientibus, quos in conspectu moribundi Comitis diversis interfecère cruciatibus. Sed & ipse Comes erectis in cœlum oculis, v. Kalendas Iulii requievit in Domino, coronatus (ut speramus,) in cœlo pro tam crudeli (k) martyrio. Hic Florentius Comes annos fere XIII. honestè (l) regens Hollandiam, Princeps valde gloriosus, staturâ procerus, virtute robustus, aspectu decorus, sermone facundus, corde magnanimus, agilitate strenuus, in dando largifluus, peroptimus Musicus, & æquirectus Iusticiarius: cujus exanime corpus ad Reynsburgense Monasterium devectum est, quod ibidem penes Beatricem conthoralem suam luctuosis exequiis honorificè tumulatum fuit. His itaque flebiliter actis, Comes Clivensis consanguineus Florentii Comitis jam sepulti validam expeditionem eduxit ab Hollandiâ, circumvallavitque * castrum Cronenburch obsidione gravissimâ, quod idem Comes cum tormentis indesinenter impegit, quoadusque Gerardus cum suis complicibus urgente penuriâ victualium se captivum dedit: qui traditionem Comitis (ut præscribitur) in aperto confessus est seriatim, atque idem Gerardus inter acerba supplicia dirè (m) rotatus est. Vulgus igitur Hollandiæ jam dictum castrum ex magnâ parte destruxit, & ad comburendum castellum Mudense validissimè properavit: Sed ecce castellum hoc diffugientibus armigeris absque defensore repertum est, quod extunc Theodorico de Harlem ad tuendum districtè commissum est. Comes verò (n) Clivensis recepit extunc in tutelam totam Northollandiam: habitans in Hagâ: & econtra Guido de Hannoniâ Thesaurarius Leodiensis vendicavit sibi Præfecturam totius Zuydthollandiæ manens in Bergâ, de quâ controversiâ quotidianus tumultus excrevit, & Hollandiæ populus bipartitè divisus, sine vero Domino vacillavit.

Gerardus à Velsen Comitem Florentium occidit.

Elogium Florentij Comitis.

Castrũ Cronenburch capitur, & Gerardus de Velsen supplicio afficitur.

** Castellum.*

a *Iohannes hujus nominis secundus,*] Ex nobili hic Zirckiorum Comitum apud Lotharingos familiâ, ex quâ etiam Fredericus Episcopus successor Guidonis, oriundus; anno C. 1297. postquam 8. vel ut alii volunt 9. annis præfuisset, Ecclesiæ Trajectensi, ad Tullensem translatus est.

b *Giselbertus de Aemstel habens castrum Vredelant,*] Hæc Chronicon Rhythmicum videtur referre ad tempora Iohannis Nassovii, longè ante Zirichium, quod & Scriverius annotavit, nisi eâdem de causâ bis aliquot annorum intervallo fuerit pugnatum; quod non videtur, ita omnia conveniunt, quæ in Chronico Rhythmico narrantur, de quâ re vi-

dendum Chron. Clerici innominati, ubi nomen Episcopi Ioannis nullo addito cognomine exprimitur. Snoyus ad Zirichium refert, quemadmodum plerique omnes, quod & temporis ratio & historiæ ordo suadent.

c *Stephanus & Fredericus de Zulen,*) Nobilis ac potens Zulenorum olim familia; ex quâ Anhaldii, Abcoudii, Culemburgii, Vianii, Niveltii aliique promanarunt temporis tractu.

d *Costinus de Renesse capit. Zelandr.,*) Snoyus vocat dominum de Renesse, vide Chronicon Zeeland. Reygersbergii, quod Bekam ad verbum fere exprimit, & ante hunc Ioannem de Renesse inter nobiles Zeelandiæ recensuerat, dominum de Moermont, qui cum aliis à Florentio Comite equestri dignitate fuerat ornatus.

e *Omnes Castrenses decollari jussit,*) Chronicon Stokii:

Het verginc alst vvesen soude,
Hi deder mede dat hi vvoude,

Nec aliud habet, at vulgare Chron. cum Bekâ convenit, ut & Snoyus, & Chron. innominati auct. Heda tamen (quod miror) hæc indicta præteriit. Nec minus mirum castrum hoc, non ita magnum aut naturâ loci munitum, per totum annum contra vires Comitis defensum.

f *Processu verò temporis verbum pacis.*) Præter scriptores alios, sic hac de re Snoyus. *Tandem pax inter principes hunc in modum ordinata: Antistiti Trajectino redditæ sunt arces Vredelands & Montfort; jusjurandum præstitum à Gislberto & Hartmanno sub stipulatâ omnium bonorum catione, nunquam se, neque in Comitem neque in Antistitem arma laturos; homagium etiam Comiti ab utroque datum.* Extat & nonnulla conciliationis memoria, variis posthæc contractuum conditionibus stipulationibusque firmata; quæ in Principum Hollandiæ tabulariis, & Trajectensium Archivis non ita nuper conservabantur.

g *Sed Herimannus invidiæ zelum oblivisci,*) Conspirationis in Florentium causas, & socios hic noster auctor satis apertè indicat, ut & ejus synchronos Stokius in Chronico Rhythmico, sed prolixiùs. Verùm neuter de adulterio Velseni conjugi illato verbum facit; nisi quod in Rhythmico, ubi de Velseno Comitem invadente, hæc leguntur:

Dat de grave hielt over-spel, (id est, voor)
Want hi loech, dat vveet ick vvel.

Unde imperiti veteris linguæ, & genuinæ significationis verbi **Overspel.** i. pro ludo (nam **over** pro **voor** Stokio Sæpiùs usurpatum) adulterium fabricarunt, cujus vetustiores nulli meminerunt, ut nec Chron. Magnum Belgicum nec etiam Meyerus in Flandricis.

h *Ad sedandam discordiam inter milites de Zulen & prædict. suos consules,*] Amstelium nempè & Woerdenum, quos paulò ante ut sibi essent à secretis consiliis, elegerat: ut testatur Chronicon Magnum, cui adstipulantur vulgare Chronic. ex Gerbrando, Chron. innominati MS Stokius quoque meminit reconciliationis inter ejus proceres. Sed Snoyus reconciliationem hanc factam inter Zulenos & Magistratum Trajectensem, nescio unde tradit: qui etiam Episcopum conspirationis suspectum facit; ut & Haemrodius; At argumenta in contrarium plura adferri possent.

i *Et ecce quædem muliercula divinitus inspirata,*) Hic flosculus ex Romanâ historiâ translatus videtur. Similia enim de Cæsare ap. Suet. in Iulio cap. 81. & plutarchum in vitâ Cæsaris, leguntur, verba verò ab eâ prolata sunt ex Psal. 40.

k *Pro tam crudeli martyrio,*) Martyrium hic impropriè pro cæde sumitur; neque enim Comes ob religionis professionem, aut pietatis studium occisus est; sed quod odium suorum incurrisset; justène an injustè hic non inquiro, aut excutio.

l *Annis ferè xlii. honestè regens,*) Snoyus: *Comitatum gesserat annis quadraginta*, qui plures volunt, addunt duos; Chron. vulgare ex Gerbrando, Chronicon magnum, alii pleriq; Snoyo assentiunt, nam ab anno 1256. quo pater à Frisiis occisus est usque ad annum C. 1296. 40. anni effluxerunt. Bockenbergius verò 26. tantum comitatui eum præfuisse scribit, adimens 14. annos reliquos, quibus sub tutelâ vixit.

m *Dire rotatus est,*] Id est in rotam sublatus, quale supplicium apud Germanos olim frequens in Latrones, & Majestatis reos: sic Stokius de famulo Huberti qui filiolum ejus ad hostes abduxerat.

Deden leggen op een rade.

Ubbo Emmius impositos Rotæ conjuratores tradit. lib. 12. Frisic. eodem supplicio affectùm Comitem Isenburgicum, qui consanguineum Antistitem Colon. Engelbertum occiderat ab historicis relatum; in quibus plura ejus pœnæ exempla succurrunt, quin & nostro tempore usitata. Non tamen obliti hic nostri scriptores ea quæ de M. Attilio Regulo à Carthaginensibus capto Rom. narrat historia, quibus suam exornent; eodem enim modo vasi clavis introrsus adactis Velsenum inclusum volunt, & vicatim volutatû; sic chron. vulgare, Snoyus, Heda, chron. etiam magnum, & I. Gerbrâdus, sed præter mentẽ Bekæ, Stokii & Innominati script. qui nihil tale habent. Quavis & ejusmodi supplicii

supplicii irrogati mentionem injiciant historici ut de Cazarino & Sanguinesio Iul. Cæs. Bullingerus. hist. lib. 3. & Sigonius hist. Bonon. lib. 6.

n *Comes vero Clivensis*] Hic iterum Comitatus Holl. miserè distractus, ambitione eorum qui præfecturam sibi arrogarent, quæ res multorum malorum causa extitit, dum Iohannes hæres ex Angliâ adveniret.

Wilhelmus Episcopus. XXXXI.

EOdem anno Iohannes Episcopus Apostolicâ translatus authoritate Tullensis Episcopus effectus est, & Wilhelmus de Mechtliniâ natus (a) auditor causarum in Romanâ curiâ XLI. Episcopus ordinatus est: hic Wilhelmus Trajectum adveniens, totum Episcopatum diversis involutum guerris repperit, quem ad bonum reparare statum intentè studuit. Nam & idem Episcopus in primis castrum (b) Mudense cum electis obsedit armigeris. quod adeò conquassavit cum diversis tormentorum *mangenis, ut Theodoricus de Harlem impetratâ deditione demum in captivitatem transiret, & salvâ vitâ castellum ipsi liberè resignaret. Ex hac igitur prosperitate Wilhelmus Episcopus magnanimus effectus, secessit ad West-frisiam, & ibidem adversus Hollandiensem (c) populum Episcopalem prædicavit indulgentiam. Fresones verò secundum consuetum morem ad rebellionem proni, suadente Wilhelmo Pontifice vallaverunt castrum Widenes per circuitum infestantes acriter per assultum creberrimum, ita quod Baldevinus de Naelwick tandem exhaustis necessariis idem castellum Fresonibus hac conditione traderet, ut ipse salvis rebus ad Hollandiam in firmâ pace recederet. Nec mora, quin Fresones hoc castro destructo, Enigenburch confringerent, Medenblick obsidione cingerent, ac ipsum oppidum favillatenus incenderent, Florentius autem de Egmondâ cæterique castrenses cum Fresonibus sæpe strenuè confligentes adeò graviter obsessi sunt, ut consumptis victualibus equinas carnes demum manducare coacti sint. Iohannes quidem Hannoniæ Comes hoc audiens, cum expeditione magnâ remigavit ad Fresiam, occisisque XXXV. Frisonibus, adportavit obsessis Castrensibus magnam ciborum opulentiam. Domini verò de Arckel & de Putte comburentes (d) Enchusam, maximam prædam prenderunt, qui salvâ classe propriis littoribus laudabiliter applicarunt.

Episcopus castrū Mudense capit.

** Ingenijs M. S.*

Episcopus Frisios instigat in Hollandos.

Frisii aliquot castra destruunt.

Iohannes Comes Hannoniæ Medenblico obsessæ suppetias fert.

His itaque gestis Dominus Florentins Abbas Regalis Monasterii Egmondensis, Theodoricus Dominus de Brederode, Henricus Castellanus Leidensis, ac Wilhelmus de Egmondâ milites profunda pelagi transfretantes, exoraverunt Regem Angliæ quatenus annueret, ut cum eis transiret Iohannes Domicellus Hollandiæ. Eduardus verò Rex eosdem legatos gratiosè suscipiens, navem inæstimabilis ornamenti coaptari fecit, cum quâ Iohannem Domicellum, insuper filiam suam ejus uxorem ad Hollandiam destinavit: Sed hic Domicellus vento carens prospero, Zelandiæ finibus applicuit, quem extunc Wolfardus de Vere, destitutis cunctis Hollandis, in tutelam obtinuit.

Iohannes Comes Hollandiæ 16. ex Angliâ revocatur.

Anno Domini MCCXCVII. idem Hollandię Domicellus volens rebellantem sibi subjugare Fresiam, devenit armipotenter in Alkmariam, econtra verò Fresones in manu forti viriliter occursarunt, qui robur totius Fresiæ pro committendo prælio gravi contraxerunt; & ecce concurrentibus invicem utrisque partibus cum cornibus horrisonis, & vexillis fulgidis, fit ingens clangor armorum, & magnus stridor occisorum. Nam Hollandiæ & Zelandiæ populi bipartitas inimicorum acies disiunctim impugnantes, quatuor (e) millia Fresonum occiderunt: Quinimò maximam multitudinem diffugientium ad interiora terrę latibula profugarunt. Ex parte quidem Hollandiensis exercitus Ioannes Dominus de Arckel miles egregius, & Ioannes de Dortoghe armiger inclytus cum duobus aliis occisi sunt, qui pro virili probitate per æterna tempora collaudandi sunt. Contigit autem hæc cruenta strages VI. Kalendas Aprilis in spaciosis (f) agris villę Fronensis. Wilhelmus (g) autem Episcopus attendens succubuisse West-frisiones, transfretavit ad Orientalem Frisiam, & ibidem adversus Hollandiæ populum jam secundò papalem prędicare cępit indulgētia. Fresones igitur Episcopo manuale promittētes auxiliū, devenerunt in

Iohannes Comes Hollandiæ Frisiam invadit.

Frisij succūbunt.

Wilhelmus Episcopus instigat Frisios Orientales in Hollandos.

Monekedam per festinum remigium. Oppidani verò Harlemenses cum Kanemariis & Waterlandis contra copiosum eduxerunt exercitum, qui cum signis fulgurantibus & tubis perstrepentibus animosè Fresingensem sunt aggressi populum. Sed Fresiæ vulgus confestim à bello declinans, festinavit introire navigium, & repentino remorum impulsu maturare diffugium; quos extemplò Waterlandi viriliter insecuti sunt, & occisis infinitis Fresonibus trophæum laudis potenter adepti sunt. Wilhelmus autem Episcopus hoc amisso jam prælio, modicam schapham ingressus ad partes Isselinas festino remigio declinavit. Ioannes verò Domicellus Hollandiæ perpendens, quod Wilhelmus Episcopus duabus vicibus dura prælia suscitasset, & adhuc ad partes Isselinas novo pro subsidio transmisisset, (h) mandavit Giselberto de Iselsteyn, quatenus ad tempus castro suo cederet, & ad impugnandum Episcopum Hollandienses armigeros intromitteret. Giselbertus autem hoc omninò facere recusabat, præsertim cùm & ipse Iusticiarius in terrâ Trajectensi constitutus esset. Quamobrem Hollandiæ Domicellus Giselbertum apprehendi fecit à suis hostibus, cujus & castrum impugnari jussit quotidianis assultibus. (i) Econtra verò Domicella Bartradis prædicti Giselberti uxor ipsum castrum circiter annum egregiè defensavit, quoadusque deficientibus necessariis sub hac formâ conditionis in deditionem transivit, ut ipsa per sortis casum medietatem castrensium salvâ vitâ retineret, & Domicellus Hollandiæ de residuâ parte voluntatis suę desiderium ordinaret. Domicellus autem Hollandiæ jam adeptum castrum cum totâ ditione de Woerden dedit Wolfardo de Vere dehinc in homagium, ut in contumeliam Episcopi Trajectensis dissiparet Pontificium. Sed idem Wolfardus totam Hollandiam per novam monetam aggravans, (k) ab hinc in Delft occisus est, post cujus necem à vulgari populo tumultus (l) ingens exortus est. Anno Domini MCCXCIX. (m) Ioannes Domicellus IV. Kalendas Novembris apud Harlem requievit in Domino, postquam Hollandiam rexisset annis tribus cum dimidio: Hic Ioannes solus inter omnes Hollandię Principes sine liberis & absque militari nomine defunctus est, qui in Reynsburgensi Monasterio penes patrem honorificè tumulatus est. Domicella quidem Elisabeth post mortem sui conjugis transivit ad Regnum Angliæ, quam exinde duxit in uxorem Comes Erfordię. Post ejusdem Domicelli mortem Giselbertus de Aemstel oppidum suum ligneis pontibus, & turritis propugnaculis undècunque munivit. Sed vulgus Waterlandię cum oppidanis de Harlem profugato Giselberto, pontes & munitiones favillatenus inflammavit.

Frisiis victis Episcopus fugit ad Transisulanos.

Giselbertus de Iselsteyn capitur.

Castrum ab uxore deditur certis cōditionibus.

Iohannes Comes moritur anno 1299. 4. Cal. Novemb.

Vxor ejus in Angliam redit.

Defuncto Ioanne Domicello, Ioannes Comes Hannoniensis filius Adelheidis sororis Wilhelmi Regis, Hollandiæ Comes effectus est; qui statim (n) Dominia de Aemstel, & de Woerden Guidoni fratri suo largitus est, habens in uxorem Philippam filiam Comitis Lutsenburch, de quâ genuit Iohannem primogenitum, Wilhelmum succedentem Hollandię Comitem, Ioannem de Bellomonte Dominum, Henricum Cameracensem Canonicum, Domicellum Walramum, Ioannam Abbatissam Fontanacensem, Margaritam Comitissam Atrebatensem, Adelheidin Comitissam Claromontensem, Mariam Comitissam de Borbonnois, & Machtildim Dominam de Nevele. Hic Ioannes primo dominationis suæ tempore cum expeditione validâ remigavit ad Zelandiam, ubi contra rebellionem Ioannis de Renes demum obtinuit in magnâ laude victoriam. Ioannes itaque de Renes devictus transfugit ad Albertum Romanorum Regem pro subsidio, asserens, (o) quod Comitatus Hollandiæ post obitum Domicelli Ioannis Romano vacaret Imperio. Albertus ergo Rex descendens ad Hollandiam, destinavit hujusmodi literas per universam Provinciam. Noverint universi, quod Albertus Rom. Rex invictus vacantem Hollandiæ Principatum Romano potenter incorporabit Imperio, quem Carolus Rex Theodorico Comiti donavit in feudo.

Iohannes Hannoniensis 17. Comes Hollandiæ.

Genealogia Iohannis Comitis Hollādiæ.

Expeditio in Zelandiā.

Albertus Imp. ex delatione Iohānnis de Renes Hollandiæ Comitatum impetit.

Igitur Albertus Rex Anno Domini MCCC. descendit usque Noviomagium, ad subjugandum Comitatum Hollandię, adducens secum Maguntinensem, Treverensem, & Coloniensem Archiepiscopos, cum plærisque primatibus * Regni Alemaniæ. Econtra verò Ioannes Comes armipotenter advenit in Bonswaerd, ubi metatis castris super alveum Wale, assiduè cœpit investigare, qualiter ad expugnandum Regis exercitum magis commodè posset pertransire. Sed ecce Rex (q) multitudinem vexillorum pulchritudinem Castrorum & fortitudinem armigerorum Hollandiensis exercitus à cacumine turris procul intuens, & se delusum à Zelandis æstimans, retrocessit ad Cranenburgiam, ut alterâ die repatriaret in Austriam. Archiepiscopus verò Coloniensis pro Regis honore conservando pacem extunc elaborare studuit, qui tandem sub hac formâ compositionis arbitrium suum edidit: quatenus ipse Comes Do-

** Regionis.*

Pax inter Imperatorē & Comitem.

mes Domino Regi fidelitatis præstaret homagium; quo facto, primates extemplò reversi sunt ad propria. Zelandi verò Regi tardè venientes in auxilium, derelictâ classe penes Heusden transfugerunt pedes ad Flandriam, deprædantes assiduè vicina Zelandiæ: sed Ioannes Comes hos fugitivos citiùs insecutus, desertas rates adinvenit, Ioannem de Renes proscripsit, cujus facultates adjutoribus suis divisit. *D. de Renes proscribitur, & bona ejus publicantur.*

Eodem anno Wilhelmus Trajectensis Episcopus (r) adversantibus sibi Zuedero de Montforde, Huberto de Vianen, & Ioanne de Linscoten militibus, à Iacobo de Lichtenberch Magistro civium, apprehensus est, ac intra civitatem propriam in domo quæ Lichtenberch dicitur circiter annum in captivitate detentus est. Demùm idem Episcopus à prisione laxatus, sedem adivit Apostolicam, ut Trajectense Pontificium Domino Papæ resignaret, & exinde sopitis cunctis adversitantibus in tranquillâ pace maneret. Sed ecce Dominus Apostolicus Episcopatum acceptare nolens, mandavit Episcopo Monasteriensi, quatenus ipse Wilhelmo confratri suo contra quoscunque grassatores, qui nitebantur impugnare Trajectense Pontificium *paratum ferret auxilium. Hic Wilhelmus repatriare disponens xv. die mensis Augusti quoddam prodigiale signum apud (s) Anagniam vidit, quod mortis suæ jam instantis indicium prognosticale fuit. Intuebatur enim solem bicornem ad modum lunę medię, de quo fulgurantes radii coruscabant ad instar lucis sanguineę: Domum igitur reversus mox de partibus Transiselanis elegantem aggregavit exercitum, tentans si civitati suæ patentem inveniret introitum. Sed ipse Episcopus urbem intrare nequiens, declinavit ad loca campestria, & ibidem causa repausationis sua decrevit exaltare tentoria. Cùm autem hæc agerentur, quidam Hollandię nobiles, utpote Theodoricus de Wassenaer, Henricus Castellaneus Leidensis, Philippus de Duvenvorde, Simon de Benthem, & Iacobus de Woude milites, cum multis armigeris odientes ipsum Episcopum propter antiquam discordiam, & diligentes Iacobum de Lichtenberch propter confinem amicitiam comprehensis armis devenerunt in campestrem planiciem, quæ dicitur Hoghewoerd, cum tubis frementibus & tremulis, ac signis fulgidis, ut Episcopum à civitate propellerent, & præfatum Iacobum ab imminenti periculo potenter eriperent: econtra verò Dominus Episcopus (cujus exercitus in duplo major erat,) acies suas ad bellum ordinare tetendit, qui cum tubis frementibus & vexillis irradiantibus adversis hostibus audacter occurrit, ita quod in primâ congressione quosdam villanos ab exercitu segregatos expelleret, & Hollandiensi populo cum virtute magnâ resisteret. Interea (t) Zuederus de Montforde cum indefessis advenit armigeris, qui grande juvamen apportavit Hollandię populis; & ecce bellum crudele cœpit ingruere, ut prælantes se mutuo sternerent, & pro coronâ victorię severè contenderent: Episcopus verò levitate sui dextrarii semel & iterum Hollandiensem transvolavit exercitum, quem cunctus populus primò trucidare pertimuit tanquam spiritualem patrem & Dominum; sed idem Antistes hostiles turmas jam tertiò transilire præsumens ab equo prostratus est, & ibidem, anno Domini (u) M CCC I. IV. Nonarum Iulii, qui est translatio sancti Martini, proh dolor, à profanis filiis occisus est. Corruerunt autem ex utraque parte multi valentes armigeri, major verò pars ab exercitu morientis Episcopi, cujus exanime corpus ab hospitalariis delatum est ad ecclesiam S. Catharinæ; donec exequiis congruentibus in (x) Ecclesiâ cathedrali traderetur ecclesiasticæ sepulturę. Hic Wilhelmus ad quinque saltem annos Episcopatum rexit, qui cunctis diebus suis persecutiones graves, (ut prædicitur,) pâssus est.

Wilhelmus Episcopus à suis capitur. *Romano vadens Episcopum Monasteriensem à Papa accipit adjutorem.* ** Manuale.* *Episcopus Trajectum armata manu tentat.* *Episcopus in prælio cadit 1301. 4. Non. Iulij.*

a *Wilhelmus de Mechliniâ natus,*) Hic filius fuit Walteri V. ejus nominis, domini Mechliniensis ex Mariâ de Alverniâ; frater Florentii, & patruus Sophiæ, uxoris Reinaldi I. Gelriæ Ducis; vide ejus stemma à Doctissimo Miræo collectum in lib. Notitiarum Ecclesiæ Belg. à quo tamen videtur dissentire Gramayus in Mechlin. cap. 4.

b *Castrum Mudense cum electis obsedit,*) Stokius tradit Florentium ibidem possedisse castrum captivis custodiendis destinatum, cujus obsidionem ille pluribus prosequitur. Episcopo etiam olim jus fuisse in Mudam & Wesopum inde patet, quod Comiti illa pignori data fuère ab Ecclesiâ Trajectinâ, pro certâ pecuniâ; quæ inde restituta fuit. Est & ap. me exemplar. Recognitionis Mudensium quod ita incipit, *Nos Iudex & Scabini ac universi Oppidani in Muden recognoscimus; quod nos & oppidum nostrum subsumus & attinemus* Ecclesiæ Trajectensi, &c. *finitur: In cujus rei testimonium valitura, dedimus domino nostro Episcopo præsentes literas, sigillo nostri Opidi sigillatas anno Domini M CC XCVI. feriâ tertiâ post dominicam Oculi.*

c *Adversus Hollandensem pop. Episcopalem prædicavit indulg.*) Vide totum hoc bellum plenè & accuratè descriptum à Stokio in Chr. Rhytmico, Ubbone Emmio lib. 12. Rer. Fris. quod & Snoyus Gerbrandus, & alii enarrant.

d *Comburentes Enchusam,*) Quæ eo tempore nondum subdita Hollandis, sed liberorum adhuc Frisonum erat.

e *Quatuor millia Fresonum,*) Altero hoc bello à Ioanne Comite gesto 4000. Frisonum periêre Ubb. etiam Emmio teste; Snoyus valde auget, qui hoc bellum Hannonio tribuere videtur & octies mille cęsos tradit. Clericus Innomin. Bekæ consentit; ut & Chron. Magnum, Gerbrandus & Annal. vulgares. Stokius tria P. M. millia cecidisse affirmat

f *In spatiosis agris villæ Fronensis,*] Hoc prælium inter Hollandos & West-Frisios pugnatum in campis Vronensibus. Verona vel potius Frona primarium oppidum istorum populorum, mater Frisiæ dicta, vide Iunii Bataviam. & de ejus vastatione per Hannonium post factâ Annales vulgares, Emmium lib. 12. rer. Fris. aliosque.

g *Wilhelmus autem Episcopus attendens succubuisse West-Frisones,*] En novum bellum Episcopus excitat Ioanni Com. & Hollandis Cisflevanorum Frisonum, qui tunc Orientales dicebantur, sed & his malè cessit, ac magnâ suorum clade affecti, domum repetere coacti fuêre. Cumque West-Frisones aliquoties haud meliore successu bellum reiterassent, tandem (ut scribit Emmius) anno C 1299. in manus Hollando convenerunt, & sese eidem submisêre.

h *Mandavit Giselberto de Iselstein,*) Is Arnoldi fratris, non filii Giselberti domini de Iselstein (ut quidam perperam putarunt,) primi Iselsteinensis domini, filius fuit, ministerialis Episcopi, qui & terræ suæ maximam partem beneficio Ecclesiæ Trajectinæ tenebat, & ex præfectis (quos Mareschallos vocant) erat: atque proinde nullo jure contra dominum suum arma capere, vel, quo impeteretur castrum suum tradere Ecclesiæ hostibus, poterat. Sed Comes causam belli contra Antistitem captans hinc initium fecit, quod fortè respectu quorundam bonorum Hollandi cliens esset. Oppidum verò tunc temporis adhuc nullum erat, quod Stokius videtur indicare, sed loci jurisdictio (Eyteren vocabatur) à Capitulo Mariano clientelari jure pendebat.

i *E contra vero Domicella Bertradis,)* Virilis hæc animi mulier ex Arkeliâ familiâ fuit, quæ vixit ad annum usque 1322. ut ex libro Emortuali Monasterii Servatiani apud Traject. patet.

k *Ab hinc in Delft occisus est,*) De hoc Meyerus in Annal. Flandric. lib. x. ad annum C. 1303. *Tutor Ioanni Comiti datur Wolfardus à Borsalia Veriensis Toparcha, vir quidem strenuus & fidelis, sed Ioanni Hannonio non satis ad stomachum,* & paulò post, *Igitur Hannonius fretus fœdere Gallorum summittit occultè percussores, & Wolfardum occidendum curat.* Quod an verum sit ignoro, cum in eâ sententiâ sit singularis: In eo tamen puto eum falli, quod Vulfardum tutorem faciat Comitis, qui jam uxoratus, & nuper sanguine proximum Hannonium à tutelâ dejecerat; à consiliis ei fuisse, & plurimum apud Comitem potuisse, facilè credo, quod & Chron. Zeelandię, nec non vulgare Hollandiæ satis superque declarant.

l *Tumultus magnus exortus est,*] Post hæc verba in meo MS. Bekâ adduntur sequentia, quæ hic omittuntur: *Nam mox Dordracenses circumvallaverunt castrum Crayestyn, ac castellum de Slydrecht, quibus captis invenerunt Balivum ipsorum in Slydrecht, quem Balivum claudum cum duobus fratribus suis, cum sculteto, & cum multis armigeris Dordracum perduxerunt, ibidem omnes decollantes*, vide de ea re Chron. vernaculum ex Gerbrando divis. 17. cap. 11. 12. Stokium fol. 60. Chron. Incogniti.

m *Anno Dom. M CC XCIX. Ioannes Domicel. Hol.*) Huic assentitur Stokius ut & Chron. Magnum: Bockenb. annum habet mortis ejus sequentem; cum quo faciunt Chronica vulgare Hol. & Zeeland. ex dysenteriâ eum obiisse tradit Chron. Innominati.

n *Qui statim dominia de Woerden & Amstel Fratri suo largitus.)* Nec tamen de suo, nam erant absq; controversiâ Ecclesiæ Traject. & licet eorum dominiorum Vasalli, & possessores peccassent in Comitem Hollandiæ, non tamen Feuda, quæ erant Episcopi, in jus Hollandicum transire poterant; sed ad dominum directum reverti debebant, quod ii qui vel parùm in jure beneficario versati sunt, facile intelligunt. Sed hic fuit omni tempore potentiorum mos, ut armis magis quam legibus valerent, & chartæ imbecilliores ferè gladiis cederent.

o *Asserens quod Comitatus Hollandiæ,*) Hic si jure disceptandum foret, Imperatoris causa prævaleret; Wilhelmus enim primus hunc Comitatum à Frederico Imp. in feudum accepit, teste Bekâ in superioribus, sic postea Margareta à Ludovico IV. Imp. sed cum ipse Imperator parum valeret, & Comitatus possessores loci commoditate gauderent, Imperatorium simul ac Episcopale jus paulatim evanuit. Verùm hæc brevibus notis includi non possunt, & dabitur forsan, si Deus mihi vitam prorogaverit, alius commodior dicendi locus.

p *Advenit in Bonswaert,*) Bommelswaert legendum putarem, quæ Insula est Bomeliana, hodie notior, quam ut indicio majore indigeat.

q *Rex multitudinem vexill. Holland.*) Admodum jejunè & contemptim scriptores ejus ævi res enarrant, quasi Imp. qui tamen vir erat magnanimus, & bellicosus visis Hollandis statim aufugerit. Si narrationis hæc series vera est, multa alia certum est intervenisse huic compositioni, vide quæ Trithem. Chron. Hirsaugiensi, Annales Colmarienses, & Albertus Argentinensis scribunt, Cuspinianus & alii rer. Aug. scriptores vix meminerunt, vel omnino non tangunt. Chron. Levoldi de Comitib. Marcanis meminit quidem, sed errat in multis.

r *Adversantibus sibi Swedero de Montforde* &c.) Factione Hollandensium contra Episcopum in civitate adversarii excitati, quorum factio ad posteros pervenit, & multorum malorum sæpè causa extitit: hinc Lichtenbergiorum, Fresiorum, Gunterlingorum dissidia & tumultus urbem aliquoties perturbantium

bantium orti sunt.

s *Signum prodigiale apud Anagniam vidit)* Anagnia in Italia civitas est in Hernicis antiqua & celebris, unde quatuor pontifices Rom. habent originem, de quâ vide Leandrum Albertum, in Latio, ubi agit de Hernicis; & Merulam Cosmogr. partis 2. libr. 4. Heda apud Angaros (Saxoniæ est inferioris, vel Westphaliæ populus) Antistiti visum hoc prodigium vult; sed plerique Anagniam retinent.

t *Interea Swederus de Montforde)* Hic ex Roveriis filius Henrici Castellani de Montforde, subditus pontificis, ac ministerialis ejus fuit, cui nupta Catharina Florentii Comitis fil. nat. quem & hoc anno consulem Traject. fuisse lego, & Lichtenbergiis addictissimum. Fuerat & Wilhelmo Antistiti lis cum Henrico Roverio, hujus parente, qui primus ex eâ familiâ Burchgraviatum, eo invito occupavit, cum prædecessor Walterus Gerardi absque liberis, saltem masculis decessisset, ut ex literis ea de re extantibus, clarum est.

u *Anno Domini M CCC I. occisus est,)* plerique scriptores Bekæ adstipulantur, Æmylius Stokius his verbis locum designat.

Dit geviel int jaer ons here
M CCC ende een, ooc mede
Buten Utrecht tot eenstede,
Diemen hiet de Hoge Woert.

Snoyus cum Episcopo cæsos mille armatos refert, eumque à rustico quodam occisum addit, qui illud crimen longâ deinceps pœnitentiâ luit. Hodie in loco cædis erecta spectatur crux lapidea; supersunt & literæ Expiatoriæ hujus cædis; quo nomine primùm mater Hannonis fundavit Vicariam, sive capelleriam (ut vocant) largiter dotatam; quam & ratam habuit filius Comes, literis eam in rem scriptis; unde non omnino expertes ejus cædis Hannones fuisse constat, etiamsi Snoyus eos excusare conetur.

x *In ecclesiâ cathedrali.)* Ad finem hujus capitis in meo MS. adduntur sequentia: *Sepultus est in tumbâ lapideâ contiguâ choro in parte meridionali, in oppositum tumbæ Guidonis successoris sui, ante altare S. Laurentij,* Epitaphium ejus videre licet apud Bockenbergium.

Guido Episcopus XXXXII.

POst occisionem Wilhelmi Pontificis, Ioannes Comes à Zelandiâ citò veniens supplicavit ecclesiæ Trajectensi pro Guidone fratre suo Thesaurario Leodiensi. Canonicorum ergo quidam elegerunt Guidonem eundem Thesaurarium, quidam (a) verò Adulphum de Waldech majoris Ecclesię præpositum. Porrò quamprimum Guido gubernationem Episcopatus accepit. Adulphus ad partes Transiselinas secessit. Fuerunt (b) ejusdem Guidonis fratres carnales, Botzardus Episcopus Metensis, Ioannes Episcopus Cameracensis, Ioannes Comes Hannonię, Hollandię & Zelandię & Florentius Princeps Morianensis, quorum auxiliante potentiâ dictus Guido Pontifex adversantes hostes subegit, totumque Pontificium in tranquillâ pace quietissimè gubernavit.

(c) His diebus contigit in Hollandiâ quoddam speciale prodigium, quod venturæ calamitatis fuit singulare pręsagium. Quidam enim eques apparuit, admonens universam plebem arma tollere, & pro repellendis hostibus littus maris festinanter ascendere. Igitur omnis populus ad mare tendens pro debellandis hostibus, aspexit aquam impletam infinitis quasi navibus, sed ipsa classis in momento disparuit, & prælibatus eques quasi phantasma confestim evanuit. (d) *Prodigium futuræ cladis.*

Anno Domini MCCC. IV. Guido Flamingus aggregavit electam militiam, ut vicinam armipotenter expugnaret Walacriam; cui Wilhelmus major natu Iohannis Hollandiæ Comitis eleganter occurrrit: qui occisis in Catzant plęrisque Flamingis honorificè triumphavit. Nec mora, quin Guido Flamingus congregavit iteratò elegantes armigeros, ut jam secundò debellaret Zelandiæ populos, cui Wilhelmus juvenis secundariò se opposuit, qui tamen ex internâ traditione, tam in Vere, quàm in Arnemuden uno die bis victus succubuit. Wilhelmus itaque declinans à prælio, declinavit ad oppidum de Ziericze pro recenti subsidio, quem Guido Flamingus absque morâ secutus fuit, ac ipsum oppidum ad sex septimanas sagittis & fund.bulis lacessivit. Demùm ipse Wilhelmus unâ dierum portas urbis latenter aperiens *Guido Comes Flandriæ Walachriam impetit, Wilhelmus Iohannis Hollandiæ Comitis filius proditionem declinat & vincit.*

Flandri infeliciter pugnant.

riens forensem disturbavit exercitum, qui tam occidendo quàm submergendo mille Flandros & quingentos dedit in interitum. Qui deinde præfatum oppidum diligenti custodiæ mancipavit, & ad Hollandiam secessit, & auxilio patrui sui Domini Guidonis Episcopi copiosum eduxit exercitum, ut in virtute magnâ circum obsessum liberaret oppidum. Cùm autem gloriosus exercitus tam Pontificis, quàm Comitis appropinquarent Duvelandiæ, quidam temerarii juvenes ex navibus exsilientes consagittare ceperunt contra præscriptos Zelandiæ. Et ecce Ecclesiæ Trajectensis & Hollandiensis populi fixis anchoris ascenderunt in aggerem, ut ibidem castra locarent propter instantem noctis caliginem. Frisones autem dormitare recusantes, incenderunt hinc inde fugitivorum tabernacula, revertentes ad stationem navium suarum cum præda copiosissimâ. Nec mora quin habitatores Duvelandiæ confestim arma capientes, & per notas semitas Fresones indilatè sectantes, super exercitum adhuc soporantem, irruerunt, quem in clamoribus & ictibus validissimis excitaverunt. Hollandienses autem & Trajectenses armigeri de quieto somno terribiliter excitati, comprensis armis festinaverunt inimicis obsistere, ac eosdem à propugnaculis castrorum procul pellere: sed hoc minimè profuit, quoniam umbrosa caligo maledictę noctis tantùm inhorruit, ut amicus amicum non agnosceret, quinimo cognatus agnatum alternâ cæde perimeret. (e) Corruerunt autem in ipso conflictu Wilhelmus de Horn Præpositus Trajectensis, Nicolaus Persijn, Theodoricus de Harlem, Theodoricus de Zulen, & Zuederus de Beverwaerde bellicosi millites, cum plerisque burgensibus & villanis, exceptis aliis multis in marinis fluctibus suffocatis. (f) Guido quidem Episcopus cum copiosâ turba plebis & militiæ captivatus est, qui sub arctâ custodiâ versus Flandriam abinde transmissus est. Wilhelmus autem extemplò navem ascendit, & ad præsidium Zirixe cum periculo vix evasit. His itaque gestis Guido Flamingus de victoriâ Zelandorum valdè gavisus, cum inmensâ classe totam Northollandiam usque Harlem per Ioannem de Renes ditioni suæ subegit. Dux verò Brabantiæ totam Zuydthollandiam, præter Dordracum, potestati suæ vendicavit, quapropter Guido Flamingus Trajectum adiit, & ab Ecclesiâ diligenter expetiit, quatenus Guido captus Pontificio privaretur, & Wilhelmus Iuliacensis in Episcopum eligeretur, qui per suos internuncios idem forsitan impetrasset. Si Witto (g) de Haemsteden Bastardus Florentii quondam Comitis de Zirixe per turbulentum æquor ad Zandfordiam non venisset: sed postquam hic miles illustris cum paucis armigeris intrasset Harlemense pręsidium, Kinemari cum Fresonibus occurrerunt in ipsius auxilium, cum quibus idem Witto naves eduxit, obsides resumsit, & Flandros hinc inde repertos sine numero occidit. Nicolaus verò de Putte miles inclitus Pręfectus Walacrię cum Dordracensibus Ducem Brabantiæ fugans, omnes pagos usque Buscum Ducis incendit, & ad montem S. Gertrudis in pręda magna reversus fuit. Guido autem Flamingus his agnitis confusus, à Trajecto declinans, oppidū de Zirixe jam tertiò cinxit obsidione gravissimâ, quod mangenis apris, cattis, & cęteris ingeniis lacessivit insultatione creberrimâ. Wilhelmus approbatus juvenis iterum ab Hollandiâ perpulchrum eduxit exercitum, ut ab infestatione terribili suum liberaret oppidum. Cui Philippus Rex Francorum transmisit à Calesio trecentas & quinquaginta (h) triremes cum quinque galeriis in adjutorium, quas Amiraldus Regis cum vexillis aurifluis, & edoctis tubicinariis eduxit ad prælium. Eodem igitur anno, die vigesimo mensis Augusti, qui est festivitas sancti Laurentii Martyris pretiosi convenit navalis exercitus tam Regis, quàm Comitis, ut Flandros ab obsidione propelleret, & eorum classem in profundo maris immergeret. Flandrienses verò econtrà coaptaverunt navem mirę magnitudinis, quam accenderunt formento ceræ, lardi, salispetrę, picis & sulphuris, quatenus hanc ratem inextinguibiliter accensam per ventum prosperum dirigerent super Hollandię exercitum, & exustis vicinis navibus disturbarent adversum populum: sed ecce navis hæc flammivoma refluentibus aquis, & reflantibus ventis ad Flandros vice versâ rediit, cujus etiam ductores miserabiliter exustos vorago pelagi vivos absorbuit. Ex hoc igitur eventu mirabili tam Hollandiæ, quàm Francię proceres pręliandi susceperunt animum: qui cum tubis stridentibus, & vexillis coruscantibus Flandrensem impugnare cœperunt exercitum: econtra verò Flamingi per diem & noctem integram sese strenuè defensarunt, & adversis hostibus cum telis & fundibulis laudabiliter obstiterunt: In hoc navali bello fragor hastarum, sonitus gladiorum, clangor galearum, strepitus saxorum, stridor balistarum, & fremitus præliatorum tantùm invaluisse narratur, ut tumultus abinde grandisonus ad tria miliaria patenter audiretur. Denique Flandri lassitudine fatigati fecerunt

Frisiones invadunt hostes, sed exitu infelici.

Guido Episcopus Trajectensis captus in Flandriam mittitur.

Cadente quercu omnes lignarii veniunt.

Vitto de Heemstede Guidonem Flandrum abigit.

Philippus Rex Franciæ suppetias mittit Hollandiæ.

Flandri suo stratagemate ipsi perimti.

Flandri succumbunt, & Comes eorum capitur.

cerunt à prælio, quos Hollandi certatim occidendo merserunt in profluvio. Guido quidem Flamingus terminato bello per Amiraldum (k) Regis captus est, pro quo venerabilis pater Dominus Guido Trajectensis Episcopus à prisione laxatus est. (l) Corruerunt autem in ipso conflictu à parte Flandrorum x. milia, & transierunt in captivitatem Wilhelmi juvenis innumerata centenaria cum millenis & centum navibus, & nongentis pretiosis papilionibus. Nequaquam & hoc silentio preterire volumus, Quod signum sanctę crucis apud Egmondam mirę magnitudinis, & purpurei coloris in aëre visibiliter apparuit, quum præfatum prælium inter magnates eosdem invaluit, quod quia signum est triumphalis lætitiæ, prognosticatum fuit Hollandis pro patriâ juste pugnantibus, portendere laudem victorialis glorię. Hinc Hollandi ad sua reversi, festinaverunt Ioannem de Renes à Trajecto propellere, vel ipsam civitatem quotidianis incursionibus affligere, concremantes quasdam curtes cum molendinis ante suburbium præsupponentes, quod idem Iohannes foris veniret ad ulciscendum hoc incendium. Sed idem miles traditionem metuens, cum suis complicibus à civitate clàm abcessit, & ut Leccam transiret timore persequentium inimicorum scapham modicam introivit, & ecce probati milites armorum sarcinâ (m) prægravati mox in profundo submersi sunt, qui dehinc ab amicis & notis sagenis in gravi dolore inventi sunt. Eodem etiam anno Ioannes Hollandiæ Comes gavisus de filii sui victoriâ, pridie Idus Septembris requievit in Domino, sepultus in urbe Valiscenarum honore congruo: Hic Iohannes primitus existens Comes Hannoniæ, quinque fere annis Comitatum rexit Hollandię. Cujus uxor Philippa VIII. Idus Aprilis defuncta est; quæ penes eundem virum suum in Hannonia tumulata est.

Iohannes de Renes fugiēs cum suis in Lecca submergitur.

Iohannes Comes Hollandiæ moritur.

Wilhelmus itaque post obitum patris sui XVIII. Hollandiæ Comes effectus est, qui apud omnes Principes terrarum adeò magnificatus est, ut ubique diceretur esse magister militum, & Præfectus Principum, ducens in uxorem Ioannam de Valesia sororem Regis Franciæ, de quâ genuit Ioannem, Margaritam Romanorum Imperatricem, Ioannam Iuliacensem Comitissam, Philippam Angliæ Reginam, Wilhelmum succedentem Hollandiæ Comitem, Ludovicum infantem, & Elisabeth Domicellam. Hic Wilhelmus primo dominationis suæ tempore fecit in Harlem gloriosam acclamari curiam, quam x. Comites, centum Barones, & mille milites cum infinitis proceribus solennisaverunt per totam hebdomadam. Is Comes inclytus per officiales Imperii Romani vicarius Regni deputatus in diebus suis multùm gloriosus fuit, qui duo famosa castra, videlicet Bruyl & Volmenstein in Episcopatu Colonensi potenter expugnavit. Iste etiam Princeps egregius Divini nominis cultum ampliare volens, coadunavit in Middelburch novam Canonicorum ecclesiam, quam anno Domini M CCC XI. satis largifluè ditavit ad perennem laudis suæ memoriam.

Wilhelmus tertius Hollandię Comes 18.

Conventus procerum Harlemi.

Eodem anno Guido Pontifex novum castrum ædificare volens in territorio de Stellingwerff, solidum fundum per doctos exquisivit artifices, ut ex eo rebellantes posset expugnare Fresones, sed quoniam idem Episcopus ad generale (n) Concilium vocatus eo tempore Viennam ivit, ideò structuram castri diebus illis necessariò prætermisit. Dominus (o) autem Apostolicus Clemens quintus cum omni veneratione Guidonem suscepit Episcopum, cui, mediante Rege Francorum, Cardinalatum exhibuit per rubeum pileum. Sed Guido Episcopus Domino Papæ condignas gratias agens, oblatum honorem tantæ dignitatis abnuit, & Trajectensis Episcopus ad vitę suæ terminum permanere maluit. Philippus autem Rex tanti Patris humilitatem intuens, dedit eidem reverendo Pontifici quingentas libras annuatim de censu Regalis Cameræ, ut sibi de cætero foret astrictus in vinculo perhennis amicitię. Denique terminato solenni concilio, Guido Pontifex cum eodem Rege secessit ad Pontozium, ubi idem Rex de præfatâ guerrâ inter Comites Hollandiæ & Flandriæ suum promulgare decrevit arbitrium. Cùm autem hæc agerentur in Francia, mors Episcopi Guidonis divulgata fuit apud Fresiam; quapropter coloni de (p) Stellingwerf multiplicatum educentes exercitum, impegerunt castrum de Vollenho per assultum acerrimum, pro eo, quod idem Episcopus dudum in finibus eorum ædificare castrum attentasset, per quod tumultuantes Fresones à consuetâ rebellione coercere potuisset. Castrenses autem econtra quibuscunque necessariis abunde præmuniti, Fresonicis insultibus laudabiliter obstiterunt, quos balistis & fundibulis viriliter à suburbio profugarunt; quapropter & iidem Fresones superædificaverunt proceræ celsitudinis excellentem machinam cum tribus cænaculis, quam ex omni parte valentibus impleverunt armigeris, quatenus de superiori cęnaculo decertarent rotundis

Guido Episcopus galerum Cardinalitium à Papa oblatum recusat.

à Rege Franciæ munus accipit annuum.

Stellingwerfii falso rumore de morte Episcopi decepti, rebellant.

tundis lapidibus, de medio præacutis missilibus, & de infimo ipsius bipennatis securibus. Hanc utique machinam ita extructam lignifaber circumvestivit taurinis pellibus ad sufferendum ignis adustionem,& etiam circumsepivit reticulatis viminibus ad refrenandam arcus impulsionem. Fresones igitur horrendam machinam ad distantiam v. pedum à castro viriliter impellentes, nitebantur totis viribus ut principalem arcem dilapidarent, balistarios à muris absterrerent, & extunc absque dispendio castri propugnaculum introirent. Gerardus autem Daventriensis ecclesiæ Præpositus, attendens extremam Hermanni fratris sui necessitatem, repentinâ profectione tetendit ad Franciam, & Episcopo Guidoni Castrensium obsessorum in Vollenho periculosam intimavit angustiam. Nec mora quin & idem Episcopus magnifico Regi valedicens Hollandiam festinanter advenit, expeditionem indixit, exercitum collegit, classem adjunxit, & ad Fresiam transfretavit. Castellarii verò cernentes à cacumine turris imminere classem, & appropinquare * exercitum, intellexerunt quod Dominus Episcopus ipsis ab Hollandia desideratum asportaret auxilium, quamobrem iidem illustres armigeri confestim adimplerunt tunellam fomento lardi, stupæ, salispetræ, picis ac sulphuris, quam ex omni parte circumstipaverunt ferratis vinculis. Hanc igitur tunellam inextinguibiliter accensam audacter ejecerunt super tectum vicinæ Machinæ, quæ tenacibus uncis affixa, protinus adhæsit posti ligneo: & ecce levis aura flammigerum rogum paulatim suscitans circumspersit in superius cœnaculum, vnde postes, trabes & crates cum L. Fresonibus inextinguibili concrematæ sunt incendio: porrò cęteri Fresones stridorem tam æstuantis flammę nequaquam tollerare valentes, corruerunt extemplò de ruiturâ jam Machinâ, qui confractis cruribus & lacertis vix erepti sunt à morte tam acerrimâ: Hermannus autem Castellaneus haud piger valvas castri potenter extunc aperiens, cum cornibus horrisonis, ac animosis vernaculis disturbatos Fresones indilatè secutus est; qui occisis quingentis quasi Fresonibus, ad præsidium castri victoriosè reversus est. His itaque peractis, Hollandiensis advenit exercitus, ibique bellicosus Episcopalis adjunctus est populus. Dominus autem Florentius Trajectensis Præpositus, & Ioannes Dominus de Arckel miles inclytus Consiliarii prædicti Pontificis, Theodoricusque de Brederode, & Nicolaus de Putten milites, consiliarii præfati Comitis Hollandiæ, locatis castris diurnatim arcanum tractaverunt interloquium, qualiter adversus Fresones tutum possent inchoare prælium. Quorum denique decreto consilio præconis voce tubicinatum est, alterâ die arma tollere, in Fresiam tendere, & vicinas villas adurere. Sed ecce spes hæc omninò cassata est, quoniam in opacâ caliginosę noctis umbrâ, mira tempestas invaluit, inaudita pluvia repentè cecidit, & ventosus turbo violenter inhorruit, adeo quod papiliones hinc inde disrupti ac animosi pugiles propter aëris intemperiē acriter afflicti sint. Alterâ verò die cum solare jubar matutinum illustraret hemisphærium, prænarrati Principes attendentes superficiem terrę non esse meabilem propter inundantem aquam ac pluviam, insuper & ipsam Fresiam inaccessibilem propter instantem jam hyemem, præceperunt extemplò castra tollere, classem resumere, & ad propria tendere, & ecce navalis exercitus solutis jam anchoris vix à littore maris jam abcesserat, cùm universus quasi Fresiæ populus pacem exquirens, ac *emendam promittens cum obsidibus illuc advenerat. Sed quid plura? soluti sunt obsides de tam inopinatâ prosperitate gaudentes, & reversi sunt Fresones ad sua, diem festum celebrantes in lętitiâ. Guido quidem Episcopus expensis maximis prægravatus secessit ad Franciam, ut ibidem ad aliquos annos in parsimoniali sumptu staret, quoadusque pecuniam obligatam competenter exsolvere posset: formidine tamen absentis Episcopi nullus prædo fuit ausus Episcopatum introire, aut indigenis violentiam aliquatenus irrogare. Anno Domini M CCC xv. Ludovicus Rex Francię cum exercitu copioso Flandriæ Comitatum ingressus (q) prope Cortracum super fluvium Lizę sua præcepit extendi tabernacula. Cui Wilhelmus Hollandiæ Comes cum populosâ turbâ navalis exercitus in auxilium veniens prope Cales super alveum Schelde sua jussit exaltari tentoria. Sed ecce præfatus Rex per assiduam intemperiem pluvialis auræ compulsus est ad Franciam retrocedere, & Flandriensem populum ab infestâ molestatione dimittere. Wilhelmus igitur Comes auditis de absentiâ Regis veridicis rumoribus omnes villas circa ripam prædicti fluminis hostiliter incendit, salvisque suis bellatoribus ad (r) Hollandiam remigavit.

Stratagema Frisiorum contra Follenhovum. **Navigium* *Stratagema Vollenhovensium.* *Tempestas bellum impedit.* **Forte amendam.* *Guidonis Episcopi mira parsimonia.* *Ludovicus Rex Franciæ Flandriam invadit.*

Anno Domini M CCC xvi. (s) radiosus Cometes apparuit, mortifera pestis inhorruit, & valida fames invaluit, adeo quod plerique pauperes, (si fas est dicere,) cadavera pecorum sicuti canes cruda corroderent, & gramina pratorum sicuti boves incoctè commederent: fuit

Cometa pestem portendit & famē.

etiam

etiam hæc fames ac pestilentia tam aspera, quod mendicantes absque numero morerentur in campis, sylvis sive nemoribus, & eorum corpora sine catholicis exequiis sepulturæ traderentur in locis agrestibus. Quapropter hæc miseranda calamitas à Threnis Ieremiæ Prophetæ solum in hoc discrepare videtur, quod hic manus mulierum proprios filios non decoxerunt, & eorum carnes urgente fame, non manducaverunt. Post biennium verò divina misericordia compatiens, humanæ miseriæ largitatem munificentiæ suæ clementer ostendit, & incrementa frugum ubique terrarum in tantum addauxit, ut modius siliginis pro quinque grossis(t)Turonēsibus emeretur, qui paulò pridem pro *quinq; solidis Turonēsibus emebatur.

*Pro lx. antiquis, MS.

Anno Domini M CCC XVII. Guido Pontifex reversus à Franciâ totum Episcopatum cœpit in tranquillâ pace disponere, cunctosque grassatores ultione severâ corrigere: fuit etenim illis diebus Giselbertus de Ghoy junioris ætatis adolescentulus sub tutelâ Ioannis de Culenburch & Nicolai de Catze constitutus, à quibus idem Episcopus ex parte jam dicti pueri de receptis sanam exegit computationem, vel tutelę resignationem. Ioannes autem & Nicolaus parvipendentes mandatum reverendi Pontificis recusaverunt de receptis rationem reddere, & tutelæ prænominati juvenis aliquo modo cedere. Quamobrem idem Episcopus tam ab Hollandiâ, quàm de potestate propriâ perpulchrum eduxit exercitum, & castrum Ghoy vallavit obsidione per circuitum, ut cum mangenis turres impetuosè quassaret, & Castrenses ad satisfactionem debitam coarceret. Castrenses itaque magnanimitatem Pontificis intuentes, obsidionemque tam populosę magnitudinis formidantes, ipsum castrum, salvâ vitâ cum bonis, liberè resignarunt, & glorioso Pontifici debitam satisfactionem de præteritâ contumeliâ promiserunt. Guido quidem Episcopus adeptum jam castrum commisit Arnoldo (u) de Iselsteyn, ac Wilhelmo Bastardo Florentii Comitis Hollandiæ, quatenus ipsi præsiderent in eo sub munimento fidelis custodiæ. Sed ecce Guido præclarus antistes eadem nocte, quæ est IV. Kalendas Iunii mensis ægritudine subitaneâ debilitari cœpit, & astantibus quibusdam de suis familiaribus vitę spiritum exhalavit. Nec mora, quin Castrenses dudum ejecti circa noctis umbram per notas semitas scalas muris applicarunt, ac omnes armigeros Episcopalis curiæ soporantes adhuc in stratu, cum verbis minatoriis ejecerunt: corpus autem reverendi Pontificis confestim infra civitatem Trajectensem devectum est, & ibidem apud majorem Ecclesiam lachrimosis exequiis honorificè tumulatum est. Hic electus Pater XVI. annos condignè regens Episcopatum, sancto Martino tria castra, scilicet, Ghore, Dullenburch & Stoutenburch ad perennem suæ laudis memoriam & honorem obtulit, & pro debitis antecessoris sui Romanæ curię M. & quadringentas libras exsoluit. Totum Episcopatum sine debitis successori suo dimisit, quem, eo vivente, contra circum manentes Principes potenter & pacificè gubernavit. Fuit autem idem Episcopus aspectu decorus, staturâ venustus, sermone facundus, ingenio clarus, consilio cautus, ac in multis gratiosus, virtutibus extollendus. Wilhelmus(x)autem Hollandiæ Comes defuncto patruo suo Dominia de Aemstel & de Woerden ditioni suæ subegit, in quibus ex parte suâ Balivum sive villicum deputavit, asserens quod eadem Dominia sępedicto Pontifici pro patrimonio fuerunt assignata, sed propter transgressionem arbitrii forent ad Comitatum Hollandiæ devoluta.

Tutelæ ratio denegata bellum concitat.

Victi victores expellunt.

Prosopographia Guidonis Episcopi.

Dominia de Aemstel & Woerden cedunt Hollandiæ.

a *Quidam elegerunt Adolphum de Waldeck,*] Sic restitui; quamvis in edito Chronico Bekæ atque MS. meo, sed malè, Legatur Rodulphus, contra fidem diplomatum; is fuit ab an. 1280. Præpositus Trajectensis electus contra Guidonem, Episc. anno 1301. 42. ordine; sed hic consanguineorum potentia prævaluit. Hoppenrodius in Saxonicis, matrem ipsi dat Brandenburgicam, Helenam nomine; sed in eo errat, quod eum 44. Episcopum Trajectensem faciat & anno C. 1320. mortuum dicat. Quininò, ut auctor est Placentius de Episc. Leodiens. eodem anno 1301. factus est Antistes Leodiensis 44. & ibidem veneno anno administrationis primo extinctus est, vide Hocsemium in ejus vitâ tom. 2. cap. 28. qui illum 73. Episc. Leod. connumeratis Tongrensibus & Trajectensib. ad Mosam, scribit.

b *Fuêre hi ejusdem Guidonis fratres,*] Chronicon vulgare quatuor Guidoni fratres tribuit. Botzardus verò electus Leodiensis cum Ioanne Flandrorum Com. filio, moderante Ro. Pont. Metensem Episcopatum adeptus est, teste Placentio; cui adstipulare videntur Chron. MS. de Episcopis Metens. Chron. magn. Belg. In margine Chron. MS. jam nominati notatur Cardinalem fuisse, quod & Heda ac magnum Chron. videntur innuere, verùm in Onuphrio nullum circa hæc tempora Botzardum vel Borchordum Cardinalem invenio. M.S. Obiisse eum anno tertio Bonifacii VIII. P.R. cum 14. annis Metensi Ecclesiæ præfuisset, tradit; quod tempus in annum C. 1297. incidit, ante quàm Guido diceretur Trajectensis Episcopus.

c *Hisce diebus contigit in Holl. quoddam speciale prodigium,*) Hujus meminere Innominatus clericus, Chron. vernaculum, Barlandus, & alii.

d *Anno Domini 1304. Guido Flamingus,*) Hoc bellum Flandricum, præter Annales vulgares, describunt accuratè Stokius in Rhythmico Chron. Meyerus lib. x. Annal. Flandr. Snoyus, Barlandus, Reygersbergius, Heda, Haræus, Oudegerstius, Divæus, P. Æmylius, aliique attingunt tantùm.

e *Corruerunt in ipso conflictu Wilhelmus de Horn,*) vulgare Chronicon convenit cum Becano. Wilhelmi autem Præpositi summi meminerunt Heda; Meyerus, Snoyus: at Stokius nomina cæsorum reticet.

f *Guido quidem Episcopus cum copiosâ turbâ plebis captivatus,*) Hanc cladem in Duvelandia passam sic describit Amyl. Stokius:

Ic vvane noyt man so sconen here
So scire sach ontdaen,
Daer bleef menich man gevaen,
Ende menich verslagen en verdroncken,
Die inde Goude daer versoncken,
Die Biscop bleef gevangen daer.

Vide Scriverium in notatis ad annales vulgares.

g *Witto de Haemstede,*) Nothus hic Florentii Com. ex filiâ, ut credunt Heusdeni domini, vir insignis fortitudinis, qui magno tunc temporis præsidio Hollandis fuit. Ab hoc stirps Haemstediorum nobilis ad nostra tempora duravit.

h *Trecentas & quinquaginta triremes,*) Meyerus videtur Bekæ fidem hic elevare, sic enim scribit lib. x. Flandr. *Reinerius missus à Gallo, qui (ut Beka refert) 350. habuit naves bellicas. Sed is auctor, ut plerique alii, in numeris sæpe errat.*

i *Cum V. Galeris*) alii Galeis, vernacula lingua, Galeyen, id est navibus oblongis, quæ remis propellebantur, & Latinis triremes dicebantur. Meyerus: *cum v. triremibus, quas galeias vocat.* Urstisius in cat. vocum barbar. Galia, triremis. *Galeea* vox usitatissima Clemango. Italis est Galére.

k *Guido Flamingus per Amiraldum Regis captus,*] Is fuit Reinerius Grimoaldus nobilis Genuensis & insignis Navarcha, teste Meyero.

l *Corruerunt à parte Flandrorum x. mille,*) Meyerus ex scriptore illius temporis æquali, non nisi mille circiter per duos dies cecidisse refert.

m *Armorum sarcinâ gravati, mox in profundo submersi*) De fugâ Renessij ex urbe Trajectinâ hæc fere habent Annales Patrii; sed Chronicón vernaculum innominati Auctoris pauló aliter, in hæc fere verba: quæ latinè reddidi: *Renessius cum metueret ne in urbe ipsâ à Wilhelmo Holl. opprimeretur, cum suis clam eâ excessit, & ad arcem Goyanam se contulit, ut apud Bosinchemium Leccam trajiceret, atque ita commode evaderet, confidens ibidem se tutum fore, quod plerique ejus tractus nobiles ejus fœderati, & amici essent, excepto uno Culemburgano. cui nomen erat Ioannes Bosinchemius: qui cum intellexisset Renessium eo loci trajecturum flumen, suos protinus convocavit, atque in armis esse jussit, quo eidem obviam iret, atque trajectum impediret. Quem, ut cum suis insulam Leccæ, quæ est contra Culemburgum, jam trajecisse comperit, statim fossam quæ illam insulam à ripâ separabat superans, certamen cum Renessio, & suis iniens, omnes fere, nisi quos flumen absorpsit, occidit. Idque accidit ipsâ die assumptę Virginis, anno eodem.*

n *Episcopus ad generale consilium vocatus,*] Creditur Convocatum illud Concilium à Clemente V. Burdegalensi Gallo P. R. qui primus sedem Avignonem transtulit. Quod tamen in tomo vet. Concil. non habetur, neque in summâ illustr. concil. Contareni: meminêre ejus nihilominus Panvin. in Chron. Eccles. & supplementum Martini Poloni in Clem. V. in hæc verba: *Anno d. 1311. hic Papa Viennæ Concilium generale convocavit. Cujus prima sessio fuit inchoata 17. Novemb. ubi de passagio ultramarino, & recuperatione terrę Sanctæ tractabatur,* Sic & Nauclerus in Chron. gener. 44. Platina in Clemente V. & ibid. Panvinius. Palmerius in Chron. Masson. in Annal. Franc. lib. 3. Chron. Massæi, Carr. & aliorum.

o *D. Apostol. Guidoni exhibuit, &c.*) Hæc quoque habent Annal. vulgares, & Heda; penes quos ejus narrationis fidem relinquo.

p *Quapropter Coloni de Stellingwerf,*) Præter Annales vulgares, & Hedam, hoc bellum accuratius, neque tamen prolixè, Ubbo Emmius describit, quem vide libro Rer. Frisicarum 13. non procul à principio.

q *Ingressus prope Curtracum, &c.*] Vide Meyerum lib. xi. ad annum 1315. qui dicit Hollandum Flandriæ finibus expulsum, magna celeritate, nõ expectato exercitu Flandrico, in Zelandiâ reversum.

r *Hollandiam remigravit,*) Post hæc verba in meo MS. leguntur sequentia de Henrico VII. Imp. *Anno dom. M CCC xvi. Beatus Henricus Imperator Romanorum intoxicatus fuit, in receptione corporis Christi per quendam Iacobitam.* Meyerus in Ann. Fland. lib. xi. ad annum 1313. Hæc refert ex Beka, quæ hic nusquam comparent; & adjungit post: *Addit Beka monachos illius ordinis 40000. floren à dictis principibus* (Roberto Apuliæ, Philippo Franciæ, & Ludovico Navarræ regibus, principe item Tarentino) *ad hoc accepisse, fratresque amplius xx. in eadem fuisse conspiratione* & pauló post:

Factum

Factum est (inquit Beka) *post aliquot annos, ut sceleſtiſſimus ille proditor authoribus Giſellinis principibus Florentiæ captus exco ... etur morteque turpiſſimâ damnaretur.* Hæc itidem ex Hocſemio in vita Theobald. de Berro Leod. Epiſc. cap. 32. Crantzio Saxon. lib. 9. ca. 7. Cuſpiniano in Henr. VII. Opmerio in Chronograph. opere; & quibus non ſcriptoribus conſtant, licet ſint qui negare audeant.

ſ *Anno Domini 1316. Radioſus Cometes apparuit.)* Cometa ut plurimùm nuntius mali adventuri, aut inſtantis juxta illud:

Et terris mutantem regna Cometen.

At quamvis naturales ei cauſas tribuant, ut Puteanus libr. ſingulari eam in rem ſcripto: tamen ſæpius mala ſecuta ingentia obſervatione certiſſimâ cognovimus. Exempla congeſſit in libellum olim Magyrus Junior Mathemat. quo de Cometa anni 1572. agit, cujus ſequela fames acerrima, cum maximâ peſte, quæ duo mala plerumque concurrunt, & à bello trahuntur.

t *Pro v. groſſis Turonenſ. &c.)* Vulgare Chronicon tranſtulit: **Dat men een ſchepel Roggen cochte om vijf grooten/ datmen daer te voren cochte om vijf ſchellingen** / in MS. meo pro v. ſolidis legitur lx. antiquis ſolidis Turonenſibus, quæ ſi vera lectio multùm ab hac noſtra differret. Sed obſcura eſt & incerta monetę illorum temporum computatio: eſt ap. me declaratio monetę Col. per Decanum & Capitulum ejus Eccleſiæ facta A. 1300. feria 3. poſt Remigium) cujus hoc eſt principium: *Notum facimus &c. Quod conſuetudo Eccleſiæ Colon. eſt ab antiquo, quod tredecim ſolidi, & quatuor denarii Colonienſis monetæ faciunt unam Marcam argenti ponderati; Item tres den. Col. monetæ faciunt unum groſſum Turonenſem.*

u *Arnoldo de Iſelſtein ac Willelmo B. Florentii Comit.)* Prior hic fuit filius Giſelberti Domini de Iſſelſtein, ex matre Arkelia, & nepos Arnoldi Amſtelii fratris Giſelberti domini de Amſtelle. Poſterior verò ex nothis Florentii Com. quos plures ipſe reliquit: ut ſunt præter mihi ignotos, *Witto* primus dominus & propagator familiæ de Haemſtede, Catharina uxor Swederi, & mater Henrici Caſtellaneorum de Montfoort.

x *Dominia de Aemſtel & Woerden ditioni ſuæ ſubegit.)* Hinc multa inter Antiſtites & Comites diſſidia, atque bella exorta ſunt, quod hac (etiam Heda teſte) eſſent Eccleſiæ Ultrajectinæ. Extant quidem contractus oppignorationis aliorumque gravaminum horum bonorum inter Comites & Epiſcopos, initi, ſed ſupremum jus ſemper Eccleſiæ abſque controverſiâ remanſit; etiam in iis pacis legibus, ad quas inviti & quaſi coacti Antiſtites deſcenderunt, ut cum anno 1356. inter Iohannem Arkelium, & Wilhelmum Comitem convenit, ut Epiſcopus clientelari jure Comiti confirmaret bona de Aemſtelle, Woerden & Kuic, quæ magnâ ex parte cauſam belli præbuerant.

Mirum hic nihil de Veluâ, & ſuper eâ tranſactione Guidonis cum Comite Gelriæ anno 1312. initâ; cujus ex Bekâ mentio in Chronico magno Belg.

Fredericus Secundus Epiſcop. XLIII.

SEpulto Guidone Pontifice, Fredericus hujus nominis ſecundus, natus de Zirck, S. Petri Trajectenſis Præpoſitus ad inſtantiam Wilhelmi Comitis XLIII. electus eſt Epiſcopus. Hic Fredericus in Romanâ Curiâ conſecratus ex propriis (2) debitis plurimùm obligatus fuit, quanquam Epiſcopatum ſatis divitem (ut prædicitur) invenit: ideoque ſub brevi tempore multum inops effectus eſt, & tam à ſuis quàm alienis modicæ reputationis habitus eſt. Caſtrenſes namque de Lienden, homines ſui Epiſcopatus exactionantes pro magnâ parte caſtrum Dullenburch incenderunt: qui & aliquoties Rheni gurgitem transfretantes, *carredas deferentes Epiſcopo neceſſaria captivarunt; ſuper quibus moleſtiis idem Epiſcopus oportunum imploravit auxilium Reinoldi Comitis Geldriæ quatenus jure debitæ fidelitatis ſibi ſubveniret in vindictam talis injuriæ. Sed ecce Reinoldus illuſtris Comes paulò pòſt à proprio filio ſuo captus eſt, & Epiſcopus à deſiderato juvamine deſtitutus eſt. Quamobrem & ipſe Pontifex Hollandiam adiit, fidei & conſanguinitatis Wilhelmum Comitem admonuit, & ab eo debitæ ſubventionis juvamen expetiit. Nec mora quin & idem Comes expeditum congregari fecit exercitum, cui Ioannem Dominum de Arckel virum egregium præfecit capitaneum: ecce jam dictus Dominus Ioannes Hollandos adducens Liende caſtrum & Bomelen cum villis adjacentibus omnino ſuccendit, ac omnes adverſantes hoſtes ita ſtrenuè ſubjugavit, ut ipſi præfato Pontifici non ſolùm de cunctis offendiculis ſatiſfactionem exhiberent, verùm etiam confractum caſtrum Dullenburch ſub expenſis propriis repararent.

*Currus.

Reinoldus Comes Geldriæ à proprio filio captus.

Dullenburgenſes ſubiguntur.

Anno Domini MCCCXXI. in feſto SS. Iohannis & Pauli glorioſorum martyrum in medio æſtatis poſitus primus lapis, fundamentalis de turri S. Martini confeſſ. & patroni eccleſię Trajectenſis; & poſt anno Domini MCCCLXXXII. crux cum ventilabro aureo ſuperlocata eſt.

Inundatio Rheni concita.

Anno Domini M CCC XXII. 9. Kalendas Iulii disrupti sunt aggeres ex (c) profluvio Rheni supra solitum inundantis, ita quod in terrâ Trajectensi, & in Balivatu Rynlandiæ per diluvium fluvialis aquæ sata putrescerent, & prata vilescerent, quapropter Wilhelmus Hollandiæ Comes Ecclesiam, claustrales, civitatenses & Nobiles post variam altercationem adstrinxit, quatenus sub stipulatione signati Chirographi Cis-Rhenanos aggeres ita firmarent, quod Hollandiæ populi de tali profluvio damnum aliquo modo non haberent. Eodem anno XIII. Kalendas Augusti sæpe dictus Episcopus arthritico morbo multùm debilitatus apud Horst migravit à sæculo, postquam V. saltim annis Trajectensi præfuisset Episcopio; cujus corpus infra civitatem allatum & ibidem in Ecclesiâ Cathedrali cum exequiis competentibus inhumatum est.

Fredericus Episcopus moritur 1322. 13. Cal. August.

a *Propriis debitis plurimum gravatus,*) In Curiâ enim Romanâ omnia tum numis vendebantur; atque ut vero est simile, hic non tam ex electione Cleri Traject. quam Pont. Rom. seu Gallici emptione fuit, valdè enim illa tempora corrupta erant; ut ex scriptoribus ejus ævi satis superq; constare potest.

b *Sub expensis propriis repararent,*] Post hæc verba in MS. meo, fundatio turris inseritur, cujus & meminit præter Chron. vulgare, Noviomagus, de quâ hi versus etiam nunc turri incisi leguntur:

Doemen schreef M CCC XX en een,
Leymen van my den eersten steen;
Daer nae M CCC twee-en-tachtich,
Was ic volmaeckt soo men siet warachtich.

c *Anno Dom. 1322. 9. Kal. Iulij sunt aggeres,*) Barlandus videtur in errore esse, qui non Rheno, sed mari imputat hanc inundationem, nec Flandria eo anno tuta fuit ab Oceani violentiâ, ut testatur Meyerus. Credo post hanc inundationem institutum Collegium eorum, qui curam aggeris Leccani gererent, quos vulgò *Dijckgravios & Heemradios* appellant; cujus extant diplomata & leges à successore hujus Episcopi Ioanne anno 1323. die Martis ante Margar. cum Wilhelmo Comite concepta, meminit hujus quoque rei Heda.

Iacobus Episcopus XLIV.

Defuncto Frederico Pontifice, Wilhelmus Comes iteratò Trajectum venit, & pro (a) Iacobo Zudensi Episcopo supplicari fecit. Sed ecce Capitulum in electione bipartitè divisum est: Major pars Capitularium (b) elegit Iacobum de Outs-hoern Decanum Trajectensem: Minor autem pars postulavit antedictum Iacobum Zudensem Episcopum, de quâ controversiâ tumultus quidam intra civitatem exortus est, & Wilhelmus Comes per strepitum popularis vulgi subitaneè concurrentis aliqualiter anxiatus est. Quapropter & ipse Comes in magnam fremens iracundiam, jussit præclarum habitaculum Florentii (c) Præpositi Trajectensis in Doorne comburi, & ibidem omnia sua, proh nefas, annulari. Zudensis autem Episcopus attendens, quod ipse cunctis pene prælatis exosus esset, & quod adversus Iacobum de Outshoern electum aliquo jure prævalere non posset, electioni sive postulationi cedens à desiderio suo fraudatus, & Iacobus de Outshoern per confirmationem (d) Henrici Coloniensis Archiepiscopi XLIV. est effectus Episcopus. His itaque peractis, Zudensis Episcopus, (ut quidam tradunt) ad Trajectense Pontificium indesinenter aspirans, & Iacobum confirmatũ incurabili morbo debilitari cernens, procuravit extemplò primam Trajectensis sedis vacationem Cameræ Domini Papæ reservari, sperans adhuc ex promotione quorundam Dominorum temporalium promoveri. Iacobus autem electus & confirmatus vir honestæ conditionis, & amator Ecclesiasticæ Religionis eodem anno XII. Kalendas Octobris obdormivit in Christo, tumulatus apud majorem ecclesiam in Trajecto.

Tumultus ob electionem Episcopi.

Iacobus Episcopus confirmatur.

Qui moritur 12. Cal. Octobris.

a *Pro Iacobo Zudensi Episcopo*) Is erat Trajectinus ex vetustâ & nobili Denemarkiorum familiâ oriundus, Balivus (ut vocant) Ioannitarum in patriâ, & imaginarius in Syriâ Episcopus, vir locuples, munificus, & principibus vicinis gratus.

b *Major pars elegit Iacobum de Outshoern,*) Ex familiâ ap. Holland. nobili, cujus hæc apud me stemmatis pars:

Domin. Wilhelm. de Outshorn, mil. & D. Mechtildis ejus uxor.	D. Iacob. Episc. Traject. 44.				
	D. Theodoric. de Ousshorne mil. 1324.	D. Wilhelm. de Outshorne mil. ob. anno 1352.	Iacobus	Gisbertus	Otto. D. Everardus. Iacobus.
		Mechtildis ux. Theodori de Raephorst.			
	Henricus famul				
	D. Bertha.				

c *Florentij præpositi Trajectensis.*) Is favens Outshornio, auctor quodammodo ejus electionis fuerat, ex nobili Iutfaciorum familiâ ortus, cujus & in summo templo sepulcrum hodie extat. Hic vides, ut jam ante indicavi, vicinorum principum liberam electionem turbantium, tyrannidem, cum nullus Imperatoris metus aut reverentia superesset: atque Pontifices Rom. longè abessent, ac largitionibus denique in Romanâ curiâ cuncta paterent.

d *Per confirmationem Henrici Colon. Archiepiscopi,*) Cujus Suffraganeus, ut alibi notatum, erat à longo tunc tempore Ultrajectinus, quod in Bonifacio secundo Antistite videre curiosus Lector poterit. Fuit autem hic Henricus secundus ejus nominis, ex Comitibus de Vernenburg, anno C. 1334. mortuus, & Bonnæ sepultus.

Iohannes III. Episcopus XLV.

POst obitum verò Domini Iacobi concapitulares electionem denuò celebrantes, elegerunt unanimi voto (a) Ioannem de Bronchorst Præpositum S. Salvatoris Trajectensis, qui continuò totum Episcopatum gubernare disposuit, sed inopinato incidente infortunio per modicum tempus Episcopatui præfuit. Vasalli (b) namque principales ecclesię Trajectensis, utpote Ioannes Dux Brabantiæ, Wilhelmus Comes Hollandiæ, & Reinoldus Comes Geldrię destinaverunt ambasiatores ad Romanam curiam devotissimè supplicantes pro Ioanne Præposito Cameracensi, quatenus sibi provideretur de vacanti Pontificio Trajectensi; quod Dominus Apostolicus Ioannes XXII. ad preces antedictorum Principum quanquam collatio Papę jure reservata tunc non esset, fecit. Itaque Ioannes de Dieft in curia Romana consecratus ad partes accelerans, pulcherrimam militiam contrahens, civitatemque decenter ingrediens, more solito cathedratus, & Ioannes de Bronckhorst vir amandus ab aliquandiu possesso Pontificio destitutus est.

Vasalli Ecclesię Trajectensis.

Electionem Capituli Papa irritam facit.

(c) Anno Domini M CCC XXVI. quidam Iudęus apud Hannoniam cathecuminum se fieri postulavit, quem Wilhelmus Comes tanquam filium adoptionis de sacro fonte suscepit. Hic igitur conversus devotionem simulans cujusdam Monasterii solus subintravit ecclesiam, ubi gloriosę Reginę cœli Virginis Marię pulcherrimè depictam aspexit imaginem, quam idem maleficus in roseis genis, acumine lanceę suę defixit, & latenter abinde discedens, ad consueta negotia properavit; & ecce rivus sanguinis confestim emanare cœpit à cicatrice recentis vulneris, per quem plerique debiles sanati sunt de diversis morbis aggravantis ægritudinis. His itaque clàm à falso Christiano peractis, Virgo super omnes mulieres benedicta cuidam fabro ter per nocturnam visionem apparuit, & ut pro dictâ contumeliâ perfidum Christianum ad duellum provocaret instanter admonuit; quod & ita factum est. Idem namque faber interveniente misericordiæ matre duelli campum adeptus est, & misellus Hebræus reatum suum apertè promens, à Præfecto intra canes suspensus est.

Iudęus simulat Christianismum, & suspenditur.

Anno Domini M CCC XXVII. Ludovicus Rex Romanorum Alpes transire disponens, & ad Imperialem coronam aspirans, auxilium Wilhelmi Comitis expetivit, ac eidem tenorem subsequentis Epistolæ destinavit: Ludovicus Dei gratiâ Romanorum Rex semper Augustus, spectabili viro Wilhelmo Comiti Hollandiæ socero (d) suo dilecto gratiam suam & omne bonum. Cùm ex divinâ largitatis munificentiâ longè plures civitates & castra nobis quam divæ memoriæ quondam Henrico prædecessori nostro fidelitatis homagia præstiterunt, Ita quod in Imperiali coronationę nullus nobis posset difficultates aliquo modo procurare, fidelitatem tuam, quâ nobis & Imperio teneris, cujus membrum principale te cognovimus, præsentibus obsecramur quatenus indilatè Lombardiam advenias cum pompâ militari recepturus nobiscum palmas Imperialis triumphi, quas sine te capere quomodo libet, nos tæderet. Datum, &c. Igitur hac Epistolâ gratiosè susceptâ, Wilhelmus Comes associatis sibi Comitibus Geldrię, Clivię, Iuliacensi & Montensi cum octingentis militibus accelerravit Alpium aspera juga transcendere, ut Ludovico Regi contra Guelforum insultum armipotenter assisteret. Cùm hæc ita disponebantur Wilhelmus Comes, quorundam abusivè fretus consilio, decrevit primò pro reconciliatione Regis & Papæ Romanam visitare curiam antequam in apparatu pulchræ militię properaret ad Italiam. Dominus autem Apostolicus festino referente nuncio, famam hâc audiens imperavit extemplò pontem infringi trans Rhodanū, quatenus idem Comes eo difficiliùs illuc haberet aditū, mandans per sententiam ęternæ dānationis ac maledictionis, ut rediret ad terram propriā, & quod in auxiliū Ludovici Regis nequaquā iret in Italiam. Itaq; Wilh. Comes ab inchoatâ viâ retrocedens, apud villā Parisiensē aliquan-

1327. Ludovici Cęsaris literæ ad Guilhelmum Comitem.

Wilhelmus Comes parat iter Romam, sed à Pontifice impeditur.

Declinat ad Regem Frāciæ.

aliquantis diebus in consilio Regis Francorum detentus est, cui contra vulgus Flandriæ de novo rebellantis fidelissimè coadstrictus est.

1328. *Philippus Rex Franciæ Flandriam invadit.*

(f) Anno Domini M CCC XXVIII. PhilippusRex in manu forti descendit ad Comitatum Flandriæ, in cujus adjutorium decenter advenit præfatus Comes Hollandiæ, qui citra montem Casselinum sua castra figi præcepit, & exinde secundum consuetum morem inter utramque partem verbum pacis ordinavit. Flandrienses autem festinaverunt extemplò de prædicto monte descendere, & Regem adhuc improvisum intra tentorium suum interimere, quo comperto Wilhelmus Comes præcepit tubis perstrepere, vexilla tollere, & tumultuanti vulgo certatim occurrere. Nec mora, quin utraque pars in unum conglobata, pro triumphali laude multùm laboris explevit, donec Flandriæ populus demùm (*) lassatus, in bello succubuit. Contigit autem hæc strages die XXIV. mensis Augusti, in quâ Flandrienses ad VI. millia vel ampliùs cruentissimè sunt occisi. (g)

Flandri succumbunt.
** Lassitudine victus.*

Wilhelmus Comes per piratas infestat Frisiam.

(h) Eodem anno Wilhelmus Comes pro recuperatione Dominii sui Fresiam Orientalem debellare disponens, deputavit in mari piratas crudeles, qui rapinam ab agris villæ Mardensis frequenter abduxerunt, & incautè navigantes Fresones in ponto sæpe submerserunt. Demùm per quosdam venerabiles Abbates & cives Staurienses tumultus belli remissus est, & dies ad interloquendum de conventione pacis in Harlem assignatus est, ubi tandem terminato placito sub hac formâ compositionis inter utramque partem fœdus amicitiæ reformatum fuit. Quatenus cuncti Fresones citra rivulum Lauicæ commanentes debeant intra biennium more vasallorum bona sua feudalia de manu prædicti Comitis suscipere, Iusticiarios suos absque contradictione quavis admittere, & villicis suis tributa justa reddere. Itaque pace reformatâ Fresones per ostensionem cujusdam antiqui registri docuerunt extunc Wilhelmum Comitem, quâ solennitate Princeps Hollandiæ teneretur Orientalem Frisiam introire, & ex arduis causis ibidem Iudicium & Iustitiam exercere.

Pax inter Comitem & Frisios composita.

Rex Ludovicus Romã ingreditur.

(i) Anno Domini M CCC XXIX. Ludovicus Rex in urbe Romanâ Cæsareo Diademate coronatus civitatem absque quovis obstaculo potenter introivit, quapropter Imperatrix hanc Epistolam ad Hollandiam destinavit: Margareta Dei gratiâ Romanorum Imperatrix semper Augusta nobili matronæ prædilectæ genetrici suæ gratiam & omne bonum: Cùm ad ipsius laudem bonorum omnium conditor Deus dividens singulis, prout vult, his diebus statum nostrum grandævum ad culmen gratię singularis prærogativę dignatus fuerit sublimare, vestris maternis affectibus devotissimè declaramus, quod in urbe Romanâ die XVII. mensis Ianu. multis dignitatibus, tripudiis, ceremoniis, & quam plurimis ornatibus ad hoc debitis & consuetis in ecclesiâ Beati Petri fuimus Imperiale diademate coronatæ. Datum Romæ, &c.

Margarita Imperatrix matri suæ scribit.

Episcopus adversus Hagensteinensem Castellanum.
** Eduxit.*

Anno Domini M CCC XXXII. Henricus Castellanius in Hagenstein aliquando Leckæ transivit alveum, non desistens Episcopalem crudeliter exactionare populum. Ioannes autem Episcopus his injuriosis molestiis plurimùm conturbatus, imploravit auxilium Wilhelmi Comitis Hollandiæ, quatenus sibi jure fidelitatis astaret in vindictam talis injuriæ; & ecce jam dictus Comes per Wilhelmum Cuser Balivum ex incolis tam Waterlandiæ quàm Aemsterlandię perpulchrum (*) destinavit exercitum: Cum quibus idem Episcopus adjunctis suis militibus, domicellis, burgensibus & villanis transivit Leckę rivulum, qui cunctorum adversantium habitacula comburens sufficientem ultionem accepit, & exinde salvis suis commilitonibus ad terram propriam honorificè remeavit.

Ex interfecto Iudice tumultus, & ex tumultu bellum.

Anno Domini M CCC XXXIII. Giselbertus quidam Iudex ex parte (k) Wilhelmi de Duvenvoerde in Nyevaert occisus est, de quo tumultus ingens consequenter in Episcopatu exortus est. Nam & idem Wilhelmus illatam contumeliam vindicare volens, villam Ghein incendit, & econtra communitas urbis Trajectensis vicum Nyvaert exussit. Demum idem Wilhelmus multiplicatum congregavit exercitum de Comitatibus Hollandiæ, Geldrię, & Cliviæ, Leccam ascendens usque Renen in manu magnę potentię, ubi demum ordinatis aciebus montem Haymonis transcendit, & villam Horst pro parte succendit. Wilhelmus verò de Boecstel castellanus adversos hostes per telorum jactationem à vallo castri potenter absterruit, ac ulteriorem progressum inimicis inhibuit. Denique Wilhelmus de Duvenvoerde ad assultum castri non habens ingenia, reversus est in Tullam per festinâ remigia, ubinam Zelandiæ & Frisiæ copiosos expectaret exercitus, Insuper Brabantiæ & Flandrię conveniret populus. Econtra verò Ioannes Episcopus cum Trajectensibus & plerisque Nobilibus civitatem

vitatem armipotenter egrediens, in tubis tremulis & vexillis fulgidis, festinavit Wilhelmum à finibus suis expellere, vel cum eodem in cruentâ strage bellum committere. Cùm autem hæc agerentur in terrâ Trajectensi, Wilhelmus Hollandiæ Comes ab Hannoniâ Dordracum festinanter adveniens, mandavit antedicto Wilhelmo sub obtentu gratiæ suæ quod indilatè totum exercitum illæsum reduceret, neque bellum adversus Episcopum aliquatenus attentare præsumeret. Nec mora quin ad edictum Comitis præconizatum est extemplò papiliones evellere, classem resumere, & ad propria tendere; quod & ita factum est, quoniam omnes auxiliatores Wilhelmi de Duvenvoerde complices confestim ad sua reversi sunt, & Trajectenses cum Episcopo Ioanne sine conflictu certaminis intra civitatem propriam gloriosè redierunt. (l) Eodem tempore idem Comes cum Duce Brabantię discordare cœpit, & cum XIII. Principibus ad nova bella se paravit. *Ad edictum Wilhelmi Comitis ab armis disceditur.*

Anno Domini M CCC XXXVII. perclusus quidam Cometes apparuit, & eodem anno Wilhelmus Hollandię Comes arthritico morbo debilitatus VII. Id. Iunii feliciter occubuit. Hic Wilhelmus annis XXXIII. honorificè regens Hollandiam, Princeps erat valdè victoriosus in præliis, approbatus in tyrociniis, illustris in hastiludiis, & valdè socialis in contuberniis; qui penes oppidum Valescenarum requievit in Domino, sepultus ibidem honore congruo, Iohanna verò sua conthoralis exinde Regnum mundi, & omnem ornatum seculi contemnens, in (m) Monasterio Fontanellis Cisterciensis Ordinis cum ancillis Christi sanctimonialis effecta est; quæ dehinc anno Domini M CCC XLII. moriens, honorificè tumulata est. *Cometa mortem Comitis portendens 1337.*

Post obitum Wilhelmi gloriosi Principis Wilhelmus filius ejus XIX. effectus est Comes Hollandię, habens in uxorem Ioannam filiam Ducis Brabantiæ. Hic Wilhelmus semper ad arma promptus fuit, & primo dominationis suæ tempore titulum nominis sui dilatavit. Anno Domini M CCC XXXVIII. Rex Angliæ Regem Francię debellare disponens, Episcopum (*) Lincolniensem ad Alemanniam transmisit, & Ludovicum, qui Imperator dicitur, cum multis Principibus per stipendia solidorum in ipsius adjutorium subarrhavit. *Wilhelmus quartus Comes Hollandiæ 19.* *Bellum inter Anglos & Francos.*

Hic igitur Ludovicus monens omnes civitatenses in ejus adjutorium, destinavit hujusmodi literas per Imperium. Ludovicus Dei gratia Romanorum Imperator semper Augustus, prudentibus viris Magistris, Scabinis & Consulibus Harlemensis oppidi gratiam suam & omne bonum. Nostrę Majestatis spectabilem Hollandię Comitem Wilhelmum requisivimus ex affectu, ut ad recuperandum Imperii Iura nobiscum contra Philippum, qui se pro Rege Francię gerit, cum armatorum decenti potentiâ jam finaliter se disponat; unde vestram fidelitatem nobis & Imperio debitam sinceris affectibus nunc requirimus, & hortamur, quatenus cum armatis ita curetis esse muniti, quod vos cum dicto Wilhelmo sub exercitus sui sodalitio videre valeamus, * scientes firmiter quod vestram in promissis promotionem præ oculis habere volumus pro termino nostræ vitæ. Datum Frankenfurdt. Igitur anno Domini M CCC. XL. Wilhelmus Comes cum cæteris (n) Principibus coadjunctis Regi Angliæ, commisit magnum excidium, & incendium in Regno Franciæ. Nam & idem Comes Cameracum acriter infestavit, Tornacum dirè lacessivit, Amandiacum exussit, Abbaloniam destruxit, Castellum similiter expugnavit. *Ludovici Cæsaris Epistola ad status Imperij.* ** Scituri.*

Eisdem temporibus contigit in oppido de Delft condignum relatione miraculum. Nam (o) matrona quædam adeo ferventer ęstuabat ad Dominicę passionis intuitum, ut stigmatales cicatrices in latere, in manibus & pedibus suis visibiliter apparerent, & universi fideles in hoc prodigio crucifixum Dominum non immeritò collaudarent. Eodem anno Kalendis Iunii Ioannes (p) Episcopus viam universę carnis ingressus, & apud Ecclesiam Trajectensem competentibus exequiis inhumatus est. Hic Ioannes annis XVIII. debiliter regens Episcopatum, castrum Vredeland cum adjacentibus villis Hollandię Comiti dudum in vadimonium dedit, ut & castellum Vollenho cum terrâ Transisulanâ Geldriæ Comiti pridem oppignoravit, pauca relatu digna gessit, nisi (q) quod Canonicales præbendas in Amersford fecit, & (r) Comitatum cum castro de Diepenhem per auxilium Ecclesiæ comparavit. *Miraculum apud Delfos.* *Episcopus moritur Kal. Iunij.* *Ejus acta.*

a *Vnanimi voto Ioannem de Bronckhorst,*] Hic ex Nobili ac illustri familiâ Baronum de Bronckhorst ap. Geldros, quæ in eo ducatu primaria, fuit ortus, primum enim Ordinum ibi membrum constituunt quatuor Barones, videlicet, Bronchorsticus, Bergensis, Barensis & Wiscus.

b *Vasalli namque principales, &c.*) Hic iterum videre est potentiorum vicinorum vim & injuriam, concordem electionem non perturbantium solùm, sed & omnino in nihilum redigentium.

c *Anno Domini M CCC XXVI. Quidam Iudæus,*) Monasterium ubi hæc contigerunt Cameronc indigitant Annales vulgares, sed Gouthovius omisit. Similes de Iudæis narrationes circa hæc tempora plures feruntur, sive veræ eæ sint, sive odio gentis & firmandæ superstitionis ergò confictæ fuerint, in medium relinquo.

d *Socero suo dilecto,)* Habebat enim Ludovicus Bavarus Imp. conjugem Margaretam, filiam Guil. Comitis ex Ioanna Caroli Valesii filiâ, & Philippi Galliarum Regis sorore.

e *Decrevit primo reconciliatione Regis & Papæ,*] Is Papa erat Ioannes 22. qui anno 1327. xx. Oct. Avenione, teste Villano, ultimam excommunicationis sententiam protulit in Bavarum, quasi persecutorem Ecclesiæ: tum verò erat in Italiâ, (ut videtur) Ludovicus. Hæc etiam Chronicon vulgare refert sed an vera, dubito. Qui omnem Ludovici apparatum ad iter Romanum & suspiciendam coronam institutum exactius descriptum videre voluerit, legat Ioh. Georg. Herwarti Lud. IV. Imp. contra calumnias Abrahami Bzovii defensum.

f *Anno Domini M CCC XXVIII. Philippus Rex &c.)* Præter Gallicos scriptores, vide Meyerum libro Annal. Flandricorum xi. ubi bellum hoc accuratè descriptum extat, ad annum 1328. nec Chronicon vulgare Hollandicum præterit; Barlandus quoque attingit.

g *In quâ Flandrenses ad vi M. & amplius,)* Meyerus, *Qui ex fide scribunt (*inquit*) pars ad sex, alij ad novem millia cæsos referunt.* Oudegerstius cap. 153. cladem auget, & 13000. suorum amisisse Flandros tradit.

h *Eodem anno Wilhelm. C. pro recuperatione dominii sui.)* Hanc rem, sed paulo aliter narrat Emmius rer. Frisic. lib. 13. ad hunc annum, & inducias quidem factas, atque prorogatas, non tamen conditiones hic relatas à Frisiis receptas, tradit.

i *Anno Domini 1329. Lud. Rex in urbe Romanâ,)* Onuphrius lib. 3. de princip. Rom. in Lud. V. Bavaro Imp. sic habet: *Coronatus Aquisgrani ab Episcopo Moguntino anno 1315. Iterum coronatus Rex Lombardiæ Mediolani anno 1327. Tertiò contra veterem morem Imperator coronatus est Romæ in Basilicâ S. Petri xv. Cal. Febr. anno 1328. Quarto coronatus ibidem à Nicolao V. Antipapâ die pentecostes xi. Cal. Iunij* eodem anno. Si hæc vera sunt, ut omnino credo, utpote ab accuratissimo rer. Rom. scriptore prodita, pro 29. anno 28. restituendus, tum enim etiam Bzovio teste, *duo Episcopi ausi sunt Ludovicum atque ejus conjugem inungere.* Chron. Ecclesiast. ejusdem Panvinii postremam hanc coronationem videtur in annum præcedentem 27. rejicere; cui accedunt Nauclerus, Chron. Magn. Palmerius, & alii. Peucerus nihilominus eum 17. Ian. 1328. Romæ cum conjuge Margaretâ coronatum asserit; cum quo facit Aventinus: sed ista annorum diversitas facilè à diversâ ratione calculi provenire potest, ut principium nempe anni 1328. à nonnullis ad annum 27. referatur.

k *Ex parte Wilhelmi de Duvenvoerde.)* Hic Guilielmus frater fuit Iohannis, domini de Lecke, maritus Heilwigis filiæ Suederi de Vianen vir industrius & potens, Dominus de Oisterhout in Stryne: ex cujus filii Guilhelmi hæreditate, familia Leccana ex Wassenariis oriunda plurimùm aucta est. Hic oppidum Vianen socero consentiente non tantùm auxit, sed & privilegiis ac libertatibus, tam à se, quam à vicinis principibus maximè ab Episcopo Ultrajectino impetratis, honoravit.

l *Gloriose redierunt,)* Post hæc verba in MS. meo ut etiam translatione vetustâ, adduntur quædam de tempestate ingenti, quâ aggeres disrupti varia incolis damna dedere, idque mense Novembri anno 1334. In eodem MS. adduntur sequentia: *Magnificus & præpotens Comes Gelriæ anno 1336. crudele bellum gessit cum Fresonibus in Barbesila* (Barlesile habet Chron. magn.) *in quo occisis plurimis Fresonibus Dux Gelriæ magnificè triumphavit.* Hoc bellum anno 1333. contigisse scribit. Vb. Emmius rer. Fris. lib. 13. Chron. autem Magnum Belg. auxilio Trajectensium gestum tradit, in quo ultra 2000 Frisonum obiêre, ac plures capti fuêre, hujus meminere etiam Heda & Pontanus in Geldr.

m *In monasterio Fontanellis Cistert ord.)* Hæc Snoyus, quoque Chronicon, item magnum ac vulgares Annal. Holl. tradunt; & hisce verbis Meyerus ad annum 1339. *Erat Cæsari* (Lud. 4.) *Vxor Margareta Gul. 3. Comitis Hannoniæ & Holl. filia, soror quidem Philippæ Reg. Angliæ, sed filia eadem sororis Regis Philippi, nempe Ioannæ Valesiæ, quæ jam vidua Com. Guilielmi majoris, velum sumpserat religionis Fontanellæ.* Fontanella autem insignis virginum est Abbatia, apud Valentianas Hannoniæ urbem, de quâ vide Chronicon Cisterciense Miræi.

n *Wilhelmus Comes cum cæteris principibus,*] De hisce expeditionibus plenissimè Meyerus ad annum C. 1340. Ubi de Dlvi Amandi monasterio prope Tornacum ab Hannonio incenso, mutuisque damnis plura: cui addendi scriptores Francici, qui hujus temporis historiam conscripserunt.

o *Matrona quædam adeò ferventer æstuabat;)* Hanc vocat Chron. vulgare ex Gerbrando Gertrudim de Osten ex pago de Voorschoten, & mira de eâdem narrat, ut & Abbas D. Gertrudis Lovaniensis, Bzovius, Molanus, & Zurius. Sed Gouthovius in suo omittit. Videntur enim tales narrationes de vehementibus istis impressionibus, quæ alioqui non vulgari operari solent, superstitionibus non carere; & circa illa tempora ac paulò antè multa de stigmaticis imaginationibus magnâ pietatis opinione, vulgò ferebantur, ut de Francisco Perusino patre fratrum Minorum, Diva Clarâ, S. Catharinâ Senensi & aliis nonnullis. Gertrudis hujus, ut & alterius Gertrudis beguinę amplam facit mentionem Zurius, nec indictam relinquit Rosweydius cum auctore Chronici Magni Belgici.

p *Eodem anno Ioannes Episcopus universæ carnis,)* i. anno C. 1340, ut omnes quos vidi auctores habent; nisi quod Chron. Magnum cum Bockenbergio annum 1341. præferant.

q *Nisi quod canonicales præbendas in Amersforde, :)* Id testantur Snoyus, Barlandus, Heda, Chronicon vul-

con vulgare ex Gerbr. & Bockenbergius.

r *Comitatum cum castro de Diepenhem,*] Hujus rei extat apud me Instrumentum: cujus originale in tablinis collegii S. Salvat. hæc ferè continet; Ioannem de Diest Episc. Tr. testatum relinquere, quod cum castrum de Diepenhem in finibus Diœceseos situm multum damni inferat suis hominibus, propterea ejus emptionem esse utilem & necessariam: & quia bona alia in promptu non sunt, se cum consensu capitulorum Trajectens. vendidisse eum in usum Capitulo S. Salvatoris bona in Maerschalcker-Weert/ continentia 112. jugera, inter pontem, qui dicitur Cobelwader brugge/ & terram monasterii de Oostbroeck / inter Rhenum veterem & Cobel-wader weteringe / quæ nunc colunt Gerardus Woutman, & Ioannes de Attenvelt &c. reservatâ jurisdictione altâ, quæ vulgariter Hooge recht dicitur. Sub sigillis Episcopi, item Giselberti de Jselstein, D. Arnoldi de Jselstein, & Stephani de Sulen Anno D. 1330 Emptio verò ipsius castri facta anno seq. die Veneris post Divi Pancratii. Venditores erant D. Wilhelmus dominus de Boxstel miles, & domina Cunigunda comitissa de Dalem, & domina de Diepenhem, conjuges; conditiones, precium aliaque circa illam emptionem vernaculo sermone cum sigillis expressa in supra d. archivis habentur.

Nicolaus Episcopus XLVI.

SEpulto Ioanne Pontifice, quidam Canonicorum postulaverunt Ioannem de Arckel Canonicum Trajectensem ad instantiam Wilhelmi Comitis Hollandiæ. Cæteri verò Capitulares elegerunt Ioannem de Bronchorst Præpositum S. Salvatoris ad nutum Reinaldi Comitis Geldriæ; Dominus autem Papa Benedictus XII. amotis his duobus, donavit ipsum Pontificium cuidam auditori causarum (a) Nobili Romano Nicolao de Caputiis. Sed idem Nicolaus eodem anno renunciavit Episcopatui patenter in publico consistorio. Dominus verò Clemens VI. de novo Papa electus, contulit abinde discreto & Nobili viro Ioanni de Arckel prædicto, vacantem Episcopatum Trajectensem, qui ibidem consecratus fuit per dominum Ganselinum (b) Cardinalem & Episcopum Albanensem. *Auctoritate Pontificia creati Episcopi.*

a *Nobili Romano Nicol. de Caputiis.*) Hic primùm auditor (ut nunc vocant) Rotæ, id est, causarum Iudex, & post abdicatum Pontificium Trajectense, Episcopus Vercellensis factus est. Anno demum jubilæo 1350. à Clemente VI. P.R. creatus presb. Card. in tt. Vestinæ S. Vitalis; ut ap. Panvinium de Pontif. & Card. creatione lib. 3. videre est. Hujus Epitaphium Romæ in æde S. Mariæ Majoris, ex quo hos adscribo versus:

Habere quod poterat pauperibus ipse dabat;
Sed migravit ad Christum ejus anima beata
Mille ter C. anno, sexaginta & duo quater.

b *Per Dom. Guiselinum Card.*) Emendavi ex MS. meo Gancelinum. Onuphrius Ganzelinum Ioannis Caturcensem Gallum nominat, qui anno 1316. à Ioanne 22. P.R. creatus fuerat presbyter Card. in tt. SS. Petri & Marcellini: & post. S.R.E. Vice-cancellarius fuit, anno 1342. Episcopus Card. Albanensis factus.

Iohannes Quartus Episcopus XLVII.

IGitur (a) Ioannes Episcopus ad partes accelerans, 8. die Maji 1343. Trajectensem urbem decenter ingressus est, ubi secundum ritum antiquæ consuetudinis gloriosè cathedratus est. Hic utique Ioannes juvenilis ętatis flore vernans, totum Episcopatum diversis penuriis involutum repperit, sed cunctis debitoribus satisfacere curiosè studuit. Nam & idem Episcopus Reinoldo Domicello Geldriæ, filio Reinoldi ad plenum persolvit, & terram Transiselinam ab Antecessore suo dudum impignoratam sub potestatem propriam recepit. *Episcopus bonus Oeconomus.*

Anno Domini M CCC XLII. die secundâ mensis Ianuarii terręmotus factus est in Hollandia, qui ad paucos annos subsequentes prognosticavit horrenda flagitia. Nam anno Domini M CCC XLV. Reverendus Pontifex Ioannes de Arkel ut sumptubus parceret perrexit Gratianopolim committendo magnifico viro ac domino fratri suo Roberto territorium Trajectense. *Terræ motus in Hollandia.*

jectense. Eodem verò anno Wilhelmus Comes cum quadringentis equitibus à Prussiâ jam tertiò rediens, coadunavit expeditam militiam, quatenus Orientalem posset expugnare Fresiam. Idem itaque Comes præparatis jam omnibus eidem expeditioni congruentibus urbem Trajectensem propter quædam vaniloquia circumobsedit, papiliones in gyrum erexit, & egregiam civitatem ad sex hebdomadas cum tredecim mangenis instantissimè lacessivit, ducens in suum auxilium unum præpotentem Ducem, XIII. magnanimos Comites, LII. Barones, XIII^C milites cum (c)XXVIII millibus electis & approbatis bellatoribus; econtra verò Trajectenses cum domino Roberto fratre ejusdem Episcopi horrenda coaptantes * instrumenta, forenses hostes absterruerunt à portis & mœnibus, quin & plures incautos armigeros confixerunt telis & missilibus. Denique Comes circa quoddam noctis umbraculum proximotenus accessit ad urbem, ut profunditatem fossę clàm exquireret antequam munitam civitatem assilire præsumeret. Et ecce, quidam balistarius à cacumine muri telum ejecit, & confestim ejusdem Comitis talum transfixit. Comes igitur saucius ad tentorium suum extemplò reductus est, ubi post aliquantulum temporis pristinæ sanitati restitutus est. Interea Ioannes Episcopus à fratre suo domino de Arckel per celerem nuntium demandatus Gratianopoli adhuc residens, & obsidionem civitatis suæ percipiens festinanter ad partes venit, & per amicabiles interlocutiones concordiam in hunc modum reformavit: Quatenus quingenti cives humiliter urbem exirent, ac in tentorio prælibati Comitis veniam flexis genibus exorarent. His itaque gestis idem Comes non desistens ab inchoato proposito, recollegit iteratò recentem militiam, ut instanter expugnaret Orientalem (d) Fresiam. Sed, proh dolor, gloriosus exercitus ejusdem Comitis ad terram incognitam inordinatè transfretavit; quapropter universus populus magnum infortunium inopinatè incurrit: Ioannes quidem de Hannoniâ cum multis ratem suam applicuit ad australem plagam Monasterii beati Odulphi Confessoris, locando tentoria sua super ripam vicini maris dictam Suydtvenne: & extemplò quidam Hollandorum, non exspectatis posterioribus, adversos hostes tam viriliter aggressi sunt, ut eosdem aut intra civitatem Stauriæ vel immunitatem Ecclesiæ profugarent, & præsidium cœmiterii cum armatis bellatoribus assilirent, ita quod Hollandis nullum obstabat infortunium, quoadusque ejusdem confessoris cœperunt impugnavere Monasterium: quando potius virtute divinâ, quàm humanâ de prædicto cœmiterio paulatim repulsi sunt. Quos, extunc Fresones passim occidentes perniciter insecuti sunt. Comes autem ut Princeps imperterritus, hujus infortunii totaliter inscius, classem suam versus borealem (*) partem prædicti Monasterii direxit, & cum quingentis quasi bellatoribus in terram ascendit, viciniorem domum exussit, infinitis hostibus audacter occurrit, nobilem Fresonem personaliter interfecit, & usque ad mortem honorificè se defendit. Econtra verò Fresones cum infinitis armigeris pusillum gregem Hollandorum ambientes, ipsum Comitem cum multis aliis, ipsis ignorantibus, occiderunt, quem etiam mortuum in vindictam nobilis Fresonis singulariter decollarunt. Acta fuit hæc cruenta strages 6. Kalend. Octobris, anno 1345. eodem loco quo Comites Hollandiæ pridem pro tribunali sedere consueverunt, qui Comitatum Orientalis Frisiæ potestative gubernaverunt. Et ecce quomodo ludat in humanis divina potentia rebus. Reinoldus (e) enim Geldriæ Comes hunc Wilhelm à Fresonibus occisum iri prædixit, cùm eundē de Baptisterio sacri fontis suscepit: corruerunt autem in hac expeditione cum ipso Comite quingenti vel amplius pugnantes armigeri, de quibus hi fuerunt principales & præcipui: utpote Dominus de Horn, Dominus de Antoing, Dominus de Ligni, Dominus de Walcourt, Dominus de Many, Dominus de Haemsteden, & Dominus de Marwede Barones: Gerardus Barbatus, Wilhelmus de Naeldwijck, Symon & Theodoricus de Teylingen, Guido de Asperen, Ioannes, Reinoldus & Wilhelmus de Montfort, Theodoricus de Zanthorst, Theodoricus & Hermannus de Zwieten, Florentius de Marwede, Otgerus de Spangen, Gerardus Ever, Alferdus de Horst, Nicolaus Oem, Wilhelmus de Dongen, Theodoricus de Walcourt, Gerardus de Florevil Bannerius seu vexillifer, milites, cum multis aliis burgensibus electis & proceribus approbatis. Decimâ dehinc exactâ luce Wilhelmus illustris Comes per Dominum Martinum Commendatorem Harlemensem inter occisorum nobilium cadavera (prout asserunt) per intersignia certa repertus est, qui ad monasterium Floridi campi cum eisdem à Fresonibus adductus est, Dominus autem Ioannes Episcopus elapsis treugarum induciis, omnes prefato Comiti dudum in obsidione civitatis auxilium præbentes eique adhęrentes ab Episcopatu proscripsit. (g) Castellum Wulven per assultum acerrimum destruxit;

Comes obsidet Trajectum.

Et in talo vulneratur.

Pace cum Trajectensibus facta, Comes in Frisiam tendit.

1345. 6. Cal. Octobris Wilhelmus Hollandiæ Comes à Frisiis occiditur.

Catalogus procerum cæsorum.

Floridi campi Monasterium idem quod vetus monasteriū prope Bolsverdiam.

destruxit, villam Oosthollandię combussit; dominium de Iselstein pro magnâ parte succendit; dominum de Abcoude in deditionem suscepit, & exactionatis aliis rebellibus sufficientem ultionem de suis adversariis acceptavit.

Episcopus hostes suos ulciscitur.

Interea Ludovicus Imperator auditâ jam nece Wilhelmi Comitis, pro tribunali sedens in ornamentis Imperialibus, exquisivit æquirectam justiciam à plerisque Romani Regni principibus, quorum dictante sententiâ, decretum est, quod Hollandiæ principatus Romano vacet Imperio, pro eo, quod Wilhelmus Comes absque liberis discessit à sæculo. Quem extunc Principatum idem Cæsar donavit Imperatrici Margaritæ suæ conjugi, quæ (h) germana fuit eidem Wilhelmo Comiti. His itaque gestis, eadem Imperatrix apparatu pulcherrimo mox ad Hollandiam descendit, fidelitatem cunctis incolis juravit, homagium de vasallis suis accepit, libertates & gratias omnibus ampliavit, benevolas treugas cum Trajectensibus fecit, & in Bavariam exinde rediens, Comitatus Hannoniæ, Hollandiæ, Zelandiæ & Fresię gubernandos Wilhelmo Duci Palatino suo filio commendavit. Hic Wilhelmus amicitias plurimorum Dominorum Hollandię & Zelandiæ sibi acquisivit, quorum adjutorio matrem suam posteà propriâ terrâ privat, hoc tamen sine conflictu bellicoso non fecit: nam ipsa mater ejus prædicta copiosum exercitum armatorum fortium ex Hannoniâ, Hollandiâ, Zelandiâ educens, navigio (i) inter Nordthollandiam, & terram de Voren, super Mosam venit, ubi bellum navale contra eum & suos adjutores sibi occurrentes habuit, in quo bello ab utrâque parte acriter pugnatum fuit, finaliter tamen filius, fortunâ sibi favente, ibidem triumphavit, & sic Comitatum Hollandiæ & Hannonię similiter sibi usurpavit. In isto conflictu multi probi milites & alii ex Hollandiâ & Zelandiâ perierunt. Commissum fuit hoc prælium anno Domini 1351. Quo facto Wilhelmus Comes prædictus omnes Nobiles matri suę adhærentes à terrâ suâ proscripsit, ac omnes eorum mansiones ac villas in quibus dominium habebant, incendit. Iste Wilhelmus cepit in uxorem (k) filiam Ducis Lancastrię Iohannam pulchram Dominam, & bonam valde, de quâ genuit filios & filias, sed mortui sunt infantili ætate.

Comitatus Hollandiæ ad Imperiū devolutus, donatur Margaritæ Imperatrici defuncti Comitis sorori. Wilhelmus Bavarus à matre præficitur Hollandię. Mater cum filio bellum gerit ob Hollandiam.

Anno Domini 1358. finitę (l) treugæ inter Comitem & Episcopum. Illi de civitate Trajectensi circa festum Laurentii exierunt, & Hollandenses sibi viciniores hostiliter invaserunt, ubi quamplurimos occiderunt, & incendium construentes, quasdam villas combusserunt. Quod percipiens Comes accersitis subditis Hollandiensibus, & Zelandiensibus, & aliis electis armatis pluribus, terram Episcopatus introivit, & à superiori incipiens juxta oppidum à castro de Vianen eam devastare incepit: similiter sagittarii cum quibusdam Hollandensibus circa civitatem discurrebant, ac plurima damna in illis confinibus habitantibus faciebant. Episcopus autem in civitate existens, & desolationem suæ terræ inspiciens, dolorem cœpit, & quomodo sibi ac suo populo posset subvenire meditatus est. Tandem, salvo conductu prius accepto, ad Comitem properavit, ubi interloquens pro pace, amicitiam (m) & gratiam Comitis assecutus fuit. Hic posteà factus est Episcopus Leodiensis. (n)

Finitis induciis Trajectenses vicinos Hollandos invadunt. Episcopus pacem petit & impetrat.

a *Igitur Ioannes Episcopus,*) Fuit hic, Iohannis Arkelii domini, ex Ermingarde hærede unicâ Ottonis Cliviæ Comitis, filius; Chronicon Magn. tribuit ei matrem Vernenburgicam quæ secunda Ioh. Arkelii conjunx, sed sterilis, teste Teschmachero in Annal. Cliviæ. Nonnulli (ut scribit Huterus in Geneal.) Arnoldum appellarunt, quod sacrâ ablutus aquâ, Ioannes Arnoldus fuerit vocatus; ego non alio eum nomine quam Iohannis inveni.

b *A. Prussiâ jam tertio rediens,*) Plerique eo ævo, saltem specie pietatis, convertendo aut cogendo ad Christianam relligionem infideles, militiæ suæ tyrocinia ponebant; atque liberos antea populos, hoc prætextu, mali sanè Christiani, & longè à suo magistro divertentes, servili jugo presserunt. Quo etiam velo jam Hispani magnam illam Novi Orbis portionem possident; tegentes inexplebilem dominandi cupidinem & auri sacram famem Christianismi propagandi involucro. Longè certè aliâ ratione primi illi heroes ad Christum convertebant nationes ac populos, nimirum, exemplo, pietate, patientiâ doctrinam suam probantes, & si opus esset, fundendo suum, non convertendorum sanguinem.

c *Propter quędam vaniloquia,*] In exitu hujus Comitis patet, citò ad interitum ruere plerosque, qui faciles habent manus ad fundendnm sanguinem. Quin geminum extat in hâc historiâ exemplum in duobus cognominibus Guilielmis, quorum prior, Regis Romanorum titulo elatior, ob unius, & quidem ignoti culpam totam se perditurum civitatem & innocentem sanguinem fusurum juràrat: verùm suum ipse sanguinem fundendo cæsus à Frisiis illam liberavit. Alter hic est, qui ob vaniloquia quædam eandem (amica simulatione, priùs armis & comitatu spoliatam, teste Hocsemio cap. 31. in vitâ Engelberti à Marka Leod. Episcopo) obsidens non nisi fuso sanguine coercuit, sed non multò post & ille à Frisiis interemptus, pœnas temerariæ expeditionis dedit.

Vt in-

d *Vt instanter expugnaret Orientalem Frisiam,*) Hoc bellum præter Annales patrios, Ubbo Emmius, ut solet, accuratius describit ad annum 1345. lib. 14. rer. Frisic. Atque hoc prælio propè Staveram, Hollandorum armatorum cecidisse 18000, & in his 240. præcipuæ Nobilitatis viros tradit. Sed auctores in numero cæsorum, & nominibus aliquantum variant. Meminêre & hujus pugnæ Albertus Argentinensis in Chronico ad ann. 1345. & Hamconius, præter domesticos alios.

e *Reinaldus Gelriæ Comes hunc à Fresonibus occisum iri prædixerat*] Id & Chron. vulgare & Gerbr., Meyerus, Chronicon magnum, Barlandus, alii referunt. Pronum enim hoc seculum ad hujusmodi prædictiones & vaticinia fuit, quæ si contingerent evulgabantur continuò; si fallerent, oblivione evanescebant.

f *Gerardus de Florenvijl. Bannerius,*] Qui Græcis vexillum gestabat in prælio Flammularius dicebatur, ut est in Comment. ad Coddin. In Chron. vernaculo Gouthoevii plures hic attexuntur, utpote Wolfardus de Borssele dominus de Vere; Florentius de Borssele, Arnoldus dominus de Cruningen, Nicolaus dominus de Reymerswale, ex Zelandiâ: qui in vulgari Chronico non leguntur.

g *Villam Oost-Hollandiæ combussit,*] Pagani de Emmenesse ad partes Hollandicas transfugæ, eo se nomine dicebant, anno C. 1348. ut in additionibus ad Bekam Chron. meum MS. videre est. Hi & postea aliquoties adversus Episcopos rebellârunt, Hollandorum partes sequentes, ut ex Hedâ & vulgari Chronico patet.

h *Cæsar donavit Margaretæ conjugi,*) Iam tertiò pervenit Comitatus ad fæminas, vel stirpem fæmineam; & feudum tamen Imperiale creditur.

i *Inter Northollandiam & terram de Foren,*) Ea Hollandiæ pars, in quâ Schielandia, Delflandia, Haga, etiam Rhenolandia sitæ, nomine Nort-Hollandiæ olim dicebatur; cum ii, qui nunc Nort-Hollandi vocantur West-Frisii audirent; quod nomen post libertatem receptam jam receperunt, ut eorum moneta, aliaque publica monumenta testantur. Antiquis autem temporibus quæstor Nort-Hollandiæ apud Delphos morabatur.

Huc usque, teste Trithemio Abbate, Ioh. de Bekâ suum Chronicum deduxit. Sed translatio Gallica, jussu Philippi Boni Ducis facta, cujus elegans exemplar MS. vidi Bruxellis in bibliothecâ principis, ad finem editionis Furmerianæ procedit. In meo autem MS. exemplari plura ad finem, addita sunt, quæ Bekam authorem haud quaquam agnoscunt.

k *Cœpit in uxorem Ioannam filiam Ducis Lancastriæ,*) Bockenbergius Mechtildim vocat, ut & Snoyus, qui Machtildim filiam Henrici Ducis Claudicestriæ nominat, sic & Chronicon vulgare; Aventinus, & Huterus; Chronicon Magnum utrumque nomen profert, Lazius libro de migration. Gent. Lancastriæ quidem filiam ei tribuit, sed nomen non exprimit. Heda Annam vocat, at in quibusdam exempl. MS. Ioannam dictam repperi.

l *Finitæ treugæ inter Comitem & Episcopum,*) Treugæ verbum Barbarum, Latini inducias, à *Trew* Germanico, Galli *Treves* vocant, vide Ioannem Lydium in Gloss. Lat. Barb. ad Clemangem. Wilh. Tyrius de bello sacro lib. 1. *Vt pax, quæ verbo vulgari treuga dicitur, ab omnibus servaretur illibata* & Bignonius in notis ad Marculphum: *Dicam pacis conservandæ leges, (quas treugas scriptores vocant) à Frederico primo Ænobarbo cœpisse.*

m *Tandem gratiam Comitis assecutus est,*) Extant leges & conditiones hujus pacis, inter Episcopum & Comitem, in loco qui dicitur Hoge-woert postridie Petri & Pauli, factæ, A. Domini 1356. ubi inter alia Episcopus dicitur teneri Comitem infeudari (ut eo verbo utar) in dominiis de Amstelle & Woerden: ac eidem clientelari jure tradere homagia de Cuck, & omnia præterea, quæ majores ejus ab. Episcopatu eodem jure tenere solebant.

n *Et postea factus est Episcopus Leodiensis,*] Sic Barlandus: *Præfuit rebus Trajectensibus annis* 22. *Postea factus Leodiensis Episcopus.* Et Noviomagus: *His magno animo peractis electus est in Leodiensem Antistitem; mortui verò corpus Trajecti in D. Martini templo sepultum.* Item, Heda: *Postquam annis* 22. *per varios fortunæ casus rexisset, tandem per Vrbanum V. Papam ann.* 64. *die* 14. *April. ad Ecclesiam Leodiensem transfertur.* Nec non Placentius, de Episcop. Leodiens. *Ioan. Vltraject. Episcopus in sacris & secularibus literis non vulgariter institutus in Antistitem Leodinorum assumptus est anno* 1364.

Iohannes Quintus Episc. XLVIII.

Assumpto ergo Iohanne Episcopo, & in Leodio cathedrato, Episcopus (a) Monasteriensis effectus est Episcopus Trajectensis. Circa idem tempus Wilhelmus Comes profectus est in Angliam, ubi honorifice à Rege & Baronibus susceptus est, sed ipso redeunte in amentiam cecidit, in quâ usque in hodiernum diem permansit; uxor ejus, ut dicitur, posteà fuit veneno intoxicata, de cujus morte improvisâ doluit tota patria. Wilhelmo ergo Comite sic amente facto, & apud Keynoot in strictissimis vinculis ligato, Adelbertus frater ejus totam terram in tutelam suscepit, quam potenter longo tempore gubernat. Hic Adelbertus Dux in Bavariâ, uxorem de genere Imperiali habuit, ex quâ tres filios, & quatuor filias

Wilhelmus Comes in amentiam cadit.

Adelbertus Hollandiæ tutor.

filias habuit. De filiis autem Wilhelmus primogenitus fuit, Adelbertus secundogenitus, Ioannes tertiogenitus; de filiabus Catharina primogenita, Ioanna secundogenita, ambę ante Wilhelmum & Adelbertum primogenitę, Margaretha tertiogenita ante Ioannem procreata, Ioanna quartogenita. Una istarum tradita fuit Regi Bohemię, qui postea fuit Imperator, altera Duci Geldriæ, tertia filio Ducis Burgundiæ copulata fuit, cujus sororem Wilhelmus filius Adelberti eodem tempore in uxorem accepit. Hic Adelbertus Dux, nobilem Baronem de Angiâ decollari fecit, qui cognatus Comitis fuit Flandrię, pro quo valida guerra inter ipsum & Comitem Flandriæ prædictum succrevit. Nam & Hannonia in multis locis à Flamingis igne & cæde propter hoc vastata fuit. Sed hanc guerram Rex Francię compescuit & sedavit. Adelbertus etiam Dux oppidum de Delft expugnavit & vicit, muros & portas, & munitiones ejus destruxit. Interim Ioannes Trajectensis Episcopus debitum universæ carnis exsolvit, cui Arnoldus de Horn tunc existens in Curiâ Romanâ in Episcopatum successit.

Ejus genealogia.

Rex Fŕācię inter Albertum Bavarum, & Comitem Flandriæ pacem facit.

Episcopus moritur.

a. *Episcopus Monasteriensis effectus est Episc. Traject.*] Is fuit Ioannes ex Comitibus de Vernenburgh de quo, & sequentibus Episcopis videndus Sifridus Petri, qui appendicem Becani Chronico adjunxit.

Arnoldus Secundus Episcop. XLIX.

ARnoldus ergo Episcopus ad terram rediens Trajectensem cum multis Nobilibus ingressus est, ubi à clero & omni populo cum debitâ susceptus est veneratione. Hic Arnoldus Episcopus vir erat bellicosus, & semper magis armis, quàm libris sive Sacrę Scripturæ intentus ac sollicitus. Hujus tempore Trajectenses castrum de Gildenburch prope eorum civitatem super Rhenum construxerunt, ubi ab Hollandiensibus, & aliis ibi per Rhenum prædictum transeuntibus thelonia seu vectigalia extorserunt. Quod audiens Adelbertus Dux, tutor Hollandię, cum infinitis armigeris versus Trajectum perrexit & obsedit, & castrum cum instrumentis bellicosis multipliciter lacessivit: Tandem aptis coaptatis Hollandicis & Cattis, ac aliis ingeniis insultum fecerunt, & prędictum conquassantes castrum à fundamento everterunt; Arnoldus verò prædictus Episcopus Trajectensis post mortem Domini de Arckel, Episcopus Leodiensis effectus est.

Bellum ob insufitatum idonium.

Florentius Episcopus L.

ET in Episcopatu Trajectensi successit Florentius de Wevelichoven Episcopus Monasteriensis. Anno Domini 1385. Wilhelmus filius Ducis Adelberti, Comes de Ostervant accepit in uxorem filiam Ducis Burgundiæ, & Ioannes filius Ducis Burgundiæ eodem tempore sororem Wilhelmi prædicti etiam accepit in uxorem. Hic Wilhelmus ante Dammen in Flandriâ à Rege Franciæ in mense Augusto factus est miles. Anno Domini 1386. uxor Adelberti Ducis viam universæ carnis est ingressa, & in Capellâ de Hagá juxta altare magnum tumulata. Anno Domini 1389. in quadrigesimâ Wilhelmus Comes obiit apud Kennout, cui Adelbertus frater ejus in Comitatu successit, qui antea terræ Tutor factus fuit. Anno Domini 1390. Ioannes filius Adelberti cathedratus est in Leodio post mortem Arnoldi Episcopi cum gaudio. Huic autem Ioanni Episcopatus Cameracensis anteà à Roberto Gebennensi, qui se Papam Clementem nominari fecerat, traditus fuerat, sed in brevi tempore Episcopatum resignavit. Eodem anno Wilhelmus Comes de Ostervant in Angliam ad Regem cognatum suum perrexit, ubi in hastiludio ibidem facto laudem eximiam acquisivit, & cum donorum multiplicum & jocalium remuneratione repatriavit. Anno Domini 1393. proscripti & exulati sunt multi Nobiles viri, Barones, milites & armigeri, occasione cujusdam domicellæ Aleidis de Poelgeest nuncupatæ, quæ fuit occisa ab aliquibus de nocte in Hagâ, in Curiâ Comitis Hollandiæ. Nam dicebantur dicti Nobiles in mortem ejus consensisse, unde orta est controversia inter Ducem Albertum, & filium ejus Wilhelmum tunc Comitem de Ostervant. Nam Wilhelmus voluit exulatos in terram reducere, & Pater ejus noluit in hoc consentire, quare Dux Adelbertus multos armatos collegit, & domum de Altena, in quâ filius posuerat ad arma doctos ad tuendam domum contra ipsum, armis bellicosis sic impegit, quod de necessitate quilibet in domo existens se salvo corpore cum domo reddidit. Et omnis altercatio inter Patrem & filium suum illis præsentibus Hollandiæ & Zelandię ad terminandum relicta fuit. Eodem anno Florentius Trajectensis Episcopus obiit, requiescat in pace, Laus Deo, æterna requies labori meo. L APPEN-

Alberti filius ducis Burgundiæ Ducis filiam uxorem: & vice versâ.

Adelbertus Bavarus Hollandiæ Comes 20.

Aleida Poelgeestiana noctu occisa multis exilij causam præbet.

APPENDIX
Ad Chron. I. BEKÆ,

Ex M. S^to. Codice

GISB: LAPPII à VVAVEREN,

IC^ti. Ultrajectini.

De Iohanne de Vernenborch XLVIII. Episcopo.



TRanslato igitur Johanne de Arckel ad Leodiensem Ecclesiam Urbanus Papa Johannem de Vernenborch Episcopum Monasteriensem transtulit ad sedem Trajectensem. Qui anno Domini M CCC LXIIII. mensis Septembris die VIII. civitatem decenter ingressus est & Prælati & Canonici Ecclesiarum Trajectensium in Ecclesiâ Trajectensi congregati ad pulsum tractæ campanæ Episcopalis eidem obviam venerunt cum vexillis usque ad *Pontem Urbis* & ibidem in domo *Sancti Spiritus* Pontificalibus ornamentis fuit indutus & productus in medio Ecclesiæ, ubi oratione facta prout moris est capitulum ingressus juramētum præstitit, & ab Archidiaconis ibidem præsentibus debita fidelitatis juramenta recepit. Deinde cum post Te Deum, Chorum ingressus est, & in Cathedrâ collocatus, collectam pronunciavit, quâ finitâ, Pontificalibus exutus prandium in Ecclesiâ Sancti Salvatoris & suâ domo, ubiq; lautè tribuit Prelatis & Canonicis & Chori sociis, Consulibus tam antiqui quam novi Concilii & Ministerialibus universis. Nam idem Johannes erat homo simplex & in se justus, & multa bona alienavit & impignoravit, videlicet Castrum de Vredelandt, priùs per Johannem Arckel de manibus comitis Hollandiæ redemptum, & Castrum de Horst & Vollenho ultra Isselam, ad manus Gisberti de Vianen Baronis; & Castrum de Ema & Stoutenburch ad manus Domini Stephani de Nijvelt militis; & magnam partem de XLII. *mansis in Mastbrouck, ad mensam Episcopalem spectantibus, de novo ad culturam redactis, quibusdam suis familiaribus sub mediâ pensione concessit; qua propter Prælati & Capitula Ecclesiarum Trajectensium in loco Capitularii, Capitulo ad hoc indicto, cōgregati, præmissa dissimulare nequeuntes, super defensore concorditer convenerunt, videlicet in Dominum Reynoldum de *Culenborch aliter de Wendenberch Archiepiscopum Bremensem, filium sororis Ducis Gelriæ, qui pro eodem multum precariè instabat, mittentes literas supplicatorias cum narratione factas ad Urbanum V. Papam, qui medio tempore de medio sublatus est. Et eidem Petrus *Rogensis Cardinalis Beatæ Mariæ Novæ, Præpositus, & Archidiaconus Sancti Salvatoris Trajectensis, in Papatu successit; videlicet anno Domini M CCC LXX. mense Decembri. Et eodem anno mensis Octobris die XXVIII. nocturno tempore idem Johannes de Vernenborch existens in opido suo de Gore ultra Isselam suæ Diœcesis furtivè captus est à quibusdam latronculis suis inimicis, & postea per D. Giselbertum de Vianen Baronem, Stephanum de Nijeveldt & eorum fautores ab hujusmodi captivitate redemptus fuit, pro sedecim milibus scudatorum antiquorum prout ipsi asseruerunt. Literis igitur Ecclesiarum Trajectensium antedictis præsentatis Gregorio Papæ undecimo & criminibus & excessibus Præpositis coram eodē & toto Cardinalium collegio in publico Consistorio, idem Papa causam commisit Cardinali Neapolitano, ut simpliciter & de plano in ea procederet, & referret, coram quo, testibus nonnullis productis & examinatis, idem Cardinalis diem clausit extremū, & in eodem statu D. Papa causam commisit Cardinali Morinensi, qui in ea procedens, nonnullos testes examinari fecit, & medio tempore videlicet anno Domini M CCC LXXI. XXIII.

Nunc D. Martini de quo vide dipl. anni 1195.

Hospitale Sancti Spiritus apud pontem S. Martini intra Civitatem Ultrajectensem fundatorem habet, haer Erenbrecht hare Erenbrechts sone eñ Vern Sophia zijn Wijf/ anno M. CCC. & VII.

** Hæc ferè habentur in Chron. Mag. Belg.*

** In Chron. M. Rulenborch.*

** Petrus Belfortis qui Gregorius XI. dictus teste Onuphrio.*

die hora Vesperarum mensis Iunii Iohannes Vernenborch Episcopus Trajectensis subitaneâ morte diem clausit extremum; qui die antecedenti in suo pallatio Trajectensi glorianter & lætanter incedebat; & sepultus fuit in Ecclesiâ Trajectensi à parte Australi. Et tempore istius Iohannis Episcopi videlicet anno M CCC lxxxviii. magna mortalitas seu epidimia fuit in Civitate Trajectensi præcipuè, & aliis locis circumvicinis, quod major eâ visa non fuit, quia pro tunc communiter dicebatur quod C xxvi. milia utriusque sexus de medio sublata fuerunt & ultra.

De Arnoldo de Heurn XLIX. Pontifice Trajectensi.

SEpulto igitur Iohanne Pontifice Prælati & Canonici Ecclesiarum Trajectensium in capitulo congregati tractantes tam super constitutione Vicarij & Mamburni quam super electione futuri Pontificis, nonnulli in optatis proficere nequeuntes metum corporis prætenderunt & à civitate Trajectensi ad Amersfordiam & alia diversa loca se diverterunt, videlicet Swederus Uterloe, nepos D. Giselberti de Vianen, Archidiaconus Trajectensis, Stephanus de Everdingen Chori-Episcopus, Wilhelmus de Yselsteyn, Michael Moliaert, Theodricus de Iutphaes, Giselbertus de Walenburch, Giselbertus de Rhenen, Everardus Foeck, Gerardus Foeck, Macharius de Arnhem, Nicolaus de Patella, Baldewinus de Dalen, Wilhelmus Buser, Giselbertus Vuistinc. Aliis tamen Canonicis ejusdem Ecclesiæ metum non prætendentibus, & in civitate remanentibus; videlicet: Gerardo Iode, Henrico dicto Borre de Broechusen, Iohanne Albo, Iohanne de Steyn, Giselberto de Meerten, Iohanne de Tuyl. Post hæc quædam citatio valvis Ecclesiæ Trajectensis affixa fuit, sigillata sigillo Ecclesiæ Trajectensis; quam dicti Canonici secum adsportarunt cum à civitate se diverterunt; in quâ quidem citatione Prælati & Canonici Ecclesiarum Trajectensium vocati fuerunt Daventriam, Trajectensis Diœcesis ad diem nonum mensis Iunij super electione futuri Pontificis celebranda. In quâ quidem die dictus Archidiaconus cum antedictis Canonicis Trajectensibus metum prætendentibus comparuit, & nonnulli alii aliarum Ecclesiarum Trajectensium, videlicet: Iohannes de Sleen, Iohannes de Arnhem Sancti Petri; Theodoricus de Gasparde, Hermannus de Enteren & Iacobus de Aelrehorst Sancti Iohannis; Gerardus Vrenke, & Ricoldus de Haesten Beatæ Mariæ. Et missam de Sancto Spiritu in Ecclesiâ Sancti Lebvini Daventriensis celebrantes concorditer, per viam Sancti Spiritus dictum Archidiaconum elegerunt. Prælati verò & Canonici Ecclesiarum Trajectensium postulationem & electionem prius per eos factas de nobili viro Arnoldo de Heurn Canonico Coloniensi, eodem die quinto nonarū Iulii innovarunt, scribentes ad summum Pontificem pro eodem Arnoldo, in Curiâ existente, & litigante pro Archidiaconatu Trajectensi, contra Zwederum antedictum. Gregorius verò Papa antedictus auditâ vacatione sedis Trajectensis in publico Consistorio providit dicto Domino Arnoldo de Episcopatu Trajectensi. Qui ibidem ordinatus & consecratus, ad partes accelerans civitatem Trajectensem xxviii. die mensis Septembris sub anno Domini M. CCC. LXXI. decenter ingressus est usque ad Ecclesiam Beatæ Mariæ minoris, ubi Pontificalibus induto Prælati & Canonici Ecclesiarum Trajectensium cum vexillis obviaverunt; & productus per Abbatem Sancti Pauli & Abbatem Sancti Laurentii usque in medium Ecclesiæ Trajectensis, & demùm ad Capitulum, ubi juramentum præstitit; & cum psalmo, Te Deum, cathedram ingressus est, & collectâ pronunciatâ, domum habitationis suæ ingressus, prandium Prælatis, Canonicis & Chori sociis, Consulibus tam novi quam veteris Consilii, & Ministerialibus lautè præstitit ibidem. Eodem anno M CCC LXXI. XXII. die mensis Iulii Dux Brabantiæ filius Regis Bohemiæ bellum inivit contra Ducē Iuliacensem & contra Eduardū Ducē Gelrensem & suos fautores & complices. In quo bello seu conflictu dictus Dux Brabantiæ per Ducē Iuliacensem captus est, & multi cum eo. Et Eduardus Dux Gelrensis solus præ omnibus qui erant cum eo sagittatus fuit in capite, & obijt in Iuliaco antedicto. Hic idem Eduardus anno D. M CCC LXI. bellum commisit juxta oppidum de Tiel

Vide Chron. Magn. Belg.

de Tyel contra Reynoldum fratrem suum primo genitum verum Dominum & Ducem Gelriç eundem Reynoldum cum multis aliis ibidem Baronibus & Nobilibus sui comitatis captivavit, & ex illâ horâ Eduardus antedictus se pro Duce Gelriæ gessit, & dictum Reynoldum fratrem suum usque in finem vitæ suæ captum in bonâ custodiâ retinuit. Quo defuncto, ut præfertur, tota patria Gelriæ dictum Reynaldnm præ nimiâ pinguedine pergravem in verum Dominum & Ducem Gelrensem resumpserunt honorificè. Qui post hoc eodem anno mense Novembri diem clausit extremum relinquens post se duas sorores, videlicet Mechteldim Comitissam Clivensem primo genitam, & Mariam Ducissam Iuliacensem. Mechteldim duxit in uxorem nobilis vir Dominus Iohannes de Blesis, Frater Comitis Blesensis, quapropter inter easdem sorores lis maxima super Ducatu Gelriæ cum suis pertinentiis suborta fuit. Tandem amicabiliter compositio inter easdem intervenit.

De aquæ ductu in Vreesvvijck sive Castro dicto Gildenburch.

ANNO Domini M CCC lxxiv. Consilium civitatis Trajectensis fodi & fieri fecerunt aquæductum ex fluvio Leckæ procedentem usque ad eorum Civitatem. Ad quem conservandum sumptuosè construi fecerunt supra Leckam extra aggerem, in loco qui dicitur Nyenwaert, castrum, quod dicitur Gildenburch. Quo facto, post multos tractus Albertus Gubernator Hollandiç Dux Bavariæ Episcopum & civitatem Trajectensem cum suis fautoribus diffidavit, & ipsum castrum cum copiosâ hominum multitudine potenter obsedit, anno quo supra mensis Maji fere per 30. dies, Castellanii ergo ipsius Castri cum eorum commitiva se salvo corpore & rebus reddiderunt. Quo facto ipse Dux Albertus hujusmodi Castrum ad se recepit, & cum suis fortiter stabilivit. Tandem eodem annò 24. die mensis Iunii nocturno tempore sub urbium ipsius Castri civitatenses subintraverunt & infra biduum manu armatâ resumpserunt, & 24. homines armatos captivaverunt; & ipsum castrum de novo stabilierunt. Post hoc, anno Domini M CCC lxxxv. mensis Martii, amicabilis compositio intervenit, inter Ducem ex una parte, & Episcopum & civitatem ex alterâ parte, videlicet: quod dictus aquæ ductus salvus remaneret civitati Trajectensis, & ipsum castrum evelli & destrui deberet; & infra aggerem ad conservandum ipsum aquæ ductum civitas si vellet construere & reædificare posset, sub certis modo & forma, prout in literis compositionis super hoc confectis plenius continetur. Eodem anno mirabilis plaga fuit diluvii aquarum recentium & salsarum per totum Regnum Alemaniç. Et eodem anno mirabilis plaga invaluit incipiens à Regno Bohemiæ per Rhenum circum quaque descendendo usque civitatem Trajectensem, quod homines in magnâ copiâ utriusque sexus incedebant præcincti manu tergiis coronas in eorum capitibus habentes chorizando & cantando tam in Ecclesiis quam extra, usque ad tantam lassitudinem, quod se usque ad terram prosternebant, tandem compertum fuit quod obsessi erant, & à Dæmoniis liberabantur cum orationibus debitis & consuetis.

De Ortu scismatis.

ANNO incarnationis Domini M CCC lxxviii. obiit Gregorius Papa XI. & electus erat Bartholomeus Episcopus Barensis, Urbanus VI. nominatus, ipso die Paschæ coronatus, & quia ipse Urbanus homo justus erat, Cardinales quantum in eo fuit, sibi proposse suo nitebatur subjugare, ipsosque ab eorum excessibus parum angariare, eorumque omni nullatenus acquiescens voluntati. Nec ipsi tantæ seriositatis angariam nequaquam sustinere valentes ipsi Domino Urbano indignati, omnes fere quanquã aut paulò pluribus demptis, à Romanâ discesserunt curiâ, negantes ipsum verum esse Papam. Nihilominus asserentes quatenus ipsum præ timore & anxietate corporis elegissent. Denuò novã iteratò celebrarunt electio-

electionem,in quâ quidam Cardinalis Robertus nomine, Francorum Regi affinis in Papam electus est; Clemens VII. nominatus,eodem anno ipso die Mathæi Apostoli in Avinione coronatus. Hæc quidem discordia & nefandum scisma præ Imperialis Regni Romanorum omnium aliorumque Dominorum Regni Alemaniȩ Dominum Urbanum ex unâ parte tanquam verum Papam sustinere volentium potentia, & propter obstinatam superstitiosamque Francorum superbiam Clementem parte ex alterâ propter sanguinis affinitatem sustinere volentium,longis temporibus invaluit & adhuc hodiernis invalescit temporibus. *Quo tempore hic auctor vixerit.*

De quodam Monstro in Civitate Trajectensi.

EOdem anno accidit quoddam monstrum in civitate Trajectensi, videlicet: quod circa festum translationis Beati Martini natus est puer masculus in civitate prædicta, qui perfectè loquebatur nondum ætatis 40. dierum, dicens unâ vice: aperite januam pater meus adest, & alia plura. Ex his parentes multum attoniti, rogaverunt quendam sacerdotem devotum ut secretè veniret,& puerum conjuraret. Qui missam celebravit, quâ finitâ,in sacris permansit ornamentis desuper toga coopertus ne sacra viderentur ornamenta ad puerum ingressus; ipsum juramentis, orationibus & conjurationibus adjuravit. Cui puer nihil respondit, sed tandem proprio motu vertebat caput suum,sacerdotem visu horribili inspiciens, quo ipsum valde terruit. Sacerdos autem videns se nihil proficere ad propria remeavit.

Quomodo Arnoldus de Huern obsedit Castrum de Loenresloot.

EOdem anno quo supra 2. die mensis Septembris Dominus Arnoldus de Huern Episcopus Trajectensis auxilio Domini de Gaesbeeck & de Abcoude, Domini de Viañen aliorumque plurium nobilium scutiferorum & Burgensium, per magnum sibi cumulavit exercitum, quo domum domini Splinteri de Loenresloot obsidebat in circuitu, eo quod Dominus Splinterus prædictus Diœcesanos Episcopi crebris & minus justis opprimere consueverat injuriis. Quam quidem domum diversis instrumentorum infestavit de generibus,horribilibus namque Arceptis ferreis per magnos lapides ejicientibus, bumbardis nuncupatis,& missilibus,quibus Castrenses atrociter attediabat. Inter quos tandem talis intervenit compositio ut Dominus Splinterus præfatus in deditionem transiret Episcopi, & ipso Episcopo Domino Arnoldo domum hactenus obsessam resignaret. Nihilominus emendam condignam pro damnis illatis secundum quod milites scutiferi & Ecclesiæ Trajectensis capitulares dictarint,compromittens.

De gestis Nobilis viri Domini Florentii de VVevelichoven L. Episcopi Trajectensis.

ANNO præfato Dominus Iohannes de Arckel Episcopus Leodiensis primâ die Iulii requievit in domino, de Leodio in civitatem Trajectensem navigio transvectus,ubinam temporibus præteritis fuit Episcopus, & ibi honore congruo ut superius in gestis suis præmissum est, in Ecclesia Trajectensi decentissimis inhumatus est exequiis. Quo sepulto, Capitulares Ecclesiæ Leodiensis Dominum Arnoldum de Huern Episcopum Trajectensem petierunt in Episcopum, Dominus autem Urbanus Papa VI. secundum hoc à prædictis Capitularibus requisitus, eorûm votis acquiescens, Dominum Arnoldum præfatum Episcopum Trajectensem in Leodio transplantavit, ut & ipse Leodiensi

præesset Episcopatui. Et Dominum Florentium de Wevelichoven Monasteriensem Episcopum in Trajecto translocavit, ut & ipse Trajectensi præesset Episcopatui. Sed quod Dominus Arnoldus de Huern, qui utrique, licet minus justè, libenter præfuisset Episcopatui, & Trajectensem invitè resignasset Episcopatum, quando, ad minus, fructus & reditus dictę Dioecesis percepisset auxilio Domini de Abcaude, Domini de Vyanen & aliorum quam plurium militum & nobilium suorum consautorum. Domino Florentio de Wevelichoven Nobili viro prædicto, qui mandato Apostolico suo successori, sine quacunque remuneratione Episcopatum Monasteriensem dimisisset, ingressum Dioecesis Trajectensis occupavit & violenter surripuit. Sicque in prædictam Dioecesem per longum tempus nequaquam propter prædictorum Dominorum resistentiam venire poterat; sed tandem Domini de Arckel & de Ysselsteyn dicto Domino Florentio compatientes, ipsum in suo jure confortarunt, & suis viribus ingressum dictæ dioecesis potenter sibi reserarunt, qui tandem prædictis Dominis auxiliantibus, in possessionem Episcopatus missus est. Ingressum igitur dictæ dioecesis nobili viro Florentio per præfatos Dominos fere per annum surrepto, tandem aliorum Dominorum subsidio securum iter abripuit civitatem Trajectensem introire, ubi permaximis solennitatibus & cæremoniis, Baronum, militum, procerumque urbem ingressus, decentissimè receptus est, & ritu inolitæ consuetudinis anno Domini M CCC LXXIX. ipso die Willebrordi Episcopi, Psalmodiis & Canticis debitis incathedratus est. Hic Florentius cum primo Trajectensi præesset Episcopatui erat homo inveteratæ ætatis, consilio prudens moribus compositus, justus & honorabilis, & in judiciis sæcularibus bene cautus, qui Dioecesim Trajectensem permagnis invenerat aggravatam debitis, & diversis oneratam oneribus, præ guerris per Dominum Arnoldum de Huern prædecessorem suum in partibus Gelriæ sustentatis; quinimo eo, quod Dominus Arnoldus præfatus reditus dictæ Dioecesis ultra terminum debitum longè percepisset. Qui cunctis quantum potuit creditoribus persolvere studuit. Castra villas & officia per prædecessores suos alienata, & diversis creditoribus pro certis pecuniarum summis impignorata, liberè redemit. Nam Castrum de Vollenhoe pro 2800. scutis antiquis redemit. Castrum de Stoutenberch pro 1100. scutis antiquis, Castrum de Ema pro 700. scutis antiquis, Castrum de Vredelandt pro 3000. scutis antiquis, & Castrum de Diepenhem pro mille scutis antiquis, de manibus dictorum creditorum redemit.

De subversione & obsidione Castri de Eerden, & trium aliorum circumjacentium.

POST, hoc anno Domini M CCC lxxx. quidam Everardus de Essen quoddam Castrum Eerden vulgariter nuncupatum, in partibus Transiselinis super ædificavit, quod in tantum lignis & lapidibus stabilivit, quod quorumcunque adversantium potentiam hoc castro mediante, parvi pendere videbatur. Nihilominus nemora, campos aliorumque Dominorum possessiones & subditos sibi usurpans, & specialiter subditos prædicti Domini Florentii Episcopi Trajectensis in Zallandia, qui per ipsum Everardum crebris angustiis infestati, crebra querela dicto D. Florentio super injuriis ipsis per Everardum illatis conquesti sunt, ejus auxilium implorando. Quam obrem præfatus Dominus Florentius auxilio & consilio suarum civitatum & villarum Transiselinarum, prædicti Everardi Castrum circumvallavit. In cujus domini Florentii auxilium Domicellus de Arckel & Dominus de Ysselsteyn ingenti copia militum armigerorumque pulchrè assidebant. Et erexit ibidem quandam magnæ quantitatis machinam, quâ turres & habitacula paulatim desuper rumperet & laniaret, bumbardis & arceptis lapides diversarum quantitatum ejicientibus, aliisque diversorum instrumentorum generibus & missilibus, ipsum castrum quotidianis assultibus sævissime infestabat, sed structura lignea nec lapidibus aut quibuscunque aliis infestationum generibus imaginabilibus, prę multitudine trabium eximiarum quantitatum, continuo sibi invicem juxta positarum, aliquatenus poterat conquassari. Nam & lapides potentissime ejecti, ab ædificio ligneo quemadmodum pila à pariete resiliebant. Econtra verò structura lapidea tantis infestationibus nullatenus resistere valens, prædictis jacturis petratim dissolvebatur. Et postquam

Dominus

Dominus Florentius Episcopus fere quinque hebdomadis Castrum præfatum obsidione circumvalasset gravissimá, Castrenses verò de ulteriori resistentia facienda desperantes nec auxilium aliquod pro liberatione Castri, ut Everardus prædictus promiserat, imminere videntes, se omnes salvâ vitâ, unà cum castro Domino Florentio Episcopo reddiderunt; qui & ædificium omnino desolabat lapideum, sed structura lignea in tantum erat stabilita, ut nulla arte vel ingenio poterat dissolvi; quæ tandem jussu Domini Florentii Episcopi favillatenus incensa, quatuor hebdomadis de post hostiliter quotidie flagrabat. Demum Everardus de Essen præfatus Domino Florentio Episcopo emendam præstans laudabilem reconciliatus est.

Eodem anno, quo supra, nobilis ille Florentius de Wevelichoven Episcopus præfatus tria castra subvertit; quorum primum Molen vulgariter nuncupatum est, quod sibi absque aliquâ infestatione reddebatur. Secundum verò Lare dictum erat, quod absque obsidione eidem reddebatur, & tertium Gaemaer nuncupatum erat, ista omnia erant mala rapinacula, quare meritò fuerunt subvertenda.

De quadam seditione civium Trajectensium contra se invicem, & de rebellione Domini de Vianen & suorum fratrum adversus Episcopum.

QUædam mala seditio eodem anno præfato accidit in civitate Trajectensi. Nam Burgenses civitatis prædictæ à longis temporibus usque in hodiernum diem bipertiti, inveteratam contra se invicem suscitaverunt seditionem, in qua, una partium Gunterling vulgariter nuncupata, ab earum adversa parte Lichtenbergenses vulgariter nuncupata, armata manu fugitiva, à civitate præfatâ repulsa & proscripta est.

In quo quidem anno Reinaldus junior fratrum de Vianen Episcopatum Trajectensem à Clemente Anti-Papa impetravit, non obstante illo quod nobilis vir Florentius de Wevelichoven hoc idem jam actu pontificium possideret. Quo obtento Reinaldus præfatus, annitentibus fratribus magnatibus & amicis suis, in prædictâ Diœcesi circummanentibus, prædictum Pontificium possidere nihilomnius, & nobilem virum Dominum Florentium jam actu possessorem vi procul repellere, minime diffidebat. Quam obrem Dominus de Vianen Frater Reinaldi Præfati Dominum Florentium suis fecit spoliari decimis, quas in castro de Goye, aliis hinc inde diversis locis sibi magis congruis, vehi fecerat. Nihilominus & Reinaldum fratrem suum in prædicti Pontificii possessionem vi intrudere præsumens, & Clementi adhærere Antipapæ non formidans, non obstante illo, quod omnes sui circummanentes hoc nefandum scisma incurrere, formidarent. Paulo post exiguo jam elapso tempore, cum Dominus Florentius Episcopus à partibus Transiselinis Trajectum advenerat, determinatâ die in Ecclesiâ de Iutphaes præfixâ, Dominus de Vianen & sui fratres Domino Florentio Episcopo per Consules civitatis Trajectensis in hunc modum reconciliati sunt; quatenus, Dominus de Vianen una cum fratribus suis compromitterent, adversum Dominum Urbanum Papam & Dominum Florentium Episcopum se nullatenus opponere, Clementi Anti-Papæ sinistram obedientiam subtrahere, & Domino Urbano Papæ ac Domino Florentio Episcopo Trajectensi in cunctis Catholicis mandatis firmiter obedire, & nunquam sinistras vias adversus eos provocare, nihilominus fideles Diœcesiani cunctis diebus vitæ suæ permanere.

De bello Gandensium adversus Ludovicum Comitem Flandriæ Dominum eorum & contra Regem Francorum, cum quibusdam incidentalibus.

ANNO Domini M CCC LXXXII. ipso die inventionis sanctæ crucis Gandenses contra Ludovicum Comitem Flandriæ Dominum eorum gravissimum commisêre

 prælium

prælium qui adversantium Cohortes sævissimè divisêrunt & strenuè devicerunt. Fugitivos namque hostes perniciter insequebantur quosdam in via retardatos hostiliter occiderunt, urbem Brugensem potenter capientes, Comitem Ludovicum vix celeri equo è manibus eorum elapsum, usque in Insulis continuè persugabant.

Eodem anno & eodem mense, erat quidam terræ motus terribilis & admirandus ubique terrarum, quousque nos percipere valebamus. Nam in quibusdam villis & civitatibus quædam domus valde fortiter movebantur, domibus vicinioribus omnino non motis. Post hoc eodem anno ipso die Beatę Luciæ Virginis Gandenses iteratò apud Roesbeeck adversus Regem Francorum per maximum iniere duellum, qui præ nimia Francorum multitudine suppressi usque ad mortem honorificè se defensarunt, qui certatim manu omnes fere paulatim paucis aut nullis fugientibus, crudeliter interempti sunt, quorum Philippus de Artevelde vir imperterritus erat capitaneus. Ceciderunt autem in hoc conflictu à parte Gandensium fere sedecim millia & à parte Francorum septem millia viri transcurrendo numerum utriusque partis.

Quomodo Florentius Episcopus subjugavit quosdam potentes sibi subditos & rebelles.

ANNO Domini MCCClxxxv. Dominus Giselbertus de Abcoudâ notoriâ famâ coram Domino Florentio accusatus est, eo quod altas Iurisdictiones in prædicta Dioecesi usurpando sibi statueret. Cui Dominus Florentius mandaverat Trajecti coram eo comparere, ubi coram multis honestis viris & discretis militibus Ecclesiæque Capitularibus & Burgensibus omnem altam Iurisdictionem quocunque in prædicta Dioecesi fuerit sita, pulsum campanæ, literas citationum excommunicationum &c. acceptare suos expandatores per totum suum dominium, in dictâ Dioecesi infestatos dimittere Domino Florentio Episcopo libere recognovit. Hoc etiam anno xxi. die mensis Septembris Dominus Splinterus de Lonreslooth per deputatos internuncios à Domino Florentio Episcopo amicabilem compositionem expetiit qui de gravaminibus & injuriis prænarratis subditis & Dioecesanis Episcopi dudum illatis septingentos florenos persolvit. Nihilominus omnia substracta & exactionata hominibus ad plenum restituere promittens, hoc addito, quod dictæ Dioecesi nunquam se opponeret, & castrum suum efficaciori munimine, quam tum temporis exigebat, non stabiliret, & quam plura alia puncta, quæ in literâ compositionis super hoc confecto continentur, facere compromisit.

Quomodo Dominus Florentius oppidum de Montfoerde obsedit.

ANNO Domini MCCClxxxvii. crastino Beati Georgii solis luce exorto, nobilis vir Dominus Florentius permagno collecto exercitu terribili aggressu procerum armigerorum oppidum de Montfoerde, tubis sonantibus, equis strepentibus, papilionibus erectis, vexillis fulgentibus, bandis plerisque nitentibus, validâ cinxit obsidione, eò quod Burchgravius Henricus de Montfoerde Dominum Florentium Episcopum suis altis jurisdictionibus, Ecclesiam Sancti Salvatoris Trajectensem suis decimis, & alias Ecclesias Burgenses & Dioecesanos civitatis & Dioecesis Trajectensis eorum hæreditariis possessionibus temerariè spoliare præsumpsisset, nec non aliis quam pluribus enormibus excessibus in dicta Dioecesi suisque propriis subditis illatis nullâ tergiversatione colorandis, sumopere exigentibus; ubi præfatus Dominus Episcopus quandam miræ quantitatis machinam erexit, quâ permagnos lapides hinc inde per oppidum ejecit, quibus turres & mænia castri, aliasque diversas mansiones fortiter attriverat, & quassabat. Bumbardis vero & Arceptis mirabilibus

bilibus multiformium quantitatum grandes lapides, ignemque sulphurium hinc inde per diversa loca interribili sonitu hostiliter dispersit, quibus per multi interimebantur homines. Quædam verò instrumenta defensiva ex viminibus saliciniis in unum conjunctis parari fecerant, quę vulgariter Tumelaers nuncupātur, quibus fossata oppidi securi & illæsi accessēre. Econtra vero Henricus Borchgravius multis stipendiariis hinc inde à diversis locis collectis, forenses hostes crudeliter in quantum potuit, infestavit, & oppidum cum suis coadjutoribus viriliter defensavit. Nam locorum prædictorum nescius, Henrico Borchgravio præfato suâ propriâ confidentiâ & potentiâ forensibus hostibus tam diuturnam fecisse resistentiam adscribat; quinimo aliquibus forensibus fictis & simulatis hostibus, militibus & Burgensibus Trajectensibus, suis consanguineis & amicis qui sibi per secretos internuncios statum forensium hostium continuè intimarent. Qui etiam Dominum Florentium Episcopum & alios vulgares concives de die in diem oppidum scalis aliisque pluribus instrumentis coaptatis introire prætendentes, diffraudarunt astutis viis & cautiloquiis ulteriorem aggressum & infestationem intercipiendo. Absurdum & inimaginabile videtur, quod absque animatione prænominatorum tantis tam diu resistentiam fecisse, valuisset. Interea fere sexdecim elapsis hebdomadis, Dominus Arnoldus de Huern Episcopus Leodiensis, avunculus uxoris Henrici Burchgravii pręfati, Dominum Florentium Episcopum & Henricum Borchgravium per hunc modum in firmâ pace reconciliavit, in hęc verba prorumpens. Ex quo Henricus Borchgravius nec sui prædecessores temporibus dudum transactis aliquas altas Iurisdictiones possiderunt, nec de cætero possidebunt. Scilicet Florentius jam actu Trajectensis Episcopus aut suorum successorum quicunque futurus omnibus altis jurisdictionibus in Parochiâ de Montfoerde fungetur & ubicunque locorum in dicta Diœcesi ubi præfatus Borchgravius hujusmodi jurisdictiones habere potuit, nihilominus & pulsu campanæ suosque expandatores in prædictâ Parochiâ & ubique locorum in dictâ Diœcesi ęquestris & pedestris pacificè transire literis citationum excommunicationum &c., nullatenus refutare, & de quibuscumque minimis causis altam jurisdictionem tangentibus disponere & ordinare. Et ipse Burchgravius præfatus una cum omnibus terram de Montfoerde inhabitantibus ad sancta Dei Euangelia juraverunt se Domino Florentio Episcopo aut ejus successori vel successoribus nunquam opponere; promissa nullatenus infringere; sed bonus seu boni Diœcesanus & subditus seu Diœcesani & subditi cunctis diebus permanere. Et prædictum castrum ac oppidum D. Florentio Episcopo & suis successoribus quandocunque petierunt aut indiguerunt ad se invadendum & defendendum contra quoscunque grassatores erunt aperta & apta. Et plura alia D. Florentio Episcopo quæ in literâ compositionis super præmissis confecta, munita sigillis Borchgravii prædicti, Domini Arnoldi de Heurn præfati Episcopi Leodiensis, Abbatis Sancti Trudonis & decem suorum affinium & socerorum, plenius continetur. Ex quibus patet quod prædictus Burchgravius à suâ pernitiosâ viâ tandem declinavit, & Domino Episcopo obedire compulsus est, quod prius omnino facere recusavit. Et paulò post eodem anno obedientiam monstravit. Nam quidam dictus Iohannes de Bommel quendam virum in dicto oppido de Montfoerde interfecit, qui per Maerschalckum Episcopi in prædicto oppido captus est, & Trajectum ductus, ubi secundum judicium militum, prout moris est, dijudicatus & decollatus est.

De guerro Dominorum de Arckel & Vianen, cum quibusdam incidentalibus.

ANNO D. MCCCLXXXVIII. gravis seditio inter Dominum de Arckel & Domicellum Iohannem filium suum ex unâ parte, & inter Dominos de Vianen & de Ameydâ ex aliâ parte, suborta est, quæ longis invaluit temporibus, qui per diversos lapsus temporum crebrius confligentes, se mutuò captivarunt, & percusserunt. Nec silendum est quod Dominus de Vianen crebrius victor existebat, plures sibi subegit & captivavit non obstantibus divitiis aliorum & copiòso adjutorio Hollandrinorum. Nam firmiter credendum est, si æquales divitiæ eis adfuissent, alios procul à patriâ profugassent. Post hoc anno Domini MCCCXCII. ipso die Petronillæ virginis jactus erat primus lapis fundamentalis ordi-
nis

nis Carthusiensis infra suburbium Civitatis Trajectensis, cujus fundator ac dotator erat Dominus Swederus de Gaesbeeck de Putten & de Strinen. Eodem anno quidam iniquitatis filii quendam oppidanum de Rhenen qui Borro de Pluderen dicebatur, suis demeritis minimè exigentibus prope Rhenen captivaverunt, quem & juramento solito premisso assecuraverunt. Interea rumor magnus per prædictum evolavit oppidum, quare Oppidani Rhenenses concito gradu præfatos insequebantur maleficos. Qui fugam capientes ad castrum de Horst declinaverunt, quod Domino de Vianen tunc temporis de Domino Iohanne de Vernenborch quondam Episcopo pro certâ summâ pecuniæ stabat oppignoratum. Quo audito Florentius Episcopus indilatè iter arripiens prædictum castrum adiit, prædictosque maleficos ibidem detentos à castellano sibi dari petiit, quos Thomas Mulart illius Castri castellaneus tunc temporis reddere recusavit. Quam obrem Florentius Episcopus commotus, hoc castrum seriosius in continenti obsidebat, quod nihilominus atrocioribus assultibus infestare prætendebat & prædictos potenter eripere maleficos. Sed castellaneus contra tantos assultus minimè præmunitus, cum Domino Florentio Episcopo compositionem iniit talem, quatenus sibi illa summa pecuniæ quâ castrum sibi foret oppignoratum plenariè restitueretur; & prædicti malefici transirent in deditionem Episcopi, secundum judicium militum & Nobilium, sententiandi, qui post modum vinculis ruptis à prisione discesserunt. Per hunc modum Dominus Florentius Episcopus Castrum suum à suis prædecessoribus impignoratum ipso die nativitatis Beati Ioannis Baptistæ redemit. Eodem anno ipso die Sancti Mauritij Domicella Aleydis de Poelgeest concubina Comitis Hollandiæ, & Wilhelmus Cuser apud Curiam prædicti comitis in Hagâ lamentabiliter fuerunt interfecti, unde postea magna seditio in Hollandiâ exorta fuit.

De quodam Fratrum Minorum in Trajecto degradato.

HOc eodem anno prædicto, ipso die Hieronymi confessoris, quidam frater ordinis Minorum de Juliaco oriundus, in Trajecto degradatus fuit, asserens se gratiâ & literis Apostolicis fore Episcopum. Quem Florentius de Wevelichoven coacceptavit in suffraganeum, qui quod plures in dictâ Diœcesi acolytos, subdiaconos, diaconos & sacerdotes ordinaverat, nec non quàm plura Monasteria, Ecclesias, sacraque loca & altaria in dictâ Diœcesi consecraverat, aliquanto jam elapso tempore per quosdam fide dignos & idoneos in veritate compertum fuit, prædictam gratiam & bullam omnino fore falsas. Quo promulgato quam plures qui sacros ordines à prædicto falsario receperant, ad diversa se diverterunt. Nam quàm plures sacris postergatis ordinibus uxores duxerunt, aliique ab aliis se fecerunt reordinari Episcopis; unde quàm pluribus multa mala evenerunt, quamobrem Florentius Episcopus consilio & mandato Domini Papæ, coassociatis sibi septem Episcopis, prædictum falsarium literarum Apostolicarum Trajecti in quodam theatro cunctis sacerdotalibus induit habitibus, quibus paulatim privabatur, primò casulâ, deinde manipulis, deinde stolâ, & sic de singulis, cujus crines abradebantur & pellis circa digitos quibus corpus dominicum tractare consueverat, cum quodam vitro ossetenus lacerabatur, qui novissimè habitu indutus seculari, judicio seculari; scilicet Sculteto & Scabinis civitatis Trajectensis judicandus traditus est, quem ad cacabum dijudicaverunt. Sed ipsi sacris ordinibus dudum ab eo habitis compatientes, quinimo ob reverentiam ordinis fratrum Minorum ipsum concito à cacabo susceperunt, & decollari jusserunt, qui de licentiâ domini Florentii Episcopi cœmiterio prædicatorum Trajectensium inhumatus est.

De obitu domini Florentii Episcopi Trajectensis.

ANno Domini M. CCC. XCIII. ipso die Parasceves cum divinum in Ecclesiâ celebraretur of-

tur officium, Dominus Florentius de Wevelichoven Episcopus vir nobili prosapiâ oriundus qui & nobilioribus virtutum abundabat operibus horâ quasi meridiei quâ D. Noster Iesus Christus expiravit., debitum universæ carnis in quâdam villâ Transsulinâ Hardenberch nuncupatâ, persolvit; Postquam XIII. annis & quinque mensibus prudentissimè & honestissimè Trajectense gubernasset Pontificium. Qui deinde Trajectum curru transvectus, ubinam in Cathedrali Ecclesiâ luctuosis exequiis suorum affinium & amicorum coram summo altari decentissimè inhumatus est. Consideremus inquam quam congrua hora D. Noster Iesus Christus suum electum & justum ministrum ab hujus seculi ruina capere dignatus est, cum terminus vitæ regimini ducto sæpius conformatur qui & tempore debito quo quivis catholicus confessus & contritus purâ conscentiâ ad paschalia Festa se præparat cunctis maturâ præavisatione dispositis ab hoc seculo sublatus est. Agonisante quidem Nobili Domino Florentio pręfato familiares & affines sui astantes de servitiis sibi impensis remunerari petierunt, quibus respondit, Dedi quod faveo, innuens quod uniquique multa dona & emolumenta temporibus vitæ suæ exibuisset. De pecuniis vero suis sua debita omninò solvere disposuit, residuum vero Beato Martino & suo successori tradere præcepit. Qui concitò horâ mortis instante emittens de domo cunctos suos familiares, præcepit Castellano ne eos aliquo modo iteratò intromitteret, desiderans omne periculum quod præfatæ Diæcesi per suos affines aut familiares mediantibus castris Diœcesis Trajectensis evenire poterat, prævenire. Transmisit Henricum Zueren pro tuendo castrum de Vullenho, & demandavit Everardo Freysen Castellano Castri de Horst ac cæteris castellanis singula castra dictæ Diœcesis inhabitantibus, ut quivis suo castro, ad usum sui successoris de tutâ provideret custodiâ. Hic Florentius vir Nobilis & ingenuus in prędictâ Diœcesi multum virtuose operatus est. Nam & castrum de Hardenberch turribus, aulis, stabilis, cubilibusque perpulchris excellenter superædificavit, nec non oppida de Herdenberch & Ommen lapidibus circummuniri fecerat. Qui & singula castra dictæ diœcesis tam Transisulina quam Citraiselina in solidâ stabilitare renovavit & singula castra dictæ diœcesis de quibuscunque indigendis pręmunita, ceteraque officia libera suo successori demisit, nihilominus & totam diœcesim in pace tranquillâ. Cui Deus pro mercede tantorum suorum benefactorum requiem æternam in cœlis, omnium peccatorum suorum remissionem largiri dignetur ut cum sanctis & electis Dei vivat & regnet & regna cœlorum possideat. Amen.

Hæc Chron. Magn. Belg.

De postulatione Frederici de Blanckenhem LI. Episcopi Trajectensis.

Octodecim fere diebus ab inhumatione Nobilis viri D. Florentii Episcopi sæpe dicti elapsis, D. Albertus Comes Hollandiæ & Wilhelmus Dux Gelriæ cum ingenti solennitate Procerum & armigerorum in Trajecto venerunt, supplicantes capitularibus Ecclesiarum, quatenus Nobiles & Discretos viros per eos pręsentandos velint habere recommandatos, & alterum eorum in novum eligere pastorem. Et supplicavit D. Albertus Comes Hollandiæ Nobilem viro D. Rogerum de Bronchorst capelarium Ecclesiæ Coloniensis eligi in Episcopum. Wilhelmus vero Dux Gelrię petiit Nobilem virum D. Fredericum de Blanckenhem, Episcopum Argentinensem, eligi in Pontificem. Capitulares verò Ecclesiarum propter prædictorum Principum discordes supplicationes multum perplexi, prędictos humiliter supplicavere principes, quatenus unanimiter ad unum eligendum condescenderent, illique eorum precibus mediantibus vacans pontificium libenter conferrent. Sed quia prędicti Principes unanimiter condescendere nolebant, magna discordia inter Capitulares ecclesiarum suborta est. Nam major pars Capitularium circiter LV. Nobilem virum Fredericum de Blanckenhem per ducem Gelriæ pręsentatum, postulabat Episcopum. Et minor pars circiter XXVII. fautores Comitis Hollandiæ Rogerum de Bronchorst per Comitem Hollandiæ præsentatum elegit in Episcopum, & quivis electorum suos nuncios versum Bonifacium Papam pro confirmatione acquirendâ concitò transmisit.

Thesaurarium.

De

De quadam discordiâ in Hollandiâ.

INterea cum prædicta agerentur, magna discordia in Hollandia exorta est, de quâ paulisper superius præmissum est. Nam Conradus Cuser Comiti Hollandiæ conquestus fuit, quomodo filius ejus Wilhelmus Cuser nocturnis tēporibus in ejus curiâ in ejusq; servitio trucidatus esset, nihilominus Dominos Borchgravium de Leidis, Theodricum de Asperen & ejus filium, duos juniores fratres de Lecká, Henricum Borchgravium de Montfoerde, Iohannem de Haemstede, & quam plures alios Nobiles & honestos, vulgariter dictos **Hoecx partye/** tanquam prædicti latrocinii conspiratores accusans; qui corpore & bonis dijudicabantur, eo quod coram judicio comparere non audebant. Comes Wilhelmus de Oestervant filius prædicti Comitis Hollandiæ consautor istorum **Hoecx partye** sibi partem assumpsit, & quia eos juvare nequiverat, irato animo à patre recessit. Et Domicellus Iohannes de Arckel, ac alii qui juxta patrem manebant, parum pacis inter patrem & filium loquuti fuerunt. Quamobrem Comes Hollandiæ permagno collecto exercitu dicti filii sui castrum de Outena vallavit in girum. Et quia Castrenses se concitò una cum castro reddere recusabant, præfatus Comes Hollandię ibidem sua erexit tentoria, ut prædictum castrum gravioribus infestaret assultibus, quod quidem castrum quibusdam horribilibus arceptis ferreis bombardis nuncupatis permagnos lapides ejicientibus, conquassabat. Quamobrem Iohannes Episcopus Leodiensis filius prædicti Comitis Hollandiæ cum suis Consulibus, nec non Consules Hannoniæ ibidem advenerunt, ut discordias inter patrem & filium extirparent, & bonum pacis reformarent. Qui inter Comitem Hollandiæ & Castrenses per hunc modum compositionem ordinaverunt: quatenus præfatum Castrum Comiti Hollandiæ traderetur, & castrenses salvâ vitâ discederent, qui usque Buscumducis, ubi Comes de Oestervant tunc temporis erat, salvi ducebantur. Acta fuerunt hæc ipso die Margaretę virginis anno quo supra. Igitur D. Fredericus de Blanckenhem ad preces D. Wilhelmi Ducis Iuliæ & Gelriæ confirmatus est per Bonifacium Papam non obstante quod Rogerus Thesaurarius Coloniensis ad instantiam Ducis Alberti ab aliquibus Canonicis electus fuisset. Hic primitus fuit Episcopus Argentinus. Iste anno M CCC xcv. cæpit castrum de Coeverden & Castrum de Rynensteyn in Dominio de Arckel. Hic erat in bellicis rebus strenuus, in Ecclesiasticis devotus, in pauperes largissimus. Tempore hujus in Diœcesi multa monasteria fundata sunt. Obiit anno M CCCC xxiv. in festo Sancti Dionisii in Castro de Horst, sed Trajecti sepultus. Rexit annis xxx. cum dimidio.

De electione Zwederi LII. Episcopi Trajectensis & ejus expulsione.

ANNO M CCCC xxiii. nonis Octobris quædam pars Capituli ad instantiam Adolphi Ducis Clivensis postulavit Rodolphum de Diepholt Præpositum Osnaburgensem, quædam pars Iohannem de Bueren Præpositum Aquensem & Beatæ Mariæ Trajectensem, sed D. Martinus Papa quintus contulit Zwedero de Culenburch Præposito majoris Ecclesiæ Trajectensis qui anno xxx. obtentâ confirmatione in festo ad vincula Petri Amersfordiæ receptus est, & posteà in crastino Bernardi intravit Trajectum & incathedratus est. Et anno sequenti D. Iohannes de Renes in vigiliâ Pentecostes cum paucis intravit Civitatem, & amicos sibi fecit, & Rodolphum introduxit & potenter incathedrari fecit, sive decrevit, quare plures Canonici propter hanc violentam intrusionem civitatem exierunt sequentes eorum verum Episcopum, & pars adversa intrusit alios Canonicos. Hæc acta sunt anno xxiv. Et ex his magna partialitas & guerra non solum in territorio Trajectensi, verum in Hollandiâ, Gelriâ & totâ Diœcesi sequuta est. Et per totam Diœcesin Rodolphus & sui excommunicantur, aggravantur, & reaggravantur, sed ut aspis surda nihil advertunt. Anno xxxii. Eugenius Papa quintus misit Legatum Episcopum Matisconensem qui rehabilitavit rebelles Trajectenses ab excommunicationibus & irregularitatibus, & tunc Episcopus Zwederus

derus ut exul & ab Episcopatu suo expulsus perexit Basileam ad Concilium, ubi eodem modo in nocte Mathæi Apostoli obiit & requiescit ibidem apud Carthusienses.

Anno M CCCC xxxi. Reynoldus Dux Gelriæ & Iohannes Dux Bavariç diffidarunt Trajectenses & Amersfurdienses, & etiam Iacobus de Gaesbeeck domicellus, qui incendit Amerongen, Doorn, Zeyst, & consequenter usque ad mænia civitatis. Et postea Reynoldus Dux, devastavit omnia suburbana opidi Amersfordię. Eodem anno, Martinus Papa misit Cardinalem nomine Brando ad prædicandam crucem contra Pragenses, & factum est magnum passagum, sed illuc pergentes parum profecerunt. Anno xxii. Hubertus D. de Culenburch instituit Collegium Canonicorum in Culenburch confirmatum per Fredericum Episcopum. Anno xxiii. Renoldus Dux Gelriæ subitò mortuus est prope Rosendael, & eodem anno Arnoldus filius Iohannis D. de Egmondâ, tanquam verus Hæres in Ducem receptus est, xiv. annum agens, & post hoc in festo Magdalenæ duxit Catharinam filiam Ducis Clivensis septem annorum. Anno xxiv. obiit Iohannes Dux Bavariæ postquam Hollandiam nomine tutorio septem annis rexisset. Anno xxvii. Philippus Dux de Burgundia circumvalavit oppidum de Sevenbergen qui timentes intestinum bellum resignaverunt se salvis juribus & privilegiis, vita & bonis. Eodem anno obiit Dux Brabantiæ, cui statim successit Philippus Dux Burgundiæ filius avunculi sui. Hoc anno Dux Philippus diffidavit Trajectenses propter rebellionem sedis Apostolicæ, & obsidens Amersfordiam, eam impugnavit, sed vulneratus retrocessit. Arnoldus Dux Gelriæ mille equestres in Amersfordiam misit munientes eam, sed factis treugis inter Zwederum & Gelrenses ex unâ, & Trajectenses ex aliâ, Gelrenses recesserunt sed post Amersfordenses invito Zwedero Episcopo & eo expulso Rodolphum cum Trajectensibus intromiserunt. Eodem anno xxvii. Rodolphus de Diephout diffidavit Ducem Gelriæ & intrans Veluam xviii villas exussit, spolia cepit, Ecclesias depredavit. E contra Gelrenses combusserunt Amerongen, Woudenberch & Trentiam, & reversi sunt cum magnâ prædâ ad propria Eodem anno in crastino Octavæ Petri & Pauli, Rodolphus cum Trajectensibus & Hoeckensibus combusserunt plures villas circa Rhenum scilicet Hoesden, Keysteren, Lienden, usque Ravensuade, sequenti die combusserunt monasterium in Insula Beatę Mariæ, & Trajectum redierunt, eodem anno feriâ sextâ, ante Esto mihi, terræ motus diu durans subvertit octo civitates & unam Abbatiam in Cataloniâ imo & magna civitas Terracona totaliter absorpta est, & ursus silvestris cum multitudine serpentium infinitum populum occiderunt, & magna civitatis pars in Catalonia Barcelona propter ejus ruinam non inhabitatur.

De confirmatione Rodolphi.

HIC post obitum Zwederi per Papam Eugenium consecratur in iii. Episcopum Trajectensem, aliqui tamen Canonici adhuc exules elegerent nobilem Domicellum Walramum de Moirsa in Dordraco, sed tandem factâ pace resignavit jus suum ad usus D Rodolphi, qui licet esset laicus Episcopatum tamen bene rexit, & fuit defensor cleri & Ecclesiasticarum personarum. Hæc acta sunt M CCCC xxxii. Tandem scilicet anno xlix. ipse Episcopus propter partialitatem à Trajecto expulsus, in crastino purificationis cum Amersfortensibus civitatem Trajectensem in nocte clam ingreditur, per foramen arcus, & sic cum Domino de Montfoort cepit civitatem, solo Episcopo de suis vulnerato, & Domicellus Iacobus de Gaesbeeck existens tunc temporis in civitate, quia favebat parti illi, captus est, & tandem per intercessionem Domini de Lanoy, tunc Regentis Hollandiæ concordatum est, quod oppidum de Duersteden cum castro & suis attinentiis, & Castrum de Abcaudâ, post ejus obitum redderentur Ecclesiæ Trajectensi, ipseq; Dominus levaret xiii^{m}. florenos Renenses, & sic liber exiret. Ipse Episcopus rexit & ordinavit singula ad suum bene placitum tanquam verus Dominus. Obiit autem Episcopus exul anno Domini M CCCC lv. In Castro Vollenhoe vigiliâ Annunciationis. Anno Domini M CCCC lvi. Philippus Dux Burgundiæ tempore Calixti Papæ provisionem Ecclesię Trajectensis obtinuit pro filio suo Domino David.

BERNARDVS FVRMERIVS LEOVARDIENSIS LECTORI S. P. D.



ON uno experimento deprehensum est, amice Lector, superiori sæculo cùm typis nondum repertis calamo scripta omnia exararentur, multa sæpe adjecta esse bonorum auctorum operibus, quæ ipsorum non erant. Nam cùm vel illustrandi vel explendi gratià non raro suos codices, qui curiosiores erant, glossematis vel appendicibus pro arbitrio suo adornarent, frequenter accidit, ut inertes & imperiti librarii, qui inter genuina & supposititia dijudicare non poterant, in contextum simul omnia referrent. Usu venit hoc cum aliis cujusvis generis scriptoribus, tum in primis Historicis: quod unusquisque ferè confirmandæ memoriæ suæ gratià, quæ vel apud alios legisset, vel usu vitæ ipse comperisset, in suos libros veluti classes debitas studiose perscriberet. Ejus facti exempla, ne longè aliunde petantur satis multa & diversa suppeditat hoc Chronicon IOHANNIS de BEKA, quod in varia descriptum exemplaria in multis locis multum habet addita. Suffridus Petri Leovardiensis Præceptor quondam meus quinque exemplaribus in hoc Chronico emaculando usus declarat eorum alia aliis longiùs fuisse producta, quæ ut cum dedicationis tempore pugnantia rejicienda arbitratur: retinet tamen eadem ad Historię veritatem. Ego autem nactus exemplar sextum, quod prioribus visum correctiùs, illud secutus sum, nec tamen ejeci ea, quæ alioqui commodè videbantur adjecta, etiamsi auctoris non essent propria. Exempli gratià, in proœmio scribitur: Est autem Hollandia, &c. usque ad verba: Huc usque liber de proprietatibus rerum. Ea verba omnia, quia non incommodè assuta erant, libenter retinuimus, quamvis in nostro libro non reperirentur, & sciremus illorum auctorem Bartholomæum Anglicum esse, qui Becano nostro fuit contemporaneus, & ideo sua conferre cum Becano non potuit, ut apud ipsum est videre. Item Suffridus Becanum affirmat in Iohanne de Arckel his verbis. *Comitatum Hollandiæ Wilhelmo Duci sive Palatino suo filio commendavit.* terminari & inde suam appendicem porrò adjungit: retinet tamen ea quæ ab aliis adjecta putat ad Historiæ continuationem. Ego illis omissis ea tradidi, quæ in meo codice inveni concinniùs addita, & majore cum gratià conclusa: appendicem Suffridi non mutavi, sed reliqui integram prout ab ipso perscripta est. Ut autem amice Lector rectè valeas dijudicare uter nostrûm melius fecerit ipsa verba quæ Suffridi libro sunt addita hic tibi annumerabo, quæ sic habent: *Quo Wilhelmo posteà amente facto tota terra Hollandiæ Dominum Marchionem Brandeburgensem fratrem ipsius Wilhelmi recepit in tutorem*: His itaque gestis anno Domini M CCC LX. Eduardus secundogenitus Reinholdi primi Ducis Geldriæ litigare cœpit cum Domino Reinholdo promogenito Duce Geldriæ fratre suo super Dominio Geldrię, & una pars Vasallorum & Burgensium terræ Geldriæ adhæsit Eduardo cùm esset agilis & strenuus in cunctis: alia verò consensit Reinholdo, qui est grossus corpore & pinguis: & eidem Reinholdo assistebat in adjutorio Iohannes Comes Clivensis; qui habuit Machtildim sororem ipsorum fratrum in uxorem. Tandem in quodam conflictu prædictus Eduardus captis quam plurimis armigeris, cepit & Reinholdum fratrem ejus supradictum: à quo resignatione Dominii extorta ipse Eduardus Ducatum rexit ut Dux x. annis. Et prædicto Eduardo assistebat adjutorio Dominus Iohannes Episcopus Trajectensis, & idem Episcopus ad vindictam malorum ecclesiæ suæ illatorum castrum Voerst circumvallavit, & expugnatum effregit. Deinde anno M CCC LXI. 2. Idus Septembris mortuus est Innocentius Papa VI. Avinione & XVIII. Calendas Octobris obiit Dominus VVilhelmus de Gennep, Archiepiscopus Coloniensis, & IIII. Nonarum Octobris major ac senior pars Capituli Coloniensis volentibus & petentibus omnibus Vasallis Nobilibus, & Militibus & Burgensibus Coloniensibus, Andernacensibus, Bonnensibus & Nussiensibus elegit Iohannem Dominum de Virneburch, Decanum Ecclesiæ Coloniensis; quem more solito intronizarunt illo die: sed Dominus Theodoricus de Gennep Florentius, & Godefridus fratres de Wevelichoven Canonicũ Coloniensem postularũt Dominũ Engelbertum

Vide quæ supra ad Bekam notata sunt.

bertum de Marca, Episcopum Leodiensem. Deinde anno Domini M. CCC. LXIII. XI. Calendas Iulii Dominus Urbanus Papa V. tunc in papatum assumptus, rejectis his duobus magnos sumptus facientibus providit de Ecclesiâ Coloniensis Adolpho de Marca tunc electo Ecclesiæ Monasteriensis, & ipsum transtulit ad eandem, & providit eidem Iohanni Coloniensi electo de Ecclesia Monasteriensi præd.cta. Qui Adolphus postmodum anno Domini M. CCC. LXIIII. spiritu concupiscentię sæcularis pompæ seductus missis procuratoribus certis cum mandato sufficiente renunciavit Archiepiscopatu, Coloniensi prædicto, & ipsum in manus Domini Papę prædicti resignavit. Dominus verò Papa ad supplicationem Capituli Coloniensis providit de eodem Archiepiscopatu præfato Episcopo Leodiensi, & ipsum transtulit ad eundem, & eodem die Papa transtulit Dominum Iohannem de Arckel ab Ecclesia Trajectensi ad Ecclesiam Leodiensem, & transtulit Dominum Iohannem de Virneburch ab Ecclesiâ Monasteriensi ad Ecclesiam Trajectensem, & providit Florentio de Wevelichoven supradicto Subdiacono Coloniensi de Ecclesiâ Monasteriensi supradictâ. Hactenus Liber Suffridi. Quæ quidem nos ideò omisimus, quod nostra putaremus meliora. Lectoris esto judicium. Sunt præterea in Becano quædam errata Chronologica notatu digna; quæ in margine obiter indicavimus, quæ *Princeps quidem Wilhelmus Heda Præpositus Arnhemensis in suis scriptis animadvertit, sed non emendavit: Ianus autem Dousa Nortvici Dominus corrigere voluit, sed per omnia non potuit, quamvis in eam rem diligentem operam navarit: qualia sunt quæ Becanus de etymo Hollandiæ, de donatione Caroli Calvi, de assignatione Wasdę, &c. reliquit scripta, quæ uti diximus Heda primus reprehendit, & post eum Dousa. Nos autem quia ista in nostris Frisiorum annalibus planissimè & pleno, quod ajunt, ore, validissimisque argumentis refutavimus, & in eorum locum veritatem reposuimus, supervacuum putamus eadem hic repetere, præsertim cùm Historiam dicti Wilhelmi Hedæ huic operi statim simus, subjuncturi, si Deus vitam dederit & facultas sumptum. Dabimus etiam propediem nostros annales, in quibus privilegium patriæ suo auctori primi restituimus; deinde Comites Hollandiæ à Gerolpho Frisio orsi suam originem docuimus, assignatis donationem in ipsis factarum veris epochis, non ex conjectura, sed antiquis documentis, quæ apud ipsos Hollandos invenimus. Quibus productis pudore illos suffundemus, qui hactenus in suis rebus tam cæci fuerint, & tamen Frisios, ut populum imperitum & inertem, vanissimè reprehendere sunt ausi. Verum enimvero soli Deo Opt. Max. Trino & Uni sit gloria, qui sapientiam dat parvulis, & humilibus gratiam: qui quærentibus veritatem prope est. Illi Lector candide, te commendo, ut opellam hanc boni consulas ore. *Vale.*

* *Primus.*



APPENDIX

SUFFRIDI PETRI LEOVARDIENSIS FRISII U. I. C:

AD

CHRONICON
IOHANNIS DE BEKA,

Deducta usque ad annum Christi 1574.

CATALOGUS

Episcoporum Ultrajectinorum, & Comitum Hollandiæ, qui

EPISCOPI Ultrajectini,	*ceperunt Anno Domini*	*COMITES Hollandiæ.*
1. S. VVillibrordus, qui & Clemens, sedit annis 40.	696.	
2. S. Winfridus, qui & Bonifacius: sedit annis 16.	736.	
3; S. Gregorius: sedit annis 32. 22.	752.	
4. S. Albricus: sedit annis 10.	784.	
5. S. Theodardus, sive Thiadardus, sedit annis 6.	794.	
6. S. Harmackarus, qui aliis Hermacurus, aliis Harcamacarus, aliis Erwakirus: sedit annis 27.	800.	
7. S. Rixfridus: sedit annis 7. 33.	827.	
8. S. Fredericus, sedit annis 2.	834.	
9. S. Alfricus, aliis Albricus, aliis Albertus: sedit annis 19. 16.	836.	
10. S. Ludgerus, sedit anno uno.	558.	
11. S. Hungerus, sedit annis 10. 11.	856.	

S. Odil-

EPISCOPI Vltrajectini.	*ceperunt Anno Domini*	*COMITES Hollandiæ.*
	863.	1. Theodoricus primus præfuit annis 38.
12. S. Odilbaldus ſedit annis 34.	866.	
13. S. Egilboldus, aliis Eivoldus, ſedit menſes 6. vel,ut alii volunt 10.	900.	
14. S. Radbodus ſedit annis 17.	901.	2. Theodoricus ſecundus præfuit annis 86.
15. S. Baldricus ſedit annis 59.	918.	
16. S. Folckmarus, alii VVolckmarus ſedit annis 13.	977.	
	988.	3. Arnulphus, aliis Arnoldus, præfuit annis 5.
17. S. Balduinus ſedit annis 4.	990.	
	993.	4. Theodoricus tertius præfuit annis 46.
18. S. Aufridus aliis Anſfridus ſedit annis 14.	994.	
19. S. Adelboldus ſedit annis 19.	1008.	
20. Arnulphus, aliis Bernoldus, aliis VVarnulphus, ſedit annis 27.	1027.	
	1039.	5. Thedoricus quartus præfuit annis 9.
	1048.	6. Florentius primus præfuit annis 14.
21. VVilhelmus de Geldria, Aliis Hermannus,	1054.	
ſedit annis 21.	1062.	Propter juventutem ſequentis Theodorici Comitatus 4. annis variè ex hinc jactatus fuit, de quo vide Becanum cap. 21.
22. Conradus ſedit annis 24.	1075.	
	1076.	7. Theodoricus quintus præfuit annis 20.
	1096.	8. Florentius ſecundus præfuit annis 30.
23. Burchardus ſedit annis 13.	1099.	
24. Godebaldus ſedit annis 15.	1112.	

EPISCOPI Ultrajectini.	*ceperunt Anno Domini*	*COMITES Hollandiæ.*
	1126.	9. Theodoricus sextus præfuit annis 37.
25. Andreas de Kuyck sedit annis 11.	1127.	
26. Hardebertus, aliis Harbertus, aliis Harpardus, aliis Heribertus de Beron, sedit annis 12.	1138.	
27. Hermannus de Horn sedit annis 6.	1150.	
28. Godefridus de Rhenen sedit annis 22.	1156.	
	1163.	10. Florentius tertius. præfuit annis 27.
29. Baldevinus de Hollandia sedit annis 18.	1178.	
	1190.	11. Theodoricus septimus præfuit annis 11.
30.31. Arnoldus ab Isenburch, & Theodoricus ab Hollandia sederunt simul annis 2.	1196.	
32. Theodoricus de Are sedit annis 4.	1198.	
	1201.	Ada filia Theodorici superioris consilio matris Ludovico Comiti de Loon præter consensum patriæ nupta, jure hæreditatis integro ferè anno, cum sequenti Wilhelmo patruo suo de rerum summâ contendit, & mortua mox ei Comitatum reliquit: Ideoque cum inaugurata non fuerit, Becanus eam in numerum Comitum non retulit, quæ causa est, cur alii Comites Hollandiæ uno plures numerent.
33. Otto de Geldria sedit annis 3.	1202.	
	1202.	12. Wilhelmus primus præfuit annis 19.
34. Otto de Lippia sedit annis 20.	1205.	
	1221.	13. Florentius quartus præfuit annis 13.
35. Willibrandus de Oldenburch sedit annis 8.	1225.	
36. Otto de Hollandia sedit annis 16.	1233.	
	1234.	14. Wilhelmus Secundus præfuit annis 24.
37. Goswinus ab Aemstel sedit plus minus anno uno.	1249.	

Floren-

EPISCOPI Vltrajectini.	*ceperunt Anno Domini*	*COMITES Hollandiæ.*
38. Henricus de Vienna, ſive de Vianda, ſedit annis 17.	1250.	
	1255.	15. Florentius Quintus præfuit annis 41.
39. Iohannes de Naſſouwen ſedit annis 21.	1267.	
40. Iohannes de Zirck ſedit annis 11.	1288.	
41. Wilhelmus de Mechlinia ſedit annis 5.	1296.	16. Iohannes primus præfuit annis 4.
	1300.	17. Iohannes Secundus præfuit annis 4.
42. Guido de Hannonia ſedit annis 16.	1301.	
43. Fredericus de Zirck ſedit annis 5.	1304.	18. Wilhelmus tertius præfuit annis 33.
	1317.	
44. Iacobus de Ooſthorn ſedit menſes 2.	1322.	
45. Iohannes de Dijeſt ſedit annis 18.	1322.	
	1337.	19. Wilhelmus quartus præfuit annis 8.
46. Nicolaus Caputius ſedit vix integro anno.	1340.	
47. Iohannes de Arckel ſedit annis 23.	1345.	20. Margarita defuncti Wilhelmi ſoror, & Ludovici Imperatoris uxor, præfuit annis 6.

HActenus igitur illos, tum Epiſcopos, tum Comites recenſuimus, quos Becanus commemorat, ſubjiciemus nunc eos porrò, qui Appendice noſtrâ continentur. In quorum ſerie quod Epiſcopum Iohannem de Arckel, & Imperatricem Margaritam conſpicias, qui in ſuperiori quoque Catalogo viſuntur, ideo fit, quod nos eorum res geſtas à Becano inchoatas proſequamur: Ab anno enim 1345. *in quo ille deſinit, nos auſpicamur.*

EPISCOPI Vltrajectini.	*ceperunt Anno Domini*	*COMITES Hollandiæ.*
47. Iohannes de Arckel ſedit porrò annis 19.	1345.	20. Margarita Imperatrix præfuit annis 6.
	1352.	21. Wilhelmus Quintus præfuit annis 25.
48. Iohannes Varneburgenſis ſedit annis 7.	1364.	
49. Arnoldus Hornenſis ſedit annis 7.	1371.	

EPISCOPI Vltrajectini.

50.
Florentius Wevelichovius
sedit annis 13. mensibus 5.
51.
Fredericus Blanckenhemius
sedit annis 30. mensibus 6.
52.
Zuederus Culenburgius
sedit annis 29.
53.
Rodolphus Diepholdius
sedit annis 23.
54.
Gisbertus Bredenrodius
præfuit annis non plenè duobus
55.
David Burgundio
sedit annis 39.
56.
Fredericus Badensis
sedit annis 20.
57.
Philippus Burgundio
sedit annis 8.
58.
Henricus de Bavaria
sedit annis 5.
59.
Wilhelmus Enckefortanus
sedit fermè annis 7.
60.
Georgius Egmondanus
sedit annis 24.
61.
Fridericus Schenck à Tautenburch

ceperunt Anno Domini — *COMITES Hollandiæ.*

22.
1377. Albertus Dux Bavariæ
præfuit annis 27.
1379.
1393.
23.
1404. Wilhelmus Sextus
præfuit annis 12.
mensibus 6.
24.
1417. Iacoba filia Wilhelmi
præfuit annis 19.
1425.
1433.
25.
1436. Philippus Burgundus
præfuit annis 31.
1455.
1457.
26.
1457. Carolus Burgundus
præfuit annis 9. mensibus 6.
1496.
27.
1477. Maria Burgundiaca
præfuit annis 5. mensibus duobus.
28.
1482. Philippus Austriacus
præfuit annis 24.
29.
1506. Carolus Austriacus
præfuit annis 49.
1516.
1524.
1529.
1536.
30.
1555. Philippus Hispaniarum Rex.
1560.

Præmisso

Præmisso hoc Catalogo jam ad rem accingamur, & Episcoporum Comitumque res gestas, quæ à Becano pertractata non sunt, paucis hinc porrò jam explicemus. ANNO DOM.

47.

IOHANNES de ARKEL:

sedit porrò annis 19.



Ohannes de Arkel Episcopus Anno 1346. propriis expensis oppidum Renen muris & propugnaculis communivit, urbemque suam factiosis, qui Gunterlingi appellabantur, proscriptis & ejectis repurgavit. Cumque per Prædecessorem suum Iohannem de Diest Episcopatus grandi ære alieno gravatus esset, ut hoc exolveret commodius, sex viros constituit, qui Episcopatus negocia administrarent, debitaque exolverent, ipseque clàm cum exiguo comitatu Turonas in Galliam concessit, ut ibidem viveret incognitus, & ex parsimoniâ vectigal certissimum colligeret: Sed cum rebus ipsis experiretur se domi non condos, sed promos, non amicos, sed hostes reliquisse, anno tandem 1348. ad festum S. Iohannis Baptistæ reversus est, omniaque & tumultibus perturbata, & debitis implicita invenit. Zuederus enim * de Loo, qui ex Sexviris unus erat, templum de Emâ captum profanavit, atque in castrum conformavit; Eminessenses quoque præter pacta conventa deserunt, & se Orientales Hollandos nominarunt: quos Episcopus armata manu mox in ordinem redegit. Interim verò dum & Hollandiæ Comes Episcopum bello lacesseret, Gisbertus de Bronckhorst etiam adversus eum insurrexit, ac præsidium de Goer in contumeliam ejus exussit. Quin & ipsum vicissim Episcopus durantibus Hollandicis induciis, ferro flammisque persecutus, cùm alias ejus Dominii villas, tum etiam Borckeloum vastavit: Quin etiam Reynaldus Geldriæ Dux, ac frater ejus Eduardus, quoniam Wilhelmo Hollandiæ Comiti suppetias tulerunt, Episcopum vexarunt: Finitis igitur induciis Hollandicis anno sequenti, hoc est, 1349. postridie Annunciationis, Episcopus cum civibus Trajectensibus expugnavit atque evertit, civitatem Oudewaterensem, ut præsenti cum interitu oppidanorum, ita non sine magnâ jacturâ suorum: Perierunt enim in eâ expugnatione ex Capitaneis Episcopi Domin. Iohannes Risenburgius, Domin. Iacobus & Dn. Iohannes Lichtenbergii, & Everardus Drielensis: Mox rursus Hollandos ad Schoonhoviam, quam expugnare parabat, sibi cum magnis copiis occurrentes fudit: Ex quo prælio Episcopus locupletior factus est, ob spolia, & redemptiones captivorum, quos multos ac potentes ibi consecutus est: Mox rebus suis utcumque compositis, Gerardum van den Veen Episcopatus administratorem fideliorem constituit, & eodem parsimoniæ proposito Romam concessit, ibidemque tum permansit, usque ad annum 1351. Interea verò Zuederus de Loo, Iohannes Woudenbergius, itemque Gisbertus Stoutenburgius, Iohannes Culenburgius, & Henricus Vianensis, qui priori profectione ab Episcopo gubernatores Dominii relicti fuerant, animadvertentes Episcopi absentiam alioqui diuturnam fore, partim quod Gerardo van den Veen inviderent, partim quod ex illius laude sibi vituperium imminere prospicerent, modis omnibus apud Capitulum id egerunt, ac tandem effecerunt, ut Episcopus domum revocaretur. Qui reversus in festo S. Ægidii, multum ac diu cum hisce atque aliis colluctatus, tandem improbitatem eorum contudit, & superatis indigna ademit, digna restituit, totumque Episcopatum ære alieno liberavit, factionibus oppressis, pacavit, & restitutâ Iustitiâ in statum pristinum reduxit inter proximum quadriennium: adeò quidem ut quæ unquam antecessores ejus vel minus justè amiserant, vel majori necessitate obligaverant, ipse recuperarit, ac liberaverit universa, tantâ cum æquitate, ut etiam hi quibus adimebantur, secum bene actum faterentur: Itaque tum animum adjecit ad exornandas Ecclesias, ac dirutas quidem restauratas libris optimis, calicibus, aliisque pretiosis ornamentis instruxit. In summâ etiam Ecclesiâ pretiosissimam Mitram cum baculo pastorali argenteo deaurato, quibus verus Episcopus & Dn. Tra-

Margin: 1346. — 1348. * Vterloo. — 1349. — 1351.

ANNO *EPISCOPI ULTRAJECTINI.*

DOM. Dn. Trajectensis in suâ novâ introductione investiretur & coronaretur, propriis expensis
1355. magnificè fabricari fecit. Cæterùm ut nihil stabile est in rebus humanis, anno 1355 Wilhelmus Hollandiæ Comes mense Novembri in festo S. Martini bellum Episcopo indixit, adversus quem etiam illo authore mox omnes pene vasalli ac subditi sui rebellarunt simul, inter quos tamen præcipui fuerunt Dn. Arnoldus Isselstenius, D. Iohannes Culenburgius, D. Iohannes Harlarius, Dn. Iohannes Langerakius, D. Gisbertus Nyenrodius, Dn. Iohannes Bloemstenius, D Soudinus Rhenanus Henrici filius, D. Iohannes Schonouvius, D. Zuederus Nessenus, D. Gerardus Vlietenus: Itaque cum his aliisque Ducibus ingentem exercitum cùm Comes contraxisset in Trajectensem provinciam impetum fecit, omniaque ferro flammisque vastavit, usque ad Coten, ubi diebus octo continuis per superioris territorii pagos ac villas grassatus est. Episcopus verò copiis collectis externis, cùm & cives Trajectenses, ut solebat, una secum ad prælium adversus hostes educere niteretur, comperit cives à conjuratis per D. Isselstenium, & D. Culenburgium, & D. Vianensem jam corruptos esse, ita ut nec minis, nec blandiciis ullis induci possent ad profligandos hostes Episcopi. Perpendens itaque secum Episcopus, quod cum solis externis militibus hosti impar futurus esset, simulque metuens, ne, si temere urbe excederet, forte ipso excluso, hostis reciperetur, quamvis gravatim, mansit tamen intra septa urbis: Interea temporis cùm D. Sleidanus, & D. Diclenus, cum 40. armatis ad Comitem Wilhelmum tenderent, & errore viarum in Montfortum inciderent, omnes ibi capti, & in gratiam Episcopi custodiæ traditi sunt: pacatis autem & re-
1356. conciliatis progressi temporis civium animis, Episcopus anno proximo, hoc est, 1356. post conversionem S. Pauli, Wesopense & Mudense oppida vi expugnavit ac diruit: Tandem verò cùm & Comes iterato territorium Episcopi potenti exercitu invaderet, & contra illum se pararet Episcopus; fuerunt, qui intercessione suâ pacem componerent, eâ quidem (ut traditur) conditione, ut quisque sua, quæ ablata essent reciperet, ac D. Gisbertus Vianensis reædificaret castrum suum de Goy, & Comes Wilhelmus in posterum de proscriptis ab Episcopo non faceret litem suam: Insuper omnes utriusque partis captivi liberi dimitterentur, Septemque proscripti, quos Gunterlingos appellabant, reditum ad sua haberent: Quibus utrimque præstitis, Episcopus, ut vir minimè tenax injuriarum, & non minùs ingenio clemens ac propensus ad ignoscendum, proscriptis omnibus in Vniversum veniam delictorum dedit. Eâque ratione & sibi gratiam apud subditos, & subditis tranquillitatem stabilivit, quam ex
1360. hinc ad multum tempus summâ cum omnium lætitiâ obtinuit: Idem Episcopus anno 1360. in Zallandiâ intra Wegestapel & Bathman primum ligneum, deinde lapideum castrum ædificavit, quod Arckelstenium appellatum est: ut eo tum Zallandos ipsos in officio contineret, tum etiam prædones ac raptores cohiberet. Anno sequenti idem Episcopus Stellingwervios, Steenwickerwoudios & Ommelandios Ditionis suæ existentes, sed jussa facere detrectantes armatâ manu in ordinem redegit: Sed Stellingwervios mox rebellantes iterato aggressus arctiori disciplinâ coercuit, sic ut ipsi detrimento suo, alii ipsorum exemplo se deinceps in officio continerent. Hoc etiam anno contentio inter duos fratres Reinoldum & Eduardum accidit ob Ducatum Geldriæ, quam & Episcopus ex parte fovit. Illud hic addendum
1351. est, Anno 1351. per Geldriam subortas esse factiones duas, quarum altera Hekers, altera Bronckhorst appellabatur, per quas ultro citroque omnia scelera perpetrabantur, non aliter quàm eadem tempestate apud Hollandos inter Asellatos & Hamatos, apud Frisios inter Schiringos & Vetcoperos: Sed hæc Geldrica factio decem annis grassata, postquam Eduardus rerum potitus fuit, utcunque sopita, non ante recruduit, quàm ille vitâ defunctus est: Reinoldo igitur adhærebat factio Hekers, Eduardo autem Bronckhorst, quibus inter se diu vario Marte concertantibus, tandem Eduardus victor, capto Reinoldo Ducatus resignatio-
1361. nem extorsit, eundemque per decem integros annos in captivitate tenuit: Anno 1631. Episcopus circa festum Nativitatis Mariæ bellum indixit D. Zuedero de Voerst, quod is ex castro Keppelensi nimium infestaret Transisulanos. Ideoque Zuollenses, Campenses, ac Daventrienses Episcopo adversus hostem communem libenter suppetias tulerunt. Sed cum hac vice minus fœlici Marte pugnaretur, anno sequenti feriâ quintâ post festum S. Iacobi adjuncto sibi una cum prædictis auxiliaribus nepote suo D. Ottone de Arkel, quindecim hebdomadis obsedit munitissimum castrum de Voerst, & nono die Novembris per deditionem cœpit,

cœpit, ac solo equavit. Anno 1364. mensis Februarii die 10. Episcopatus aggeribus clausit, & adversus impetum aquarum communivit terram Mastenbrouckensem, ejusque proventus Trajectinę sedi acquisivit. Mediam tamen portionem decimarum ad honorem sanctorum Confessorum Lebuini & Radbodi Ecclesiæ Daventriensi contulit: Hoc igitur anno, cùm jam viginti tribus annis Episcopatum administrasset D. Iohannes de Arckel, & prædiis castrisque auxisset, ære alieno liberasset, ornamentis Ecclesiasticis ac privilegiis condecorasset, per Pontificem Vrbanum quintum Trajecto Leodium transfertur, ac 14. mensis Aprilis clero ac populo Trajectino valedicens, Leodium commigravit, intravitque urbem penultimâ die Iulii sequentis, Comitatus Duce Geldrię, & Comite Varneburgio, & Dñ. Ottone de Arkel, multisque aliis magnatibus. Quantâ autem cum dexteritate Leodiensem Episcopatum administravit, ex Chronicis Leodiensium intelligi poterit, quæ nos favente Deo brevi in lucem daturi sumus. Tandem verò cùm ex hinc Sedi Leodiensi pręfuisset annis quatuordecim vitâ defunctus est, anno 1378. primâ die Iulii, & quoniam ita voluerat, Leodio Trajectum relatus honorificè sepelitur in summâ Ecclesiâ ad plagam australem apud sororem suam Comitissam de Dotterheim. Intestina ejus vase puro recondita Leodii sepulta sunt, in Monasterio Wilhelmitarum.

Anno Dñ. 1364.

Bockenberg. habet 22. 1348.

COMES HOLLANDIÆ 20.

Margarita Imperatrix præfuit in totum annis 6.

Margarita igitur Imperatrix Ludovici Quarti uxor, ac soror Wilhelmi defuncti, eo pacto quo Becanus dixit adepta Comitatum, Wilhelmo filiorum suorum natu maximo Duci Bavariæ, Comitique Palatino gubernandum commendavit: eâ tamen conditione, ut sibi ille pensionem decem milium Scutatorum Franciæ annuam persolveret, aut si minus id præstaret gubernatione Comitatus sine tergiversatione cederet: Matre igitur in Bavariam regresśâ, Wilhelmus prioribus quidem annis nihil omisit, quòd ad officium boni gubernatoris pertineret, nisi quod annuam pensionem matri promissam non solveret. Anno 1348. Wilhelmi pater Ludovicus Imperator ex venatione reversus, cùm de equo descenderet, spiritu repente destitutus est. Anno eodem Wilhelmus Episcopum Trajectensem Iohannem de Arkel aggressus est apud Isselstenium super aggere, & exussit villam Iutfasiam, ibidemque Episcopum per octiduum præstolatus est: Sed Episcopus collectis quatuor armatorum milibus interim terram Aemsterlandiensem, & Woerdensem flammâ ferroque vastavit: mox autem Ducis Lymburgensis, Comitis Clivensis, & *Comitis Hannoniæ intercessione induciæ inter Comitem Wilhelmum & Iohannem Episcopum compositæ sunt usque ad festum S. Martini in sequenti Novembri. Quin etiam Reinaldus Dux Geldriæ, & frater ejus Eduardus quoniam Wilhelmo confœderati erant, simul Episcopum impetiverunt. Quibus ille Dñ. Fredericum Esensem, Dñ. Voerstensem, & Dñ. Kuynerensem opposuit. Sed anno insequenti mox intercessione Principum hoc bellum compositum fuit: Interea temporis, hoc est, anno 1350. Dñ. Margarita Imperatrix, Hollandiæ Comitissa, dolens & indignata, quod ex promissâ pensione annuâ Comitatus nomine teruncium non reciperet, cum ingenti Comitatu Dordracum appulit, ac Wilhelmum filium eodem ad se vocavit, qui veniens secundum pacta conventa. Matri gubernationem liberè resignavit, causatus se ex proventibus Hollandiæ promissam summam annuatim corradere non posse: eoque facto Matrem ibidem relinquens, in Hannoniam concessit: Mox & ipsa Margareta in Hannoniam profecta est. Constituto Hollandiæ gubernatore altero filio suo Ludovico Duce Bavariæ, & Rege Cracoviæ. Qui quidem cùm in Hollandiam non veniret, multis magnisque calamitatibus occasionem dedit: nam cùm status publicus ibi toto ferè anno sine capite certo fluctuaret, aliis privatim aliter tumultuantibus perniciosissimæ duæ factiones pullularunt, quæ non modò inter subditos concordiam penitus omnem everterunt, sed etiam filium Wilhelmum adversus Matrem Imperatricem instigarunt. Altera pars nomen ab Asello pisce sumpserat, cujus fautores populari linguâ **Cabbeljaus** dicebantur, nos Asellatos vocare possumus: Altera se ab

** Quis iste C. Hannoniæ an mater Wilhelmi?*

ANNO DOM. ra se ab Hamo venditabat, quo scilicet Asellus capitur, & Hoex dicebatur, nos proinde Hamatos appellabimus: Asellatę factionis Antistites in primis fuerunt. Dñ. de Arkel, Dñ. de Egmondâ, Dñ. de Heemskercke, Dñ. de Borsele, Dñ. de Gaesbeke, & inter civitates Dordracum, Delphi, & Harlemum, cum pluribus aliis: Hamatæ verò factionis capita præcipua fuerunt, Dñ. Bredenrodius, Dñ. de Leckâ, Dñ. de Binchorst, & civitates Amsterodamum, Leyda, cum aliis: Asellati ergo, ut eventus docuit, ubique ferè superiores, tantâ rabie grassati sunt, & intra hujus anni spatium adversariorum munitissima castra septendecem solo ęquarent: Quo detrimento indignati Hamati, Imperatricem appellarunt, ut se de inimicis justo supplicio sumpto vindicaret: Asellati verò ut se adversus ingruentem vim superioris potestatis communirent, ingentibus promissis Wilhelmum ad repetendam Hollandiam sollicitarunt: qui quamvis primo satis ingenuè recusasset, se invitâ Matre id esse facturum, tandem tamen perpulsus est, cùm & Comitatum non jam titulo gubernationis, sed hæreditatis jure sibi offerri cerneret, simulque confideret partium suarum potentiâ se factionem adversariam facilè superaturum: cùm itaque Gorichum clàm ad Dñ. de Arkel venisset, certiores facti Dordracenses, Delphenses & Harlemenses cum cæteris Asellatis eò confluxerunt, & adductum Wilhelmum ingenti cum solennitate primum Dordraci, deinde in aliis aliquot oppidis, planè autem per totam Kenemariam & occiduam Frisiam dato & accepto fidelitatis jurejurando in genuinum & hæreditarium Hollandiæ Comitem inaugurarunt, & hoc jam Duce freti, ad reliquias adversæ factionis extirpandas porrò se paraverunt. Hamati itaque his obstupefacti castra sua restaurare, restaurata communire, & assiduis literis ac nunciis præsentiam Imperatricis flagitare. Quæ quidem cùm per literas filium officii admonuisset, nec responsum satis æquum ab eo recepisset, tandem, quod cum gratiâ impetrare non poterat, per vim sibi efficiendum existimavit, ut ille Hollandiâ excederet. Contracto igitur utriumque ingenti exercitu, anno 1351. bis concurritur. Primum quidem in Walachriâ ante civitatem Veriensem, ubi victus Wilhelmus in Hollandiam confugit. Posteà verò prælio navali supra Mosam inter Bryelas & Gravesantium, ubi victa Imperatrix in Angliam se recepit: venerant autem in subsidium Imperatrici, primum Hamati omnes, & tota Zelandia, Franci deinde Hannonienses & Angli: nam Philippa soror Imperatricis Regi Angliæ nupta erat: Wilhelmo adhærebãt è contra Asellati universi, & cum his tota septentrionalis Hollandia, Kenemaria item, & Occidentalis Frisia, & ex Zelandiâ D. Mactildis de Voern, D. Iohannes Culenburgius, itemque Dux Geldriæ & complures alii. Concors est Scriptorum traditio, posteriori conflictu, qui ipso die translationis S. Martini accidit, tantam hominum stragem fuisse editam, ut aqua Mosæ per tres usque dies colorem sanguineum repræsentaret: Tantâ igitur clade debilitatis & contritis utriusque partis viribus, tandem intercessione Principum, ita Matri filius reconciliatus est, ut Wilhelmus Hollandiam, Zelandiam, & Frisiam jure hæreditario retineret, Imperatrix ad vitæ terminum optineret Comitatum Hannoniæ: Imperatrix igitur Hollandiâ relictâ in Hannoniam reversa quinque supervixit annis.

1356. Annoque demum 1356. Valencenis obiit ac sepulta est: fuerat autem hæc Margarita filia Wilhelmi tertij Comitis Hollandiæ, quæ nupta Ludovico Duci Bavariæ, ac demum Romanorum Imperatori, ex eo suscepit filios tres, hunc ipsum Wilhelmum Comitem Palatinum, Ludovicum Regem Cracoviæ, & Albertum Marchionem Brandeburgensem, qui Wilhelmo tandem in Comitatum Hollandiæ successit: Imperatrix autem ut antea dictum est, præfuit annis 6.

EPISCOPUS ULTRAJECTINUS 48.

Iohannes Vernenburgensis sedit annis 7.

IOhannes Vernenburgensis anno 1364. octavo die Septembris cum decenti comitatu Trajectum intravit, ubi magnâ solennitate in sedem Episcopalem collocatus est. Hic ante fuerat Episcopus Monasteriensis, & per Pontificem Urbanum quintum Monasterio Trajectum translatus est, vir planè bonus ac modestus: fuerunt ei tamen etiam quamvis invito gerenda bella. Nam anno sequenti filios D. Velenii ex Diœcesi Monasteriensi Transisulaniam

ſiſulaniam infeſtantes, ob diuturnas ac graves ſuorum querelas armatâ manu compeſcuit: Et ANNO
anno 1366. Amerſvordienſes conſuetum vectigal ac tributum negantes, ad obedientiam re- DOM.
duxit. Hoc anno 13. Martii mortuus eſt venerabilis Pater Baldevinus à Sterckenburch, par- 1366.
tium Friſiæ, qui fuit Epiſcopus Tripolitanus, fidelis coëpiſcopus D. Iohannis de Arckel,
ac ſepelitur in Monaſterio S. Servatii Trajecti, cujus tumba magnificis ſumptibus poſt mo-
dum expolita fuit anno 1372. Cæterùm anno 1368. in profeſto Sanctorum Apoſtolorum 1368.
Symonis & Iudæ, cùm Epiſcopus eſſet in oppido Gora cum familiâ ſuâ, neque fideliter ex-
cubiæ ſervarentur, ex improviſo hoſtes aliquot ejus nuper ab ipſo proſcripti, videlicet Io-
hannes * Zuolmanus, Simon Zuolmanus, Engelbertus Sallius, Otto Kenemadeus, Henri- * Zuolvii.
cus Scumæus Hunderbergenſis, Hermannus Tuickelenſis, cum pleriſque aliis ſcalis admotis
mœnia conſcenderunt, & irruptione factâ, interfectis quatuor ejus familiaribus, Epiſco-
pum ipſum unà cum tredecim amicis ſuis ceperunt, avexeruntque: qui ſe mox ſexdecim mil-
libus ſcutatorum antiquorum redemit, & cùm pecuniâ præſens non eſſet, ſpoponderunt
pro ea, D. Iacobus Soudenbalchius, Abbas Oeſtbroukius, D. Giſbertus Vianenſis, D Zue-
derus Vianenſis, D. Stephanus Nyeveldius, D. Gerardus Vrenckius. Quibus Epiſcopus
viciſſim in hypothecam aſſignavit omnia caſtra omneſque munitiones, cuncta prædia mini-
ſterialia, & omnes proventus Territorii inferioris, inſuperque & caſtrum Vollenhovium
cum ſuis adnexis, donec expenſa pecuniæ ſumma eiſdem eſſet ad aſſem reſtituta: quæ res E-
piſcopatum valdè debilitavit. Tandem verò idem Epiſcopus cùm in magnis anguſtiis Epiſ-
copatum adminiſtraſſet annis ſeptem, repentè extinctus eſt, ſine ullâ notitiâ præcedentis 1371.
morbi: quare non defuerunt, qui veneno ſublatum exiſtimarent: Sepelitur autem non ad-
modum ſolenniter in majori Eccleſiâ.

EPISCOPUS ULTRAJECTINUS 49.

Arnoldus Hornenſis ſedit annis 7.

CUm igitur Epiſcopus D. Iohannes Vernenburgenſis ſepultus eſſet, quidam Capitu-
larium, cum quibus & totum Capitulum Daventrienſe conſenſit, elegerunt ſuum
Præpoſitum Eccleſię Trajectenſis D. Zuederum Uterloo, quem tamen alii rejece-
runt; Pontifex igitur Urbanus veritus ne ſciſma gravius aliquod malum operaretur, ipſe Epiſ- *Urbanus V.*
copatum contulit illuſtri ac integro viro, D. Arnoldo Hornenſi, illuſtriſſimi Domini Hor- *obiit anno*
nenſis filio, qui tum temporis in Curiâ Romanâ verſabatur: qui quidem ibidem mox conſe- *1370. teſte*
cratus, & quàm potuit ocyſſimè deſcendens, cum decenti comitatu Nobilium Trajectum *Onuphrio*
veniens anno eodem 1371. in feſto S. Michaëlis, magnâ cum ſolennitate in Cathedram col- *Panvinio.*
locatus eſt Epiſcopus 49. Hic Epiſcopus ea quæ per Iohannem Dieſtenſem, & per Iohan- 1371.
nem Vernenburgenſem oppignorata erant, quam potuit ocyſſimè redemit ac liberavit, & ſi
quas veterum factionum reliquias Trajecti invenit, prorſus eradicavit. Mox autem cùm poſt
obitum Ducum Eduardi atque Reinaldi factionibus Hekerenſium ac Bronckhorſtiorum re-
crudeſcentibus ea patria differreretur, Epiſcopus Hekerenſium partes ſecutus bellis externis
multum occupatus fuit, ut Bronckhorſtiis contritis viduam Ducis Cliviæ Duciſſam efficc-
ret Geldriæ. Anno autem 1374. D. Zuederus Gaeſbekenſis tametſi eâ conditione ſub ju- 1374.
risjurandi fide caſtrum Vredelandiam una cum territorio ſuo gubernandum ab Epiſcopo du-
dum accepiſſet, tamen illud non ſolùm Hollandis prodidit, ſed & hujus quoque præſidio u-
na cum hiſce Trajectenſes ultrò infeſtabat hinc igitur inter ſe commiſſi Dux Albertus &
Arnoldus Epiſcopus, mutuis rapinis aliquandiu graſſati ſunt, Epiſcopus in Hollandiam uſ-
que Suamerdamum penetravit, multaque inde ſpolia abſtulit. Dux verò Albertus caſtrum
Loenum accepit traditione Zuederi, & caſtrum Gildenburgium per deditionem occupavit,
aliaque multa damna Territoriis Trajectinis fecit. Caſtrum tamen Gildenburgium Epiſcopus
armatâ manu in feſto Sanctorum Timothei & Symphoriani recuperavit. Dux mox per de-
ditionem cepit caſtrum Vulvenhorſtium, & caſtrum Holenſtenium. Wilhelmus Rheſius ex
parte Epiſcopi Iſelſtenium ſpoliavit. Tandem verò 1375. inter Ducem & Epiſcopum pax 1375.
eſt compoſita: Eodem anno in feſto S. Petri ad vincula Epiſcopus caſtrum Puttenſtenium
diu obſeſſum per deditionem D. Herberni Puttenſtenii cepit, ac mox evertit, quod is

ANNO DOM. Transisulanos ex eo magnis molestiis afficere consuevisset, ipsum tamen in gratiam recepit eâ conditione, ut in posterum à vi abstineret. Hoc anno in nocte Sanctorum Gereonis ac Victoris Hollandiam, Zelandiam, ac Frisiam inusitata inundatio afflixit, quæ anno revoluto
1377. eadem nocte gravior etiamnum recursavit. Anno 1377. circa festum Translationis S. Martini, Trajecti puer natus fuit, qui intra quadragesimum a nativitate diem perfectè locutus est. Cùmque proinde spiritus examinandi gratiâ admotus esset exorcista, nullum planè verbum potuit extundere, supervixit autem puer ille annis pluribus, nec ullâ re deinceps notabilis ex-
1378. titit, nec ullius erant momenti, quæ loquebatur. Anno 1378. primâ die mensis Iulii mortuus est D. Iohannes de Arckel, quondam Trajectensis, tunc Leodiensis Episcopus. Post cujus obitum Urbanus VI. Arnoldum Hornensem Trajecto Leodium, & Florentium Vevelichovium Monasterio vicissim Trajectum transtulit: Sed cùm Dñ. Florentius post translationem Arnoldi à Pontifice ordinatam & confirmatam, & ab ipso acceptam, resignato Episcopatu suo mox Trajectum commigrare pararet, sperans eâdem fide sibi cessurum esse Arnoldum, quâ ipse cesserat successori suo, ut liberè posset intrare Episcopatum, comperit sibi aditum non patere, ob id, quod Arnoldus omnia castra, omnesque munitiones adhuc teneret præsidio suo, qui hoc spectabat, ut quidam putant, ut ad minimùm totius Episcopatus proventum anno uno lucrifaceret. Quo factum est, ut anno integro ille exclusus fuerit, ac tandem invocatâ ope D. Ottonis de Arkel, non sine armorum strepitu introductus sit. Arnoldus autem Hornensis cùm septem jam annis Episcopatum legitimè gubernasset, anno insequenti ipso die Sacramenti festum Trajecti in Pontificialibus celebrans, cleroque post prandium & populo valedicens, indeque 12. die mensis Iunii Leodium intrans, decennio Episcopatum obtinuit, in quo ille, quo modo se gesserit, in Chronico Leodiensium diligenter est perscriptum.

COMES HOLLANDIÆ 21.

Wilhelmus Quintus præfuit annis 25.

Wilhelmus Dux Bavariæ, Comes Palatinus Rheni, Comes Hannoniæ, pacto Matris, & consensu Ordinum sive Statuum patriæ, factus est hæreditarius Hollan-
1352. diæ, Comes hujus nominis quintus, Anno Domini 1352. Uxorem hic habuit Machthildin filiam Henrici Lancastriæ Ducis ex Angliâ, ex quâ tamen liberos nullos sustulit. Hic igitur Wilhelmus, cum primo triennio suo satis negocii habuerit in opprimendis & pa-
1355. candis factiosis ditionis suæ, anno 1355. Episcopum Trajectensem invasit, magnamque prædam ex superiori ejus territorio vastatis pagis abstulit: D. de Egmonda Bunschotenses gravi clade affecit: Eminissenses evestigio ab Episcopo deficientes Comiti Wilhelmo se aggrega-
1356. runt, & Orientales Hollandi dici voluerunt: Mox etiam anno sequenti 1356. D. Gisbertus Iselstenius munitissimam turrim nomine **Snoien-toern** / sitam in villa Geina proditione Castellani Episcopo ademit, ac funditus evertit: Arnoldus etiam Iselstenius Mareschalcum Montfortii corrupit, ut cum Comite Wilhelmo contra voluntatem Episcopi fœdus iniret, & captos dudum D. Sleidanum, & D. Diclenum cum cæteris dimitteret, D. etiam Gisbertus Nyenrodius Amersvordienses gravi prælio contrivit, in quo graviter vulneratus est D. Otto Larenus, Mareschalcus Episcopi: Wilhelmus autem Comes hoc anno iterũ aggressurus Episcopum, veniens in ejus Ditionem in patenti campo castra metatus est, cui nomen populare est **De Hogewoerde**/ubi ipse omnia devastans D. Egmondanũ misit adversus castellum D. Stephani Nyeveldii: quod etsi tandem certis conditionibus deditum sit, nihilominus tamen funditus est eversum: Hoc autem facto bonis conditionibus inter Comitem & Episcopum firmata pax est. Neque contendit hic quidem Comes deinceps unquam cum Episcopo amplius: Non multo enim post in Angliam profectus est ad socerum Henricum Ducem de Lancastriâ, & Eduardum Regem, cui Philippa matertera sua nupta erat, aliquandiu se recreavit, cùm Rex eâ tempestate conventum Principum insignem variis præmiis
1358. & exercitiis ibidem celebraret. Unde postquam reversus esset anno 1358. in festo S. Georgii mente captus est, perduravitque in furore continenti annis novendecim, hoc est ad

est ad finem usque restantis vitæ, custoditus primum in Hagâ Comitis, ac deinde in Kenoito Hannoniæ, ubi & mortuus; tandem sepelitur Valencenus apud progenitores suos Comites Hannoniæ, decessitque uxore adhuc superstite sine liberis anno 1377. quem uxor obitû suo non multo pôst consecuta, in Monasterio Reynsburgensi sepelitur. ANNO DOM. 1377.

In furorem igitur lapso Comite Wilhelmo factiosi inter se mirificè tumultuati sunt, de Gubernatore idoneo substituendo, qui vices Comitis gereret, donec is fortè ad sanam mentem rediret. Itaque Asellati Machtildin ipsius Comitis uxorem postulabant, Hamati verò eam non modo ob sexum, sed etiam ob nationem aversabantur, ut quæ nec liberos ex Comite suscepisset ullos, neque Hollandiam ullo sanguinis nexu contingeret. Ideoque tandem hi obtinuerunt, ut Albertus Palatinus Rheni, Dux Bavariæ, frater Comitis tanquam vetus agnatus, & justus hæres ad hanc provinciam vocaretur: Itaque hic magnâ cum pompâ Principum ac Nobilium, ducente eum Johanne Domino de Arckel, Hollandiam ingressus, eâ conditione tutor Hollandiæ, Zelandiæ, ac Frisiæ, constituitur, ut furiosi fratris uxori Machtildi ad vitæ usque terminum singulis annis persolveret duodecim millia Scutatorum antiquorum: Quo quidem pacto cùm in initio partes inter se mirâ concordiâ reconciliatæ essent, ipseq; tutor Albertus in profundâ pace versaretur, mox per invidiam D. Iohãnes Bloemstenius Præfectus Kenemariæ, homo factionis Asellatæ ab improbis quibusdam apud Albertum sinistris rumoribus traductus fuit; quem cùm ille Præfecturâ ob id contumeliosiùs dejecisset, & in ejus locum Reinoldum Domini Bredenrodii filium substituisset, exarsit de integro vetus odium inter Asellatos & Hamatos, cùm illi se ex unius contemptione omnes contumeliâ affectos interpretarentur: Itaque Asellati Bredenrodiis ad Præfecturam accipiendam tendentibus, prope Castrichemum insidias tetenderunt: Et cum tribus de Comitatu eorum interfectis, ipsos assequi non possent, metu Majestatis, alii se in castrum D. Walteri Hemskerckii, alii in civitatem Delphensem præsidii gratiâ receperunt. Quare Dux Albertus & castrum hoc & civitatem Delphensem diuturnâ obsidione pressam per deditionem tandem cepit. Quanquam autem tum temporis de integro pax inter factiosos utcumque per Ducem ipsum composita esset, tamen anno sequenti 1360 magis est confirmata per D. Ottonem de Arckel; hic enim cum eo ipso consilio in oppido suo Gorichehemo equestris hastiludii celebritatem agitaret, & ad eam ex diversis provinciis, maximè autem ex viciná Hollandiá certatim Principes ac Nobiles confluxissent, ille omnes inter se mirâ dexteritate reconciliavit, & Alberto Duci suos vasallos ac subditos obedientes reddidit: de hoc Ottone refertur memorabile exemplum punitæ libidinis. Erat Gorichemi quidam Henricus Cannemaker, genere splendidus, & potens opibus, sed moribus, ut res declaravit, impendio improbus. Huic enim ludus erat honestissimas quasque virgines ac viduas clandestino matrimonio sibi copulare, præstipularique semper à singulis, ne contractum matrimonium evulgarent intra anni præsentis terminum: his technis cùm ille multas illexisset, multæ deceptæ illum criminarentur, citatus coram Officiali confessus est, se omnes istas mulieres, quæ tum ibi frequentes aderant, & illum certatim sibi quæque maritum vendicabant, liberè, sed clandestinè duxisse: cumque Officialis quæreret, quænam igitur ea esset, cui primum suam adstrinxisset fidem? ille cum cachinnis respondit, eam ibi necdum adesse, nec in eo oppido habitare, simulque eluso judicio Gorichemum concessit: Dñ. igitur Otto de Arckel factus hujus rei certior, civitatis portas claudi, & Henricum apprehendi jussit; sed ille per suos admonitus ad Ecclesiam confugit, quem D. Otto cùm per vim extrahere istinc non vellet, ne sibi elaberetur, ingenti cupâ superimpositâ conclusit adjunctis custodibus, eâque ratione cum ille fame compulsus ad quintum diem se dedisset, abductum capite truncavit, Anno 1362. Eduardus Dux Geldriæ Duci Alberto bellum indixit, constituto prælii loco prope montem Haymonis, quo cùm Albertus ad diem advenisset cum exercitu ac triduo Eduardum frustrà expectasset, irruptione in Geldriam factá multas villas ac pagos devastavit, & cum spoliis opimis in Hollandiam reversus est. Anno 1366. Dux Albertus improborum quorundam susurrationibus instigatus nobilem virum D. Adingensem decollavit, ob quam rem multis calamitatibus Comitatus Hannoniæ afflictus fuit per septem fratres ejusdem D. Adingensis. Donec tandem Albertus coactus satis iniquis conditionibus cum illis transegisset, inter quas una fuit, ut idem Albertus Ecclesiam fundaret ac dotaret Canonicorum tredecim, qui jugiter pro animâ sublati D. Adingensis orarent, quod ille tandem anno 1368. Hagis in

1360. 1362. 1366.

ANNO DOM. 1368. Palatio extructa Ecclesia, præstitit. Anno 1368. Dux Albertus instrumentum reperit authenticum, quo D. Iohannes Diestensis Episcopus quondam Trajectensis declarabat se Wilhelmo quarto ejus nominis Comiti Hollandiæ, qui Alberti avus maternus fuerat, castrum Vredeland una cum territoriis suis in hypothecam assignasse pro tribus millibus ac ducentis libris grossorum antiquorum; appellatus igitur Episcopus respondit successorem Iohannis Diestensis, D. Iohannem de Arkel jam olim castrum illud redemisse à Margaritâ imperatrice, numeratis septem millibus grossorum libris: Sed cùm Albertus instrumento suo fretus plane aut castrum, aut pecuniam sibi restitui flagitaret, Eduardus Geldriæ Dux constitutus arbiter ita litem terminavit, ut Episcopus ad constitutum diem pecuniam literis contentam Duci Alberto solveret, quod si non faceret, castrum Hollandiæ Ditioni in perpetuum accederet. Hoc anno in festo Sanctorum Symphoriani & Timothei prope Aquisgranum in campo dicto Basviler gravissima pugna commissa fuit inter Wencelaum Ducem Brabantiæ, Eduardum Ducem Geldriæ, & Wilhelmum Cliviæ: in quo Dux Cliviæ victor extitit. Dux Brabantiæ captus est, dux Geldriæ occubuit, post cujus mortem Reinoldus, quem frater suus hactenus captivum detinuerat concordibus patriæ votis liberatus, & Dux Geldriæ inauthoratus est: Sed & hoc mox insequentis Decembris die quartâ defuncto, ob successoris electionem exacerbatis subditorum animis rursus efferbuerunt factionum vetera, & jam decem annis utcunque sopita dissidia: namque illi qui Hekers erant, justâ hæreditate consideratâ, introduxerunt Comitissam Clivensem viduam, defuncti jam Reinoldi sororem natu majorem: Bronchorstii verò muliebri imperio rejecto, Wilhelmum Ducem Iuliæ ejusdem Reinoldi ex juniori sorore nepotem introduxerunt, & Geldriæ Ducem inauthorarunt, ex quâ controversiâ septem annis integris inter factiones istas intestina bella grassata sunt. Anno 1377. Wilhelmus Dux Bavariæ, Comes Hannoniæ, Palatinus Rheni, Comes Hollandiæ, Zelandiæ, Dominus Frisiæ, ob frenesin ac furorem hactenus in vinculis conservatus, moritur, postquam Comitatum à cessione matris partim per se, partim per fratrem Albertum jure hæreditario administrasset annis 25. Cujus morte titulus gubernationis Alberto in Hollandiâ terminatus est, utpote qui jure hæreditatis jam proprium ejus Comitatum acquisivit.

1377.

EPISCOPUS ULTRAJECTINUS 50.

Florentius Wevelichovius sedit annis 13. mensibus 5.

1379. ANNO 1379. die S. VVillibrordi Dñ. Florentius VVevelichovius cum decenti Comitatu Baronum, militum, atque Nobilium ingenti solennitate inthronizatus est Trajectensis Episcopus quinquagesimus. Anno insequenti idem Episcopus assiduis Transisulanorum querelis fatigatus, exercitu contracto castrum Erdenum per quinque hebdomas obsessum, & indesinenter oppugnatum tandem deditione cepit, tertiâ die post festum S. Bonifacii, & acceptum solo mox æquavit, quod Everardus Esenus in terrâ Transisulanâ extruxerat. Eodem etiam anno castrum Molenum, & castrum Lagenum obsidione vicissim pressum, cepit ac diruit, eodemque modo & cætera Domicilia prædonum atque raptorum dissipavit, ipsisque sceleratis exterminatis ac profligatis, pacem subditis procuravit. Anno 1380. Reinoldus Vianensis à Papâ Clemente callidè impetraverat Episcopatum, sperans se per amicorum potentiam eundem Florentio expulso obtenturum, quem frater suus D. Vianensis, ut juvaret, præter exemplum omnium Principum Cisalpinorum cum Rege Franciæ partes Clementis fovit, & jam in castro Goyensi Episcopales decimas territorii inferioris volentibus locabat, ut hac viâ radicibus actis, fratrem tandem per vim, si minus per favorem posset, introduceret. Colligente igitur adversus hunc grandem exercitum Episcopo Florentio, per amicorum & prudentum intercessiones res est inter partes transacta, tali conditione: ut Reinoldus à proposito desisteret, Pontificisque Urbani ordinationem ratam esse permitteret, ac Florentio vasallus

1380.

vasallus fidelis permaneret, eoque vivente ac residente Episcopatum amplius non ambiret. ANNO
Anno 1380. Gisbertus de Abcauda delatus fuit apud Episcopum, quasi qui per Dominium DOM.
suum in Diœcesi Trajectensi situm supremam jurisdictionem Episcopo subducere, & sibi 1380.
vendicare niteretur; qui proinde Trajectum citatus, ad diem comparuit, ac se publicè adversus calumniam defendit, ac non solùm viva voce, sed etiam confectis instrumentis testatus ac professus est, Episcopum Trajectensem superiorem habere jurisdictionem in territoriis suis, quæ sita sunt in Provincia Trajectensi. Anno sequenti cùm similiter Henricus Burchgravius Montfortii, sed vero crimine delatus esset, Episcopus exercitu conscripto summis viribus Montfortium per sexdecim integras hebdomadas impugnavit, nec destiturus erat antequam expugnasset, nisi Arnoldus de Horn Episcopus Leodiensis, & Abbas S. Trudonis intercessione suâ rem inter partes ita composuissent, ut Episcopus Burchgravio temeritatem suam hac vice condonaret, Burchgravius vicissim Episcopo Regalia sua in posterum illibata conservaret, ipsique superiorem jurisdictionem in territoriis suis habenti, tanquam vasallus fidelis debitum honorem ac reverentiam hæreditariâ successione deferret. Anno
1392. degradatus fuit Trajecti in festo S. Hieronymi M. Iacobus de Iuliaco, qui actus Episcopales præstiterat, cùm Episcopus non esset, sed falsis & commentitiis bullis sibi hunc ordinem atrogasset. Anno 1393. 2. Nonas Aprilis mortuus est in oppido Hardenbergensi 1392.
Episcopus Trajectensis D. Florentius, postquam Episcopatum administrasset annis 13. & 1393.
quinque mensibus, translatusque Trajectum honorificè tumulatus est ante summum altare in Ecclesiâ majori: Hic Præsul cùm Episcopatum in introitu multis difficultatibus implicitum reperisset, superabundantem, multisque divitiis locupletatum successori suo reliquit; omnia enim castra per totam Diœcesin liberavit, & replevit commeatu, cunctisque ad usum pacis ac belli necessariis: Ædificavit præterea lapideum castrum Hardenbergi, cum ingenti ac munitissimâ turri, & regali plane Aula, stabuloque equorum ducentorum, ipsumque oppidum Hardenbergense muris lapideis cinxit, & communivit, & præterea omnia castra Diœcesis Trajectinæ Transisulanæ; in primis autem Stoutenburgum, Horstum, Vredelandiam, Embruggam, reparavit, quæ omnia à prædecessoribus ejus neglecta fuerant.

Vocabulum Diœceseos à Suffrido improprie positum aliquoties mutavi, cum sub Diœcesi Traject. etiam Hollandia, Zelandia, Frisi. Gelr. contineantur.

COMES HOLLANDIÆ 22.

Albertus Dux Bavariæ &c. præfuit annis 27.

ALbertus frater defuncti Wilhelmi per Proceres atque Ordines sive Status concordibus suffragiis Comes Hannoniæ, Hollandiæ, Zelandiæ, ac Dominus Frisiæ solenniter præstito utrimque fidelitatis juramento inauguratus est, numero vicesimus secundus: Anno 1389. Albertus Dux Bavariæ, Comes Hollandiæ, D. Iohannem de 1389.
Arckel, de Pierlepont, & terrarum Mechliniæ, de Hagestein, de Haestrecht constituit gubernatorem Hollandiæ, quanquam patre ejus non admodum consentiente, qui tamen valdè pacificè aliquot annis rexit. Anno 1392. contentio factiosorum in Hollandiâ recruduit: 1392.
nam cùm Albertus Dux in Hagâ Comitis otiosus cum Aleide de Poelgeest amasiâ suâ se oblectaret, ideoque Iohannem de Arckel Hollandiæ gubernandæ præfecisset, ac proinde, qui Asellatæ factionis erant, priores partes in Aulâ Principis, & in Curiâ ferre viderentur, invidiâ stimulati Hamati, VVilhelmum Alberti ducis primogenitum Oostervandiæ Comitem in factionem suam pertraxerunt, & cum eo in Hagam profecti, Aleidim Poelgestanam una cum Wilhelmo Cusero magistro Curiæ interfecerunt, noctè S. Mauricii: quo facto, alii in castrum Altenæ, prope Woudrichemum, Wilhelmus ipse Buscum Ducis profugit: quæ res magnis calamitatibus occasionem in Hollandiâ dedit: nam anno proximè sequenti jus ac judiciũ flagitante Conrado Cusero, cujus filius VVilhelmus una cum Aleide Poelgestanâ interfectus erat, Dux Albertus accusatos per hũc cædis istius reos quinquaginta tres edicto publico citavit, inter quos primùm filiũ suum Wilhelmũ Comitem Ostervãdiæ: Et quoniam ante præfinitum

ANNO DOM. finitum diem nemo comparebat, omnes ut contumaces ac Majestatis reos damnavit ac proscripsit, publicatis eorum bonis: Quâ re intellectâ Wilhelmus commotus una cum suis in Hagam venit, expostulaturus cum patre suo: Sed cùm patrem adventu suo nimis exacerbatum animadverteret, in domum quandam cum suis secessit valde munitam: quàm pater Albertus mox convocatis omnibus quos potuit, oppugnatum venit. Cumque nullis intercessionibus leniri posset, quin præsentibus flammis domum ipsam una cum proscriptis omnibus absumeret, præter expectationem omnium oportunè advenit Gubernator Hollandię, D. Iohannes de Arkel, qui magnificis promissis à Wilhelmo inductus se genibus Alberti provolvit, nec supplicare destitit, antequam eum ab inflammandâ domo abstraheret, & in palatium reduceret, quo facto Wilhelmus statim cum suis istinc aufugiens, ad castrum Altena recessit: Dux autem Albertus instigantibus Asellatis, rursus in filium inflammatus, omnium proscriptorum munitiones ut Iohannes de Arkel everteret, præcepit, eaque in re sibi, quamvis ne id fieret, multum rogitante Ottone de Arkel ejus patre, obsequentem habuit, ipseque castrum Altenæ gravissimâ obsidione cinxit, quod ipse pridem à D. de Horn acceptum, filio Wilhelmo dederat. Intercesserunt ad hoc bellum inter patrem ac filium componendum Princeps egregius ac grandævus D. Otto de Arkel, & filius junior ipsius Ducis Alberti, D. Iohannes de Bavaria, Episcopus Leodiensis, qui secum adduxit omnes pene Leodiensium, Hannoniensium, Hollandorum, Zelandorum, & Frisiorum primores, cum quibus omnibus nihil aliud efficere potuerunt, quàm ut præsidiarii castrum Altenę dederent, ipsi incolumes exirent, iis exceptis si qui illic adessent, qui Aleidim Poelgestanam, & Wilhelmum Cuserum interfecerant: quod cùm factum esset, Dux castrum totum, duabus turribus exceptis, statim evertit; homicidas nullos invenit, qui omnes jam ante obsidionem una cum Wilhelmo Ducis filio profugerant, qui modo Busciducis, modo Bredę se continebat, & cùm de gratiâ patris desperaret, ad Regem Franciæ tandem se contulit; à quo summâ cum humanitate exceptus, & gener tandem ascitus fuit, ductâ in uxorem ejus filiâ, quo matrimonio mediante tandem gratiam patris recepit. Anno 1395. in festo Epiphanię cùm Dux Wilhelmus Alberti filius inter multos Principes ad mensam Regis Franciæ accumberet, processit senio venerabilis Magister & Censor disciplinę militaris, & aulicæ dignitatis custos, quem Heraldum vocant, ibique districto ense mappam mensalem quâ parte VVilhelmus accumbebat, mediam discidit, ac dixit: nephas esse accumbere mensæ Regis Franciæ Principem, qui arma ex omni parte non haberet integra: illi autem integra non esse, cujus proavunculus VVilhelmus Quartus in Orientali Frisiâ occisus amisisset sua, quæ per hæredes ejus justâ vindictâ nondum essent recuperata: VVilhelmus itaque rubore suffusus peracto prandio, impetratâque veniâ in Hannoniam decessit, ac scriptis ad patrem literis, quàm potuit maximè supplicibus, delicti commissi veniam rogavit, simulque quid ad mensam Regis sibi accidisset, explicuit: Quibus perceptis pater omnem indignationem evestigio ex animo removit, affectumque paternum rursus induit. Ideoque se Ducem fore professus est, ad vindicandum generi suo decus & honorem stemmatis Hollandici: Itaque eodem anno revocato, & in integrum restituto filio Wilhelmo apparatus ingens factus est, conscripto ex vicinis nationibus instructissimo exercitu, ut Frisia subacta tantum dedecus elueret Albertus: Sed cùm per insignem ventorum & pluviarum intemperiem eâ æstate nihil effici posset, expeditio in proximum annum dilata fuit, non sine magnâ pecuniæ jacturâ: Anno igitur 1396. Dux Albertus unà cum Wilhelmo filio collectis ex Franciâ, Angliâ, Saxoniâ, & citerioribus Provinciis centum & octuaginta tribus armatorum millibus terra marique Frisiam invasit: Et cùm se Frisij multis pręliis fortissimè objecissent, tandem cæso Iulio à Iongama cum aliis aliquot prçcipuis ejus provincię Nobilibus in Oesterzeâ deditione factâ Albertum Ducem Dominum receperunt, qui mox corpus avunculi sui, Wilhelmi Quarti ex Florido campo, quod Monasterium Cisterciensis ordinis inter Bolsvardiam & Snecam situm fuit, primùm in Hollandiam, deinde porrò in Hannoniam avexit, cumque Wilhelmus Præfectos conservandæ Frisiæ in Stauriâ Iohannem Bredenrodium, in Dockomio Gerardum Hemskerckium & Florentium Alkemadensem reliquisset, Frisii instigantibus Asellatis, quoniam his Hamati ad novas Præfecturas prælati erant, intra triennium rebellarunt, Præfectos occiderunt, reliquosque Hollandos omnes patriâ ejecerunt. Anno igitur 1399. Wilhelmus jussu patris cum validissimis copiis in Frisiam est reversus, & sine cæde causis cognitis dissimulatâ rebellione Frisios ad obedientiam reduxit, & ad Lavicam usque Frisiæ Dominus inauguratus fuit,

Hæc in Chronicis Holl. non inveniuntur.

1395.

1396. *Vide Vbbonem Rer. Frisic. lib. 16. ad princ.*

1399.

fuit, in civitate Stauriâ, ubi & Prætores per Provinciam ex nobilibus intraneis constituit, ANNO
Ferionem Dockomium, Geroldum à Cammingâ, Renicum a Bockamâ, & Tarquinium à DOM.
Waltâ, quos cum nonnullis aliis Equestris ordinis dignitate ornavit: Sed exactionum insolentia fecit, ut intra tertium annum rursus ab Hollando Frisii defecerunt, ita ut præter solam Stauriam in eâ provinciâ Comes Hollandiæ nihil retineret, idque non nisi ad annum 1411.
Anno 1401. feriâ secundâ ante festum D. Bartholomæi Apostoli D. Johannes de Arkel in- 1401.
stigatione factionis Hamatæ per Wilhelmum Alberti Ducis filium nimiis contumeliis ac detrimentis affectus postquam decem jam annis ferè Hollandiam rexisset, nec ad legitimam ullam resignationem officii, nec ad redditionem rationis admitteretur, ipsi Alberto & Wilhelmo, cæterisque antagonistis publicè indixit bellum, fretus auxilio Ducum Brabantię, Iuliç, & Geldriç, & eorum, qui vel de cognatione, vel de factione suâ erant: Hinc igitur toto biennio & amplius apertum bellum inter hosce Principes fuit, & postquam Dux Albertus cum VVilhelmo cunctis viribus civitatem Gorichemensem 12. continuis hebdomadis impugnasset, frustra tandem fraudulenta pax eo pacto composita est, ut D. Iohannes de Arkel flexis genibus à Ducibus veniam supplex rogaret, & vexillum Wilhelmi in signum victoriæ per unum diem de castri sui speculâ protenderet; quæ quidem pax, quia syncera non fuit, majori cum belli crudelitate interrupta est. Anno 1404. capta fuit à puellis Edamensi- 1404.
bus in lacu Purmerio mulier aquatica, quæ nulla re ab muliere terrestri differebat, nisi sordibus quibusdam aquaticis, quibus obducta erat. Ea igitur his mundata, & muliebribus vestimentis induta, primùm Edami, posteaque Harlemi per annos plures asservata, non solùm usum convictus humani, sed etiam artem nendi addidicit, præterque feritatem quandam nativam, & humani sermonis indocilitatem nihil admirandum habuit, quæ & ibidem tandem mortua & sepulta est: Eodem anno 1404. mense Decembri in festo S. Luciæ Illustrissimus 1404.
Princeps Albertus, Comes Palatinus, Dux Bavariæ, Comes Hannoniæ, Hollandiæ, Zelandiæ, & Dominus Frisiæ, postquam Hollandiam rexisset annis quadraginta sex, fratris, scilicet sui nomine annis 19. & suo nomine 27. obdormivit in Domino, sepultusque est in Hagâ in Palatio suo sub tumbâ in Boreali parte summi Altaris: duxerat hic Albertus uxores duas, prior erat Margarita filia illustrissimi Ducis Brigensis in Poloniâ, ex quâ suscepit Wilhelmum succedentem Comitem Hollandiæ, & D. Iohannem de Bavariâ Episcopum Leodiensem, Margaritam Ducissam Burgundiæ, Catharinam Ducissam Geldriæ, Iohannam Reginam Bohemiæ, & alteram Iohannam Ducissam Austriæ, & Dominam de Nivers: Atque hæc quidem uxor obiit anno 1386. sepultaque est in palatio Hagensi: quâ adhuc superstite amasiam fovit Aleidim Poelgestanam, quæ causa videtur fuisse, ut filius Wilhelmus cum factione Hamatorum adversus Albertum patrem acriùs insurrexerit: Post ejus mortem duxit in uxorem Margaritam filiam Ducis Cliviæ, sed proles ex eâ superstites non reliquit: hæc fratrum prædicatorum Monasterium in Hagâ fundavit, in quo tumulata est paulo post obitum Alberti, eodem tamen anno prædicto 1404.

EPISCOPUS ULTRAJECTINUS 51.

Fredericus Blanckenhemius sedit annis 30. mensibus 6.

ANNO 1393. decimoloctavo die postquam Domin. Florentius sepultus esset, 1392.
cùm Albertus Dux Bavariæ, Comes Hollandiæ, & Wilhelmus Dux Cliviæ ac Geldriæ Trajectum profecti Capitulares ad novum Antistitem eligendum hortarentur, ipsique tamen singuli præjudicio suo separatim quendam sibi concedendum flagitarent, valdè perplexi fuerunt Canonici: nam cùm primam postulationem Wilhelmus Alberto, protestatione aulicâ concessisset, quoniam is scilicet & Dux natus, & filius Imperatoris, & ætate major, & socer denique suus esset, Albertusque proinde pro Rogero de Bronckhorst eligendo supplicaret, qui tum temporis Thesaurarius Coloniensis erat; mox Wilhelmus, supplicare inquit nolumus, sed volumus ut eligatis nepotem meum Fredericum Blanckenhemium, Episcopum Argentinensem, erimusque illius nomine vobis & Episcopatui Trajectensi grati

ANNO DOM. si grati & vicini commodi, quoad vita nobis suppetet. Capitulares igitur his auditis perplexi primum instituerunt, ut Principes ipsi inter se æquanimiter convenirent: quod quoniam ob utriusque pertinaciam fieri non potuit, ipsi etiam inter se distracti sunt. Major enim pars numero 55 pro Wilhelmo stetit, & concorditer elegit Fredericum Blanckenhemium; Minor pars numero 27. adhæsit Alberto, & elegit Rogerum Bronckhorstium: Cum igitur uterque electus Romam statim literas ac nuncios mitteret, ad impetrandam confirmationem, Bonifacius Pontifex confirmavit Fredericum quod is plurium votis esset electus. Ideoque is mox Argentinâ descendens, eodem anno cum decenti Nobilium comitatu Trajectum ingressus inauthoratus est Episcopus ordine quinquagesimus primus, ac mox omnes munitiones, quas omnibus necessariis refertas reperit, imposito præsidio suo firmavit. Anno 1395. Episcopus Fredericus castrum & oppidum Covordie in Drenthiâ vicit, & anno

1395.

1405. sequenti cepit castrum Rhenostenum in dominio de Arkle, ac funditus delevit: Anno 1405. in festo S. Thomæ Apostoli, postquam diu obsedisset, per deditionem accepit Episcopus Fredericus castrum Everstenium, ac diruit, quo magis munitum nullum fuisse dicitur in totâ

1421. Germaniâ: Anno 1421. in profesto S. Dionysii, Fredericus Episcopus Trajectensis senex in curru sedens cum sexcentis militibus,& quingentis equitibus, in Geldriam impressione factâ Rhedichemum, Rosendalium, Velpenum, prope Arnhemium vastavit, & ingenti prædâ onustus remeavit: quâ re provocati mox e converso in die S. Calixti D. Egmondanus, D. Abcaudanus, D. Culenburgius, adjunctis sibi Geldris, combusserunt Hautenum, Lorichem, Amerongam, & ferè totum inferius territorium Diœcesis Trajectinę vastaverunt. Anno

1422. 1422. D. Hubertus Culenburgius instituit collegium Canonicorum Culenburgi, quod &

1423. eodem anno per D. Fredericum Episcopum Trajectensem confirmatum est. Anno 1423. in festo S. Dionysii obiit in castro Vullenbovio illustris Pater ac Dominus Fredericus Blanckenhemius, ætate jam maturâ senex, postquam triginta annis cum dimidio Episcopatum laudabiliter administrasset. Translatus illinc est solenni pompâ Trajectum, & ibi in ecclesiâ Cathedrali sepultus in eleganti tumbâ ad Australem partem chori: Eodem igitur anno Nonis Octobris, sepulto Frederico Episcopo, cùm Capitulum convenisset ad eligendum Episcopum novum, discordia fuit in electione, quod altera pars ad preces Adulphi Clivensis Ducis postularet Rodolphum Diepholdium Episcopum Osnaburgensem, altera postularet Iohannem Buranum, Præpositum Aquensem, & B. Mariæ Trajectensis. Cumque Decanus majoris Ecclesiæ absens esset, in utraque electione difficultas fuit: Ideoque Pontifex Martinus V. utroque hoc semoto Episcopatum contulit, Zuedero Culenburgio Præposito majoris Ecclesiæ, Episcopo Spirensi supplicante, cui eam prius contulerat idem Pontifex.

EPISCOPUS ULTRAJECTINUS 52.

Suederus Culenburgius sedit annis 29.

1425. ANno igitur 1425. Zuederus à Pontifice confirmatus cum honesto comitatu in profesto S. Petri ad vincula intravit civitatem Amersvordiensem, & ibidem fidelitatis juramentum præstitit ac recepit, ac postridie S. Bernardi Trajectum advenit, & quinquagesimus secundus Episcopus Trajectensis inauthoratus est, in cujus hac primâ solennitate inter cives Trajectenses, & comites Episcopi, quoniam diversæ factionis erant, contentio, & ex contentione pugna, eodem die coorta est, in qua Rector civitatis ipse cum civibus aliquot occubuit: Cumque Episcopus Zuederus suos non satis ab illicitis grassationibus compescere valeret, anno proximo in vigilia Pentecostes, una cum aliquot Canonicis violenter expellitur per Iohannem Renessium Rinauviæ dominum, qui occupatâ civitate Trajectensi Rodolphum Diepholdum postulatum Sedi Trajectinæ per vim obtrusit: Cumque nephas hoc aversati ac detestati omnes ferè quinque Ecclesiarum Canonici relicto Rodolpho ac civitate ad Zuederum, cui & Divino & humano jure obstricti erant, decederent, alii qualescunque Canonici in horum locum suffecti sunt, atque ita Zuederus unà cum his, quoad vixit, exul Trajecto mansit, quâ ex re maximæ calamitates ortæ sunt, non modo in Diœcesi

Bernardus Prœis Consul.

Trajectensi,

ANNO DOM.

Trajectensi, sed etiam in Hollandiâ, & Geldriâ, & Zelandiâ, & Frisiâ, & cæteris Provinciis Episcopo subjectis. Zuederus enim ubicunque jus Episcopatus habeat, ut verus Episcopus authoritate Apostolicâ Rodolphum cum suis excommunicabat, & contumacem etiam atque præfractum tandem veluti membrum putidum abscindebat. Ille verò interea temporis hæc nihil curans, fines Ditionis Episcopalis diligenter communivit, & quasi venisset in possessionem suam, ita Zuederum excludebat: multarumque calamitatum Hollandis, Zelandis, Frisiis, Transisulanis, Geldris, ipsisque Trajectensibus causa fuit. Anno igitur 1427. 1427.
Philippus Dux Burgundiæ ac tutor tunc Hollandiæ, authoritate Apostolicâ huic Rodolpho Diepholdio bellum indixit, multisque annis vario Marte cum illo contendit, sicut & Arnoldus Dux Geldriæ, qui Philippo suppetias adversus Rodolphum tulit: Dux autem exercitus Trajectensium erat D. Wilhelmus Buranus. Tandem verò anno 1433. cùm inter medio 1433.
tempore consilium Basileense per Eugenium Secundum Pontificem cœptum esset, circa festum Epiphaniæ D. Johannes Matisconensis Episcopus S. Sedis Apostolicæ Legatus à D. Papa missus Rodolphum Diepholdium, omnesque fautores ejus à nexu excommunicationis, quo Martinus V. Papa eos ob Zuederum adstrinxerat, absolvit, & prorsus in integrum restituit, & habitâ inquisitione per totam Ditionem Trajectensem de cimeliis sanctis & Sanctorum reliquiis, factâque relatione ad Pontificem, Zuederum Culenburgium ab Episcopatu absolvit. Zuederus itaque ad Concilium factâ provocatione Basilæam se contulit, factusq; Cæsariensis Episcopus in nocte S. Matthæi Apostoli Basileæ mortuus est, postquam nomine potius quam re Trajectensium Episcopus fuisset annis 29. Defuncto igitur Zuedero fautores ejus Rodolphum Diepholdium Episcopum dedignabantur ac recusabant, ideoque facta conspiratione postularunt Walravum de Moersâ venerabilem virum ac literatum, cujus amici potentissimi facilè pares videbantur futuri debellando, si opus esset, Rodolpho Diepholdio. Erant enim fratres ejus Comes de Moersâ, itemque Cardinales duo, scilicet Theodoricus Archiepiscopus Coloniensis, & Henricus Episcopus Monasteriensis. Sed inter hos pax tandem composita fuit eâ conditione, ut Walravus Rodolpho jus quod haberet in Episcopum Trajectensem resignaret, Rodolphus vicissim Walravo ferret auxilium in acquirendo Episcopatu Monasteriensi, quem frater ejus D. Henricus nuper mortuus vacantem reliquerat.

COMES HOLLANDIÆ 23.

Wilhelmus Sextus præfuit annis 12. mensibus 6.

ANno Christi 1404. post obitum patris Wilhelmus primogenitus filius ejus Comes Oestervandiæ inauguratus est Comes Hollandiæ, Zelandiæ, ac D. Frisiæ, hujus 1404.
nominis sextus, vir planè ad arma natus, quique irarum tenacissimus erat: ipsa jam factionum occasione materiam belli nactus in ditione suâ. Hic primùm duxit filiam Regis Franciæ, quâ intra pubertatis annos defunctâ, secundam duxit Margaritam Philippi Audacis Ducis Burgundiæ filiam, ex quâ filiam unam suscepit Dominam Iacobam succedentem patri Comitissam: hic Wilhelmus ab initio statim implacabili odio persecutus est, cùm alios omnes qui Asellatæ factionis erant, tum in primis eum, qui ipsum pridem ex manibus patris eripuerat D. Iohannem de Arkel: quare & longissima obsidione, post afflictum ictu Bombardæ D. Iohannem de Arkel, oppidum ejus Gasperenum, & castrum Hagestenum funditus evertit in fine hujus anni: nec eum persequi destitit, antequam per proditionem seminatâ inter subditos ejus, ac filium discordiâ cum omni dominio suo ejecisset anno 1407. Cumque *Memorabile ingratitudinis exemplum.*
Wilhelmus de Arkel Iohannis filius civitatem Gorichemensem anno sequenti recepisset, conservare verò difficulter posset, cùm se pacem cum Hollandiæ Comite habiturum non videret, pacto civitatem eam in manus Reinaldi Ducis Geldriæ ac Iuliæ transtulit, aliaque vicissim ab eo Dominia recepit, ea conditione, ut ille Gorichemensem civitatem à domo Geldriæ nunquam alienaret: quod tamen pactum anno 1412. ipsius Wilhelmi consensu mutatum est, 1412.
cùm Dux Wilhelmus Comes Hollandiæ eam civitatem à Duce Geldriæ impetravit, qui mox Regale castrum, & palatium ibidem diruit, & ad suum arbitrium totum oppidum conformavit.

ANNO DOM. mavit. Anno 1411. Frisii adversus Comitem Hollandiæ rebellarunt, & noctu per glaciem captâ Stauriâ, Præfectum arcis omnesque præsidiarios interfecerunt,& expulsis consequen-
1411. ter Hollandis omnibus in libertatem se vindicarunt: Anno 1416. Dux Wilhelmus Comes
1416. Hollandiæ proposuit ex Hollandiâ prorsus exterminare contrariam,hoc est Asellatam factionem, ideoque D. Iohannem Egmondanum dicto loco dieque citavit, qui cùm non compareret, Dux evestigio contumaciæ damnatum executione persecutus est, & exercitu contracto castrum oppidumque Iselsteniæ obsedit. Amici itaque intercedentes ita pacem composuerunt inter Egmondanum & Comitem, ut Egmondanus acceptâ certâ pensione annuâ Comiti Dominia sua resignaret cum suis juribus, quæcunque vel in Hollandâ, vel in Zelandiâ haberet. Neque citra consensum Comitis in has provincias unquam reverteretur; sed non satis fœliciter extirpantur factiones, ubi ipse Princeps est factiosus, ut eventus etiam hic docuit haud multo pòst: Eodem autem anno idem Comes Wilhelmus convocatis Ditionum suarum Ordinibus ac Primoribus filiam suam unicam Dominam Iacobam Delphino Franciæ nuptam commendavit, ut legitimam hæredem; petiitque, ut eam se mortuo successuram Comitissam agnoscerent, quod & vivâ voce tum promiserunt se facturos, ut jurejurando interposito pu-
1417. blicisque instrumentis confirmarunt. Anno Domini 1417. feria 2. sacræ hebdomadæ ante Pascha Carolus Dux Turonensis Delphinus Franciæ, maritus Dominæ Iacobæ unicæ filiæ Wilhelmi Ducis & Comitis Hollandiæ periit veneno intoxicatus, sepeliturque Parisiis. Eo-
1417. dem anno 1417. quartâ feriâ Pentecostes mortuus est Dux Bavariæ Palatinus Rheni, Comes Hannoniæ, Hollandiæ, Zelandiæ, ac Dominus Frisiæ Wilhelmus sextus: relinquens unicam duntaxat legitimam hæredem D. Iacobam scilicet relictam viduam Delphini Franciæ, ut dictum est, quam sustulit ex secundâ uxore Margaritâ filiâ Philippi Audacis Ducis Burgundiæ: Sepultus fuit hic Wilhelmus in Keinoto Hannoniæ apud progenitores suos, postquam Hollandiam administrasset annis duodecim cum dimidio.

EPISCOPUS ULTRAJECTINUS 53.

Rodolphus Diepholdius sedit annis 23.

1433. Eodem igitur hoc anno 1433. Rodolphus Diepholdius legitimè electus porrò confirmatus, & in cathedram receptus est Episcopus Trajectensium quinquagesimus tertius, qui cum mox exercitu conscripto Monasterium obsideret, ut Walravum Moersanum in Episcopatum Monasteriensem introduceret, D. Iacobus Gaesbekius factâ conspiratione cum aliquot conjuratis, occupatâ civitate Trajectensi Episcopum exclusit, & arcuit usque ad annum 1449. cùm igitur ad hunc usque annum Episcopus à Trajecto disclusus ex-
1449. ulasset, subornato tandem D. Henrico Burchgravio Montfortiensi,& civibus quibusdam oppidi Amersfortiensis intempestâ nocte perfossis mœnibus clam intravit, & civitatem obtinuit, hostesque apprehendit, inter quos & principem, suique exilii præcipuum authorem Iacobum Gaesbekium, quem ille non anteà dimisit, quam sibi omnia dominia sua publicis instrumentis confectis venderet, quæ intra Ditionem Trajectensem haberet. Ea autem erant oppidum Wica, quod & Dorestadum nunc dicitur, & olim Batavodurum nominabatur, una cum territorio suo, & castrum in Abcaudâ cum suis adnexis: eâ tamen conditione, ut pro his ab Episcopo tredecim millia florenorum semel reciperet, & Dominia ipsa ad vitæ suæ finem usque retineret: deinceps verò in corpus Episcopatus accederent, quæ quidem Dominia ad Episcopatum mox devoluta sunt, illo intra spatium præsentis anni defuncto in festo scilicet
1451. Vedasti atque Amandi. Anno 1451. circa festum omnium Sanctorum ex edicto Ducis Philippi civitates Hollandiæ, Zelandiæ, & Frisiæ submiserunt se obedientiæ Rodolphi Diepholdii, quæ ab anno 1426. occasione D. Zuederi Culenburgii Trajectensis Episcopi separaverant se ab ipso Diepholdio. Anno 1452. viduatâ ecclesiâ Monasteriensi pastore per o-
1452. bitum venerabilis D. Henrici de Moersâ, est confirmatus successor illi D. Walravus de Moersâ ejus frater, quo mox itidem defuncto, per discordiam Capitularium electi fuerunt duo, videlicet Ericus de Hoyda, & Conradus Diepholdius, nepos ex fratre Episcopi Trajectensis:

ctensis: sed Papa Calixtus III. utroque hoc remoto Episcopatum contulit D. Iohanni de Bavaria, qui tum temporis erat Canonicus ecclesiæ Coloniensis. Antequam autem per Papam facta esset determinatio, Rodolphus Diepholdius, ut nepotem suum Erico expulso Monasteriensem redderet Episcopum, nihil prætermisit, quod ad adversam partem opprimendam ratio militaris postularet: quâ sedulitate factum est, ut, cùm vir senex esset, in languorem incideret, ex quo post annos tres, hoc est, anno 1455. vicesimâ quartâ die mensis Martii in castro Horsto interiit, inde autem balsamo conditus Trajectumque translatus in australi parte chori Trajectensis Ecclesiæ in novâ Capellâ, quam ipse à fundamentis extruxerat, honorificè sepultus est, postquam Episcopatum legitimè administrasset annis 23. Quanquam autem hic Episcopus ab initio non optimis rationibus Episcopalem cathedram consecutus fuerit, pleneque illiteratus extiterit, eam tamen laudem apud omnes consecutus est, quod Episcopatum in pace gubernaverit, eundemque ex omni parte auxerit, atque necessariis rebus communiverit: domum sanè Episcopalem augustâ magnificentiâ ædificavit: castrum Horstum renovavit, oppidum castrumque Batavoduri, itemque castrum Abcaudę cum appendicibus eorum maximis pecuniis à D. Gaesbekio comparavit, & Episcopatui adjecit: dirutas Ecclesias restauravit, calicibus, ornamentis Sacerdotalibus instruxit.

ANNO DOM.

COMES HOLLANDIÆ 24.

D. Iacoba, filia Wilhelmi præfuit annis 19.

Post obitum itaque patris sui mox eodem annno 1417. unica filia atque hæres relicta Caroli Dolphini vidua Domina Iacoba solenni apparatu in paternas Ditiones venit, & ingenti cum lætitiâ apud Dordracum vicesima quarta Hollandiæ, Zelandiæ Comitissa, & Domina Frisiæ inaugurata est: Sed non diu lætata fuit subditorum concordiâ: nam cùm ætatem legitimam non haberet, & assecla paternæ factionis existens Hamatos promoveret, Asellatos premeret ac proscriberet, incruduit hac occasione rursus contentionis acerbitas inter partes. Itaque Asellati qui se premi videbant, & sexui & ætati Curatorem præficiendum contendebant, eumque non alium quàm legitimum ac debitum, patruum scilicet ipsius Comitissę Iohannem de Bavariâ Episcopum Leodiensem: Hamati verò hunc rejicientes, se veluti primores patriæ per defunctum Comitem non uno judicio approbatos Comitissę adfuturos, ejusque curam gesturos clamitabant. Hinc igitur bella intestina, cędes, & rapinæ assiduæ in Hollandia & Zelandia: Instantibus igitur Asellatis mense Septembri venit in Hollandiam Episcopus Leodiensis D. Iohannes de Bavariâ, & evocatis Dordracum ad se Asellatis omnibus, tanquam verus hæres Comitatus ac legitimus tutor sive Curator Comitissæ D. Iacobę recipitur. Quod quidem cùm & ab Hamatis idem per gratiam impetrare non posset, per vim extorquendum duxit: Itaque suâ authoritate Hamatis tanquam seditiosis proscriptis Asellatos immisit, revocatos & in integrum restitutos, quos defunctus frater Comes Wilhelmus ejecerat. Mox igitur Sabbato ante festum S. Catharinæ D. Iohannes Egmondanus dolo cepit oppidum Gorichemum, statimque ad se vocavit D. Wilhelmum de Arkel, ut hæreditatem paternam tueretur; qui mox ingenti copiâ armatorum contractâ advolavit, & se Iacobæ Comitissæ, quæ castrum tenebat, opposuit. Wilhelmus autem Egmondanus fratre suo calidior jam antea in profesto Sacramenti, non expectato jussu aut adventu Iohannis de Bavariâ, oppidum Iselstenium occupavit, hæreditatem scilicet paternam suam, unde iniquissimis conditionibus & causis sui per Wilhelmum defunctum Hollandię Comitem expulsi fuerant: Mox igitur Walravus Bredenrodius, & D. Montfortius, & Episcopus Trajectensis, & omnes civitates Hollandiæ, exceptâ Schoonhoviâ, Iselstenium arctissimâ ac diuturnâ obsidione cinxerunt, & tandem intercessione D. Iohannis Heinsbergii ita transactum est, ut Wilhelmus Egmondanus cum suis liber & securus salvis bonis exiret, & oppidum traderet in manus Dominæ Iacobæ Comitissæ: quod cùm ita factum esset, Comitissa suasu Hamatorum contulit illud Trajectensibus, à quibus prorsus est eversum anno sequenti postridie omnium Sanctorum, neque relictum quicquam est, præter ecclesiam Parochialem, & Mona-

1417.

ANNO DOM. & Monasterium cum domibus adnexis. Eodem igitur anno primâ die Decembris Comitissa D. Iacoba cum ingenti exercitu civitatem Gorichemensem intrans cum Wilhelmo de Arkel cruentissimo prælio conflixit, ac periit cum infinitis Nobilibus ibi ipse Wilhelmus, in quo stirps ac propago nobilissimæ domus de Arkel planè succisa est: utpote cum patri suo filius unicus extiterit, & sine liberis ipse perierit, agnatosque nullos prorsus alios superstites reliquerit uno patre jam sene excepto, qui postquam duodecim annis integris in Haga Comitis captus desedisset, liberatus tandem & ipse Lederdami anno 1428. vitâ defunctus est. Iohannes igitur de Bavariâ Asellatorum quotidianis stimulis in Hamatos exacerbatus, quo magis nepti suæ Comitissæ Iacobæ nocere posset, à quâ se contemni animadvertebat, anno
1418. 1418, mense Martio misso procuratore Constantiam ubi concilium generale tunc agebatur, Episcopatum Leodiensem, quem 29. annis integris jam administraverat, in manus Papę resignavit, & eodem anno licet Subdiaconus esset, per dispensationem sedis Apostolicæ, cum Elizabethâ Ducissâ Luxenburgensi relictâ quondam Anthonii Ducis Brabantiæ viduâ, suâ, ut dicebatur, commatre, matrimonium contraxit: Quo facto Dordraci plerumque versatus, ejus civitatis præsidio, & Asellatæ factionis auxilio subjectam Hollandiam hostiliter invadere, ferro flammisque adversariorum præsidia vastare consueverat. Hamati ergo talem antagonistam nacti, ut se præmunirent adversus ingruentem illius vim consilio D. Henrici de Bergâ, & D. Iohannis Ducis Burgundię, & matris ejus Dominę Margaritæ Burgundicę cum consensu ac privilegio Sedis Apostolicæ, desponderunt Comitissam Hollandię D. Iacobam Iohanni Duci Brabantię ejus consobrino. Nuptiis igitur celebratis Dux Brabantiæ magno exercitu conscripto Dordracum in quo D. Iohannes de Bavaria tunc erat, obsedit, castra metatus in pago, cui ex re nomen est **die Dyle**, quod miliario distet à Dordraco, in quo propugnaculum unum ingens extruxit: ab alterâ parte in Papendrechto Hamati Duce Hadriano Alberti Ducis notho castra metati, suum quoque propugnaculum extruxerant. Sed cùm Iohannes de Bavariâ Dux belli nihilo deterior, quàm Episcopus cleri, sibi de necessariis omnibus abundè & mature prospexisset, & variis stratagematis hostem sæpius fudisset, & ad extremum Papendrechtense illud propugnaculum Hadriano cæso cæteris fugatis captum diruisset, demum & civitatem Roterodamensem & Bryelensem cepisset, Dux Brabantiæ, quod & se ultrò impeti ab obsessis & contemni cerneret, obsidione solutâ reversus est cum sponsâ suâ in Brabantiam: Cùm autem sine intermissione cædes & incendia, direptionesque fierent in Hollandiâ, neque Iohannes de Bavariâ interim quiesceret, tandem per intercessionem quorundam Principum, sequenti anno in civitate Woudrichemensi, colloquio indicto pax inter partes est composita, eâ conditione, ut Iohannes de Bavariâ Tutor esset Hollandiæ, Zelandiæ, & Occidentalis Frisiæ, per tres annos, ita tamen, ut in conferendis Præfecturis Ius divisum esset, pars ad Iohannem Tutorem, altera ad Comitissam ipsam interim pertineret: Præterea ut Iohannes de Bavariâ teneret sibi totam Australem Hollandiam, Gorichemum, item & Roterodamum, totamque terram Arkelensem & Lederdamum cum villis adnexis, eademque omnia Iure feudali de manu Comitissæ neptis suæ reciperet.

Eodem igitur anno 1419. D. Iohannes de Bavariâ magnâ cum solennitate in omnibus ci-
1419. vitatibus Hollandiæ, ut verus hæres ac Tutor ejus Provinciæ inauguratus est, præterquam in civitate Leydensi: Nam cùm is in Asellatos propensior esse videretur, Hamati se illi tanquam iniquo gubernatori opposuerunt, authore potissimùm Philippo Burchgravio civitatis Leidensis. Cujus instigatione porrò & Amersvordienses, & Trajectenses Iohanni de Bavariâ bellum indixerunt, quod cruentissimè gestum est per annos duos & sex menses. Anno
1420. igitur 1420. Tutor Hollandię D. Iohannes de Bavariâ strictissimâ obsidione pressit civitatem Leydensem, & in ipso statim accessu duo castra vicina, videlicet Poelgestum, & Zilium evertit, tandemque novem hebdomadarum tractu oppidanos ad deditionem faciendam coëgit, quos eâ conditione in gratiam recepit, ut fidelitatis juramentum sibi præstarent, omnemque omninò rebellionem in posterum abjurarent, ita tamen, ut auxiliares eorum Trajectenses, ita uti accesserant liberè discederent: Quos tamen D. Egmondanus postquam in Trajectensem Dioecesin jam pervenissent, consecutus, ad internecionem pene omnem cæcidit: Leydâ subactâ, Hamati ad Theodoricum de Mervedâ castellanum castri atque oppidi S. Gertrudis montis confugerunt, qui horum auxilio cum alia multa munimenta in contumeliam Iohannis de Bavariâ, tum etiam ipsum oppidum suum flammis absumpsit, ob id quod oppidani ejus hostes Dordracenses intromisissent: Cumque castrum civitatis ibidem Dordracenses

continuis

continuis 26. hebdomadis validissimè impugnassent, tandem anno sequenti Dux ac Tutor Hollandiæ superveniens, per deditionem mox castrum cepit, Castellano cum suis liberè dimisso. Eodem anno 1421. in nocte profesti S. Elizabet immanissimum fuit diluvium, quo periit tota Australis Hollandia, quâ submersa multi Barones ac Nobiles aliique potentissimi ad extremam paupertatem redacti sunt. Anno sequenti iterum mense Septembri tota Occidentalis Frisia, Waterlandia, & Aemsterlandia per infractionem aggerum ex nimia tempestate ventorum quasi submersa jacuit. Eodem anno 1422. Hamati animadvertentes nimis bene inter Ducem Brabantiæ ejusque uxorem D Iacobam convenire, neque dissidium esse ullum inter hos ipsos ac Tutorem Hollandiæ Iohannem Ducem Bavariæ, & proinde factionem suam primas in Hollandia partes obtinere non posse, persuadent Dñ. Iacobæ Comitissæ, ut ab Iohanne Duce Brabantię divertat, quod hæ nuptiæ sint incestæ, eo quod Pontifex licet malè informatus, eas concessisset, nunquam tamen confirmasset. Hunc etiam maritum ut hominem non satis bellicosum ac strenuum cum Iohanne de Bavariâ mutuas operas tradere, ac suum negocium agere, ipsam interim prorsus exauthoratam paternâ hæreditate secludi: Itaque mulierem consentientem clam in Hannoniam primùm, deinde in Angliam abducunt, & ex procerum suorum consilio, quasi cœlibem Duci Clocestriæ in matrimonium collocant, vivente adhuc & superstite marito legitimo Iohanne Duce Brabantiæ, celebratis itaque ibidem luxu Regali nuptiis mox cum novo marito suo, apparatu Regio in Hannoniam venit, per quam universam in omnibus civitatibus Anglus præcepto atque decreto Iacobæ tanquam vetus Comes ac Dux Terrę solenniter inauguratus est. Hac igitur re commotus, ut par erat, Iohannes Dux Brabantiæ collectis omnibus Ditionum suarum viribus Hannoniam invasit, nec cessavit antequam provinciam universam Ditioni suæ subjugasset. Quo facto Dux Clocestriæ uxore excidens in Angliam reversus est, Dux Brabantię victor ad sua remeavit, Iacobâ interim in medio relictâ. Anno 1424. in festo Epiphaniæ sub auroram obiit illustris Dux Iohannes Dux de Bavariâ, in Palatio Hagæ, qui sepultus requiescit in choro conventus fratrum Prædicatorum ad australem plagam, postquam Hollandiam administrasset annis quinque. Hunc Ducem veneno malo sustulisse traditur Hamatæ factionis quidam eques Iohannes Vlietenus, qui proinde in Hagâ Comitis ante Palatium publicè decollatus, & in partes quatuor dissectus, & quatuor Hollandiæ capitalibus civitatibus in abominationem sceleris membratim ante portas suspendendus distributus fuit.

ANNO DOM. 1421. 1422. 1424.

Eodem igitur anno post mortem Ducis Iohannis de Bavariâ Asellatæ factionis Antistites Iohannem Ducem Brabantiæ in Hollandiam adduxerunt, quorum consilio & auxilio ille tanquam legitimus gubernator jure maritali in omnibus civitatibus Hollandiæ, Zelandiæ, ac Frisiæ inauguratus fuit: Iacoba igitur una cum matre suâ & exulibus Hamatis eo tempore in Hannoniâ degens horum consilio Florentium Kijfhoeckium prodromum suum præmisit, ut, si posset, Schoonhoviam occuparet, quo sibi ad Hollandiam recuperandam saltem aliquis pateret aditus. Ac Florentius quidem rem hanc effectam dedit: Cumque in castro Schoonhoviæ duo Capitanei Wilhelmus Colsterus & Albertus Beylinckius una cum stipendiariis quinquaginta essent, omnesque dedito castro, in gratiam nomine Iacobæ Florentius recepisset præter Albertum, quem ob vetus quoddam & privatum odium planè volebat extinctum. Albertus usuram vitę precibus ad spatium mensis unius impetravit: ut scilicet inter suos domi quæ vellet pro arbitrio disponeret, datâ fide se intra mensem in potestatem Florentii reversurum: Quod quidem cùm ille bonâ fide præstitisset, Florentius mox vivum defodi jussit. Eodem anno prædicto Iohannes Dux Brabantiæ Dñ. Iacobum Gaesbekium, Abcaudum, Puttium, Striensem, &c. nomine suo gubernatorem Hollandiæ ordinavit, qui statim Hamatis omnibus eliminatis ingentem tranquillitatem Iohanni Duci & patriæ præstitit: si tamen hoc est præstare tranquillitatem, inter factiosos alteram partem opprimere. Anno autem 1425. idem hic D. Gaesbekius in profesto S. Ludgeri D. Iacobam cum suis Hamatis in civitate Schoonhovia obsedit: quem subsidio suo adjuvarunt omnes civitates Hollandiæ, Zelandiæ, ac Frisiæ Occidentalis, præter Zirixeam, Gaudam, Audewateram, & Bryelas, quæ in hoc bello neutrarum partium existentes spectatrices se præbuerunt calamitatis publicæ. Sed cùm viginti quatuor integris hebdomadis & quatuor diebus frustrà eam civitatem oppugnasset, tandem subornato Adolpho Duce Clivensi, & Comite de Moersâ, sex hebdomadarũ 1425.

 induciæ

ANNO DOM. induciæ pactæ sunt, obsidioque soluta est in festo decollationis S. Iohannis Baptistæ. Eodem tempore impetravit & recuperavit Comes Hornensis per Comitem Moersanum Dominium de Altenâ, cum oppido Woudrichemo, à quo violenter parentes ejus dejecti fuerant: Dum hæc agerentur, considerantes Asellati lubricam fore spem suam quam de Iohanne Duce Brabantiæ conceperant, quia & hunc multi palàm respuebant, plures non promovebant, & Clocestriæ Ducem Iacobæ tanquam legitimæ uxori suæ obsidio venturum rumor increbrescebat, Philippum Burgundiæ Ducem, & Comitem Flandriæ, &c. sollicitant, ut is laborantis Comitatus Hollandiæ, Zelandiæ, ac Dominii Frisiæ gubernationem jure hæreditario suscipiat. Cùm ipse verissimus ac proximus harum Provinciarum hæres futurus sit, si quidem D. Iacoba sine liberis defungatur: Primum enim Margarita mater Philippi, & Wilhelmus pater Iacobæ ex uno eodemque patre Dñ. Alberto Duce Bavariæ, Comite Hollandiæ, eademque matre ejusdem uxore nati erant: deinde & mater Iacobæ amita erat Philippi, sic ut duplici cognationis nexu consobrini inter se Philippus & Iacoba sint.

Philippus igitur his non gravatim obtemperans cum ingenti comitatu Dordracum veniens per Asellatos tanquam verus hæres Hollandiæ, Zelandiæ, ac Frisiæ tutor inauguratus est. Itaque cùm & Iohannes Dux Brabantiæ non refragaretur Montibus Hannoniæ, eodem hoc anno colloquii dies indictus fuit: Quo convenientes Philippus Dux Burgundiæ, Iohannes Dux Brabantiæ, Iacoba Comitissa Hollandiæ, cum pluribus aliis Principibus concluserunt ita, ut Dux Brabantiæ Hannoniam possideret, Dux Burgundiæ Philippus tanquam legitimus hæres haberet tutelam Hollandiæ, Zelandiæ, ac Frisiæ, eoque pacto inter ipsos lætis auspiciis tunc pax & amicitia firmata fuit. Hamati verò qui suum negocium agebant, & dominari ipsi in Hollandiâ volebant, ut & Ducem Philippum ab Hollandiâ arcerent, & Asellatos etiam ejicerent, inconstantiâ muliebri confisi, causantur hunc nimis iniquum esse tractatum pacis, quo ipsa Domina paterna hæreditate prorsus esset exclusa: nam cùm Duci Iohanni Hannonia, Duci Philippo Hollandia, Zelandia, ac Frisia sit assignata, Iacobæ ipsi nihil est relictum, quo vel sustinere vitam possit: facile igitur persuadent fœminæ, ut se clàm istinc proripiens occupatâ Hollandiâ se tueatur adversus iniquitatem istius pacis: Illa igitur in Hollandiam reversa, civitatibus aliquot occupatis, cùm Hamatæ factionis, tum Anglici conjugii præsidio per annos tres satis negocii
1427. facessit Duci Philippo. Anno 1427. In sacrâ hebdomadâ ante Pascha Bruxellæ obiit illustrissimus Princeps Iohannes Dux Brabantiæ, & Limburgiæ, maritus Dñ. Iacobæ, sepultus ibidem apud S. Gudulam, cui sine liberis defuncto statim successit frater ejus Philippus Comes S. Pauli, & Connestabulus Franciæ, cui & ipsi quoque sine prole mox defuncto, successit consobrinus ejus Philippus Dux Burgundiæ Comes Flandriæ, &c. Tu-
1428. tor Hollandiæ, Zelandiæ, ac Frisiæ. Anno 1428. quartâ die Maji pax inter Ducem Philippum, & Jacobam Comitissam renovata est, ipsaque Jacoba præsens ac volens in Hannoniam, Hollandiam Zelandiam, & Frisiam, una cum Philippo profecta per omnes civitates solenniter eum ut verum Hæredem, & Tutorem earundem provinciarum inaugurandum curavit. Anno 1433. Philippus Dux Burgundiæ in Hagâ Comitis cepit Franconem
1433. Borselium D. Suylensem, aggeris S. Martini, eo tempore Hollandiæ, Zelandiæ, ac Frisiæ Gubernatorem, eundemque clam per Delphos & Roterodamum abductum in castro Ripelmondensi custodiæ mancipavit, ob id, quod is cum D. Iacoba clamdestinum matrimonium contraxisset: Qui intercessione Comitis Moersani & Comitis Serwardeni eâ conditione liberatus, & Iacobæ concessus fuit, ut Domina Iacoba Duci Philippo absolutè resignaret Hannoniam, Hollandiam, Zelandiam & Frisiam: Ipsaque vicissim à Duce Philippo reciperet Dominium Voernense & australis Hollandiæ, & Tollense, cum omnibus reditibus omnium Teloniorum per Hollandiam ac Zelandiam. Ipse maritus ejus à Philippo acciperet Comitatum Oestervandiæ. Quod quidem cùm ita placuisset, D. Iacoba huic Franconi legitimè nupsit, cui & Philippus Dux torquem aureum & ordinem militiæ aurei Velleris contulit: qui suis deinde Dominiis unà cum Dominâ Iacobâ laudabiliter præfuit: Philippus autem Dux Burgundiæ mox per omnes provincias prædictas, ut verus Comes Hannoniæ, Hollandiæ, Zelandiæ, Dominusque Frisiæ solenniter inaugurаba-
1436. tur. Triennio autem post, hoc est Anno 1436. in profesto S. Dionysii, illustrissima Ducissa Bavariæ, dudum Hannoniæ, Hollandiæ, Zelandiæ Comitissa ac Domina

Frisiæ ipso die S. Dionysii in castro Teylingio nullis relictis liberis obiit, sepultaque est in Palatio Hagensi apud avum suum D. Albertum de Bavariâ postquam 19. annis à morte parentis VVilhelmi sexti in magnâ tribulatione paternas Ditiones administrasset, aut potius ambiisset. ANNO DOM.

EPISCOPUS ULTRAIECTINUS 54.

Gisbertus Bredenrodius præfuit annis non plenè duobus.

SEpulto igitur Episcopo Rodolpho D. Gisbertus Bredenrodius Præpositus ecclesię Trajectensis & S. Salvatoris, ut fieret Capitularis, & interesset electioni novi Episcopi, statim se Subdiaconum consecrandum curavit. Quo facto Dñ. Canonici quinque ecclesiarum Trajectensium postridie Paschatis, id est, septimo die Aprilis eodem anno 1455. invocato S. Spiritu concorditer elegerunt eundem D. Gisbertum Bredenrodium: Hic verò mox ut electus fuit, eos, qui partes Episcopi Rodolphi dudum foverant, omnes vel in exilium agit, vel certè dignitate privavit, auxilio potissimum fratris sui D. Reynaldi seu Reyneri Bredenrodii, & D de Renes, & Dominorum de Prœys, qui dudum una secum à Rodolpho ejecti fuerant: Exules igitur ut se adversus hosce corroborarent, Amersvordiæ inito consilio eligunt in Episcopum D. Davidem Burgundionem Tervanensem jam tum Episcopum, Philippi Ducis Burgundiæ filium illegitimum, qui ut Duci Philippo hoc negocium facilius commendent, in memoriam redigunt, Gisbertum anno 1441. una cum fratre hoc eodem Reynaldo non veritum fuisse se Majestati illius palam opponere, & contra edictum ejus Amsterodamum occupare, præsente & reluctante Serenissima Dominâ Isabellâ ipsius conjuge: consideret igitur potentiam Bredenrodiorum sibi aliquando metuendam fore, si tam locupletis Episcopatus opibus fulciatur: favorem plebis pro illis esse, qui & arte quâdam suâ, & nobilitatis antiquæ opinione facilè multorum animos allecturi sint, cùm eandem armaturam eadem insignia proferant, quæ Comites ipsi Hollandiæ: tutius igitur non ipsi Duci Philippo solùm, sed & universæ Reipubl. tam Hollandiæ quam Trajectinæ fore, ut remoto hoc Gisberto, qui naturâ factiosus esset, & cædes ac seditiones amaret, D. David filius ipsius ad gubernacula promoveatur, vir placidus & humanus, & qui cum omnium bono & commodo illius Majestati vicinitate suâ robur ac firmamentum allaturus sit, cùm ab isto nihil nisi detrimentum ac damnum sit exspectandum, si totius Episcopatus viribus suffultus suo jure ac liber animum suum declarare possit, qui infirmus dudum, & ipsius subditus ac vasallus existens rem tantam in mediâ Hollandiâ ausus fuerit: Dux igitur Philippus his perceptis, inter spem præsentis emolumenti, & metum futuri periculi, non diu moratus misso Romam Episcopo Atrebatensi sub ornatoque Rege Aragoniæ, non difficulter à Papâ Calixto tertio impetravit, ut Davidi Morinensium Tervavensi Episcopo investituram, & jus mitteret Episcopatus Trajectensis, idque factum est eodem anno 1455. Interea temporis cùm Gisbertus Bredenrodius jam solenniter per fautores introductus pro Episcopo Trajectensi se gereret, ac tandem constitutam pecunię summam Romam mitteret ad impetrandam electionis suæ confirmationem, nihil obtinuit, & cùm olfaceret, Asellatæ factionis hanc esse technam, exemplum de Rodolpho capere decrevit, & Episcopatum vi retinere: Interim verò ut & jure Davidem Episcopum recusare Gisberti fautores viderentur, ajebant in privilegiis esse Trajectensis Ecclesiæ, quod nemo illegitimus habere possit, vel annuum in ea consequi officium, nedum ipsum Episcopatum: Quo audito Philippus Dux mox filium Dñ. Davidem authoritate Apostolicâ natalibus restitui curavit, ut & ingenuus esset ac nobilis: Quibus rebus ita gestis, cùm Dux in Hagâ Comitis celebritatem aurei Velleris agitaret ingenti Principum frequentiâ stipatus, ac mox adfuturus Trajectum diceretur, ut filium suum Davidem introduceret, Electus Gisbertus Bredenrodius una cum Trajectensibus Duce Reynaldo Bredenrodio omnia præparabat, quæ ad bellum gerendum pertinebant, plane paratus cum Duce concurrere potiùs quàm Episcopatum deserere. Cùm verò Dñ. Iohannes Dux Clivensis, & Dñ. Iohannes Heynsbergius Episcopus Leodiensis,

(margin: 1441. … 1455.)

ANNO DOM. ensis, ac demum ipse quoque David, & D. Carolus filii Ducis ipsum sæpe frustra rogassent, ut Gisbertum relinqueret in pace, tandem assiduis Asellatorum instigationibus & oportunis auxiliis civitates duas in Diœcesi Trajectensi Amersvordiam scilicet ac Rhenum occupavit Dux, Duce Adriano Borsaliensi Domino Duvelandię, qui & castrum Horstum, mox etiam traditione Castellani est consecutus: Consequenter etiam D. David ingenti comitatus exercitu ducente D. Iohanne de Wassenaer Gorichemum venit, & inde Tyelam, hinc porrò Rhenum, atque inde demum Amersvordiam concessit, in singulis his urbibus vicissim solenniter exceptus & inauguratus, atque ita D. David cum ob Gisberti præsentiam Trajectum non admitteretur, mansit anno illo Amersvordiæ. Anno sequenti Philippus ingenti exercitu conscripto Leydas se contulit, eodemque per salvum conductum Reynaldum Bredenrodium evocavit, ut cum eo transactionis conditiones conciperet, qui mox ingenti equitum comitatu stipatus honorificè atque decenter advenit: Sed cum inter eum ac Ducem res transigi æquis conditionibus non posset, Trajectum retro unde venerat recessit; quo ita digresso; Dux Philippus evestigiò primum VVoerdenum, mox Isselstenum accessit, eo animo, ut Trajectum impugnaret. Quo facto cùm Trajectenses tumultuarentur, & ob metum sui adversus Gisbertum insurgerent, ille perpenso, quod adversario par esse non posset, subornatis clanculum de Capitulo aliquot fidelibus, cum Duce Philippo transactione factá pacem iniit subjectis conditionibus: videlicet ut ipse Gisbertus liberâ voluntate Dñ. Davidi Episcopo electionem suam resignaret: Gisberto verò pro expensis suis in Episcopatum factis è contra Dux Philippus restitueret quinquaginta millia Leonum aureæ monetæ Philippi. Insuperque David in singulos annos ex reditibus Episcopalibus persolveret quater mille & ducentos florenos Rhenenses, pro quibus solvendis fidem suam factâ cautione interposuit Iohannes Dux Clivensis. Adhæc idem Gisbertus maneret deinceps Archidiaconus ac Præpositus Trajecti, ad S. Salvatorem ut hactenus, & insuper constitueretur etiam Præpositus Brugis ad S. Donationum, nec non & primus Consiliarius totius Hollandiæ duplicato stipendio. Quibus quidem conditionibus hinc inde legitimâ solennitate roboratis inter Ducem Philippum, & civitatem Trajectensem pax est composita, eâ scilicet lege, ut Trajectenses Philippum & filium ejus D. Davidem in civitatem sine strepitu & bello reciperent, atque ipsum quidem amicum, filium verò ipsius D. Davidem Episcopum suum agnoscerent, ipse verò, amici, filius ejus, Episcopi boni affectu vicissim ipsos prosequeretur, quod ita factum est: Gisbertus igitur Bredenrodius his motus conditionibus Episcopatum Davidi resignavit, Capitulum ac civita-
1457. tem ab obedientiâ ac fidelitate sibi promissâ absolvit anno 1457. postquam Episcopatum administrasset annis non plenè duobus. Atque est ille quidem adeptus omnia à Duce Philippo magnificè quæ fuerant promissa.

EPISCOPUS ULTRAJECTINUS 55.

David Burgundio sedit annis 39.

1457. ANNO 1457. Cum summâ omnium lætitia summâque solennitate præsente Gisberto Bredenrodio, & eum ducente, Dñ. David Burgundio quinquagesimus quintus Trajectensium cathedratus est Episcopus: tantasque eâ festivitate Principum, Baronum, Equitum, Nobilium, consessus Trajecti fuit, ut nullâ ætate par ibi visus fuisse memoretur: finitâ tandem solennitate Dux Philippus per literas ac legatos admonuit civitates Transisulanas, ut se pararent ad recipiendum suum Episcopum. Transisulani verò urgentibus potissimum Daventriensibus responderunt, se quidem paratos esse ad recipiendum Episcopum, sed non aliâ tamen conditione, quàm ut Ditionum suarum tutorem atque defensorem per duodecim annos habeant Adolphum filium Arnoldi ducis Geldriæ: Quod quidem cùm intelligeret Philippus tripartito exercitu Daventriam per novem hebdomadas obsedit, graviterque afflixit, donec intercessione Iohannis Ducis Clivensis compositâ pace Philippus obsidione civitatem liberaret: civitas Davidem Episcopum
1472. solenni more inauguraret, quod & reliquæ civitates mox consimiliter fecerunt. Anno 1472. Gisbertus Bredenrodius, ejusque frater Reynaldus, & Reynaldi naturalis filius VValravus, &

vus, & D. Iohannes Amerongius Præfectus civitatis Trajectensis adversus Episcopum Davidem insurrexerunt, ac memores Amersvordienses hanc primum in Gisberti præjudicium recipisse, & inaugurasse, adjumento civium Trajectensium Amersvordienses afflixerunt in contumeliam Episcopi: Episcopus itaque hos omnes apprehensos custodiæ mandavit in castro Batavoduri: ex quo cùm VValravus non multo post effractis vinculis effugisset, reliqui melius asservati sunt per integrum biennium: donec tandem per judicium aurei Velleris (cujus membrum etiam Reynaldus erat) causâ cognita liberati sunt. Anno 1477. cæso 1477.
ad Nancium Carolo Burgundo in omnibus ejus Provinciis magni fuerunt motus. Itaq; & in Hollandiâ diu oppressæ factiones veluti ruptis carceribus erexerunt se & civitates cum civitatibus de integro colliserunt: maximè autem Gauda, Dordracum, Delphi, Schoonhovia, & Harlemum: vetus etiam odium inter Bredenrodios, & Episcopum recruduit, qui per Hamatos suos civibus Trajectensibus in suas partes allectis Episcopo multum fecerunt negocii. Anno 1481. Episcopus David adjunctis sibi Hollandis, qui factionis erant 1481.
Asellatę bellum gessit adversus cives Trajectenses, quibus erant auxilio Hamati. Eodem etiam anno idem Episcopus cum suis fautoribus bellum suscepit adversus D. Montfortium: Eodem anno Trajectenses Dn. Engelbertum Clivensem, Johannis Ducis Clivensis filium, in protectorem ac defensorem suum adversus Episcopum Davidem receperunt. Anno 1483. Trajectenses die ascensionis D. Duce Engelberto Clivensi, Epis- 1483.
copum Davidem ceperunt, & Trajectum adductum custodiæ mandarunt; sed mox 18 mensis Iunii eodem anno Maximilianus Austriacus una cum Hollandis, qui Asellatæ factionis erant, Trajectum obsidione cinxit, & ad conditiones pacis compulit: Inter quas in primis fuit, ut Episcopum suum captivitate liberarent, & in pristinum locum restituerent. Eodem autem anno jam antea eodem Engelberto Duce civitatem Rhenensem occupaverant: Cùm autem Hollandi qui factionis erant Asellatæ, pro Episcopo Davide essent, Hamatæ factionis Asseclæ Trajectentibus contra hos assistebant. Itaque Franciscus Bredenrodius, Reynaldi & Gisberti frater, civitatem Roterodamensem occupavit anno 1488. in nocte S. Elizabethæ, omnesque vel cepit, vel ejecit, vel occidit, qui factio- 1488.
nis erant Asellatæ: Consimiliter anno sequenti munitissimum castrum Woerdense in feriis Nataliciis nocte S. Johannis a D. Iohanne Montfortio, (quem Episcopus dudum habuerat captivum) & ab Arnoldo Iselstenio occupatum fuit, castrique Præfectus captus est: Hoc anno etiam Roterodamum obsidione cinctum fuit à cæteris civitatibus Hollandicis, quæ Asellatæ factionis erant Duce Romanorum Rege Maximiliano Austriaco: sed Roterodamenses Duce Francisco Bredenrodio fortiter tutati hanc civitatem, Anno porrò 1489. 1489.
mensis Martii, die 6. pagum Ouderschiensem occuparunt, ac Delphos consequenter excurrentes, cives eorum sine ordine adversus ipsos proruentes, multos prostraverunt, interfecerunt, multos in aquas propulerunt, multos captivos abduxerunt. Eodem etiam anno sub finem Martii D. Johannes Naeltvicensis, & D. Iohannes Montfortius, cum exercitu mille armatorum Leydas occupare tentaverunt, sed ab oppidanis Duce D. Iohanne Egmondano Hollandiæ Præfecto, fortiter repulsi retrocedentes munitissimum castrum Poelgestum absente Dn. Gerardo occuparunt, quod mox his rursus expulsis à Præfecto Egmondano & Leydensibus recuperatum, & solo æquatum est: Eodem anno porro 17. die mensis Iunii conserto Prælio inter Hollandos Asellatos Duce Præfecto equitum Maximiliani, & Roterodamenses Ducibus Francisco Bredenrodio, & Iohanne Naeltvicensi, ubi multis utrimque cæsis Roterodamenses succubuerunt, capto Naeltvicensi ac pace mox facta, Bredenrodius civitate cessit, atque ita Roterodamum recuperatum est. Anno 1490. Saxoniæ Dux Albertus (quem Maximilianus Austriacus generalem Provinciarum 1490.
filii sui Philippi gubernatorem in Germaniam profecturus constituerat) una cum Hollandis Asellatis Montfortium obsedit, sed intercessione Comitis Nassovii, & Comitis Chymayensis pax est composita, restituto castro Woerdensi, quod D. Montfortius dudum occupaverat. Itaque ibi Castellanus tunc alius constitutus fuit. Eodem anno rursus prælium commissum fuit inter Hamatos Duce Francisco Bredenrodio, & Asellatos Duce Iohanne Egmondano prope civitatem Slusam, in quo cum trecentis armatis Bredenrodius occubuit. Post cujus obitum D. Iohannes Naeltvicensis bellum adversus eosdem ibidem evestigio redintegravit, & præsidio Slusanorum navali prælio Hollandiam, Flandriam, ac Zelandiam mire afflixit. Eodem anno etiam Trajectenses portam S. Catharinæ, quam Hollandi Asellati 1496.
septem continuis annis jam præsidio suo tenuerant, armatâ manu recuperarunt. Anno 1496.
O 3 ipso

ANNO DOM. ipso die S. Georgii mortuus est in castro Batavoduri D. David Burgundio Episcopus Trajectensis: ibidemque in Ecclesiâ Parochiali honorificè sepelitur, postquam Episcopatum administrasset annis triginta novem: fuit hic vir naturâ pacificus, & injuriarum minimè tenax, maximas tamen molestias perpessus à factiosis, authoribus tamen potissimum Bredenrodiis, qui dolentes se per hunc ab Episcopatu Trajectensi esse seclusos, non modo Trajectenses factione Hamatorum adversus Episcopum involuerunt, sed & Hollandiam universam, quatenus Episcopum tuebatur, cædibus & incendiis impleverunt: Fuit autem hic Episcopus Sedi Trajectinæ perquàm commodus, etsi multi id non agnoverint, dum vixit: fuit enim Religionis summus antistes, & largus ædium sacrarum dotator, quod ex tot donariis in templa passim collatis liquet. Sacerdotes ac Studiosos liberalissimè fovit, etiam ea diligenter procuravit, quæ ad externam Episcopatus amplitudinem pertinere videbantur: nam ea quæ in arcibus Rodolphus Diepholdius imperfecta reliquerat, perfecit, multaque iis addidit, novam arcem Batavoduri ædificare cepit: Diepholdio sumptuosissimum monumentum extruxit.

COMES HOLLANDIÆ 25.

Philippus Burgundus præfuit annis 31.

DEfunctâ igitur D. Iacobâ, quæ si ante triennium pacto desierat esse, naturâ tamen manserat Comitissa Hollandiæ in hunc usque diem, nunc ut legitimus hæres ac successor pleno jure ut omnium Dominiorum ejus ita etiam vicesimus quintus Hollandiæ, Zelandiæ Comes ac Dominus Frisiæ inauguratus est illustrissimus Philippus Dux Burgundię, Lotharingiæ, Brabantiæ, Limburgiæ, Comes Flandriæ, Burgundię, Hannoniæ, Artesiæ, Namurciæ, Marchio S. Imperii Romani, Dominus Mechliniæ, Salinarum, &c. Hic Philippus admodum tranquillè gubernavit Hollandiam, Zelandiam, & Frisiam, Gubernatore constituto D. de Santis, qui, ut vir cordatus & naturâ pacificus factiones quantum potuit oppressit eâ ratione quâ debuit, hoc est, ut non modo alteram non læderet, alteram juvaret, sed ita, ut qui neutram ad honores admitteret, utramque ex æquo rejiceret: Sed postquam hoc ob invidorum criminationes remoto, gubernaculis præfecisset D. Wilhelmum Lalainium, isque Hamatorum factionem fovens, filiam suam Reynoldo Bredenrodio desponsisset, statim erexerunt cristas Hamati adversus Asellatos. Adeo quidem, ut commota tota Hollandia, Dux Philippus D. Isabellam conjugem suam eò ad discordiam componendam mitteret, eâque nihil efficiente partes Bruxellam edicto citaret, iisque venientibus & auditis amoto D. Lalanio, M. Goesvinum Wilden præficeret, mutato officii nomine, ut non amplius jam Gubernator, sed Præses Hollandiæ, Zelandiæ, ac Frisię vocaretur, qui eam dignitatem adeptus esset, ut ipsius nominis insolentiâ monitus factionis damnatæ memoriam fugeret: quod ille tamen longè diversum fecit. Planè enim alteram, hoc est Asellatorum factionem fovit, oppressâ, quantum potuit, alterâ: Quæ res & aliis non paucis, & illi ipsi quoque exitio fuit: Quippe anno 1436. cùm ille Baugardum Benjamin castellanum Medenblicensem factionis Hamatæ hominem accusasset latrocinii, ille hunc vicissim accusavit Sodomiæ: ex quâ altercatione cum quotidianę turbæ fierent, Dux Philippus misso in Hollandiam Dn. Iohanne Lanoi, utrumque apprehendit, & captivum in castro Huesdeno collocavit: Annoque evoluto cum sex mensibus Baugardus liber dimittitur: Gosvinus autem istinc abductus in castrum Lovenstenium decollatur, quamvis multum protestatus innocentiam suam: post cujus necem Philippus Dux Burgundiæ constituit D. Iohannem Lanoium Præsidem Hollandiæ, Zelandiæ, ac Frisię. Anno 1438. bellum auspicatus est Dux Philippus cum Brugensibus, quod toto biennio duravit: Eodem anno inundatio ingens ruptis aggeribus Hollandiam, & Bataviam afflixit, & civitas Gaudana magnâ ex parte exusta est: eratque tum ingens ubique annonę caritas. Anno 1439. magnoperè est grassata pestis per totam Europam: Anno 1440 defuncta est Elizabeth Ducissa Luxenburgensis uxor dudum Iohannis de Bavariâ, sine prole. Quare Wilhelmus Dux Saxoniæ prætendens jus in Ducatum conscripto exercitu eum occupare conatus est: Cui se opponens Philippus Dux Burgundiæ, ut jure, ita etiam viribus superior, extorsit eum, & porrò sine controversiâ toto vitæ tempore fœliciter obtinuit.

Ex famil. Lanoy.

1436. *Hunc Baniardum vocant Annal. & anno 1446. decollatum volunt præsidem.*

1438.

1439.

Anno

Anno 1441. grave bellum fuit inter Philippum Ducem Burgundiæ, & Gandenses ob vecti- ANNO
gal impositum sali, farri, frumentis, cæterisque eduliorum generibus coortum, in quo bipar- DOM.
ta fuit Flandria, altera scilicet parte Ducem, alterâ civitatem sequente, fuitque tantâ animo- 1441.
rum acerbitate utrimque certatum, ut neutrâ ex parte, qui in manus venisset, incolumi vitâ
liberari facilè potuerit, duravitque hoc bellum toto triennio. Anno 1465. Carolus Princeps 1465.
Burgundie Philippi filius, gratiam patris, quâ per aliquot annos improborum susurrationi-
bus ejectus exul in diversis locis oberraverat, recuperavit: Eodemque anno D. Iohannes La-
noius, hujus susurrationis, (ut fama erat) sibi conscius, relictâ Hollandiæ Præfecturâ, ad Lu-
dovicum Regem Galliæ confugit; & Ludovicus Gruthuysius Hollandię Præses creatus est:
Carolus eodem anno in Gallia à patre missus, Ludovicum Regem victum ad æquitatem præ-
standam compulit: Uxor ejus interim D. Isabella ex nimio mariti absentis desiderio conta-
bescens moritur, & sepelitur in Monasterio S. Michaëlis in profesto Sanctorum Cosmę &
Damiani. Anno 1466. Philippus Dux authoritate Sedis Apostolicæ postulatus, & injuriâ 1466.
provocatus Leodienses adversus Episcopum suum Ludovicum Borbonium ipsius sororium
tumultuantes, refrenavit, & Carolus ejus filius eodem anno Dionatenses everso eorum oppi-
do rebellionis castigavit, & cum Leodiensibus de integro pacem composuit. Anno 1467.
mensis Iunii die 15. inclytus Dux Burgundiæ, &c. Philippus Brugis in Flandriâ mortuus
est, anno ætatis suæ 71. Ducatus Burgundiæ 48. Comitatus Hollandiæ 21. Parentes habuit *34. Vt habet Barlandus.*
Iohannem Ducem Burgundiæ Philippi filium, quem Rex Franciæ occidit, cùm hic Philip-
pus annum ætatis ageret 15. Matrem habuit Margaritam Alberti Ducis Bavarię, Comitis
Hollandiæ filiam: Tres uxores habuit, primam duxit D. Michaëlem Caroli sexti Francorum
Regis filiam, quæ juvencula obiit: Secundam duxit D. *Claudiam, filiam Comitis de Heu, **Bonam patrui sui Philippi Comitis Nivernensis viduam.*
quæ & ipsa mox est mortua: Tertiam denique duxit D. Isabellam filiam Regis Portugal-
liæ, ex quâ sustulit filios Anthonium, ac Iudocum, qui mortui sunt impuberes: & demum
anno 1434. filium tertium, quem, quod in profesto S. Martini nasceretur, Carolum Marti-
num appellari voluit: qui patre defuncto in omnia Dominia ac jura successit: præter hunc
enim legitimam prolem nullam reliquit. Illegitimas autem utriusque sexus reliquit complu- 1434.
res, inter has erant præcipuæ Cornelius Bastardus Burgundiæ, Dn̄ de Beveren: Anthonius
Magnus Bastardus Burgundiæ, Comes de Steenbergen in Arduennâ, Balduinus Bastardus
Burgundiæ, D. de Faleis, & terrarum S. Annæ, D. David, antea Morinensium, posteà Ul-
trajectensium Episcopus: Philippus primùm maris Præfectus, deinde & Ultrajectensium
Episcopus: reliquit etiam filias illegitimas tres, quarum duæ Sanctimonialium fuerunt Ab- *Imo sex.*
batissæ, una cui nomen erat Anna Adolpho Duci Clivensi nupta fuit: Fuit autem Philippus
vir staturâ procerus, membris valide compactis, vultu hilari atque decenti, toto corporis
habitu bene compositus, magnanimus, largus, consilio valens, propositi tenax, Religioni ac
Religiosis deditus, multis victoriis clarus, hæreditatibus affluens, qui unus domui Brabanti-
cæ multum honoris & opum contulit: magnâ autem sapientiâ ac felicitate ut cęteras Pro-
vincias suas, ita etiam Hollandiam, Zelandiam, ac Frisiam gubernavit, ubique factionum
contentiones extirpans sine personarum respectu: Cùm autem biduo jam ægrotasset, spe-
rantibus tunc Medicis nihil fore periculi, tertioque dię Carolus Gandavo Brugas accitus pa-
trem jam admodum languidum reperisset, cum eo quæ ad Provinciarum salutem pertine-
bant, maturè pertractavit: Quo defuncto, Carolus, quæ ad exequias paternas pertinebant,
præparari jussit: Itaque corpus ejus exenteratum, & aromatibus conditum æneæ tumbæ
inclusum, postridiè celebratis exequiis in Ecclesia S. Donatiani ante summum altare depo-
nitur, ubi per multos annos permansit, ob id, quod Carolus ejus filius diversis occupationi-
bus districtus Divionem in Burgundiam, quo ipsę præceperat, apud majores suos illud trans-
ferre non potuerit. Intestina autem ejus exempta mundissimoque vase recondita ibidem in
eodem choro sepulta sunt: Sed cor ipsius auro & argento decoratum missum fuit, ut petie-
rat, Hierosolymas, in locum Calvariæ, in Ecclesiam Dominicæ resurrectionis, per Episco-
pum Atrebatensem cum magno comitatu & pompâ, muneribusque ac cimeliis infinitis.

ANNO DOM. si grati & vicini commodi, quoad vita nobis suppetet. Capitulares igitur his auditis perplexi primum instituerunt, ut Principes ipsi inter se æquanimiter convenirent: quod quoniam ob utriusque pertinaciam fieri non potuit, ipsi etiam inter se distracti sunt. Major enim pars numero 55 pro Wilhelmo stetit, & concorditer elegit Fredericum Blanckenhemium. Minor pars numero 27. adhæsit Alberto, & elegit Rogerum Bronckhorstium: Cum igitur uterque electus Romam statim literas ac nuncios mitteret, ad impetrandam confirmationem, Bonifacius Pontifex confirmavit Fredericum quod is plurium votis esset electus. Ideoque is mox Argentinâ descendens, eodem anno cum decenti Nobilium comitatu Trajectum ingressus inauthoratus est Episcopus ordine quinquagesimus primus, ac mox omnes munitiones, quas omnibus necessariis refertas reperit, imposito præsidio suo firmavit. Anno 1395. Episcopus Fredericus castrum & oppidum Covordie in Drenthiâ vicit, & anno

1405. sequenti cepit castrum Rhenostenum in dominio de Arkle, ac funditus delevit: Anno 1405. in festo S. Thomæ Apostoli, postquam diu obsedisset, per deditionem accepit Episcopus Fredericus castrum Everstenium, ac diruit, quo magis munitum nullum fuisse dicitur in totâ

1421. Germaniâ: Anno 1421. in profesto S. Dionysii, Fredericus Episcopus Trajectensis senex in curru sedens cum sexcentis militibus, & quingentis equitibus, in Geldriam impressione factâ Rhedichemum, Rosendalium, Velpenum, prope Arnhemium vastavit, & ingenti prædâ onustus remeavit: quâ re provocati mox e converso in die S. Calixti D. Egmondanus, D. Abcaudanus, D. Culenburgius, adjunctis sibi Geldris, combusserunt Hautenum, Lorichem, Amerongam, & ferè totum inferius territorium Diœcesis Trajectinę vastaverunt. Anno

1422. 1422. D. Hubertus Culenburgius instituit collegium Canonicorum Culenburgi, quod &

1423. eodem anno per D. Fredericum Episcopum Trajectensem confirmatum est. Anno 1423. in festo S. Dionysii obiit in castro Vullenhovio illustris Pater ac Dominus Fredericus Blanckenhemius, ætate jam maturâ senex, postquam triginta annis cum dimidio Episcopatum laudabiliter administrasset. Translatus illinc est solenni pompâ Trajectum, & ibi in ecclesiâ Cathedrali sepultus in eleganti tumbâ ad Australem partem chori: Eodem igitur anno Nonis Octobris, sepulto Frederico Episcopo, cùm Capitulum convenisset ad eligendum Episcopum novum, discordia fuit in electione, quod altera pars ad preces Adulphi Clivensis Ducis postularet Rodolphum Diepholdium Episcopum Osnaburgensem, altera postularet Iohannem Buranum, Præpositum Aquensem, & B. Mariæ Trajectensis. Cumque Decanus majoris Ecclesiæ absens esset, in utraque electione difficultas fuit: Ideoque Pontifex Martinus V. utroque hoc semoto Episcopatum contulit, Zuedero Culenburgio Præposito majoris Ecclesiæ, Episcopo Spirensi supplicante, cui eam prius contulerat idem Pontifex.

EPISCOPUS ULTRAJECTINUS 52.

Suederus Culenburgius sedit annis 29.

1425. Anno igitur 1425. Zuederus à Pontifice confirmatus cum honesto comitatu in profesto S. Petri ad vincula intravit civitatem Amersvordiensem, & ibidem fidelitatis juramentum præstitit ac recepit, ac postridie S. Bernardi Trajectum advenit, & quinquagesimus secundus Episcopus Trajectensis inauthoratus est, in cujus hac primâ solennitate inter cives Trajectenses, & comites Episcopi, quoniam diversæ factionis erant, contentio, & ex contentione pugna, eodem die coorta est, in qua Rector civitatis ipse cum civibus aliquot occubuit: Cumque Episcopus Zuederus suos non satis ab illicitis grassationibus compescere valeret, annò proximo in vigilia Pentecostes, una cum aliquot Canonicis violenter expellitur per Iohannem Renessium Rinauviæ dominum, qui occupatâ civitate Trajectensi Rodolphum Diepholdum postulatum Sedi Trajectinæ per vim obtrusit: Cumque nephas hoc aversati ac detestati omnes ferè quinque Ecclesiarum Canonici relicto Rodolpho ac civitate ad Zuederum, cui & Divino & humano jure obstricti erant, decederent, alii qualescunque Canonici in horum locum suffecti sunt, atque ita Zuederus unà cum his, quoad vixit, exul Trajecto mansit, quâ ex re maximæ calamitates ortæ sunt, non modo in Diœcesi Trajectensi,

Bernardus Praris Consul.

Trajectensi, sed etiam in Hollandiâ, & Geldriâ, & Zelandiâ, & Frisiâ, & cæteris Provinciis Episcopo subjectis. Zuederus enim ubicunque jus Episcopatus habeat, ut verus Episcopus authoritate Apostolicâ Rodolphum cum suis excommunicabat, & contumacem etiam atque præfractum tandem veluti membrum putidum abscindebat. Ille verò interea temporis hæc nihil curans, fines Ditionis Episcopalis diligenter communivit, & quasi venisset in possessionem suam, ita Zuederum excludebat: multarumque calamitatum Hollandis, Zelandis, Frisiis, Transisulanis, Geldris, ipsisque Trajectensibus causa fuit. Anno igitur 1427. 1427.
Philippus Dux Burgundię ac tutor tunc Hollandię, authoritate Apostolicâ huic Rodolpho Diepholdio bellum indixit, multisque annis vario Marte cum illo contendit, sicut & Arnoldus Dux Geldrię, qui Philippo suppetias adversus Rodolphum tulit: Dux autem exercitus Trajectensium erat D. Wilhelmus Buranus. Tandem verò anno 1433. cùm inter medio 1433.
tempore consilium Basileense per Eugenium Secundum Pontificem cœptum esset, circa festum Epiphaniæ D. Johannes Matisconensis Episcopus S. Sedis Apostolicæ Legatus à D. Papa missus Rodolphum Diepholdium, omnesque fautores ejus à nexu excommunicationis, quo Martinus V. Papa eos ob Zuederum adstrinxerat, absolvit, & prorsus in integrum restituit, & habitâ inquisitione per totam Ditionem Trajectensem de cimeliis sanctis & Sanctorum reliquiis, factâque relatione ad Pontificem, Zuederum Culenburgium ab Episcopatu absolvit. Zuederus itaque ad Concilium factâ provocatione Basilæam se contulit, factusq; Cæsariensis Episcopus in nocte S. Matthæi Apostoli Basileæ mortuus est, postquam nomine potius quam re Trajectensium Episcopus fuisset annis 29. Defuncto igitur Zuedero fautores ejus Rodolphum Diepholdium Episcopum dedignabantur ac recusabant, ideoque facta conspiratione postularunt Walravum de Moersâ venerabilem virum ac literatum, cujus amici potentissimi facilè pares videbantur futuri debellando, si opus esset, Rodolpho Diepholdio. Erant enim fratres ejus Comes de Moersâ, itemque Cardinales duo, scilicet Theodoricus Archiepiscopus Coloniensis, & Henricus Episcopus Monasteriensis. Sed inter hos pax tandem composita fuit eâ conditione, ut Walravus Rodolpho jus quod haberet in Episcopum Trajectensem resignaret, Rodolphus vicissim Walravo ferret auxilium in acquirendo Episcopatu Monasteriensi, quem frater ejus D. Henricus nuper mortuus vacantem reliquerat.

COMES HOLLANDIÆ 23.

Wilhelmus Sextus præfuit annis 12. mensibus 6.

ANno Christi 1404. post obitum patris Wilhelmus primogenitus filius ejus Comes Oestervandiæ inauguratus est Comes Hollandiæ, Zelandiæ, ac D. Frisiæ, hujus nominis sextus, vir planè ad arma natus, quique irarum tenacissimus erat: ipsa jam 1404.
factionum occasione materiam belli nactus in ditione suâ. Hic primùm duxit filiam Regis Franciæ, quâ intra pubertatis annos defunctâ, secundam duxit Margaritam Philippi Audacis Ducis Burgundiæ filiam, ex quâ filiam unam suscepit Dominam Iacobam succedentem patri Comitissam: hic Wilhelmus ab initio statim implacabili odio persecutus est, cùm alios omnes qui Asellatæ factionis erant, tum in primis eum, qui ipsum pridem ex manibus patris eripuerat D. Iohannem de Arkel: quare & longissima obsidione, post afflictum ictu Bombardæ D. Iohannem de Arkel, oppidum ejus Gasperenum, & castrum Hagestenum funditus evertit in fine hujus anni: nec eum persequi destitit, antequam per proditionem seminatâ inter subditos ejus, ac filium discordiâ cum omni dominio suo ejecisset anno 1407. Cumque *Memorabile ingratitudinis exemplum.*
Wilhelmus de Arkel Iohannis filius civitatem Gorichemensem anno sequenti recepisset, conservare verò difficulter posset, cùm se pacem cum Hollandiæ Comite habiturum non videret, pacto civitatem eam in manus Reinaldi Ducis Geldriæ ac Iuliæ transtulit, aliaque vicissim ab eo Dominia recepit, ea conditione, ut ille Gorichemensem civitatem à domo Geldriæ nunquam alienaret: quod tamen pactum anno 1412. ipsius Wilhelmi consensu mutatum est, 1412.
cùm Dux Wilhelmus Comes Hollandiæ eam civitatem à Duce Geldriæ impetravit, qui mox Regale castrum, & palatium ibidem diruit, & ad suum arbitrium totum oppidum conformavit.

ANNO DOM. mavit. Anno 1411. Frisii adversus Comitem Hollandiæ rebellarunt, & noctu per glaciem captâ Stauriâ, Præfectum arcis omnesque præsidiarios interfecerunt, & expulsis consequenter Hollandis omnibus in libertatem se vindicarunt: Anno 1416. Dux Wilhelmus Comes Hollandiæ proposuit ex Hollandiâ prorsus exterminare contrariam, hoc est Asellatam factionem, ideoque D. Iohannem Egmondanum dicto loco dieque citavit, qui cùm non compareret, Dux evestigio contumaciæ damnatum executione persecutus est, & exercitu contracto castrum oppidumque Iselsteniæ obsedit. Amici itaque intercedentes ita pacem composuerunt inter Egmondanum & Comitem, ut Egmondanus acceptâ certâ pensione annuâ Comiti Dominia sua resignaret cum suis juribus, quæcunque vel in Hollandiâ, vel in Zelandiâ haberet. Neque citra consensum Comitis in has provincias unquam reverteretur; sed non satis fœliciter extirpantur factiones, ubi ipse Princeps est factiosus, ut eventus etiam hic docuit haud multo pòst: Eodem autem anno idem Comes Wilhelmus convocatis Ditionum suarum Ordinibus ac Primoribus filiam suam unicam Dominam Iacobam Delphino Franciæ nuptam commendavit, ut legitimam hæredem; petiitque, ut eam se mortuo successuram Comitissam agnoscerent, quod & vivâ voce tum promiserunt se facturos, ut jurejurando interposito publicisque instrumentis confirmarunt. Anno Domini 1417. feria 2. sacræ hebdomadæ ante Pascha Carolus Dux Turonensis Delphinus Franciæ, maritus Dominæ Iacobæ unicæ filiæ Wilhelmi Ducis & Comitis Hollandiæ periit veneno intoxicatus, sepeliturque Parisiis. Eodem anno 1417. quartâ feriâ Pentecostes mortuus est Dux Bavariæ Palatinus Rheni, Comes Hannoniæ, Hollandiæ, Zelandiæ, ac Dominus Frisiæ Wilhelmus sextus: relinquens unicam duntaxat legitimam hæredem D. Iacobam scilicet relictam viduam Delphini Franciæ, ut dictum est, quam sustulit ex secundâ uxore Margaritâ filiâ Philippi Audacis Ducis Burgundiæ: Sepultus fuit hic Wilhelmus in Keinoto Hannoniæ apud progenitores suos, postquam Hollandiam administrasset annis duodecim cum dimidio.

(Margin: 1411. 1416. 1417. 1417.)

EPISCOPUS ULTRAJECTINUS 53.

Rodolphus Diepholdius sedit annis 23.

1433. EOdem igitur hoc anno 1433. Rodolphus Diepholdius legitimè electus porrò confirmatus, & in cathedram receptus est Episcopus Trajectensium quinquagesimus tertius, qui cum mox exercitu conscripto Monasterium obsideret, ut Walravum Moersanum in Episcopatum Monasteriensem introduceret, D. Iacobus Gaesbekius factâ conspiratione cum aliquot conjuratis, occupatâ civitate Trajectensi Episcopum exclusit, & arcuit usque ad annum 1449. cùm igitur ad hunc usque annum Episcopus à Trajecto disclusus
1449. exulasset, subornato tandem D. Henrico Burchgravio Montfortiensi, & civibus quibusdam oppidi Amersfortiensis intempestâ nocte perfossis mœnibus clam intravit, & civitatem obtinuit, hostesque apprehendit, inter quos & principem, suique exilii præcipuum authorem Iacobum Gaesbekium, quem ille non anteà dimisit, quam sibi omnia dominia sua publicis instrumentis confectis venderet, quæ intra Ditionem Trajectensem haberet. Ea autem erant oppidum Wica, quod & Dorestadum nunc dicitur, & olim Batavodurum nominabatur, una cum territorio suo, & castrum in Abcaudâ cum suis adnexis: eâ tamen conditione, ut pro his ab Episcopo tredecim millia florenorum semel reciperet, & Dominia ipsa ad vitæ suæ finem usque retineret: deinceps verò in corpus Episcopatus accederent, quæ quidem Dominia ad Episcopatum mox devoluta sunt, illo intra spatium præsentis anni defuncto in festo scilicet
1451. Vedasti atque Amandi. Anno 1451. circa festum omnium Sanctorum ex edicto Ducis Philippi civitates Hollandiæ, Zelandiæ, & Frisiæ submiserunt se obedientiæ Rodolphi Diepholdii, quæ ab anno 1426. occasione D. Zuederi Culenburgii Trajectensis Episcopi separaverant se ab ipso Diepholdio. Anno 1452. viduatâ ecclesiâ Monasteriensi pastore per o-
1452. bitum venerabilis D. Henrici de Moersâ, est confirmatus successor illi D. Walravus de Moersâ ejus frater, quo mox itidem defuncto, per discordiam Capitularium electi fuerunt duo, videlicet Ericus de Hoyda, & Conradus Diepholdius, nepos ex fratre Episcopi Trajectensis:

ctensis: sed Papa Calixtus III. utroque hoc remoto Episcopatum contulit D. Iohanni de Bavaria, qui tum temporis erat Canonicus ecclesiæ Coloniensis. Antequam autem per Papam facta esset determinatio, Rodolphus Diepholdius, ut nepotem suum Erico expulso Monasteriensem redderet Episcopum, nihil prætermisit, quod ad adversam partem opprimendam ratio militaris postularet: quâ sedulitate factum est, ut, cùm vir senex esset, in languorem incideret, ex quo post annos tres, hoc est, anno 1455. vicesimâ quartâ die mensis Martii in castro Horsto interiit, inde autem balsamo conditus Trajectumque translatus in australi parte chori Trajectensis Ecclesiæ in novâ Capellâ, quam ipse à fundamentis extruxerat, honorificè sepultus est, postquam Episcopatum legitimè administrasset annis 23. Quanquam autem hic Episcopus ab initio non optimis rationibus Episcopalem cathedram consecutus fuerit, pleneque illiteratus extiterit, eam tamen laudem apud omnes consecutus est, quod Episcopatum in pace gubernaverit, eundemque ex omni parte auxerit, atque necessariis rebus communiverit: domum sanè Episcopalem augustâ magnificentiâ ædificavit: castrum Horstum renovavit, oppidum castrumque Batavoduri, itemque castrum Abcaudę cum appendicibus eorum maximis pecuniis à D. Gaesbekio comparavit, & Episcopatui adjecit: dirutas Ecclesias restauravit, calicibus, ornamentis Sacerdotalibus instruxit. ANNO DOM.

COMES HOLLANDIÆ 24.

D. Iacoba, filia Wilhelmi præfuit annis 19.

Post obitum itaque patris sui mox eodem annno 1417. unica filia atque hæres relicta Caroli Dolphini vidua Domina Iacoba solenni apparatu in paternas Ditiones venit, & 1417.
ingenti cum lætitiâ apud Dordracum vicesima quarta Hollandiæ, Zelandiæ Comitissa, & Domina Frisiæ inaugurata est: Sed non diu lætata fuit subditorum concordiâ: nam cùm ætatem legitimam non haberet, & assecla paternæ factionis existens Hamatos promoveret, Asellatos premeret ac proscriberet, incruduit hac occasione rursus contentionis acerbitas inter partes. Itaque Asellati qui se premi videbant, & sexui & ætati Curatorem præficiendum contendebant, cumque non alium quàm legitimum ac debitum, patruum scilicet ipsius Comitissę Iohannem de Bavariâ Episcopum Leodiensem: Hamati verò hunc rejicientes, se veluti primores patriæ per defunctum Comitem non uno judicio approbatos Comitissę adfuturos, ejusque curam gesturos clamitabant. Hinc igitur bella intestina, cędes, & rapinæ assiduæ in Hollandia & Zelandia: Instantibus igitur Asellatis mense Septembri venit in Hollandiam Episcopus Leodiensis D. Iohannes de Bavariâ, & evocatis Dordracum ad se Asellatis omnibus, tanquam verus hæres Comitatus ac legitimus tutor sive Curator Comitissæ D. Iacobę recipitur. Quod quidem cùm & ab Hamatis idem per gratiam impetrare non posset, per vim extorquendum duxit: Itaque suâ authoritate Hamatis tanquam seditiosis proscriptis Asellatos immisit, revocatos & in integrum restitutos, quos defunctus frater Comes Wilhelmus ejecerat. Mox igitur Sabbato ante festum S. Catharinæ D. Iohannes Egmondanus dolo cepit oppidum Gorichemum, statimque ad se vocavit D. Wilhelmum de Arkel, ut hæreditatem paternam tueretur; qui mox ingenti copiâ armatorum contractâ advolavit, & se Iacobæ Comitissæ, quæ castrum tenebat, opposuit. Wilhelmus autem Egmondanus fratre suo calidior jam antea in profesto Sacramenti, non expectato jussu aut adventu Iohannis de Bavariâ, oppidum Iselstenium occupavit, hæreditatem scilicet paternam suam, unde iniquissimis conditionibus & causis sui per Wilhelmum defunctum Hollandię Comitem expulsi fuerant: Mox igitur Walravus Bredenrodius, & D. Montfortius, & Episcopus Trajectensis, & omnes civitates Hollandiæ, exceptâ Schoonhoviâ, Iselstenium arctissimâ ac diuturnâ obsidione cinxerunt, & tandem intercessione D. Iohannis Heinsbergii ita transactum est, ut Wilhelmus Egmondanus cum suis liber & securus salvis bonis exiret, & oppidum traderet in manus Dominæ Iacobæ Comitissæ: quod cùm ita factum esset, Comitissa suasu Hamatorum contulit illud Trajectensibus, à quibus prorsus est eversum anno sequenti postridie omnium Sanctorum, neque relictum quicquam est, præter ecclesiam Parochialem, & Mona-

ANNO DOM. & Monasterium cum domibus adnexis. Eodem igitur anno primâ die Decembris Comitissa D. Iacoba cum ingenti exercitu civitatem Gorichemensem intrans cum Wilhelmo de Arkel cruentissimo prælio conflixit, ac periit cum infinitis Nobilibus ibi ipse Wilhelmus, in quo stirps ac propago nobilissimæ domus de Arkel planè succisa est: utpote cum patri suo filius unicus extiterit, & sine liberis ipse perierit, agnatosque nullos prorsus alios superstites reliquerit uno patre jam sene excepto, qui postquam duodecim annis integris in Haga Comitis captus desedisset, liberatus tandem & ipse Lederdami anno 1428. vitâ defunctus est. Iohannes igitur de Bavariâ Asellatorum quotidianis stimulis in Hamatos exacerbatus, quo magis nepti suæ Comitissæ Iacobæ nocere posset, à quâ se contemni animadvertebat, anno
1418. 1418. mense Martio misso procuratore Constantiam ubi concilium generale tunc agebatur, Episcopatum Leodiensem, quem 29. annis integris jam administraverat, in manus Papę resignavit, & eodem anno licet Subdiaconus esset, per dispensationem sedis Apostolicæ, cum Elizabethâ Ducissâ Luxenburgensi relictâ quondam Anthonii Ducis Brabantiæ viduâ, suâ, ut dicebatur, commatre, matrimonium contraxit: Quo facto Dordraci plerumque versatus, ejus civitatis præsidio, & Asellatæ factionis auxilio subjectam Hollandiam hostiliter invadere, ferro flammisque adversariorum præsidia vastare consueverat. Hamati ergo talem antagonistam nacti, ut se præmunirent adversus ingruentem illius vim consilio D. Henrici de Bergâ, & D. Iohannis Ducis Burgundię, & matris ejus Dominę Margaritæ Burgundicę cum consensu ac privilegio Sedis Apostolicæ, desponderunt Comitissam Hollandię D. Iacobam Iohanni Duci Brabantię ejus consobrino. Nuptiis igitur celebratis Dux Brabantiæ magno exercitu conscripto Dordracum in quo D. Iohannes de Bavaria tunc erat, obsedit, castra metatus in pago, cui ex re nomen est **die Jcople**, quod miliario distet à Dordraco, in quo propugnaculum unum ingens extruxit: ab alterâ parte in Papendrechto Hamati Duce Hadriano Alberti Ducis notho castra metati, suum quoque propugnaculum extruxerant. Sed cùm Iohannes de Bavariâ Dux belli nihilo deterior, quàm Episcopus cleri, sibi de necessariis omnibus abundè & mature prospexisset, & variis stratagematis hostem sæpius fudisset, & ad extremum Papendrechtense illud propugnaculum Hadriano cæso cæteris fugatis captum diruisset, demum & civitatem Roterodamensem & Bryelensem cepisset, Dux Brabantiæ, quod & se ultrò impeti ab obsessis & contemni cerneret, obsidione solutâ reversus est cum sponsâ suâ in Brabantiam: Cùm autem sine intermissione cædes & incendia, direptionesque fierent in Hollandiâ, neque Iohannes de Bavariâ interim quiesceret, tandem per intercessionem quorundam Principum, sequenti anno in civitate Woudrichemensi, colloquio indicto pax inter partes est composita, eâ conditione, ut Iohannes de Bavariâ Tutor esset Hollandiæ, Zelandiæ, & Occidentalis Frisiæ, per tres annos, ita tamen, ut in conferendis Præfecturis Ius divisum esset, pars ad Iohannem Tutorem, altera ad Comitissam ipsam interim pertineret: Præterea ut Iohannes de Bavariâ teneret sibi totam Australem Hollandiam, Gorichemum, item & Roterodamum, totamque terram Arkelensem & Lederdamum cum villis adnexis, eademque omnia Iure feudali de manu Comitissæ neptis suæ reciperet.

Eodem igitur anno 1419. D. Iohannes de Bavariâ magnâ cum solennitate in omnibus ci-
1419. vitatibus Hollandiæ, ut verus hæres ac Tutor ejus Provinciæ inauguratus est, præterquam in civitate Leydensi: Nam cùm is in Asellatos propensior esse videretur, Hamati se illi tanquam iniquo gubernatori opposuerunt, authore potissimùm Philippo Burchgravio civitatis Leidensis. Cujus instigatione porrò & Amersvordienses, & Trajectenses Iohanni de Bavariâ bellum indixerunt, quod cruentissimè gestum est per annos duos & sex menses. Anno
1420. igitur 1420. Tutor Hollandię D. Iohannes de Bavariâ strictissimâ obsidione pressit civitatem Leydensem, & in ipso statim accessu duo castra vicina, videlicet Poelgestum, & Zilium evertit, tandemque novem hebdomadarum tractu oppidanos ad deditionem faciendam coëgit, quos eâ conditione in gratiam recepit, ut fidelitatis juramentum sibi præstarent, omnemque omninò rebellionem in posterum abjurarent, ita tamen, ut auxiliares eorum Trajectenses, ita uti accesserant liberè discederent: Quos tamen D. Egmondanus postquam in Trajectensem Diœcesin jam pervenissent, consecutus, ad internecionem pene omnem cæcidit: Leydâ subactâ, Hamati ad Theodoricum de Merwedâ castellanum castri atque oppidi S. Gertrudis montis confugerunt, qui horum auxilio cum alia multa munimenta in contumeliam Iohannis de Bavariâ, tum etiam ipsum oppidum suum flammis absumpsit, ob id quod oppidani ejus hostes Dordracenses intromisissent: Cumque castrum civitatis ibidem Dordracenses continuis

continuis 26. hebdomadis validissimè impugnassent, tandem anno sequenti Dux ac Tutor Hollandiæ superveniens, per deditionem mox castrum cepit, Castellano cum suis liberè dimisso. Eodem anno 1421. in nocte profesti S. Elizabet immanissimum fuit diluvium, quo periit tota Australis Hollandia, quâ submersa multi Barones ac Nobiles aliique potentissimi ad extremam paupertatem redacti sunt. Anno sequenti iterum mense Septembri tota Occidentalis Frisia, Waterlandia, & Aemsterlandia per infractionem aggerum ex nimia tempestate ventorum quasi submersa jacuit. Eodem anno 1422. Hamati animadvertentes nimis bene inter Ducem Brabantiæ ejusque uxorem D Iacobam convenire, neque dissidium esse ullum inter hos ipsos ac Tutorem Hollandiæ Iohannem Ducem Bavariæ, & proinde factionem suam primas in Hollandia partes obtinere non posse, persuadent Dñ. Iacobæ Comitissæ, ut ab Iohanne Duce Brabantię divertat, quod hæ nuptiæ sint incestæ, eo quod Pontifex licet malè informatus, eas concessisset, nunquam tamen confirmasset. Hunc etiam maritum ut hominem non satis bellicosum ac strenuum cum Iohanne de Bavariâ mutuas operas tradere, ac suum negocium agere, ipsam interim prorsus exauthoratam paternâ hæreditate secludi: Itaque mulierem consentientem clam in Hannoniam primùm, deinde in Angliam abducunt, & ex procerum suorum consilio, quasi cœlibem Duci Clocestriæ in matrimonium collocant, vivente adhuc & superstite marito legitimo Iohanne Duce Brabantiæ, celebratis itaque ibidem luxu Regali nuptiis mox cum novo marito suo, apparatu Regio in Hannoniam venit, per quam universam in omnibus civitatibus Anglus præcepto atque decreto Iacobæ tanquam vetus Comes ac Dux Terrę solenniter inauguratus est. Hac igitur re commotus, ut par erat, Iohannes Dux Brabantiæ collectis omnibus Ditionum suarum viribus Hannoniam invasit, nec cessavit antequam provinciam universam Ditioni suæ subjugasset. Quo facto Dux Clocestriæ uxore excidens in Angliam reversus est, Dux Brabantię victor ad sua remeavit, Iacobâ interim in medio relictâ. Anno 1424. in festo Epiphaniæ sub auroram obiit illustris Dux Iohannes Dux de Bavariâ, in Palatio Hagæ, qui sepultus requiescit in choro conventus fratrum Prædicatorum ad australem plagam, postquam Hollandiam administrasset annis quinque. Hunc Ducem veneno malo sustulisse traditur Hamatæ factionis quidam eques Iohannes Vlietenus, qui proinde in Hagâ Comitis ante Palatium publicè decollatus, & in partes quatuor dissectus, & quatuor Hollandiæ capitalibus civitatibus in abominationem sceleris membratim ante portas suspendendus distributus fuit.

ANNO DOM. 1421. 1422. 1424.

Eodem igitur anno post mortem Ducis Iohannis de Bavariâ Asellatæ factionis Antistites Iohannem Ducem Brabantiæ in Hollandiam adduxerunt, quorum consilio & auxilio ille tanquam legitimus gubernator jure maritali in omnibus civitatibus Hollandiæ, Zelandiæ, ac Frisiæ inauguratus fuit: Iacoba igitur una cum matre suâ & exulibus Hamatis eo tempore in Hannoniâ degens horum consilio Florentium Kijfhoeckium prodromum suum præmisit, ut, si posset, Schoonhoviam occuparet, quo sibi ad Hollandiam recuperandam saltem aliquis pateret aditus. Ac Florentius quidem rem hanc effectam dedit: Cumque in castro Schoonhoviæ duo Capitanei Wilhelmus Colsterus & Albertus Beylinckius una cum stipendiariis quinquaginta essent, omnesque dedito castro, in gratiam nomine Iacobæ Florentius recepisset præter Albertum, quem ob vetus quoddam & privatum odium planè volebat extinctum. Albertus usuram vitę precibus ad spatium mensis unius impetravit: ut scilicet inter suos domi quæ vellet pro arbitrio disponeret, datâ fide se intra mensem in potestatem Florentii reversurum: Quod quidem cùm ille bonâ fide præstitisset, Florentius mox vivum defodi jussit. Eodem anno prædicto Iohannes Dux Brabantiæ Dñ. Iacobum Gaesbekium, Abcaudum, Puttium, Striensem, &c. nomine suo gubernatorem Hollandiæ ordinavit, qui statim Hamatis omnibus eliminatis ingentem tranquillitatem Iohanni Duci & patriæ præstitit: si tamen hoc est præstare tranquillitatem, inter factiosos alteram partem opprimere. Anno autem 1425. idem hic D. Gaesbekius in profesto S. Ludgeri D. Iacobam cum suis Hamatis in civitate Schoonhovia obsedit: quem subsidio suo adjuvarunt omnes civitates Hollandiæ, Zelandiæ, ac Frisiæ Occidentalis, præter Zirixeam, Gaudam, Audewateram, & Bryelas, quæ in hoc bello neutrarum partium existentes spectatrices se præbuerunt calamitatis publicæ. Sed cùm viginti quatuor integris hebdomadis & quatuor diebus frustrà eam civitatem oppugnasset, tandem subornato Adolpho Duce Clivensi, & Comite de Moersâ, sex hebdomadarũ 1425.

 induciæ

ANNO DOM. induciæ pactæ sunt, obsidioque soluta est in festo decollationis S. Iohannis Baptistæ. Eodem tempore impetravit & recuperavit Comes Hornensis per Comitem Moersanum Dominium de Altenâ, cum oppido Woudrichemo, à quo violenter parentes ejus dejecti fuerant: Dum hæc agerentur, considerantes Asellati lubricam fore spem suam quam de Iohanne Duce Brabantiæ conceperant, quia & hunc multi palàm respuebant, plures non promovebant, & Clocestriæ Ducem Iacobæ tanquam legitimæ uxori suæ obsidio venturum rumor increbrescebat, Philippum Burgundiæ Ducem, & Comitem Flandriæ, &c. sollicitant, ut is laborantis Comitatus Hollandiæ, Zelandiæ, ac Dominii Frisiæ gubernationem jure hæreditario suscipiat. Cùm ipse verissimus ac proximus harum Provinciarum hæres futurus sit, si quidem D. Iacoba sine liberis defungatur: Primum enim Margarita mater Philippi, & Wilhelmus pater Iacobæ ex uno eodemque patre Dñ. Alberto Duce Bavariæ, Comite Hollandiæ, eademque matre ejusdem uxore nati erant: deinde & mater Iacobæ amita erat Philippi, sic ut duplici cognationis nexu consobrini inter se Philippus & Iacoba sint.

Philippus igitur his non gravatim obtemperans cum ingenti comitatu Dordracum veniens per Asellatos tanquam verus hæres Hollandiæ, Zelandiæ, ac Frisiæ tutor inauguratus est. Itaque cùm & Iohannes Dux Brabantiæ non refragaretur Montibus Hannoniæ, eodem hoc anno colloquii dies indictus fuit: Quo convenientes Philippus Dux Burgundiæ, Iohannes Dux Brabantiæ, Iacoba Comitissa Hollandiæ, cum pluribus aliis Principibus concluserunt ita, ut Dux Brabantiæ Hannoniam possideret, Dux Burgundiæ Philippus tanquam legitimus hæres haberet tutelam Hollandiæ, Zelandiæ, ac Frisiæ, eoque pacto inter ipsos lætis auspiciis tunc pax & amicitia firmata fuit. Hamati verò qui suum negocium agebant, & dominari ipsi in Hollandiâ volebant, ut & Ducem Philippum ab Hollandiâ arcerent, & Asellatos etiam ejicerent, inconstantiâ muliebri confisi, causantur hunc nimis iniquum esse tractatum pacis, quo ipsa Domina paterna hæreditate prorsus esset exclusa: nam cùm Duci Iohanni Hannonia, Duci Philippo Hollandia, Zelandia, ac Frisia sit assignata, Iacobæ ipsi nihil est relictum, quo vel sustinere vitam possit: facilè igitur persuadent fœminæ, ut se clàm istinc proripiens occupatâ Hollandiâ se tueatur adversus iniquitatem istius pacis: Illa igitur in Hollandiam reversa, civitatibus aliquot occupatis, cùm Hamatæ factionis, tum Anglici conjugii præsidio per annos tres satis negocii
1427. facessit Duci Philippo. Anno 1427. In sacrâ hebdomadâ ante Pascha Bruxellæ obiit illustrissimus Princeps Iohannes Dux Brabantiæ, & Limburgiæ, maritus Dñ. Iacobæ, sepultus ibidem apud S. Gudulam, cui sine liberis defuncto statim successit frater ejus Philippus Comes S. Pauli, & Connestabulus Franciæ, cui & ipsi quoque sine prole mox defuncto, successit consobrinus ejus Philippus Dux Burgundiæ Comes Flandriæ, &c. Tu-
1428. tor Hollandiæ, Zelandiæ, ac Frisiæ. Anno 1428. quartâ die Maji pax inter Ducem Philippum, & Jacobam Comitissam renovata est, ipsaque Jacoba præsens ac volens in Hannoniam, Hollandiam Zelandiam, & Frisiam, una cum Philippo profecta per omnes civitates solenniter eum ut verum Hæredem, & Tutorem earundem provinciarum inaugurandum curavit. Anno 1433. Philippus Dux Burgundiæ in Hagâ Comitis cepit Franconem
1433. Borselium D. Suylensem, aggeris S. Martini, eo tempore Hollandiæ, Zelandiæ, ac Frisiæ Gubernatorem, eundemque clam per Delphos & Roterodamum abductum in castro Ripelmondensi custodiæ mancipavit, ob id, quod is cum D. Iacoba clamdestinum matrimonium contraxisset: Qui intercessione Comitis Moersani & Comitis Serwardeni eâ conditione liberatus, & Iacobæ concessus fuit, ut Domina Iacoba Duci Philippo absolutè resignaret Hannoniam, Hollandiam, Zelandiam & Frisiam: Ipsaque vicissim à Duce Philippo reciperet Dominium Voernense & australis Hollandiæ, & Tollense, cum omnibus reditibus omnium Teloniorum per Hollandiam ac Zelandiam. Ipse maritus ejus à Philippo acciperet Comitatum Oestervandiæ. Quod quidem cùm ita placuisset, D. Iacoba huic Franconi legitimè nupsit, cui & Philippus Dux torquem aureum & ordinem militiæ aurei Velleris contulit: qui suis deinde Dominiis unà cum Dominâ Iacobâ laudabiliter præfuit: Philippus autem Dux Burgundiæ mox per omnes provincias prædictas, ut verus Comes Hannoniæ, Hollandiæ, Zelandiæ, Dominusque Frisiæ solenniter inauguraba-
1436. tur. Triennio autem post, hoc est Anno 1436. in profesto S. Dionysii, illustrissima Ducissa Bavariæ, dudum Hannoniæ, Hollandiæ, Zelandiæ Comitissa ac Domina

Frisiæ ipso die S. Dionysii in castro Teylingio nullis relictis liberis obiit, sepultaque est in Palatio Hagensi apud avum suum D. Albertum de Bavariâ postquam 19. annis à morte parentis VVilhelmi sexti in magnâ tribulatione paternas Ditiones administrasset, aut potius ambiisset. ANNO DOM.

EPISCOPUS ULTRAIECTINUS 54.

Gisbertus Bredenrodius præfuit annis non plenè duobus.

SEpulto igitur Episcopo Rodolpho D. Gisbertus Bredenrodius Præpositus ecclesię Trajectensis & S. Salvatoris, ut fieret Capitularis, & interesset electioni novi Episcopi, statim se Subdiaconum consecrandum curavit. Quo facto Dñ. Canonici quinque ecclesiarum Trajectensium postridie Paschatis, id est, septimo die Aprilis eodem anno 1455. invocató S. Spiritu concorditer elegerunt eundem D. Gisbertum Bredenrodium: Hic verò mox ut electus fuit, eos, qui partes Episcopi Rodolphi dudum foverant, omnes vel in exilium agit, vel certè dignitate privavit, auxilio potissimum fratris sui D. Reynaldi seu Reyneri Bredenrodii, & D. de Renes, & Dominorum de Prœys, qui dudum una secum à Rodolpho ejecti fuerant: Exules igitur ut se adversus hosce corroborarent, Amersfordiæ inito consilio eligunt in Episcopum D. Davidem Burgundionem Tervanensem jam tum Episcopum, Philippi Ducis Burgundiæ filium illegitimum, qui ut Duci Philippo hoc negocium facilius commendent, in memoriam redigunt, Gisbertum anno 1441. una 1441. cum fratre hoc eodem Reynaldo non veritum fuisse se Majestati illius palam opponere, & contra edictum ejus Amsterodamum occupare, præsente & reluctante Serenissima Dominâ Isabellâ ipsius conjuge: consideret igitur potentiam Bredenrodiorum sibi aliquando metuendam fore, si tam locupletis Episcopatus opibus fulciatur: favorem plebis pro illis esse, qui & arte quâdam suâ, & nobilitatis antiquæ opinione facilè multorum animos allecturi sint, cùm eandem armaturam eadem insignia proferant, quæ Comites ipsi Hollandiæ: tutius igitur non ipsi Duci Philippo solùm, sed & universæ Reipubl. tam Hollandiæ quam Trajectinæ fore, ut remoto hoc Gisberto, qui naturâ factiosus esset, & cædes ac seditiones amaret, D. David filius ipsius ad gubernacula promoveatur, vir placidus & humanus, & qui cum omnium bono & commodo illius Majestati vicinitate suâ robur ac firmamentum allaturus sit, cùm ab isto nihil nisi detrimentum ac damnum sit exspectandum, si totius Episcopatus viribus suffultus suo jure ac liber animum suum declarare possit, qui infirmus dudum, & ipsius subditus ac vasallus existens rem tantam in mediâ Hollandiâ ausus fuerit: Dux igitur Philippus his perceptis, inter spem præsentis emolumenti, & metum futuri periculi, non diu moratus misso Romam Episcopo Atrebatensi sub ornatoque Rege Aragoniæ, non difficulter à Papâ Calixto tertio impetravit, ut Davidi Morinensium Tervavensi Episcopo investituram, & jus mitteret Episcopatus Trajectensis, idque factum est eodem anno 1455. Interea temporis cùm Gisbertus Bredenrodius 1455. jam solenniter per fautores introductus pro Episcopo Trajectensi se gereret, ac tandem constitutam pecunię summam Romam mitteret ad impetrandam electionis suæ confirmationem, nihil obtinuit, & cùm olfaceret, Asellatæ factionis hanc esse technam, exemplum de Rodolpho capere decrevit, & Episcopatum vi retinere: Interim verò ut & jure Davidem Episcopum recusare Gisberti fautores viderentur, ajebant in privilegiis esse Trajectensis Ecclesiæ, quod nemo illegitimus habere possit, vel annuum in eâ consequi officium, nedum ipsum Episcopatum: Quo audito Philippus Dux mox filium Dñ. Davidem authoritate Apostolicâ natalibus restitui curavit, ut & ingenuus esset ac nobilis: Quibus rebus ita gestis, cùm Dux in Hagâ Comitis celebritatem aurei Velleris agitaret ingenti Principum frequentiâ stipatus, ac mox adfuturus Trajectum diceretur, ut filium suum Davidem introduceret, Electus Gisbertus Bredenrodius una cum Trajectensibus Duce Reynaldo Bredenrodio omnia præparabat, quæ ad bellum gerendum pertinebant, plane paratus cum Duce concurrere potiùs quàm Episcopatum deserere. Cùm verò Dñ. Iohannes Dux Clivensis, & Dñ. Iohannes Heynsbergius Episcopus Leodiensis,

ANNO DOM. ensis, ac demum ipse quoque David, & D. Carolus filii Ducis ipsum sæpe frustra rogassent, ut Gisbertum relinqueret in pace, tandem assiduis Asellatorum instigationibus & oportunis auxiliis civitates duas in Diœcesi Trajectensi Amersvordiam scilicet ac Rhenum occupavit Dux, Duce Adriano Borsaliensi Domino Duvelandię, qui & castrum Horstum, mox etiam traditione Castellani est consecutus: Consequenter etiam D. David ingenti comitatus exercitu ducente D. Iohanne de Wassenaer Gorichemum venit, & inde Tyelam, hinc porrò Rhenum, atque inde demum Amersvordiam concessit, in singulis his urbibus vicissim solenniter exceptus & inauguratus, atque ita D. David cum ob Gisberti præsentiam Trajectum non admitteretur, mansit anno illo Amersvordiæ Anno sequenti Philippus ingenti exercitu conscripto Leydas se contulit, eodemque per salvum conductum Reynaldum Bredenrodium evocavit, ut cum eo transactionis conditiones conciperet, qui mox ingenti equitum comitatu stipatus honorificè atque decenter advenit: Sed cum inter eum ac Ducem res transigi æquis conditionibus non posset, Trajectum retro unde venerat recessit; quo ita digresso; Dux Philippus evestigiò primum VVoerdenum, mox Isselstenum accessit, eo animo, ut Trajectum impugnaret. Quo facto cùm Trajectenses tumultuarentur, & ob metum sui adversus Gisbertum insurgerent, ille perpenso, quod adversario par esse non posset, subornatis clanculum de Capitulo aliquot fidelibus, cum Duce Philippo transactione factâ pacem iniit subjectis conditionibus: videlicet ut ipse Gisbertus liberâ voluntate Dñ. Davidi Episcopo electionem suam resignaret: Gisberto verò pro expensis suis in Episcopatum factis è contra Dux Philippus restitueret quinquaginta millia Leonum aureæ monetæ Philippi. Insuperque David in singulos annos ex reditibus Episcopalibus persolveret quater mille & ducentos florenos Rhenenses, pro quibus solvendis fidem suam factâ cautione interposuit Iohannes Dux Clivensis. Adhæc idem Gisbertus maneret deinceps Archidiaconus ac Præpositus Trajecti, ad S. Salvatorem ut hactenus, & insuper constitueretur etiam Præpositus Brugis ad S. Donationum, nec non & primus Consiliarius totius Hollandiæ duplicato stipendio. Quibus quidem conditionibus hinc inde legitimâ solennitate roboratis inter Ducem Philippum, & civitatem Trajectensem pax est composita, eâ scilicet lege, ut Trajectenses Philippum & filium ejus D. Davidem in civitatem sine strepitu & bello reciperent, atque ipsum quidem amicum, filium verò ipsius D. Davidem Episcopum suum agnoscerent, ipse verò, amici, filius ejus, Episcopi boni affectu vicissim ipsos prosequeretur, quod ita factum est: Gisbertus igitur Bredenrodius his motus conditionibus Episcopatum Davidi resignavit, Capitulum ac civita-
1457. tem ab obedientiâ ac fidelitate sibi promissâ absolvit anno 1457. postquam Episcopatum administrasset annis non plenè duobus. Atque est ille quidem adeptus omnia à Duce Philippo magnificè quæ fuerant promissa.

EPISCOPUS ULTRAJECTINUS 55.

David Burgundio sedit annis 39.

1457. ANNO 1457. Cum summâ omnium lætitia summâque solennitate præsente Gisberto Bredenrodio, & eum ducente, Dñ. David Burgundio quinquagesimus quintus Trajectensium cathedratus est Episcopus: tantasque eâ festivitate Principum, Baronum, Equitum, Nobilium, consessus Trajecti fuit, ut nullâ ætate par ibi visus fuisse memoretur: finitâ tandem solennitate Dux Philippus per literas ac legatos admonuit civitates Transisulanas, ut se pararent ad recipiendum suum Episcopum. Transisulani verò urgentibus potissimum Daventriensibus responderunt, se quidem paratos esse ad recipiendum Episcopum, sed non aliâ tamen conditione, quàm ut Ditionum suarum tutorem atque defensorem per duodecim annos habeant Adolphum filium Arnoldi ducis Geldriæ: Quod quidem cùm intelligeret Philippus tripartito exercitu Daventriam per novem hebdomadas obsedit, graviterque afflixit, donec intercessione Iohannis Ducis Clivensis compositâ pace Philippus obsidione civitatem liberaret: civitas Davidem Episcopum
1472. solenni more inauguraret, quod & reliquæ civitates mox consimiliter fecerunt. Anno 1472. Gisbertus Bredenrodius, ejusque frater Reynaldus, & Reynaldi naturalis filius VValravus, &

vus, & D. Iohannes Amerongius Præfectus civitatis Trajectensis adversus Episcopum Davidem insurrexerunt, ac memores Amersvordienses hanc primum in Gisberti præjudicium recipisse, & inaugurasse, adjumento civium Trajectensium Amersvordienses afflixerunt in contumeliam Episcopi: Episcopus itaque hos omnes apprehensos custodiæ mandavit in castro Batavoduri: ex quo cùm VValravus non multo post effractis vinculis effugisset, reliqui melius asservati sunt per integrum biennium: donec tandem per judicium aurei Velleris (cujus membrum etiam Reynaldus erat) causâ cognita liberati sunt. Anno 1477. cæso 1477.
ad Nancium Carolo Burgundo in omnibus ejus Provinciis magni fuerunt motus. Itaq; & in Hollandiâ diu oppressæ factiones veluti ruptis carceribus erexerunt se & civitates cum civitatibus de integro colliserunt: maximè autem Gauda, Dordracum, Delphi, Schoonhovia, & Harlemum: vetus etiam odium inter Bredenrodios, & Episcopum recruduit, qui per Hamatos suos civibus Trajectensibus in suas partes allectis Episcopo multum fecerunt negocii. Anno 1481. Episcopus David adjunctis sibi Hollandis, qui factionis erant 1481.
Asellatę bellum gessit adversus cives Trajectenses, quibus erant auxilio Hamati. Eodem etiam anno idem Episcopus cum suis fautoribus bellum suscepit adversus D. Montfortium: Eodem anno Trajectenses Dñ. Engelbertum Clivensem, Johannis Ducis Clivensis filium, in protectorem ac defensorem suum adversus Episcopum Davidem receperunt. Anno 1483. Trajectenses die ascensionis D. Duce Engelberto Clivensi, Episcopum Davidem ceperunt, & Trajectum adductum custodiæ mandarunt; sed mox 18 1483.
mensis Iunii eodem anno Maximilianus Austriacus una cum Hollandis, qui Asellatæ factionis erant, Trajectum obsidione cinxit, & ad conditiones pacis compulit: Inter quas in primis fuit, ut Episcopum suum captivitate liberarent, & in pristinum locum restituerent. Eodem autem anno jam antea eodem Engelberto Duce civitatem Rhenensem occupaverant: Cùm autem Hollandi qui factionis erant Asellatæ, pro Episcopo Davide essent, Hamatæ factionis Asseclæ Trajectentibus contra hos assistebant. Itaque Franciscus Bredenrodius, Reynaldi & Gisberti frater, civitatem Roterodamensem occupavit anno 1488. in nocte S. Elizabethæ, omnesque vel cepit, vel ejecit, vel occidit, qui factionis erant Asellatæ: Consimiliter anno sequenti munitissimum castrum Woerdense in feriis 1488.
Natalicis nocte S. Johannis a D. Iohanne Montfortio, (quem Episcopus dudum habuerat captivum) & ab Arnoldo Isselstenio occupatum fuit, castrique Præfectus captus est: Hoc anno etiam Roterodamum obsidione cinctum fuit à cæteris civitatibus Hollandicis, quæ Asellatæ factionis erant Duce Romanorum Rege Maximiliano Austriaco: sed Roterodamenses Duce Francisco Bredenrodio fortiter tutati hanc civitatem, Anno porrò 1489. 1489.
mensis Martii, die 6. pagum Ouderschiensem occuparunt, ac Delphos consequenter excurrentes, cives eorum sine ordine adversus ipsos proruentes, multos prostraverunt, interfecerunt, multos in aquas propulerunt, multos captivos abduxerunt. Eodem etiam anno sub finem Martii D. Johannes Naeltvicensis, & D. Iohannes Montfortius, cum exercitu mille armatorum Leydas occupare tentaverunt, sed ab oppidanis Duce D. Iohanne Egmondano Hollandiæ Præfecto, fortiter repulsi retrocedentes munitissimum castrum Poelgestum absente Dñ. Gerardo occuparunt, quod mox his rursus expulsis à Præfecto Egmondano & Leydensibus recuperatum, & solo æquatum est: Eodem anno porro 17. die mensis Iunii conserto Prælio inter Hollandos Asellatos Duce Præfecto equitum Maximiliani, & Roterodamenses Ducibus Francisco Bredenrodio, & Iohanne Naeltvicensi, ubi multis utrimque cæsis Roterodamenses succubuerunt, capto Naeltvicensi ac pace mox facta, Bredenrodius civitate cessit, atque ita Roterodamum recuperatum est. Anno 1490. Saxoniæ Dux Albertus (quem Maximilianus Austriacus generalem Provinciarum 1490.
filii sui Philippi gubernatorem in Germaniam profecturus constituerat) una cum Hollandis Asellatis Montfortium obsedit, sed intercessione Comitis Nassovii, & Comitis Chymayensis pax est composita, restituto castro Woerdensi, quod D. Montfortius dudum occupaverat. Itaque ibi Castellanus tunc alius constitutus fuit. Eodem anno rursus prælium commissum fuit inter Hamatos Duce Francisco Bredenrodio, & Asellatos Duce Iohanne Egmondano prope civitatem Slusam, in quo cum trecentis armatis Bredenrodius occubuit. Post cujus obitum D. Iohannes Naeltvicensis bellum adversus eosdem ibidem evestigiò redintegravit, & præsidio Slusanorum navali prælio Hollandiam, Flandriam, ac Zelandiam mire afflixit. Eodem anno etiam Trajectenses portam S. Catharinæ, quam Hollandi Asellati 1496.
septem continuis annis jam præsidio suo tenuerant, armatâ manu recuperarunt. Anno 1496.

 ipso

ANNO DOM. ipso die S. Georgii mortuus est in castro Batavoduri D. David Burgundio Episcopus Trajectensis: ibidemque in Ecclesiâ Parochiali honorificè sepelitur, postquam Episcopatum administrasset annis triginta novem: fuit hic vir naturâ pacificus, & injuriarum minimè tenax, maximas tamen molestias perpessus à factiosis, authoribus tamen potissimum Bredenrodiis, qui dolentes se per hunc ab Episcopatu Trajectensi esse seclusos, non modo Trajectenses factione Hamatorum adversus Episcopum involuerunt, sed & Hollandiam universam, quatenus Episcopum tuebatur, cædibus & incendiis impleverunt: Fuit autem hic Episcopus Sedi Trajectinæ perquàm commodus, etsi multi id non agnoverint, dum vixit: fuit enim Religionis summus antistes, & largus ædium sacrarum dotator, quod ex tot donariis in templa passim collatis liquet. Sacerdotes ac Studiosos liberalissimè fovit, etiam ea diligenter procuravit, quæ ad externam Episcopatus amplitudinem pertinere videbantur: nam ea quæ in arcibus Rodolphus Diepholdius imperfecta reliquerat, perfecit, multaque iis addidit, novam arcem Batavoduri ædificare cepit: Diepholdio sumptuosissimum monumentum extruxit.

COMES HOLLANDIÆ 25.

Philippus Burgundus præfuit annis 31.

Defunctâ igitur D. Iacobâ, quæ si ante triennium pacto desierat esse, naturâ tamen manserat Comitissa Hollandiæ in hunc usque diem, nunc ut legitimus hæres ac successor pleno jure ut omnium Dominiorum ejus ita etiam vicesimus quintus Hollandiæ, Zelandiæ Comes ac Dominus Frisiæ inauguratus est illustrissimus Philippus Dux Burgundię, Lotharingiæ, Brabantiæ, Limburgiæ, Comes Flandriæ, Burgundię; Hannoniæ, Artesiæ, Namurciæ, Marchio S. Imperii Romani, Dominus Mechliniæ, Salinarum, &c. Hic Philippus admodum tranquillè gubernavit Hollandiam, Zelandiam, & Frisiam, Gubernatore constituto D. de Santis, qui, ut vir cordatus & naturâ pacificus factiones quantum potuit oppressit eâ ratione quâ debuit, hoc est, ut non modo alteram non læderet, alteram juvaret, sed ita, ut qui neutram ad honores admitteret, utramque ex æquo rejiceret: Sed postquam hoc ob invidorum criminationes remoto, gubernaculis præfecisset D. Wilhelmum Lalainium, isque Hamatorum factionem fovens, filiam suam Reynoldo Bredenrodio despondisset, statim erexerunt cristas Hamati adversus Asellatos. Adeo quidem, ut commota tota Hollandia, Dux Philippus D. Isabellam conjugem suam eò ad discordiam componendam mitteret, eâque nihil efficiente partes Bruxellam edicto citaret, iisque venientibus & auditis amoto D. Lalanio, M. Goesvinum Wilden præficeret, mutato officii nomine, ut non amplius jam Gubernator, sed Præses Hollandiæ, Zelandiæ, ac Frisię vocaretur, qui eam dignitatem adeptus esset, ut ipsius nominis insolentiâ monitus factionis damnatæ memoriam fugeret: quod ille tamen longè diversum fecit. Planè enim alteram, hoc est Asellatorum factionem fovit, oppressâ, quantum potuit, alterâ: Quæ res & aliis non paucis, & illi ipsi quoque exitio fuit: Quippe anno 1436. cùm ille Baugardum Benjamin castellanum Medenblicensem factionis Hamatæ hominem accusasset latrocinii, ille hunc vicissim accusavit Sodomiæ: ex quâ altercatione cum quotidianę turbæ fierent, Dux Philippus misso in Hollandiam Dñ. Iohanne Lanoi, utrumque apprehendit, & captivum in castro Huesdeno collocavit: Annoque evoluto cum sex mensibus Baugardus liber dimittitur: Gosvinus autem istinc abductus in castrum Lovenstenium decollatur, quamvis multum protestatus innocentiam suam: post cujus necem Philippus Dux Burgundiæ constituit D. Iohannem Lanoium Præsidem Hollandiæ, Zelandiæ, ac Frisię. Anno 1438. bellum auspicatus est Dux Philippus cum Brugensibus, quod toto biennio duravit: Eodem anno inundatio ingens ruptis aggeribus Hollandiam, & Bataviam afflixit, & civitas Gaudana magnâ ex parte exusta est: eratque tum ingens ubique annonę caritas. Anno 1439. magnopere est grassata pestis per totam Europam: Anno 1446 defuncta est Elizabeth Ducissa Luxenburgensis uxor dudum Iohannis de Bavariâ, sine prole. Quare Wilhelmus Dux Saxoniæ prætendens jus in Ducatum conscripto exercitu eum occupare conatus est: Cui se opponens Philippus Dux Burgundiæ, ut jure, ita etiam viribus superior, extorsit eum, & porrò sine controversiâ toto vitæ tempore fœliciter obtinuit.

Ex famil. Lanoy.

1436. *Hunc Baniardum vocant Annal. & anno 1446. decollatum volunt præsidem.*

1438.

1439.

Anno

Anno 1441. grave bellum fuit inter Philippum Ducem Burgundiæ, & Gandenses ob vectigal impositum sali, farri, frumentis, cæterisque eduliorum generibus coortum, in quo bipartita fuit Flandria, altera scilicet parte Ducem, alterâ civitatem sequente, fuitque tantâ animorum acerbitate utrimque certatum, ut neutrâ ex parte, qui in manus venisset, incolumi vitâ liberari facilè potuerit, duravitque hoc bellum toto triennio. Anno 1465. Carolus Princeps Burgundie Philippi filius, gratiam patris, quâ per aliquot annos improborum susurrationibus ejectus exul in diversis locis oberraverat, recuperavit: Eodemque anno D. Iohannes Lanoius, hujus susurrationis, (ut fama erat) sibi conscius, relictâ Hollandiæ Præfecturâ, ad Ludovicum Regem Galliæ confugit; & Ludovicus Gruthuysius Hollandię Præses creatus est: Carolus eodem anno in Gallia à patre missus, Ludovicum Regem victum ad æquitatem præstandam compulit: Uxor ejus interim D. Isabella ex nimio mariti absentis desiderio contabescens moritur, & sepelitur in Monasterio S. Michaëlis in profesto Sanctorum Cosmę & Damiani. Anno 1466. Philippus Dux authoritate Sedis Apostolicæ postulatus, & injuriâ provocatus Leodienses adversus Episcopum suum Ludovicum Borbonium ipsius sororium tumultuantes, refrenavit, & Carolus ejus filius eodem anno Dionatenses everso eorum oppido rebellionis castigavit, & cum Leodiensibus de integro pacem composuit. Anno 1467. mensis Iunii die 15. inclytus Dux Burgundiæ, &c. Philippus Brugis in Flandriâ mortuus est, anno ætatis suæ 71. Ducatus Burgundiæ 48. Comitatus Hollandiæ 21. Parentes habuit Iohannem Ducem Burgundiæ Philippi filium, quem Rex Franciæ occidit, cùm hic Philippus annum ætatis ageret 15. Matrem habuit Margaritam Alberti Ducis Bavarię, Comitis Hollandiæ filiam: Tres uxores habuit, primam duxit D. Michaëlem Caroli sexti Francorum Regis filiam, quæ juvencula obiit: Secundam duxit D. *Claudiam, filiam Comitis de Heu, quæ & ipsa mox est mortua: Tertiam denique duxit D. Isabellam filiam Regis Portugalliæ, ex quâ sustulit filios Anthonium, ac Iudocum, qui mortui sunt impuberes: & demum anno 1434. filium tertium, quem, quod in profesto S. Martini nasceretur, Carolum Martinum appellari voluit: qui patre defuncto in omnia Dominia ac jura successit: præter hunc enim legitimam prolem nullam reliquit. Illegitimas autem utriusque sexus reliquit complures, inter has erant præcipuæ Cornelius Bastardus Burgundiæ, Dn de Beveren: Anthonius Magnus Bastardus Burgundiæ, Comes de Steenbergen in Arduennâ, Balduinus Bastardus Burgundiæ, D. de Faleis, & terrarum S. Annæ, D. David, antea Morinensium, posteà Ultrajectensium Episcopus: Philippus primùm maris Præfectus, deinde & Ultrajectensium Episcopus: reliquit etiam filias illegitimas tres, quarum duæ Sanctimonialium fuerunt Abbatissæ, una cui nomen erat Anna Adolpho Duci Clivensi nupta fuit: Fuit autem Philippus vir staturâ procerus, membris valide compactis, vultu hilari atque decenti, toto corporis habitu bene compositus, magnanimus, largus, consilio valens, propositi tenax, Religioni ac Religiosis deditus, multis victoriis clarus, hæreditatibus affluens, qui unus domui Brabanticæ multum honoris & opum contulit: magnâ autem sapientiâ ac felicitate ut ceteras Provincias suas, ita etiam Hollandiam, Zelandiam, ac Frisiam gubernavit, ubique factionum contentiones extirpans sine personarum respectu: Cùm autem biduo jam ægrotasset, sperantibus tunc Medicis nihil fore periculi, tertioque die Carolus Gandavo Brugas accitus patrem jam admodum languidum reperisset, cum eo quæ ad Provinciarum salutem pertinebant, maturè pertractavit: Quo defuncto, Carolus, quæ ad exequias paternas pertinebant, præparari jussit: Itaque corpus ejus exenteratum, & aromatibus conditum æneæ tumbæ inclusum, postridiè celebratis exequiis in Ecclesia S. Donatiani ante summum altare deponitur, ubi per multos annos permansit, ob id, quod Carolus ejus filius diversis occupationibus districtus Divionem in Burgundiam, quo ipse præceperat, apud majores suos illud transferre non potuerit. Intestina autem ejus exempta mundissimoque vase recondita ibidem in eodem choro sepulta sunt: Sed cor ipsius auro & argento decoratum missum fuit, ut petierat, Hierosolymas, in locum Calvariæ, in Ecclesiam Dominicæ resurrectionis, per Episcopum Atrebatensem cum magno comitatu & pompâ, muneribusque ac cimeliis infinitis.

ANNO DOM. 1441. 1465. 1466. 1434.

34. Ut habet Barlandus.

**Bonam patrui sui Philippi Comitis Nivernensis viduam.*

Imo sex.

COMES HOLLANDIÆ 26.

Carolus Burgundus præfuit annis 9. menſibus 6.

1467. ANNO 1467. in profeſto Sanctorum Petri & Pauli Carolus Philippi defuncti filius & hæres unicus Gandavi Comes Flandriæ, & mox Lovanii Dux Brabantiæ, conſimiliterque exinde in reliquis Ducatibus, Comitatibus, ac Dominiis,ut & conſequenter Hollandiæ ac Zelandiæ Comes, & Friſiæ Dominus inauguratus fuit ordine viceſimus ſextus. Eodem autem anno 13. Octobris Leodienſibus rebellantibus, & civitate Hoyenſi expugnatâ, indeque Epiſcopo ipſorum Ludovico Borbonio expulſo jam triumphantibus, ipſumque contumeliis laceſſentibus, Carolus Burgundus expeditionem parat in S. Trudonem. Quod in profeſto Symeonis ac Iudæ obſidione cinxit. Quo die & Lodienſes ad liberandum id oppidum cum viginti millibus armatorum Carolo occurrerunt: Sed commiſſo mox prælio Leodienſes deſtituti à ſuo Capitaneo Raſone, tribus millibus occiſis, reliquis fugientibus, ſuccubuerunt, amiſſis omnibus impedimentis bellicis: Carolus autem antea per ſuos vicerat, & funditus deſtruxerat oppidum Beringenſe. Mox autem oppidum Borgloon occupavit, & præſidio ſuo communivit, nec multo pòſt authoritate ſedis Apoſtolicæ roboratus, convocatis ex omnibus Ditionibus ſuis præſtantiſſimis quibuſque Ducibus exercitum collegit, in quo equitum ſimul & peditum centum & triginta duo millia fuiſſe memorantur. Itaque ſeptimo ab obſidione S. Trudonem per deditionem cepit: Civeſque ipſi ex pacto portas urbis ac muros demoliti ſunt: conſequenter etiam Tungrenſes mox ultrò civitatis ſuæ claves Carolo obtulerunt, ad cujus præceptum & portas ſuas & muros urbis ex parte demoliti ſunt. Eademque conditione cùm ultrò veniſſent, in gratiam receptæ ſunt & reliquæ civitates Leodienſis Diœceſis, ut nulla munitiones ullas retineret, præter ſolum Leodium, quo Carolum excluderet. Tandem Leodium in feſto S. Martini obſedit, & intra paucos dies ad conſimilem deditionem compulit, & Epiſcopum D. Ludovicum Borbonium affinem ſuum in ſedem Leodienſem reſtituit: cui deinde Leodienſes fidelitatem de
1468. integro jurarunt. Anno 1468. circa feſtum S. Iohannis in Iunio Carolus Burgundus in uxorem duxit D. Margaritam de Iorcâ, filiam Ridſardi Ducis de Iorcâ, ſororem Eduardi quarti Anglorum Regis: fœminam, ut eventus docuit, omnibus virtutibus ornatam, quæ cadere in mulierem poſſunt: ex quâ tamen liberos non ſuſcepit. Eodem anno Carolus civitatem Leodienſem denuò rebellantem 28. die Octobris planè deſtruxit: ſed paulo pòſt reſtaurari
1469. permiſit. Anno 1469. Carolus Burgundus certâ pecuniæ ſummâ Comitatum Forettenſem emit à Duce Auſtriaco, annoque ſequente Ducatum Geldriæ ab Arnoldo Duce Geldriæ, & item à Duce Cliviæ emit: Carolus autem hunc Arnoldum, quem filius ſuus Adolphus in caſtro de Buren ſex annis captivum detinuerat, liberavit, & Adolphum viciſſim captum, in Cortracenſi caſtro aſſervavit, quoadusque vixit: qui Carolo mortuo tandem liberatus, &
1470. militiæ à Mariâ Caroli filiâ Præfectus ante Tornacum periit anno 1477. Anno 1470. Carolus Burgundus in Hollandiam venit, & in Concilio Hagenſi pro Tribunali ter ſedit, quo
1472. tempore multi Principes ex diverſis mundi plagis iſtuc ad eum confluxerunt. Anno 1472. bellum coortum eſt inter Carolum Burgundum & Regem Franciæ. Eodem anno in profeſto S. Matthiæ in civitate Graviâ mortuus eſt Dux Geldriæ Arnoldus, duobus annis poſtquam liberatus fuit. Quo intellecto Carolus Burgundus, cùm Dux Geldriæ inaugurari vellet, & civitates Venloa, Noviomagum & Zutphania cæteris conſentientibus refragarentur: Carolns expugnatâ Venloâ, & per deditionem capto Noviomago, cunctis mox manum præbentibus, Dux Geldriæ ſolenniter ubique inauguratus eſt: Carolum autem Geldriæ natum tunc annos plus minus octo, & ſororem ejus Philippam Duciſſam poſteà Lotharingiæ captivos abducens Bruxellas miſit, ut ibi educarentur. Anno 1473 Carolus Burgundus tertio
1473. die Ianuarii inſtituit magnumConſiliumMechlinienſe. Anno 1474. Carolus Burgundus urbē
1474. Noveſienſem obſedit. Duravit obſidio menſibus duodecim, defendente eam urbem Frederico Imperatore: inter quos tandem per interceſſionem legati Pontificii pax eſt compoſita.

Anno 1475. cœpit bellum inter Carolum Burgundum & Renatum Ducem Lotharingiæ; cui ANNO
Carolus totum Ducatum Lotharingiæ ademit. Anno 1476. bellum cœpit inter Carolum DOM.
Burgundum & Helvetios, qui duobus præliis eo anno adversus eos infeliciter luctatus est. 1475.
Anno 1477. in profesto Epiphaniæ cùm tertio ante Nantium Lotharingiæ civitatem cum illis congrederetur, suis omnibus profligatis, ipse tribus vulneribus confossus occubuit, postquam Hollandiam, Zelandiam, Frisiam, cæterasque provincias suas à morte parentis administrasset annis novem cum dimidio: Sepultus autem est Carolus Nantii in templo S. Nicolai ante altare S. Georgii: Duxerat hic Princeps uxores tres. Ac primam quidem D. Catharinam Caroli Septimi Francorum Regis filiam, quæ desponsata tantùm, ante nuptias virguncula interiit: Secundam duxit D. Elizabetham sive Isabellam Ducis Borbonii filiam, ex quâ filiam suscepit unicam, nomine Mariam, quæ hæres unica in omnes ejus Provincias successit. Tertiam duxit D. Margaritam Iorcam, filiam Ducis Idsardi de Iorcâ, sororem Eduardi Quarti Anglorum Regis ex quâ liberos item non suscepit.

1476. 1477.

EPISCOPUS ULTRAJECTINUS 56.

Fredericus Badensis sedit annis 20.

ANNO 1496. defuncto atque sepulto D. Davide concordibus omnium Capitulariorum suffragiis electus, & mox à Pontifice confirmatus, ac demum solenniter in cathedram introductus est quinquagesimus sextus Episcopus Trajectensis D. Fredericus Badensis, qui paternum genus ab Illustrissimis Marchionibus Badensibus, maternum verò ex Austriæ Principibus ducebat. Hic variis bellorum tumultibus involutus fuit. Anno 1498. Episcopus Trajectensis una cum Carolo Geldrio magnam Guardiam, hoc est exercitum erroneum & proscriptum, conjunctis copiis à finibus suis profligarunt. Anno 1500. circa festum S. Mariæ Magdalenæ, cùm Saxoniæ Dux Albertus Gruningam obsidione premeret, in castra ejus ad Selvardiense Monasterium, una cum Transisulanarum civitatum legatis venit Episcopus Trajectensis, ut pacem inter Ducem & civitatem eam componeret, sed cùm nihil proficeret, in alium diem colloquium rejectum est. Anno 1503. bellum ingens fuit inter Ducem Geldriæ & Episcopum Trajectensem: ac Geldri quidem civitatem Oudenzelensem occuparunt, sed cùm se satis instructos præsidiis & subsidiis non esse animadverterent, relicto oppido recesserunt: Episcopus autem oppido recuperato, cum instructissimo exercitu impressionem fecit in Veluam, & multis castris eversis, pagis evastatis, cum ingenti prædâ Daventriam reversus est, & factâ cum Geldris pace, Episcopus respectu hujus belli precariam collectam clero indixit per Hollandiam Zelandiam & Frisiam: Sed Clerus ad Sedem Romanam provocatione factâ, per sententiam Papæ à collectâ fuit absolutus. Anno 1512. D. Isselstenius Trajectensibus indixit bellum, multasque in suburbiis eorum domos exussit, & à Monasteriis aliisque consimilibus sacris conventibus pecunias extorsit: Ideoque mox Trajectenses vicissim una cum Duce Geldriæ Isselstenium obsederunt, & assiduis tormentorum ictibus tum civitatis, tum castri muros gravissimè luxarunt. Sed cùm animadvertissent ipsum D. Isselstenium cum ingenti equitum ac peditum exercitu obsessis ferre suppetias, obsidione solutâ, maturè se Trajectum receperunt. Anno 1516. D. Fredericus Episcopus Trajectensis, postquam Episcopatum viginti continuis annis administrasset, multasque molestias ex factiosorum importunitate pertulisset, ingravescente jam ætate, prospiciens etiamnum plures ingruere difficultates, cupiensque consulere tum Ecclesiæ, tum incolumitatis suæ, cum consensu Capituli & Sedis Apostolicæ Episcopatum resignavit in manus præstantissimi viri Philippi Burgundionis. Et cùm Lyram Brabantiæ oppidum petiisset, ibidem paulò post est mortuus: corpusque ejus Badis ad Rhenum in sepulchro majorum suorum reconditum est. Fuit hic vir naturâ lenis & humanus, & qui non nisi summâ necessitate coactus arma sumpsit, magisque semper, ut Episcopum decuit, ad Ecclesiasticas functiones propenderit.

1496. 1498. 1500. 1503. 1516.

Noviom. 22. ei ann. tribuit.

COMES

ANNO DOM.

COMES HOLLANDIÆ 21.

Maria Burgundiaca præfuit annis 5. mensibus 2.

1477. POstquam de morte Caroli Burgundi constitisset. Maria ejus filia atque hæres eodem anno 1477. defuncto patri in omnium provinciarum suarum possessionem atque dominium hæreditario jure successit, quam eodem etiam anno in uxorem duxit Maximilianus Austriacus Frederici tertii Imp. filius. Cæterùm cum Maria viginti tantùm, Maximilianus duntaxat octodecim annos tunc natus esset, qui Hamatæ factionis erant, Hollandiæ, Zelandiæ, Frisiæque gubernationem sibi vendicare nitebantur: Asellati verò Maximilianum jure maritali in Comitem & gubernatorem earundem Provinciarum inaugurabant, ejusque præsidio se firmabant: unde factum est, ut multis annis intestinum bellum inter has factio-
1478. nes gestum sit. Anno 1478. mensis Iunii 22. die natus est Maximiliano Austriaco ex Mariâ Burgundiacâ uxore suâ Brugis filius primogenitus, cui nomen avi materni inditum est, Philippus. Anno 1489. nata est Maximiliano ex eadem uxore sua in principio veris filia, cui nomen est inditum Margarita. Eodem anno D. Wolffardus Veriensium Princeps; Hollandiæ, Zelandiç, Frisiæque Præfectus factionum pertæsus Præfecturam suam resignavit. In
1481. cujus locum substituit Maximilianus Austriacus Dn̄. Iudocum Lalainum. Anno 1481. Dn̄. Maria Burgundiaca Maximiliano Austriaco peperit filium secundogenitum, cui nomen est
1482. impositum susceptoris Francisci Ducis Britaniç, sed hic infans mox periit. Anno 1482. Maria Burgundiaca venandi studio egressa cùm ex equo ferocienti in terram gravius impacta læsa esset, dissimulato dolore ne Maximilianum contristaret neglectâ medicinâ 16. die mensis Martii in fata concessit Brugis, anno ætatis suæ 25. relictis liberis superstitibus duobus Philippo scilicet ac Margarita: postquam Provincias hæreditarias à morte parentis gubernasset annis quinque & mensibus duobus. Maria autem defuncta honorificè sepelitur Brugis in templo S. Donatiani: cor ejus exemptum in sepulchro matris Elizabethæ conditur Antverpiæ in cœnobio S. Michaëlis.

COMES HOLLANDIÆ 28.

Philippus Austriacus præfuit annis 24.

PHilippus igitur Austriacus eodem anno 2482. defunctæ matri suæ, ut filius unicus ac legitimus Hæres in omnia Dominia hæreditario jure successit, ac proinde extitit Hollandiæ, Zelandiæque Comes, & Frisiç Dominus vicesimus octavus: Sed quoniam is tum tribus etiam mensibus infra quartum ætatis annum erat, & proinde ad Provincias suas gubernandas inhabilis, multç ubique difficultates & contentiones exortç sunt. Maximè autem in Hollandiâ, de jure gubernationis, aliis Maximilianum postulantibus, aliis seipsos ingerentibus, quâ de re ad Chronicon Ducum Brabantiæ pleniùs disseruimus: Quæ quidem cùm hic rursus inculcare nihil sit necesse, id quod suasit æquitas & optimi quique re ipsâ comprobarunt, nos etiam tenebimus, quo certiùs distinguamus tempora: Maximilianum scilicet, ut alibi, sic etiam in Hollandiâ, Zelandiâ, & Frisiâ Philippi filii sui Tutorem & gubernatorem fuisse à morte matris usque ad inaugurationem ejus.

1482. Eodem igitur, anno 1482. mense Octobri pax inter Ludovicum undecimum Gallorum Regem, & Maximilianum Austriacum composita est, desponsatâ filiâ Maximiliani Margaritâ, quæ tertium agebat annum, Carolo Delphino Ludovici filio, qui annum agebat decimum tertium. Margarita autem in Franciam anno sequenti demum deducta fuit mense Majo. Anno

jo. Anno 1483. in obsidione Trajectensi Iudocus Lalainus Hollandiæ, Zelandiæ, ac Frisiæ Præfectus occubuit: cui proximo anno Maximilianus surrogavit D. Iohannem Egmondanum Wilhelmi filium natu maximum. Anno 1486. mensis Februarii, die 16. Francofordiæ electus est Maximilianus Austriacus in Regem Romanorum. Anno 1492. Dux Saxoniæ Albertus, cui suas vices Maximilianus in Germaniam profectus generaliter commiserat, Hollandiam, Zelandiam, ac Frisiam gravissimâ exactione afflixit. Eodem anno Carolus Octavus Rex Galliarum. Maximiliani Austriaci filiam Margaritam repudiatam in Flandriam remisit. Anno 1494. Philippus Austriacus annos jam habens sexdecim, in omnibus Provinciis hæreditariis solenniter, & magno cum applausu inauguratus est: cui pater Maximilianus ductâ uxore alterâ gubernationem harum Provinciarum maternarum resignavit. Philippus autem Ducem Saxoniæ, Albertum generalem Capitaneum, sicuti Maximilianus constituerat, Hollandiæ, Zelandiæ, ac Frisiæ confirmavit: Anno 1495. mense Novembri Margarita Austriaca Maximiliani Cæsaris filia, & Philippi Austriaci soror nupta est Dñ. Iohanni D. Ferdinandi Regis Arragonum ex Isabellâ, sive Elizabeth filio unico, & mox in Ianuario sequentis anni, 1496. Philippus Austriacus Iohannam Arragonam ejusdem Ferdinandi Regis ex eâdem Elizabethâ filiam inter tres mediam in uxorem duxit, ex quâ progressu temporis filios duos, & quatuor filias suscepit, de quibus suo loco dicturi vicissim sumus. Anno 1498. Frisii factionum intestinarum pertæsi Albertum Saxoniæ Ducem in perpetuum atque hæreditarium patriæ suæ protectorem Imperii Romani nomine receperunt: Inter cæteras tamen in primis eâ conditione, ut hujus pacti consensum impetraret ab Imperatore: Maximilianus verò Imperator hac de re certior factus, eodem mensis Iulii 16. die literis Friburgi Brisgoiæ datis declaravit, se Comitus ibidem celebratis, cum consensu Principum Imperii pactum Frisiorum cum Alberto Saxonum Duce initium comprobasse: Additoque generali mandato, omnes ac singulos in Frisia degentes ad illius obedientiam adstrinxit. Quibus literis conspectis non multum sunt posteà reluctati Alberto, qui hactenus ibi restiterant, cususque, fuit insequenti mox Augusto nummus Snecæ in perpetuam rei memoriam, in cujus parte alterâ habebatur (*Nummus Regis Romanorum*) in alterâ verò (*Albertus Dux Saxoniæ*) facta sunt hæc octuaginta septem annis postquam recuperatâ Stauriâ Frisii Wilhelmi Sexti Comitis Hollandiæ jugum excusserant: nam quod ab eo tempore nos hactenus ad Historiam Comitum Hollandiæ Præfectos etiam Frisię retulerimus, id ad hanc Frisiam nihil pertinet, de qua hîc loquimur, quam Becanus & alii veteres *Orientalem* vocant, sed ad illam, quam iidem vocant *Occidentalem*, nos autem jam Hollandiam Septentrionalem nominamus: Nunc enim Occidentalem Frisiam appellamus, quam interjectum mare ad Occidentem ab Hollandiâ separat: Orientalem dicimus illam, quæ Gruninganis interjectis ad Orientem porrò hoc nomine usitate appellatur: Cujus distributionis rationem nos alibi commodiùs reddituri sumus: Porrò autem eodem anno 1498. nata est Philippo Austriaco primogenita filia Elionora, quæ adulta primum Emanueli Regi Portugalliæ nupta fuit, eoque mox sine liberis defuncto, nupsit Francisco Valesio Galliarum Regi. Anno 1500. qui bisextilis fuit 24. die Februarii, hoc est, eo, qui S. Matthiæ, & S. Petri festa interventu suo separabat, Gandavi natus est Philippo Austriaco primogenitus filius Carolus, qui & successor posteà fuit Patri in Dominium harum Provinciarum, & Rom. Imp. ejus nominis Quintus. Eodem anno Albertus Saxoniæ Dux Supremum atque Provincialem Frisiæ Senatum, quem pridem instituerat, reformavit, hisce Consiliariis ordinatis: D. Petro scilicet Abbate in Lidlum, D. M. Bernardo Buchone ab Aita, D. Hesselo à Martena, D. Iulio à Dekema, D. Herone ab Hottinga, D. Renico ab Camminga, D. Scheltone à Liauckama: horum omnium nemo non præstantissimus vir, nemo non immortali laude dignissimus fuit: M. Bucho tamen id præ cæteris communi Reipub. eximium contulit, quod Viglium Zuichemum, ex fratre Folcardo nepotem, Secretioris concilii Cæs. ac Regiæ Majestatus Præsidem, & ordinis Aurei Velleris Cancellarium, & ipse diligenter erudivit, & ad studia prosequenda vivens moriensque sumptu suo liberaliter adjuvit: fuerat autem D. M. Bucho in Academiâ Lovaniensi ut artium liberalium & U. J. Lauream consecutus, ita etiam multis ejusdem Gymnasii honoribus magno cum Reipub. literarum emolumento perfunctus: Itaque cum singulari eruditioni atque prudentiæ suæ parem fidem atque industriam Illustrissimo Duci Alberto probasset, non solùm ille cum liberis suis moriens commendavit, sed & ejusdem Ducis filius ac successor, Georgius itidem Saxonię Dux non dissimulem in Reipub. administratione expertus, Carolo Quinto porrò

ANNO DOM. 1483. 1486. 1492. 1494. 1495. 1496. 1498. 1500.

ANNO DOM. porrò commendavit, cùm ad illius Imperium Frisia transferretur, à quo primi quoque Consiliarii dignitate ornatus est. Anno 1501. nata est Philippo Austriaco filia secundogenita, nomine Isabella, quæ posteà in matrimoniũ data est Christiano Regi Daniç, Sueciç, Norvegiç, ejus nominis secundo. Eodem anno Philippus Austriacus cũ uxore suâ in Hispaniã profectus est, iter faciens per Franciam, ubi sponsalia contracta sunt inter Carolum Philippi filiũ & Claudiã filiã Francorũ Regis, quæ tamen non multo pòst dissoluta sunt. Anno 1503. Philippo

1503. Austriaco in Hispania natus est filius secundo genitus, nomine avi materni appellatus Ferdinandus, qui Bohemiæ Rex & posteà Rom. Imp. ejus nominis primus fuit, & filium successorem Imperii reliquit Maximilianum ejus nominis secundum, qui nunc Imperii habenas moderatur. Anno 1505. decimâ quartâ die Septembris nata est Philippo Austriaco filia tertio

1505. genita, nominata Maria, quæ posteà nupta fuit Ludovico Regi Ungariç, quo sine liberis sublato, hæc Provinciis hisce inferioribus à fratre Carolo Quinto tandem gubernatrix per multos annos Præfecta sedit. Anno 1506. pridie Regum, hoc est septimo die Ianuarii, Philippus

1506. Austriacus, una cum uxore ex portu Zelandiç Armudensi classem solvit navigaturus in Hispaniam, sed vi tempestatis disiecta classe, in Angliam ejicitur, ubi spe melius per dies aliquot exceptus ac refocillatus in Hispaniam appulit, & inauguratus Rex Castellæ Legionis & Granatæ coronatus est: & quinta post coronationem, hoc est 26. die Septembris mortuus est Burgis in Castilia, sepultusque in Monasterio Carthusianorum Amersfloro in excelso monte prope Burgas sito: cor ejus exemptum Hierosolymas translatum est, ubi & proavi ejus Philippi Burgundi cor reconditum fuit: Intestina Brugas translata in sepulchrum, Mariæ

1507. matris ejus condita sunt: Uxor ejus, quam gravidam reliquit, anno proximo 1507. posthumam filiam quarto genitam, dictamque Catharinam, peperit: quæ adulta in matrimonium itidem collocata fuit Regi Portugalliæ. Philippus igitur periit anno ætatis suæ 28. relictis liberis superstitibus sex, ut tamen in hunc numerum etiam posthumam computemus, inter quos cùm jure primogenituræ Carolo successio deberetur, is patri proximè suffectus est: Fuit autem Philippus Princeps multis nominibus laudandus, & cui nihil magis defuit, quàm vitâ diuturnior, de quo alias copiosiùs diximus. Administravit has Provincias annis viginti quatuor, duodecim scilicet per Maximilianum Patrem suum, & totidem per semet-ipsum.

EPISCOPUS ULTRAIECTINUS 57.

Philippus Burgundio sedit annis 8.

1516. ANNO 1516. Philippus à Burgundiâ post resignationem à Frederico Badensi, & confirmationem à Pontifice factam Episcopus Ultrajectensis quinquagesimus septimus inauguratus fuit. Erat autem hic Philippus Davidis defuncti frater, & filius magni istius Philippi Ducis Burgundiæ, & Hollandiæ Comitis vicesimi quinti: Ideoque Maximiliani Imperatoris, & Caroli Austriaci Hispaniarum Regis, &c. Comitis tunc Hollandiæ potius authoritate ac jussu, quàm ambitione suâ ad Episcopatum accipiendum perductus fuit, ut illi scilicet per hunc suis Ditionibus tuendis robur ac præsidium acquirerent: Matrem hic Philippus habuerat Margaritam Postiam fœminam, ut corporis venustate, ita etiam animi integritate insignem, in cujus oculis Bruxellæ educatus, & optimis moribus ac disciplinis institutus est, dum Carolus Burgundus ejus frater bellis externis assiduè occupatus minus illi vacare posset. Cumque eâ ratione sub optime eodemque grandævo præceptore adjunctis honestissimis condiscipulis ad annum ætatis usque duodecimum in literis præsertim Latinis pro ingenii sui vividitate exercitatus non mediocrem profectum fecisset, mortuo tandem Carolo, cum Maria Caroli filiâ Maximiliano Austriaco nupta rerum potiretur in ejus aulam ascitus est, in quâ ille tantâ cum gratiâ versatus est, ut Maximilianus cum progressu çtatis defunctâ etiam Mariâ, militiæ suæ adscripserit, & cùm Imperator coronaretur Aquisgrani equestris ordinis insignia illi contulerit: Nondum decem & octo annos natus primum Gravelingæ, deinde Cortraco Flandriæ oppidis præfectus est, easque Præfecturas summâ cum felicitate administravit: In motu tamen quo Flandria ob tutelam Philippi Austriaci à Maximiliano dissidebat, Flandrorum partes tuebatur: Ideoque rebus inter partes compositis, ipse

Vide Gerardum Noviomagum qui vitam hujus Philippi singulari lib. descripsit.

tis, ipse offenso, ut videbatur, Maximiliano, ad fratrem Davidem concessit Ultrajectum, apud quem summo in honore habitus fuit: Davide autem mortuo fraternæ hæreditatis portione acceptâ, ad aulam Burgundiacam reversus est, adeoque charus extitit Principi Philippo Maximiliani filio, ut is eum in argumentum suę in illum benevolentiæ clarissimo ordini equitum aurei Velleris adscriptum torque donaverit, ac toti suæ familiæ præfecerit. Philippo posteà ex Hispaniis reverso Anna à Burgundiâ Adolphi Ducis Clivensis uxor moritur, quæ Philippum fratrem soror ex semisse hæredem scripsit. Unde Philippus opibus auctus ab aulâ se subducere, & sibi vivere privatim voluit: sed à Philippo Rege rebus maritimis Præfectus, & Regiarum classium Dux constitutus est: In quâ Præfecturâ ille ob singularem dexteritatem prudentiam, æquitatem, peritiam summo cum Reipub. commodo versatus est. Cumque Philippus Rex oppidis aliquot in Geldriâ occupatis Hispaniam repeteret, hujus fidei ac diligentię ea ipsa commissa sunt, quæ ille non modò pro expectatione Regis sui, sed etiam cum gratiâ ipsorum hostium tutatus est: & mortuo in Hispaniis Philippo Rege, cùm erigentem cristas Geldriæ Ducem, & Gallorum auxilio tumidum contundere non posset arbitrio suo, prohibitus ab eo, qui tum Burgundicis rebus præerat, post tantos labores in Zelandiâ quiescere decreverat: verùm id minimè concessum est. Legatus enim à Maximiliano Augusto & Carolo Hispaniarum Principe Romam ad Iulium Secundum Pontificem maximum mittitur: In eâ Legatione supra quam dici potest honorificè ab omnibus Italię Principibus & civitatibus exceptus est præcipuè tamen à Principe Mirandulano, Veronensibus, & Florentinis: Pontifex Iulius plus ei honoris exhibuit, quàm ulli intra centum annos legato exhibitum memoriæ proditum est: Hac igitur legatione feliciter expletâ in Brabantiam reversus, cum Caroli Quinti soror Isabella Christierno Danorum Regi desponsa esset, ipse hoc muneris ab Augusto sponsæ avo & Carolo injunctum accepit, ut eam ad sponsum usque illorum nomine comitaretur ac deduceret, quo munere magnificè functus, dum in patriam revertitur, pestilentia naves invasit, quâ etiam filia Balduini à Burgundia fratris sui, quam ille ex nobilissimâ Dñ. Marinâ Manticâ sustulerat, periit: In patriam reversus totus exornandæ Arci suę Suytburgo intentus erat, cùm Carolus Quintus & Fredericus Marchio Badensis Episcopus Ultrajectinus invictis precibus orant, donec tandem exorant, ut ille Episcopatum Ultrajectinum suscipere dignaretur: Quem quidem susceptum ita administravit, ut in rebus Ecclesiasticis, in sacris officiis, in ministeriis Divinis assiduus esset, nec ea interim negligeret, quæ ad externi Principatus amplitudinem conservandam pertinere videbantur. Anno 1521. hic Episcopus uno stratagemate declaravit, quantum arte bellicâ valuerit, si castra potius, quàm Ecclesiam sectari voluisset: nam cùm Carolus Geldriæ Dux Gallorum auxiliis instructus in distrahendâ Frisiâ, tum Carolo Quinto negocium facesseret, eademque tempestate & Episcopum Philippum Transisulanorum motibus involveret. Episcopus nihil minus expectante Geldro exercitum satis copiosum transmisit in Frisiam, Duce Nicolao Wildersdorffio, qui gravissimis exactionibus attrivit eos, qui partes Geldricas sectabantur: Quæ causa fuit, ut à Geldris tunc ad Burgundos multi deficerint. Anno 1522. mortuus est Pontifex Leo Decimus, & electus est in locum successor ejus D. Adrianus Florentius Ultrajectinus, dictus Adrianus Sextus, qui Caroli Quinti præceptor fuit, de quo nos alibi latiùs diximus: Sed hic vir sanctissimus non nisi anno uno sedit, & hebdomadis triginta sex, mortuusque est anno 1523. mensis Septembris decima quarta die. Anno 1524. septimo die Aprilis, anno ætatis suæ quinquagesimo nono, diem suum obiit D. Philippus à Burgundiâ Episcopus Ultrajectinus, sepultusque est in Ecclesiâ parochiali, apud Batavodurum, sive Dorestatum, postquam Episcopatum administrasset annis octo. Hic enim, ut in administrandâ Ecclesiâ fratrem suum D. Davidem sedulò ac feliciter imitatus fuerat, ita etiam sepulturam illi vicinam habere voluit: erat hic Philippus staturâ procerus, membris gracilibus ac venustis, oculis nigricantibus, cute candida, planeque similis parenti: moribus planè compositis, conversatione commodissimus omnibus, nemini molestus, qui virtutem sectari videretur: Pacem in primis amabat, artesque sectabatur eas, quæ pacis maximæ sunt earumque cultores maximi faciebat: Deditus potissimùm erat antiquitatibus: ideoque in adolescentiâ pictoriam artem & aurifabrilem didicerat: Architecturam ita callebat, ut nullę ejus artis dimensiones, proportiones, aut symmetriæ eum laterent, adeoque si de basibus, columnis, epistyliis, coronamẽtis atq; id genus reliquis sermonem faceret, ex Vitruvio eum legere putares, de

ANNO DOM.

1521.

1522.

1524.

ANNO DOM. ras, de fontibus, aquæductibus, thermis nemo peritiùs eo disserebat: Quâ re factum est, ut, cùm Romæ esset, Iulius Pontifex eum summoperè amaret, multaque ultrò offerret quæ alii ambire solent: Sed ille pro sui animi celsitudine nihil accipere voluit præter duas statuas marmoreas, quarum una Iulii Cæsaris, altera Helii Hadriani erat. Itaque cùm his tantópere delectaretur, antequam Episcopatum consecutus esset, intentus exornandæ Arci suæ Suytburgo inter fabros Architectos, sculptores, & pictores versabatur adeo familiariter, ut unus illorum putaretur: Aderant ei & versificatores, qui picturas atque structuras carminibus ornarent, ut utramque picturam & loquentem & tacitam ostentare posset: Excellentes in quavis arte, artifices miro favore prosequebatur, domique suæ liberaliter alebat. Accersierat sibi magnis expensis pictores & architecto: primi nominis Iacobū Barbarū Venetū, & Iohannem Gossardū Malbodium, nostræ ætatis Zeuxin & Apellem: Itaque & hanc ipsam suam Arcem Suytburgum & Episcopales quoque postea, maximè autem veterem illam, quæ Dorestati est, novis ædificiis commodiorem fecit, picturis, sculpturis, figulinisque talibus exornavit, ut nec in ipsa quidem Italia quisquam politiùs possit, ut de propugnaculis, armis, Bombardis aliisque munitionibus interim nihil dicamus. Bonarum præterea literarum Professores mirè amabat. Ex horum numero in primis sibi familiares fecerat D. Erasmum Roterodamum & Iohannem Paludanum Lovaniensis Academiæ Rhetorem. Postquam verò Episcopalem dignitatem adeptus esset, quoties extra profectionum strepitus domi pro arbitrio suo vivere poterat, ita ferè diem partiri solebat, ut primam ejus partem rebus divinis & sacrorum codicum lectioni daret: his peractis, consiliis, consultationibusque præerat, audiendis literis, querelis, litibus, sententiis intentus, eâ curâ ac diligentiâ, ut nihil literarum nisi se præsente resignaretur, nihil nisi suâ manu subscriptum obsignaretur: postea prandebatur. Inter prandendum quæstiones variæ proponebantur ex Poëtis, ex historicis, ex Sacris literis: historias veterum ferè omnes Gallicè legerat, memoriæque commendarat: historias Latinas quotquot extabant, Gerardo Noviomago prælectore attentissimè audierat: pomeridianis horis, aut in hortis deambulabat, aut opificum officinas in morem solliciti patris familias circumibat: cœna quæstionibus ac lectionibus & collationibus honestis ac jucundis transigebatur: A cœnâ in multam noctem plerumque cum eruditis conferebat. Cumque his moribus, eoque ingenio esset, ab avaritiâ, tyrannide, & crudelitate alienissimus erat miroque affectu suos prosequebatur, & nemini, aut exactionibus, aut nuper inventis vectigalibus gravis: nam toto tempore, quo Ultrajectinis præfuit, ne obulum quidem à quoquam præter veteres & annuos reditus in suum commodum exegit. A bellicis motibus prorsus abhorrebat: nec erat planè quicquam quod magis illi dolebat, quàm quod Campensium, Suollensiumque dissidiis se bello Geldrico invitum involvi cerneret, planeque magnâ ex parte lethalem animi mœrorem hinc contraxisse videri potest: qui etiam in mortis agone positus, Deum non semel testatus est, se ejus belli causam & originem non fuisse.

EPISCOPUS ULTRAJECTINUS 58.

Henricus de Bavaria sedit annis fermè 5.

DEfuncto igitur Philippo Burgundione totius Capituli congruentibus suffragiis eodem anno 1524. electus est Ultrajectensium Episcopus quinquagesimus octavus,
1524. D. Henricus de Bavariâ, Philippi Comitis Palatini & Electoris filius. Qui quamprimum Pontificiâ authoritate confirmatus est, magno tum cleri, tum populi Trajectensis
1525. gaudio in Episcopalem cathedram collocatus fuit. Anno 1525. mense Februario civitas Ultrajectensis tumultuari cœpit. Nobilibus ex veteri quodam odio plebem adversus Consules Everardum Soudenbalgum, & Godefridum Vordium instigantibus: Quorum errore abusi hos ipsos repetundarum insimulabant. Consulibusque in voluntarium exilium digressis, & fautoribus eorum proscriptis, approbationem rerum abs se gestarum ab Episcopo Batavoduri ægrotante, per calumnias impetrant, absentibus proscriptis: non multo autem pòst plebs animadvertens se promissâ immunitate per Nobiles frustrari, contra eos conspiravit. unde inter has partes de novo orta recenti contentione, dicta est Nobilium factio confœde-

riatorum, plebis autem Septiwaudiorum: Ac Septiwaudii quidem coadunati, cum numero superiores essent, primùm à confœderatis, & mox etiam ab Episcopo reverso extorserunt immunitatem, ita ut nulli eâ re magis gravarentur quàm Ecclesiastici, quoniam æquum esse clamitabunt eodem eos onere gravari, qui eadem civitate clauderentur. Anno 1526. sexto Idus Decembris confœderati Septiwaudiis ademerunt per vim eadem, quæ per vim coacti superiori anno concesserant. Anno 1527. instante quadragesimâ confœderati contracto Benscopiorum ex Ditione Isselstenicâ subsidio, Septiwaudiis sodalitiorum suorum signa, sive vexilla, & comitiorum jus ademerunt, eaque omnia irrita fecerunt, quæ ipsis per Antistitem dudum concessa fuerunt. Eodem anno Episcopus Dorestatum reversus proscriptis per salvum conductum ad se vocatis, & auditis, melius informatus contracto mediocri equitum comitatu, quos illi Florentius Comes Buranus suppeditaverat, cùm ad sopiendum dissidium Trajectum repeteret, à confœderatis est exclusus; Et mox Dux Geldriæ Capitaneus postulatus, qui nonis Augusti quadringentos pedites, & postridiè turmam equitum transmisit. quos confœderati noctu portis effractis intromiserunt, atque ita civitatem ipsam Duci Geldriæ in manus tradiderunt: Anno eodem Episcopus his consideratis, & proinde contractis tribus peditum millibus, equitibus ducentis in aggere Vardano castrense propugnaculum erexit, & intercluso commeatu reliqua adversus civitatem arte militari molitus est, quæ ad eam recuperandam pertinebant: Geldrus econtra oppida Transisulanorum, Hasselam & Renum, nomine Trajectensium occupavit, Trajectumque ipsum præsidiis & commeatu abunde instruxit, & se Dominum Trajecti inaugurandum curavit, ibique Rossemium vicarium reliquit: Transisulani cùm sibi de integro cum Geldris bellum gerendum esse animadverterent communicato cum Episcopo Henrico consilio, ut molestiis finem imponerent, Invictissimo Imp. Carolo Quinto communibus animis sese subdere decreverunt: Itaque Princeps Florentius Comes Buranus accitus nomine Cæsareæ Majestatis à Transisulanorum Repub. inauguratus est: acceptâque una cum Cæsareanis legibus libertate, ille fidei sacramentum vicissim stipulati sunt: Belli administratio clarissimo Baroni Georgio Schenck à Tautenburch Cæs. Majestatis apud Frisios Vicario demandata est. Inter has igitur partes istis Ducibus vario Marte aliquandiu certatum fuit. Episcopus ipse Bataviam depopulatus est. Anno 1528. nonis Martii Rossemius cum præsidiariis mille quingentis, & civibus Trajectensibus non paucis impressione in Hollandiam factâ, spoliavit Hagam Comitis, & omnes propinquos pagos, & cùm nemo resisteret, cum ingenti prædâ Trajectum reversus est. Eodem anno primâ die Iulii Godefridus Vordius acceptis ab Episcopo auxiliis per proditionem Trajectum recuperavit, Geldrosque expulit, multisque confœderatis interfectis, multis captis, reliquis fugatis, omnium bonis confiscatis: Quo facto & Episcopus Trajectum reversus est. Eodem etiam anno Gorichemi comitia Principum habita sunt, ubi solida pax inter augustissimum Cæsarem Carolum Quintum & Carolum Geldriæ Ducem, atque ipsos denique Ultrajectinos est firmata iis, quidem conditionibus, ut Carolo Geldro adempta oppida restituerentur: Carolus Geldrus Ultrajectinos sacramento fidei sibi præstito liberaret, Trajectini Carolum Quintum in Dominum suum præstito fidelitatis juramento reciperent: Itaque soluto Principum conventu D. Antonius de Lalain, Comes Hochstratanus, Trajectum mox profectus, cives Trajectenses (quos Episcopus Henricus à sacramento sibi olim præstito jam priùs absolvit) fidelitati Cæs. Majestatis, jurejurando sumpto, adstrinxit, ipseque nomine Cæs. Majest. à Trajectinis inauguratus fuit. Cùm igitur eâ ratione Carolus Quintus Trajectinæ civitatis, ac totius Territorii Trajectensis inferioris jam, ut & antea superioris, Iurisdictionem civilem consecutus esset, mox quod authoritatem ejusmodi Principis maximè decuit, tranquillitati Reipub. consuluit, & factionibus ac seditionibus in posterum occasionem præripuit: Primû enim ne quando ad publicam incolumitatem deesset armata defensio, Præfectos in primis, ut potentissimos, ita rei militaris peritissimos huic Provinciæ tutandæ præfecit, qui adversus hostium insultus externos eam defensarent: In quibus quidem deligendis quanta prudentiâ tum ipse, tum etiam filius ejus Hispaniarum Rex Philippus hactenus usus fuerit, satis evidenti testimonio sunt res ab ipsis gestæ: quæ ut recenti adhuc superstitum memoriâ teneantur, ita etiam publicis historiarum monumentis consignatæ sunt. Primus in horum ordine fuit D. Antonius de Lalain, Comes Hochstratanus, qui quantus in armis Caroli Quinti fuerit, quid multis opus est hic referre? Huic defuncto suffectus est 11. Octob. an. 1540. Renatus

Marginalia: ANNO DOM. 1526. 1527. 1528. 1540.

ANNO natus Chalonius Princeps Aurangiæ, quem ob strenuam fortitudinem suam Carolo Quinto
DOM. itidem fuisse charissimum, nemo est, qui ignorat: Tertium locum obtinuit 4. Octobris, an-
1544. no 1544. Ludovicus à Flandriâ. D. de Praet. Qui quidem, uti superioribus illis nihilo de-
terior fuit, ita postquam se cum consensu Caroli Quinti Præfecturâ abdicasset, successorem
1546. habuit facilè parem; huic enim 27. die Martii anno 1546. successit Maximilianus à Burgun-
1559. diâ, Marchio Veranus: Huic defuncto suffectus est 18. Augusti anno 1559. Guilielmus
Nassovius Princeps Aurangiæ: hic autem, Duce Albano ad excitatos in Belgico motus com-
1567. ponendos misso, in superiorem Germaniam cùm recessisset, anno 1567. Præfectus Hollan-
diæ atque Ultrajectinæ provinciæ designatus fuit Maximilianus Comes à Boussu. Ut au-
tem per hos omnes ac singulos quam diu in officio fuerunt, publicam defensionem foris uni-
versæ Ditioni Cæs. ac Regia Majestas armis hactenus lautissimè præstitit, ita etiam legi-
bus domi singulorum salutem tutata fuit per prudentissimos illos viros, quos dirimendis pri-
vatorum controversiis præsidere voluit. Neque enim solum in Magistratum urbis, qui anteà
fuerat, præstantissimos quosque viros allegit, verùm etiam superiorem curiam ordinavit, ad
quam ex omnibus provinciç territoriis provocatio esset: In quâ, ut Majestatem suam reprę-
sentari, ita præcipuè Ius dici ex civilibus Rom. legibus voluit. Itaque cum 11. Aprilis anno
1530. Carolus Quintus hanc ipsam curiam ordinaret, conquisiti sunt & allecti in eam viri
1530. omnes singulari eruditione præditi, & ingenti rerum usu docti, qui & Imp. Majestati deco-
ri, & universę Reip. præsidio esse possunt in dirimendis litigantium controversiis: Primus
hujus sacrosancti Senatus Præses una cum ipsa curiâ inauthoratus est 11. Aprilis anno 1530.
1530. clarissimus vir ac D. Caspar Levinus Hogelandius, quem ex supremo Hollandię concilio
Carolus Quintus ob spectatam multis arduis negociis prudentiam & integritatem istuc tran-
stulerat: Hogelandio, cùm post annos octo spontè se eâ dignitate abdicasset, ex Frisiæ su-
premo consilio translatus sexto Augusti sufficitur M. Martinus Nardenus Eques Auratus, &
U. I Licentiatus; qui cum summâ fide ac diligentiâ munus hoc per triennium administras-
set, Gruninganæ civitatis ac Ditionis Vice-præfectus constitutus est, ubi summo in honore
ac dignitate per multos annos versatus tandem vitâ defunctus: Nardeno igitur ex supremo
Frisię Senatu huc translatus 21. Novembris anno 1541. in hunc ordinem successit, Hector
1541. Hoxvirius Frisius, Eques Auratus, & U. J. Doctor, qui & multis ad diversos Principes pro
patriâ, & pro ipso Carolo Quinto legationibus, & variis Reipub. negociis exercitatus &
probatus jam fuerat, antequam hanc dignitatem susciperet, quam & susceptam porrò sic tu-
tatus est, ut idem Carolus Quintus anno 1546. cùm Trajecti festivitatem Aurei Velleris ce-
1546. lebraret eum in testimonium approbatę fidei ac diligentiæ equestris ordinis privilegiis ho-
noraret: quanquam autem is scripta, quod equidem sciam, in publicum nulla ediderit, ex
quibus de ingenio ejus atque eruditione judicari queat, tamen unus ille libellus, quo studio-
sus olim hic Lovanii conterraneis suis commilitonibus pręscripsit leges, abundè satis arguit,
& literatissimum fuisse jam tunc, & ingenio præditum planè politico. Itaque & Universi-
tas ipsa Leges hasce Sigillo suo comprobare dignata est, & ex Frisiâ Occiduâ quotquot Lo-
vanium studiorum gratiâ commeant, in collegio nationis suæ veluti publicas ac sacrosanctas
magnâ cùm veneratione colunt: Hectori vitâ defuncto succesit 27. Aprilis anno 1547.
præstantissimus vir ac Dominus Adrianus Vanderburchius magister antea libellorum suppli-
cum, & magni Consilii Mechliniensis Consiliarius, qui elapso decennio electus est in Præsi-
dem, ut vocant, Flandrię, & custodem Sigilli Belgici, quo & ipsius virtutibus hoc præ-
mium testimonio esset: Vanderburchio 19. Maji anno 1557. superioribus nec eruditione nec
industriâ inferior Hippolytus Persinus U. J. Doctor, ex antiquâ illâ Persinorum prosapiâ
oriundus, qui quantoperè Carolo Quinto primùm ac deinde filio ejus Serenissimo & Ca-
tholico Hispaniarum Regi probatus fuerit, ex eo satis liquet, quod primùm in supremâ Hol-
landię Curiâ Senatorem, deinde in Frisiâ Præsidem, ac demum Pręsidem Ultrajecti esse vo-
luerit, itidemque Equestris ordinis insignibus ornaverit: Hippolyto defuncto 11. Augusti
anno 1569. Georgius Ratallerus Leovardiensis, Doctor & ipse U. J. & omni literarum ge-
nere politissimus, ex vetustis ac nobilibus Ratalleris originem ducens, cujus parens optimus
vir D. Iohannes Ratallerus Cęs. Majestatis Quæstor, & Senator supremę Curię per Frisiam
multis annis fuit. De hoc mihi minus ideò hic dicendum est, non modo quod in vivis sit, sed
etiam, quod scripta ejus, quæ & multa, & Reipub. frugifera publicavit, ipsum satis decla-
rent, atque commendent: neque fieri posit, ut verbis meis tantum tribuatur fidei, quantum
meritò

meritò tribuitur virtuti ipsius: cui præsens testimonium ipsa Majestas Regia tulit, quæ cùm per annos aliquot Magistrum libellorum supplicum, & Magni consilii Mechliniensis Consiliarium diligentem atque fidelem comperisset, hoc ordine dignum judicavit: Quem Deus Opt. Max. Rei pub. incolumem conservare dignetur. Non solùm autem in Præfectis ac Præsidibus, sed etiam in Consiliariis reliquis Domus Burgundiacæ providentia curavit id quod diximus, ut prudentissimi quique viri in hunc præcipuè Senatum allegerentur. Fuerunt enim ab initio statim, ut sunt adhuc, non pauci viri omnibus numeris absolutissimi in eo ordine, tametsi ad nostram notitiam non pervenerint: unus tamen occurrit interim, qui sub Præside Nardeno opinor inauthoratus est clarissimus vir Lambertus Canterus Gruninganus, quem, cum ob meritum parentis sui Gulielmi, quod ille Consul in Rebus Gruningensibus constituendis, una cum Præfecto Domino Georgio Schenck præstiterat, Carolus Quintus commendatissimum haberet, magis tamen charum habuit, cùm degenerem non esse animadverteret: Erat enim maximè doctrinâ, hoc est U. J. prudentiâ insignis, quâ, tum rebus ibi novis potissimùm opus erat; Itàque factum, ut illum cum primis in hunc ordinem adscripserit: Lambertus igitur exinde fixis Trajecti sedibus non modo Senatui operam suam in civilibus Curiæ negociis egregiè probavit, sed etiam tempus omne, quod his superfuit, in reliquarum disciplinarum studia contulit, nihilque prætermisit inexcussum, quod ad absolvendum universum Encyclopadiæ orbem pertineret: qui quidem quo minus ingenii sui fœtus ullos, quos tamen & multos & insignes inchoaverat, in lucem produxerit, immatura mors effecit, sed benè habet, quod filios superstites duos reliquerit, viros omni disciplinarum genere excultissimos, Gulielmum ac Theodorum; qui suis eruditissimis scriptis certatim pensant in quo defecit parens. Hujusmodi itaque viros cùm ad solatium bonorum Carolus Quintus ut & filius ejus Hispaniarum Rex hactenus Ultrajectinæ Reipub. præfecerint, tum etiam anno statim 1529. ut metu cohiberet improbos; Arcem præsidiariam intra septa urbis munitissimam extruxit, quam ex eventu sperato **Vzeburch** / hoc est, Arcem pacificam appellavit. Eodem anno mense Iunio, circa festum S. Iohannis D. Episcopus Henricus de Bavariâ Episcopatum suum in manus Papę Clementis Septimi resignavit, postquam eum in maximis difficultatibus administrasset per annos fermè quinque: relictoque Ultrajecto in superiorem Germaniam reversus tandem Wormaciensis Episcopus electus est: Si quis autem de rebus Ultrajectensium sub hoc Episcopo gestis pleniorem historiam cognoscere desiderat, Lambertum Hortensium, & Henricum Bomelium legat, qui quamvis avidum Lectorem facilè, & quidem cum summâ voluptate expleturi sunt: non pauca autem & popularia Chronica Hollandiæ, Flandriæ, Brabantiæ, & finitimarum aliarum gentium suppeditabunt, quæ omnibus obvia sunt.

ANNO DOM. 1529.

FINIS.



ERRATA

ODE TRICOLOS TETRASTROPHOS,

Ex duobus Asclepiadeis, tertio Pherecratio, & quarto Gliconico, de TRAIECTINAE civitatis laudibus.

TRAIECTUM celebret Pieridum chorus,
Trajectum celebrent & pueri & senes
Laudandæ urbis alumni,
Qui cantu aut fidibus valent.
Laudarunt veteres irriguam Rhodon,
Arces Rhomulidum, ac Lacedæmona
Claram lege Lycurgi
Armis atque laboribus.
Nos nostram patriam laudibus inclytis
Trajectum efferimus, præferimus quoque
Sexcentis aliis, re
Claris & populo, urbibus.
O gentis Batavæ regia splendida
Quis non suspiciat te atque situm tuum,
Intus si spacietur,
Aut foris per agros tuos?
Rheni tot tibi dat commoda rivulus,
Portus quot geminus tunc bimari dedit
Insignique Corintho
Cum floreret adhuc bonis.
Ditaris ratibus nunc onerariis,
Cymbis nunc levibus, quæ bona plurima
Et sursum atque deorsum
Ad fœnus tibi convehunt.
Quem non exhilarent, mœnibus ex tuis
Cursu si videat forte reciproco
Lintres atque celoces
Undas verrere vitreas?
Rhenus præcipiti gurgite devehit
Et Bacchum & Cererem, ast Oceanus libens
Merces subvehit omnes,
Quas mittunt tibi Sarmatæ.
Cinguntur viridi mœnia tramite,
Per pomaria apes instrepitant vagæ,
Circum mœnia blandis
Hibleis quoque floribus.
Eois radiis sol ubi promicat,
Montes aërios & sylüas vides,
Gleba agrosque feraci
Orbe ab occiduo vides.
Circumflecte oculos quisquis es ad notum,
Pascuntur pecudes prata per herbida, &
Præter pascua læta
Secus flumina nil vides.
Hinc flecte ad Boream lumina perspicax,
Et campos & agros prospicis undique,
Nec passum pedis usquam
Deprehendis inutilem.
Quid sylvas memoro lætave pascua?
Quid montes, pecudes? Quid cita flumina?
Cum multò his potiora
Per pomeria se offerant?
Nam qua Solis equi naribus expuunt
Primores radios, cœnobium geminum
Extruxit Benedictus,
Viris, virginibus quoque.
Illud multigena cingitur arbore,
Hoc & conspicuum quercubus arduis,
Utrumque & pietate
Vita ornatur & aspera.
Hinc Bernarde sacras virginibus tuis
Ædeis constituis gleba & in uberi,
Quas velamina formant
Et monastica regula.
Sunt versus Borean insuper alteræ
Ædes virgineæ, quas pater optimos
Mores edocuisti, in
Valle Vectis ad alveum.
Ad vos devenio castra Dei sacra,
Arctas excubias militiæ sacræ,
Quis Carthusia gentem
Hanc munit vigilantibus.
Se vestris lachrymis & prece sedula
Confidit populus protegi ab inferis
Diris, haud secus atque
Armis fulmineis Iovis.
Qui te prætercam virgineum gregem,
Qui Bethlemica habes jure suburbia,
Et cunabula Christi
Casto amplecteris osculo.
His Martine tuam floribus aureis
Ornamus chlamydem, dum tua mœnia
Tanta cœnobiorum
Pulchritudine cingimus.
Tandem Pierides læta suburbia
Linquentes, valida Pacis ab arce cum
Laude intremus ovantes
Turrita altaque mœnia.
Arcem dico novam, turrigeram, quadram,
Quæ à Quinto validis condita Carolo
Muris, munia munit,
Et nostræ urbis asylon est.
Salve lux patriæ, gloria civium,
Urbi insigne decus, terror & hostibus,
Quæ concordiam in omni
Et clero & populo efficis.
Abs te (dico vale) non satur ad sacras
Ædeis transiero ex ordine singulas,
Quo vicos plateasque
Contemplari obiter queam. At
Quis dignis obiter laudibus has domos
Ad ripam positas fluminis evehat,
Quis accessus ad amnem
Cryptis atque cuniculis?

Quarum

Quarum culmina sunt saxea & ardua,
Et marmor paries, sculptilis aut later,
At fundamina pluris
Constant cum penuariis.
Huc mercator ades mercibus impiger
Eois, geticis, hesperiis, vides
Ædeis ære refertas,
Et qui te excipiant cavos.
Trajectine tuam vende nucem, pyrum,
Malum, cum omnigenis fructibus arborum,
Frumentumque tuum, quo
Non præstantius uspiam.
Nec ferto ægro animo, si tua vendites
Hollandis; Frisiisque, id genus accolis,
Quo majora reportent,
Impartire libens tua.
Iam templum aggredimur mirificissimum,
Salve sacra domus, quam Deus optimus
Vult omnes venerari
Privata ac prece publica.
Hoc templum celebrant aurea scrinia,
Quæ divûm cineres ossave martyrum
Thesaurum sacrosanctum
Conservant venerantibus.
Hoc templum celebrat maxima dignitas
Insignis cathedrę, Præsul & inclytus
Egmontanus & heros
Dius mente Georgius.
Hoc templum celebrant qui canonas sacros
Iurarunt Domini, tum precibus piis,
Tum cantu moderato,
Tum psallentibus organis.
Ornant præterea cymbala maxima
In turri aëria, petrina culmina, &
Sculpturæ preciosæ.
Hoc Martine tuum decus.
Salvatoris adit Musa libens mea
Ædem nunc humilem, sed venerabilem,
Quæ olim te Guilibrorde
Urbi excepit apostolum.
Tam sanctus locus hic sanguine martyrum,
Ut nullum capiat terra cadaverum,
(Si sit fabula vera)
Nunc intra gremium suum.
Monstrat relliquias atque sebasmata,
Vestes purpureas, picta tapetia, &
Aurum non secus atque
Ædes summa stupentibus.
Iam ter sancte tuis proximus ædibus,
Non possum Petre, quin septa, loci situm,
Et collegium honestum
Paucis versibus efferam.
Ambit rivus aquæ cum viridariis
Hortos irriguos (iridos ad modum)
Herbis suave fragrantibus
Diversa arbore consitos.
Quod templum viridi gramine cingitur,
Picturis variis quod quoque comitur,
Quis non judicet esse
Ad nostri decus oppidi?
Baptistæ modicum prætereo, petam
Iam templum Mariæ Cæsareum decus,
Quod miro tabulatu
Priscam tectonicen probat.
Hoc primum decorat cœtus honestior.
Terna & cornua dein monocerontia, &
Præstans bibliotheca
Multis & lepidis libris.
Baptistæ repeto te & famulos tuos,
Quorum incæduus hic lucus & area,
Instaurataque templa
Prima est urbis amœnitas.
Hortis si aspiciam septa habitacula,
Quæ rerum precio Cæsare digna sint,
Dicam cædere nullis,
At certare quibuslibet,
His jam quinque Dei sextum habitaculum
Fratrum consocio, quos canonas sacros
Te Augustine magistro
Mitis regula perdocet.
Hinc templa exhibeant, atque sibi sacros
Mystas ac pueros quæque parœciæ,
Quæ quod quattuor extent,
Haud parvum decus adferunt.
Hæc quorsum recito laudibus efferens
Templis digna suis tum loca tum viros?
Ad laudem urbis amœnæ, &
Gentis eximium decus.
Si spectes reliquum tum μονάχων gregem,
Tum nonnas variæ relligionis &
Vestis versicoloris,
Obstupescere cogeris.
Stipatus monachis prodeat optimis
Abbas, cui bifido tempora tegmine
Paulus cum Benedicto
Cingenda, unguine consecrant.
Hinc procede prior qui regis armiger
Turmam Teutonicam, quæ chlamyde & cruce
Insignita videtur
Christi militiam sequi.
Huic succede (licet militia prior)
Insignique tuas & chlamyde & cruce
Turmas Domne Balive, &
Baptistæ instrue milites.
Qui verbum Domini prædicat, & minor
Franciscus pariter dissimili grege
Procedant, sacram & ornent
Hanc pompam & venerabilem.
Procedat quoque de vertice candido
Carmeli nitidus grex socians sibi
Augustine idiotas
Cellitas populum tuum.

Ne te

ANNO DOM.

COMES HOLLANDIÆ 27.

Maria Burgundiaca præfuit annis 5. mensibus 2.

1477. POstquam de morte Caroli Burgundi constitisset. Maria ejus filia atque hæres eodem anno 1477. defuncto patri in omnium provinciarum suarum possessionem atque dominium hæreditario jure successit, quam eodem etiam anno in uxorem duxit Maximilianus Austriacus Frederici tertii Imp. filius. Cæterùm cum Maria viginti tantùm, Maximilianus duntaxat octodecim annos tunc natus esset, qui Hamatæ factionis erant, Hollandiæ, Zelandiæ, Frisiæque gubernationem sibi vendicare nitebantur: Asellati verò Maximilianum jure maritali in Comitem & gubernatorem earundem Provinciarum inaugurabant, ejusque præsidio se firmabant: unde factum est, ut multis annis intestinum bellum inter has factio-
1478. nes gestum sit. Anno 1478. mensis Iunii 22. die natus est Maximiliano Austriaco ex Mariâ Burgundiacâ uxore suâ Brugis filius primogenitus, cui nomen avi materni inditum est, Philippus. Anno 1489. nata est Maximiliano ex eadem uxore sua in principio veris filia, cui nomen est inditum Margarita. Eodem anno D. Wolffardus Veriensium Princeps; Hollandiæ, Zelandię, Frisiæque Præfectus factionum pertæsus Præfecturam suam resignavit. In
1481. cujus locum substituit Maximilianus Austriacus Dn̄. Iudocum Lalainum. Anno 1481. Dn̄. Maria Burgundiaca Maximiliano Austriaco peperit filium secundogenitum, cui nomen est
1482. impositum susceptoris Francisci Ducis Britanię, sed hic infans mox periit. Anno 1482. Maria Burgundiaca venandi studio egressa cùm ex equo ferocienti in terram gravius impacta læsa esset, dissimulato dolore ne Maximilianum contristaret neglectâ medicinâ 16. die mensis Martii in fata concessit Brugis, anno ætatis suæ 25. relictis liberis superstitibus duobus Philippo scilicet ac Margarita: postquam Provincias hæreditarias à morte parentis gubernasset annis quinque & mensibus duobus. Maria autem defuncta honorificè sepelitur Brugis in templo S. Donatiani: cor ejus exemptum in sepulchro matris Elizabethæ conditur Antverpiæ in cœnobio S. Michaëlis.

COMES HOLLANDIÆ 28.

Philippus Austriacus præfuit annis 24.

PHilippus igitur Austriacus eodem anno 2482. defunctæ matri suæ, ut filius unicus ac legitimus Hæres in omnia Dominia hæreditario jure successit, ac proinde extitit Hollandiæ, Zelandiæque Comes, & Frisię Dominus vicesimus octavus; Sed quoniam is tum tribus etiam mensibus infra quartum ætatis annum erat, & proinde ad Provincias suas gubernandas inhabilis, multę ubique difficultates & contentiones exortę sunt. Maximè autem in Hollandiâ, de jure gubernationis, aliis Maximilianum postulantibus, aliis seipsos ingerentibus, quâ de re ad Chronicon Ducum Brabantiæ pleniùs disseruimus: Quæ quidem cùm hic rursus inculcare nihil sit necesse, id quod suasit æquitas & optimi quique re ipsâ comprobarunt, nos etiam tenebimus, quo certiùs distinguamus tempora: Maximilianum scilicet, ut alibi, sic etiam in Hollandiâ, Zelandiâ, & Frisiâ Philippi filii sui Tutorem & gubernatorem fuisse à morte matris usque ad inaugurationem ejus.

1482. Eodem igitur, anno 1482. mense Octobri pax inter Ludovicum undecimum Gallorum Regem, & Maximilianum Austriacum composita est, desponsatâ filiâ Maximiliani Margaritâ, quæ tertium agebat annum, Carolo Delphino Ludovici filio, qui annum agebat decimum tertium. Margarita autem in Franciam anno sequenti demum deducta fuit mense Majo. Anno

jo. Anno 1483. in obsidione Trajectensi Iudocus Lalainus Hollandiæ, Zelandiæ, ac Frisiæ Præfectus occubuit: cui proximo anno Maximilianus surrogavit D. Iohannem Egmondanum Wilhelmi filium natu maximum. Anno 1486. mensis Februarii, die 16. Francofordiæ electus est Maximilianus Austriacus in Regem Romanorum. Anno 1492. Dux Saxoniæ Albertus, cui suas vices Maximilianus in Germaniam profectus generaliter commiserat, Hollandiam, Zelandiam, ac Frisiam gravissimâ exactione afflixit. Eodem anno Carolus Octavus Rex Galliarum. Maximiliani Austriaci filiam Margaritam repudiatam in Flandriam remisit. Anno 1494. Philippus Austriacus annos jam habens sexdecim, in omnibus Provinciis hæreditariis solenniter, & magno cum applausu inauguratus est: cui pater Maximilianus ductâ uxore alterâ gubernationem harum Provinciarum maternarum resignavit. Philippus autem Ducem Saxoniæ, Albertum generalem Capitaneum, sicuti Maximilianus constituerat, Hollandiæ, Zelandiæ, ac Frisiæ confirmavit: Anno 1495. mense Novembri Margarita Austriaca Maximiliani Cæsaris filia, & Philippi Austriaci soror nupta est Dñ. Iohanni D. Ferdinandi Regis Arragonum ex Isabella, sive Elizabeth filio unico, & mox in Ianuario sequentis anni, 1496. Philippus Austriacus Iohannam Arragonam ejusdem Ferdinandi Regis ex eâdem Elizabethâ filiam inter tres mediam in uxorem duxit, ex quâ progressu temporis filios duos, & quatuor filias suscepit, de quibus suo loco dicturi vicissim sumus. Anno 1498. Frisii factionum intestinarum pertæsi Albertum Saxoniæ Ducem in perpetuum atque hæreditarium patriæ suæ protectorem Imperii Romani nomine receperunt: Inter cæteras tamen in primis eâ conditione, ut hujus pacti consensum impetraret ab Imperatore: Maximilianus verò Imperator hac de re certior factus, eodem mensis Iulii 16. die literis Friburgi Brisgoiæ datis declaravit, se Comitus ibidem celebratis, cum consensu Principum Imperii pactum Frisiorum cum Alberto Saxonum Duce initium comprobasse: Additoque generali mandato, omnes ac singulos in Frisia degentes ad illius obedientiam adstrinxit. Quibus literis conspectis non multum sunt posteà reluctati Alberto, qui hactenus ibi restiterant, cususque, fuit insequenti mox Augusto nummus Sneeæ in perpetuam rei memoriam, in cujus parte alterâ habebatur (*Nummus Regis Romanorum*) in alterâ verò (*Albertus Dux Saxoniæ*) facta sunt hæc octuaginta septem annis postquam recuperatâ Stauriâ Frisii Wilhelmi Sexti Comitis Hollandiæ jugum excusserant: nam quod ab eo tempore nos hactenus ad Historiam Comitum Hollandiæ Præfectos etiam Frisię retulerimus, id ad hanc Frisiam nihil pertinet, de qua hîc loquimur, quam Becanus & alii veteres *Orientalem* vocant, sed ad illam, quam iidem vocant *Occidentalem*, nos autem jam Hollandiam Septentrionalem nominamus: Nunc enim Occidentalem Frisiam appellamus, quam interjectum mare ad Occidentem ab Hollandiâ separat: Orientalem dicimus illam, quæ Gruninganis interjectis ad Orientem porrò hoc nomine usitate appellatur: Cujus distributionis rationem nos alibi commodiùs reddituri sumus: Porrò autem eodem anno 1498. nata est Philippo Austriaco primogenita filia Eliońora, quæ adulta primum Emanueli Regi Portugalliæ nupta fuit, eoque mox sine liberis defuncto, nupsit Francisco Valesio Galliarum Regi. Anno 1500. qui bisextilis fuit 24. die Februarii, hoc est, eo, qui S. Matthiæ, & S. Petri festa interventu suo separabat, Gandavi natus est Philippo Austriaco primogenitus filius Carolus, qui & successor posteà fuit Patri in Dominium harum Provinciarum, & Rom. Imp. ejus nominis Quintus. Eodem anno Albertus Saxoniæ Dux Supremum atque Provincialem Frisiæ Senatum, quem pridem instituerat, reformavit, hisce Consiliariis ordinatis: D. Petro scilicet Abbate in Lidlum, D. M. Bernardo Buchone ab Aita, D. Hesselo à Martena, D. Iulio à Dekema, D. Herone ab Hottinga, D. Renico ab Camminga, D. Scheltone à Liauckama: horum omnium nemo non præstantissimus vir, nemo non immortali laude dignissimus fuit: M. Bucho tamen id præ cæteris communi Reipub. eximium contulit, quod Viglium Zuichemum, ex fratre Folcardo nepotem, Secretioris concilii Cæs. ac Regiæ Majestatis Præsidem, & ordinis Aurei Velleris Cancellarium, & ipse diligenter erudivit, & ad studia prosequenda vivens moriensque sumptu suo liberaliter adjuvit: fuerat autem D. M. Bucho in Academiâ Lovaniensi ut artium liberalium & U. J. Lauream consecutus, ita etiam multis ejusdem Gymnasii honoribus magno cum Reipub. literarum emolumento perfunctus: Itaque cum singulari eruditioni atque prudentiæ suæ parem fidem atque industriam Illustrissimo Duci Alberto probasset, non solùm ille cum liberis suis moriens commendavit, sed & ejusdem Ducis filius ac successor, Georgius itidem Saxonię Dux non dissimulem in Reipub. administratione expertus, Carolo Quinto porrò

ANNO DOM.
1483.
1486.
1492.
1494.
1495.
1496.
1498.
1500.

ANNO porrò commendavit, cùm ad illius Imperium Friſia transferretur, à quo primi quoque Con-
DOM. ſiliarii dignitate ornatus eſt. Anno 1501. nata eſt Philippo Auſtriaco filia ſecundogenita, nomine Iſabella, quæ poſteà in matrimoniũ data eſt Chriſtiano Regi Daniæ, Sueciæ, Norvegiæ, ejus nominis ſecundo. Eodem anno Philippus Auſtriacus cũ uxore ſuâ in Hiſpaniã profectus eſt, iter faciens per Franciam, ubi ſponſalia contracta ſunt inter Carolum Philippi filiũ & Claudiã filiã Francorũ Regis, quæ tamen non multo pòſt diſſoluta ſunt. Anno 1503. Philippo
1503. Auſtriaco in Hiſpania natus eſt filius ſecundo genitus, nomine avi materni appellatus Ferdinandus, qui Bohemiæ Rex & poſteà Rom. Imp. ejus nominis primus fuit, & filium ſucceſſorem Imperii reliquit Maximilianum ejus nominis ſecundum, qui nunc Imperii habenas mo-
1505. deratur. Anno 1505. decimâ quartâ die Septembris nata eſt Philippo Auſtriaco filia tertio genita, nominata Maria, quæ poſteà nupta fuit Ludovico Regi Ungariæ, quo ſine liberis ſublato, hæc Provinciis hiſce inferioribus à fratre Carolo Quinto tandem gubernatrix per
1506. multos annos Præfecta ſedit. Anno 1506. pridie Regum, hoc eſt ſeptimo die Ianuarii, Philippus Auſtriacus, una cum uxore ex portu Zelandiæ Armudenſi claſſem ſolvit navigaturus in Hiſpaniam, ſed vi tempeſtatis diſiecta claſſe, in Angliam ejicitur, ubi ſpe melius per dies aliquot exceptus ac refocillatus in Hiſpaniam appulit, & inauguratus Rex Caſtellæ Legionis & Granatæ coronatus eſt: & quinta poſt coronationem, hoc eſt 26. die Septembris mortuus eſt Burgis in Caſtilia, ſepultuſque in Monaſterio Carthuſianorum Amersfloro in excelſo monte prope Burgas ſito: cor ejus exemptum Hieroſolymas tranſlatum eſt, ubi & proavi ejus Philippi Burgundi cor reconditum fuit: Inteſtina Brugas tranſlata in ſepulchrum, Mariæ
1507. matris ejus condita ſunt: Uxor ejus, quam gravidam reliquit, anno proximo 1507. poſthumam filiam quarto genitam, dictamque Catharinam, peperit: quæ adulta in matrimonium itidem collocata fuit Regi Portugalliæ. Philippus igitur periit anno ætatis ſuæ 28. relictis liberis ſuperſtitibus ſex, ut tamen in hunc numerum etiam poſthumam computemus, inter quos cùm jure primogenituræ Carolo ſucceſſio deberetur, is patri proximè ſuffectus eſt: Fuit autem Philippus Princeps multis nominibus laudandus, & cui nihil magis defuit, quàm vitâ diuturnior, de quo alias copioſiùs diximus. Adminiſtravit has Provincias annis viginti quatuor, duodecim ſcilicet per Maximilianum Patrem ſuum, & totidem per ſemet-ipſum.

EPISCOPUS ULTRAIECTINUS 57.

Philippus Burgundio ſedit annis 8.

1516. ANNO 1516. Philippus à Burgundiâ poſt reſignationem à Frederico Badenſi, & confirmationem à Pontifice factam Epiſcopus Ultrajectenſis quinquageſimus ſeptimus inauguratus fuit. Erat autem hic Philippus Davidis defuncti frater, & filius magni iſtius Philippi Ducis Burgundiæ, & Hollandiæ Comitis viceſimi quinti: Ideoque Maximiliani Imperatoris, & Caroli Auſtriaci Hiſpaniarum Regis, &c. Comitis tunc Hollandiæ potius authoritate ac juſſu, quàm ambitione ſuâ ad Epiſcopatum accipiendum perductus fuit, ut illi ſcilicet per hunc ſuis Ditionibus tuendis robur ac præſidium acquirerent: Matrem hic Philippus habuerat Margaritam Poſtiam fœminam, ut corporis venuſtate, ita etiam animi integritate inſignem, in cujus oculis Bruxellæ educatus, & optimis moribus ac diſciplinis inſtitutus eſt, dum Carolus Burgundus ejus frater bellis externis aſſiduè occupatus minus illi vacare poſſet. Cumque eâ ratione ſub optime eodemque grandævo præceptore adjunctis honeſtiſſimis condiſcipulis ad annum ætatis uſque duodecimum in literis præſertim Latinis pro ingenii ſui vividitate exercitatus non mediocrem profectum feciſſet, mortuo tandem Carolo, cum Maria Caroli filiâ Maximiliano Auſtriaco nupta rerum potiretur in ejus aulam aſcitus eſt, in quâ ille tantâ cum gratiâ verſatus eſt, ut Maximilianus cum progreſſu ætatis defunctâ etiam Mariâ, militiæ ſuæ adſcripſerit, & cùm Imperator coronaretur Aquiſgrani equeſtris ordinis inſignia illi contulerit: Nondum decem & octo annos natus primum Gravelingæ, deinde Cortraco Flandriæ oppidis præfectus eſt, eaſque Præfecturas ſummâ cum felicitate adminiſtravit: In motu tamen quo Flandria ob tutelam Philippi Auſtriaci à Maximiliano diſſidebat, Flandrorum partes tuebatur: Ideoque rebus inter partes compoſitis, ipſe

Vide Gerardum Noviomagum qui vitam hujus Philippi ſingulari lib. deſcripſit.

tis, ipse offenso, ut videbatur, Maximiliano, ad fratrem Davidem concessit Ultrajectum, apud quem summo in honore habitus fuit: Davide autem mortuo fraternæ hæreditatis portione acceptâ, ad aulam Burgundiacam reversus est, adeoque charus extitit Principi Philippo Maximiliani filio, ut is eum in argumentum suę in illum benevolentiæ clarissimo ordini equitum aurei Velleris adscriptum torque donaverit, ac toti suæ familiæ præfecerit. Philippo posteà ex Hispaniis reverso Anna à Burgundiâ Adolphi Ducis Clivensis uxor moritur, quæ Philippum fratrem soror ex semisse hæredem scripsit. Unde Philippus opibus auctus ab aulâ se subducere, & sibi vivere privatim voluit: sed à Philippo Rege rebus maritimis Præfectus, & Regiarum classium Dux constitutus est: In quâ Præfecturâ ille ob singularem dexteritatem prudentiam, æquitatem, peritiam summo cum Reipub. commodo versatus est. Cumque Philippus Rex oppidis aliquot in Geldriâ occupatis Hispaniam repeteret, hujus fidei ac diligentię ea ipsa commissa sunt, quæ ille non modò pro expectatione Regis sui, sed etiam cum gratiâ ipsorum hostium tutatus est: & mortuo in Hispaniis Philippo Rege, cùm erigentem cristas Geldriæ Ducem, & Gallorum auxilio tumidum contundere non posset arbitrio suo, prohibitus ab eo, qui tum Burgundicis rebus præerat, post tantos labores in Zelandiâ quiescere decreverat: verùm id minimè concessum est. Legatus enim à Maximiliano Augusto & Carolo Hispaniarum Principe Romam ad Iulium Secundum Pontificem maximum mittitur: In eâ Legatione supra quam dici potest honorificè ab omnibus Italię Principibus & civitatibus exceptus est præcipuè tamen à Principe Mirandulano, Veronensibus, & Florentinis: Pontifex Iulius plus ei honoris exhibuit, quàm ulli intra centum annos legato exhibitum memoriæ proditum est: Hac igitur legatione feliciter expletâ in Brabantiam reversus, cum Caroli Quinti soror Isabella Christierno Danorum Regi desponsa esset, ipse hoc muneris ab Augusto sponsæ avo & Carolo injunctum accepit, ut eam ad sponsum usque illorum nomine comitaretur ac deduceret, quo munere magnificè functus, dum in patriam revertitur, pestilentia naves invasit, quâ etiam filia Balduini à Burgundia fratris sui, quam ille ex nobilissimâ Dñ. Marinâ Manticâ sustulerat, periit: In patriam reversus totus exornandæ Arci suę Suytburgo intentus erat, cùm Carolus Quintus & Fredericus Marchio Badensis Episcopus Ultrajectinus invictis precibus orant, donec tandem exorant, ut ille Episcopatum Ultrajectinum suscipere dignaretur: Quem quidem susceptum ita administravit, ut in rebus Ecclesiasticis, in sacris officiis, in ministeriis Divinis assiduus esset, nec ea interim negligeret, quæ ad externi Principatus amplitudinem conservandam pertinere videbantur. Anno 1521. hic Episcopus uno stra- 1521.
tagemate declaravit, quantum arte bellicâ valuerit, si castra potius, quàm Ecclesiam sectari voluisset: nam cùm Carolus Geldriæ Dux Gallorum auxiliis instructus in distrahendâ Frisiâ, tum Carolo Quinto negocium facesseret, eademque tempestate & Episcopum Philippum Transisulanorum motibus involveret. Episcopus nihil minus expectante Geldro exercitum satis copiosum transmisit in Frisiam, Duce Nicolao Wildersdorffio, qui gravissimis exactionibus attrivit eos, qui partes Geldricas sectabantur: Quæ causa fuit, ut à Geldris tunc ad Burgundos multi deficerint. Anno 1522. mortuus est Pontifex Leo Decimus, 1522.
& electus est in locum successor ejus D. Adrianus Florentius Ultrajectinus, dictus Adrianus Sextus, qui Caroli Quinti præceptor fuit, de quo nos alibi latiùs diximus: Sed hic vir sanctissimus non nisi anno uno sedit, & hebdomadis triginta sex, mortuusque est anno 1523. mensis Septembris decima quarta die. Anno 1524. septimo die Aprilis, anno ætatis suæ quinquagesimo nono, diem suum obiit D. Philippus à Burgundiâ Episcopus Ultraje- 1524.
ctinus, sepultusque est in Ecclesiâ parochiali, apud Batavodurum, sive Dorestatum, postquam Episcopatum administrasset annis octo. Hic enim, ut in administrandâ Ecclesiâ fratrem suum D. Davidem sedulò ac feliciter imitatus fuerat, ita etiam sepulturam illi vicinam habere voluit: erat hic Philippus staturâ procerus, membris gracilibus ac venustis, oculis nigricantibus, cute candida, planeque similis parenti: moribus planè compositis, conversatione commodissimus omnibus, nemini molestus, qui virtutem sectari videretur: Pacem in primis amabat, artesque sectabatur eas, quæ pacis maximæ sunt earumque cultores maximi faciebat: Deditus potissimùm erat antiquitatibus: ideoque in adolescentiâ pictoriam artem & aurifabrilem didicerat: Architecturam ita callebat, ut nullę ejus artis dimensiones, proportiones, aut symmetriæ eum laterent, adeoque si de basibus, columnis, epistyliis, coronamẽtis atq; id genus reliquis sermonem faceret, ex Vitruvio eum legere puta-

ANNO DOM. ras, de fontibus, aquæductibus, thermis nemo peritiùs eo differebat: Quâ re factum est, ut, cùm Romæ esset, Iulius Pontifex eum summoperè amaret, multaque ultrò offerret quæ alii ambire solent: Sed ille pro sui animi celsitudine nihil accipere voluit præter duas statuas marmoreas, quarum una Iulii Cæsaris, altera Helii Hadriani erat. Itaque cùm his tantòpere delectaretur, antequam Episcopatum consecutus esset, intentus exornandæ Arci suæ Suytburgo inter fabros Architectos, sculptores, & pictores versabatur adeo familiariter, ut unus illorum putaretur: Aderant ei & versificatores, qui picturas atque structuras carminibus ornarent, ut utramque picturam & loquentem & tacitam ostentare posset: Excellentes in quavis arte, artifices miro favore prosequebatur, domique suæ liberaliter alebat. Accersierat sibi magnis expensis pictores & architecto primi nominis Iacobũ Barbarũ Venetũ, & Iohannem Gossardũ Malbodium, nostræ ætatis Zeuxin & Apellem: Itaque & hanc ipsam suam Arcem Suytburgum & Episcopales quoque postea, maximè autèm veterem illam, quæ Dorestati est, novis ædificiis commodiorem fecit, picturis, sculpturis, figulinisque talibus exornavit, ut nec in ipsa quidem Italia quisquam politiùs possit, ut de propugnaculis, armis, Bombardis aliisque munitionibus interim nihil dicamus. Bonarum præterea literarum Professores mirè amabat. Ex horum numero in primis sibi familiares fecerat D. Erasmum Roterodamum & Iohannem Paludanum Lovaniensis Academiæ Rhetorem. Postquam verò Episcopalem dignitatem adeptus esset, quoties extra profectionum strepitus domi pro arbitrio suo vivere poterat, ita ferè diem partiri solebat, ut primam ejus partem rebus divinis & sacrorum codicum lectioni daret: his peractis, consiliis, consultationibusque præerat, audiendis literis, querelis, litibus, sententiis intentus, eâ curâ ac diligentiâ, ut nihil literarum nisi se præsente resignaretur, nihil nisi suâ manu subscriptum obsignaretur: postea prandebatur. Inter prandendum quæstiones variæ proponebantur ex Poëtis, ex historicis, ex Sacris literis: historias veterum ferè omnes Gallicè legerat, memoriæque commendarat: historias Latinas quotquot extabant, Gerardo Noviomago prælectore attentissimè audierat: pomeridianis horis, aut in hortis deambulabat, aut opificum officinas in morem solliciti patris familias circumibat: cœna quæstionibus ac lectionibus & collationibus honestis ac jucundis transigebatur: A cœnâ in multam noctem plerumque cum eruditis conferebat. Cumque his moribus, eoque ingenio esset, ab avaritiâ, tyrannide, & crudelitate alienissimus erat miroque affectu suos prosequebatur, & nemini, aut exactionibus, aut nuper inventis vectigalibus gravis: nam toto tempore, quo Ultrajectinis præfuit, ne obulum quidem à quoquam præter veteres & annuos reditus in suum commodum exegit. A bellicis motibus prorsus abhorrebat: nec erat planè quicquam quod magis illi dolebat, quàm quod Campensium, Suollensiumque dissidiis se bello Geldrico invitum involvi cerneret, planeque magnâ ex parte lethalem animi mœrorem hinc contraxisse videri potest: qui etiam in mortis agone positus, Deum non semel testatus est, se ejus belli causam & originem non fuisse.

EPISCOPUS ULTRAJECTINUS 58.

Henricus de Bavaria sedit annis fermè 5.

Defuncto igitur Philippo Burgundione totius Capituli congruentibus suffragiis eodem anno 1524. electus est Ultrajectensium Episcopus quinquagesimus octavus,
1524. D. Henricus de Bavariâ, Philippi Comitis Palatini & Electoris filius. Qui quamprimum Pontificiâ authoritate confirmatus est, magno tum cleri, tum populi Trajectensis gaudio in Episcopalem cathedram collocatus fuit. Anno 1525. mense Februario civitas Ul-
1525. trajectensis tumultuari cœpit. Nobilibus ex veteri quodam odio plebem adversus Consules Everardum Soudenbalgum, & Godefridum Vordium instigantibus: Quorum errore abusi hos ipsos repetundarum insimulabant. Consulibusque in voluntarium exilium digressis, & fautoribus eorum proscriptis, approbationem rerum abs se gestarum ab Episcopo Batavoduri ægrotante, per calumnias impetrant, absentibus proscriptis: non multo autem pòst plebs animadvertens se promissâ immunitate per Nobiles frustrari, contra eos conspiravit. unde inter has partes de novo orta recenti contentione, dicta est Nobilium factio confœde-

ratorum,

riatorum, plebis autem Septiwaudiorum: Ac Septiwaudii quidem coadunati, cum numero superiores essent, primùm à confœderatis, & mox etiam ab Episcopo reverso extorserunt immunitatem, ita ut nulli eâ re magis gravarentur quàm Ecclesiastici, quoniam æquum esse clamitabunt eodem eos onere gravari, qui eadem civitate clauderentur. Anno 1526. sexto Idus Decembris confœderati Septiwaudiis ademerunt per vim eadem, quæ per vim coacti superiori anno concesserant. Anno 1527. instante quadragesimâ confœderati contracto Benscopiorum ex Ditione Isselstenicâ subsidio, Septiwaudiis sodalitiorum suorum signa, sive vexilla, & comitiorum jus ademerunt, eaque omnia irrita fecerunt, quæ ipsis per Antistitem dudum concessa fuerunt. Eodem anno Episcopus Dorestatum reversus proscriptis per salvum conductum ad se vocatis, & auditis, melius informatus contracto mediocri equitum comitatu, quos illi Florentius Comes Buranus suppeditaverat, cùm ad sopiendum dissidium Trajectum repeteret, à confœderatis est exclusus: Et mox Dux Geldriæ Capitaneus postulatus, qui nonis Augusti quadringentos pedites, & postridiè turmam equitum transmisit, quos confœderati noctu portis effractis intromiserunt, atque ita civitatem ipsam Duci Geldriæ in manus tradiderunt: Anno eodem Episcopus his consideratis, & proinde contractis tribus peditum millibus, equitibus ducentis in aggere Vardano castrense propugnaculum erexit, & intercluso commeatu reliqua adversus civitatem arte militari molitus est, quæ ad eam recuperandam pertinebant: Geldrus econtra oppida Transisulanorum, Hasselam & Renum, nomine Trajectensium occupavit, Trajectumque ipsum præsidiis & commeatu abunde instruxit, & se Dominum Trajecti inaugurandum curavit, ibique Rossemium vicarium reliquit: Transisulani cùm sibi de integro cum Geldris bellum gerendum esse animadverterent communicato cum Episcopo Henrico consilio, ut molestiis finem imponerent, Invictissimo Imp. Carolo Quinto communibus animis sese subdere decreverunt: Itaque Princeps Florentius Comes Buranus accitus nomine Cæsareæ Majestatis à Transisulanorum Repub. inauguratus est: acceptâque una cum Cæsareanis legibus libertate, ille fidei sacramentum vicissim stipulati sunt: Belli administratio clarissimo Baroni Georgio Schenck à Tautenburch Cæs. Majestatis apud Frisios Vicario demandata est. Inter has igitur partes istis Ducibus vario Marte aliquandiu certatum fuit. Episcopus ipse Bataviam depopulatus est. Anno 1528. nonis Martii Rossemius cum præsidiariis mille quingentis, & civibus Trajectensibus non paucis impressione in Hollandiam factâ, spoliavit Hagam Comitis, & omnes propinquos pagos, & cùm nemo resisteret, cum ingenti prædâ Trajectum reversus est. Eodem anno primâ die Iulii Godefridus Vordius acceptis ab Episcopo auxiliis per proditionem Trajectum recuperavit, Geldrosque expulit, multisque confœderatis interfectis, multis captis, reliquis fugatis, omnium bonis confiscatis: Quo facto & Episcopus Trajectum reversus est. Eodem etiam anno Gorichemi comitia Principum habita sunt, ubi solida pax inter augustissimum Cæsarem Carolum Quintum & Carolum Geldriæ Ducem, atque ipsos denique Ultrajectinos est firmata iis, quidem conditionibus, ut Carolo Geldro adempta oppida restituerentur: Carolus Geldrus Ultrajectinos sacramento fidei sibi præstito liberaret, Trajectini Carolum Quintum in Dominum suum præstito fidelitatis juramento reciperent: Itaque soluto Principum conventu D. Antonius de Lalain, Comes Hochstratanus, Trajectum mox profectus, cives Trajectenses (quos Episcopus Henricus à sacramento sibi olim præstito jam priùs absolvit) fidelitati Cæs. Majestatis, jurejurando sumpto, adstrinxit, ipseque nomine Cæs. Majest. à Trajectinis inauguratus fuit. Cùm igitur eâ ratione Carolus Quintus Trajectinæ civitatis, ac totius Territorii Trajectensis inferioris jam, ut & antea superioris, Iurisdictionem civilem consecutus esset, mox quod authoritatem ejusmodi Principis maximè decuit, tranquillitati Reipub. consuluit, & factionibus ac seditionibus in posterum occasionem præripuit: Primũ enim ne quando ad publicam incolumitatem deesset armata defensio, Præfectos in primis, ut potentissimos, ita rei militaris peritissimos huic Provinciæ tutandæ præfecit, qui adversus hostium insultus externos eam defensarent: In quibus quidem deligendis quanta prudentiâ tum ipse, tum etiam filius ejus Hispaniarum Rex Philippus hactenus usus fuerit, satis evidenti testimonio sunt res ab ipsis gestæ: quæ ut recenti adhuc superstitum memoriâ tenentur, ita etiam publicis historiarum monumentis consignatæ sunt. Primus in horum ordine fuit D. Antonius de Lalain, Comes Hochstratanus, qui quantus in armis Caroli Quinti fuerit, quid multis opus est hic referre? Huic defuncto suffectus est 11. Octob. an. 1540. Renatus

ANNO DOM. 1526. 1527. 1528. 1540.

ANNO DOM. natus Chalonius Princeps Aurangiæ, quem ob strenuam fortitudinem suam Carolo Quinto itidem fuisse charissimum, nemo est, qui ignorat: Tertium locum obtinuit 4. Octobris, an-
1544. no 1544. Ludovicus à Flandriâ. D. de Praet. Qui quidem, uti superioribus illis nihilo deterior fuit, ita postquam se cum consensu Caroli Quinti Præfecturâ abdicasset, successorem
1546. habuit facilè parem; huic enim 27. die Martii anno 1546. successit Maximilianus à Burgun-
1559. diâ, Marchio Veranus: Huic defuncto suffectus est 18. Augusti anno 1559. Guilielmus Nassovius Princeps Aurangiæ: hic autem, Duce Albano ad excitatos in Belgico motus com-
1567. ponendos misso, in superiorem Germaniam cùm recessisset, anno 1567. Præfectus Hollandiæ atque Ultrajectinæ provinciæ designatus fuit Maximilianus Comes à Boussu. Ut autem per hos omnes ac singulos quam diu in officio fuerunt, publicam defensionem foris universæ Ditioni Cæs. ac Regia Majestas armis hactenus lautissimè præstitit, ita etiam legibus domi singulorum salutem tutata fuit per prudentissimos illos viros, quos dirimendis privatorum controversiis præsidere voluit. Neque enim solum in Magistratum urbis, qui anteà fuerat, præstantissimos quosque viros allegit, verùm etiam superiorem curiam ordinavit, ad quam ex omnibus provinciæ territoriis provocatio esset: In quâ, ut Majestatem suam repræsentari, ita præcipuè Ius dici ex civilibus Rom. legibus voluit. Itaque cum 11. Aprilis anno 1530. Carolus Quintus hanc ipsam curiam ordinaret, conquisiti sunt & allecti in eam viri
1530. omnes singulari eruditione prædití, & ingenti rerum usu docti, qui & Imp. Majestati decori, & universæ Reip. præsidio esse possunt in dirimendis litigantium controversiis: Primus hujus sacrosancti Senatus Præses una cum ipsa curiâ inauthoratus est 11. Aprilis anno 1530.
1530. clarissimus vir ac D. Caspar Levinus Hogelandius, quem ex supremo Hollandiæ concilio Carolus Quintus ob spectatam multis arduis negociis prudentiam & integritatem istuc transtulerat: Hogelandio, cùm post annos octo spontè se eâ dignitate abdicasset, ex Frisiæ supremo consilio translatus sexto Augusti sufficitur M. Martinus Nardenus Eques Auratus, & U. I Licentiatus; qui cum summâ fide ac diligentiâ munus hoc per triennium administrasset, Gruninganæ civitatis ac Ditionis Vice-præfectus constitutus est, ubi summo in honore ac dignitate per multos annos versatus tandem vitâ defunctus: Nardeno igitur ex supremo Frisiæ Senatu huc translatus 21. Novembris anno 1541. in hunc ordinem successit, Hector
1541. Hoxvirius Frisius, Eques Auratus, & U. J. Doctor, qui & multis ad diversos Principes pro patriâ, & pro ipso Carolo Quinto legationibus, & variis Reipub. negociis exercitatus & probatus jam fuerat, antequam hanc dignitatem susciperet, quam & susceptam porrò sic tutatus est, ut idem Carolus Quintus anno 1546. cùm Trajecti festivitatem Aurei Velleris ce-
1546. lebraret eum in testimonium approbatæ fidei ac diligentiæ equestris ordinis privilegiis honoraret: quanquam autem is scripta, quod equidem sciam, in publicum nulla ediderit, ex quibus de ingenio ejus atque eruditione judicari queat, tamen unus ille libellus, quo studiosus olim hic Lovanii conterraneis suis commilitonibus præscripsit leges, abundè satis arguit, & literatissimum fuisse jam tunc, & ingenio præditum planè politico Itaque & Universitas ipsa Leges hasce Sigillo suo comprobare dignata est, & ex Frisiâ Occiduâ quotquot Lovanium studiorum gratiâ commeant, in collegio nationis suæ veluti publicas ac sacrosanctas magnâ cum veneratione colunt: Hectori vitâ defuncto succesit 27. Aprilis anno 1547. præstantissimus vir ac Dominus Adrianus Vanderburchius magister antea libellorum supplicum, & magni Consilii Mechliniensis Consiliarius, qui elapso decennio electus est in Præsidem, ut vocant, Flandriæ, & custodem Sigilli Belgici, quo & ipsius virtutibus hoc præmium testimonio esset: Vanderburchio 19. Maji anno 1557. superioribus nec eruditione nec industriâ inferior Hippolytus Persinus U. J. Doctor, ex antiquâ illâ Persinorum prosapiâ oriundus, qui quantoperè Carolo Quinto primùm ac deinde filio ejus Serenissimo & Catholico Hispaniarum Regi probatus fuerit, ex eo satis liquet, quod primùm in supremâ Hollandiæ Curiâ Senatorem, deinde in Frisiâ Præsidem, ac demum Præsidem Ultrajecti esse voluerit, itidemque Equestris ordinis insignibus ornaverit: Hippolyto defuncto 11. Augusti anno 1569. Georgius Ratallerus Leovardiensis, Doctor & ipse U. J. & omni literarum genere politissimus, ex vetustis ac nobilibus Ratalleris originem ducens, cujus parens optimus vir D. Iohannes Ratallerus Cæs. Majestatis Quæstor, & Senator supremæ Curiæ per Frisiam multis annis fuit. De hoc mihi minus ideò hic dicendum est, non modo quod in vivis sit, sed etiam, quod scripta ejus, quæ & multa, & Reipub. frugifera publicavit, ipsum satis declarent, atque commendent: neque fieri possit, ut verbis meis tantum tribuatur fidei, quantum meritò

meritò tribuitur virtuti ipsius: cui præsens testimonium ipsa Majestas Regia tulit, quæ cùm per annos aliquot Magistrum libellorum supplicum, & Magni consilii Mechliniensis Consiliarium diligentem atque fidelem comperisset, hoc ordine dignum judicavit: Quem Deus Opt. Max. Rei pub. incolumem conservare dignetur. Non solùm autem in Præfectis ac Præsidibus, sed etiam in Consiliariis reliquis Domus Burgundiacæ providentia curavit id quod diximus, ut prudentissimi quique viri in hunc præcipuè Senatum allegerentur. Fuerunt enim ab initio statim, ut sunt adhuc, non pauci viri omnibus numeris absolutissimi in eo ordine, tametsi ad nostram notitiam non pervenerint: unus tamen occurrit interim, qui sub Præside Nardeno opinor inauthoratus est clarissimus vir Lambertus Canterus Gruninganus, quem, cum ob meritum parentis sui Gulielmi, quod ille Consul in Rebus Gruningensibus constituendis, una cum Præfecto Domino Georgio Schenck præstiterat, Carolus Quintus commendatissimum haberet, magis tamen charum habuit, cùm degenerem non esse animadverteret: Erat enim maximè doctrinâ, hoc est U. J. prudentiâ insignis, quâ, tum rebus ibi novis potissimùm opus erat; Itáque factum, ut illum cum primis in hunc ordinem adscripserit: Lambertus igitur exinde fixis Trajecti sedibus non modo Senatui operam suam in civilibus Curiæ negociis egregiè probavit, sed etiam tempus omne, quod his superfuit, in reliquarum disciplinarum studia contulit, nihilque prætermisit inexcussum, quod ad absolvendum universum Encyclopadiæ orbem pertineret: qui quidem quo minus ingenii sui fœtus ullos, quos tamen & multos & insignes inchoaverat, in lucem produxerit, immatura mors effecit, sed benè habet, quod filios superstites duos reliquerit, viros omni disciplinarum genere excultissimos, Gulielmum ac Theodorum; qui suis eruditissimis scriptis certatim pensant in quo defecit parens. Hujusmodi itaque viros cùm ad solatium bonorum Carolus Quintus ut & filius ejus Hispaniarum Rex hactenus Ultrajectinæ Reipub. præfecerint, tum etiam anno statim 1529. ut metu cohiberet improbos; Arcem præsidiariam intra septa urbis munitissimam extruxit, quam ex eventu sperato **Vredburch**, hoc est, Arcem pacificam appellavit. Eodem anno mense Iunio, circa festum S. Iohannis D. Episcopus Henricus de Bavariâ Episcopatum suum in manus Papæ Clementis Septimi resignavit, postquam eum in maximis difficultatibus administrasset per annos fermè quinque: relictoque Ultrajecto in superiorem Germaniam reversus tandem Wormaciensis Episcopus electus est: Si quis autem de rebus Ultrajectensium sub hoc Episcopo gestis pleniorem historiam cognoscere desiderat, Lambertum Hortensium, & Henricum Bomelium legat, qui quamvis avidum Lectorem facilè, & quidem cum summâ voluptate expleturi sunt: non pauca autem & popularia Chronica Hollandiæ, Flandriæ, Brabantiæ, & finitimarum aliarum gentium suppeditabunt, quæ omnibus obvia sunt.

ANNO DOM. 1529.

FINIS.



ERRATA

ODE TRICOLOS TETRASTROPHOS,

Ex duobus Aſclepiadeis, tertio Pherecratio, & quarto Gliconico, de TRAIECTINAE civitatis laudibus.

TRAIECTUM celebret Pieridum chorus,
Trajectum celebrent & pueri & ſenes
Laudandæ urbis alumni,
Qui cantu aut fidibus valent.
Laudarunt veteres irriguam Rhodon,
Arces Rhomulidum, ac Lacedæmona
Claram lege Lycurgi
Armis atque laboribus.
Nos noſtram patriam laudibus inclytis
Trajectum efferimus, præferimus quoque
Sexcentis aliis, re
Claris & populo, urbibus.
O gentis Batavæ regia ſplendida
Quis non ſuſpiciat te atque ſitum tuum,
Intus ſi ſpacietur,
Aut foris per agros tuos?
Rheni tot tibi dat commoda rivulus,
Portus quot geminus tunc bimari dedit
Inſignique Corintho
Cum floreret adhuc bonis.
Ditaris ratibus nunc onerariis,
Cymbis nunc levibus, quæ bona plurima
Et ſurſum atque deorſum
Ad fœnus tibi convehunt.
Quem non exhilarent, mœnibus ex tuis
Curſu ſi videat forte reciproco
Lintres atque celoces
Undas verrere vitreas?
Rhenus præcipiti gurgite devehit
Et Bacchum & Cererem, aſt Oceanus libens
Merces ſubvehit omnes,
Quas mittunt tibi Sarmatæ.
Cinguntur viridi mœnia tramite,
Per pomaria apes inſtrepitant vagæ,
Circum mœnia blandis
Hibleis quoque floribus.
Eoïs radiis ſol ubi promicat,
Montes aërios & ſylüas vides,
Gleba agroſque feraci
Orbe ab occiduo vides.
Circumflecte oculos quiſquis es ad notum,
Paſcuntur pecudes prata per herbida, &
Præter paſcua læta
Secus flumina nil vides.
Hinc flecte ad Boream lumina perſpicax,
Et campos & agros proſpicis undique,
Nec paſſum pedis uſquam
Deprehendis inutilem.
Quid ſyluas memoro lætave paſcua?
Quid montes, pecudes? Quid cita flumina?
Cum multo his potiora
Per pomeria ſe offerant?
Nam qua Solis equi naribus expuunt
Primores radios, cœnobium geminum
Extruxit Benedictus,
Viris, virginibus quoque.
Illud multigena cingitur arbore,
Hoc & conſpicuum quercubus arduis,
Utrumque & pietate
Vita ornatur & aſpera.
Hinc Bernarde ſacras virginibus tuis
Ædeis conſtituis gleba & in uberi,
Quas velamina formant
Et monaſtica regula.
Sunt verſus Borean inſuper alteræ
Ædes virgineæ, quas pater optimos
Mores edocuiſti, in
Valle Vectis ad alveum.
Ad vos devenio caſtra Dei ſacra,
Arctas excubias militiæ ſacræ,
Quis Carthuſia gentem
Hanc munit vigilantibus.
Se veſtris lachrymis & prece ſedula
Confidit populus protegi ab inferis
Diris, haud ſecus atque
Armis fulmineis Iovis.
Qui te præteream virgineum gregem,
Qui Bethlemica habes jure ſuburbia,
Et cunabula Chriſti
Caſto amplecteris oſculo.
His Martine tuam floribus aureis
Ornamus chlamydem, dum tua mœnia
Tanta cœnobiorum
Pulchritudine cingimus.
Tandem Pierides læta ſuburbia
Linquentes, valida Pacis ab arce cum
Laude intremus ovantes
Turrita altaque mœnia.
Arcem dico novam, turrigeram, quadram,
Quæ à Quinto validis condita Carolo
Muris, munia munit,
Et noſtræ urbis aſylon eſt.
Salve lux patriæ, gloria civium,
Urbi inſigne decus, terror & hoſtibus,
Quæ concordiam in omni
Et clero & populo efficis.
Abs te (dico vale) non ſatur ad ſacras
Ædeis tranſiero ex ordine ſingulas,
Quo vicos plateaſque
Contemplari obiter queam. At
Quis dignis obiter laudibus has domos
Ad ripam poſitas fluminis evehat,
Quis acceſſus ad amnem
Cryptis atque cuniculis?

Quarum

Quarum culmina sunt saxea & ardua,
Et marmor paries, sculptilis aut later,
At fundamina pluris
Constant cum penuariis.
Huc mercator ades mercibus impiger
Eois, geticis, hesperiis, vides
Ædeis ære refertas,
Et qui te excipiant cavos.
Trajectine tuam vende nucem, pyrum,
Malum, cum omnigenis fructibus arborum,
Frumentumque tuum, quo
Non præstantius uspiam.
Nec ferto ægro animo, si tua vendites
Hollandis; Frisiisque, id genus accolis,
Quo majora reportent,
Impartire libens tua.
Iam templum aggredimur mirificissimum,
Salve sacra domus, quam Deus optimus
Vult omnes venerari
Privata ac prece publica.
Hoc templum celebrant aurea scrinia,
Quæ divûm cineres ossave martyrum
Thesaurum sacrosanctum
Conservant venerantibus.
Hoc templum celebrat maxima dignitas
Insignis cathedrę, Præsul & inclytus
Egmontanus & heros
Dius mente Georgius.
Hoc templum celebrant qui canonas sacros
Iurarunt Domini, tum precibus piis,
Tum cantu moderato,
Tum psallentibus organis.
Ornant præterea cymbala maxima
In turri aëria, petrina culmina, &
Sculpturæ preciosæ.
Hoc Martine tuum decus.
Salvatoris adit Musa libens mea
Ædem nunc humilem, sed venerabilem,
Quæ olim te Guilibrorde
Urbi excepit apostolum.
Tam sanctus locus hic sanguine martyrum,
Ut nullum capiat terra cadaverum,
(Si sit fabula vera)
Nunc intra gremium suum.
Monstrat relliquias atque sebasmata,
Vestes purpureas, picta tapetia, &
Aurum non secus atque
Ædes summa stupentibus.
Iam ter sancte tuis proximus ædibus,
Non possum Petre, quin septa, loci situm,
Et collegium honestum
Paucis versibus efferam.
Ambit rivus aquæ cum viridariis
Hortos irriguos (iridos ad modum)
Herbis suave fragrantibus
Diversa arbore consitos.
Quod templum viridi gramine cingitur,
Picturis variis quod quoque comitur,
Quis non judicet esse
Ad nostri decus oppidi?
Baptistæ modicum prætereo, petam
Iam templum Mariæ Cæsareum decus,
Quod miro tabulatu
Priscam tectonicen probat.
Hoc primum decorat cœtus honestior.
Terna & cornua dein monocerontia, &
Præstans bibliotheca
Multis & lepidis libris.
Baptistæ repeto te & famulos tuos,
Quorum incæduus hic lucus & area,
Instaurataque templa
Prima est urbis amœnitas.
Hortis si aspiciam septa habitacula,
Quæ rerum precio Cæsare digna sint,
Dicam cædere nullis,
At certare quibuslibet.
His jam quinque Dei sextum habitaculum
Fratrum consocio, quos canonas sacros
Te Augustine magistro
Mitis regula perdocet.
Hinc templa exhibeant, atque sibi sacros
Mystas ac pueros quæque parœciæ,
Quæ quod quattuor extent,
Haud parvum decus adferunt.
Hæc quorsum recito laudibus efferens
Templis digna suis tum loca tum viros?
Ad laudem urbis amœnæ, &
Gentis eximium decus.
Si spectes reliquum tum μοναχῶν gregem,
Tum nonnas variæ relligionis &
Vestis versicoloris,
Obstupescere cogeris.
Stipatus monachis prodeat optimis
Abbas, cui bifido tempora tegmine
Paulus cum Benedicto
Cingenda, unguine consecrant.
Hinc procede prior qui regis armiger
Turmam Teutonicam, quæ chlamyde & cruce
Insignita videtur
Christi militiam sequi.
Huic succede (licet militia prior)
Insignique tuas & chlamyde & cruce
Turmas Domne Balive, &
Baptistæ instrue milites.
Qui verbum Domini prædicat, & minor
Franciscus pariter dissimili grege
Procedant, sacram & ornent
Hanc pompam & venerabilem.
Procedat quoque de vertice candido
Carmeli nitidus grex socians sibi
Augustine idiotas
Cellitas populum tuum.

Ne te

Ne te prætercam dive Hieronyme,
Qui nostræ domui præses es & scholæ,
Magnis adde pusillum
Abjectumque gregem tuum.
Tu nostros refove & moribus instrue
Fratres unanimes, discipulos quoque
Qui nostræ ferulæ nunc
Subdidere manus suas.
Ne mores tumidi, uoxve sit aspera,
Ne sermo illepidus, neve rapax manus,
Sed sit quisque modestus,
Castus, sobrius, & pius.
Tempus deficeret si modo persequar
Hortos, septa, domos, templa, vel atria,
Trajectum quibus illi
Exornant pariter suum.
Iam post multa virûm & pia nomina
Paucis adjiciam virgineos choros,
Quorum non minus urbem
Sanctimonia prædicat.
Produc prime tuum parthenicon gregem
Servati rigida quem tibi regula
Bernardus sacrosancto
Sub velamine dedicat.
Hunc furvum niveus prosequitur chorus,
Quas Albas dominas vulgus iners vocat,
Queis Birgitta sorores
Et fratres sociat suos.
Succedantque chori tum Solymitidum
Tum cultu simili relligioneque
Quas ædes Abrahami
Augustine tibi fovent:
Hinc post Cæciliam postque chorum illius
Addat Nicolcus schemate simplicem
Franciscoque dicatum
Concentu parili suum.
Et ne prætercam Begga tuum genus,
Iungam Magdaleis te præeuntibus
Quo nostræ decoretur
Pompæ hæc ultima linea.
Nunc si omnes pariter lumine candido
Contemplere acies, num valeas mihi
Tanta relligione
Urbem ostendere præditam?
Quin omitto sciens multa habitacula
Ægrorum atque senum. ξενοδοχεῖα que,
Quorum cura probat, quòd
Urbs cultrix pietatis est.

Iam tandem veniam post sacra munia
Ad plebis proceres, præcipuos viros,
Ad sanctumque Senatum
Quîs respublica prædita est.
Primum jure colam qui sapientia
Leges Cæsareas justitiâ quoque
Exercent, patriamque
A vi fraudeque vindicant.
Hinc urbis proceres, stemmata, consules,
Conscriptosque patres & colo & osculor,
Qui absque crimine tractant
Et priva & bona publica.
Rursus mi videor Roma videre te
Ædilesque tuos, scitaque Consulum,
Prætoresque Tribunosque
In nostra urbe novarier.
Nullus livor in his, nullus & ambitus,
Sed justus, sapiens, ac sibi temperans
Robustusque Senatus
Dignè præsidet omnibus.
Sive adversa quidem aut prospera fors mihi, aut
Trajectina tibi plebs sit, in ordine
Conservabit utrosque
Magistratus hic optimo.
Qui respublica sit nunc lacera aut mala,
In qua Prætor hic ensem atque Senatus hic
Stringunt in sceleratos,
Et probis bene consulunt?
Qui vulgus quoque sit moribus improbis;
Dum sanis videant vivere præsides,
Ac non tam sua semper
Quàm optantes bona civium?
Sint ergo pariter moribus approbi,
Ut cultu nitidi civis & incola,
Sic præstent quoque vita, ut
Cunctis corpore præminent.
Ut sunt prævalidi robore virium,
Et membris alacres rebus in arduis,
Sic & mente virili
Carnis lubrica supprimant.
Sint nostrique greges, nempe scholastici,
Casti, sintque pii, sint quoque sobrii,
Ut digni reputentur
Tam pulchro atque pio oppido.
Ergo cum numeris omnibus & locus,
Et res, & populus sint lepidissima.
Trajectum absque rubore
Summis laudibus effero,

REPETITIO.

Quisque Lares patrios cantet propriosque Penates;
Nos Trajectinos laudibus evehimus.

FINIS.

INDEX
rerum memorabilium in Chronicon
IOANNIS BECAE,
& notas ad illud AR. Buchelij nec non Appendices ad idem Chronicon.

Q *Baldui-*

F

G

H

prin-

terram

FINIS.

VITA IOH. BECÆ.

IOannes de Beka Canonicus Ultrajectinus (incertum hactenus cujus ex quinque Ecclesijs) ex nobili familia de Stoutenburch, quæ ex Amorsfortijs equestris familiæ viris descendit, ortus, scripsit Historiam Episcoporum Ultrajectensium; quam jam iteratò recusam accurateque revisam ab ARN. Buchellio I.C. Ultrajectino, luci damus. Ejusdem familiæ est Sibertus de Beka Carmelita quem alij Geldriensem faciunt, cum sit ex vera militia Ultrajectensi prognatus. Ioanni Becæ Canonico hoc elogium consignavit vir nobilis & reverendus Philippus de Leydis non uno titulo commandabilis in hæc verba, libro de sorte principantis & cura Reip. *Quid laudis? quæ memoria? quis honor Comitibus Hollandiæ superesset nisi fœlix Cœnobium S. Adulberti in Egmonda & Monastica vita pro tempore illorum facta & deinde brevi compendio Ioannes de Beka presbyter vigilijs æternasset? scripta diserta manent. Casu lx.* Definit autem Becæ Chronicon (juxta exemplar quod MS. habeo in pergameno, quod quondam pertinuit ad honorabilem Dominum Bernardum de Della Canonicum Embricensem qui anno 1493. inchoante carnis debitum persolvit anno ætatis 86.) in illa verba; *Comitatum Hollandiæ gubernandum Wilhelmo duci sive palatino suo filio commendavit.* Id autem contigit anno 1350. unde liquidò constat qua ætate auctor noster vixerit & scribere desierit. Videndus est & author harum notarum CL. V. AR. Buchelius supra, fol. 120. Meminerunt quoque Becę Io: Trithemius; Valerius Andræas Desselius, & Franciscus Sweertius in suis scriptorum Nomenclaturis. Hoc autem elogium & in Becam indicem, utriusque defuncti memoriæ statuit Lappius.

At vero Gerardus Noviomagus, praefatione ad Germanicarum rerum illustrationem, Marpurgi editam, judicium Gerardi [illegible] Batavi, secutus, scribit illum Becam similem imperito fabro lignario, qui cum ad aedificandas domus materiam absque temporis delectu caesam, convexerit, ignoraret, quae ligna cui domus parti aptiora, quae teredinibus et cariei maxime obnoxia, quae ad firmitatem, quae ad commoditatem, quae ad ornatum sint utiliora. Haec ille. Et certe vanus est et falsus, dum Becam sub Episcopo Adelboldo [illegible] et aliis nonnullis commemorat. Valerius Andreas in Bibliotheca Belgica.

Errata Typographica in Beka ſic corrigenda.

S*Epraret* p.7.leg.ſepararet. *in paraphraſi* 16.in ſuperfluum. *quinquaginta* p.15.leg.quadraginta. *contrahere*,p.15.alij leg.contradicere. *atque*,p.18. leg.adeoque. *qui*,p. 19. leg quæ. '*Polidorus Angel* 16. permittatur verb. accidiſſe. '*Poleno*,p.21. leg. Polono. Herene, 16. leg. Hirene. *vorenburch*,p.28. ſuperfluum. *reperaſſe*,p.30. leg.reparaſſe. *B. Heda*,p.32. B.ſuperfluum. *vacabit*, 16.leg.vacavit. *ſcriberius*, p.32. leg.ſcriverius. *indictam*,p.36.leg.indictum. *perfuet*,p.37.leg.præfuiſſet. *exercitum in margine*,p.37.ſuperfluum. *occurrentes*, p.38.leg.occurrerent. *proviſione*, 16.leg.permiſſione. *Comites*, 16.leg.Cometa. *Comitiſſima*, p.41.leg.Comitiſſa. *Propoſitus*,p.45.leg. Præpoſitns. 1113.p.45. leg.1114. *Ieroſólyma*, p. 53. leg.Ieroſolymam. *Rusl in margine*,p.54.leg.Ruyſch. *Davantriam*, p.56. *quod bis eodem loco inſuper ita inpreſſum reperies*, leg.Daventriam. *Freſonem*, p.59. leg. Friſonum. *cudeum*.18. leg. cuneum. *integro*, 16.leg. integre. *Mathem*.p.66. forte Marhem, nam an.1203. Rutgerum de Merhem invenio. *Ac*,p.67.ſuperfluum,lege ut mera ſomnia hic,&c. *videntur*,p.67.leg.videantur. *ignatione*,p.68.leg.ignoratione. *amiſſione*,p.73.addantur hæc verba caſtri nimium perturbatus. *irradientibus*,16.leg.irradiantibus. *curſus*,16.ſuperfluum. *adhinc*,p.74.leg. abhinc. *eijcit*, 16.leg. ejecit. *ſuperabinde*,p.78.ſuperabunde. *occuparaverant*, p.89. leg. occupaverant. *latine-barbaras*,p.91.leg.latino-barbaras. *remigavit*,p.101. leg.remigravit. *indulgentia*, 16. leg. indulgentiam. *remigavit*, p.102. leg. remigravit. *plerisque*, 18 leg. plurimis. *appropinquarent*, pag. 106. leg. appropinquaret. *Valiſcenarum*, pag. 107. leg. Valencenarum. *perhennis*, 16. leg. perennis. *annulari*, pag. 112.leg.annullari. *emptione addatur verbum* pomotus,pag. 112. *Margar*. pag. 112. leg. Martini. *cathecuminum*, pag. 113.leg. catechumenum. *percludus*,pag. 115. leg.perlucidus. *Ioannis*.36.leg. Ioannes. *enteceſſore*. 26. leg anteceſſore *ſuſceptus*, p.120. leg. exceptus. *Et*,p.121.leg.Ei. *quam*,p.123.leg. quod. *Trajectenſis*, p.124.leg.Trajectenſi. *Hollandrinorum*,p.129.leg. Hollandorum. *ordinis*.16. leg. cœnobij. *ore*, p.135. leg.oro. 1631.p. 142.leg.1361. *habeat*,p.153.leg.habebat. *Epiſpi*.p.159.leg. Epiſcopi. *ſeptimo ab obſidione* p.164 lin.15.addatur verbum die. *incolumitatis*,p.165.leg.incolumitati. 2482.p.166.leg.1482. *comitus*,p.167.leg.comitijs. *initium*.16.leg.initum. *diſſimulem*.16.leg. diſſimilem. *velanime*, p.ult. poëm.leg. velamine.

HISTORIA EPISCOPORVM VLTRAIECTENSIVM,

Auctore

VVILHELMO HEDA

Præposito Arnhemensi, Levita & Canonico

ULTRAJECTINO,

Notis Illustrata ab

ARNOLDO BVCHELIO Batavo ICto.



VLTRAIECTI,

Sumptibus IOANNIS à DOORN Bibliopolæ

ANNO cIↃ IↃ C XLII.



VITA AUCTORIS
Ex memoriis LAPPII.



VILHELMVS HÆDA de Vico Egmont oriundus, Poëta Laureatus & Comes Palatinus variis in Ecclesia dignitatibus & beneficiis insignis. Præpositus enim & Archidiaconus (sive ut ipse Scribit, Levita) Arnhemensis in Ecclesia Ultrajectensi exstitit. Decanus etiam Sti. Johannis post excessum egregii viri Henrici de Lottum 1496. Obtinuit etiam Canonicatum & præbendam in Ecclesia Sancti Salvatoris 10. Octob. 1505. quam anno 1516. in dominum Antonium Huges resignat, idem anno 1510. majoris Ecclesiæ Canonicus in utroque jure Baccalaureus & Pastor sive Curatus alterius portionis Parochialis Ecclesiæ sancti Iacobi Civitatis Ultrajectensis per duos rectores regi & gubernari solitæ nominatur in capitulis concordiæ inter Curatos & Vicarios Parochialis Ecclesiæ S. Jacobi initis.

Vir in Historiis versatissimus scripsit ad Maxæmilianum Cæsarem & Philippum ejus Fil. Castiliæ regem, cui erat à Secretis Genealogiam Austriacam ex familia Habsburgica; Cujus hoc est initium. *Consuevère majores nostri Maxæmiliane Cæsar Auguste primogenita eorum, quæ ad vitæ usum producebantur* &c. MS. Extitit in Bibliotheca quondam Buchelii. Scripsit & Vitas sanctorum illorum virorum qui ex Britannia digressi Frisiam & Bataviam ad Christi cultum converterunt cui pro omni testimonio est ipse Hæda historiæ Ultrajectinæ fol. 212. editionis Furmerii, & hujus nostræ fol. 26. & 32. Ubi in hæc verba scripsit; *Hi omnes ex meritis anteactæ vitæ sancti & domestici Dei habiti adhuc nostrâ tempestate singulis in locis venerantur, quorum gestis hic parum immorandum duxi, tum ea prout à claris auctoribus in scriptis redacta sunt, formis excusa tradidimus & in lucem emisimus, ut qui volet, Lector examussim videre poterit.* Ignorant autem has Sanctorum vitas Magnificus; & Rev. Decanus vander Burchius & N. V. Ianus Dousa ut ex Epistolis eorum mutuis cognovi, & cætera antiquariorum nostræ terræ turba: sed nec Manuscriptas reperit usquam Lappius. Denique scripsit historiam Episcoporum Ultrajectensium jussu sanctæ ac venerabilis ecclesiæ Ultrajectensis, quæ ipsa ex gremio suo eidem operæ deputatos adjunxerat egregios ac magnificos D. D. Bernardum ab Haerlem, Ioannem Wterwijck, Johannem à Solmis, Gerardum Beyer Viros litteratissimos; quam historiam Franequeræ 1611. editam ac male à Bernardo Furmerio habitam, cum exemplariis M.SS. quam pluribus contulit Cl. Vir ac Poly-histor Arnoldus Buchelius ICtus.

Ultrajectinus; Is dum dictam historiam adjunctis notis uberioribus Prælo subjicit, in cursu operis, xv. Iulii anno 1641. ab hac vita eripitur. gemente patria, quæ veræ antiquitatis Atlanta amisit.

Porrò Hæda, quem supra dixi, variis beneficiis insignem fuisse, etiam ecclesiæ Collegiatæ Beatæ Mariæ Virginis oppidi Antwerpiensis, Cameracensis diœcesis, Canonicus exstitit, ibidem residens, testamentum suum condidit 1525. 1. Novemb. in domo habitationis suæ, quam de novo ædificari fecerat; *In quâ juxta concessionem & facultatem datam sibi à Decano & capitulo circa statutum de novis domibus ædificandis factum, tres personas nominavit quæ post alteram alterius mortem dictam domum habebunt & possidebunt ad eorum duntaxat Vitam. Quæ sunt istæ. Wilhelmus ejus naturalis filius Primò quam diu vixerit, & post ipsius mortem Nicolaus de Nova-terra ejus nepos quam diu vixerit, ac post ejus decessum Maria de Nova-terra ipsius Nicolai Soror.* Biduo post datas testamenti tabulas ibidem vivere desiit 1525. nempe 3. Novemb. in ecclesia B. Mariæ Virg. humatus & ut credibile est Insigni aliquo epitaphio decoratus propter eminentes dotes & munia quæ gessit: quod epitaphium quia hactenus videre non licuit, vero-simile mihi est conflagratione Templi anno 1533. v. Octob. periisse; in ejus vicem versus aliquot reponimus Cornelii Graphæi dictam templi conflagrationem graphicè describentis; quibus desiderium solemur.

Est urbe in media moles vastissima, Templum
Augustum, sublime, alta usque ad sidera ductum,
Cælicolæ Dominæ sacrum, toti undique mundo
Percelebre, Immensis opulentum dotibus. . .

———trabium lapsu inclyta patrum
Et populi monimenta, sepulturaque superbæ
Finduntur graviter, convulsa cadavera nudis
Ossibus erumpunt bustis, subitoque cremantur
Fulmine lapsantis flammæ . . . :

——————————superbi
Sarcophagi trabium lapsu atque urgente tumultu
Flammarum miserè diffissi, dira vorago
Undique & immanes rupta tellure lacunæ.

EPISTO-



EPISTOLA DEDICATORIA.

SANCTÆ ET VENERABILI ECCLESIÆ

ULTRAIECTENSI,

VVILHELMUS HEDA PRAEPOSITVS ARNHEMENSIS, LEVITES ET CANONICUS EIUSDEM, HONOREM ET OMNE BONUM.



AIT *Ecclesiastes*: Dedi cor meum, ut scirem prudentiam atque doctrinam, erroresque atque stultitiam, *& id quidem non immeritò. Nam secundum Dialecticos, Opposita juxta se magis elucescunt: quonam pacto prudentem virum internoscere poterimus, nisi ab effectu dijudicato, scilicet imprudente? Doctum, nisi examinato sciolo atque ignaro? Sed nec errorem, nec stultitiam intelligemus, nisi delibatâ veritate ac sapientiâ. Unde scribitur*: Ex operibus eorum cognoscetis eos; *& alibi*: Butirum & mel comedet, ut sciat reprobare malum, & eligere bonum: *Quo scilicet per virtutes & effectus rerum experiamur, quid fugiendum, quidve sequendum fuerit, Humanum quippe genus ab ipsis cunabulis ad malum proclivius est, quàm ad bonum. Sed nec ipsis mortalibus ætas tam diuturna, nec animus circa acquirendam sapientiam tam assiduus intenditur, ut singula quisquam vel in longissimâ vitâ dignoscere, vel experimento ad perfectam intelligentiam pertingere possit, nisi Doctorum, literarum & Historiarum adminiculo; à quibus nobis plerunque suggeritur, quod multorum ætas nec vidit nec audivit: Divino itaque munere homini inditum est, ut semper addiscere cupiat. Et antiqui Historici hæc, quæ viderunt, vel facta* *Historiæ commendatio.*

 cognove-

cognoverunt, contexuêre, & quo qualibet tempore, & qua occasione acta gestáve fuerint * *proinde literis memor itâque mandavêre, quo & ipsi scriptores, & illi, quorum meminêre, ad posteros transirent. Alij laude & gloriâ, infamiâ alii ac vitiis, juxta vitæ merita adnotati, ut viventes eo magis incitarentur ad virtutes amplectendas & vitia detestanda, cùm eventus utrorumque ex illis tanquam ex speculo liceat intueri, quid inde nobis potius duxerimus eligendum. Longè enim facilius ex Doctoribus ac literis, quàm experientiâ vitæ perfectâ acquiritur: Hinc Esaias nos rectè adhortatur, inquiens.* In doctrinis glorificate Dominum. *Quod vos considerantes & perpendentes, quam labilis sit hominum memoria, quàm facilis rerum interitus, & quantum damni per oblivionem vetustas afferre solet (exclamante Nasone,*

* Providè.

Cap. 27.

Metam. 15.

> Tempus edax rerum tuque invidiosa vetustas
> Paulatim lentâ consumitis omnia tabe:)

Antiq. Iud. lib. 1. c. 32.

Ut, inquam, tantæ jacturæ obviaretis & consuleretis posteris, more Liberorum Sethi, qui (teste Iosepho) prævidentes rerum omnium interitum, sive ex igne, sive ex aquâ quandoque futurum, disciplinam rerum cælestium (quarum ipsi fuerunt inventores) duabus insculpsere columnis, Latericiæ uni contra ignem, Saxea alteri contra aquam, ne omninò deperirent. Sic proinde jussistis ut ex gremio vestro adjunctis nonnullis viris utique literatis, ac bonarum artium cultoribus Bernardo scilicet de Harlem, Iohanne ab Wtervvick, Iohanne Solmis, Gerardo Beyer, Scrinia bibliothecasq; inverteremus & si quæ temporum iniquitate (uti fit) squalore obsita, sive incuria majorum rejecta, urbis insignisque vestræ Ultrajectensis Ecclesiæ originem amplitudinemvé concernentia inveniremus; sive etiam gesta, ac vitas sanctorum, qui nos in Christo regenerarunt, ea in lucem proferentes publicis impensis novis formis excudenda traderemus, quo omnium utilitati consuleretur, ne tanti viri de Christianâ religione quam optimè meriti diutiùs in obscuro laterent; sed (uti ajunt de Cerbero ex inferis extracto per Herculem) ad nos revocarentur. Onus certè longè impar nostris humeris, nec ullâ conditione subeundum, si liceret obaudire, & sanctorum potius merita (quorum memoria celebrabitur) non animarent, & pia vestra in eos devotio non compelleret, quo confidentiùs jussis vestris pareamus, & munus hoc licet arduum subire minus formidemus. Quis enim tam amplæ Urbis, tamq; insignis Cathedralis Ecclesiæ laudes (quæ pene

Historię hujus scriptores ab Ecclesia deputati.

Quorum gratia hæc scripta sit Historia.

pene ignorantur amodo) subticebit? Quis celabit eorum Athletarum præconia, aut in obscuro sinet diutiùs delitère, qui Germanias & Gallias (quas gentilis error & Plutonica superstitio in summâ feritate, indomitâque barbarie fœdaverat,) ad veri Dei cultum notiamque convertentes, tanquam fortes pugiles & invicti Duces nedum doctrinâ & vitæ exemplo, sed & sanguine brevi temporum intervallo subdidêre Christo captivas, effecère mansuetas? Unde certè impij (ne dicam) crudeles censendi & magnâ ingratitudinis notâ digni essemus, si eorum trophæa per quæ salvati sumus, cum cæterorum dispendio permitteremus interire. His namque auctoribus usque adeo apud istas provincias Christiana coaluit, & adhuc floret respublica, ut religione, morum integritate, humanitateq; ac ingenio, sive in pace, sive bello, sive aliis rebus gerendis, ad quasvis etiam novas sive inventas artes nulli nationi cedant; claris urbibus, populorumque frequentiâ insignes, piæ & dum postulat occasio perinde feroces, ut quicquid aliis deest, istis accessisse videatur. Crederes vel revolutum, vel immutatum orbem provinciasque istas sub alio cœlo collocatas. Quis enim assentietur Ethico Philosopho, scribenti: Nos solis volucrum ovis lacte & caseo, siccatisque piscibus enutriri? *Quamvis adhuc creber sit usus fumatæ carnis ac piscis crudi. Quis Tacito asserenti* *Germanias tristi sub cœlo constitutas? *Quis aßentietur jam Plinio adnotanti*, ne argentum quidem apud plerosque fuisse in precio? *Aut ipsi Cæsari recitanti, alios nulla admittere commercia, imò nec vinum quidem; cùm jam terra ac mari tanta rerum advehatur affluentia, tanta regionum sit ubertas omnifaria, tot divitiæ, tot cibi, & potus, vestiumque apparatus, atque ædificia, (ut cætera missa faciam) quo Romanas superemus delicias, quicquid India, quicquid Ægyptus, quicquid insulæ & Regiones antea ignotæ fragrantia aut aromatum emittunt, jam redoleamus? Nihilque sit magis formidandum, quàm ne in lasciviam, desidiamque allecti, solitum amittamus animorum vigorem. Nam*

Quorũ gratia hæc scripta sit Historia.

A viris sanctis in hisce regionibus orta morum emendatio.

** De moribus Germ.*

Lib. 4. de bello Gall.

Regni mutatio in melius an deterius?

——— placitis abstinuisse bonis,
Perrara est virtus. *Immo*
Luxuriant animi rebus plerunque secundis,
Nec facilè est æquâ, commoda mente, pari.

ut ait Ovidius. Ad id enim hinc oriens uti præmittitur, inde occidens, & quævis orbis plaga periculosa præbet adminicula, nec erubescunt Italia, Hispania atque Africa, omißis vicinioribus regnis, Germanico ali

Lib. 2. de arte Am.

Omnis n utatio fai ctis viris debetur.

frumento, linteoq; vestiri, quo vel intollerabilem extinguant famem, vel delicatiùs amiciantur. Verùm qualiacunque ea sint, voto ac sudore processêre sanctorum, siquidem ante assumptam Christianam fidem dispar fuit vivendi modus, cùm nec carnibus equinis, nec serpentibus, aliisq; spurcis & immundis animalibus abstineretur, ut prætercam eos, qui more Diomedeo humanis vescebantur carnibus. Quorum omnium fœditatem, ac morum pravitatem Beati viri exemplo & doctrinâ exterminarunt, & plus prædicando, quàm Romani principes terrore armorum profecêrunt. Tunc primùm (uti testantur omnes) Septentrio rectè cognitus, cum Christi Euangelium per fidos præcones eò traduceretur, & negotiatoribus frequentius eo concedere licitum: quod istorum gloriæ laudiq; tribuendum est. Quare parendo piis monitis, decrevimus vestro sub judicio quanto poterimus altiùs originem situmque Urbis vestræ repetere, & quotquot præ manibus habuerimus Historiographos ad hoc adducere; itidem ipsius Ecclesiæ & Patronorum, sub quorum titulis dicata est, una cum Episcoporum, qui præsedêre, seriè, vitas verò in primis D. Martini recensendo omnes auctores qui in ipsius laudem scripsêre, & aliorum sanctorum qui Ecclesiam fundarunt, Suitberti scil. Wilbrordi, Werenfridi, Bonifacij, Marcellini, cæterorúmq; comitum & beatorum Præsulum prout inveniuntur à fide dignis annotatæ, luculento interdum, simpliciore quoque & nonnunquam incultiori stylo, nihil addentes aut imminuentes in unum librum redigemus. Veniam precantes si minus digestè adaptaverimus, parùm aut nihil narraturi, nisi quod probati scriptores in suis libris reliquerunt, ne assentationis vitio redargui possimus. Nam sancti fucis verborum non indigent, & nos si quicquam ad laudes accumulare vellemus, non sufficeremus. Omnipotens Deus pium vestrum in eum & sanctos suos zelum adaugeat, & ad effectum perducat. Data Kalendas Maji, Anno salutis CIↃ IↃ XXI.

Hic liber ex variis auctoribus collectus servatis ipsorum verbis.

Prooemium.

Urbis Trajectensis situm atque originem paulo altiùs indagantes, quàm pleraque vulgares etiam sub incerto auctore continent historiæ, hîc pauca duximus prænotanda.

Nonnulli enim autumant eam in Frisiis, alii Metropolim Hollandiæ astruunt, quam à Gigantibus & feris indomitisque gentibus habitatam volunt. Affirmant insuper eam tempore Neronis Augusti (Agrippinæ ex Domitio Ænobarbo filii, & per Claudium Cæs. adoptati) cepisse initium, à quodam Antonio & sociis Romanis crudelitatem ipsius Neronis fugientibus, atque à conditore Antoninam nomen esse sortitam. Nos autem nec ea refellentes, nec ad plenum approbantes, quæ circa veram notitiam apud scriptores invenimus, proferemus in medium; priùs ipsius situm absoluturi, demum originem atque incrementa latiùs prosequemur.

Cõfer hoc procœmiũ cum Iohãnis de Beca procœmio, quod interpretatur.

CAPUT

CAPUT I.

De loco & situ Trajecti.



Situm itaque Urbis, oram Rheni vel utramque potius ripam complexum fuisse nemini dubium. Cùm id ex plurimis indiciis & vestigiis tum in primis ex vitâ Willebrordi,ex privilegiis donationibusque Regum atque Imperatorum perspicuo liquet. Nam in literis Chlotarii, Theodeberti, nec non Pipinorum & sequacium Regum Francorum clarè habetur Trajectum vetus ad flumen Rhenum situm. At Baldricus Episcopus (qui Ottoni ex Imperatoribus Germanorum ejus nominis primo à consilio, & filii sui præceptor extitit) illam à Normannis subversam instaurasse & pontem Rheno imposuisse legitur, uti suo loco patebit. Verùm an semper cis Rhenum, an citra illum (qui plerunque alveum mutavit, cursumque declinavit, hæc urbs sita fuerit incertum habeo, quamvis in vitâ sancti Frederici Episcopi & Martyris, aliquid de hoc legatur, & in quâdam litterâ donationis Caroli Magni de Ecclesiâ dictâ Ubkiricâ clarè constat, Rhenum alio alveo, quàm modo decurrisse,& differentiam fuisse inter Rhenum & Leckam. **Lecken** enim Germanicè idem significat quod stillare sive derivari. Nam (a) Lokia sive Lecka fuit quasi rivulus à Rheno distillans, capiens originem inter Amerongam & Dorestatum. Hoc modo continetur in litera ipsius Caroli Regis: *Similiter donamus ad Ecclesiam S. Martini, quæ est super Dorestad constructa, & vocatur Ubkirika, deque omni parte centum perticas de terrâ, uti omni tempore prædicta Basilica spacium terræ centum perticas habere debeat, & cùm hoc ripaticum illum super Lockiam & insulam illam prope ipsam Ecclesiam ad partem Orientalem inter Rhenum & Lockiam.* Ex quo clarè notatur differentia Rheni & Leccę. Rhenus enim ab Amerongâ juxta Dorestatum ad Trajectum, & demùm per Leidim oppidum Cattorumque vicum decurrebat in mare, adhuc nomen servans Rheni veteris. Sed Lecka, sive Lockea à Dorestato secundum oppida (b) Sulenburgum, Hagestainum, Dianam, Schoenhoviam, Roterodamum & Brielam currens derivatur in mare, alveum nomenque recens præ se ferens sub priscis Romanis nondum notum. Apparent adhuc veteris alvei vestigia venientibus ab Amerongâ versus Trajectum à plagâ Orientali & Meridionali, ubi & (c) scriptura in saxis & nummis cum capitibus Romanorum Imperatorum aliaque (d) antiquitatis fragmenta inveniuntur; ab Occidentali verò & Septentrionali parte, ubi jam templa sancti Iohannis & Divi Iacobi Apostolorum consistunt, idem Rhenus cursum habuit. Nam recens fama est de portu sive statione (quam **Rinthens-haven** vulgus apellat) illic constituta, ubi & pali & anchorę, cęteraque navalia armamenta sub terrâ à fossoribus reperiuntur. (e) Fuit urbs quondam ampla & opulenta, & emporium pro commerciis ex omni parte Oceani per Rhenum & alia loca conducendis percommodum. Domicilium multorum Regum atque Imperatorum, audens aspirare contra Coloniam Agrippinam pro sede Metropolitanâ ex dignitate obtinendâ, sed tot & tantis cladibus à Barbaris afflicta tandem impotens & lassa nequiens respirare admodo succubuit. Ea non in Frisiis ita est, licet ab illis aliquando occupata fuerit: dum Carolus Martellus infaustè pugnat, illiusque victores & Chilperico Regi ac Reganfredo majori domus fœderati contra Carolum, Coloniam usque cuncta depopulando pessundarent: *Frisij* enim teste Ptolomæo *habitant in Germaniâ, quæ circa Rhenum est à parte Septentrionali secus Oceanum usquè ad Amasim fluvium supra Bructeros*; & Tacitus ubique nominat eos Germanię populos, & Trans Rhenatos, ita asserens: *Majoribus minoribusque Frisiis, vocabulum etiam ex modo virium, utræque nationes usque ad Oceanum Rheno prætexuntur, ambiuntque immensos insuper lacus,& Romanis classibus navigatos*, sicuti jam Orientales & Occidentales Frisios appellamus. Et alibi, *Frisii, populus Trans-Rhenanus &c.* Neque in Hollandiâ constituta est, quod nomen recens obscurumque, nec antiquitus cognitum fuit, nisi forsan quispiam ab Olennio primipilari & Præfecto Frisiorum id nomen sortitum (prout inferiùs inferemus (vel ab Helino brachio Rheni ductum velit. Sed inter Batavos (qui inter Rhenum &

Situs Ultrajecti cis an ultra Rhenum sit.

Rhenus cursum mutavit.

Lecca alius à Rheno rivus.

Vetus amplitudo Ultrajecti.

Ultrajectum non est in Frisia.

Ann. 4.

Ultrajectum non est in Hollandia.

Olennius.

Vltrajectum assignandum Batavis aut Marsis. num & Wahalim una cum flumine Mosâ sedes habent) ad Oceanum pertingentes, aut potiùs Marsos vicinos, non ab re duximus collocandam: Si Cornelio Tacito ac Plinio credere volucrimus. Ille enim libro secundo Historiæ Augustalis ita inquit, *Rhenus uno alveo continuus aut modicas insulas circumveniens, apud principium agri Batavi velut in duos amnes dividitur, servatque nomen & violentiam cursus, quâ Germaniam prævehitur, donec Oceano misceatur: Ad Gallicam ripam latior & placidior affluens verso cognomento Vahalim accolæ dicunt: mox id quoque vocabulum mutat Mosâ flumine, ejusque immenso ore eundem in Oceanum effunditur.* Et in libro de moribus Germanorum: *Omnium harum gentium virtute præcipui Batavi, non multum ex ripâ, sed insulam Rheni amnis colunt, Chattorum quondam populus, & seditione domesticâ in eas sedes transgressus, in quibus pars Romani Imperii fierent. Manet honos & antiquæ societatis insigne. Nam nec tributis contemnuntur, nec publicanus atterit: Exempti oneribus & collationibus, & tantum in usum præliorum sepositi, velut tela atque arma bellis reservantur:* hæc Tacitus. Iam Frisii nusquam leguntur inter Gallos asscripti, sed Germaniæ populi inter quam & Galliam Rhenus pro limite fuit constitutus, sicuti in Commentariis, Sicambri cum Usipetibus atque Tenchteris Cæsari responderunt, *Populi scilicet Romani Imperium Rhenum finire.* Nondum enim Cæsar quidquam in Germaniâ sibi vendicarat. Primus enim Romanorum Ducum Rhenum transire ausus, teste Appiano Alexandrino in libro quem Celticum prætitulavit. At Plinius lib. 3. *In Rheno autem ipso prope centum millia passuũ in longitudinem nobilissima Batavorum Insula, & Caninefatum, & aliæ Insulæ Frisiorum Cauchorum Frisiabonum, Sturionum, Marsatiorum, quæ sternuntur inter Helium & Flevum (ita enim appellantur ostia Rheni) in quæ affusus Rhenus ab Septentrione in lacus, ab Occidente in amnem Mosam se spargit, medium inter hæc Corum versus modicum nomini suo custodiens alveum.* Corus, eodem Plinio teste, ab occasu Solstitiali flans, Ἀργέστης Græcè dictus, quem Carolus Magnus secundum Einhardum Germanicè interpretatus est **West-nordertwint**. Cæsar verò in quarto Commentariorum libro, sedes horum constringit, scribens: *Mosa profluit ex monte Vogeso (qui est in finibus Lingonum) & parte quadam Rheni receptâ (quæ appellatur Wahalis) insulam efficit Batavorum, neque longius ab eo millibus passuum octuaginta in Oceanum transit.* Verùm mihi placeret, hanc urbem (f) in (g) gente Marsiorum (qui & Marsiaci) sive (h) Chattorũ (qui necessitudine & societate juncti erant) ponere, quos refert Tacitus, *obsequio (quo Romanis obstringebantur) pares Batavis, qui tanquam tela atque arma bellis reservarentur liberi absque tributo, & solum in usum præliorum sepositi erant, vicini Batavis,* nisi quod Rhenus intercurrat) quorum vici tunc sub Germanico Cæsare depopulabantur à Romanis una cum (i) Mattio præsidio Chattorum capite gentis, quod haud longè à Rheno distabat, jam in vici formam redactum nomen servans ad tria millia passuum Trajecto vicinum, inter quos fuit & Adriana fluvius nunc corruptè Ara vocatus, & celeberrimum templum illis gentibus (quod (k) Tanfane nuncupabatur) solo æquatum, in cujus vestigiis ac fundamentis non ab re licet opinari Trajectum fuisse conditum, cùm ut plurimùm in universo orbe Ecclesiæ ac Monasteria legantur instituta, ubi dæmones & gentiles Dii templis colebantur, quo spurca superstitio citius è memoriâ deleretur. Pridem fuere Marsi vicini Chattis longè in Germaniâ, ubi & Adrana fluvius & templum prædictum potiùs fuisse creditur. Posteà verò commigravit uterque populus ad superiores oras Rheni priorum sedium nomina novis locis imponentes, sicuti de vicis Territorii urbis Trajecti ad Rhenum, & oppidi Trajecti ad Mosam hodiè nomina concordant, ubi & Chattorum adhuc reliquiæ exiguo vico supersunt, sicuti & ipsi Sicambri populi Germani in Gallias tempore Augusti, & in proximis Rheni agris collocati, auctore Tranquillo. Qui (l) autem originem Marsorum curiosiùs indagare voluerit, quos ab Ausoniis atque Italicis, descendisse Marsis & sedibus pulsos piraticam exercendo, tandem ad has oras vagando commigrasse, Principe & populo vacuas crediderim, legat, si placet sequentia, unde multum desiderio suo correspondebitur.

Marginalia: *Rhenus inter Germaniam & Galliam limes.* — *Lib. 4. de bell. Gall.* — *Rheni insula.* — *Lib. 4.* — *Mir. Cod. Helinum, ht.* — *Vltrajectum est in Marsis.* — *Lib. de Morib. Germ.* — *Tanfani templum apud Marsos ultra Rhenum non hic.* — *In Aug. c. 21.*

a *Nam Lokia sive Lecka*] Quæ de Leccæ & Rheni cursu ac differentia tradit Heda, etiam hodie certissimis demonstrantur indiciis, ao veterum diplomatum & classicorum scriptorum auctoritatibus confirmantur.

b *Secundum oppida Sulenburgum* &c. Reprehendendus hic mihi Heda (ut semel faciam) qui toto hoc opere nimis multus est, in allusionibus & interpretationibus propriorum nominum, quæ corrumpit ex vernaculis, & interdum vertit putidissimè; quâ tamen scribendi ratione, sibi mirum in modum pla-

dum placere videtur, cum ex illa, non tantum multa absurda, sed & obscura vocabulorum monstra oriantur, quæ Oedipo indigeant. Sic Sulenburgum dicit locum, qui Culemburgi nomine notior, quo omnium scriptis & literis ab ipsâ origine appellatur; nisi quod Doctiss. Pontanus à Cl. Civili illud nomen arcessendum putat; cum à depressiore solo ubi conditum illud castrum, dictum sit. Dianæ quoque nomen ex medio Gentilismo promit cum Vianæ notissimum sit, nec aliter vocetur, sitque hoc recentius, nec ante 400. annos auditum. De Dianæ fano quæ feruntur, somnia sunt, nec ullo probo auctore nituntur; neque illi audiendi, qui castra Herculis eo loci collocant. Et si incertis conjecturis standum; cur non & Vic Jans hospitium, quod ibi fuisse dicitur, nomini ortum dederit, indeque castro hæserit, & tandem oppido manserit?

c *Ubi & scriptura in saxis & nummis cum capitib. Rom. Imp.*) Ad veteris Rheni alveum passim monumenta Rom. occurrunt; & vidi tam supra, quàm infra Trajectum inventa nummismata Antoninorũ aliorumque Impp. non unius magnitudinis, aut formæ, ex auro, ære, & argento. Vollenhovius non infimæ artis pictor exhibuit ante aliquot annos nummum aureum, perquam elegantem, Imp. Hadriani laureati, in cujus adversâ parte Liberalitas cum tesserâ spectabatur, ap. Vechtam pagum inventum; ut & alterum ex ære cum imagine IMP. L. AUR. VER. AUG. TRIB. P. III. COS. II. Ubi in opposito, FORT. RED. .i. Fortunæ Reducis, sedentis simulachrum, quem à patre in horto suo suburbano Insulensi inventum olim ajebat. Quin & ante paucos annos vir N. Daniel Ridderius mihi misit nummum ex ære subflavo mediæ magnitudinis, quem pastor apud Wiltenborch (ut vocant) repertum ipsi dederat; in quo, vultus Domitiani Imp. cum coronâ radiatâ, & simulachro Palladis, vel virtutis. Est quoque apud me argenteus quinarius familiæ Egnatuleiæ, in loco qui Hoochwoert appellatur, cæde Wilhelmi Antistitis nobilitato, inventus; utriusq; verò formam hic expressam dedi,



Plures etiam in agro suo Vechtano inventos mihi dedit V. Nobiliss. Ioan. Renessius Nob. admodum viri Theodori de Renesse, summi antiquarii & rerum nostrarum scientissimi F. inter quos Neronis, Trajani, Hadriani & Antoninorum non inelegantes. Et nuper Clariss. V. & Med. Doct. Petrus Dammius apud eosdem Vechtensis in agro suo effossa monstravit numismata Impp. Tiberii, Claudii, Neronis, Vespas. Domitiani, Adriani, Antonini Pii, L. Veri, M. Agrippæ L. F. & nuperrimè inventum Neronis elegantissimum nummum ex ære subflavo, in cujus dorso Fortunæ stantis & Cereris sedentis typus &c.

d *Aliaque antiquitatis fragmenta,*] Infinita quotidie fragmina tegularum, imbricum, testarum, pocularum literis Romanis insignita, circa urbem, & Rheni alveum effodiuntur, quorum apud me nonnulla, exprimunt sequentia EX. GER. INF. LEG. XXX. IST. FE. GR. CAIUS VAL. ISI. CIRRUS F. A. FEC. IOCCIUS F. & ante paucos dies ostendit mihi Doctor Dammius Lapides inscriptos COH. I. FID. LEG. XXIII. RI. LEG. XXX. EX GER. INF.

e *Fuit urbs quondam ampla & opulenta,*) Si respicit ad tempora Wilibrordi, aut Bonifacii, aut anteriora, longe fallitur (meo quidem judicio) Heda; castrum enim tunc fuit, juxta quod, ædes, templa, domus paulatim posita; & sic tempore in civitatem crevit, concurrentibus eò undique Christianis, qui sacrum Baptisma relicto Gentilismo receperant, quod in Willibrorbo Beka clare exprimit, atque insuper ex diplomatibus Martelli, Pippini, & Caroli magni constare potest.

f *Ea non in Frisiis sita est,*) Quod Heda Frisiis Trajectum adscribendum negat, verum est, si ad antiquissima tantum tempora respicias, quibus Batavorum nomen & res aliquomodo supererant; sed sequentibus temporibus, vel ante Pipinorum ac Carolorum Imperium Frisiæ semper adscriptum fuit.

Neque tantum Trajectum, sed quidquid Brabantiam usque, olim Batavorum virtus occupaverat; deinde Frisiis accessit, & eorum nomen possedit: donec Hollandorum, Gelrorum, aliorumque recentiora nata sunt vocabula.

g *Nisi forsan quispiam ab Olennio primipilari.*) Hollandiæ Etymon variis variè explicatum,& nescio cui non dictus Hylas, Hedæ ab Olenio vel Helino Rheni brachio, leves sunt conjecturæ: quasi repetitum illud nomen post tot sæcula, & velut ab Inferis excitatum: vel ab incognito & diu desito sic vocetur fluminis ostio. Videantur Iunii Batavia cap. 13. Nannii Συμμ. lib. x. circa initium. Dousa Holl. annal. lib. VI. I. Pontanus in discept. Geogr. etiam quæ à me ad initium Becani Chronici dicta sunt.

h *In gente Marsiorum,*) De Marsis, Sicambris conterminis, Marsacis & Marsatiis multa Cluverius German. Antiq. Lib. III. cap. XI.

i *Sive Cattorum,*) Id est, Batavorum, nam pars chattorum Batavi, & hi à chattis oriundi, ut ab nostro auctore ostensum satis ex Tacito Plinio & aliis.

k *Quod Tanfane nuncupabatur,*) Hæc conjectura minus placet & ipse auctor paulò post sese emendat. Nam illud fanum in Marsis interioribus longiùs à Rheno collocat diligentissimus Ortelius: inter Amisiam & Lupiam statuit Cluverius: meminit etiam ejus Lipsius Com. ad lib. 1. Annal. Taciti Suffridus ex Alvino, in Frisiis fuisse,& quædam de eo tradit fabulis simillima.

l *Qui originem Marsorum indagare voluerit &c.*) Quæ hic & toto sequenti capite de Marsis Italiæ populus adfert Heda πόλλῳ καὶ δὴ ab historicâ fide, videntur, cum illud nomen Marsorum ap. nos à paludibus deductum sit, non ab advenis.

CAPUT II.

De Marsis populis Italiæ, unde Marsos Germaniæ populos originem habere nonnulli volunt, hæc narrantur.

ANNO ab urbe conditâ *662*. Sex. Iulio Cæs. & L. Marcio Philippo Coss. Olympiade 172. testantibus Eusebio atque Orosio bellum gessere Romani adversum Picentes, Marsos Pelignosque rebellantes, uti etiam L. Florus in Epitomatibus suis narrat. T. Livium in 3. 4. 5. & *6*. libris septimæ Decadis commemorasse.

Et contra Marsos P. Rutilius Cos. parum prospere pugnavit in prælio occisus, una cum exercitu deleto, ubi multi Nobiles interfecti & octo millia Romanorum militum cæsa, arma "& corpora interfectorum in conspectu Marii Legati Tolenius Fulvius pertulit, atque in te"stimonium cladis evexit. Marsi Agamemnonem Archipiratam in Imperatorem suum pero-
à V.C. 563. "ptaverant. Marius raptis continuò copiis victores insperatos oppressit, octo millia Marso-
Vide Appian. lib. 1. bell. Civil. "rum & ipse interfecit. Cœpio autem à Vestinis & Marsis in insidias deductus cum exerci"tu trucidatus est, Postea iterum Marius sex millia Marsorum delevit, septem millia armis "exuit; Cn. demum Pompeio & Portio Catone Coss. Pompeius diu obsedit Asculum civita"tem, nec tamen expugnasset nisi populum in campum prorumpentem gravissimâ oppressio" ne vicisset, decem & octo millia Marsorum in eâ pugnâ cum Franco suo Imperatore cæsa "sunt, capta tria millia, quatuor millia Italicorum virorum ex eâ cæde profugorum, jugum "montis coacto in unum agmine fortè conscenderant, ubi oppressi exanimatique nivibus mi"serabili morte riguerunt: namque ita, ut attoniti timore hostium steterant, alii stirpibus vel "saxis reclines, alii armis suis innitentes, patentibus cuncti oculis, dentibusque nudatis, viven"tium in modum visebantur, nec ullum erat procul intuentibus mortis indicium, nisi diuturna "immobilitas, quam nullo modo humanę vitę vegetatio diu perpeti potest. Hæc Orosius lib. "V. C. XVIII.

" Portius Cato Coss. Marianas copias habens cum aliquanta strenuè gessisset, gloriatus est " Cajum Marium non majora fecisse, & ob hoc cùm ad lacum Fucinum contra Marsos bellum "gereret, à filio Caji Marii in tumultu belli quasi ab incerto auctore prostratus est.

" Pompejus Asculum ingressus, Præfectos Centuriones cunctosque Principes eorum virgis " cecidit, securique percussit, servos prædamque omnem sub hastâ vendidit, reliquos liberos " quidem sed nudos & egentes abire præcepit. Notandum quod ista sunt acta anno ab urbe

condita

condita 659. usque ad 662. Sed Drusus Imperator post annum 726. bellat in Germaniâ, ubi Marsos afflixit.

Blondus in libro de Italiâ illustratâ, ubi tractat de Origine Latinâ, dicit Livium scribere in 22. libro, qualiter Hannibal regionem Marsorum vastavit, & in libro 26. qualiter iterum revertens ab urbe Româ per eorum agrum iter fecit, eaque in regione interiit, quodque Regio Marsorum nunc Valeria dicatur, & multa alia de Origine gentis. L. Florus in Epitomate lib. 2. septimæ Decadis Livii) *Italici populi defecerunt. Picentes, Vestini, Marsi, Peligni, Marrucini, Lucani, Samnites: initio belli à Picentibus moto. Q. Servilius Procoss.: in oppido Asculo cum omnibus civibus Romanis, qui in eo oppido erant, occisus est: saga populus sumpsit.*

Idem L. Florus in Epitomate lib. sexti Decadis septimæ Livii: *Marsi quoque à L. Murenâ, & Caecilio Pinnâ legatis aliquot præliis fracti, pacem petierunt. Asculum à Cneo Pompeio captum est: cæsis à Mamerco Æmylio legato Italicis, Sylo Popedius Dux Marsorum auctor hujus rei in prælio cecidit.*

Appianus libro 1. Cornelio Sillâ ac Gn. Pompeio Coss. Sulpitius Trib. plebis & cum eo Marius VI. Coss. ejusque filius, Publius quoque Cethegus, Iunius Brutus Gneus & Q. Grannii, Publius Albinouanus, Marcus Lectorius, & reliqui Mario faventes ad 12. numero urbe pulsi, datâ licentiâ eos impunè occidendi & bona conscripta. Nota quod hi in Lybiam, & ad montes supra Numidiam confugêre, per mare etiam vagantes jactati sunt, sedes â Romanâ potentiâ liberas & quietas quærentes, Causam defectionis Italicorum Marsorum atque aliorum, idem Appianus de bel. Civil. lib. 1. dicto pulchrè describit.

Haud alienum foret jam Marsos Germaniæ populos ex iis reliquiis credere ortos, similiter & Cattos: nam & nostrâ ætate in Italiâ magna superest Cattorum familia, & Thermas Grani ab hoc Q. Granio inventas, & Albianum ab Albinovano ad ripam Rheni conditum, cùm per illud tempus Romanæ vires & Gallis & Germanis adhuc forent incognitæ, Francorumque gentem ab istâ cepisse originem. Nam regnum Francorum, teste Meynardo sive Eynardo prius & usque ad sua tempora censebatur, non amplius, quam ea pars Galliæ, quæ inter Rhenum & Ligerim Oceanumque, & mare Balearicum jacet, & pars Germaniæ, quæ inter Saxoniam & Danubium, Rhenumque & Salam fluvium, qui Thuringos & Sorabos dividit, posita, a Francis, qui Orientales dicuntur, incolitur, & præter hæc Alamanni atque Baioarii ad regni potestatem Francorum pertinebant. Quod Carolus Magnus posteà nobiliter ampliavit, & antiquissimi Franci, Marcellino teste, dicti sunt Salii. Absoluto jam satis abundè situ urbis ad originem ejus & instaurationem properemus.

Erroneum hoc videtur, quandoquidem tam in Italia, quam in Germania Marsi dicuntur qui Uligines & paludes incolunt.

Quæ hoc capite leguntur fere ex Orosio sunt; quæ verò ex Blondo citantur de Annibale, qualiter iterum revertens ab urbe Roma, per agrum Marsorum, ibi interierit μνημονικὸν ἁμάρτημα est. Videatur Livius lib. 40. Plutarchus, & Nepos, sive Probus in vitâ, & exitu Annibalis, Iustinus ex Trogo Pompeio lib. 32. alii.

CAPUT III.

De origine Urbis Trajectensis.

Trajectum autem à profugo sive exule Romano minimè originem cepisse, hoc modo docebitur. A tempore Divi Iulii præsidia ad Rhenum cœpta locari, ubi miles hibernaret, & Rhenus limes Romani Imperii constitutus, & pontes ferre doctus, pro insultationibus Germanorum comprimendis. Quamvis Imperium etiam ultra Rhenum propagaverat Cæsar, sicuti testatur Suetonius sic inquiens: *Idem obsessione castrorum in Germania nunciatâ, per stationes hostium Gallico habitu penetravit ad suos.* Ac sub Octavio Augusto (Druso Nerone Cæsare duce) usque ad Albim progressus devictis, eo usque Germanis, & in Gallia in proximis Rheno agris collocatis, & sicuti idem tradit Tranquillus. *Hic Drusus primus Romanorum Ducum Oceanum Septentrionalem navigavit, trans Rhenum fossas novi & immensi operis effecit, quæ Drusianæ (a) vocantur & ad Albim flumen oppetiit, privignus Augusti, & frater Tyberii ex Liviâ.* Ad Rhenum, (b) auctore Iustino, in Trogum Pompeium supra quin-

Historia veterus de Germanis atque Frisiis.
In Iul. c. 58.
c. 21.
In Claudio ad princ.
Al. Salam.

pra quinquaginta & amplius castella pro tuitione Romani Imperii collocavit, & in tutelam provinciarum præsidia & custodias ubique disposuit, per Mosam flumen, per Albim, per Visurgim.

Domitius quoque exercitu flumen Albim transcendit, inde sub Tiberio à Barbaris tentata irruptio per Frisios (qui tunc cum gentibus adjacentibus Romano parebant Imperio) ob sævitiam cujusdam Olennii primipilaris eorum Præfecti deficientes, dum insueta onera imponeret: quorum manus vix evadens Olennius in Flevum Castellum ad littora Oceani (ubi valida manus Romanorum præsidebat) se recepit. Illic obsessus, & à L. Apronio inferioris Germaniæ Proprætore solvente obsidionem suppressi motus, Frisiis in sua redire compulsis. At Germanicus Cæsar Drusi fil. similiter aliorum conatus restrinxit cuncta restituens in pristinum statum: deinde per A. Cecinnam legatum exercitus inferioris Germaniæ ac Sanquinium Maximum à Chaucis interemptum. Inde per Domitium Corbulonem præf. militum qui descripsit Frisiis agros, quibus se continere deberent) *Senatum, Magistratus, leges imposuit, ac ne jussa exuerent præsidium inde munivit.* Hactenus Tacitus, ibi & paulo pòst. *Ne* (c) *tamen miles otium exueret* manu militari *fossam* XXIII. *milium spacio inter Rhenum & Mosam produxit, quâ incerta Oceani vetarentur.* Item per Paulinum Pompeium, *inchoatum ante* LXIII. *annos a Druso aggerem coercendo Rheno absolvit*, cui Avitus successit, qui Frisios (occupatis ad Rhenum agris) Ducibus Verrito & Malorige in pristinas sedes ire compulit. Hinc per L. Pomponium, & novissimè per Petilium Cerialem legatum provincię cis Rhenanæ quiete administratæ, & in fide servatę; ut puta à Cæsare Augusto usque Imperium Domitiani, nisi quod sub C. Cæsare & tempore intermedio (quo sub Ottone, Vitellio atque Vespasiano de Imperio certabatur) si qui motus gentium vel irruptiones factæ sunt, socordiâ Ducum & seditione Legionum acciderunt. Sub Trajano tamen cuncta restituta. His ita se habentibus cùm & tempore Neronis utramque oram Rheni in Ditione Romanorum fuisse constat, quis credet hosti ac profugo Romani Imperatoris, Romano in solo ullum patuisse refugium, cui nusquam tutum aut consultum esse poterat, quo Romani Principis authoritas aut indignatio æstimabatur. Aut qui hostibus ac Barbaris tantâ potentiâ fretis ne municipia locarent armis resistère. exulem autem infestum Romanis, præsidium condere toleravissent? quod nec de aliis exulibus Romani nullo unquam tempore legimus factitatum, nisi si qui certo loco proscripti, pro commoditate atque memoriâ eorum domos templaque ædificaverunt permissu Principum.

Tacit. Ann. 4. ad fin.

Li. XI. Ann.

XIII. Ann. ad finem.

Vltrajectum tempore Neronis ab aliquo exule nō est conditum.

Nec invenimus apud aliquem scriptorem probatum, vitam ac tyrannidem Neronis describentem quempiam nomine Antonium, sævitiam ejus fugientem in Galliis Germaniisque fuisse receptum. Sed in vitâ Domitiani Augusti meminit Sextus Aurelius Victor L. Antonii superioris Germaniæ Prędis injuriâ verborum provocatum ab eo defecisse, & bellum movisse, sed statim per Norbanum Appium extinctum fuisse.

Trajectum sub Iulio Cęsare cœptum, aut sub Druso.

(d) Verisimiliùs ergo est Trajectum sub Iulio Cęsare initium sumpsisse, & à M. Antonio viro illustri collega ejus in Gallicis expeditionibus (qui Octaviam sororem Augusti Cæsaris uxorem duxit, & aliquot oppida sui nominis in Galliis construxit) Antoniam nomen sortitum; sive, quod magis placet, credimus hanc urbem inter illa castella connumerari, quæ à Druso ad Rhenum posita fuère, & ab Antoniâ illius conjuge, aut ab Antoniâ uxore L. Domitii (cujus supra meminimus) ex Octaviâ sorore Augusti genitâ, aut Antoniâ matre Claudii filii Drusi Germanici, vocitatam, veluti ab Agrippinâ Coloniam Agrippinam, à Druso ejus patre fossam Drusianam, à Flavio fratre Arminii Flevum castrum, à Vipsaniâ M. Agrippæ filiâ Vesope, ab Alphego Alphen, vel juxta Anton. Albiniana ab Albinvano, al Asprenate, Asperen, à L. Vetere, Castra Vetera, licet castra Vetera fuère tempore Cæsaris, & cętera id genus nomina sortita, quorum adhuc sunt vestigia. Cornelius Tacitus lib. XII. *Sed Agrippina* (scilicet uxor Claudii) *quo vim suam sociis quoque nationibus ostentaret in oppidum Vbiorum, in quo genita erat, veteranos Coloniamque deduci imperat; cui nomen inditum ex vocabulo ipsius.* At L. Domitii in vitâ Tiberii Cæsaris idem Tacitus meminit, hoc modo scribens: *Obiit L. Domitius, electus cui minor Antonia Octaviâ genita in matrimoniam daretur*, qui posteà exercitu flumen Albim transcendit longiùs penetratâ Germaniâ, quam quispiam priorū, easque ob res insignia triumphi adeptus; à quo & angustus tramés vastas inter paludes non longè à loco Varianæ cladis aggeratus, & pontibus longis apertus in Cheruscis; sive à L. Antonio multâ claritudine generis nepote sororis Augusti nominatum velimus, cujus & ipse

Tacitus

Tacitus meminit. Potuit ergo fieri, ut ignari historiarum pro Druso (quem Iustinus (e) & Drusum Neronem vocat) Cl. Neronem Agrippinæ filium opinati sunt,& hinc initium erroris subortum. Nec ab re videtur, si etiam ante adventum Cæsaris hanc urbem inter Barbaros claruisse aliquis asseruerit propter commoditatem situs & ubertatem soli longè præstantioris,quàm in locis circum vicinis, quæ iutacta non remansere,cùm & provinciæ hæ eâ tempestate etiam frequenti colono habitarentur, ita, ut agri non sufficerent. Non est ergo opus obscurum conditorem hujus urbis somniare, ubi de tot illustribus auctoribus tam dilucida habentur argumenta. (f) Divus enim Antoninus in suo Itinerario meminit Trajecti,qui XVI. in ordine post Cæsarem imperavit circiter 70. annis inter ipsum atque Neronem effluxis, nec verisimile est tam modico temporum intervallo Trajectum in tantum coaluisse,ut à tanto Imperatore mereretur designari. *Ultrajectum etiam ante adventum Cæsaris floruisse videtur.*

a *Et ad Albim flumen oppetiit.*] Strabo lib.7. Inter Salam & Rhenum Drusum oppetiisse tradit; unde in quibusdam exemplaribus *ad Salam flumen* scriptum inveni. Vide Dionem hist. Rom. lib. lv. circa initium, & Florum in Epitom. Liviana ad finem.

b *Ad Rhenum auctore Iustino in Trog. Pomp. &c.*] Nil tale in Iustino inveni, sed attestantur panegyristæ ad limitem Bataviæ per intervalla disposita castella. Adstipulatur Ammianus Marcellinus lib. 18. hist.; & similia indicare videtur Plinius major lib.4. ad finem. Videndus quoque Tacitus hist. lib.4. Vell. Paterculus lib.2. Dion. lib.54. Ac Douza Fil. de Batavia: Verùm hæc verba non Iustini aut Pompei esse comperio sed L. Flori lib.4. capite finali.

c *Ne tamen miles otium exueret &c.*] Vide ad hunc locum Lipsium in Commentario ad Tac. In M.S. Cod. Hedæ XXIV. mil. legitur, verùm nostri auctoris calculum probat ex Dione Lipsius.

d *Verosimilius ergo est Trajectum sub Iulio Cæsare &c.*] Rectè quidem rejecit vulgi opinionem, de exule Neronianis temporibus hujus oppidi vel castri fundatore, sed æquè absurda est nova hæc & varians conjectura, nullo auctore subnixa.

e *Quem Iustinus & Drusum Neronem vocat.*) Puto L. Florum dicere voluisse,qui Epit. lib. 136. *Rhetia à Tiberio Nerone,& Druso privignis Cæsaris domita.* Adde quæ Suetonius in Tiber. cap. 4. & ibi comment. Levinus Torr. scribunt. Vide etiam stemma Augustæ domus à Lipsio confectum ad editionem Taciti, ubi avum Imp. Neronis vocat Drusum Neronem Germanicum Augusti ex Liviâ Drusillâ privignum.

f *Divus enim Antoninus in suo Itinerario mem. Trajecti,*) Et hic fallitur Heda, cùm Itinerarium illud quod Antonino inscribitur,ut nunc habetur,ad Antoninorum Impp. ætatem referre voluerit: quod non ab uno auctum, posterioris ævi multas continet reliquias,ut quod Constantinopolis; aliorumque post Regiam illam urbem natorum locorum meminerit, vide quæ ad Chron. Bekæ notavimus.

CAPUT IV.

De mutatione nominis.

Variationem autem nominis ex hoc conjicere licet, quod cùm hoc ob vetustatem bellicasque incursiones, & nonnunquam inundationes aquarum pleraque loca aut desolata, aut maximas passa sunt impressiones, à victoribus aut instauratoribus nova nomina imposita fuerunt. Verbi gratiâ, Hierosolymo ab Hadriano Augusto instauratore Ælia, Bysantium, à Constantino Constantinopolis, Roma ab Odoacro, Odoacria, Colonia Agrippina, posteà Colonia Francorum: Rigodolum, Confluentia ad Rhenum & Mosellam: Diviodurum nunc Metis: Britannia, Anglia, Gallia Francia jam vocitentur. Unde & Antonina Trajectum dicta, & Ultrajectum non à tempore Dagoberti Regis aut anteà a Wiltis populis (nam Divus Imperator Antoninus Pius sextus decimus Romæ post Cæsarem rerum potitus. ut præmittitur, meminit hujus nominis Trajecti in suo Itinerario.) Sed veriùs ab Ulpio (a) Trajano Augusto instauratore Ulptrajectum, quasi Ulpium Trajectum fuisse nuncupatum. Is enim, teste Sexto Aurelio, Victore collapsam urbem ædificiis restauravit,& juxta Eutropium urbem trans Rhenum in Germaniâ reparavit, à quo & multa loca nomen sumpsere, veluti Forum Ulpium, Forum Trajani, Trajanopolis, & in Galliis circa Rhenum Colonia Trajana legio Trajana, & castra Ulpia, quæ fuêre Legionis XXX. apud Ptolomæum, ut in dicto Itinerario legitur. Successor quoque ejus Hadrianus idipsum factitavit & posteriores *Nomina provinciarũ atque oppidorum pro libitu Principum mutata.*

ſteriores Imperatores quos licet conſpicere ex fragmentis & titulis ad veterem Rheni alveum, & loca vicina noſtrâ ætate inventis, quæ exempli gratiâ, & pro (b) memoriâ poſterorum in parte hic duximus adnotanda.

In cœnobio Roomburch prope Leidam, ad veteris Rheni alveum.

IMP. CÆS. L. SEPTIMIVS, SEVERVS, AVG. ET M. AVRELIVS ANTONINVS CÆS. COH. XV. VOL. ARMAMENTARIVM VETVSTATE CONLAPSVM RESTITVERVNT SVB VAL. PVDENTE LEG. AVG. PR. PR. CVRANTE CÆCIL. BATONE PRÆF.

Hanc inſcriptionem Exhibent Corn. Aurel. lib 1. c. 6. Bataviæ Hadr. Iun. in Bat. hiſt. ca. x. Scriver. in Antiq. Bat. Tabulario Snoyus lib. 4. hiſt. Holl. Smet. Inſcr. Rom. fol 13 nu. 14. Ger. Noviom. in Hiſt. Bat.

Hæc hodie in ædibus Waſsenariorum conſpicitur cum aliis nonnullis, quæ nunc ſunt Domini vande Milen.

A tergo ejuſdem Saxi.

. . . ES NERVÆ TRAIA. C.
. . GER. DACICO
. . . RIB. P. PP. COS. V.
. . P. LVCENSIVM P. E.

Hæc quoque habet Aurelius, ſed parum proba viſa editori Cl. V. Vulcanio; nec ap. Iunium, aut Scriverium, invenio.

In alio Saxo ibidem.

. . . RVS PIVS PERTINAX AV.
IM. TRIB. POT. VIII. IMP.
AVG. PIVS PONT. MAX.
P. L. SEPTIM. SEVER. P. PF.
COH. XV. VOL. P. P.
G. AVG. GER. PR. PR. PER. NE.

Hæc ex variis inſcript. conjuncta ſatis confusè & vitiosè habentur etiam apud Aurelium & Snoyum.

In Alphen, in lapide coƈto ſepulchrali apud alios non inveni.

D. ADE
LART. D.
IV. NON.
AVG.

In Monaſterio

In monasterio Egmondæ in aulà quæ Comitis dicitur, fragmentum in pariete.

. . . EVER. PIUS PERT. A. . .
. . . AX TRIB. POT.
. . ANT. AUG. P.C. . . . .
PI. PERT. AUG. FIL. ET M.
MAXIMO PERT. AUG.

In tegulis Vet. coctis.
EX GER. INF.
LEG. XXXII.

In conventu Sion prope Delft, Columna reperta in vligine prope Naeltwijc, in quâ legitur hæc inscriptio:

IMP. CAES.
M. AUREL. ANTO-
NINO AUG. PONT.
MAX. TR. POT.
XVI. CO. XIII. ET
IMP. CÆS.
L. AUREL. VERO
AVG. TR. POT.
II. COS. II. A.·. M·.·
A. F. C. M. P.
XII.

In Maersen
Supra postes templi
EHLDEHART RICLINT.
Legit M.G. Lappius à Waveren IC. in limine inferiore ostii:
THIDEHART RICIINT
Hæc non sapiunt Rom. idioma, sed Normannicum vel vernaculum.

Hagæ Comitis in ædibus Præfectorum de Wassenaer.

. . . . EVER PIVS PERT. A.·.·
. . . MAX. TRIB. POT. XIII. . .
. . . NTONIN. PIVS AV. . .
. , . ER MILIT. LEG. I. ME. . .
. . . ENDIOR.

In castro Londersloot prope Trajectum, in tumbâ Saxeâ.

D. | A D. N. A MAL. L. A.F.A. R.
MAILORIVS VICTOR ET
MAILORIA MAIORENA
FILI . F. C. | M.

Ultrajectum tamen non ab re quaſi Trajectum ultra Rhenum à Baldrico, qui eam urbem illic reſtauravit dictum creditur.

Conſtat etiam à tempore Divi Iulii Cæſaris uſque ad Conſtantinum Auguſtum, Rhenum continuis præſidiis & pontibus pro tranſitu fuiſſe communitum, quod cùm apud pleroſque priores auctores, Strabonem, Plinium, Tacitum, tum & apud Herodianum in vitâ Severi, & in quibuſdam Panegyricis Conſtantino & Maximiniano Augg. dictis, apertè ſcribitur. In Panegyricis autem hoc modo: *Contra Barbaros jam ne procul quidem Rhenum audetis attollere & vix ſecuri flumina interiora petitis, contra hinc per intervalla diſpoſita magis ornant Batavia limitem caſtella, quam protegunt.* Et alibi. *Quippe cùm totus armatis manibus Rhenus inſtructus ſit, & ripis omnibus uſque ad Oceanum diſpoſitus miles navibus immineat.* Et Ammianus Marcellinus teſtatur, Iulianum Cæſarem multa caſtella in Galliâ atque Germaniâ diruta, communiviſſe. Quare c) Trajectum Ulpium potius quàm Wiltorum dixerim. Wiltos enim (qui & Sclavi ſeu Velatabi dicuntur) unà cum Saxonibus incurſiones illic feciſſe nō abnegamus, ſed pedem fixiſſe inficiamur. Scribit enim Paulus Oroſius *Valentinianum Auguſtum Saxones, gentem in Oceani littoribus & paludibus inviis ſitam, virtute atque agilitate terribilem, periculoſam in Romanorum fines eruptionem magnâ mole meditantem in ipſis Francorum finibus oppreſſiſſe*, poſt quem hæ provinciæ circum-Rhenanæ in jus Francorum Saliorum conceſsêre (qui dudum apud Texandriam ſedes locaverant quæ & Francia Orientalis cœpta vocari) quorum Reges in literis ſuis ſæpiùs meminêre Trajecti veteris. Quod ſi ſub Rege Dagoberto hoc nomen fuiſſet aſſecutum, jam non Trajectum (d) vetus, ſed novum dicendum foret. Cumque eccleſia Trajectenſis ab his Regibus Francorum felicia initia & fauſta incrementa ſumpſerit ad fundatores & rectores Eccleſiæ illius ſermo noſter divertetur.

Ultrajectum dicendum Ulpium Trajectum non Vultorum.


lib. 7. c. 32.

Trajectum vetus.

a *Sed verius ab Ulpio Trajano Aug.)* De Ulpio Trajano, aut xxxv. legione quæ narrantur, nugæ meræ ſunt & in vanum mihi laborare videntur, qui ab illo tempore, vel à Romanis auctoribus incunabula noſtræ urbis arcerſunt; ac aliunde quam à vernaculo ſermone hujus Etymon emendicandum judicant. *Trecht* enim nihil aliud eſt, quàm Trajectum, & *Oustrecht* vetus Trajectum. Ita in ſcriptoribus vetuſtioribus, atque diplomatibus, non ſemel nominatur. Wilibaldus in vitâ Bonifacii, cap. xi. *Fresonibus* * *iniuncto Epiſcopo in urbe, quæ vocatur Trecht.* cap. ſeq. *Ad ſupradictam urbem, quæ dicitur Trecht.* Idem; *pervenit ad Trecht, ubi Ratworum Regem allocutus eſt.* Vide & Othlonum Fuldenſem in vitâ ejuſdem Bonifacii in princ. Item ad finem libri 1. *Tunc vero Gregorium à Trecht, Epiſcopali ordine conſecratum, direxit*, & ejuſdem operis lib. 2. nunc *Trecht*, nunc Trajectum dicitur. Sic *Drechterenſes*, qui ad Trajectum Tye habitant, ſic *Papendrecht, Swyndrecht, Durt vel Dordrecht*, & alia loca circa flumina poſita vocantur, Veluti à me olim tractatu ſingulari de Durdrechto oſtenſum; nec jam muto, etiamſi Clariſſ. & eruditiſſimus V. Doct. Bevervicius in opere ſuo vernaculo de Durdrechto nuper edito, illud verbum *Trecht* aliter capiat.

* *Injuncto.*

b *Pro memoria poſterorum in parte hic duximus annos.)* In pleriſq; exempl. M.SS. ut & in edito, non habentur; ſunt quæ hic lacunam habent ſatis amplam. In Miropiano & Arnhem. codicibus, nonnullæ viſuntur Rom. Inſcriptiones, quas Hedæ noſtro reſtituendas curavi. Plures leguntur in Iunii Bataviâ, & diligentiſſimi Scriverii Tabulario Antiq. Bataviæ; & quotidie in agro Trajectenſi, maximè circa territorium Vechtenſe, effodiuntur reliquiæ Romanæ antiquitatis; ut jam ſupra indicavi, & hoc ipſo anno, quo hæc ſcribo. Cl. D. Dammius mihi copiam fecit ſequentiū Inſcript. Lapidibus coctis impreſſarum,



PVB. REN. NI. M. F. ATEG: &
US. IUN. VELL. M. LEG. X.



Sunt & ante non multos annos, prope Voorburgum, non procul Lugduno, effoſſi Lapides, inſcripti Romanis literis: SARAPIDIS, IUNONIS REGINÆ, MINERVÆ, GENII LOCI, mentionem facientibus, integras horum inſcriptiones expreſſerunt Doctiſſ. Boxhornius in opere ſuo de urbibus Hollandiæ; ac Regenitius in Itinerario, Friſio Hollandico.

c *Quare Trajectum Ulpium potius quam Wiltorum.)* Utrumque malè, nam, ut jam dixi, Trajectum idem eſt, quod vernaculo ſermone Trecht, vide quæ ad Becanum Chron. notavi.

Iam

d *Iam non Trajectum vetus sed novum*) Non hoc argumento Heda convincet Trajectum forma oppidi vel civitatis à Romanis fuisse conditum; sed veriùs videtur à Latinè loquentibus locum Trecht Trajectum dictum; ut qui tempore Willibrordi, ac Bonifacii Castrum, & vicus adhuc, ut diplomata testantur, vocabatur; at postquam habere Episcopos cœpit, civitatis nomen consecutus est.

CAPVT V.

De origine & fundatoribus Ecclesiæ Trajectensis.

OMissis jam Regibus antiquis, qui vel Idolis sacrificabant, vel religione Christianâ initiabantur, eorum solum propositum est meminisse, qui fide, pietate & cultu erga Deum pollentes claruère, & primordia Ecclesiæ Trajectensis edidère, ne stylus noster in infinitum tendat. Is erit Dagobertus Rex Francorum, Clotario filio Chilperici Regis dolo Fredegundis conjugis occisi genitus: licet ipsi Clotarius ac Theodobertus Reges jam confirmaverant, quascunque * donationes factas Ecclesiæ Trajectensi ejusque villas & possessiones (quas possidebat, & quæ pietate Christi fidelium consecuta erat) immunitate donantes ab omni regiâ potestate & seculari Iurisdictione exemerant. Dagobertus itaq; patre defuncto in amplissima Regna succedens, circa annum Salutis Christianæ DCXXXI. Qui à patre adhuc puer committitur curæ Arnulphi Majoris domus (postmodum immensæ sanctitatis Episcopi Vrbis Mediomatricæ, jam Metim dicunt) ut eum sacris literis ac moribus institueret: dirigitur posteà à patre cum Pipino Duce in Austrasiam (hoc est quidquid inter Rhenum, Mosam & Oceanum interjacet) regnaturus. Cùm autem in virum adolevisset Sandragisilum Ducem Aquitaniæ patri suo à consilio percharum (eo quod illi quâdam contumaciâ despectui esse videretur) verberibus affecit, & barbæ rasione ac vellicatione deturpavit: Quod cùm patri innotuisset, jussit filium trahi ad supplicia. Ille furorem timens paternum, confugit ad templum Martyris Dionysii, & sociorum ejus tutelam supplex exposcens: Quorum suffragiis à nullo persequente potuit inde dimoveri, donec perpetratum facinus pater ignosceret; unde & locum illum maximè observavit, ubi postmodum ingentia dona contulit, & prædia largitus est. Hinc teste Reginone, sanctos Dionysium & Mauritium martyres, & Martinum confessorem (cujus limina aliquando visitavit) in summâ semper habuit veneratione: de quo sic ait Abbas Urspergensis sive montis Ursorum. *Dagobertus Monarchiam in tribus regnis solus obtinuit, fuitque fortissimus & Francorum nutricius, in judiciis Ecclesiasticis severissimus, largitor Eleemosynarum præcipuus, pacem in toto regno suo statuens, & timorem gentibus in circuitu incutiens, ipseque velut Salomon pacificus regnum obtinuit quietus.* Cujus vitam ac mores utinam nostræ tempestatis Reges ac Principes saltem in parte imitarentur, & cum annis pueritiam exuerent. Qualiter autem hic Rex juventam duxerit, & jam adultus pristinos mores mutaverit, ex literis ejus potest cognosci, quas Abbas & Conventus Wissenburgensis superioribus annis, Cæsare Maximiliano cum Philippo ejus filio, legato Apostolico, & oratoribus multorum Regum & Principum conventum celebrante in oppido Hagano contra Philippum Comitem Palatinum Rheni in Iudicio exhibuerunt, auctoritate etiam multorum Imperatorum pro majore fide approbatas & confirmatas, ipso Cæsare & plerisque aliis vetustatem admirantibus, quarum exemplar idcirco hic duximus inserendum.

*traditiones.

Dagobertus Rex Francorum anno 631.

Elogium Dagoberti Regis.

(b) Exemplar literarum Dagoberti Regis.

DAgobertus divinâ favente clementiâ, Francorum Rex, omnibus regni sui primatibus, imò cunctis fidem Christianam profitentibus, tam futuris quàm præsentibus; Votum, quo Deo, vel sanctis ejus, se quis obligaverit, sine maculâ reatus, irritum fieri non potest. Et quanto major & dignior est is, cui vovetur, eo ferietur graviori judicio voventis &

De hoc instrumẽto vide Nauclerum generatione 21. vol. 2.

tis & non reddentis præsumptio. Debemus igitur & volumus nos quoq; reddere quod vovimus Domino Deo terribili & ei, qui aufert spiritum principum; terribilis apud omnes Principes terræ. Qui qualiter in brachio suæ virtutis & nos terruerit, & qualiter percutiens & sanans rursus nos visitaverit, omnibus ad exemplum correctionis notum fieri dignum duximus; præcipuè, ut quisque fidelis audito nostro periculo, ab Ecclesiarum Dei vastatione se contineat, & honorem congruum rebus Deo dicatis exhibeat. Primùm ergo de divinâ super nos habitâ terribiliter examinatione, posteà devoto & voti nostri redditione breviter exponemus. Patre meo Clothario felicis memoriæ defuncto, patrii regni curam suscepi, sed vivendi ductus levitate, dominandiq; cupiditate distractus regalis officii debitum neglexi, nihil exhibens commißis solicitudinis vel diligentiæ, nihil faciens vel judicās mansuetudinis aut zelo Iustitiæ dignum: Inter alios excessus meos Ecclesiarum Dei destructor, & dißipator esse cœperam, quarum defensor & sublimator esse debueram, nec Divinæ majestatis oculos, nec hominum veritus acclamationem. Tandem Dei benignitas obstinatæ mentis superbiam conterens virgâ correctionis iniquitates meas visitavit, & castigato mihi veniam non negavit: Nam raptus in sublime, divinæq; Majestati inter choros Sanctorum in habitu judicantis sedenti, præsentatus à sanctißimis Ecclesiarum Patronis, pro rebus Ecclesiasticis per rapinam à me distractis & consumptis, graviter & constanter sum accusatus. Maximè à sanctißimâ Dei genitrice Mariâ, & beatißimis Petro & Paulo Apostolorum principibus, cumq; conscientiâ gravatus non auderem delicta defendere, ex arbitrio præsidentis pœnæ sum addictus: Diuq; caso & pœnis atrocibus confecto, succurrit mihi tandem specialis meus patronus Martyr Dionysius, qui precibus suis instantis pœnæ dilationem & pœnitentiæ mihi tempus obtinuit. Idem ipse quasi modum statuens pœnitentiæ in hoc mihi spem plenæ posuit indulgentiæ, si ad honorem Dei & prædictorum Sanctorum (quos magis offenderam) domum divinis aptam servitiis Ecclesiam construerem. Qua remißione lætatus libens vovi, dimissusq; à superis redii. Igitur sub certâ spe remißionis & indulgentiæ peccatorum nostrorum reddentes alacri studio votum quod fecimus, Ecclesiam in honorem sanctæ Trinitatis & sanctæ Mariæ perpetuæ Virginis, & sanctorum Apostolorum Petri & Pauli, in loco, qui dicitur Wiszenburgh, construximus: quam sublimare, & regali munificentiâ ditare decrevimus. Donamus ergò ei, & in perpetuum, datum esse volumus de rebus Fisci nostri illic adjacentibus, quicquid ad nos spectat tam in villis, quàm mancipiis, sylvis vineis, campis, pratis, pascuis, aquis, aquarumve decursibus. Et omnia

Vita Dagoberti.

Dagoberti à Deo correctio.

Votum Dagoberti, & ex eo absolutio.

hæc

hæc in usum fratrum ibidem sub Monasticâ professione Deo servientium liberâ traditione redegimus. Et ut hujus nostræ donationis authoritas in omne tempus stabilis, & firma perseveret, terminos & circumjacentium nomina locorum subnotare curavimus. Versus Orientalem plagam extenditur Marcha, quam tradidimus usque ad Marchenhoven, & ad Aldenherden, & inde ad Geboldesvvege, & inde subter vadum Lutriæ, & inde usque ad Bonzdingeshurst, & inde ad limitem qui stat in summitate vallis Immensdal, & inde ducit ad meridianam plagam super Warslach, & inde ad Rodemolosenstumphe, & inde ad Sebach, & inde ad Kirchdale, & inde ad Ingoldeshagé, & inde ad sylvosos montes usque ad Bedenbur. Ad Occidentalem verò plagam usque ad Lautembach & Berembach, & inde ad Erlibach, & inde ad Grunenbrunnen, & inde ad Oterichscheit; Ad Septentrionalem plagam usque ad Eichenenbergh. Locum autem ipsum (quem singulari amplectimur dilectione) nunc & deinceps ab omni servituris oppreßione liberum sub regali volumus esse tuitione; ita videlicet, ut nullus Iudex publicus, nullus ex Iudiciariâ potestate, quicquam potestatis, vel negotii in ipsâ Marchâ sine Patris Monasterii licentiâ exercere vel habere præsumat, nec homines ipsius loci constringere, vel ad causas audiendas aut freda vel tributa solvenda. Postremo nihil penitus ab eis audeat exigere. Illud etiam pari decrevimus autoritate, ut nullus Pontificum Nemetensis civitatis, vel reliquorum Episcoporum aliquam ibidem dominandi, vel quaslibet causas agendi habeant facultatem. Sed sub nostræ emunitatis defensione omnia illuc pertinentia Pater Monasterii cum fratribus suis libere & quietè poßideat. Ad hæc monetam in se habentem imaginem & literas, expreßamq; similitudinem Nemetensis monetæ, eidem loco concedimus, parique nostræ autoritatis donatione ratum & firmum esse volumus, ut homines ejusdem Ecclesiæ per omnes fines regni nostri, liberè negotiis suis inserviant, ita videlicet, ut nulli debitum telonei persolvant, & nullus Iudex seu qualibet cujuscunque ordinis personâ in hujusmodi causâ violentiam eis aliquam inferre præsumat: Fratribus autem ibidem Deo servientibus, ut eò devotiùs & tranquilliùs sanctæ conversationis ordinem custodiant, liberam inter se eligendi sibi Abbatem donamus potestatem. Cui Abbati omnibusque ei succedentibus hoc speciale concedimus privilegium dignitatis, ut in ordinem & Ius poßit promovere ministerialium, quemcunque de familia tali honore dignum judicaverit. Omnes etiam Ministeriales ejusdem Ecclesiæ ex dono Abbatis accipiãt beneficiũ, soliq; Abbati serviant, nec aliquã potestatem

Wissenburgense Monasterium ex voto constructum, & dotatum à R. Dagoberto.

Termini Monasterij Wissenburgensis.

Immunitas Monasterii Wissenburgensis.

Ius cudendæ monetæ.

Ius promovendi Ministeriales Abbati concessum.

statem

tem super eos Advocatus exercere audeat, nisi fortè ex aliquâ inobedientiâ, quasi ad rebelles illos Ministeriales constringendos, Abbas, Advocatum invitet. Reliqua verò familia legitimo loco & tempore ter in anno pro Iustitiâ ad placitum Advocati debet convenire, & in servitium Advocati, si præsens est, singuli singulos denarios solvere, exceptis his qui sunt de emunitate. Quod si ex his placitis absens fuerit Advocatus, nihil ex his denariis debetur, nisi in servitio Regis esse probetur. Ut autem hæc nostra traditio & Iuris, & concessæ dignitatis institutio stabilis & inconvulsa jugiter permaneat, cartam hanc inde conscriptam, tam adjectione Sigilli nostri roboratā signavimus. Datum quod fecimus, in ipso Monasterio, mense Majo, dit XI. *anno Regni nostri* (c) XXIV. *in Christi nomine feliciter, amen.*

Dagobertus Rex, &c.

Item ex aliâ literá ipsius Dagoberti Regis.

DAgobertus Rex Francorum viris Illustribus, Ducibus Comitibus, Domesticis, vel omnibus gentibus, tam præsentibus quàm futuris. Illud ad stabilitatem Regni vel remedium animæ nostræ perdurare credimus, si petitiones sacerdotum, quæ auribus nostris patefecerint, ad effectum perducimus. Ideò cognoscat magnitudo seu utilitas vestra, quia nos ad suggestionem viri venerabilis Radfridi Abbatis de Monasterio Wissenburgo, *balneas illas trans Rhenum in pago Auriacensi sitas (quas Antonius & Adrianus quondam Imperatores suo opere ædificaverunt) ad Monasterium quod dicitur* Wissenburg, *& est constructum in honore Sancti Petri in pago Spirensi, visi fuimus concessisse, cum omnibus, & cum ipsâ Marchâ ad ipsas balneas pertinente, quæ veniet in ambobus lateribus usque in fluvium Murga, & de unâ fronte ad partem Occidentalem rasta una, & de aliâ fronte ad partem Orientalem Leucas sex,* (d) *quas homines loci illius siti dicunt rastas tres esse. Propterea hoc præceptum cessionis fieri jussimus, &c.*

Ex his ergo literis constat, quantâ religione & devotione erga Deum, pietate erga Ecclesias, & justitiâ in subditos effulserit, ut non immeritò inter (e) Sanctos & electos Dei sit connumeratus: Nam & plures alias Ecclesias & ædificavit & dotavit. Hujus providentiâ Christiana fides apud Trajectum anteà seminata firmius stabilita, ubi idem Rex (sicuti testatur beatus Marcellinus in vitâ Suitberti Episcopi) construi fecit Ecclesiam in honorem Divi Thomæ Apostoli, vel secundum alios Thomę & Martini, quam Barbari ac Frisii successu tempori-

Dagobertus Vltrajecti, D. Thomæ Ecclesiam fecit.

temporis solo æquarunt, ita ut clarè intelligatur Christianam fidem in his regionibus, & præcipuè Trajecti incepisse vigere à tempore, quo Reges Francorum illam suscepêre, longè ante adventum Suitberti aut Wilibrodi. Nam Episcopi Colonienses ab antiquo vendicare volebant Iurisdictionem Ecclesiæ Trajectensis, quæ etiam ante tempora Dagoberti (f) fuit Episcopalis, habens villas & possessiones, & à Clothario patre ejus ac Theodeberto Regibus bonis, & privilegiis dotata, ut præmittitur, & in proximo, & in vita Divi Bonifacii plenius docebitur. Sed irruentibus barbaris iterum extincta & successivè resuscitata. Dagobertus tandem Mediomatricum veniens (quæ Metis dicitur) cum consilio Pontificum & Procerum filium suum Sigibertum in regno Austrasiæ sublimat, eumque sancto Cuniberto Episcopo Agrippinensis Ecclesię, & Pipino Duci, patri sanctę Gertrudis, commendat, & cùm regnasset annis XIV. migravit ad Dominum. (g) Spinogilo villa territorii Parisiensis circa annum salutis DCXLIV. Platina in vitâ Doni Papæ. *Eodem fermè tempore Dagobertus Francorum Rex, vir callidi & astuti ingenii, nec consilio minus, quàm manu promptus moritur, cujus animam ex manibus dæmonum, Lipaream insulam propè attingentium liberatam ferunt Dionisii & Mauricii Martyrum, ac etiam Martini confessoris auxilio, quos semper dum vixit, ut patronos coluit, & templis honoratiores reddidit.* Claruit sub Heraclio & Constantino ejus filio, & Iustiniano minore Impp. (h) Augg. Magnam invenio diversitatem temporis & annorum, quod scriptorum vitio contigisse haud dubium est. Nam secundum aliquos, Heraclius LVIII. loco ab Augusto accepit Imperium, circa annum salutis DCXII. qui occiso phoca imperavit annis XXVII. & obiit anno DCXLII. ubi error trium annorum inveniunt. Regino verò affirmat, Dagobertum obiisse anno DCXIII. Sanctus Ado Viennensis testatur Heraclium imperasse annis XXVI. & filium ejus Constantium mensibus sex. Constantinum verò hujus filium annis XXVIII. & Dagobertum sub Iustiniano * minori filio Constantini obiisse, regnasseque annis XLIV. Quid ex his approbandum sit relinquimus prudenti Lectori discutiendum, in sequentibus tamen post Imperium translatum ad Francos & Germanos certior invenitur annorum supputatio.

Ecclesia Trajectensis ante Dagobertum Episcopalis.

Error in calculo temporis.

** Iuniore.*

(i) Sigisbertus itaque patri succedens, Rex constituitur anno DCLVI. qui sancto Konochio (k) dedit Episcopium Trajectense secundum Abbatem Urspergensem, Nec id aliter intelligendum est, quàm de Ultrajecto, cum in Catalogo Episcoporum Tongrensium, & demũ Trajectensiũ ad Mosam nullus inveniatur inter Episcopos hoc nomine annotatus. Ex quo clarè liquet, apud Ultrajectum ab antiquo fuisse sedem Episcopalẽ, licet nomina & series Pontificũ nobis per desolationes barbaricas sint incognita. Hic testante Reginone Regintruda puellâ genitus, sancto Amando eum benedicenti, dum nemo responderet XL. die fertur, locutus & dixisse, Amen. Alibi tamen legitur ex Matilda Reginâ una cum fratre Clodoveo. Hic Sigebertus filium parvulum habuit nomine Dagobertum, qui à Grimoaldo filio Pipini majore Domus constituitur Episcopus Pictaviensis. Unde magna posteà quæstio suborta est: obiit & Sigibertus sub Iustiniano minore. Iam non est animus Regum Francorum successionem vitamque hic describere, sed ex intervallo eorum facere mentionem, prout res exposcet, à quibus Ecclesia Trajectensis ceperit incrementa. Nam successu temporis Martinus & Pipinus junior filius Ansegiseli (Regibus decedentibus) dominabantur in Austrasiâ. Martinus dolo Ebroini occiditur. Pipinus genuit ex Plectrude nobili fœminâ uxore suâ Drogum, quem Ducatui Campaniæ præfecit, & Gimoaldum (l) majorem domus Regis Childeberti, qui habebat Radbodi Ducis filiam Theusuindam uxorem, & patrem ægrotantem visitans à Rangario Frisione interficitur in Basilicâ sancti Lamberti Leodii. Ex aliâ verò fœminâ (m) Alpaide scilicet, genuit extra matrimonium Karolum, qui nominatus est Martellus, Ado Viennensis. *Pipinus multa bella gessit contra Radbodum gentilem Frisonum Ducem*, & cum obtinuisset principatum sub diversis Regibus, scilicet Theodorico, Clodoveo, Childeberto, & Dagoberto juniore per annos XXVII. mortuus est anno incarnationis Domini DCCXIV. mense Decembri, relinquens eundem Karolum hæredem principatuum suorum. Hic Pipinus junior dictum Radbodum expulit Trajecto, & ut Christiani tutiùs de cætero habitarent, contulit sancto Willibrordo Palatium vetus à Regibus & prædecessoribus suis cõstructum, & in parte dirutum eis inhabitandum, uti habetur in Annalibus Leodiensibus: & civitatem ipsam unà cum omnibus appendentiis regali donatione concessit pro se & successoribus suis Episcopis Trajectensibus, teste beato Marcellino. Paulus Diaconus Foroliviensis libro sexto ita inquit: *Apud Regem Francorum tunc temporis Pipinus obtinebat principatum.*

Sigebertus Dagoberti filius donat. S. Konochio Episcopatum Trajectensem.

Relinquit filium Dagobertum.

Pipinus Major domus Austrasiæ.

Carolus Martellus Pipini ex Concubina filius.

Pipinus Radbodum Frisiæ Regem expulit Trajecto.

Dereb. Longob. c. 37.

Donat S. Willebrordo Trajectum. *tum. Fuit autem vir mira audacia, qui hostes suos statim aggrediendo statim conterebat: Nam supra quendam suum adversarium Rhenum transgressus, cum uno tantùm satellite irruit, eumque in suo cubiculo residentem cum suis trucidavit. Bella quoque multa cum Saxonibus, & maximè cum Radbodo Frisonum rege fortiter gessit. Hic & alios filios habuit, sed ex iis præcipuus extitit Karolus, qui ei post in principatu successit.* Et paulo pòst: *Apud Francorum quoque gentem,* Cap. 42. *Pipino vitâ exempto* circa annum DCCXIV. *ejus filius Carolus*, de quo præmiseramus,) 714. Pipinus moritur. *licet per multa bella & certamina, de manu Raganifredi principatum sustulit. Nam cùm in custodiâ teneretur divino nutu ereptus, aufugit: ac primum contra Raganifredum cum paucis bis terq; certamen iniit: novissimèque apud Vinciacum magno certamine superavit, cui tamen unam,* al. Raginfridi. *hoc est, Andegavensem civitatem concessit ad habitandum, cunctam verò Francorum gentem ipse gubernandam suscepit.*

a *Chlotarius & Theodebertus Reges jam confirmaverant.*] Hujus rei nulla extat memoria, nisi in diplomate Pipini infra in vitâ Bonifacii, quod valde corruptum est; & hi reges sub Martello & Pipino vixêre.

b *Exemplar Literarum Dagoberti,*) Extat ap. Trithemium Abbatem de Regibus Francorum, Nauclerum Vol.2.Chron. Gener.21. Munsterum in Cosmogr. ubi agit de Wissenburgo; sed illud suspicione non caret, tum quod somnia narret, tum etiam quod cum tempore minimè conveniat, ut rectè Trithemius, atque Nauclerus iudicârunt, verum extricare se non potuerunt. Addenda quæ Præses Fauchetus Gallicarum antiquitatum doctissimus in Dagoberto & ejus filiis scripta reliquit. Operæpretium quoque erit Tilleti hic adjungere judicium, quod extat in compendio Chronicorum Regum Franciæ, cujus hæc verba in vita Dagoberti leguntur. *L'ofivité des moines à composé plusieurs fables de luy, à fin, que par adulation, & haut Loüer, ils attirassent à l'ameçon les richesses des Princes.* Et quæ sequuntur. Simile fere diploma Witlafij Merciorum regis extat apud Ingulfum Anglum Abbatem Croylandensem Tomo Script. Angl. post. Bedam. pa.855.

c *Anno Regni nostri* XXIV.] Trithemius Abb.23. legit & hæc addit: *Plures hoc genus fundationes & donationes ab hoc Dagoberto rege factas invenies, ap. Franciscum de Rosieres in stemmate Lotharingico nec non ap. Bruschium in Monasteriis. Sed tempus conscriptæ hujus paginę cum supputatione annorum domini secundum Sigebertum Gemblarensem, Gaguinum, & plerosque alios historiarum diligentissimos scriptores non concordat; unde id provenerit ignoro. Nam constabit manifeste ex iis, Chlotarium patrem Dagoberti adhuc fuisse in humanis anno domini* 624., quem filius mortuum fuisse asserit priusquam ipse Monasterium Wissenburg fundare inceperit. Obiit enim Rex Clotarius anno C 631., cui mox successit Dagobertus; & regnavit annis 14. Quin anno 632. Chlotarium ejus patrem obiisse volunt P. Æmylius, Claud. Fauchetus, Ubbo Emmius & alii.

d *Leucas sex, quas homines loci illius dicunt rastas tres,*) In Cod. Miropiano pro Leucis, Leunis scribitur, itaque Leuvas putabam legendum verum rem propius inspicienti visum, vocem Leucas retinendam etiamsi immensa donatio prius suspecta esset. Rasta enim est Germanica vox, & milliare Germanicum denotat; sic in libro *der Helden Tsurdanck: Wol einer Rasthbreit*, vide Glossarium vocum semilat. Freheri scriptoribus Germanicis præmissum; ubi & locus, qui hunc nostrum commodè explicat, ex auctore Incerto de mensuris: *Milliarius & dimidius apud Gallos Leuvam facit, habentem passus mille quingentos: Duæ Leuvę. sive milliarii tres apud Germanos unam Rastam efficiunt*, meminit & Rastæ Hieron. in Ioëlem Prophetam.

e *Ut non immerito inter Sanctos & Electos Dei,*) Animadvertat hic lector corrupta scriptorum ejus temporis judicia, cum Monachi benefactores ac Monasteriorum suorum conditores protinus inter Sanctos & electos Dei referrent. Hinc Constantinus, Carolus Magnus, Carol. V. aliique principes scribentium favore cœlitum numerum auxêre. Quin & Swenteboldus, ab aliis minùs laudatus, inter Divos relatus est à Susterensibus, virginibus, quod is monasteriũ earum fundavit; ejus memoria Idib. Aug. celebratur, quod & infra in Odilbaldo. Heda retulit. De Dagoberto verò vide Tilletum loco memorato.

f *Ante tempora Dagoberti fuit Episcopalis,*) Id mihi nondum constitit ex probato aliquo auctore, aut cui fidem habere debeam. Neque Marcellinus ut à Surio editus, & vulgò habetur; neque Lindanus in præfatione exhortationis suæ ad Senatum Dordracenum hæc probare satis videntur. Divæus lib. 1.cap.3.Rer.Brabanticarum à Pipino secundo hunc Episcopatum habere initium tradit.

g *Migravit ad Dominum Spinoglio villa territorii Par.*] Tilletus in Compendio Regum Franciæ: *Le Roy Dagobert mourut* per vn flux de ventre au lieu d'Espinay pres de Seine le 29. jour de Ianuir l'an 645. vide Faucheti antiquitates Gallicas in Dagoberto.

h *Et Iustiniano minore.*) Hic mihi errare quoque Heda videtur non enim tempora regiminis Iustiniani minoris attingere potuit, cùm is anno demùm 684. à patre, teste Onuphrio, Imperator appellatus sit: cætera ex Chronogr. scriptis hodiernis facile concilientur.

i *Sigisbertus patri succedens Rex constituitur anno* 656.)Iam ante dixit Dagobertum mortuũ an.C 644. vel seq. atquè & pater Sigisbertum, ex reginâ Mechtilde natum, Duci Pipino & Episcopo Chomberto

berto in Austrasiâ regnaturum commendaverat. Quare corrigendus hic textus, & vel 646. vel potius 644. scribendum quod saniori parti historicorum convenit. Quin & magnum Scriptorum discrimen sese offert de statu & conditione natalium Sigisberti: Telletus Ep. Meldorum in Chron. Compendio; *Primâ uxore, quod sterilis esset repudiatâ, ex secundâ dicta Nanthilde habuit duos filios, Sigisbertum & Clodoveum.* Tilletus frater Regi à Secretis: *Precibus subditorum, Sigisbertum filium nostrum Austrasiæ regem fecit*, quem idem auctor aliquoties in sequentibus bastardum vocat. Gaguinus autem sic tradit: *Iam Dagobertus Gertrudim quod sterilis esset reliquerat, altera superinducta virgine cui Nanthildi nomen fuit.* Paullo post: *Regi cum deessent propter uxorum sterilitatem liberi concubitu virginis Ragintrudæ filium suscepit, cui Aribertus nomen dedit, appellatusque est Sigisbertus*; eadem ferè habet Nauclerus Chronograph. Vol. 2. Gen. 21. Paul. Æmyl. de gestis Francor. lib. 1. *Dagobertus filios reliquit Sigebertum, Clodoveumque. Regnum duorum fratrum quod non semper usu evenit, inter se concors erat* &c. Serrius Gallicus ex primis historicus: *Dagobertus* (ita fere sonant ejus verba Gallica) *duos habebat filios Sigisbertum & Clodoveum quare congregatis Francorum proceribus, ipsis declaravit, se constituisse Sigisbertum regem Austrasiæ, Clodoveum autem Franciæ, postponendo majorem minori, absque ullâ controversiâ. & ambobus propter teneram ætatem tutores dedit.* Fauchetus hunc in modum tradit, *Franci suadebant Regi ut à se separaret Gummatrudem, quam volente patre duxerat, eo prætextu quod nullos ei liberos daret, quare ex monasterio nobilem & pulchram virginem deductam sibi junxit*, & paullo post, *dolens quod nullam haberet prolem, oculos jecit in pulcram quandam puellam nomine Ragintrudem, bonâ stirpe natam quæ ipsi eodem anno peperit filium Sigisbertum*: ex sequentibus apparet Dagobertum plures eodem tempore habuisse fæminas, quarum tres uxoris loco, suspiciebat, inter quas Nanthildis, quæ mater Clodovei cæterum & concubinarum greges ipsi erant in promptu, vide etiam de Sigisberto & fratre, Ammon lib. 4. c. 27.

k *Qui S. Koniocho dedit Episcopium Traject.*] Quis hic Konochius vel Koniochus fuerit ignoro; neque apud alium quam Abb. Ursp. ejus nomen reperi: Cratepolius quoque in catalogo SS. Germaniæ hunc ignorasse videtur. Et cum plura loca Trajecti nomen possideant, nihil hic mihi statuendum videtur, maxime quod testimonium singulare etiam an jure parum probet, quin eo ipso in loco, quo hæc tradit Abbas Ursp. turpiter Lapsus est, in eo, quod Dagobertum mortuum esse anno 665. cum regnasset ann. 34. contra fidem historicam narrat. Addendum, quid eo tempore, cum ambitio minor & major pietas inter Doctores vigeret, tituli illi parum curabantur & facilè mutarent sedes, prout occasio offerreretur.

l *Radbodi Ducis filiam Theusuindam*] Theosindam nominant Ubbo Emmius Rer. Frisicarum lib. 4. P. Æmylius de gestis Francorum. & Hamconius Teudosuindam, Theudesindam Onuphrius, Ado in chronico cum Hedâ Theusuindam.

m *Ex alia verò fœmina Alpaide*] Annonius lib. 4. hist. cap. 48. *Habuit quoque præfatus Princeps Pipinus filium ex alia uxore, nomine Carolum, virum elegantem, egregium atque utilem.* Alii tamen plerique huic nostro concinunt, ut & Miræus in Chron. Belg. ad annum 714. Ursperg. Abbatis hæc de ea re sunt verba *Anno D. 715. Pipinus senior Major domus obiit, pro quo filius ejus Carolus successit.* Haræus ex Marcellino tradit, Pipinum anno 714. mortuum, & indignè Switbertum pro liberis Plectrudis intercedentem repulisse, ac filium Carolum dominatuum suorum successorem reliquisse, cum tamen plectrudis filii jam ante patrem occubuissent. Regino lib. 1. sic loquitur: *Apud Francorum gentem Pipino vitâ exempto, ejus filius Carolus in Principatu successit.* Lambertus Schafnab. ad Annum Chr. 714. *Mortuus est Pipinus major domus, cui successit Carolus Martellus ejus filius.* Marianus Scotus: *Anno 715. Carolus Pipini filius ex Adelheida, quam postbabitâ priore conjuge Beltrude, duxit uxorem, honorem Major damnatus post patrem tenuit.* Similia ferè Sigisbertus in Chron. Blondus a. scribit Pipino duas fuisse uxores, Calpaidem, ex quâ Carolus fit genitus; & huic plectrudim secundo loco superinductam. Aliter verò Barlandus, Sabellicus, Onuphrius, Chron. Belg. M. Ferreolus, Serrius, Tilletus, Divæus, & Scriptores à Pithœo editi. Vide totum hujus stemma ap: Malmesburiensem Anglum lib. 1. histor.

Benigne

Benigne Lector,

POstquam in prolegomenis de Urbe Trajecto & ejus antiquitate hactenus versatus fuerit Heda; & nunc ad D. Willibrordi primi harum regionum Antistitis, & Christianæ fidei Doctoris vitam describendam pergat; cum ad manus meas beneficio Cl. V. M. Gisb. Lappij à Waveren IC. pervenerit Theofridi Abbatis Epternacensis (qui vixit circa An. Ch. 1100.) scriptum ineditum de vitâ ejusdem S. Willibrordi, prolixum quidem, & ejus ævi stylo compositum; putavi non abs re me facturum, si saltem summa ejus capita hic insernero; quo gustum aliquem capias de tanti viri virtutibus, ac ejus seculi fide & moribus.

I. Cap.

Quod S. Willibrordus sempiternæ lucis filius, mundo ante mystico * *ore matri* est cognitus, quàm editus.

* *ortmaie.*

II. Cap.

De ejus nativitate, & digna ortu suo educatione ac oblatione.

III. Cap.

De patris ejus conversione, & in monachico proposito sancta conversatione, & cursus consumatione.

IV. Cap.

Quod egregiæ indolis puer tenellæ ætatis teneritudinem morum maturitate transcendit, & in vicennalibus suis in Hyberniam amplioris profectus gratia secessit.

V. Cap.

Quod anno ætatis suæ XXXIII. in portam Gravelingæ villæ maritimæ, inde venit Trajectum arcem tunc & solium Regni Fresiæ.

VI. Cap.

Quod à Pipino victoriosissimo Duce Franciæ honorificè est susceptus, & ad Pontificis dignitatem est electus, & Romam directus.

VII. Cap.

Quod adventus ejus per Angelum Papæ Sergio est revelatus, & ab eo cum ingenti exultatione & gloria est susceptus, & Archipræsul ordinatus.

VIII. Cap.

De reditu ejus in Franciam & delegatâ sibi in illustri castello Trajecto pontificali cathedrâ, & conversatione Monachica & Apostolica.

IX. Cap.

Quod plures in illâ regione Ecclesiam & monasteria construxit. & Antistites ac Rectores constituit.

X. Cap.

Quod curiam expulsi Regis Radbodi adiit, & quia ibi fructificare non potuit, audacter ad conterminam Danorum barbariem se transtulit, & XXX ibi pueros acquisitos & regeneratos rediens secum detulit.

XI. Cap.

Quod in insulâ Fositeslant in magnæ superstitionis loco fixit tentoria, & animalia ibi pascentia in suorum distribuit cibaria, & ob id apud Regem accusatus sorte triduo ternis vicibus in urnam missâ divinâ liberatus est gratiâ.

XII. Cap.

De oppido Epternacensi & villâ Sueftrâ, & aliis villis & ecclesiis sibi à potentibus & divitibus viris ratâ concessione traditis.

XIII. CAP.

De adventu ejus in insulam Walachram, ubi custos delubri eum vulneravit ob destructum Idolum, qui vexatus à dæmone per triduum, in æternæ damnationis præcipitatus est baratrum.

XIV. CAP.

Quod procutator agelli cujusdam divitis, repentinâ morte interiit, quia injuriâm ei intulerat.

XV. CAP.

De aquâ, oratione ejus productâ de terrâ arenosâ.

XVI. CAP.

Quod bis senos inopes ex parvo itineris sui vasculo affatim refecit, & vinum tamen non defecit.

XVII. CAP.

Quod per baculum ejus missum in pene vacuum œnophorum inundavit Cecubum, & infusum est pavimentum.

XVIII. CAP.

Quod duobus ferme sextariis, exuberante divinæ benedictionis gratiâ quadragenis convivis in Weri propinavit sufficientia.

XIX. CAP.

De pœnâ & reparatione divitis, qui eum à suis abegit pascuis.

XX. CAP.

De Santimonialibus Treviri sanitati restitutis, pestilentiâ effugatâ ejus precibus.

XXI. CAP.

De fantasmate excluso ejus benedictione, de cujusdam patrisfamilias domus miserabili infestatione.

XXII. CAP.

Quod filium ducis Karoli Pipinum baptismate consecravit, & de ejus in posterum sublimitate, prophetavit.

XXIII. CAP.

Quod S. Bonifacium sibi in regimine Episcopali succedere rogavit.

XXIV. CAP.

De ejus formæ pulchritudine, & naturali dijugio corporis & animæ, & augmentato divinitus tumbæ ejus marmore, & divino ibi sæpius viso lumine, & fumo aromatum instar densissimæ nebulæ.

XXV. CAP.

De oleo quod super tumulum ejus lucere, & inter missatum solennia usque ad effusionem consuevit excrescere.

XXVI. CAP.

De paralyticâ ad ejus tumulum curatâ, & Ephæbi tremuli sanitate reparata.

XXVII. CAP.

De sacrilegio Diaconi, subitaneâ morte punito.

XXVIII. CAP.

De augmentato divinitus vino in S. Wilgisti patris, Wilbrodi festo.

Quod

XXIX. CAP.

Quod S. Willehadus Epternaci duobus annis Eremiticam vitam exercuit in reclusione, & Beonradus & Stigandus Archipresules ibidem conversati sunt ingenti devotione.

XXX. CAP.

Quod Amelbergam quam in carne degens chrismatis unctione consecravit, post mortem sacro velamine in visione velavit.

XXXI. CAP.

De Monachi constituta propter inundationem maris super agrum ejus ditionis.

XXXII. CAP.

De custode S. Trevirensis Ecclesiæ Hilderico per ejus merita de horribili tempestate eruto in Hierosolimitano itinere.

XXXIII. CAP.

De severitate ejus in adversarios & advocatos suæ familiæ incommodos.

XXXIV. CAP.

De ejus inventione, & mirifica translatione.

XXXV. CAP.

De Palmâ Victoriæ Walachriensibus contra Rupertum Flandriæ Comitem concessâ ejus juvamine.

XXXVI. CAP.

De adventu Ygumeni Thiofridi in Walachrensem insulam, & pace ibidem reformatâ, & confirmata per jucunda miracula.

FINIS capp.




CATA-



CATALOGUS EPISCOPORVM TRAIECTENSIVM.

S. Willebrordus Epiſcopus I.



Vbi docti & religioſi Epiſcopatum Trajectẽſem ex Brittãnia egreſſi inſtaurant quorum Dux & auctor S. Willebrordus.

POST verbum Euangelicum jam dudum in inferiore Germaniâ ſeminatum, & poſteà barbaricâ incurſione, gentilique feritate extirpatum, Epiſcopio Trajectenſi, de quo ſuperiùs mentionem fecimus, funditus deleto, advenêre ex Britanniâ viri literis, moribus & religionis ſanctitate conſpicui, quorum majores ex nobilibus Anglis originem duxêre, quo eos conſonãtia Germanicę linguę adfacilè eos intelligendum promptiùs animabat. (a) Angli etenim & Saxones, & Mercii, qui paulo antè Britanniam occupaverant, egreſſi fuerant ex Gërmaniâ inferiore. Horum Dux & rector præcipuus Willebrordus (poſteà Clemens) undecim fortiſſimorum Chriſti militum ad numerum Apoſtolorum ſtipatus catervâ, ex quibus Suitbertus proximo jungitur loco. Item Acca, Wigbertus, Willibaldus & Winibaldus fratres, Lebuinus, (b) Ewaldi duo, Werenfridus, Marcellinus, Adelbertus, directi ab Egberto (c) Archiepiſcopo Eboraci tanquam robuſtiores athletæ ad fructuoſiu plantandum verbum Dei in Friſiis & Saxonibus, quod anteà circa annum ſalutis Chriſtianæ DCLXXXVII. per Wilfridum (d) primùm Auguſtaldunenſem ac Merciorum, poſteà Eboracenſium Archiepiſcopum (regnante in Friſiis Adgillo, ac demum ſuccedente hûic Radbodo in regno) per Wigbertum ac comites in corda idolatriis obnoxia fruſtra jactum, ſtatim exaruerat.

Wilfridus Archiepiſcopus Merciorum ſub Adgillo Friſios docet.

Hi verò aſſumptum munus gnaviter obeuntes, glorioſo curſu vitam finierunt, indomita colla Chriſto ſubjugantes, partim ſanguine, partim morum ſanctitate & exemplo ipſum confeſſi ſunt: nam ſucceſſu temporis Willebrordus Archiepiſcopus Friſiorum à Sergio Papâ conſecratus, Trajecti ſedem conſtituens, Epternacum ab eo conditum illuſtrat. 687.

S. Suitbertus Epiſcopus in Werda Cæſaris quieſcit

Suitbertus item Epiſcopus, poſt fidem per Friſiorum ac Saxonum Provincias latè denunciatam, in inſulâ Cæſaris (quam Germani **Keyſers-werdam** vocant) quieſcit, clarens in vitâ, & poſt mortem miraculis. (e) Acca Epiſcopus cùm Eccleſiam Auguſtaldunenſem aliquandiu rexiſſet, feliciter obiit: Wigbertus preſbyter apud (f) Foſtelandiam inſulam à Radbodo rege jugulatus eſt pro Chriſti nomine. Willibaldus (g) Aureaci ſive Eyſtati Epiſcopus in pace obdormivit. Winibaldus (h) frater ejus Heindelamenſi Monaſterio præfuit Abbas, quorum Germana fuit Diva (i) Walburgis virgo, patrona noſtra; Livinus (k) item Epiſcopus apud Gandavum ſacro martyrio coronatus eſt; Ewaldi item duo, albus ac niger ſacerdotes apud (l) Nabiam Chriſtum confitendo paſſi ſunt. Werenfridus preſbyter apud * Aliſſonem nunc Elſt in pace quieſcit, Marcellinus preſbyter prædicatione ſuâ Salios Francos, ac gentes circumvicinas convertens, plenus dierum moriens, Daventriam adornat. Adelbertus Levita

Viri illi ſancti ex Britannia ubi ſint mortui.

filius Edilbaldi Regis Deirorum, cujus pater sanctus Oswaldus rex & Martyr, pro Christo dimittens sæculum in loco dicto, Hallum,* nunc autem Ekmunda solenniter requiescens usque in finem vitæ, plurimos ad fidem convertere non cessavit. Hi omnes ex meritis anteactæ vitæ sancti & domestici Dei habiti, adhuc nostrâ tempestate singulis in locis venerantur, quorum gestis hic parum immorandum duxi, cùm ea prout à claris autoribus in scriptis redacta sunt, formis excusa tradidimus, & in lucem (m) emisimus, ut qui volet, Lector ex amussim videre poterit.

**Halim.*

Vitæ Sanctorum ab Heda nostro conscripta, & in lucem edita.

Anno Christi 690. Willebrordus venit Trajectum cum sociis.

Anno Salutis DCXC. Willebrordus natione Anglicus, gente Saxonum, provinciæ Northumbranæ, anno ætatis suæ XXXIII. cum sociis applicuit Trajectum, tunc per Radbodum Regem Frisiorum occupatum. Qui postquàm illuc advenisset, instituit talem sibi vivendi normam, qualem in primitivâ ecclesiâ legimus observatam ab Apostolis, Christum inibi, ac in citeriore Frisiâ constanter euangelizans; sed nihil proficiens propter tyrannidem Regis, ipsum Pipinum principem accessit, gratanter ab illo susceptus. Dignum duximus hic inserere obstinatam mentem ipsius Radbodi. Adductus enim per prædicationem B. Wulfranni Archiepiscopi Senonensis, ut baptizaretur, instincto jam pede uno, interrogavit ubinam major esset numerus Regum ac Nobilium Frisiorum, in cœlesti regione, aut abysso Tartarea, audiens ergo ab ipso Episcopo, eos omnes (n) damnatos, qui absque baptismate obiissent, retraxit ilicò pedem, inquiens: Satiùs esse jungi prædecessoribus, quorum consortio carere nequiret etiam apud inferos, quàm cum paucis associari superis, & paulo pòst subitâ morte interiit; quamvis nonnulli reliquerunt in scriptis, ipsum super Burdonem fluvium à Carolo fuisse occisum, primum scilicet terrestri, mox & navali prælio victum, Duce Propone, sive Robone interempto, anno tertio post obitum Pipini patris, qui decessit anno 714. Expulso autem Radbodo ex Trajecto ac citeriore Frisiâ, circa annum DCXCIV, Willebrordus ille denuò ad prædicandum remissus, proposito edicto provincialibus ne quis prædicantibus molestię quicquam inferret quam plurimis Christo acquisitis Trajectum rediens, circa ruinas Ecclesię ibidem in Episcopio sub honore Divi Thomæ Apostoli à Dagoberto rege nuper ædificatę, fundavit Oratorium in honorem sanctæ Crucis, baptisterium in eodem consecrans ut volentibus confugere ad fidem, securiùs liceret propter munitionem loci, Anno Salutis DCXCV, deputatis ministris, qui sacris obeundis & hymnis, & divinis laudibus cantandis sedulò incumberent.

Hæc narratio de morte Radbodi non est vera, sed conficta Monachis.

Anno 695 Willebrordus ædificat in Trajecto Oratorium S. crucis, addito Baptisterio & ministris sacris.

695. Willebrordus à Pipino mittitur Romam.

Vocatur à Sergio Papa Clemens Archiepiscopus Frisorum.

Ædificat S. Martino Ecclesiam prope arcem anno 697.

Anno eodem Willebrordus rursum accitur à Pipino, à quo propter eloquentiam & doctrinam aliquandiu detentus, sequenti anno dirigitur Romam ad Sergium summum Pontificem, qui eum Archiepiscopum nedum Frisiorum, sed & gentibus circum vicinis consecravit in æde ac die nataliciâ Divæ Cecilię virginis & Martyris, imponens ei nomen Clementis, Anno scilicet DCXCVI. Reversus itaque ab urbe, & lætanter à Sancto Suitberto accipiens plerasque nationes in fidem Christi susceptas, & apud Trajectum numerum fidelium valdè adauctum accedens, illic superædificavit in fundo prioris Basilicæ sancti Thomæ Apostoli, juxta arcem Ecclesiam cathedralem, quam & in honorem sancti Martini Episcopi Turonensis dedicavit, una cum Suitberto & sociis, anno DCXCVII. quam & matrem omnium gentium vicinarum constituit: collocans ibidem Canonicos (o) Cœnobitales, hoc est, communem & Apostolicam vivendi legem observantes. Non enim fuerunt Monachi, ut nonnulli volunt, (nisi secundum Procopium eos ita nominaverimus, qui testatur in libro primo de bello Persico Christianorum sapientissimos vocari Monachos, & ad custodiam limitum arcibus præpositos) sed Canonici, qui utique regulam Divi Augustini, aut Beati Isidori tunc profitebantur per universas Germaniarum & Galliarum Ecclesias. Nam & Monasteria ab eodem constructa sunt, in quibus Monachorum & Virginum ad differentiam Canonicorum, congregationes constituit. Et beatus Marcellinus testatur in vitâ Suitberti, sanctum (p) Willericum presbyterum primum Canonicum conventus novellæ Trajectensis Ecclesiæ, vas virtutum, purâ intentione, spe supernæ retributionis, dereliquisse mundum, Christo syncero corde servire studuisse, in Monasterio Werdensi factum Præpositum, sub eodem Suitberto, abstinentiæ, continentiæ, cæterarumque virtutum omnibus fratribus dedisse exemplum. Tandem Willibrordus Bonifacium sibi deputans successorem, plenus dierum, magnoque sui apud mortales relicto desiderio terrenam felici commercio in æternâ vitam commutans, quievit in Domino, an. (q) DCCXXXVI. Epternaci sepultus. Theofridus verò Abbas scribit ipsum decessisse anno DCC. XXXIX. indictione septimâ, anno ordinationis ejus XLVI. ætatis LXXXI. an-

S. Willebrordus moritur, substituto sibi Bonifacio. anno 739.

lxxxi. anno Caroli Ducis xxvi. vii. Idus Novembris. Hujus sanctissimi viri meminere Beda presbyter, Ado Viennensis Archiepiscopus, Marianus Scotus, & plerique alii scriptores insignes, sedit annis xl. Hic (uti præmissum est,) obtinuit pro Ecclesiâ, à principe Pipino Trajectum, cum omni districtu & territorio suo, atque omni jure in proprium perpetuo possidendum. Item à Karolo Martelio ejus filio oppidum Tielam, locum Elste, & castrum & pagum de Benthem, cum omnibus adjacentiis, ac Iurisdictionem amplissimæ Diœcesis. (s) Sed Theofridus Abbas Epternacensis Monasterii, qui (sicuti ipse testatur.) sub Henrico IV. Imperatore vitam ipsius Willebrordi longiore cæteris stylo complexus est, asserit plerosque in augmentum divini cultus perampla erogasse patrimonia locis ab ipso constructis. Primo Ducem Pipinum cum Blitrude conjuge 3. Idus Maji, anno xii. regni Childeberti tradidisse integram medietatem, Fisci Epternacensis à Theodardo Theodarii Ducis filio, sibi relictam. Herminiam (t) quoque Dagoberti Regis filiam addidisse partem alteram cum villâ (u) Montis, sitâ in pago Tulbracensi, hæreditario jure possessam, cum appenditiis & adjacentiis omnibus 3. Kalend. Decemb. Idem Pipinus anno 4. Regis Dagoberti vi. Non. Martii contulit villam in pago Mosatiorum sitam, & à præter fluente Rimsuestra nomen sortitam, ære proprio per Blitrudem ab ingenuis coemptam: & in utroque loco ipse Willebrordus instituit vitam cœnobiticam. Carolus quoque ejus filius Major domus, avus Caroli Magni apud Treviros consistens 4. Idus Maji integram villam Adrichaim dictam in Frisiis pago Kinheim super fluvium Velisena, ubi mare fluit in parte alterâ, sitam Regio donavit testamento. Præterea Rothingus vir præpotens delegavit ei viventi adhuc ecclesiam in Antverpo castello sitam, super fluvium Schaldim, in pago Riensium, cum villis, appenditiis, & tertiâ parte telonii ejusdem Castelli, quod nunc est Marca, ut ajunt, sive limes Regni, & cùm jam Antverpi incidit mentio, quod nostrâ tempestate Emporium totius Europæ longè extat præstantissimum, ne prisca suâ privetur gloriâ, licet ipse Theofridus suo tempore Castellum & Marcam nominet, fuit tamen urbs vetusta & celebris, sicuti Sigebertus Gemblacensis, & scriptor Affligemensis testantur, affirmantes Antverpum ad Schaldim, (x) Windlant ad Mosam, sicuti & (y) Groningam (ut alibi legi) ad Amasim flumina sita, nobilia emporia, clade ac rabie Nordmannicâ funditus fuisse deleta, circa annũ DCCCxxxvii. Antverpum itaque diu mansisse desolatum, paulatim propter commoditatem fluminis in vicum coaluisse, & insulam quam Schaldis effecerat, complexum, collocata postmodum per Principes Lotharingos, ac Brabantię Duces, arce pro præsidio, diu caruisse portis & muris, eoque paulatim frequentatam advenis & negotiatoribus, ut crederetur, debere erigi in sedem Episcopalem, nisi (z) Landelina hæresis obfuisset, quæ locum aliquot annis defœdaverat, sicuti & hodiè (proh dolor) Lutherianâ tabe non est immunis. Hic enim Landelinus nisus fuit pristinam superstitionem (cùm memorię traditum sit, Deum Priapum illic solere coli) rursum introducere omnibus spurcitiis & lasciviis deditus, & se potenti sequacium virorum ac mulierum manu defendens etiam alios in sectam suam jurare coegit, millibus aliquot hominum stipatus, circa annum M c xxiv. Quod ex Epitaphio apud Monasterium Præmonstratense reperto (cujus exemplar à doctissimo viro Petro Ægidio Archivorum Antverpiensium Præfecto nobis traditum hic subnectimus) satis apparet,

Trajectum.
Tiela.
Villa Montis
Adrichem in Frisiis.
Antverpum, castellum Marca sive limes Imperij
Normanni tria Emporia destruunt anno 837.
Landelinus quidam Priapi cultum instaurare nisus circa annũ 1124.

(aa) *INclyte, qui meritis fulges Huniberte, Coruscis*
Inter cælicolas clarus fœlicia ducis
Ocia. & excelsi Regis decoratus in aula es.
Cujus ad exemplum vita ac moderamina quondam
Barbara doctrinam nacta est Antwerpia Christi.
Belua mansuescit, tellus limphas dare jussa est
Te duce Cœnobium superest quo moribus atque
Relligione pia fœlix radiat Maricollis,

Humiberti Epitaphiũ, qui teste Molano floruit sub Childerico Francorum Rege Episcopus sine titulo.

Respice prostratos Præsul mitißime servos:
Horrida vipereis rabies quos morsibus urget,
Eximia ac te dote pius lustravit Olympi
Arbiter, unde decus tibi; laus & gloria præstans.
At virtute tuâ nobis placidam ingere mentem,
Tranquillâ da pace frui, da corde sereno
Rite procellosos fluctus componere nostros.
Effera quæso procul rabies abigatur in ævum.
Fac pietate fides crescat, spes ambiat alta,
Instet amor studiis, luxus declinet inanis.
Ut Christo laudes meritas persolvere nobis
Detur, & æternum vobis placare parentem.

Trajectēsis, Epternacensis, & Antverpiensis Ecclesiæ inter se conversantur.

Donationes diversæ Ecclesiæ Trajectensi collatæ.

S. Willebrordus donata dispensavit inter Ecclesiam Trajectēsem & Epternacensem.

Quod idcircò interseruimus, quia magnam invenimus inter Trajectensem, Epternacensem, & Antverpiensem Ecclesias fuisse conversationem, &, uti creditur, Templum apud Antverpiā Divæ Walburgi coætaneæ Willebrordi dicatū, credimus (bb) esse donationem Rothingi hujus, cujus & nomisma in auro legimus. Heribaldus insuper clericali dignitate fulgens tradidit in pago Marsum, in ora Mosæ flu. unà cum omnibus appendiciis Basilicam. Angibaldus verò (cc) villā Waderloe in Texandriâ super fluvium Dumellam: Engilbertus cuncta, quæ juris sui erant in villâ Erestoch nuncupatâ, & Alfeim villam integram. Ausbaldus omnem possessionem suam in Hockensloit, villam Disenam. Thirbaldus Ecclesiam integram cum adjacentiis suis in Mulvehem. Ebroinus Comes præclara prædia in villâ Riverâ & Basilicam cum omni integritate in Millingâ: Wachardus vir venerabilis Mansos septem cum dimidio & unum molendinum in loco qui dicitur Erlo super fluvium Prumiam. Et sicuti idem affirmat Theofridus, plerique alii viri religiosi & illustres multa contulerunt, propter barbara hominum, locorumque vocabula, ab eo omissa. Donata autem Divus Antistes proinde impertitus est hinc Trajectensi Ecclesiæ, inde Monasterio Epternaco, prout visum fuit, necessariam subministrans alimoniam. Nec verisimile est pios principes aliosve Catholicos homines tantâ clargitos, nisi motos sanctitate vitæ ac invisis illius miraculis. Donationum autem harum exemplaria aliqua hic annotamus.

Traditio Caroli Filii Pippini de Trajecto & Fethna.

Ego in Dei nomine illuster vir Carolus Major domus, filius Pippini, quondam cogitans casum humanæ fragilitatis, qualiter peccata poßim abluere, & donante Deo ad æterna gaudia pervenire: Idcirco donamus à die præsenti, per hanc paginam Testamenti, & donatum in perpetuũ esse volumus, hoc est ad Monasterium, quod est intra muros in Trajecto castro situm constructum; ubi & Apostolicus vir D. & in Christo pater noster Willebrordus Archiepiscopus, sub sanctæ conversationis cœnobitali ordine, custos praeesse videtur, omnem rem in Fisci ditionibus quidquid in ipso Trajecto castro, tam infra muros, quàm à foris, cum omnibus adjacentiis vel appenditiis, cum illo pascuo (dd) *Graveningo, vel quicquid ibi Fisci ad præsens habere*

habere videtur, omnia & ex omnibus totum & ad integrum cum omni re quæsitâ & inquisita, & similiter villâ vel castro (ee) nuncupante Fethna, situm (ff) in pago Insterlaco, cũ omni (gg) jure & soliditate sua; omnes adjacentias vel appenditias, quod tam ad ipsam villam Fethnam castrum, vel etiam ad jam dictum Trajectum castrum, ut diximus, aspicere vel pertinere videtur, quantumcunque ad partem Fisci, vel ad nostrum præsens esse videtur, cum omni integritate eorum, quicquid dici vel nominari potest, hoc est, una cum mansis, terris, casis, domibus. ædificiis, accolabus, luitis (hh) mancipiis, campis, pratis, pascuis, sylvis, aquis, aquarumq; decursibus: greges cum pastoribus utriusque generis & sexus, mobilibus & immobilibus totum & ad integrum, ut diximus, à die præsenti ad ipsum Monasterium, vel ad ipsam casam Dei tradimus atque delegamus perpetualiter in Dei nomine ad poßidendum, ita ut ibidem omni tempore pro nostrâ mercede proficiat in augmentis. Et quicquid exinde Patres ante jam dicti Monasterii, vel rectores pro eorum opportunitate facere decreverint, liberam & firmißimam in omnibus habeant potestatem. Si quis verò, quod futurum esse non credimus, sive nos ipsi, vel aliquis de hæredibus vel prohæredibus, seu qualibet opposita vel extranea persona, qui contra hanc donationem, quam nos pro divino intuitu & animæ nostræ remedio ad instar testamenti fieri & affirmari decrevimus, venire aut agere, vel eam infringere conaverit, in primis iram Dei cœlestis incurrat, à liminibus sanctorum, vel consortio Christianorum efficiatur extraneus, insuper inferat una cum socio Fisco nostro auri libras quinque, argenti etiam pondera decem coactus exolvat, & quod repetit evindicare non valeat, sed præsens donatio ad instar testamenti à me facta, omni tempore firma & stabilis permaneat, cum stipulatione subnixa. Actum (ii) Herestallio villâ publicâ ipso die Kalend. Ianuarij. Anno II. Regnante glorioso Domino Theodorico Rege. Signum illustris viri Karoli Majoris domus; qui hanc donationem fieri & affirmari rogavit. Signum Karolomanni filii ejus, Signum Gariaonis. Signum Odonis. Signum Baldrici. Signum Abbonis. Signum Engilbaldi. Signum Adalhardi. Signum Thiedoldi nepotis ejus. Signum Bosonis. Signum Widonis. Signum Guntfridi. Ego Rodtbertus subscripsi, Hariradus subscripsi, Audoinus presbyter subscripsi, Chelmoinus subscripsi, Chaldo (kk) cancellarius rogatus à Karolo supradicto scripsi & subscripsi.

Herestallum villa publica.

Anno 726 Carolus Martellus Theodoricum Regẽ constituit: ejus annus secundus est Christi 728.

 Tra-

Traditio Karoli de Marithaime sub VVillibrordo.

*EGO in Dei nomine Inluster vir Karolus Major domus filius Pippini quondam, cogitans casum humanæ fragilitatis, qualiter peccata abluere poßim, & donante Deo ad æterna gaudia pervenire. Idcirco trado à die præsenti per hanc paginam testamenti pro * redemtione animæ meæ, donatumque in perpetuum esse volo in loco nuncupante Marithaime, ubi castrum fuit, ad Basilicam, quæ est constructa in honore Salvatoris Domini nostri Iesu Christi, & beatæ Mariæ genitricis Dei. Sed & beatorum Apostolorum Petri & Pauli, omniumque Apostolorum, sanctiq; Ioannis Baptistæ, vel cæterorum Sanctorum noscitur esse ædificata, quæ est sita in pago* (ll) *Bathuâ villam Iuris nostri nuncupatam Eliste, in ipso loco Marithaime, quantumcunque* (mm) *ibi habuit vel possedit Everardus, dum ipse infidelis Regi apparuit, & in Regis Francorum infidelitate, foris patriâ ad infideles se sociavit, & propter hoc omnes res suæ in fisco Regali fuerunt redactæ, quas gloriosus Rex Hildebertus genitori nostro Pippino de suo Fisco, & ex largitatis suæ munere conceßit, mihique genitor meus Pippinus Iure hæreditario in proprietatem conceßit supra nominatam villam Eliste, quæ alio nomine Marithaime vocata, quicquid supra dictus Everhardus ibi poßedit, unà cum mansis, terris, casis, domibus, sylvis, campis, mancipiis utriusque sexus, pratis, pascuis, aquis, aquarumque decursibus, mobilibus & immobilibus totum & ad integrum: hæc omnia tradimus ad præfatam Ecclesiam, & quicquid Everhardus habuit in Bathuâ, vel possedit; eâ ratione, ut Dominus* Willebrordus *Episcopus præfatas res in jus &* Dominium *suum recipiat, suorumque successorum in* Dei *nomine ad poßidendum, ita ut ibidem omni tempore proficiat in augmentum pro remedio animæ meæ. Si quis verò, quod futurum esse non credo, contra hanc traditionis* (nn) *chartam aliquam injustam interpellationem facere voluerit, in primis* (oo) *iram Dei omnipotentis incurrat, & a liminibus sanctæ* Dei *Ecclesiæ efficiatur extraneus, & sit anathematizatus, sitque maledictus eâdem maledictione, quæ descendit super* Dathan *& Abyron, quos terra vivos absorbuit; & quod repetit, evindicare non valeat, sed præsens traditio ad instar testamenti à nobis facta omni tempore firma & stabilis permaneat stipulatione subnixâ. Actum* (pp) *Tulpiaco Castro publico mense Iulio, nonâ die, Anno*

* Remedio.

Eliste ho lie Elst pagus in medio itinere inter Arnhemum & Neomagum.

Marithaime & Elista idem.

Tulpiacum castrum publicum nunc Zulch, in Diœcesi Coloniense.

Anno sexto regnante glorioso Rege Francorum Theodorico. Signum Karoli illustris viri, qui hanc traditionem fecit, & affirmare rogavit. Signum Saleconis Comitis. Signum Folcarii Comitis. Signum Bergetesienis Comitis. Signum Maginharii Comitis. Signum Luidolphi. Signum Odonis. Signum Agilonis. Signum Herigeri Comitis. Signum Erkenfridi Comitis, qui (qq) Advocatus fuit Episcopi, & hanc traditionem manu suâ cum domino suo suscepit. Aldo clericus jussus à Domino meo Karolo scripsi & subscripsi hanc Testamenti chartam in Dei nomine feliciter, Amen.

De Trajecto, Fethna, Eliste & (rr) Benthem supersedemus scribere situm, sunt enim loca cognita satis & superextantia, sed si scire volueris quæ nam fuerit ista Tiela, sive Tiele, sive Thuyle, ipsam esse credo, cujus Poëta meminit: *Tibi serviat ultima Thuyle*: ubi oppidum antiquitus celebre ab insula nomen trahens superest instauratum, Tiela sedes ac portus negociatorum. Nam tempore istius Poëtæ incognitum erat Romanis, quicquid ultra Amisim primò & demum Albim flumina jacebat. Et Pomponius Mela nostram opinionem hoc modo confirmat lib. III. cap. 6. *Thule Belgarum littori opposita est Graiis & nostris celebrata carminibus, in eâ quod sol longe occasurus exurgit breves utique noctes sunt, sed per hyemem sicut alibi obscuræ, æstate lucidæ, quod per id tempus jam se altius evehens, quanquam ipse non cernatur, vicino tamen splendore proxima illustrat: per solstitium verò nullæ, quod tum jam manifestior non fulgorem modò, sed sui quoque partem maximam ostentat*, &c. Et Claudianus: (ss)

Fethna hodiè Fechten pagus supra Trajectum.
Virg. Georg. I.
Tiela, quæ donata est Willebrordo est civitas ad Wabalim fl. in Batavis. Thule verò insula Oceani Septrionalis.

Te, quò libet ire, sequemur.

Hæc autem Ecclesia à primordio sanctissimis & clarissimis viris illicò frequentabatur, qui in omni genere doctrinæ & scientiæ, ac secularis nobilitatis splendore præcelluerunt: Nam & Oratorum & Rhetorum illo magnus confluebat cœtus, uti legitur. Fuêre enim (ut semel recensitos omittam,) Winfridus Canonicus, qui & Bonifacius posteà Maguntinus Archiepiscopus, & Willebrordo successit in Episcopatu Trajectensi, Wiro (tt) Episcopus Deyrorum, Plechelmus (uu) Episcopus Massæ candidæ, Eoban Chor-Episcopus, Willeicus, Gerardus, Theodoricus & (xx) Boso Presbyteri, Othgerus (yy) Levita, Gregorius verò & Albricus, & plerique alii gloriosi viri, qui regio & alto sanguine originem duxêre, prout videbitur in sequentibus, Ita ut, sicuti Sulpitius Severus testatur de excellentiâ Ecclesiæ sancti Martini Turonensis, vix aliqua civitas vel Ecclesia fuerit, quæ de Trajectensi Clero non peteret sibi sacerdotem; Nam Bonifacius ad Maguntiaci, Gregorius (zz) & Albricus ad Coloniæ Agrippinæ, & successu temporis alii ad alias Ecclesias regendas aciti sunt, uti patebit suo loco.

Dignitas Ecclesiæ Traject.

a *Angli etenim & Saxones, & Mercii quæ paulo ante Britanniam occupaverant* &c.) Beda lib. primo hist. gentis Anglorum c. 15. *Advenerant autem de tribus Germaniæ populis fortioribus*, id est, *Saxonibus, Anglis & Vitis*, quos alii Iuthos vocant, *De Vitarum origine sunt Cantuarij & Vectuarij, & ea quæ usque hodie in provinciâ Occidentalium Saxonum Vitarum natio nominatur. De Saxonibus, venêre Orientales Saxones; Occidui Saxones porro de Anglis, Orientales Angli, Mediterranei Angli, Mercij, tota Northumbrorum progenies, cæterique Anglorum populi sunt orti*: unde datur intelligere tres potissimum nationes Britaniam ex Germaniâ occupasse, Saxones, Anglos, & Ihutas sive Vitas, ex Anglis verò Mercios ortos, de quibus vide Camdenum in chorographicâ Angliæ descriptione.

b *Ewaldi duo,*) hos extra numerum XI. sociorum Willibrodi fuisse, videtur indicare Beda lib. V. hist. gent. Angl. cap. XI. Nam cum Willebrodi adventum cum XI. sociis ad Pipinum Francor. Ducem retulisset, & quam multos ibidem ad Christi fidem convertissent, addit: *Horum secuti exempla duo quidam presbyteri de natione Anglorum, qui in Hiberniâ multo tempore pro æternâ Patria exulaverant, venerunt ad provinciam antiquorum Saxonum, si forte aliquos Christo acquirere possent. Erant autem unius ambo sicut devotionis, sic etiam vocabuli: Nam uterque eorum vocabatur Hewaldus: eâ tamen distinctione, ut pro diversâ capillorum specie, unus niger, alter albus Hewaldus diceretur*, &c. Plerique nihilominus scriptores inter

inter socios ejus hos numerant, vide Bekam, Indiculum Sanctorum Belgii Molani, Cratepolium de S. Germaniæ, Balæum cent. 2. nu. 19. & alios.

c *Ab Egberto Archiepiscopo Eboracensi.*] Fallitur hic noster, sed ne semel dicta iterare cogar, adeat lector notas ad Becanum, nec hic audiendus Balæus, qui eundem errat errorem, cum multis aliis.

d *Per Wilfridum,*) De hoc Wilfrido, ejusque vitâ & obitu videndus Beda lib. V. cap. 20. hist. Angl. & in Epitom. item Wiliel. Malmesbur. de gestis Pontif. Anglorum lib. 3. qui plene ipsius vitam describit: adde Math. Westmonast. in Chron. ad ann. 678. Io. Balæum de script. Angl. cent. 1. nu. 88. Polid. lib. 4. Angl. hist. Contractii & Chron. Wigorn.

e *Acca Episcopus cum Ecclesiam Augustaldunensem.*) Beda, Hagustaldensem vocat, lib. v. c. 21. Sic enim ait: *Suscepit pro Wilfrido Episcopatum Hagustaldensis Ecclesiæ Acca presbyter ejus vir & ipse strenuissimus, & coram Deo & hominibus magnificus.* Malmesburiensis de gestis Reg. Angl. lib. 1. c. 6. meminit hujus Episcopatus in Northumbriâ sub Archi-Episcopatu Eboracensi, sed Haugustaldensem defecisse suo tempore addit. In appendice ad Balæum Hagustaldum appellatur.

f *Apud Fostelandiam insulam,*) de hac vide Adamum Bremensem hist. Eccl. c. 210.

g *Willibaldus Aureaci sive Eystati Episcopus,*) Aureacensis primus Episcopus anno dom. 745. vel. 747. à Bonifacio factus, Hoc ad Almonum amnem in Noricis ab Hunnis oppidum eversum, & tum restaurari cœptum nono templo in veteribus ruinis erecto, idem Bonifacius ornaverat & inde ibidem cœnobium construxerat, ac exciso querceto Aychstadium vocavit, unde versus:

Urbs quæ auri quondam titulos & nomen habebas,
Iam sacræ quercus nomina sacra geris.

Res hujus Willibaldi scripsit Reginoldus xI. Episcopus Eichstadiensis, qui vixit circa annum 980. verum an exstet dubitatur. vide Trith. de Benedict. lib. 3. tit. 4. Cratepolium de sanctis Germ. Episcopis Munsterû, Aventinum Bojorum lib. 2. Balæum Cent. 2. nu. 16. Hodœporicon S. Wilibal. & Bruschium de monasteriis, præfuit, ann. 36. obiit ætatis anno 77. Christiano verò 781. successores habuit Gerochum, Aganum & circa tempora Munsteri Mauritium ex Huttenicâ nobilissimâ Franciæ Orientalis familiâ.

h *Winibaldus frater ejus &c.*] De eo vide Molanum in Indic. Cratepolium, Munsterum, Balæum, Democharem. Heidenheim. Sanctim (quam Walburgam sororem quidam autumant) de S. Winibaldo librum, qui extat tom. 4. Antiq. Lect. Canisii parte 2. Trith. lib. 3. de vir. illustr. Ord. S. Benedicti.

i *Diva Walburgis virgo,*) Hujus virginis vitam scripsit satis prolixè Wolfhardus Hasenrietanus monachus qui extat Tom. 4. Antiq. lect. & Philippus Episcopus Aichst. frequens quoque ejus mentio ap. scriptores, vide Usuardum vel quæ eidem addita ad 1. Maj. 4. Aug. Molanum Ind. SS. Belgii ubi & hi de eâ versus leguntur:

Filia regis erat; sed egenam se faciebat,
Dives ut in Christo regnaret semper in ipso.

Cratepolium de SS. Germaniæ, Serrarium rer. Moguntin. lib. 3. not. 2. de Bonif. pa. 438. not. 24. pa. 483. Aventinus lib. 3. Annal. Boicor. Waldopyrgam appellat. Supersunt & hodie passim in Germaniâ & Belgio templa huic dicata, ut Antwerp. Arnhemiæ, Tylæ, Groningæ, &c.

k *Levinus item Episcopus apud Gandavum &c.*) Hic videtur Livinum pro Lebuino ponere, cum hic ex sociis fuerit Willebrodi, ille verò longè ante martyrio coronatus, cujus etiam vitam auctore Bonifacio, seu Winfrido conscriptam habemus: necatus autem fuit ut Cratopolius anno 633. à Brab. cui adstipulatur Molanus in Ind. SS. Belg. cum quo facit Meyerus in Annal. Flandr. Vitam autem Lebuini scripserunt Hucbaldus & Radbod. Episcopus, à Gold. ad parænet Teut. pa. 455. laudati.

l *Apud Nabiam Christum confitendo passi sunt,*] Rem totam narrat Beda, & ex eo alii plures, ubi verò locorum sit Nabia nullus, quod sciam, liquidò expressit, sed ex conjecturâ satis constat occisos Hewaldos fratres in Saxoniâ veteri, id est, Westphaliâ, non longè à Rheno, in quem corpora projecerunt. Nabiam vocat Marcellinus in vitâ Suitberti, atque ex eo alii, Molanus dubitat an locus ad Belgium pertineat, & ubi sit, antiquos tamen Saxones plerosque vocare Westphalos, id quoque tradit Cratepolius de SS. Germaniæ, quem vide in lit. E. qui addit quosdam horum socios in pago Laer passos. Vide & Usuardum ad 3. Octobr. ad eundem diem Martyrol. Notkeri, item Martyr. Rhabani, Contract. ad annum 695. & Sigisbertum ad 693. Westmon. ad 695.

m *Formis excusa tradidimus,*) Quod an factum ignoro, nondum certè mihi videre contigit, nec à quoquam, qui vidisset, intelligere potui. Ad ea quæ de Vulfranno, & morte Radbodi sequuntur, vide notas *meas* in Bekam, adde quæ Baronius ad Martyrol. qui ex Ionâ Abbate & aliis tradit Vulfrannum anno 720. obiisse, unde miror quid Ubboni in mentem venerit, qui eundem anno demum 730 obiisse refert.

Qui

n *Qui absque Baptismate,*] hoc si verum, quomodo itaque ausus Ambrosius, Imp. Valentinianum occisum ante quam baptisatum inter beatos referre?

o *Canonicos cœnobitales,*) De Canonicis scripsêre Molanus, Miræus, aliique, quos vide.

p *Sanctum Willericum,*) in M.S. invenio Willeicum nominatum, hujus & sic meminit Cratepol. de sanctis German. *S. Willericus presbyter, discipulus S. Swiberti, Christi confessor requiescit in Cæsarea Vuerdenâ.* Plura de eo Molanus in Indiculo SS. Belgii.

q *Anno DCCXXXVI. Epternaci sepultus &c.*) Willibrodus venit Trajectum anno 690. decessit è vitâ anno 736, id est 46. anno adventus, non ordinationis, nam anno 696. Romæ dicitur à Sergio Pontifice, creatus Episcopus Fresonum; atque ita 40. anno Episcopatus sui obiisse dicendus est, nec quæ de ætate ejus feruntur convenient si Theofridi calculum sequamur, sed adi eâ de re Molanum in Indiculo satis accuratè scribentem.

r *Obtinuit pro Ecclesiâ à Principe Pipino Trajectum,*) Imò à Carolo ejus filio ut diplomata, quæ sequuntur testantur; & Beka Carolum Martellum post obitum patris, Pipini primam donationem Ecclesiæ Trajectinæ fecisse scriptum reliquit.

s *Theofridus Abbas Epternacensis &c.*) Qui & Thietfridus, 24. Abbas Epternacensis Reginberti prædecessoris sui prius coadjutor, ex hac vitâ abiit anno 1110. vide Bertelium in hist. Luxemburg. ubi agit de Epternaco.

t *Herminam Dagoberti Regis filiam,*) Extat donatio hæc ap. Miræum in Notitiâ Ecclesiarum Belgii cap. XI. facta Wilibrodo Treviris anno 699. meminit ejus quoque Bertelius loco supradicto: vide etiam Haræum in Pipino Herstallo pag. 24. In diplomate vocatur Irmina, ut & ap. Bertelium, vitam S. Irminæ primæ Abbatissæ in horreo Trevir. scripsit Trith.

u *Cum villâ montis sitâ in pago Tulbiacensi.*] In donatione; *Dono vobis vineæ pedicuram unam in monte Viennensi,* Miræus notat hunc montem hodie vocari Viandensem in agro Luxenburgico. Pro pago autem Tubracensi nescio an Tulbiacensem dicere voluerit. Tulpiacum veteribus notum, meminit ejus Tacit. Ubiorum enim castrum fuit, quod nunc Zulpich esse putat Divæus in Antiq. Belg. cujus & mem. Traditio Caroli; hic Clodio Alamannos vicit teste Masson. lib. I. Annal. Fr.

x *Winlaut ad Mosam.*] Annales Francorum veteres: *Vitbam Emporium juxta ostium Fl. Mosæ.* Sigebertus, *Wittam, Harœus* in vitâ Lud. Pii, legendum putat *Wilitbam* & locum, ubi nunc *Geervliete,* esse credit. Douza Annal. Holl. lib. 3. *Wiltam* legere mavult; & fortè respexit ad ea, quæ nostri annales de Flarditinga Wiltorum, vel Slavorum oppido narrant.

y *Groningam ad Amasim sitam,*) Fallitur: Territorium enim Groningense est quidem inter Lavicam & Amasim amnes situm, sed longè urbs ab eisdem abest, quam duo flumina Hunesus & Fivela attingunt, vide accuratè de eâ scribentem Ubbonem Emmium libro singulari; Neque eo tempore emporium Groninga fuit, & ne oppidum quidem utpote post aliquot demum sæcula mœnibus cinctum.

z *Nisi Landelina hæresis obstitisset*] Landelini qui & Tanchelmus, Tanchelinus, Tauchelinus, Tandemus, Tanderius vocatur, & inter hæreticos refertur, meminêre Abeilardus lib. 2. de Theol. Robertus de Monte ad Chron. Sigisbert. Abbas Trith. in Chron. Hirsaugiensi, Miræus in Chron. Præmonstratensium, & in Annal. Belg. Bernard. de Lutzenburg. in Lit. T. Prateolus de hæret. lib. 18, in eo falsus, quod Sigisberto ea adscribit, quæ sunt ejus continuatoris; Nic. Sanderus de Visibili Monarchia Ecclesiæ lib. 7. Divæus lib. 8. Brabant. Molanus in Nordberto, Meyerus in Annal. Flandriæ, Scriban. in Antwerpia, Hist. Magdenb. tom. 12. cap. 5. Cratepolius de hæreticis. Extat & typis expressa Epistola Ecclesiæ Trajectensis ad Freder. Colon. Archiepiscopum de Tâchelmo, ubi sequentia de hoc verba leguntur. „Hic Sacramenta corrumpere Ecclesiæ, hæresim suscitare ausus est, jam olim jugulatam: Nihil Papam, nihil Episcopos, nihil Archiepiscopos, nihil presbyteros aut clericos asseruit. Penes se ac suos tantum Ecclesiam esse, contendebat. Fidei nostræ Petram Christum dividere ausus est. In maritimis primùm locis rudi populo & infirmioris fidei venenum perfidiæ suæ miscuit, & per matronas & mulierculas errores suos paulatim spargere cœpit. Audiebat illum populus seductus sicut Angelum Dei.

aa *Qui meritis fulges Huniberte corusci,*) Humbertum vocant scriptores, inter quos Cratepolius de SS. Germ. Usuard. 25. mart. 6. Sept. Molanus in Indiculo SS. Belg. Scribanius in Antwerpiâ, & alii. Miræus Huntbertum nominat Abbatem Maricollensem; vide Cod. piarum donat. cap. V. & ibi notata. Buzelinus lib. 3. Gallo-Fland. tradit Hunibertum à quibusdam filiis Everardi Cysoniensis adnumeratum, insigni virum sanctitate & sapientia sed patri præreptum & ideo in testamento ejus omissum.

bb *Esse donationem Rothingi,*) Vide Miræum loco prodicto c. 6. & ejus notas, ubi Rehingus, vel Rauchingus vocatur, & Bebelina ejus conjux. Sequentes donationes, quod non spectant ad Ecclesiam Trajectensem leviter præteribimus, ne extra limites brevitatis vagari videamur.

cc *Villam Waderloe in Taxandriâ*] Pagus esse creditur, qui hodie Waerle vocatur, supra Eindhoviam in Campinia Brab. ad flumen Dommele.

dd *Cum illo pascuo Gravningo,*) Sic in MS. plerisque invenio. Ac sunt qui pascua Comitis designari putant quasi pascua Gravionatui obnoxia. Alii credunt paludes illas fuisse ab urbe Amersfortiam versus, ad sinistram ubi nunc Oostbroeck & Westbroeck / D. Martini agger; nomenque à fodiendo deductum, quod fodiendis cespitibus esset commodus iste locus, vel etiam à vernaculo Grauwe-veen/

we: Deen/ quasi grisea palus. Vidimus olim in Rhenensibus paludibus cum cespites ad ignem alendum foderentur, suprema ut leviora, grisei coloris esse; in imo verò fundo ut graviorem, ita & nigriorem terram effodi.

ee *Nuncupante Fethna*] pro nuncupato scriptores medii ævi, ut apud Marculphum lib. 1. Formular. cap. 22. *Iactante denario* pro jactato: vide Bignonii notas ad eundem locum.

ff *In pago Insterlaco*) in quibusdam MS. est Nisterlaco, invenitur in literis recentioribus locus Oosterlacus sub jurisdictione Scalcvicensi, nisi Isellacum vel Interlacum dicere malueris, qui pagus olim fuit Waltgarii & inde Radbodi ejus filii intra Iselam & Leccam fl. Pagos à Germanico *Bach*, i. rivus deducit Bebelius ap: Freherum Orig. Palat. lib. 1. cap. v. Nam Germani circa rivos & fontes olim habitabant, quod & testatur Tacitus. Græcis autem pagi ἀπὸ τῶν πηγῶν, id est, à fontibus dicuntur, aut tractu alicujus fluminis, hinc & Galli suum videntur habere Pays. Neque enim pagus olim, & hoc etiam ævo, quo scripta hæc diplomata, villam vel oppidum unum continebat, sed territorium integrum. Hinc pagus Batua, pagus Flehite, pagus Flandrensis, pagus Hattuaria, pagus Rhenensis. Sigisbertus ad annum C. 759. *Arvernorum pagum depopulatum premit*. vide notata ad L. Salicam tit. 1. Notas ad Marculf. lib. 1. cap. 28. ubi ex Fredegarii appendice ad Gregorium Turonensem nominatur pagus Tholosanus Petrocoriorum.

gg *Cum omni ju e & soliditate*,) Præsius mero legebat ex antiquo diplomate, idque interpretabatur vernaculè **Meeren**; & soliditatem **Landen**/ quasi cum omnibus lacubus & terris diceres, sed talis interpretatio non omnibus satisfacit.

hh *Lutis, mancipiis*,] Ita emendandum putavi, Luiti enim à vulgari **luten**/ vel **liten**/ Freherus: *liti, inquit, genus hominum dedititium Libertinum, aut potius servile*. In legg. Frisonum tit. 2. *Si litus semetipsum propriâ pecuniâ à domino redemerit*. Albertus Stadiensis ad annum 917. *Plures autem se eis dedêre proprios, qui ab eis vivere sunt permissi & litones sunt vocati*. Aliud verò ab his Leodes, vasalli, feudales, *leute*; differunt enim hi ab illis quod liberi sint, fide tantum domino addicti; quos & Gregorius Turonensis Leuden vocat; & inde putant *feudum* dictum quasi leudum, & ligium hominem quasi principi fide addictum, vide not. ad Marculfi lib. 1, formul. pag. 543. Hotomannum de verbis feudalibus, & accuratissimum Pasquerium lib. 2. cap. 14. des * *Recherches* de France. De verbis quoque Leodes & Ligius nonnulla Lydius in glossis Latinobarbaris. Ac de litis Lindebr. ad leg. Salicam Tit. 14. tradunt.

* *Requisitorum.*

ii *Actum Herestallio villâ publicâ*,) In MS. antiquiss. & Arastallio. Divæus lib. 1. c. 3. rer. Brab. *Erat Pipino in delitiis locus ad Mosæ ripam haut procul Leodio, ubi palatium struxit, Heristalliumque appellavit, inde ei Heristelliensis cognomen*. In Itin. Ortelii. *Temporibus Lamberti præcipuè florebant Herestallum, & Iupilla sub Pipinis, quę non procul Leodio ad utramque Mosæ ripam, loco amœno & fertili, nunc in vicos abiisse videmus*. Adde quæ accuratè de his locis scripsit Hubertus Thomas libro, quem de Tungris & Eburonibus edidit, & quæ Guicardinus in Belgii descriptione, in Leodio, ac Haræus in Godefrido III. ad annum 1173. tradit.

kk *Chaldo Cancellarius*,) Quis Cancellarius ap. Francos, & quale ipsius munus amplè & accuratè Budæus annot. ad Pand. de officio Præfecti præt. Vide etiam quæ Ioh. Lydius in Glossis Latinobar. ad Clemangum: Notas item Bignonii ad Marculfum. Brissonium de verborum signific. Vinc. Lupanum de Magistr. Franc. lib. 2. Glossarium ad Car. Mag. & Lud. Capit. Cassiodori var. lib. xi. ad Ioannem Cancel. c. 6. Bullingerum de Officiis Regni Gal.

ll *In pago Bathua*,) quid pagus supra dictū est, Meminit & pagi Batavi, Freherus in Originibus Palatinis; sed hæc Bathua pars tantùm Bataviæ est antiquæ, insula nempè inter Rhenum, Leckam & Wahalim contracta.

mm *Quantumcunque ibi habuit Everhardus*,) Quis sit hic Everardus indictum adhuc aliis, nec quicquā de eo invenio. Ex proceribus nihilominus Saxonum vel Fresonum fuerit necesse est, quorum eo tempore Bathua erat possessio. Ac Carolum Mart. in Saxones, & Fresios arma tulisse scriptores ejus temporis referunt. Vide Annonium de gestis Francorum lib. 4. Haræum in Brab. principibus & Annal. Francor.

nn *Traditionis chartam*.] Sic infra Testamenti Chartam & passim in diplomatibus ut & apud Marculphum lib. 1. Formular. Charta de Ducatu, Patritiatu, vel Comitatu, Charta de Mundiburde Regis, In libro item vet. formular. Incerti auct. Charta agnationis & in Anglicis scriptoribus Charta magna Regni, id est, instrumentum publicum, vel diploma.

oo *In primis iram Dei omnipotentis*,] Similes clausulæ imprecatoriæ in antiquis diplomatibus passim reperiuntur; quibus metum, ac horrorem contravenientibus se incutere posse credebant. Sic ap. Marculfum lib. 2. c. 39.

pp *Actum Tulpiaco*.) Hæc donatio facta est anno 6. Theodorici 2. Regis, qui incidit in annum Christi 732. vel seq.

qq *Erkenfridus Comes Advocatus Episcopi*,) Penes hos Advocatos summa erat judiciorum capitalium extra urbem potestas & Episcopi Tr. per Advocatos suæ Ecclesiæ possessiones defendebant ac conservabant: Nominantur seqq. temporibus Folbertus Advocatus Episcopi Baldrici anno 943. Wiggerus Com. Advocatus Adelboldi anno 1018. Luso Advocatus Bernulphi anno 1050. Gerolfus Episcopi Wilhelmi anno 1069. Wilhelmus legitimus Advocatus Burchardi anno C 1108, & plures alii. Erant & Advocati Episcopi in Zallant anno 1225. vide quæ Freherus in Orig. Palat. par-

lat. parte prima c.xi. de Advocatiâ Trevirensi. Plurima passim in mediæ ætat. scriptoribus mentio ejusmodi Advocatorum, quorum plerumque munus ad fundatores, vel principes, aut eorum vicarios pertinebat; Sic quoque Comes Holl. Egmundanæ Ecclesiæ Advocatiam ad se spectare dicebat, quod supremus dominus essent, & majores ipsius illam fundasse dicerentur. In notis ad Capitula Car. Magni & Lud. *Post. conf. Stiliconis inducta est advocatorum defensio per causis Ecclesiæ*, ex Canon. 79. Afric. Synodi.

rr *Et Benthem,*) Nihil in præcedentibus de Benthem, de Thiele verò & Thule quæ sequuntur mera deliria sunt: quis enim unquam Thielam ad Wahalim oppidum antiquorum Thulen esse somniavit?

ſſ *Et Claudian: Te quolibet ire, sequemur,*] Hæc in MSS. addita inveni: neque tamen quid ille versus, diu in Claudiano quisitus, ad rem faciat video, nisi quædam de Thule addantur; & magis faceret, si quicquam Thule ad nostrum Thiele,

Claud. libro de bello Getico;

——Et nostro procul orbe remotam
Insolito belli tremefecit murmure Thulen.

Verùm hæc; ut quidem opinor magis adversantur, quam juvant, ut & allegata ex Melâ, nam si opposita Insulâ Belgarum oris; ergo diversa à Belgio, neque in eo. Quamvis alii, & melius, ut arbitror, *Bergarum oris oppositam*, legendum censuerunt.

tt *Wiro,*) Hujus meminit Molanus in Ind. SS. Belg. ubi tradit eundem in Scotia Episcopum cum Plechelmo Romam pro consecratione profectum, ac inde ad Pipinum venisse Francorum Ducem, qui eis dedit locum habitationis in Petri monte, nunc S. Odiliæ prope Ruremundam, & ibidem Wironem sepultum, ac postmodum corpus ejus Trajectum translatum, ibidemque nonnulla opinione sanctitatis cultum. Cratepolius, Pipinum eo usum fuisse à secretis confessionibus, addit. Surius Tom. 3. 8. Maji ejus vitam habet; quo tempore & ejus memoria celebratur in additionibus ad Usuardum; nec indictum reliquit Wironem Trith. de illustribus viris sui Ord. lib. 3. Heda Deirorum Episcopum facit; est autem Deira provincia Nordanhumbrorum, teste Camdeno, qui in Britanniâ sua, ubi agit de Brigantibus. *Saxones (inquit) Nordanhumbr. regnum in duas partes diviserunt. Deiram scilicet, & Berniciam, quæ partes quanquam suos reges aliquandiu habuerunt; tandem tamen in unum regnum coaluerunt*, vide Malmesburiensem de gestis Regum Anglor. lib. 1. cap. 3. Polidorum Angl. hist. lib. 4. de *Sexto* Anglor. regno.

uu *Plechelmus Episcopus Massæ Candidæ,*) Beda ad finem lib. v. hist. Gentis Anglor. vocat Plechelmum Episcopum Candidæ Casæ, vide Wilhelmum Malmesbur. lib. 3. de Pontificibus Angliæ, ubi agit de Episcopis Casæ Candidæ ex professo. Hunc Wironis socium in Oldenzale quiescere, & inter primos Ruremundensis Ecclesiæ patronos haberi tradunt Molanus & Cratepolius.

De Eobano sive Cobano vide quæ notavi ad Becani Chron. quibus junge Serrar. 45. Not. ad vitam Bonifacii de Willeico supra quoque dixi. Gerardus & Theodoricus mihi ex hoc tantum loco noti.

xx *Boso. Presb.*] Molanus Diaconum vocat, Beka Levitam. Fuit verò inter socios Bonifacii, qui cum ipso in Frisiâ ap. Dockum occisi, cujus tamen nulla in Usuardi martyrologio mentio.

yy *Othgerus Levita.*] Hic cum Wirone & Plechelmo ex Angl. in Belgium venit. Vide Molanum in Indiculo; & Addition. ad Usuardum ix. Septemb. Cratepolium de SS. Germaniæ, qui eum juxta Ruremundam in Ecclesia montis S. Petri sepultum tradit.

zz *Gregorius & Albricus ad Colon. Agrip. &c.*] Et hoc inter somnia Hedæ referri potest; quis enim unquam tale quid vel fando audivit: nisi fortè suffraganeos Colon. Præsulis eos fuisse post Bonifacium, innuere illum voluisse dixeris: & sic omnes Trajectenses Episcopos ad Fredericum Ultimum usque eo in numero referre debuisset.

Bonifacius Episcopus II.

Winfridus, qui & Bonifacius, item natione Anglus, vel secundum alios Scotus, nobilibus quoque ortus natalibus, accessit sanctum Willibrordum, vir omni sanctitate & scientiâ adornatus, clarus doctrinâ & eloquio; divinâ admonitus aspiratione, ut Germaniæ fines adiret, Francorum gentem diversis errorum laqueis adhuc irretitam nobiliter instruxit, & hæreses constanter extirpavit, Euangelico dogmate adeo præcipuus, ut Apostolis ipsum coæquares. Postquam autem annis XIII. cum Willebrordo esset conversatus, demum ad regimen Trajectensis Ecclesiæ assumitur ab eodem, & famâ virtutum suarum undique crebescente, anno DCCXVII. (a) à Gregorio II. Pontifice Maximo accersitus

accersitus Romam præficitur universę Germaniæ prædicator, ordinatus Episcopus, imposito sibi nomine Bonifacii, Archiepiscopali posteà exaltatus est dignitate. Maguntiacam Ecclesiam regendam suscepit, destituto * Gervilione Episcopo, eo quod hominem patris sui occisorem interfecit, & cum canibus venationibus citra Episcopi gravitatem intenderet, in ejus locum a Carlomanno & Pipino surrogatus, quamvis alii dicunt ipsum mortuo Romano Maguntiatensi Episcopo à Karolo Principe datum successorem. Ubi inter homines constitutus, Angelicam nihilominus vitam exercuit. Hic per authoritatem Zachariæ Papæ, Pipinum Regem Francorum more electum, in regium solium sublimatum inunxit in civitate Suessionum; Construxit & Monasterium ad flumen Fuldam in solitudine Buchoniæ cùm jam erexisset duos Episcopatus in Diœcesi Moguntinâ, Wertzburgensem & Eystatensem. Evindicavit (b) & Trajectensem ecclesiam ab omni servitute, qua Hilgerus Coloniæ Agrippinæ Episcopus illam sibi ex donatione Dagoberti teneri jactabat. Consuevit & Monasteria & loca Deo sacrata infatigabilis visitare & aut in sancto proposito confortare aut reformare in melius: Unde legitur, quod ipse ac sanctus Willebrordus nedum terminos suæ Diœcesis peragrabant, sed & alia loca sacra frequentabant, præcipuè locum dictum Eka, (c) juris Leodiensis Ecclesiæ, ubi Monasterium in proprietate nobilis viri Adelardi & Germeræ conjugis suæ sacris & religiosis virginibus dedicatum, in quo Dominus in eorum adventum plurima miracula facere dignatus est. Accivit & ex Britanniâ tam viros, quàm mulieres religione & variâ scientiâ fulcitos, ad cooperandum sibi, quos tanquam morum magistros diversis in locis præfecit, inter quos erat Diva Walburgis. Tandem a Carolo Principe (qui primùm Radbodum, & demum Poponem Reges Frisiæ bello delevit Frisiam sibi subjugans) & à Pipino Rege maximis privilegiis & donationibus in utilitatem ecclesiæ Trajectensis est honoratus confirmatis etiam donationibus per Reges & prædecessores suos obtentis. Primum Eobano Chori-Episcopo, ac demum beato Gregorio successori suo curam diœcesis Trajectensis, ecclesiam verò Moguntiacensem Lullo committens. Cùm jam Francos, Thuringos, Hessos, Saxones, Boructuarios, & plerosque alios populos Christo acquisivisset: novissimè transiens ad Frisios, ex quibus etiam multos subjugavit fidei, cum sociis quinquaginta duobus apud vicum (e) Dockingem in (f) Ostrachiâ Martyrio coronatur. Passus est cum aliis Nonis Iunii anno D cc lij. secundum alios D cc lij. secundum alios D cc lv. anno Episcopatus sui XVI. anno quinto regni Pipini. Corpus ejus & aliquot sociorum Trajectum devecta, partim illic sepulta, & demum translata ad Fuldam Monasterium. Ex passis fuêre viri religiosi, Presbyteri, Diaconi, atque Monachi, sed clariores inter eos fuêre Eobanus Episcopus, & Adalarius sacerdos, qui primitus juxta aliquos apud Trajectum honorabilem meruerunt sepulturam cum aliis in cryptâ ecclesiæ sancti Salvatoris. Sed & ipsi quoque succedentibus annis translati Fuldam juxta corpus ipsius ductoris quiescunt. Scripsit & (g) plurima opuscula, ex quibus adhuc ista ferunt extare, Epistolarum librum unum ad diversos, vitam quorundam sanctorum librum unum, & aliquot sermones. Mors ista haud mansit inulta: nam concito furore paulo pòst pro prædâ dividendâ, digladiantes sese mutuis vulneribus interemêre. At Christiani pro vindictâ in superstites carnifices irruerunt, quotquot deprehendebant internecioni tradentes. Hic Bonifacius (h) teste Hucbaldo monacho Elnonensi, (qui tempore Caroli Calvi claruit) Monasteria (i) monachorum & virginum primus in Austrasiæ partibus construxit. Hactenus hoc est temporibus duorum Episcoporum Willibrordi & Bonifacii Ecclesia Trajectensis, licet nova & tenella quodammodo esset plantatio, Metropoliticâ fulgebat dignitate, sed continuis hostium incursionibus attrita, solitâ auctoritate carere, & declinare cœpit: & ecclesiæ Coloniensi utputa florenti, & in felicitate constitutæ paulatim cedere; universâ Diœcesi per Saxones & Frisios Orientales, Duce (k) Widikindo, & posteà per Danos & Normannos afflictâ, & in solitudinem redactâ, ita ut Ecclesia ipsa Episcopum suum ammodò alere nequiret, nec onera aut impensa sufferre, præpediente egestate, nec ad sedem Apostolicam pro munere Archiepiscopalis benedictionis de cætero recurrere: Imo uti Abbatibus, per Archiepiscopum Coloniensem impendebatur consecratio: cessavit & mitræ usus, usque ad tempora Godebaldi Episcopi (l).

al. Gervilio. Gervilio Episcopus Moguntinus depositus.

Fulda condita à Bonifacio.

Eka locus monasterio virginum celebris.

Bonifacius ex Anglia viros pios atque feminas evocavit.

Martyrium S. Bonifacii in Dockinga.

Scripta S. Bonifacii.

Declinatio sedis Ultrajectinæ ob Saxones, Frisios, Danos & Normannos, hostiliter in eam grassantes.

Regale

Regale præceptum Pippini ſub Bonifacio de rebus Eccleſiæ Sancti Martini.

Pippin. confirmat priorum Regum donationes & immunitates Eccleſiæ Trajectenſi factas.

Pippinus Rex Francorum. Notum ſit omnibus agentibus noſtris, tam præſentibus, quàm & futuris: Principali quidem clementiæ cunctos decet accommodare aurem benignam, præcipuè quando per compendium animarum à præcedentibus Regibus & Principibus parentibus noſtris ad loca Eccleſiarum probamus eſſe indulta, devotâ debemus mente perpendere, & congrua beneficia, ut mereamur ad mercedem eſſe participes, non negare, ſed robuſtiſſimo jure noſtris oraculis confirmare. Igitur Apoſtolicus vir, & in Chriſto pater Bonifacius urbis Trajectenſis Epiſcopus Regiæ noſtræ clementiæ ſuggeſſit, eo, quod anteceſſores noſtri, vel parentes, Clotharius quondam Rex, & Theodebertus quondam per authoritates eorum manu ſubſcriptas, de villis Eccleſiæ S. Martini quas ad præſens poſſidebat, vel de eo quod à Deo timentibus hominibus ibidem in antea delegaretur, integra & imminuta conceſſiſſent, ut nullus Judex publicus ad cauſas audiendum, vel freda exigendum, nec manſiones vel paratas faciendum, nec fidejuſſores tollendum, nec homines ipſius Eccleſiæ de qualibet causâ diſtringendum, nec ulla redhibitione requirendum, ingredi ibidem non debeant; unde & ipſas præceptiones jam dictorum Principum, ſeu & confirmationes illorum Regum, eorum manibus, roboratas antedictus Pontifex Bonifacius nobis oſtendit relegendas, & ipſum beneficium circa eandem Eccleſiam S. Martini, ſicut à ſupradictis Principibus fuit indultum moderno tempore aſſerit eſſe conſervatum. Sed pro firmitatis ſtudio petiit celſitudinem noſtram ut hoc denuò circa eandem ſupra memoratam S. Martini Eccleſiam noſtra debuerit authoritas generaliter confirmare. Cujus petitionem pro reverentiâ ipſius ſancti loci, ut mereamur ad mercedem ſociari, pleniſſimam voluntatem viſi ſumus præſtitiſſe, vel in omnibus confirmare, cognoſcite. Præcipientes ergo jubemus, ut ſicut conſtat ab antedictis Principibus de villis præfatæ Eccleſiæ D. Martini integrã immunitatem abſq; introitu Judicũ fuiſſe conceſſum; ita ut in antea auxiliante Domino, inſpectæ priorũ Principũ authoritates omnimodo conſerventur, & neq; vos, neq; juniores ſucceſſoreſq; veſtri, vel ullus quilibet de Judiciariâ poteſtate in villas ãtedictæ Eccleſiæ, quas moderno tẽpore ubicunq; in regno noſtro noſcũtur poſſidere

 vel in

in antea à Deum timentibus hominibus ibidem fuerint collatæ aut collaturæ, tam de ingenuis, quàm de servientibus, vel de qualibet natiolene hominum in prædictis ipsius Ecclesiæ villis commanentibus, quod legitimè ad ipsum Episcopatum vel ipsam Ecclesiam S. Martini legitimo redibit initio, nec ad causas audiendum, nec freda exigendum, nec fidejussores tollendum, nec mansiones aut paratas faciendum, nec homines ipsius Ecclesiæ de qualibet causâ distringendum, nec ullâ redhibitione requirendum ingredi non præsumatis, sed sicut ipsâ beneficia ab jam dictis Principibus ad supra nominatam Ecclesiam fuerunt indulta, & usque nunc conservata, ita & deinceps conserventur, & qualiscunque superflua super hanc nostram authoritatem, generali confirmatione in Dei nomine perenniter maneant inconvulsa, & quicquid exinde Fiscus noster poterat sperare in luminaribus Ecclesiæ in perpetuum proficiat in augmentis, & ut hæc authoritas tam præsentibus quàm & futuris temporibus, Deo adjutore, possit constare, subter eam manu propriâ decrevimus roborare. Signum gloriosi Pipini Regis Francorum, Wineramus recognovi.

Confirmatio Pipini sub Bonifacio Episcopo.

PIpinus Rex Francorum vir illuster, si petitionibus sacerdotum in omnibus non negamus, Dominum exinde retributorem habere confidimus: Ideoq; venerabilis vir Bonifacius Archiepiscopus nobis expetiit, ut confirmationem de rebus Ecclesiæ suæ S. Martini, quæ est extructa in vico, qui dicitur Trajecto, super fluvium Rheni, ea quæ Pipinus donavit S. Martino, seu Karolus vel Karolomannus, renovare vellemus. Ideoq; quicquid Pipinus Rex Francorum ad casam Dei concessit, vel ad illum Episcopatum, ut omnem decimam de terris seu de mancipiis, aut de teloneis, vel de negotiis, aut undecunque à partibus Fisci census spectare videbatur, sicut diximus, omnem decimam partem ad ipsam casam Dei S. Martini, in qua D. Bonifacium Archiepiscopum custodem præesse concessimus & confirmamus, in luminaribus seu in stipendiis Monachorum vel Canonicorum, qui ibidem gentiles ad Christianitatem convertunt, & Domini misericordiâ ipsos, quos habent conversos docent, juxta quod alii Christiani, eorum Christianitatem conservant, & eorum præceptionibus contineri,

t Ecclesia S. Martini sacra casa Dei & Bonifacius ejus custos.

neri videtur, qua antecessores nostri sæpe dicti Pippinus & Karolus Karolomannus ad ipsam casam Dei per eorum instrumenta condonaverunt justè & rationabiliter nos per nostram confirmationem, ei gratanti animo concessimus vel confirmavimus. Cognoscite; Et ut hæc authoritas confirmationis nostræ firmior habeatur, & per tempora melius conservetur manus nostræ signaculis subter eam decrevimus roborare. Signum Pippini gloriosi Regis Francorum. Widmarus jussus recognovi & subscripsi. Datum quod fecit mense Majo, die 23. anno secundo Regni ipsius gloriosi Regis. Actum Virmeria palatio publico in Dei nomine feliciter. *Virmeria palatium publicum in Francia.*

a *Anno DCCXVII. à Gregorio II.*] Vide exactam annorum Bonifacii Chronologiam apud Serrarium Rer. Moguntiacarum lib. 3. ad vitam Bonifacii Not. 54. ubi intricatam hanc materiam enodare distinctionibus episcopatuum, certæ & incertæ sedis conatur. Certè vivente adhuc Wilibrodo coadjutor (ut vocant) ipsi fuit, qui anno demum 736. obiisse creditur. Adi notas meas ad Bekam.

b *Evindicavit & Trajectensem Ecclesiam,*] Conatus quidem fuit, si ea, quæ apud Bekam legimus, vera sunt, sed quid prestiterit eventus docuit, nam successores longo tempore nec pedo ne Infulis sacris, ut paulo post traditum usi sunt; quod anno demum 1119. ipsis concessum, vel restitutum fuit. Quin Zacharias papa Trajectum cum aliis Moguntino subjecit, curante Bonifacio, vide ejus. epist. & Miræi not. Eccl. Belg. pa. 28. Unde liquere potest primos olim antistetes, quamdiu Christo magis quàm mundo studebant, parum de titulis istis solicitos fuisse; utpote qui regnum cæleste, non mundanam hoc anhelarent ex Domini sententiâ dicentis, *Regnum meum non est de hoc mundo.*

c *Ekajuris Leodiensis Ecclesiæ;*] Alden Eyck hodiè dictus hic locus putatur, cujus & seq. diplomata aliquoties meminerunt.

d *Boructuarios*] Qui fuerint populi Boructuarii, vide ap. Freherum in originib. Palatinis, lib. 2. cap. 7. ubi eos facit Bructerorum veterum posteros. Birckhemerus Busacteros quoque Bructeros, esse putat, sed eos Trans-Isulanis & Frisiis annumerat in suâ descript. Germ. Adde quæ tradit Cluverius in Germaniâ antiquâ lib. 3. cap. 13. & Pontanus Origenum Francicar. lib. 1. c. 9. ac Gorop Becanæ lib. 2. Francicor. nec non Molanus in Suitberto.

e *Apud vicum Dockingen,*] Emmius Dockomum ubique vocat, & ab hoc primum tempore notum vult. in rep. Frisior; & lib. 4. rer. Frisicarum, villam vel vicum ait vocasse ejus temporis scriptores, qui paulatim monasterio ibidem constructo in oppidum accrevit.

f *In Ostrachia,*] In vitâ Ludgeri, putatur esse pagus, qui hodie Ackerwolde dicitur, non procul à Dockumo. Sed ergo denotari illo verbo tractum illum puto, qui Ostergoe dicitur, in quo oppidum Dockomium etiam hodie situm. Nam Frisia hæc in tres dividitur partes. Oostergoa, Westergoa & Silvestres, qui vulgo Sevenwoldi dicuntur.

g *Scripsit & plurima opuscula,*] Extant hodie epistolæ ejus editæ, ac vita insuper S. Livini ab ipso conscripta. Plura recenset Serrarius in Moguntiacis lib. 3. not. 48. Balæus inter scriptores Britannos ponit, & plures ejus indicat libros.

h *Teste Hucbaldo Monacho Elnonensi.*] Hujus mem. Abbas Spanheimens. libro de scriptoribus Eccles. qui eum vixisse tradit anno 880. & scripsisse vitas multorum sanctorum ornato eloquio; Gesta etiam S. Lebuini, & carmen facetum de laude Caluorum ad Carolum Calvum Imp.

i *Monasteria Monachorum & Virginum primus in Austras. &c.*) Hoc an verum sit inquirendum relinquo iis, qui toti sese monasticis istis Antiquitatibus investigandis dedere ac curiosum lectorem amando ad Serrarium, qui diligentissimè collegit omnia, quæ circa hunc Winfridum occurrere possunt; ejus vide notat. 24. de vitâ Bonifacii lib. 3. rer. Moguntiacarum.

k *Duce Widikindo,*) Hujus nomen circa annum C. 774. primum innotuit. Filius fuit Wernechini, nepos Diethérici, ut Fabricius de Rebus Saxonicis, lib. 1. Annales rer. Franc. à Karolo gestar. anno 777. ejus meminerunt, anno vero 785. ad fidem Christi pervenisse eisdem traditur. Vide histor. Frisicam Ubb. Emmii lib. 4. Nicol. Reusnerum in Geneal. Principum à magno, Widekingo Saxonum Principe descendentium.

l *Ad tempora Godebaldi,*) Ad tempora usque Godefridi infulâ caruisse vel saltem usos non fuisse Episcopos, Sigilla quæ vidi probant.

m *Pipinus Rex Francorum, notum &c.* Hoc diploma admodum corruptum legitur cujus formula de verbo ferè extat apud Marculfum lib. 1. num. 4. Vide & notas ad eundem auctorem.

n *Theobertus.*] Puto eum innuere Theodebertum filium Theodorici fratris Clotarii Regis Austrasiæ; Gerbrandus Dagobertum vocat.

o *Actum Virmeria Palatio publ.*] Anno 752. qui fuit secundus Regni Pipino.

Gregorius Episcopus III.

Gregorius natione Francus gente Trevir.

BOnifacio itaque Martyrii palmam adepto, Gregorius successit natione Francus, gente Trevir, alto procreatus sanguine, licet quidam eum in Britanniâ oriundum ex illis, quos Bonifacius evocaverat in adjutorium prædicandi verbum Dei affirment. Hic peracto ætatis anno decimo quinto, jam è ludo literario, cui eousque operam dederat, itemque ab aulicis pompis, in quibus versabatur, relaxatus, ex casu aviam suam (a) Adulam nomine, quæ Monasterio sanctarum virginum haud longè ab urbe Treverica ad Mosellæ fluminis ripam, Abbatissa, uti ajunt, præerat, salutandi causa accedens aliquantulum apud illam detinebatur, cum Bonifacius vir Dei iter suum illac faciens, uti peregrinus exciperetur hospitio, parataque mensa, quæsito lectore, qui inter prandendum sacram recitaret scripturam, solus Gregorius adolescens oblatus est, qui porrecto libro legeret, Interrogatus ergo ab Episcopo an intelligeret, quæ legerat juvenili suffusus rubore, respondit confidenter Præsuli, se nescire. Ille verò sensum exponens, aures juvenis usque adeò demulsit attentas, & præcordia ejus inflammavit, ut relictâ patriâ posthabitis parentibus, illicò peregrinum sequeretur antistitem in tanto fervore sacris literis & lectionibus sedulò insudans, ut brevi in talem virum evaserit, quem ipse Bonifacius adhuc vivens dignum in administratione Trajectensis ecclesiæ deligeret successorem. Censetur itaque hic vir in doctrinâ multum fuisse præcellens, & in vitâ ac morte claruisse miraculis. De quo idem Hucbaldus ita scribit: *Fuit ex nobili Francorum sanguine procreatus, à beato Bonifacio olim in pueritiâ enutritus, gradu Ecclesiastico Presbyter, pro tempore primum Episcopalis officii in Trajecto Castro, anteà Wiltenburgh, vel etiam parochiâ vicarius literarum scientiâ pollens. Rhetor atque orator insignis, & qui sacram Scripturam & vitam Sanctorum contexere solitus est.* Hic direxit (b) Lebuinum cum beato Marcellino ad gentes incolentes oras Isulæ flu. in confinio regni Francorum & Saxonum, Lebuinus autem obiit pridie Idus Novembris, anno salutis D cc lxvi. Ad hujus etiam Gregorii jussa idem (c) Marcellinus conscripsit vitam Suitberti Episcopi plenus dierum: nam supra ætatem centum annorum vixit, & lxxii. in seminando verbum Dei perseverans apud Aldensalam, obiit circa annum D cc lxii. translatus Daventriam. Instituit iste Gregorius Lutgerum à puero posteà Minimigardensis, sive Monasteriensis Ecclesiæ primum Episcopum, quem in Ecclesiâ Trajectensi Deo tyronem obtulerat, (d) inde Alcvino, tunc Eboracensi, & demum Turonensi Archiepiscopo commendaverat erudiendum. (e) Hic Lutgerus jussu Albrici consanguinei & successoris Gregorii apud Daventriam corpus Lebuini elevavit, & Basilicam fundavit ibidem, decessit tandem post multa sancta opera anno D ccc ix. postquam canonisationem S. Suitberti per Leonem tertium præsente Carolo Magno factam in scriptis redegisset ad petitionem Rixfridi septimi Trajectensis Episcopi, quæ facta fuit prid. Nonas Septembris, anno D ccc tertio. Sepultus est autem Lutgerus in Monasterio à se fundato in Verthena. Gregorius verò in tantùm, dicitur detestatus divitias, ut dulce venenum & præparationem ad interitum eas appellaret, in erogandis eleemosynis largissimus. Tandem lxx. ætatis suæ anno gravatus paralysi, & continuo triennio per summam patientiam illâ haustus, instante jam resolutione suâ, per triduum mortem suam antè prædixit, & ad altare ductus sumptâ Eucharistiâ statim expiravit viii. Kalend. Septembr. sepultus in Ecclesiâ sancti Salvatoris Trajecti, cùm sedisset annis xxii. connumeratus cathalogo Sanctorum. In annalibus (f) tamen Leodiensis Ecclesiæ habetur, quod sepultus sit in Ecclesiâ Susterensi, ejusdem Diœceseos sacris virginibus dedicata; ubi & S. Wastradis mater ejusdem Gregorii requiescit, cujus festum celebratur xii. Kalend. Augusti: Gregorii verò x. die Octobris, & sancti Albrici successoris Gregorii, qui ibidem humatus est xviii. Kalend. Decemb. Quem locum (g) Zuentiboldus Rex successu temporis sumptuosè ampliavit & dotavit, & occisus sepelitur ibidem, reputatus Martyr, cujus memoria celebratur Idib. Augusti: ubi & parva vestis pueri Iesu haberi dicitur. Quiescunt & aliorum sanctorum virorum & fœminarum corpora, quæ processu temporis ele-

à Bonifacio juvenis instituitur. Succedit Bonifacio.

Lebuinum & Marcellinum mittit ad Transisulanos.

Instituit S. Lutgerum Monasteriensis ecclesiæ Episcopum.

Gregorius detestatur divitias.

Moritur & sepelitur, & sanctis adscribitur.

Ecclesia Susterensis clara sanctorum sepulchris.

ris elevata sunt, de terrâ, sub diversis Episcopis Leodiensibus, & in sarcophagis & feretris deauratis decenter collocata. Gregorius enim atque Albricus consueverant se ad dictum locum ob religionem & sanctimoniam incolentium, crebro devotionis causâ transferre, ubi & continuis fulgent miraculis. Claruit Gregorius sub Carolô, qui ob egregia facinora cognominatus est Magnus, à quo obtinuit confirmari omnes donationes & libertates à prædecessoribus ejus Ecclesiæ Trajectensi concessis. Valuit etiam nedum sanctitate vitæ & miraculis, sed & spiritu prophetico, cum Albricum sibi successurum prædiceret, & alia quamplurima.

Confirmatio Caroli sub Gregorio.

Karolus Dei gratiâ Rex Francorum, vir Illuster. Si petitionibus sacerdotum in omnibus non negamus, Dominum exinde retributorem habere confidimus: Ideoque venerabilis vir Gregorius Episcopus confirmationem bonæ memoriæ Domini genitoris nostri Pippini, quondam Regis, de rebus Ecclesiæ suæ S. Martini, quæ est constructa in vico Trajecto, super fluvium Rheni, nobis protulit relegendam de rebus quas antecessores nostri Pippinus anterior, seu Karolus vel Karolomannus. Itemque & præfatus genitor noster ad ipsam casam Dei concesserunt, vel ad illum Episcopatum, ut omnem decimam de terris, seu de mancipiis, aut de teloneis, vel de negociis, aut undecunque ad partes Fisci census spectare videbatur, sicut diximus omnem decimam partem ad ipsam casam Dei S. Martini condonaverunt, vel confirmaverunt, ut in luminariis seu stipendiis Monachorum atque Canonicorum, qui ibidem gentiles ad Christianitatem convertunt: & Domini misericordiâ ipsos conversos, quos habent, doceant, juxta quod Christiani eorum Christianitatem conservant. Unde & præfatus Gregorius nobis expetiit, ut ipsam confirmationem renovare deberemus, quod & libenti animo visi fuimus fecisse. Propterea per hanc præceptionem nostram decernimus atque jubemus, ut quicquid antecessores nostri sæpe dicti ad ipsam casam Dei per eorũ testamenta condonaverunt justè & rationabiliter, per nostrã denuò confirmationem absque alicujus contradictionibus memoratus Pontifex Gregorius ad ipsam casam Dei habeat indultum atque concessum. Et ut hæc authoritas confirmationis nostræ firmior habeatur, vel per tempora melius conservetur, manus nostræ signaculis subtus eam decrevimus roborare. Signum Karoli gloriosissimi Regis. Data Kalend. Martii. Actum Aquis. palatio publico.

Trajectum Vicus ad Rhenum.

Carolus confirmat donationes suorum antecessorum.

Hunc Molanus in Indiculo SS. Belgii retulit, & vitam ejus haberi descriptam à S. Ludgero Monast. Episcopo dicit. Surius quoque habet Tomo.2. 26. Martii. Sed in Usuardo aut addit: non habetur ejus memoria Cratepolius, de SS. Germ. ex diœcesi Trajectensi honestâ natum familiâ dicit, & eum Bonifacio socium facit, cum in Frisiam proficisceretur; in quo fallitur. Nam Othilo, & Willibaldus tradunt omnes cum eo socios occisos fuisse: nec in Trajectensi diœcesi ortum puto.

a *Aviam suam Adulam,*] Vide Serrar. Rer. Mogunt. lib. 3. not. 12. pag. 457. ubi ex Ludgero hæc omnia satis prolixè narrat. *De Suiberto,* præter ea, quæ habes ex Marcellino, quædam traduntur à Bedâ in historiâ Eccl. Angl. Molano, Cratepolio, Serrario & ad Usuardû annotatis. Hic à Leone 3. papa inter cælites relatus, ut refert Ludgerus libello singulari, qui apud me MS. non autem ab Honorio ut quidam volunt.

b *Hic direxit Lebuinum,*] Unus is ex & sociis Willibrordi, qui si ad annum 766. pervenit, non multum etiam à centenario abfuit, de quo in notis ad Becam plura dixi.

c *Marcellinus conscripsit vitam Suitberti,*) Hæc à Surio edita & Monasterii in Saxoniâ non ita nuper: sed adeò corrupta & interpolata, ut nullius pretii apud complures patriæ nostræ antiquitatis non ignaros habeatur, ita quod satis mirari non possim illud scriptû tanti etiamnum à doctis. quibusdam fieri.

d *Inde Alcvino tunc Eborabensi & demum Turonensi Archiepiscopo,*) Alcuinum fuisse Eboracensem Archiepiscopum non invenio, neque Malmesburiensis eum inter Archiepiscopos agnoscit, neque fasti Regum & Episcoporum Angliæ; neque Turonensibus præfuisse arbitror. Ipse Alcuinus teste Malmesburiens. de Regibus Angl. lib. 1. pa. 24. præceptorem habuit Egbertum Archiep. Eboracensem virum doctissimum; & ad pacem faciendam in Franciam missus ad Carolum, ibi resedit, ac eundem regem in Dialecticâ & Rhetoricâ instruxit, post Adelmum & Bedam Anglorum omnium doctissimus, idem eundem Monasterii D. Martini à Car. Prælatum esse factum dicit, non tamen Episcopum; nec du *du Chesne* Turonensis hist. eum inter Episcopus, sed Prælatos tantum refert, lib. 1. c. 122. de Turonens. Veluti & Balæus in vita ipsius, qui, Abbatem primum in Angliâ, inde apud Turones, fuisse tradit, quem vide Cent. Script. Anglican. 2. nu. 17. ubi tituli multorum libr. ab eodem conscriptorum, recensentur; atque insuper Abbatem Spanhemensem de Script. Ecclesiasticis qui eum anno 770. claruisse addit; nec indictum omittunt Francici scriptores; ut Eginhartus in vitâ Karoli magni, Annales Franc. à Pithœo editi ad annum 794. Fragmentum Odoranni Monachi, ubi anno 803. obiisse dicitur S. Martini Abba. Paul. Æmyl. in vita Car. M. lib. 3. Masson. lib. 2. Annal. pa. 105. Gaguinus lib. 4. Compendii de reb. gestis Francor. & alii. Nec Anglici scriptores ejus obliti sunt, quorum nomina, ne longior sim addere supersedeo. Quin & Bellarminus eundem inter Scriptores Ecclesiasticos collocat septimi sæculi.

e *Hic Lutgerus jussu Albrici,*) Hunc natione Frisium, ac Monasteriensem Episcopum, apud Kepsers Weerd sepultum in Indiculo SS. Belgii tradit Molanus, ejusque elevationis historiam à Werdenfibus Cœnobitis conscriptam ap. Surium extare addit. Vide Cratepolium de SS. Germ. Episcopis, Crantz, Sax. lib. 2. c. 16. Metropol. lib. 1. cap. 3. ubi in monasterio Werdenâ ad Ruram sepultum eum vult anno C 809.

f *In Annal. Leodiens.* Inveni ad hunc locum, nescio an ex notis. Nob. V. Theod. Renessii translata hæc verba. *Liquido constat ex elevatione corporis factâ anno 1331. 17. Aug. eum sepultum ad S. Salvatorem.* Ejus verò sepulcrum conspiciebatur ante templi demolitionem, à boreali parte juxta gradus, quibus ad chorum ascendebatur juxta altare SS. Cornelii & Gregorii PP. Reliquiæ autem ejus tunc fuerunt positæ in capsulâ ligneâ in choro juxta summum altare, idque confirmatur ex perlustratione reliquiarum, quæ in capsulis reconditæ erant, quam anno D. 1597. 4. Iunii fecit Decanus Montisima, memoriæ quoque nostræ & anniversf. indicant Gregor. & successorem in Salvat. Ecclesiâ sepultos.

g *Zuentiboldus,*] Is Arnulphi Imp. ex Nobili virgine filius extra matrimonium natus, quem Lotharingiæ regem fecit, de quo vide notas ad Bekam; hunc verò jam supra dixi inter cœlites relatum ab iis, quos largis donationibus ditaverat. Sic Carolus cognomento magnus, & ante eum Constantinus, Pipinus pater Gertrudis & Beggę & Ludovicus cognomento Sanctus, suâ liberalitate cœlum opinione hominum meruerunt: nomen illud variè scribitur. Zuentibdthus, Zuentibaldus, Zenebaldus, Zundibolchus. Zundebaldus. Kindiboldus. Zuendebaldus. Gundeboldus Suentebaldus Znentibald. Suatebogus, Vendaldus Æmylio.

Albricus Episcopus IV.

ALbricus sive Albertus, secundum Hucboldum defuncti Gregorii, sed secundum Rixfridum Episcopum, sancti Suitberti consanguineus, natione Anglicus ex Eboraco orindus, dignitatem Trajectensis suscepit cathedræ quartus post Willebrordam Episcopum Gregorii successor, & (a) successu temporis civitatis Coloniæ Episcopus, Trajectensem nihilominus regens Ecclesiam. Hic sanctum Lutgerum posteà Minimigardensem Episco-

Episcopum, ordinans Presbyterum (b) ad partes Frisiæ dirigens, ut prædicaret verbum Euangelicum in pago * Astrago, ubi sanctus Bonifacius passus, est qui septem annis illic permansit, quousque insurrexissent radix sceleris Windecundus Dux Saxonum, avertens Frisones à fide acceptâ, devastans Ecclesias, trucidans famulos Dei, & cogens populum Dei sacrificare Idolis; quo tempore Albricus migravit ad Dominum. Qui usque ad revelationem corporis sancti Lebuini, cujus inquirendi onus Lutgero commisit, circa annum Salutis DCC lxxxvII. supervixisse creditur, cùm fuit vir prudens (c) & sapiens, & una cum Gregorio, (sicuti præmissum est) in ecclesiâ Sustercensi, Leodicensis Diœcesis, quiescit. Ioannes (d) Beka scribit ipsum sedisse annis x. obiisse xII. Kalend. Septemb. Anno DCClxxxIv. & sepultum Trajecti in ecclesiâ sancti Salvatoris. Hic obtinuit donari Ecclesiæ Trajectensi, à Carolo Magno totum riparicum super Leccam & insulam inter Rhenum & Leccam: nec non ripaticum super alveum Hemi, cum suis adjacentiis, insuper & villam patrimonii sui nuncupatam Lisiduna in pago Flehite super alveum Hemi cum omnibus pertinentiis, & quicquid Wigerus Comes ibidem in beneficium tenuit, etiam sylvas sive forestas in Fornchese, Mocoroht, & Widok, quæ sunt de utrâque parte Hemi. Et similiter Ecclesiam super Dorestatum constructam, dictam Ubkirica, cum centum perticis terrę circumjacentibus, & ripatico super Lockiam & insulam prope ipsam Ecclesiam ad partem Orientalem inter Rhenum & Lockiam, & insuper confirmationem omnium bonorum, & privilegiorum per Reges & prædecessores ipsius Regis Ecclesiæ concessorum sub data vII. Iunii, anno Regni sui vIII.

** Ostrago*

S. Lutgerus missus ab Albrico in Ostergoam Frisiæ, docet ibi septēniū.

Albrici mors & sepultura.

Prope Amersfordiam Lisiduna & saltus hic commemorati, ad Hemum fl. siti fl.

(e) Traditio Caroli de Lisiduna sub Albrico.

KArolus Dei gratia Rex Francorum & Longobardorum, ac Patricius Romanorum. Si enim ex his quæ divina pietas nobis largiri dignata est, locis venerabilibus concedimus: hoc nobis ad æternam beatitudinem procul dubio pertinere confidimus. Ideo compertum sit omni fidelium nostrorum magnitudini, qualiter donamus ad Basilicam S. Martini, quæ est constructa in Trajecto veteri subtus Dorestado, ubi venerabilis vir Albricus presbyter atque electus rector præesse videtur, hoc est, villam nostram nuncupante Lisiduna, in pago qui vocatur Flehite, super alveum Hemi, cum omni integritate vel adjacentiis seu appenditiis suis, id est, cum terris, mansis, domibus, ædificiis, mancipiis, sylvis, campis, pratis, pascuis, aquis, aquarumve decursibus, mobilibus & immobilibus, omnia, & ex omnibus quantumcunque Wiggerus Comes ibidem per nostrum beneficium tenuit etiam & forestas illas, quarum vocabula sunt, Hengestschote, Fornhese, Mokoroth, Widock, quæ sunt de ambabus partibus Hemi. Similiter donamus ad Basilicam S. Martini, Ecclesiam quæ est super Dorestad constructa, & vocatur (f) Ubkirika, de omniq; parte centum perticas terræ, ut omni tempore prædicta Basilica spaciū terræ centum perticas habere debeat, & cum eâ (g) ripaticum illum super Lockiam & insulam (h) illam prope ipsam Ecclesiam ad partem Orientalem inter Rhenum & Lockiam. Hæc verò omnia tradimus à die præsenti ad præsam

Basilica S. Martini in veteri Trajecto.

Viggerus Comes.

Ripaticum super Leckia portorium.

præsam

præfata sancta loca perpetualiter poßidendum. (i) *Ideo hanc præceptionem authoritatis nostræ scribere jußimus, ut ab hac die jam memeratus Albricus presbyter sive successores, qui fuerint rectores ejusdem sancti loci, prædicta loca ad opus jam dictæ Basilicæ habeant, teneant, gubernent, regant, atque disponant, & quicquid exinde ad profectum ipsius sancti loci facere elegerint, libero perfruantur arbitrio. Et nullus quilibet de Iudiciariâ potestate, aut qualibet persona prædicto Albrico presbytero, neque successoribus suis de jam dictis rebus inquietare aut contra rationis ordinem, vel calumniam generare quoquo tempore præsumant, sed per nostrum largitatis præceptum prædicta Basilica jure valeat obtinere firmißimo. Et ut hæc authoritas firmior habeatur, vel diuturnis temporibus conservetur, manu propriâ subter eam decrevimus roborare, & de annulo nostro jußimus sigillari. Signum Karoli gloriosißimi Regis. Data* VII. *Idus Iunii, Anno nono ejusdem gloriosißimi Regis. Actum Numaga palatio publico, in Dei nomine feliciter.*

Immunitas conceditur.

a *Successu temporis civitatis Colon. Episcopus,)* Unde hæc hauserit auctor ignoro; neque ullus Coloniensis Episcopus hoc tempore ejus nominis, invenitur, neque Bertius, neque Opmerius, neque Demochares aut alius, quod sciam, scriptor hoc tradit, & nostri scriptores omnino ignorant.

b *In pago Astrago,)* Puto leg. Oostergo, pagus enim integræ provinciæ tractus est, ut supra indicavi.

c *In Ecclesiâ Susterensi,)* Hoc ut jam dixi nemini probatur, sed omnes eum cum prædecessore Trajecti in S. Salvatoris æde tumulatum asserunt.

d *Ioannes Beka scribit ipsum sedisse annis x. &c.* Nihil horum in excuso. legitur, Neque in MSS. exemplaribus quos plures vidi antiquissimos, reperitur; immò Chron. magni Belg. scriptor, qui sua fere ex Bekâ sumpsit, cœpisse illum anno 779. & sedisse annis quatuor tradit.

e *Traditio Caroli de Lisiduna,)* Donatio hæc continet omnem tractum circa Hemum fluvium, ubi Emersfurt, Leusden usque ad Dorestadum, forestas quas Wilderrissen & Venen vocant, quæ prope Amerongen, Elst, Wageningen, Eede adhuc conspiciuntur; in quibus Episcopi Traject. aut eorum donatione Præpositus Sancti Iohannis maxime in Eede Wageningen & Weelchmourhoutius, decimas &c. habent. At hoc diploma nuper quidam impostor, ut magno alicui viro blandiretur, corrumpere & peruertere non dubitavit; & pro Lisiduna Lindinium reponere, qui locus est in Betuâ; quales sanè homines pestes sunt in antiquâ historiâ, & odio omnibus veritatis antiquæ amatoribus esse debent.

f *Vbkirika,)* id est superior ecclesiâ quæ supra Dorestatum erat, quem verò hisce verbis locum propriè designet, equidem ignoro.

g *Ripaticum illum super Leckium.)* Ripaticum esse quod pro conservandâ vel muniendâ ripâ debetur vectigal. putant.

h *Insulam illam,]* Signantur hic pagi, Doorne & Cothen, qui sunt inter alveum antiquum Rheni & Leccæ. Nam cum Rhenus olim à parte Orientali oppidi de Dorstad Trajectum versus inter villas Thorne, Wercunde, Odike & Vechte fluxerit, Lecca verò parvo tantum rivulo infra Dorstadium ad occasum perexerit, tanquam in insulâ omnes prædictas & adjacentes villas complexus est.

i *Ideo hanc præceptionem.]* Sic post, *nostrum largitatis præceptum* & in Formulis Marculfi lib. 1. præceptum denariale &c. Greg. Turon. lib. 9. hist. Aimon. lib. 5. cap. 36. *præceptum de confirmatione totius Abbatiæ de more principium fecit.*

Theotar-

Theotardus Episcopus V.

THEotardus, sive Theodardus natione Friso, quintus Episcopus successit Alberto, in Sacrâ Scripturâ eruditissimus Doctor, & excellens prædicator, qui tandem cùm præfuisset annis sex plenus dierum & bonorum operum migravit ad Dominum, sepultus & ipse in Ecclesiâ sancti Salvatoris. Hujus temporibus adhuc Widikendus Dux, Rex Saxonum, & Frisiorum Orientaliũ, qui circa annum DCCLXXXIII. contra Carolum rebellare cœperat occisis Frisiis, ab ipso Carolo subjugatur: sub quo & ipse Theiodardus claruit. *Theodardus Friso præest annis sex. Widekindus Rex Saxonum, & Frisiorum Orientaliũ.*

Harmokarus Episcopus VI.

HArmokarus, sive Erwachterus sextus Episcopus subsequitur; secundum quosdam natione Frisius, aliis asserentibus ipsum Anglicum ex Regno Northymbrano Eboracensis Diœcesis oriundum, prius Canonicus Trajectensis, vir doctus & religiosus, cùm sedisset aliquot annis, diem clausit extremum quinto Kal. Decemb. sepultus & ipse in Ecclesiâ S. Salvatoris. Claruit & iste sub Carolo Magno Imp. Alibi tamen legitur obiisse quinto Kalend. Septemb. & sedisse annos XXVII. aut potiùs XVII.

Horum meminit Chronicon M. Belgicum, sed paucis. Ut & Hamconius, qui suas tamen admiscet fabulas.

Rixfridus Episcopus VII.

RIxfridus item Frisius natione, septimus in ordine Episcopus, vir doctus & fervens in religione, cujus Epistola ad sanctum Lutgerum Monasteriensem Episcopum adhuc extat, quâ ipsum adhortatur, ut ordinem canonisationis Suitberti à Leone Papâ celebratum; literis perpetuaret. Ad annum DCCCXV. supervixisse comprobatur, quo tempore Stephanus (a) Papa descendens in Franciam, coronavit Ludovicum Pium, & Ermgerdam civitate Rhemis. Instituit à puero Fredericum (b) genere Frisium nobilem, à matre sibi commendatum, in disciplinâ Ecclesiasticâ erudiendum, quem videns gradatim ad virtutum & literarum apices tendere, ordinavit Presbyterum, prævidens illum sibi successurum, Hic impetravit a Carolò Magno omnes decimas de mancipiis & terris suæ diœceseos, nec non telonium de quocunque negotio, unde fiscus Regius in Ditione Trajectensi telonium accipere & exigere consuevit: nec non (c) Dorestatum, urbem magnam cum mansionibus ejus perpetuò possidendam, & à Ludovico Pio ejus filio obtinuit confirmari de novo quicquid per genitorem suum Carolum Imperatorem, avum Pipinum & antecessores donatum concessumvé fuerat. Carolus tamen excepit Monasterium sancti Germani Parisiensis, quod per regna sua immunitate gaudere voluit, juxta præceptum à Pipino patre concessum. Cujus immunitatis exemplar, ut constare possit, eas Provincias cum Trajecto, Dorestado, & locis circumvicinis, in ditione & potestate suâ fuisse, ne quis objicere audeat ipsum illa telonia tanquam propria non potuisse conferre, vel donationes Ecclesiæ Trajectensi factas robore non subsistere, hic inseruimus. *Rixfridus Frisius. S. Fredericũ ornat, & creat, presbyterum. Impetrat à Carolo Magno decimas & Telonia. Monasterium S. Germani immune à tributis in Diœcesi Vltrajectina.*

(d) Privilegium Abbatis S. Germani Parisiensis.

K*Arolus* Dei *gratia Rex Francorum & Longobardorum, atque Patricius Romanorum omnibus Episcopis, Abbatibus, Comitibus seu*

bus seu Iunioribus (e) *nostris : si opportuna Beneficia ad loca sanctarum Ecclesiarum, vel sacerdotibus praestare non definimus, hoc proculdubio ad aeternam nobis beatitudinem retribuendam profuturum confidimus. Igitur cognoscat magnitudo sive utilitas vestra, qualiter venerabilis vir Robertus Abbas de Basilica S. Vincentii vel domini Germani, ubi ipse pretiosus corpore requiescit, clementiam regni nostri accessit; & praeceptnm Domini & genitoris nostri bonae memoriae Pipini Regis, nobis ostendit relegendum, ubi reperimus insertum, qualiter propter nomen* Domini *beneficium praestitisse cognoscitur, ut annis singulis quocunque in regno nostro negociantes ipsius sancti loci pergere velint, sicut ipse Robertus Abbas mercari videtur, tam ad* (f) *luminaria comparanda, quàm pro reliquâ necessitate discurrentes; tam extra Ligerim, quàm citra vel in Burgundiâ, etiam in Aquitaniâ, vel in Provinciâ seu in Franciâ, nec non in Austriâ, quocunque in regno, Christo propicio, nostro pergere voluerint, nullum telonium, vel de sarcinis, vel de* (g) *carrucatione, neque de navigio, vel de qualibet redhibitione exinde ad partem Fisci nostri missi Abbatis discurrentes persolvere quippiam debeant. Propterea praesenti praecepto decernimus (quod perpetualiter mansurum esse jubemus) ut non per ullos portus, neque per civitates tam Viroduno, quàm Aurelianis, vel Ambianis, neque in Dorestado, vel Neomago, neque per omnes pontes, vel ad S. Maxentium, sive Parisiis, seu Aquitania, neque in Burgundiâ, vel in pago Tricassino, neque in* * *Xantonico, vel per omnes civitates ubicunque in nostro (prospicio Christo) regno, aut pagis, aut territoriis teloneis exigatur, nec de navali vel carrali, neque de* (h) *Saumi, seu Tranae* (i) *evectione, vel* (k) *rotaticum, vel* (l) *pontaticum, nec* (m) *pulveraticum, nec* (n) *salinaticum, nec* (o) *cespitaticum, vel ullam* (p) *redhibitionem, quam Fiscus noster exinde possit sperare, nec vos, aut Iuniores vel successores nostri ab iisdem requiratis vel exigatis, sed omnia haec propter nomen Domini ipse Abbas vel successores ejus, seu memorata Ecclesia S. Vincentii, vel Domini Germani habeant indultum, ut ad luminaria ipsius sancti loci proficiat in augmentis.* (q) Claruit & iste sub Carolo Magno & Ludovico ejus filio Impp. Augg. decessit 3. Nonas Octobris ex febriculâ grandevus cùm praefuisset annis sex, sepultus in Ecclesiâ S. Salvatoris.

Abbas S. Vincentii, vel S. Germani apud Parisiens.

Idem est liber à vectigalibus in Ditionibus Caroli Magni.

* *In Annon. Senonico est.*

Error in calculo.

Confir-

Confirmatio Ludovici sub Rixfrido.

*IN nomine Domini Dei, & Salvatoris nostri Iesu Christi. Lodovicus divinâ ordinante providentiâ Imperator Augustus. Imperialem celsitudinem decet prædecessorum suorum pia facta non solùm inviolabiliter conservare, sed etiam censuræ suæ authoritate confirmare. Unde noverit industria seu sagacitas omnium fidelium nostrorum, tam præsentium, quàm & futurorum, quia * Rixfridus venerabilis vir, veteris Trajecti ecclesiæ Episcopus, quæ est constructa in honore S. Martini Confessoris, vel cæterorum sanctorum, detulit mansuetudini nostræ quasdam authoritates constitutionum, qualiter Dominus & genitor noster Carolus, bonæ memoriæ, piissimus Imperator, Aug. & avus noster Pipinus & antecessores eorum ad ipsam Ecclesiam concessissent omnem decimam, de Mancipiis, terris, ac de teloniis, vel de negocio, vel de omni re, undecunque ad partem Regiam Fiscus telonium exigere aut accipere videbatur, & ut homines ejusdem Ecclesiæ sub (r) Mundiburdo & tuitione ipsius Ecclesiæ existerent, nec non & in ripis in Dorestado, ut nec (s) bannum aut (t) fredum, aut (u) conjectum, quod ab ipsis* Verschat *vocatur, contingere aut exactare præsumeret, & quisquis ex negotiatoribus in eorum ripas intrare voluisset, nullam contentionem ex hoc fecisset eis, nec mansiones in eorum domibus, sine permissu eorum accipere auderent, nec eorum res dum vixerint, auferre, aut post mortem eorum contingere; nec ullo modo eis in aliquâ re calumniam generare quis præsumeret, qui in illa decimâ parte, vel sub Mundiburdo ecclesiæ S. Martini consistunt; videlicet ut sicut illi de illis novem partibus aliquid accipere vel usurpare nec velint, nec possint; ita & procuratores Resp. de eadem decimâ parte accipere aut usurpare ad Fiscum non præsumant, qualiter Præsul ipsius Ecclesiæ, cum omni Clero & populo sibi subjecto alimoniam ministrare, & luminaria in eadem sede continuare, atque gentiles qui ad Christianitatem convertuntur alere & docere possit. Ob firmitatem tamen hujus rei postulavit à nobis prædictus Episcopus, ut paternum sive prædecessorum nostrorum Regum morem sequentes, ejusmodi nostræ authoritatis præceptum, ob amorem Dei & reverentiam S. Martini circa ipsam Ecclesiam fieri censeremus. Cujus petitioni libenti animo aurem accommodare placuit, & per hanc nostram authoritatem confirmare, ut omnem decimam, tam de Mancipiis, quàm de terris, aut de telonio, aut de*

* Rixfredus. Vetus Trajectum.

* Geschot.

Episc. est præbere Clero alimoniam, templo luminaria & gentiles convertere.

aut de negotio, vel undecunque ad partem regiam jus Fisci censum exigere debet, vel de omnibus quæ suprà scripta sunt præfata ecclesia, libero in perpetuum jure possideat. Et ne quis contingere aut injustam interpellationem facere præsumat, sed sicut à Domino Imperatore, & avo nostro, & antecessoribus Regibus à nobis per hanc authoritatem constitutum est, atque confirmatum, ita omni tempore inviolabiliter conservetur atque custodiatur, quatenus ipsos servos Dei, qui ibidem consistunt cum eorum Pontifice, & illos quos à gentili ritu ad Christi veram converterunt fidem, pro nobis, conjuge, proleque nostrâ, & omni populo Christiano jugiter misericordiam Dei exorare delectet. Et ut hæc authoritas melius ab omnibus credatur, & diligentiùs conservetur, manu propriâ subscripsimus, & annuli nostri impressione signari fecimus. Signum Ludovici Serenissimi Imperatoris. Data XVII. *Kalend. Aprilis, anno* XI. *Christo propitio, Imperii Domini Ludovici piissimi Augusti, indictione secunda. Actum Aquisgrani Palatio Regio. In Dei nomine fæliciter Amen. Helisachar recognovit.*

Aquisgrani Palatium Regium.

Rixfridi, præter eos qui ex professo tractant res Episcopor. Traject. meminerunt Arnoldus Wion, & & Kempius de annis verò superiorum Episcoporum admodum incertus est Heda, nos ad hanc rem credimus facere catalogum Episc. Traj. ex lib. S. Salvat. ubi sequentia habentur: *Gregorius qui obiit 8. Kal, Septemb. anno 775. sedit annis 20. solus. Albericus* 10. *Theodardus sex*; *Harmacarus* 13; primus annus Rixfredi incidit in annum domini 806. Snoyus etiam de hoc Episcopo videndus.

a *Quo tempore Stephanus Papa,*) Id. non 815. sed 816. factum narrant Annal. Francorum tam à Pithæo quam à Frehero editi, quibus concinunt illi ante C, & quod excurrit annos Coloniæ impressi, prioribus ampliores, nec abit diligentissimus Onuphr. Panvinius in Chronico Ecclesiastico.

b *Frederickum genere nobilem Frisium,*) Hunc Adgilli II. ex Cronovillâ filiâ nepotem facit. Hamconius, de quo infra.

c *Nec non Dorestatum ipsum urbem magnam,*] Chron. M. B. *Nec non civitatem Durstat cum suis appendiciis* neque verba illa *urbem magnam* habet, certè ex Marcellino multa de Durstado nostrates fabulantur, quæ veritati repugnant, nullis enim certis auctoribus nituntur nec refelli merentur; ita enim crassè ille pseudo Marcelinus mentitur, cum 52. ibi parœciales Ecclesias ex templis Idolorum erectas somniet, atque fere æmulam urbem Romæ veteri, ac novæ faciat. Batavodurum eò loci fuisse putant, sed sunt argumenta, quæ me dubitare faciunt & habeo consentientes magnos auctores. Alicujus nihilominus nominis locum fuisse docent ejus temporis scriptores, cum ex annalib. Fris. constet vicum Dorestadum à Roruco Nord. & fratre ejus Harialdo beneficio Ludovici Imp. possessi: cujus rei Abbas quoque meminit Stadensis in Chron. ad annum C. 826; habeo & numulum aureum, cujus inscriptio DVRSTAT. CIV. præfert. cujusmodi se vidisse in antiq. Bataviæ indicat doctiss. Scriverius.

d *Privileg. Abbat. S Germani,*) Extat. ap. Annonium de gestis Francorum lib. v. in princ. sed ad finem plenius. Vide & Baronium Tom. 9. Annal. ad ann. 779.

e *Seu junioribus nostris,*) Interpretantur successoribus, vel nepotibus: alii senioribus opponunt. Iuniores, etiam eos denotari credunt, quos Junck-Herren vocamus, quasi juniores dominos, quales & domicellos post aliquot sæcula vocatos alibi demonstravi. Vide notas Bignonii ad Marculfum Chronicon Laurishamense ad annum 776. Glossarium Lydii Latinobarbarum, Glossarium ad Capitularia Caroli & Luduw. Impp. Freherum ad 1. tom. histor. & Gloss. Lindebrogi ad leges veteres.

f *Tam ad luminaria comparanda,*] Cum Christiani primis temporibus propter frequentes persecutiones Gentilium in occulto etiam noctu convenirent, luminibus in tenebris opus habebant: qui mos pace jam Ecclesiæ redditâ nihilominus ob conventus antelucanos mansit, adeoque tum tempore multiplicatus est, ut pleno quoque die cereis ac Lampadibus in Basilicis, vel ad memorias martyrum uterentur, perinde in donationibus piis videmus sæpè tum alia tum tota etiam prædia pro luminaribus donata; quarum exemplaria in hoc quoque auctore nonnulla extant: & Bignonius in notis ad Marculfi formulas hunc morem auctoritate D. Hieronymi, & usu frequenti veterum probare videtur.

g *Vel de carruca tione.*) A carro Latinis scriptoribus noto vocabulo desumpta hæc vox videtur, quamvis & in aliis M SS. invenerim, *nec carrigine*, Lydius in gloss. ad Clemangem. Carrigo, carrus, Carruca etiam hodie Belgis carotse: & Greg. Turon. *Præparatis carrugis compositoque plaustro*. videtur vectigal quod pro curribus vel carris solvitur.

h *Neque de Saumis*] Vel Saumâ, id est, Clitellis: Thegano de Expeditione Asiaticâ Fred. Imp. *Relictis bigis & quadrigis iter cum sagmis aggressi sumus*. Glossar. Lydii *Clitellæ Sauma*, *Equus* clitelaris, LL. Longob. Tit. 59. *Non dimittant alios homines nisi qui tantummodo unum caballum habet, hoc est homines 6. & tollant ad saumas suas ipsos sex*, vide Glossarium Meursii Græcobarb. pag. 608.

i *Seu Tranæ Evectione*) Lydii Glossæ Lat. Barb. ad Clemangen, Trana, Evectio, Tractatoria evectio M. Gold.

k *Rotaticum*] Id est, vectigal pro rotis; Galli *Rouage*. Legitur & Rodaticum in capp. Car. lib. 6. §. 219. Vide not. Bignonii ad Marc. form.

l *Pontaticum*) Vectigal quod in pontibus, pro transitu datur: vide eundem Bignonium loco dicto.

m *Pulveraticum*,] Vectigal pro labore viarum, & pulvere in viam regiam comportato, Lydius.

n *Salvaticum*) Vectigal, pro sale, Gold. vide Lyd. Lexicon.

o *Cespitaticum*,] Cispitaticum est in Aimonio, estq; vectigal pro viâ cespitibus munitâ, debitum. Lyd.

p *Redhibitionem*] IC. verbum est; nam Redhibere est facere ut rursus habeat venditor, quod habuerat, teste Brissonio; sed in hisce diplomatibus pro simplici datione mulctæ videtur poni.

q *Claruit sub Car. M. & Lud. ejus filio*,) Si vixisse illum sub utroque Imperatore dixerit à vero non discessit; verùm si sub utroque egisse pontificem voluerit, error ipsius ex sequenti diplomate manifestus erit. Præfuit enim annis tantum sex & à Lud. præsulatum impetravit Imperii ejus anno XI. ergo anno 5. Luduvici incœpit, non sub patre ejus Carolo.

r *Sub Mundiburdo*,) Mundeburde, id est, tuitio vel defensio, Galli Mamburnie; Belgi Mombers/ tutores dicunt; legitur in form. Marcul. lib. 1. cap. 24. Charta de Mundeburde Principis, ad quem locum vide Hier. Bignonii notas. Adde capit. Caroli & Lud. lib. 6. cap. 223. & ibi notata; ac Glossas Lat. Bal. Lydii ad Clemangem lit. M.

f *Nec Bannum*,) Est mulcta judicialis, vide Glossarium proximè laudatum, & notas ad Marc. lib. 1. cap. 40.

t *Autfredum*,) Compositio Fisco debita, à wrevel. M. Gold. Lydius, H. Bignonius, in notis ad Marc. Lindebrogus ad L. Salicam Tit. 14. ex Greg. Tur.

u *Aut conjectum quod ab ipsis* geschot/) Lydius collationem de substantiis interpretatur in glossis supra nominatis. Flodoard. *De conjecto Normannis dando* Greg. Turon. lib 6. ca. 45. de rege Chilperico: *Adparatus magnus expensæ de diversis civitatibus in itinere congregatus est: in quo nihil de Fisco suo rex dari præcepit, nisi omnia de pauperum conjecturis*, quod ita refert Aymon. lib. 3. c. 56. *Ut de substantiis pauperum necessaria eis in itinere subministrentur*. In Miropeo M. S. ad marginem annotatum vidi veerschat sed dubito.

x *Data* XVII. *Kal. April. anno* XI.) In M. SS. est XV. Kalend. anno 2. indict. VIII. ita in libris colleg. inveni. At juxta hunc calculum vera esse possent, quæ supra Heda posuit Richfridum sub Carolo & Lud. Impp. vixisse.

S. Fredericus Episcopus VIII.

Rixfrido Fredericus & ipse Frisius nobilis successit, octavus Episcopus, vir miræ sanctitatis, & prophetico dono imbutus, qui prænunciavit Diœcesim cum ipso Trajecto & Dorestado urbibus devastandam à Danis; quod eventus rei eo mortuo statim comprobavit. Hic Fredericus quamvis precibus Ludovici Pii Imp. Aug. ad Pontificatum promotus fuisset: Iudith tamen filiam nobilissimi Welphii Ducis Bavarorum anno D CCC XIX. ab eodem Ludovico Pio Aug. defuncta pridem Ermigarda, in conjugium assumtam (quia ejusdem Ludovici neptis, (a) & ab alio stuprata dicebatur) decreto aliquorum Pontificum eos divortantium, sacro velamine vestiens, detrusit in Monasterium: unde occasio cædis suæ. Nam Iudith ab Augusto revocata, mortem per ministros ei intentavit, ut in vitâ ejus scribitur. Martyrio coronatur sub eodem Ludovico Augusto, confossus inguina per ministros regios: passus apud Trajectum XV. Kalend. August. Anno D CCC XXXVIII. cùm præfuisset annis duobus, vel secundum alios, multo pluribus. Sepultus in ecclesiâ Sancti Salvatoris. Scriptores tamen diversimodè de hoc sentiunt, quam plurimis causam Ludovici Imp. & Iudith defendentibus, aliis autem improbantibus, qui tamen pauci sunt. Bernardus etenim nepos Ludovici Imp. Rex Italiæ, & secundum alios, partium & limitum Hispaniç Comes, ab ipso Ludovico cameræ præficitur, qui per æmulos (quod dictu nefas est) accusabatur tanquam incestator Iudith reginam stuprasset, qui oblato duello se purgavit, & Iudith juramento affirmavit suam innocentiam. At Marianus Scottus sic ait: In confirmationem hujus rei Pippinus cum multis perfidis voluit Ludovicum patrem

Fredericus prophetico spiritu præditus.

Hæc naratio reformanda ad annales Francorum.

S. Fredericus per inguina confoditur à latronibus submissis ab Imp.

pilmaniæ Comes, qui cum Iudita familiaris fuit.

Auctor noster non verba, sed sententiam Scoti refert.

de regno expellere, dicentibus Iudith reginam violatam esse à quodam Duce Bernardo, qui erat de stirpe Regali, mentientes per omnia, sicque invelantes eam in Monasterium miserunt, similiter & fratres ejus Conradum & Rodolphum. tondentes eos. Quos omnes Imp. eodem anno (m) Novimago Castro super fluvium Wahalim sito, cum virtute superavit, reginamque obviantem sibi ad Aquasgrani palatium præcepto Gregorii Papæ, aliorumque Episcoporum justo judicio suscepit. Bernardus Dux in Palatio Theodonis coram Rege & duobus filiis ejus Lothario & Ludovico purificavit se de supradicto stupro, cùm nullus ausus esset armis cum eo decertare. Vtcunque res se habuerit, Ludovicus hortatu & consilio Principum, secundam hanc duxit uxorem, ex quâ genuit Karolum (qui posteà successit in Imperium) cognomento Calvum. Quæ autem per sanctum Fredericum acta sunt, unde iram Principis incurrerat non nisi per diffinitionem & judicium aliquorum Episcoporum Germaniæ & Galliarum egit, & id quidem pro zelo, cum sanctæ & probatæ vitæ semper fuerit, qui nec factione aliquâ invertebatur, cùm non erubesceret (c) ipsum Imperatorem coram super delicto, quod impingebatur, notare & commonere. Sed certum est ipsum Pipinum, cum filiis Ermigardæ prioris uxoris, in Ludovicum patrem conspirasse, instigatione præsertim quorundam perfidorum, qui ex beneficio & clementiâ ipsius Ludovici, cùm pro delicto capitali plecti debuissent supplicio, salvati fuerant, ut Pipinum contra patrem elevarent in Imperium. Unde & aliqui Episcopi conscii, privati dignitate, & nonnulli Nobiles damnati læsæ Majestatis. De hoc latius scribit (*) Ammonius. Hujus sancti intuitu Umbrachus nobilis contulit Ecclesiæ Trajectensi quicquid in Heysterbach (d) & in Præst possidebat, & quicquid sub lege Francorum in ejus erat dominio, quæ ne congesta legenti generarent fastidium, quia in diversis erant speciebus, numerare destitit. Actum publicè in villâ Heysterbach, VII. Kal. Ianuarii anno incarnationis Dominicæ D CCC XXIV. indictione XII. Anno Ludovici Imp. Aug. XXI. Similiter & Gerowaldus filius Landuvardi donavit eidem Ecclesiæ quicquid hæreditatis sibi accesserat in villâ Langhare (e) Hellewigh, Aladna, * Wasefelde, Humelle, Theoden Hesin, Asuin cum suis adjacentiis. Actum publicè in villâ Embrici, Anno XV. Imperii Ludovici. Incarnationis Dominicæ anno D CCC XXVIII. VII. Idib. Februarii. Hic est advertendum cùm satis ambigatur de annis, quibus Episcopi intermedii à Bonifacio usque hunc Fredericum præfuerunt, quod à passione Bonifacii usque Martyrium Frederici numerantur anni lxxxvI. Quo tempore claruit sanctus Odulphus, (f) ex nobili Francorum semine, vico Orschot (quæ Brabantiæ est) oriundus in Trajectensi congregatione constitutus, & ad prædicandum in Frisiis, qui jam defecerant, à beato Frederico missus, ubi multis annis valuit miraculis, & gratiâ propheticâ.

S. Fredericus extra factionem constãs.

** De gestis Franc. lib. 4. c. 108.*

Umbrachus vir nobilis donat Ecclesiæ Trajectinæ respectu S. Frederici.

** Westerselde.*

S. Odulphus claret.

a *Ejusdem Ludovici neptis, & ab alio stuprata,*] Duplex calumnia hæc; ut in notis ad Bekam satis dilucidè ostendi, quæ videre curiosus lector poterit.

b *Limitum Hispaniæ Comes,*) vide Annales Fuldenses Francorum Pithœi ad annum 829, vel Freheri 830. sed errat Heda qui hunc Bernardum confundit cum Bernardo Italiæ Rege qui ante x. & plures annos rebellionis convictus, & condemnatus obierat; ut patet ex eisdem annalibus, Item Theganone, de gestis Lud. Imp. cap. 23. Contracto in Chron. ad annum 819. Mariano Scoto ad annum 831. & Sigisberto ad annum 819.

c *Cum non erubesceret.*) Impudentiæ id fuit, si fecerit non sanctitatis: Nam calumniæ hæ à privignis evulgatæ fuerunt, quibus fidem adhibere non debuerat; nisi vel nimium credulus, vel factiosus esset. Quâ de re sic Pithæus in præfatione ad scriptores 12. Francos. *Quorum auctorem Calvo nostro ad calumniam usque iniquum minus mirabitur, qui Moguntiæ sub Ludovici illius ditione conscriptos sciet, levius autem laturus cum in pium patrem ac Iudithan turpissima convitia Frederici Tr. Episcopi historiæ inserta legerit.* Heda nihilominus, quamvis veritatem viderit, factum palliare, aut excusare voluit, ut vulgi saltem opinionibus quod magnâ religione leipsana hujus episcopi colebat satisfaceret.

d *Quicquid in Heysterbach & in Præst.*) In libris collegiorum, ut & in M. SS. inveni Hosterbach, extat integrum apud me hoc diploma: ac creditur hodie esse pagus prope Arnhemium Oosterbeeck. Sed *Prœst* est tractus ex opposito oppidi Arnhemiens. antiquum retinens nomen, spectatque ad Ecclesiam S. Petri in Trajecto ex donatione Bernulphi.

e *In Villa Langhare* &c.] Hæc bona hodie possidentur jure Emphiteutico à Comitibus Montanis vulgo S'herenberge.

S. Odulphus

f *S. Odulphus ex nobili Francorum genere,*] Memini ejus in notis ad Bekam, floruit autem anno 862. deque eo Molanus, Galesinus, Cratepolius, alii; primum fuit can. Tr. S. Salv. deinde præpositus Stauriensis; vide additiones ad Usuardum 12. Jun. & vitam ipsius à Surio editam.

Alphricus Episcopus IX.

FRederico itaque jam ex hac luce sublato, dum de successore Clerus Trajectensis inter se disceptaret, nonnullis in votum Præpositi majoris Ecclesiæ nomine Craft, licet renitentis, cæteris in alios descendentibus, tandem authoritate beati Odulphi omnis controversia sedata est, & ejus operâ Alphricus presbyter frater ipsius Frederici Episcopi Martyris, ex parte deformis, virtutibus tamen insignis omnium consensu constituitur Episcopus nonus in ordine, fervens religione, * vacillantes in fide confortans, suppressor hæresium, & contemptor divitiarum, tandem vitâ cum summâ pietate transactâ, migravit ad Dominum XVIII. Kal. Septembris, cùm præfuisset ferè annis (a) XII. sepultus apud Trajectum in ecclesiâ sancti Salvatoris. Claruit sub ipso Ludovico Pio, & ipso Lothario principibus. Quo tempore, juxta quod sanctus Fredericus prædixerat, ingens barbarorum manus (b) junctis sibi Suedis, Normannis, Danis, aliisque feris & indomitis nationibus, cum magnâ classe in Germanias ac Gallias irruperunt, omnia ferro ac flammis consumentes, & sacra omnia mirâ crudelitate prophanantes, crebrisque incursionibus cuncta in vastam redigebant solitudinem. Frisiam enim primò invadentes, atque secundò magnâ strage confecti, tertiò victores facti, eam subjugarunt, & magnum tributum extorserunt, cùm jam regnum Francorum mutuis viribus conquateretur. Inde Walacriam insulam deprædantes, multas fœminas cum infinitâ pecuniâ abduxerunt, Eggerdo Comite cum multis occiso, & progressi, vicum Dorestatum nominatissimum primò spoliantes, secundò funditus deleruut incendio, sicque undiquaque grassantes per flumina, per terras, urbem Trajectensem cum locis adjacentibus flammis dantes, & Clerum cum civibus in ore gladii trucidabant, Palatiaque Neomagum, Aquisgranum, Trajectum ad Mosam, Tongros, Leodium, Bruxellas, confinia omnium Ribuariorum (c), seu potiùs Ripariorum, Ardennam & Carbonariam silvas percurrentes multa oppida & Monasteria desolantes, ne loca aut oppida quidem ad Rhenum posita, ipsamque Nuciam, Coloniam, Bonnam, Andernacum, Maguntiam intacta omisere, Antverpiumque oppidum ad Schaldim, Wintland ad Mosam, ac Gruningam ad Amasim flumina, nobilia emporia, funditùs delentes, ipsas residuas Gallias magnâ clade afflixêre annis plurimis, ita ut anteà inaudita sit similis desolatio. Tandem Deo misericordiæ oculos in Christianos (quibus ob magna scelera atque peccata offensus erat) convertente, omnes nationes hæ, partim ad sua remeantes, ob prædas, quibus onusti erant, sese mutuò confoederunt, partim à Christianis resumentibus animum, deleti sunt: residui fide acceptâ baptizati se Imperatoribus subdiderunt, hoc pacto, quod filia Caroli Regis Rollino daretur in conjugium, & cum ea Neustriâ in dotem, quæ jam Normannia ab eo cognominatur, & Gillando sive Willoni cederet Mons & Comitatus Blesensis, prout factum est, quæ pro temporis & loci opportunitate dicta sufficiant. Sub isto Alphrico Rotgarius Comes donavit Ecclesiæ Trajectensi plurima bona sua, quæ habuit in proprietatem, & in pago Leomerike in villa Thuinæ, Alatinge, Westrebesi in pago isto; in villâ Duictingen, in pago Feluâ, in villâ Lonâ, Sulmonda, Wageninga, Werdupa, in pago Huitingoe in villa Houdna, in villa Bracola, Thule, cui Alphricus vicissim contulit in beneficium ac præstariam, uti ajunt, seu usum ad vitam, quæ Ecclesia in villâ * Gruosna & Fumerchara; & Hera, itemque in Seyst Lisidunon, Hesi, Thorene habebat, Anno Regni, Ludovici XXV. Salutis scilicet DCCCXXXVIII. quo anno passus est S. Fredericus.

Alfricus deformis, sed virtute insignis.

Mir. Cod.

**Populum vacillantem.*

Sub eo Normanni, Dani, atq; Suedi Germaniam atque Galliam vastant.

Frisios faciunt tributarios.

Dorestadium & Trajectum evertunt incendio.

Donationes in Ecclesiam collatæ.

a *Cum præfuisset ferè annis XII.)* Alii VII. tantùm tribuunt annos atque ex S. Crucis collegio ad Episcopatum promotum tradunt.

b *Ingens Barbarorum manus,)* Id factum secundum Annal. Francorum Fuldenses anno 835. & sequentibus. Ubi de Dorestado, Antwerpo, *Wala*, *Walchra* insula vastatis, agunt. Ancelinus in Vrancone Episcopo Leodiensi cap. 37. de Normannis Trajectum & vicinia circum vastantibus facit mentionem. Sigisbertus eadem in annos 837. & 838. conjicit. Placentius in eodem Vrancone post annum 882. hæc contigisse refert, quo etiam anno, ut testatur idem Sigisb. *Normanni adjunctis ibi Danis Franciam & Lotharingiam pervagantes, fines Morinorum, Menapiorum Brachatensium denique, circa Schaldim fl. terram ferro & igne devastant. Inde Wal fluvium ingressi totam Bataviam, Palatium etiam*

Neomagi incendunt. Verùm hæc posterior devastatio demùm sub Odilbaldo accidisse videtur, nec huc referenda; quamvis Heda confundat. Adeundus eâde re Douza, qui distinctiùs hæc Annal. Hollandiæ 3.

c *Confinia omnium Ribuariorum*] Contractus anno 876. *Bellum in Ribuaria inter Ludovicum & Carolum committitur*; vide & Reginonem lib. 2. Chron. ad annum 870. Videntur autem sic dicti illi populi qui inter Rhenum & Mosam, ad utriusque fluminis ripam habitabant. Vide Annal. Douzæ lib. 7. Nuenarius in Comment. de Galliis, eos intra Rhenum, Mosellam & Mosam concludit, & Francis adscribit. Adde elegantissimè de iis scribentem Freherum 2. Originum Palat. cap. VIII. & IX. Ubi inter Ripuarios numerat Aquisgranenses, Tolbiacenses, Rigomacenses, Brisacenses & Iuliacenses.

d *Rotgarius Comes donavit,*] Gerbrandus hanc donationem integram ponit, & est in meis MSS. in quâ nominantur Pagi, Leomerike vel Lomfrike forte de Limersche, Velua, huiten-Goye: villæ verò Twine, Westerhese, Duitingen, Lona, Sulmunda, Wageninga, Houdua, Brakela, Thule, Zeyst, Lisidunon, Hese, Thoerne. Loca fere sunt nota.

e *Anno Regni Ludovici XXV.*] Augustus enim à patre appellatus est ineunte anno 813. quibus adde 25. annum habebis juste calculi 838. sed malum Imperii legere, nam Aquitaniæ regnum patre concedente diu ante rexerat ab anno nempe 781. Onuphrio exactissimo scriptore referunt.

Egihardus Episcopus in Catalogo omissus.

HIC duxi, non omittendum qualiter in vetustis libris & annalibus invenio aliquos Episcopos fuisse Trajectenses, qui Catalogo non inseruntur, sicuti circa hæc tempora Egihardum Episcopum, cujus intuitu Lotharius senior filius Ludovici Pii pro suâ conjugisque, ac prolis suæ incolumitate, invenitur in donationibus confirmasse authoritatem immunitatis nedum per genitorem suum, sed & per prædecessores ejus Francorum reges Ecclesiæ Trajectensi concessam, anno Imperii sui in Italiâ XXVI. & in Francia sexto. Actum Aquisgrani. Hic posteà abdicato Imperio (a) Prumiæ, anno salutis DCCCLV. est mortuus. Egihardum itaque hic interponimus.

Preceptum Immunitatis Lotharii Imperatoris sub Egihardo.

IN nomine Domini nostri Iesu Christi æterni: Lotharius divinâ ordinante clementiâ Imperator Augustus. Cum petitionibus sacerdotum Dei justis & rationabilibus, divini cultus amore, favemus, superna gratia muniri non diffidimus. Noverit interea industria seu utilitas omnium fidelium nostrorum, tam præsentium quàm & futurorum, quia Egihardus Veteris Trajecti Ecclesiæ vocatus Episcopus, quæ est constructa in honorem S. Martini Confessoris, & aliorum sanctorum, obtulit obtutibus nostris, authoritatem immunitatis Domini & genitoris nostri bonæ memoriæ Ludovici piissimi Augusti, in quà erat insertum, quod non solùm idem Dominus & genitor noster, verùm etiam prædecessores ejus Reges videlicet Francorum eidem Ecclesiæ cui ipse Egihardus autore Deo præest, sub tuitione & defensione eorum cum omnibus sibi subjectis, & rebus vel hominibus ad se pertinentibus vel aspicientibus consistere fecerant, & eorum immunitatum authoritatibus hactenus ab inquietudine judiciariæ potestatis

Veteris Trajecti Episcopus.

eadem

eadem munita atque defensa fuisset Ecclesia. Sed pro rei firmitate postulavit à nobis prædictus Episcopus, ut paternum seu prædecessorum nostrorum regum morem sequentes, hujusmodi nostræ Immunitatis præceptum erga ipsam Ecclesiam, fieri censeremus. Cujus petitioni libenter assensum præbuimus, & hoc nostræ auctoritatis præceptum fieri decrevimus, per quod decernimus atque jubemus, ut nullus Iudex publicus, neque quislibet ex Iudiciariâ potestate, aut ullus ex fidelibus in Ecclesias aut loca, aut agros, seu reliquas possessiones, quas moderno tempore in quibuslibet pagis aut territoriis infra ditionem Imperii nostri justè & rationabiliter memorata tenet aut possidet Ecclesia, vel ea, quæ deinceps jure ipsius loci voluerit sancta Ecclesia augeri, ad causas audiendas, vel freda exigenda, aut mansiones vel paratas (b) faciendas, vel fidejussores tollendos, aut homines ipsius Ecclesiæ tam ingenuos, quam & servos super terram ipsius commanentes, injustè distringendos, neque ullas redhibitiones aut illicitas occasiones requirendas, nostris & futuris temporibus ingredi audeat: vel ea quæ supra memorata sunt penitus exigere præsumat, sed liceat memorato Præsuli suisq; successoribus res prædictæ Ecclesiæ cum omnibus sibi subjectis, sub tuitione atque immunitatis nostræ defensione, quieto ordine possidere, & nostro fideliter parere Imperio, atque pro incolumitate nostrâ conjugis ac prolis, seu etiam Imperii à Deo nobis collati, & clementissima miseratione per immensum conservandi unà cum clero & populo sibi subjecto Domini misericordiam exorare, ut quicquid de privatis rebus Ecclesiæ Fisci exigere poterat, in integrum eidem concessimus Eccl. sc. ut in perpetuo tempore ad peragendum Dei servitium augmentum & supplementum fiat. Hanc itaque authoritatem, ut pleniorem in Dei nomine obtineat vigorem, & à fidelibus sanctæ Dei Ecclesiæ & nostris diligentius conservetur, manu propriâ subtus firmavimus, & annuli nostri impressione assignari jussimus. Signum Lotharii serenissimi Augusti, Rothmundus Notarius ad vicem Hildelini recognovi. Data XII. Calend. Aprilis, anno Christo propicio, imperii (c) Domini Lotharii *pii Imperatoris in Italiâ* XXVI. *& in Franciâ* VI. *Actum Aquisgrani palatio Regio in* Dei *nomine feliciter, Amen.*

Ecclesiæ Trajectensis immunitas.

Data ut Dei servitium augeatur & suppleatur.

a *Prumiæ anno Sal. 855. est mortuus,*] Huic assentiuntur Onuphrius, Cuspinianus, Sigonius & alii plerique. Est autem id Cœnobium in Lotharingiâ Ord. S. Benedicti quod aliis, teste Cuspiniano, Pruliacum dicitur.

b *Vel paratas faciendas,*] In notis Bignonii ad Marculphum traditur ex Falceto, paratas uno verbo livrees denotare: ac hodie dici cibos qui in familiâ regiâ, ministris & Familiaribus in specie quotidie præbentur, vid. ad lib. 1. cap. 3. Lydius expensas putat ad Hospitum susceptiones collatas ex Goldasto; vel quæ pro viatico & alimentis præbebantur.

c *Anno Imperat in Italiâ xxvi. & in Franciâ vi.*] Creditur is annis à C. nato 846. post mortem patris, sextus cum quo 20. annis & quod excurrit Imperio præfuerat.

Lutgerus Episcopus X.

Lutgerus Frisius sedit annũ unum.

ALfricum itaque Egihardus secundum calculum annorum Imperii Lotharii subsequitur, secundum alios Lutgerus, natione & ipse Frisius decimus in ordine Episcopus, vir mansuetus, & amator pacis, circa sacras lectiones intentus, & Ecclesiasticæ disciplinæ conservator, qui cùm aliquandiu præfuisset, ultimum naturæ persolvit debitum IX. Kal. Maji, cùm sedisset anno uno, sepultus in Ecclesiâ S. Salvatoris apud Trajectum: hujus intuitu Baldricus nobilis contulit Ecclesiæ Trajectensi res & prædia proprietatis suæ quæ habebat in villa Wadake in Ermkina, Uberan, Malsna, Velgassa, Thrimuthi, Avensate, Swinum, Bemela, Helloyina, Herivina, Taratina, Medua, cui vicissim Lutgerus concessit ad vitam Hesolam, Hamarithi & wiam, anno VIII. Lotharii Imperatoris scilicet salutis DCCC. Lmo.

Baldricus contulit Ecclesiæ,] Diploma extat in meis schedis integrum, ut & in Gerbrandi Chronico, jam typis edito.

Hungerus Episcopus XI.

S. Hiero. presbyter Nortvici à Normannis occisus, 865. quod alii ad annum 838. referunt.

HUic successit Hungerus Frisius, vir sanctitate vitæ præcipuus, doctrinâ etiam insignis, de quo multa scribere nequimus, barbaris jam omnia debacchantibus, à quibus & sanctus Hieron. presbyter capitis abscissione apud Nortvicum vicum Martyrii coronam adeptus est, circa annum Domini DCCC. LXV. teste Ioanne de Bekâ; Incensa arx munitissima in eâ provinciâ (quam Hollandiam vocant) ab Aureliano quondam Augusto illic constituta (quem vulgo (a) Aurundilium vocant) in vico Voorburch. Cujus vestigia ipsi vidimus nostra ætate, & fragmenta Romanam Architecturam ostentantia effodi: veluti partem pavimenti tessellati, pedem æreum confractę statuę, nummos æreos, argenteos atque aureos, cum inscriptione Aureliani, nec non catenulam auream, cum aliquot Smaragdis sesquiangulis politis & perforatis contra Epilepsiam ad collum infantum suspendi solitis. Redactum etiam in favillam Monasterium sancti Adalberti Egmondense, & quæque loca vicina, habitatoribus in ore gladii consumptis: & Trajectum civitas aliquandiu obsessa, acriterque à Christianis defensa, tandem crebris catapultis & machinis quassata, per continuos insultus expugnata, vi occupatur & solotenus adæquatur, rursumque à Barbaris munitur pro receptaculo, & inhabitatur usque ad tempora Caroli Calvi, omnibus incolis prioribus in necem absorbtis, demptis paucis Canonicis, & aliis viris, qui cum Hungero Episcopo aufugerant, conferentes se ad Lotharium Augustum, tunc apud Prumiam Monasterium degentem. Qui commiseratus tantæ afflictionis, cùm intelligeret Ecclesiam Trajectensem barbaricâ rabie jam desolatam, & ad nihilum redactam, Canonicosque olim in eâ Domino militantes, partim interemptos, partim per diversa loca dispersos, tradidit ipsi Episcopo ac superstitibus intra regnum ejus, locum quietum & pacificum pro refugii consolatione, videlicet in pago Maso super fluvium Ruram Monasterium in honorem sancti Petri, constructum quod Berg appellatur, anno tertio regni sui. Iste fuit (b) filius Lotharii Imp. filii Lodovici Pii ex matre Ermigarda, qui & Lodovicus dictus est secundum Marianum, conatus Tietbergam reginam uxorem suam, quam exosam habebat repudiare propter Waldradam concubinam,

Aurundilium arx in vico Voorburch.

b'nam, quam adolescens in domo paternâ nimio diligebat affectu, unde magna contentio suborta est, & ipse interiit Placentiæ excommunicatus, Ado; *At Lotharius rex frater ejus à pravis consiliarius deceptus, diu de duarum fœminarum connubio vacillando pene totam Ecclesiam contra se concitavit. Ob id duo Metropolitani Episcopi Trevericus & Coloniensis sententia Apostolicâ damnati.* Monasterium verò illud postea vocatum est montis Odiliæ haud longè ab oppido Rurimundano, diœcesis Leodiensis quo præpositura translata est, quæ adhuc existit officium in Ecclesiâ Trajectenti, solitum per Canonicum illius ecclesiæ antea obtineri. Similiter & Ludovicus Rex Alemanniæ, filiu· Ludovici pii Augusti, confirmaverat, quicquid genitor & prædecessores ejus anteà concesserant, eximens Ecclesiam & omnia ejus bona ab omni seculari potestate, condonans etiam perpetuo, quicquid Ius Fisci de illis exigere poterat anno regni sui in Orientali Franciâ XXI. (c) Et est notandum, quod iste Ludovicus successerit parti in Imperium usque ad prælium Fontaneticum illud administrans, tunc per conditiones pacis, concessit Lothario nomen Imperii cum Italiâ. Bellum autem (d) ad Fontanetium gerebatur anno DCCCXLI. In die Ascensionis Domini, visa sunt & magna prodigia sub hoc Episcopo, decurrentibus præter solitum stellis. (e) Oceano quoque omnes Provincias inundante, fluminibus coactis suspendere cursum & diversimode per latera aquas exonerantibus, ita, ut cataclysmus putaretur hominibus ac cæteris animantibus æquè submersis, & ex impetu vehementissimo ventorum arboribus, radicitus evulsis. Unde Provinciales ne quid de cætero hujusmodi periculorum ingrueret rivulum modicum ex Rheno super Dorestatum decurrentem, cujus suprà meminimus, cognomine Leckam ab utroque latere vastis cingentes aggeribus, in eum flumen Rhenum deduxêre, ne tam facilè alveum exire, aut Oceano cedere cogeretur. Hoc modo Rhenus Dorestatum usque nomen servans, inde Lecka jam incepit appellari, interclususque Oceani fluxus refluxusque apud vicum Catwijck Rheni ostium, obstructum est successu temporis, agitatis vento arenis, quæ illud opplevere. Ante quod ferunt & castrum fuisse constitutū, cujus fundamenta jam interdum visuntur, refluente Oceano, quem Britannicum vocant. Nam ad Occidentalius ostium Rheni, Lugdunum, ad Orientalius verò (f) Navaliam, urbes sitas testantur Ptolomeus & Antoninus Pius. Hoc Lugnum aut ex allusione Gallici sive Francici vocabuli Leidim, oppidum conjicere possemus. Nam vulgo dicitur Leyen/ & Gallice Lugdunum, Lion, sive Leion, & in commemoratione donationum Ecclesiæ Trajectensis antiquarum invenitur Leithis prima, Leithis secunda, Leithis tertia; ita Lugdunensis prima, Lugdunensis secunda & tertia legitur apud autores. Forsan tria fuere hic similia præsidia. Britanni, teste Ammiano Marcellino, quotannis annonam Legionibus Romanis hybernantibus ad Rhenum in pensum administrare solebant. Ex quo castro nonnulli etiam Romanorum, sicuti Carausius, piraticam exercuisse creduntur. Eo anno, dum hæc scriberemus, abductis vento colliculis arenarum, quæ instar undarum nonnunquam agitantur, visæ sunt alterius (g) Municipii ingentes ruinæ Romanæ vetustatis, haud longè ab ipso Oceano in vico Cattorum, ubi nummi argentei cum inscriptione Severi & Antonini inventi sunt, & nobis dono missi cum plerisque aliis.

Adonis Viennensis verba.

Hoc non est verum, nam Lotharius etiam favente Ludovico pio Rex Italiæ & Imperator fuit à patre appellatur.

Arx Britannica.

Leithis prima, secunda, tertia.

Anno verò Salutis DCCCLXVI. (h) Kalend Januarii Hungerus Episcopus exul à Cathedrâ, & longis angustiis pertæsus decessit. Ubi corpus quiescat, ignoratur, qui unà cum Alfrico & Lutgero Episcopis præfuit annis XXVIII. Claruit sub Lothario seniore, ejusque filio Ludovico, & Carolo Calvo Impp. Quem tamen Hungerum, sicuti nec Egihardum Episcopum annotatum, ita & hunc omissum fuisse, invenio in quibusdam scriptis, forsan ob cladem Normannicam, qua omnia delebantur, & tradebantur oblivioni, id accidit.

Confirmatio Ludovici sub Hungero.

IN nomine sanctæ & individuæ Trinitatis Ludovicus divinâ favente clementiâ Rex. Cum petitionibus sacerdotum Dei justis & rationabilibus Divini cultus amore favemus, supernâ nos muniri gratiâ non diffidimus. Noverit interea industria seu utilitas omnium fidelium nostro-

Ecclesia Trajecti Veteris. nostrorum, tam præsentium, quàm & futurorum, quia Hungerus Veteris Trajecti Ecclesiæ Episcopus, quæ est constructa in honorem S. Martini confessoris, & aliorum Sanctorum, obtulit obtutibus nostris authoritatem Immunitatis Domini & genitoris nostri, bonæ memoriæ, Ludovici piißimi Augusti, in quâ erat insertum, quod non solum idem Dominus & genitor noster, verùm etiam prædecessores ejus Reges Francorum, eidem Ecclesiæ, cui Hungerus ipse, authore Deo, præesset sub tuitione & defensione eorum, cum omnibus sibi subjectis, & rebus vel hominibus ad se pertinentibus, vel aspicientibus consistere fecerunt, & eorum Immunitatum auctoritatibus hactenus ab inquietudine Judiciariæ potestatis eadem munita atque defensa fuisset Ecclesia, sed pro rei firmitate postulavit à nobis prædictus Episcopus, ut paternum seu prædecessorum nostrorum Regum morem sequentes, hujusmodi nostræ Immunitatis præceptum erga ipsam Ecclesiam, Immunitatis atque tuitionis gratiâ, ob amorem Dei & reverentiam ipsius loci, circa ipsam Ecclesiam fieri censeremus. Cujus petitioni libenter assensum præbuimus, & hoc nostræ authoritatis præceptum fieri decrevimus, per quod præcipimus atque jubemus, ut nullus Iudex publicus, neque quislibet ex judiciariâ potestate, aut nullus ex fidelibus nostris in Ecclesias aut loca, vel agros, seu reliquas possesßiones, quas moderno tempore, in quibuslibet pagis vel territoriis infra ditionem regni nostri justè & rationabiliter memorata tenet vel posßidet Ecclesia, & ea quæ deinceps jure ipsius sancti loci divina pietas augere dignabitur ad causas audiendas, aut freda exigenda, aut mansiones vel paratas faciendas, vel fidejussores tollendos, aut homines ipsius Ecclesiæ tam ingenuos quàm & servos super terram ipsius commanentes injustè distringendos, neque ullas redhibitiones, aut illicitas occasiones requirendas, nostris & futuris temporibus ingredi audeat, vel ea quæ superiùs memorata sunt exigere præsumat. Sed liceat memorato Præsuli, suisq; successoribus res prædictæ Ecclesiæ cum omnibus sibi subjectis sub tuitionis ac Immunitatis nostræ defensione quieto ordine posßidere, & nostro fideliter parere Imperio: atque pro incolumitate nostrâ, conjugis ac prolis, seu etiam totius regni à Deo nobis collati, & ejus clementißimâ miseratione, per immensum conservandi, unà cum Clero & populo sibi subjecto, Domini immensam clementiam exorare: & quicquid de præfatis rebus Ecclesiæ jus Fisci exigere poterat, integrum eidem concesßimus Ecclesiæ scilicet, ut in perpetuo tempore ei ad per agendum Dei servitium augmentum & supplementum fiat. Hanc itaque authoritatem, ut pleniorem

Sub defensione Regum Francorum.

Ecclesia est ab omni seculari potestate immunis.

rem in Dei nomine obtineat vigorem, & à fidelibus sancta Dei Ecclesiæ, & nostris diligentiùs conservetur, manu propriâ subter firmavimus, & annuli nostri impreßione signari fecimus. Signum Domini *Ludovici piißimi Regis, * Hardbertus ad vicem Ratlerii recognovi.* Datum (1) xv. *Cal. Junii, Anno* xxi. Domini *& Serenißimi Regis Lodovici in Orientali Franciâ regnante Indictione secundâ. Actum Franconefurd Palatio Regio. In* Dei *nomine feliciter, Amen.*

Indictio 2. sub Ludovico Rege Germaniæ est anno 854. aut 869. id est 29. Reg. ejus. * Hubertus.

Traditio Lotharii de Bergh sub Hungero.

IN *nomine omnipotentis* Dei *&* Domini *nostri Iesu Christi, Lotharius divinâ praveniente gratiâ Rex. Si locis divino cultui mancipatis quippiam muneris confirmamus, id nobis procul dubio ad æternam beatitudinem nanciscendam adfuturum esse confidimus. Igitur comperiatur omnium fidelium sanctæ* Dei *Ecclesiæ, & nostrorum præsentium, scilicet & futurorum industria: Quia ex relatu Guntharii sacri palatii nostri, summi Capellani, & Hungarii venerabilium Episcoporum didicimus, quod Trajectensis Ecclesia, quæ in honore Christi confessoris Martini constructa esse dignoscitur, Barbaricâ imminente nequitiâ, pene destructa, & ad nihilum redacta sit, Canoniciq; olim in eâ* Domino *militantes paßim per diversa loca quidam dispersi, quidam etiam interempti sunt, hac denique incumbente maximâ neceßitate deprecati sunt Celsitudinem nostram, ut memoratæ sanctæ sedi, intra regnum nostrum quietum & pacificum locum ad consolationem & refugium Canonicorum tribueremus. Quorum saluberrimis & syncerißimis suggestionibus pro amore* Domini *protectoris nostri, ob emolumentum etiam ac remedium animæ avi nostri, Lutovvici & piæ memoriæ genitoris nostri Lotharii quondam Augustorum, nec non genitricis nostræ Hermingardæ, seu pro salute nostrâ, regni stabilitate, libentißimum præbentes assensum, hos clementiæ nostræ apices fieri jußimus, per quos in pago Maso, super fluvium Ruræ, Monasterium in honore sancti Petri constructum, quod Bergh nuncupatur, ad præfatam sedem Trajectensem, sub omni integritate tradimus, per omnia tempora, ad consolationem & tutamentum rectorum ejusdem sedis, vel cleri famulaturum concedimus, qualiter præsignati servi* Dei, *nostrâ perceptâ liberali munificentiâ, eos* Domini *misericordiam pro nostrâ, ac prædecessorum nostrorum salute liberius exorare delectet. Et ut hæc nostræ*

Ecclesia Trajectensis à Barbaris destructa.

Bergh Monasterium in pago Maso ad Ruram Occidentalem.

nostrâ

nostræ traditionis seu pietatis largitio per futura tempora inviolabilis perseveret, manu propriâ eam subterfirmavimus, & annuli nostri impressione assignari jussimus. Signum Lotharii gloriosi Regis. Daniel *Notarius recognovi, scripsi & subscripsi. Data* IV. *Nonas Ianuarii, anno Christo propicio Regni* D. *Lotharii gloriosissimi Regis tertio. Indictione sexta. Actum Prumia Monasterio in* Dei *nomine feliciter, Amen.*

De origine Comitatus Hollandiæ. (l) Volunt aliqui circa hæc tempora, puta sub Hungero Episcopo Comitatum Hollandiæ habuisse originem, donante illam jam desolatam incursione Normannicâ Carolo Calvo Imp. ad preces Ioannis Octavi Romani Pontificis, & Haganonis viri præpotentis, cuidam nobili Theodorico ex Hildebergâ, nepte ejus juniore, filiâ Ludovici pii Augusti, stirpeque antiquorum Regum Francorum oriundo, quos à Trojanis descendisse commemorant: quodque hic Theodoricus minor natu, fratrem habuerit Walgerum sive Waiferum nomine, quem Comitatui Teisterbantiæ ab eodem Imperatore præpositum & sedem constituisse in Avesato prope Thielam: Haganonem verò in oppido Xantensi, quondam Trajana Colonia (quam corruptè jam * Trojam dicunt) habitasse, & provinciis circumvicinis imperitasse testantur, authore præcipuè Ioanne Beeka. Quare cùm sermo incidit de hac re, convenit aliqua, pro veritate dilucidandâ, referre in medium, prout superiùs promissum est. Hollandia autem rectè describitur, ut ea pars sit, cui Theodoricus Comes à Carolo Præfectus fuit, hoc est in prestariam, sive precariam, uti ajunt, id est, ad vitam suam solum accepit. Nam apud probatos autores & vetustos Codices invenitur, quod Theodoricus ejus nominis tertius, filius sancti Arnulphi, quartus in ordine Comes interventu Ecberti Trevericæ urbis Archiepiscopi, patrui sui, suscepit primùm in propriam hæreditatem ab Ottone tertio Regè quicquid antecessores sui habuerunt in beneficio circa annum Domini D cccc lxxxv. Longè etenim latior fuit Hollandia. Nam posteà scriptores eam dividunt in Episcopatum & Comitatum. Sed nec totus Episcopatus comprehendebatur sub Hollandiâ. Comitatus namque Veluæ, Twentiæ, Drentiæ & Saliæ (qui Episcopatus sunt) sub Provincia Hollandiæ minimè comprehenduntur; Nec totum fuit in Provinciâ Hollandiæ, quod Comites (qui illius titulum præferunt) possident, sicut ea pars, quæ ad Lavicam fluvium in Frisiis protenditur, atque ubi Caninefates, Frisiaboni, & cæterum id genus populi. Item qui circa Schaldim usque Mosam habitant, quorum aliqui Zelandini, aliqui Frisii vocantur.

** Alii Xātroiam.*

Hollandia quæ sit provincia.

Hollandia in Comitatum & Episcopatum dividitur.

Hollandia & Batavia in genere unum sunt. Sed Hollandia Teutonicè nihil aliud est, quàm ipsa Batavia Græcè. Quod vocabulum & Latini pro nomine Provinciæ sibi usurparunt, cum proprio careant, licet circumlocutione designarunt, veluti in Panegyrico, qui inscribitur Constantino & Maximiano Augg. ubi de insulis Rheni, & Provinciis adjacentibus disseritur hoc modò: *Quamquam illa regio divinis expeditionibus tuis Cæsar vindicata atque purgata, quam obliquis meatibus Schaldis interfluit, quamque divortio sui Rhenus amplectitur, pœnè, (ut cum verbi periculo loquar) terra non est. Ita penitus aquis imbuta permaduit, ut non solum quâ manifestè palustris est, cedat ad nixum & hauriat pressa vestigium, sed etiam ubi paulo videtur firmior, pedum pulsu tentata quatiatur, ut sentire se procul mota, pondus testetur. Ita (ut res est) subjacentibus innatat aquis, & suspensa latè vacillat, ut meritò quis duxerit exercendum fuisse tali solo militem ad navale certamen.* Et (m) in alio: *Aut sub dexterâ tuâ Domine Constanti, Bataviam, Britanniamque squalidum caput, sylvis & fluctibus exerentem intuentium animus affingit.* Ex quibus satis elici potest natura (n) Provinciæ Hollandiæ, teutonicè hoc est, **Hollandt** / vel **Dieplandt** / Græcè verò Bataviæ: cùm secundum Tortellium Bady (o) Græcè, altum sive profundum significet latinè; unde Batavia deducitur. Et Cornelius Tacitus libro XXI. de Bataviâ loquens ita scribit: *Quum interim fluxu Autumni & crebris pluvialibus imbribus superfusus amnis, palustrem humilemque insulam in faciem stagni opplevit.* Et Pomponius Mela lib. 3. *Rhenus ab Alpibus decidens, prope à capite duos lacus efficit, Venetum & Acronium. Mox diu solidus & certo alveo lapsus, haud procul à mari, huc & illuc dispergitur, sed ad sinistram amnis etiam tunc & donec effluat Rhenus: ad dextram primò angustus, & sui similis, post ripis longè ac latè recedentibus, jam*

bus, jam non amnis, sed ingens lacus, ubi campos implevit Flevus, dicitur; ejusdemque nominis insulam amplexus, fit iterum arctior, iterumque flavius emutitur. Unde liquidò constat, Hollandiam apud nos esse eandem Provinciam, quam Latini & Græci Bataviam vocant, hoc est quæ inter Rhenum & Mosam ubi Vahalim recepit usque ad Oceanum interjacens protenditur. Si quis autem Holtlandiam potiùs, quàm Hollandiam appellandam censuerit, & quia in quibusdam literis ita invenitur (licet in vetustis Historiis latinis nunquam legitur hoc nomen Hollandia, nisi apud S. (p) Marcellinum) hoc ab arboribus, quæ in desolatâ provinciâ excrevêre, dictum putet, cùm partem Provinciæ sylvis & nemoribus oppletam fuisse non abnuamus, ut Holtlandia, hoc est, pars illa arboribus consita potiùs censeatur, quàm Hollandia, id est Batavia, quæ pro majori parte paucas nutrit arbores, præter salices, & eas quidem raras. Regio autem ea, quæ à Moselandia usque Kenemaros, inter Oceanum & oppidum Leithim protenditur, Nort-Hollandia pridem, nunc Rijnlandia vocatur. Fuit & vicus Hollant, à quo forsan nomen cœptum, sicuti Gelria, Clivis, Iuliacum, Brabantia. Nihilominus quamvis & Zelandiam à Græco vocabulo Chilindras, quod navem significat, (q Chilindriam vocare possemus, attamen Hollandiam, Zelandiam, & Denemarcam provinciam nomina ab illis hominibus septentrionalibus, quos Danos & Normannos vocant, indita crediderim. Nec tota Hollandia sive Batavia fuit in Ditione Caroli Calvi eo tempore, quo donationes, (in quibus nec Hollandię meminit,) fecisse creditur Theodorico. Pater namque dederat ei Alemanniam, Rhetiam, & partem Burgundiæ, indignantibus cęteris filiis. At tunc nondum erat ad imperium promotus, in qua donatione nec Hollandię meminit. Quod ex divisione regni Lotharii inter Ludovicum fratrem regem Alemanniæ, & ipsum facta apud Aimonium clarè constat; ex qua particulam hanc tanquam proposito nostro convenientem exscerpsimus. *Ludovicus accepit Comitatum Teisterbantia. Batuam, Hattuarias Mosam subteriorem de ista parte. Item Mosam superiorem, quantum de illa parte est. Lingas, quantum de ista parte est. De Frisiâ partes duas. Carolus verò accepit Mosam superiorem de ista parte Mosa. Mosam subteriorem, quantum de ista parte est. Lingas quod de ista parte est Mosa, & pertinet ad Versatum, Scarpemusa, de Frisiâ tertiam partem. Acta* (r) *creditur hac divisio Attimaci.*

Flevus.

Hollandia in specie est regio quæ à Moselandia in Cannemaro usque inter Oceanum & oppidum Leithem protenditur quæ nunc Rhynlandia vocatur.

Chelidon, auctore Suida, navis fuit in Pelopone-so, quæ in Massiliam trâsuehebat: cætera non intelligo.

Nunc procedendum est ad primordia ipsius Comitatus Hollandiæ, & eorum Principum, qui ab eodem tempore aliquandiu per successionem præfuerunt, Superiùs enim satis declaratum est, qualiter Provinciæ Rheno adjacentes per Romanos anteà sub Præfectis sive Præsidibus & Legatis administratæ sunt etiam usque ad Imperii declinationem. Et qualiter postea in potestatem Regum Francorum devenêre: & usque ad adventum Barbarorum & alienarum gentium per Francos gubernabantur, Frisiis & inferioribus Saxonibus tempore intermedio irruptionem frustrà tentantibus. Franci verò, dum posteà mutuâ internecione sese affligunt, & idcircò solitis potentiæ viribus exhausti bene parta amodo tutari non valent, vastatæ atque indefensæ Provinciæ liberaliter sunt concessę illis, qui animos habebant acquirendi seu hostes profligandi atque eas defendendi, cum largientibus nulla ibidem demeretur potestas aut imperium, quæ ipsis nulla fuit. Sed mihi anni, & tempora & origo ipsorum Comitatuum malè videntur quadrare. Quamvis enim non sit dubium, quin ipse Theodoricus Princeps fuerit alti sanguinis, & militiâ insignis, armisque potens, ita ut propter egregia facinora omni laude dignus celebretur: Quem ab ipso Theodorico illustri Comite, qui consanguineus Caroli Magni, & ejus temporibus per Frisios in Saxoniam & Pannonias exercitum formidabilem duxit, descendisse credam: & majores suos etiam ante tempora Caroli Calvi in his regionibus aliqua possedisse, alibique fuisse potentes: & descendisse à Principibus, qui dicebantur corruptè de Guiennâ, rectiùs verò de Vienna, urbe Allobrogum, vicina Lugduno. Nam (s) legitur quidam Theodoricus Comes fuisse cubicularius Ludovici Balbi, filii Karoli Calvi & ejus filii successoris, qui multas fecit contra Nortmannos expeditiones, & auctoritate contendebat cum Bosone fratre Richildis secundæ uxoris Karoli Calvi, qui Viennam occupaverat, coactus sese dedere, Theodorico verò concessit ipse Ludovicus Balbus Comitatum Augustodunensem testamento, quem cum Bosone commutavit pro certis Abbatiis illic consistentibus. Quod autem Princeps Viennæ fuisse potuerit, satis alludit, quod Ecclesia ipsa Viennensis (quæ jam provinciæ ascribitur metropolis) valde solemnis, prout nobis illic existentibus ostensum est, hac nostra ætate eisdem utitur insigniis, quibus Comites Hollandiæ; hunc ergo posteriorem Theodoricum dixerim patrem Theodorici primi Comi-

Hollandia à Danis habet nomen auctore Heda.

Hic multa omittuntur, ut videre est apud Ammoinum lib. 5. cap. 25.

Franci liberales in elargiendis Provinciis, quas ipsi conservare non poterant.

Comes illustris Theodoricus per Frisiam.

Princeps de Vienna.

Theodoricus cubicularius Ludovici.

Abbatia Egmondensis in beneficium data Comiti. mi Comitis, qui Abbatiam Egmondensem in beneficium obtinuit. Nec opus est eos avitis & falsis saltem titulis adornare, quos propria facta ita illustrarunt, ut præstent suis majoribus. *Virtus Comitum Hollandiæ.* Constat enim ipsum Theodoricum & sequaces suos nedum limites fortissimè fuisse tutatos contra Barbarorum incursiones, sed ampliasse, religione præcelluisse, populosque subjectos placidè & in summâ justitiâ aliquandiu rexisse, & Imperatoribus tam Græcis quàm Latinis ac Regibus, conjugiorum necessitudinibus fuisse conjunctos. Unde mihi satisfacere nequeo, *Origo Comitum Hollandiæ.* ut credam, eos ab antiquis Francorum Regibus Meroveis descendisse, & in Aquitaniâ dominatos, ac Ludovico Pio filio Karoli Magni bella intulisse: sive precibus Haganonis aliquâ possessione per Carolum Calvum donatos, vel ipsi Haganoni attinuisse, considerata saltem temporum serie. Nam Ludovicus Pius Aug. ante Imperium Aquitaniæ quietè satis præfuit, nec jam promoto ad Imperium ulla turbatio, nisi forsan per proprium filium Pipinum emersit; nec aliquem, qui vocetur Theodoricus legimus conscium fuisse, aut ad Aquitaniam aspirasse, licet filia Theodorici Comitis Matricensis per Ludovicum patrem Pipino desponsata sit. *Theutbertus.* Is Comes tamen alibi nominatur Theutbertus, Harmigarda quoque prima uxor ipsius Ludovici Pii, cujus filiam minorem Hiltegardam volunt Theodorico patri Theodorici primi Comitis nupsisse: fuit filia Nigranni Comitis, clarissimis orta natalibus, non autem soror Haganonis, ut Iohannes Beka astruere videtur. Haganonis etenim neque sub Carolo Magno, neque sub Ludovico Pio vel Karolo Calvo Augustis, aut Ludovico ejus filio ulla apud Scriptores invenitur mentio, sed solum apud Abbatem Urspergensem in Chronicâ suâ *Iohannes Beka. Abbas Ursperg.* recitatur de Haganone quodam ex mediocribus elevato, ubi de (t) Carolo Simplice Rege Galliarum Ludovici seu Lotharii filio nepote Karoli Calvi tractat, qui (u) quinquennis Anno D ccc xcvii. creatus Rex fuit. Sed nec Iudith secunda uxor ipsius Ludovici Pii, mater *Erat Carolus simplex duodecim annorum cùm à Fulcone Archiepiscopo Remensi inauguraretur.* Karoli Calvi, soror fuit ipsius Haganonis, ut puta quæ filia erat Welpii nobilissimi Ducis Baioariorum. Audiatur quoque ipse Abbas & Historiographus Gallus apud ipsum introductus, ita scribens de isto posteriore Karolo: *Cumque jam fere totum colligeret regnum, cœpit quendam Haganonem ex mediocribus extollere, & supra omnes Principes diligere, adeò ut magnatibus quibusque procul absistentibus ipse regio lateri solus hæreret, multaque Regii juris ad suum jus torqueret. Unde primates indignati, cùm nullatenus possent eum ab illius dilectione avertere, quærebant illum de Regno abjicere, Rupertumque Ducem, fratrem Oddonis, Regem constituunt, quem Carolus in prælio occidit.* Testatur quoque inter Principes, qui à Rege propter Haganonem defecerant, primos fuisse, Henricum Ducem Saxoniæ, atque istum Rupertum, qui indicto conventu Aquisgrani, continuè secus fores Regii cubiculi manentes, quotidie egressum Regis à penetralibus aulæ præstolabantur; Cùm verò nullum eis à Rege responsum per dies quatuor daretur. *Haganonis elevatio. Invidia Francorum.* Henricus id molestissimè ferens, dixisse fertur; aut Haganonem quandoque cum Karolo regnaturum, aut Karolum cum Haganone ad mediocritatem rerum deventurum: & indignatus inconsultò recessit. Henricus iste tandem ad Imperium promovebatur circa annum Domini D cccc xx. Karolus verò Simplex post quinquennalem *Donatio de Egmonda & conjunctis quando facta sit.* incarcerationem obiit Regni xxxvi. (x) ætatis verò liv, & Salutis D cccc xxviii. anno, cum eo adhuc puero administrasset regnum Oddo tutorio nomine per annos xiii. Secundum ergo historicam veritatem, Donatio de Monasterio Egmondensi & cæteris locis ad illud pertinentibus, à loco qui dicitur Zuitherdes-Hage usque ad Fortrapa & Kinhem sive Kuthen ab hoc Karolo Simplice aut fratre ejus, & alia donatio de Silvâ Wasdâ & Zelandiâ in Comitatu eodem cum pratis & aquis terrisque exitibus, &c à Ludovico filio Lotharii an- *Donatio de Wasda à quo facta.* no D ccc lxxv. defuncto, vel Ludovico Rege Alemaniæ filio Arnulphi Imp. qui obiit anno D ccc xcix. cui filius anno D cccc. primo successit, Imperans annis xii. factæ sunt, & non sub Karolo Calvo aut Ludovico Ludovici Pii filio. Nam per divisionem superiùs tactam ea loca, Zelandiæ non erant in potestate hujus Ludovici, & Iohannes Papa VIII. ordinatus est *Onuph. 872* primum anno D ccc lxiii. ad cujus preces donationes factas volunt, qui non tempore Karoli Calvi, sed Ludovici ejus filii primum in Gallias venit, agens cum Episcopis Galliarum & Belgicæ Synodum apud Trecas. Nec Hagano aut sui diu apud Xanthim resedisse potuerunt: nam circa annum salutis D ccc iv. legitur nobilis (z) Bertholdus de Grimbergen, frater Hildebaldi Archiepiscopi Coloniensis, & Præfectus Karoli Magni Imp. apud Xanthim resedisse, & orarum circumvicinarum administrationem habuisse, cujus uxor dicebatur Ermigardis: nisi fortè ipse Hagano ab hoc Bartoldo descenderit. *Vivacitas Comitis Hollandiæ.* Scribunt insuper ipsum Theodoricum primum Comitem, unà cum filio suo Theodorico Secundo, centum viginti quinque annis,

annis, hunc verò Theodoricum secundum solum regnasse annis lxxxviii. (Rara avis) Hoc enim spacium integram ætatem etiam hominis sanissimi, & senis benè complexi, nedum regnantis, ut plurimùm complectitur, quum Valerius Maximus in cap. de Senectute, pro miraculo narrat Massinissam Regem Numidiæ regnasse annis sexaginta: Nec verisimile est oram maritimam ex faucibus Normannorum evindicandam puero fuisse creditam. Sed annotat ille Scriptor tantùm annorum spacium, nequiens alio argumento suam palliare supputationem, legitur etiam in vitâ Ludovici filii Caroli Simplicis, qui Gerbirgam sororem Ottonis primi duxit uxorem, quidam Theodricus Comes magno fuisse in precio circa annum Domini D cccc lii. in Belgicâ, quem hunc Theodricum Secundum crediderim, præmissa omnia me reddunt anxium; dejudicent alii quod velint.

a *Quam vulgò Aurundilium vocant,*] Hinc Midæ fabulam in scenam produxerunt, quod numismata Aureliani eo loci inventa essent, qualem amicus meus Petrus Venius IC. & pictor non inelegans mihi olim ostendit: de reliquis antiquitatis Rom. monumentis, vide tabellarium diligentissimi nostri Scriverii.

b *Se ad Lotharium Augustum ap. Prumiam monast.)* Obscura hæc narratio & intricata. Nam Dorostatum à Normannis anno 837. vastatum legimus, quando verisimile est Trajectum similiter captum & destructum, longè ante quam Episcopatum iniret Hungerus, sub Imperio nihilominus Lotharii Augusti, utque ita is donationis Monasterii S. Petri ad Ruram fl. auctor dici posset; nisi ipse Heda se explicaret sequentibus verbis: *Iste fuit filius Lotharij Imp. filii Ludovici Pii* &c. Qui Lotharius Imperatoris Lotharii secundo genitus Rex fuit Lotharingiæ; successit a. patri in Imperio Ludovicus II. natu maximus, quem quoque Marianus Scotus contra scriptorum veterum mentem, Lotharium vocat; hinc illa confusio, neque enim Imperator Lotharius sed Rex fuit, qui ut ex diplomate liquidè constat, donationis auctor existit, ad hujus rei elucidationem hanc stemmatis partem adjungo:

Carolus Mag. Imp.	{ Ludovicus Pius, cui ex priore conjuge natus	{ Lotharius Imp. qui obiit an. 855	{ Ludovicus Imp. Rom. Lotharius Lotharing. Rex Carolus.	{ Marianus hos confundere videtur.

c *Et est notandum quod iste Ludovicus successerit patri in Imp.)* Et hic errat Heda, nam Ludovicus Germanicus Lud. Pii filius nunquam Imperium administravit, sed Lutharius frater ejus à patre vivo assumptus 20. annis cum eodem imperaverat & post ejus obitum 15. adhuc Imperio præfuit, Onuphr. Panvin. accuratissimo scriptore testante. Et annales Francorum incerti auctoris ad annum 849 sic habent: *Hunc (*nempe Lotharium*) ferunt Imperatorem morientem designasse, ut post se regni gubernacula susciperet missis ei insignibus regalibus*, hoc est, *sceptro Imperij* & corona; quod & Furmerius vidit, & annotavit, & scriptores probant.

d *Bellum ad Fontanetium gerebatur,*] Vide Nithardum lib. 2. de dissension. filiorum *Lodhuici*. Chron. Reginon. lib. 2. ad annum 841. ubi sic scribit: *Ludovicus & Carolus indignè ferentes, quid regno paterno per omnia privati essent, exercitum undiquaque contrahunt, ac mox fratrem bello aggrediuntur apud Fontaniacum: in qua pugna ita Francorum vires attenuatæ sunt, ut non modò non ad amplificandos regni terminos, verùm etiam nec ad proprios tuendos in posterum sufficerent.* Conveniunt in hunc annum Contractus, Lambertus Schafnab. Marianus. Sigisbertus verò ad annum sequentem rejicit. Sed Annales Fr. Pithœi & pleriq; scriptores, tam Gallici quàm exteri nostro auctori consentiunt.

e *Oceano quoque omnes Provincias inundante* &c.] Eam arborum stragem, aquarumque diluvium referunt in annum 860. Iunius, Bockenb. & reliqui. Vide quæ Douza loco supra citato; ubi tempus Rheni obturati controversum, & à nonnullis in annum 1170. relatum discutit. Adde quæ Hortensius ea de re tradidit in initio rer. Vltr. Nann. Misc. x. lib. Scripsi & ego quid sentiam de tempore obrurati istius ostii alibi.

f *Ad Orientalium verò Navaliam,*] Interpretes Campense oppidum ad ostium Isalæ situm volunt, ubi Pirckheimerus & Mizæus, portum Manarmanis collocant; vide contrarias Pontani & Cluverii opiniones, quid & ubi Navalia locanda.

g *Visa sunt alterius municipii ingentes ruinæ,*] Illud *alterius municipii* quid sibi velit ignoro: aliquoties autem Britannici istius monumenti sive armamentarii in littore ad Catvicum reliquiæ visæ sunt, cujus Ichnographiam exhibet Iunius in Bataviâ, & ex eo, Scriverius in Tabulario Antiquitatum Batavicar. cum ampliore descriptione; Detectâ rursus arenâ à pluribus hæc fundamenta visa annis a Christo nato 1520. 1552. 1562. & nostro demùm tempore bis terve, vide & Douzam lib. 4. Ann. Holl.

h *An. Sal. D ccc lxvi. Kal. Ian.*] In Mortual. invenio xi. Kal. Ian. depositio B. Hungeri Episc. 866. cui alii

concinunt,

concinunt: Annus hic quoque invenitur in Catalogo Episcop. Tr. S. Salvat.

i *Datum 15. Cal. Iun. Anno XXI. &c.)* Sic inveni in MSS. qui annus incidit in annum D.861. quo non fuit indictio 2. sed 9. nam 2. Indictio cadit in annum 854. quo anno Hungerus Ecclesiæ Tr. nondum præfuit.

k *Traditio Lotharii de Berg,)* Hic Lotharius non fuit Augustus, ut jam ante Heda, verùm malè scripsit, sed Rex Lotharingiæ secundus, Lotharii Imp. filius ac fr. Ludovici Imp. Ideoque annum 843. qui in MS. non habetur, delendum esse censui, quod perperàm irrepserat, ut & indicavit ad marginem Furmerius.

l *Volunt aliqui circa hæc tempora,)* Multa quæ de Hollandia hic narrat. à Douza & Scriverio sunt rejecta, quædam ipse Heda paulo post discutit & propius ad veritatem examinat. Quæ de Eckberto Trevirensi & Hollandiæ divisione adduntur aliter à me in notis ad Bekam narrantur. Neque enim Heda veros antiquæ Hollandiæ limites agnovit, qui Insulam Dordrechtensem vix excedebant.

m *Aut alio,)* Nempe pro restauratione Scholarum, qui Eumenii est ad Maximian. & Constantem Impp. circa finem.

n *Naturâ Provinciæ Hollandiæ,)* Plures de Hollandiæ nomine sunt sententiæ, neque hic discutiendæ mihi erunt. Videantur scriptores Hollandici & in primis Iunius ac Douza.

o *Græcè verò Bataviæ,)* Βάθος Græcis profunditas dicitur, an verò inde Batavia dicta sit alii viderint.

p *Nisi apud S. Marcellinum,)* Sed quanti Marcellini iste liber sit æstimandus jam ante dixi, & suo loco plenius me ostensurum arbitror.

q *Quasi Chilindrium vocare possemus,)* Putidum hoc, quasi Zeelandiæ vernaculum ac domesticum vocabulū nostris non satis notum, adeò ut à Græcis Barbarisantibus ejus interpretationem arcessere opus habeamus. χελάνδιον Cedreno navigii genus est. Diacono & Luitprando notum. vide Ioh. Meursii Glossarium Græcobarbarum.

r *Acta creditur Attiniaci,)* Vide fragmentum ad Nithardi historiam, ubi hæc leguntur: Anno *incar.* D.870. *regni Caroli* 33. *Indict.* 3. *Id. Aug. fuit hæc divisio regni in procaspide super fl. Mosam inter glor. Reges Car. & H Ludovicum* &c. In vitâ Lud. Pii Imp. fit mentio Attiniaci his verbis. *Habuit eo tempore circa Missam. S. Martini conventum generalem* in Attiniaco *Palatio.* Extat & inter scriptores Pitheanos, Franc. Sacramentum fidelitatis, quod juraverunt omnes Franci *Missis* D. Caroli Regis secundum capitula facta ap: Attiniacū. Item in Chron. Frodoardi ad an. 924. 928. in vita Lud. Pii pag. 215.

s *Nam legitur quidam Theodoricus,)* Incerta hæc conjectura & fragilis fundamenti, cur enim ex Viennâ & non Indigenâ aliquo? Illud verò de insignibus admodum futile, nec enim insignia aut arma familiarum hæreditaria tunc temporis cognita fuêre.

t *Ubi de Carolo Simplice,* Vide Douzam Nord. lib. v. Annal. Holland. ubi indicatam ab Heda assertionem propius explicat, & multorum approbatione confirmat, quem Scriverius & alii sequuntur.

u *Qui quinquennis anno DCCCXCVII. creatus Rex fuit,)* Id quomodo verum esse potuerit non video, cum Pater ipsius Simplicis Lud. Balbus (post cujus mortem is natus fuit) anno 880. vel 881. sit mortuus: Quin Tilletus Bussierius Car. Simpl. Remis à Fulcone Archiepiscopo coronatum anno 892. 12. ætatis tradat, quod à Faucheto præside confirmatur, vide quæ Gaguinus. P. Æmylius, Massonus, Serrius, alii de Reg. Franc. scripta reliquerunt.

x *Carolus vero. Simplex post quinquennalem, &c. obiit anno 933. &c.* De annis regni Caroli hujus valde variāt auctores, eo quod ipse postumus patre Lud. Balbo circa annum 880. mortuo plures habuerit vel tutorio etiā Regio nomine Rectores, nam ad 22. ætatis annum & pro & cū eo præfuerunt Francis Lodovicus & Carolomannus fratres, vel ut alii filii illegitimi, Lud. Balbi 2. Carolus Crassus 9. Odo vel Eudo 11. annis. De mortis ejus anno plures tradunt eum fuisse 929. quod ex Æmylio, Massono, Faucheto, Haræo, aliis, constat. Sigisbertus tamen 926. facit, quem sequuntur Tilletus, Paradinus, Bonadus, alii, nemo ad 933. annum eum vixisse scriptum reliquit. Urintius vel is qui Barlandi Duces Brabantiæ supplevit, nimis exorbitat à vero, qui Simplicem anno demum 955. obiisse in carcere somniat. Serrius 927. eum mortuum videtur annuere.

y *Odo tutorio nomine per annos* XIII.) Et hic Heda videtur aberrare à veritate, Æmylius enim Odoni tantum 9. annos concedit nec ei cæteri Francici scriptores plures quàm novem vel decem annos tribuunt, Serrius vindecim.

z *Nobilis Bertoldus de Grimbergen*] Undè hæc hauserit Heda ignoro, certè mihi suspecta sunt, nec digna videntur disquisitione altiore.

aa *Dijudicent alii quod velint,)* Hæc apertura omninò aperuit oculos posterorum, ut penitius & altius ad veritatem, penetraverint; inter quos primi Nob. Douza pater; diligentissimus Scriverius, & accuratissimis Emmius.

Odilbaldus Episcopus XII.

Odilbaldi virtus.

SEd ad cœpta revertamur, Hungero successit Odilbaldus Frisius XII. Episcopus Trajectensis, vir laudatæ sanctitatis per omnes gradus Ecclesiasticos ascendens ad Præsulatus honorem, provectus est optione omniū, cui Lodovicus Rex primum & postea Zuentibolchus

bolchus filius Arnulphi Imp. confirmarunt, quicquid Ludovicus, Carolus, Pippinus, aliique Reges concesserant, & proprietatem ac immunitatem ab eis obtentam extenderunt sursum ad Daventriam, Tielam jam destructam, cum suis ripaticis ac cæteris pertinentiis, & universa alia loca in ipso Episcopatu consistentia. Actum Nuimaga anno D ccc xc Salutis, Regni verò Zuentibolchi secundo. Iste Odilbaldus cùm præfuisset annis xxIII. rebus sublatus humanis ad cœlica regna migrasse scribitur. Anno D cccc. 4. Idus Decembris sepultus Trajecti apud templum Divi Salvatoris qui cùm solùm viginti tribus annis præfuerit, & Hungerus uti præmittitur, anno D ccc lxvI obierit, à quo anno usque ad diem obitus Odilbaldi, intercurrunt anni triginta quatuor, sic vacant anni undecim absque alicujus Præsulatus noti administratione; nisi hunc contra (a) vetusta exemplaria xxxIII. annis sedisse, voluerimus astruere. Meminit hujus viri Regino Abbas Prumiacensis haud obscurus scriptor sui temporis, hoc modo scribens: *Ea* (b) *tempestate scilicet* Anno D cccc. *Odilbaldus vir sanctus Trajectensis Ecclesiæ Præsul è rebus humanis sublatus ad cæleste Regnum transivit, in cujus loco subrogatus est* Egilboldus Episcopus xIII. Deinde *Radbodus* xIIII. *venerabilis successoribus antistes.*

Confirmatio Donationum factarum Sedi Episc.

Obitus & sepultura Episcopi.

Temporis quæstio.

Regino Abbas de Odelbaldo ejusque successoribus.

Confirmatio Zuentibolchi sub Odilbaldo.

IN *nomine sanctæ & individuæ Trinitatis. Zuentibolchus gratiâ divinâ Rex, cùm petitionibus Sacerdotum justis ac rationabilibus divini cultus amore favemus, supernâ nos muniri gratiâ non diffidimus. Quapropter noverit industria seu utilitas omnium fidelium nostrorum tam præsentium, quàm & futurorum, qualiter Odilbaldus Trajectensis Ecclesiæ veteris, venerabilis Episcopus, quæ est constructa in honore S. Martini confessoris, & aliorum Dei Sanctorum, obtulit obtutibus nostris authoritatem immunitatis Domini & parentis nostri* (c) *Ludovici piissimi Augusti, in quâ erat insertum qualiter Dominus & genitor suus Carolus bonæ memoriæ clementissimus Imperator, & avus Pippinus Rex & antecessores eorum ad ipsam Ecclesiam concessissent omnem decimam, de mancipiis, de terris, & de teloneis, vel de negotiis & de omni re, undecunque quæ ad partem regiam Fiscus teloneum accipere vel exigere videbatur, & ut homines ejusdem Ecclesiæ sub Mundiburdo & tuitione ipsius Ecclesiæ consisterent; nec non in ripis Dorestado, ut nec bannum, nec fredum, nec conjectum, quod ab ipsis* geschot/ *vocatum esse comperimus, cõtingere aut exactare præsumeret. Et quisquis ex negotiatoribus in eorum ripas intrare voluisset, nullam eis contentionem ex hoc fecisset, nec mansiones in eorum domibus sine permissu eorum accipere auderet, nec eorum res dum vixerint auferre, aut post mortem eorũ contingere, nec ullo modo eis in aliquâ re calumniam generare quis præsumeret, qualiter Præsul ipsius Ecclesiæ liberiùs eidem Clero & populo sibi subjecto alimoniam ministrare, & luminaria in ipsâ sede continuare, at-*

Trajectum vetus.

In quem finem Donationes Ecclesiis fiant.

a *Prumiæ anno Sal. 855. est mortuus,*] Huic assentiuntur Onuphrius, Cuspinianus, Sigonius & alii plerique. Est autem id Cœnobium in Lotharingiâ Ord. S. Benedicti quod aliis, teste Cuspiniano, Pruliacum dicitur.

b *Vel paratas faciendas,*] In notis Bignonii ad Marculphum traditur ex Falceto, paratas uno verbo livrees denotare: ac hodie dici cibos qui in familiâ regiâ, ministris & Familiaribus in specie quotidie præbentur, vid. ad lib. 1. cap. 3. Lydius expensas putat ad Hospitum susceptiones collatas ex Goldasto; vel quæ pro viatico & alimentis præbebantur.

c *Anno Imperat in Italiâ xxvi. & in Franciâ vi.*] Creditur is annis à C. nato 846. post mortem patris, sextus cum quo 20. annis & quod excurrit Imperio præfuerat.

Lutgerus Episcopus X.

Lutgerus Frisius sedit annû unum.

ALfricum itaque Egihardus secundum calculum annorum Imperii Lotharii subsequitur, secundum alios Lutgerus, natione & ipse Frisius decimus in ordine Episcopus, vir mansuetus, & amator pacis, circa sacras lectiones intentus, & Ecclesiasticæ disciplinæ conservator, qui cùm aliquandiu præfuisset, ultimum naturæ persolvit debitum IX. Kal. Maji, cùm sedisset anno uno, sepultus in Ecclesiâ S. Salvatoris apud Trajectum: hujus intuitu Baldricus nobilis contulit Ecclesiæ Trajectensi res & prædia proprietatis suæ quæ habebat in villa Wadake in Ermkina, Uberan, Malsna, Velgassa, Thrimuthi, Avensate, Swinum, Bemela, Helloyina, Herivina, Taratina, Medua, cui vicissim Lutgerus concessit ad vitam Hesolam, Hamarithi & wiam, anno VIII. Lotharii Imperatoris scilicet salutis DCCC. L^mo^.

Baldricus contulit Ecclesiæ,] Diploma extat in meis schedis integrum, ut & in Gerbrandi Chronico, jam typis edito.

Hungerus Episcopus XI.

S. Hiero. presbyter Nortvici à Normannis occisus, 865. quod alii ad annum 838. referunt.

Aurundilium arx in vico Voorburch.

HUic successit Hungerus Frisius, vir sanctitate vitæ præcipuus, doctrinâ etiam insignis, de quo multa scribere nequimus, barbaris jam omnia debacchantibus, à quibus & sanctus Hieron. presbyter capitis abscissione apud Nortvicum vicum Martyrii coronam adeptus est, circa annum Domini DCCC. LXV. teste Ioanne de Bekâ; Incensa arx munitissima in eâ provinciâ (quam Hollandiam vocant) ab Aureliano quondam Augusto illic constituta (quem vulgo (a) Aurundilium vocant) in vico Voorburch. Cujus vestigia ipsi vidimus nostra ætate, & fragmenta Romanam Architecturam ostentantia effodi: veluti partem pavimenti tessellati, pedem æreum confractę statuę, nummos æreos, argenteos atque aureos, cum inscriptione Aureliani, nec non catenulam auream, cum aliquot Smaragdis sesquiangulis politis & perforatis contra Epilepsiam ad collum infantum suspendi solitis. Redactum etiam in favillam Monasterium sancti Adalberti Egmondense, & quæque loca vicina, habitatoribus in ore gladii consumptis: & Trajectum civitas aliquandiu obsessa, acriterque à Christianis defensa, tandem crebris catapultis & machinis quassata, per continuos insultus expugnata, vi occupatur & solotenus adæquatur, rursumque à Barbaris munitur pro receptaculo, & inhabitatur usque ad tempora Caroli Calvi, omnibus incolis prioribus in necem absorbtis, demptis paucis Canonicis, & aliis viris, qui cum Hungero Episcopo aufugerant, conferentes se ad Lotharium Augustum, tunc apud Prumiam Monasterium degentem. Qui commiseratus tantæ afflictionis, cùm intelligeret Ecclesiam Trajectensem barbaricâ rabie jam desolatam, & ad nihilum redactam, Canonicosque olim in eâ Domino militantes, partim interemptos, partim per diversa loca dispersos, tradidit ipsi Episcopo ac superstitibus intra regnum ejus, locum quietum & pacificum pro refugii consolatione, videlicet in pago Maso super fluvium Ruram Monasterium in honorem sancti Petri, constructum quod Berg appellatur, anno tertio regni sui. Iste fuit (b) filius Lotharii Imp. filii Lodovici Pii ex matre Ermigarda, qui & Lodovicus dictus est secundum Marianum, conatus Tietbergam reginam uxorem suam, quam exosam habebat repudiare propter Waldradam concubinam,

b'nam, quam adolescens in domo paternâ nimio diligebat affectu, unde magna contentio suborta est, & ipse interiit Placentiæ excommunicatus, Ado; *At Lotharius rex frater ejus à pravis consiliariis deceptus, diu de duarum fœminarum connubio vacillando pene totam Ecclesiam contra se concitavit. Ob id duo Metropolitani Episcopi Trevericus & Coloniensis sententia Apostolicâ damnati.* Monasterium verò illud postea vocatum est montis Odiliæ haud longè ab oppido Rurimundano, diœcesis Leodiensis quo præpositura translata est, quæ adhuc existit officium in Ecclesiâ Trajectensi, solitum per Canonicum illius ecclesiæ antea obtineri. Similiter & Ludovicus Rex Alemanniæ, filius Ludovici pii Augusti, confirmaverat, quicquid genitor & prædecessores ejus anteà concesserant, eximens Ecclesiam & omnia ejus bona ab omni seculari potestate, condonans etiam perpetuo, quicquid Ius Fisci de illis exigere poterat anno regni sui in Orientali Franciâ XXI. (c) Et est notandum, quod iste Ludovicus successerit parti in Imperium usque ad prælium Fontaneticum illud administrans, tunc per conditiones pacis, concessit Lothario nomen Imperii cum Italiâ. Bellum autem (d) ad Fontanetium gerebatur anno DCCCXLI. In die Ascensionis Domini, visa sunt & magna prodigia sub hoc Episcopo, decurrentibus præter solitum stellis. (e) Oceano quoque omnes Provincias inundante, fluminibus coactis suspendere cursum & diversimode per latera aquas exonerantibus, ita, ut cataclysmus putaretur hominibus ac cæteris animantibus æquè submersis, & ex impetu vehementissimo ventorum arboribus, radicitus evulsis. Unde Provinciales ne quid de cætero hujusmodi periculorum ingrueret rivulum modicum ex Rheno super Dorestatum decurrentem, cujus suprà meminimus, cognomine Leckam ab utroque latere vastis cingentes aggeribus, in eum flumen Rhenum deduxêre, ne tam facilè alveum exire, aut Oceano cedere cogeretur. Hoc modo Rhenus Dorestatum usque nomen servans, inde Lecka jam incepit appellari, interclususque Oceani fluxus refluxusque apud vicum Catwijck Rheni ostium, obstructum est successu temporis, agitatis vento arenis, quæ illud opplevere. Ante quod ferunt & castrum fuisse constitutū, cujus fundamenta jam interdum visuntur, refluente Oceano, quem Britannicum vocant. Nam ad Occidentalius ostium Rheni, Lugdunum, ad Orientalius verò (f) Navaliam, urbes sitas testantur Ptolomeus & Antoninus Pius. Hoc Lugnum aut ex allusione Gallici sive Francici vocabuli Leidim, oppidum conjicere possemus. Nam vulgo dicitur **Leyen**/ & Gallice Lugdunum, Lion, sive Leion, & in commemoratione donationum Ecclesiæ Trajectensis antiquarum invenitur Leithis prima, Leithis secunda, Leithis tertia; ita Lugdunensis prima, Lugdunensis secunda & tertia legitur apud autores. Forsan tria fuere hic similia præsidia. Britanni, teste Ammiano Marcellino, quotannis annonam Legionibus Romanis hybernantibus ad Rhenum in pensum administrare solebant. Ex quo castro nonnulli etiam Romanorum, sicuti Carausius, piraticam exercuisse creduntur. Eo anno, dum hæc scriberemus, abductis vento colliculis arenarum, quæ instar undarum nonnunquam agitantur, visæ sunt alterius (g) Municipii ingentes ruinæ Romanæ vetustatis, haud longè ab ipso Oceano in vico Cattorum, ubi nummi argentei cum inscriptione Severi & Antonini inventi sunt, & nobis dono missi cum plerisque aliis.

Adonis Viennensis verba.

Hoc non est verum, nam Lotharius etiam faventе Ludovico pio Rex Italiæ & Imperator fuit à patre appellatur.

Arx Britannica.

Leithis prima, secunda, tertia.

Anno verò Salutis DCCCLXVI. (h) Kalend Ianuarii Hungerus Episcopus exul à Cathedrâ, & longis angustiis pertęsus decessit. Ubi corpus quiescat, ignorantur, qui unà cum Alfrico & Lutgero Episcopis præfuit annis XXVIII. Claruit sub Lothario seniore, ejusque filio Ludovico, & Carolo Calvo Impp. Quem tamen Hungerum, sicuti nec Egihardum Episcopum annotatum, ita & hunc omissum fuisse, invenio in quibusdam scriptis, forsan ob cladem Normannicam, qua omnia delebantur, & tradebantur oblivioni, id accidit.

Confirmatio Ludovici sub Hungero.

IN nomine sanctæ & individuæ Trinitatis Ludovicus divinâ favente clementiâ Rex. Cum petitionibus sacerdotum Dei justis & rationabilibus Divini cultus amore favemus, supernâ nos muniri gratiâ non diffidimus. Noverit interea industria seu utilitas omnium fidelium

 nostro-

nostrorum, tam præsentium, quàm & futurorum, quia Hungerus Veteris Trajecti Ecclesiæ Episcopus, quæ est constructa in honorem S. Martini confessoris, & aliorum Sanctorum, obtulit obtutibus nostris authoritatem Immunitatis Domini & genitoris nostri, bonæ memoriæ, Ludovici piissimi Augusti, in quâ erat insertum, quod non solum idem Dominus & genitor noster, verùm etiam prædecessores ejus Reges Francorum, eidem Ecclesiæ, cui Hungerus ipse, authore Deo, præesset sub tuitione & defensione eorum, cum omnibus sibi subjectis, & rebus vel hominibus ad se pertinentibus, vel aspicientibus consistere fecerunt, & eorum Immunitatum auctoritatibus hactenus ab inquietudine Judiciariæ potestatis eadem munita atque defensa fuisset Ecclesia, sed pro rei firmitate postulavit à nobis prædictus Episcopus, ut paternum seu prædecessorum nostrorum Regum morem sequentes, hujusmodi nostræ Immunitatis præceptum erga ipsam Ecclesiam, Immunitatis atque tuitionis gratiâ, ob amorem Dei & reverentiam ipsius loci, circa ipsam Ecclesiam fieri censeremus. Cujus petitioni libenter assensum præbuimus, & hoc nostræ authoritatis præceptum fieri decrevimus, per quod præcipimus atque jubemus, ut nullus Iudex publicus, neque quislibet ex judiciariâ potestate, aut nullus ex fidelibus nostris in Ecclesias aut loca, vel agros, seu reliquas possessiones, quas moderno tempore, in quibuslibet pagis vel territoriis infra ditionem regni nostri justè & rationabiliter memorata tenet vel possidet Ecclesia, & ea quæ deinceps jure ipsius sancti loci divina pietas augere dignabitur ad causas audiendas, aut freda exigenda, aut mansiones vel paratas faciendas, vel fidejussores tollendos, aut homines ipsius Ecclesiæ tam ingenuos quàm & servos super terram ipsius commanentes injustè distringendos, neque ullas redhibitiones, aut illicitas occasiones requirendas, nostris & futuris temporibus ingredi audeat, vel ea quæ superiùs memorata sunt exigere præsumat. Sed liceat memorato Præsuli, suisq; successoribus res prædictæ Ecclesiæ cum omnibus sibi subjectis sub tuitionis ac Immunitatis nostræ defensione quieto ordine possidere, & nostro fideliter parere Imperio: atque pro incolumitate nostrâ, conjugis ac prolis, seu etiam totius regni à Deo nobis collati, & ejus clementissimâ miseratione, per immensum conservandi, unà cum Clero & populo sibi subjecto, Domini immensam clementiam exorare: & quicquid de præfatis rebus Ecclesiæ jus Fisci exigere poterat, integrum eidem concessimus Ecclesiæ scilicet, ut in perpetuo tempore ei ad per agendum Dei servitium augmentum & supplementum fiat. Hanc itaque authoritatem, ut pleniorem

Ecclesia Trajecti Veteris.

Sub defensione Regum Francorum.

Ecclesia est ab omni seculari potestate immunis.

rem in Dei nomine obtineat vigorem, & à fidelibus sanctæ Dei Ecclesiæ, & nostris diligentiùs conservetur, manu propriâ subter firmavimus, & annuli nostri impreßione signari fecimus. Signum Domini *Ludovici piißimi Regis,* * *Hardbertus ad vicem Ratlerii recognovi.* Datum ([1]) XV. *Cal. Iunii, Anno* XXI. Domini *& Serenißimi Regis Lodovici in Orientali Franciâ regnante Indictione secundâ. Actum Franconefurd Palatio Regio. In* Dei *nomine feliciter, Amen.*

Indictio 2. sub Ludovico Rege Germaniæ est anno 854. aut 869. id est 29. Reg. ejus.

** Hubertus.*

Traditio Lotharii de Bergh sub Hungero.

IN nomine omnipotentis Dei *&* Domini *nostri Iesu Christi, Lotharius divinâ præveniente gratiâ Rex. Si locis divino cultui mancipatis quippiam muneris confirmamus, id nobis procul dubio ad æternam beatitudinem nanciscendam adfuturum esse confidimus. Igitur comperiatur omnium fidelium sanctæ* Dei *Ecclesiæ, & nostrorum præsentium, scilicet & futurorum industria: Quia ex relatu Guntharii sacri palatii nostri, summi Capellani, & Hungarii venerabilium Episcoporum didicimus, quod Trajectensis Ecclesia, quæ in honore Christi confessoris Martini constructa esse dignoscitur, Barbaricâ imminente nequitiâ, pene destructa, & ad nihilum redacta sit, Canoniciq; olim in eâ* Domino *militantes paßim per diversa loca quidam dispersi, quidam etiam interempti sunt, hac denique incumbente maximâ neceßitate deprecati sunt Celsitudinem nostram, ut memoratæ sanctæ sedi, intra regnum nostrum quietum & pacificum locum ad consolationem & refugium Canonicorum tribueremus. Quorum saluberrimis & syncerißimis suggestionibus pro amore* Domini *protectoris nostri, ob emolumentum etiam ac remedium animæ avi nostri, Lutovvici & piæ memoriæ genitoris nostri Lotharii quondam Augustorum, nec non genitricis nostræ Hermingardæ, seu pro salute nostrâ, regni stabilitate, libentißimum præbentes assensum, hos clementiæ nostræ apices fieri jußimus, per quos in pago Maso, super fluvium Rura, Monasterium in honore sancti Petri constructum, quod Bergh nuncupatur, ad præfatam sedem Trajectensem, sub omni integritate tradimus, per omnia tempora, ad consolationem & tutamentum rectorum ejusdem sedis, vel cleri famulaturum concedimus, qualiter præsignati servi* Dei, *nostrâ perceptâ liberali munificentiâ, eos* Domini *misericordiam pro nostrâ, ac prædecessorum nostrorum salute liberius exorare delectet. Et ut hæc nostra*

Ecclesia Trajectensis à Barbaris destructa.

Bergh Monasterium in pago Maso ad Ruram Occidentalem.

nostrâ

nostræ traditionis seu pietatis largitio per futura tempora inviolabilis perseveret, manu propriâ eam subterfirmavimus, & annuli nostri impressione assignari jussimus. Signum Lotharii gloriosi Regis. Daniel Notarius recognovi, scripsi & subscripsi. Data IV. Nonas Ianuarii, anno Christo propicio Regni D. Lotharii gloriosissimi Regis tertio. Indictione sexta. Actum Prumia Monasterio in Dei nomine feliciter, Amen.

De origine Comitatus Hollandiæ. (l) Volunt aliqui circa hæc tempora, puta sub Hungero Episcopo Comitatum Hollandiæ habuisse originem, donante illam jam desolatam incursione Normannicâ Carolo Calvo Imp. ad preces Ioannis Octavi Romani Pontificis, & Haganonis viri præpotentis, cuidam nobili Theodorico ex Hildebergâ, nepte ejus juniore, filiâ Ludovici pii Augusti, stirpeque antiquorum Regum Francorum oriundo, quos à Trojanis descendisse commemorant: quodque hic Theodoricus minor natu, fratrem habuerit Walgerum sive Waiferum nomine, quem Comitatui Teisterbantiæ ab eodem Imperatore præpositum & sedem constituisse in Avesato prope Thielam: Haganonem verò in oppido Xantensi, quondam Trajana Colonia (quam corruptè jam * Trojam dicunt) habitasse, & provinciis circumvicinis imperitasse testantur, authore præcipuè Ioanne Beeka. Quare cùm sermo incidit de hac re, convenit aliqua, pro veritate dilucidandâ, referre in medium, prout superiùs promissum est. *Hollandia quæ sit provincia.* Hollandia autem rectè describitur, ut ea pars sit, cui Theodoricus Comes à Carolo Præfectus fuit, hoc est in prestariam, sive precariam, uti ajunt, id est, ad vitam suam solum accepit. Nam apud probatos autores & vetustos Codices invenitur, quod Theodoricus ejus nominis tertius, filius sancti Arnulphi, quartus in ordine Comes interventu Ecberti Trevericæ urbis Archiepiscopi, patrui sui, suscepit primùm in propriam hæreditatem ab Ottone tertio Rege quicquid antecessores sui habuerunt in beneficio circa annum Domini D cccc lxxxv. Longè etenim latior fuit Hollandia. *Hollandia in Comitatum & Episcopatum dividitur.* Nam posteà scriptores eam dividunt in Episcopatum & Comitatum. Sed nec totus Episcopatus comprehendebatur sub Hollandiâ. Comitatus namque Veluæ, Twentiæ, Drentiæ & Saliæ (qui Episcopatus sunt) sub Provincia Hollandiæ minimè comprehenduntur; Nec totum fuit in Provinciâ Hollandiæ, quod Comites (qui illius titulum præferunt) possident, sicut ea pars, quæ ad Lavicam fluvium in Frisiis protenditur, atque ubi Caninefates, Frisiaboni, & cæterum id genus populi. Item qui circa Schaldim usque Mosam habitant, quorum aliqui Zelandini, aliqui Frisii vocantur.

** Alii: Xã. Troiam.*

Hollandia & Batavia in genere unum sunt. Sed Hollandia Teutonicè nihil aliud est, quàm ipsa Batavia Græcè. Quod vocabulum & Latini pro nomine Provinciæ sibi usurparunt, cum proprio careant, licet circumlocutione designarunt, veluti in Panegyrico, qui inscribitur Constantino & Maximiano Augg. ubi de insulis Rheni, & Provinciis adjacentibus disseritur hoc modò: *Quamquam illa regio divinis expeditionibus tuis Cæsar vindicata atque purgata, quam obliquis meatibus Schaldis interfluit, quamque divortio sui Rhenus amplectitur, penè, (ut cum verbi periculo loquar) terra non est. Ita penitus aquis imbuta permaduit, ut non solum quà manifestè palustris est, cedat ad nixum & hauriat pressa vestigium, sed etiam ubi paulo videtur firmior, pedum pulsu tentata quatiatur, ut sentire se procul mota, pondus testetur. Ita (ut res est) subjacentibus innatat aquis, & suspensa latè vacillat, ut meritò quis duxerit exercendum fuisse tali solo militem ad navale certamen.* Et (m) in alio: *Aut sub dexterâ tuâ Domine Constanti, Bataviam, Britanniamque squalidum caput, sylvis & fluctibus exerentem intuentium animus affingit.* Ex quibus satis elici potest natura (n) Provinciæ Hollandiæ, teutonicè hoc est, **Hollandt** / vel **Dieplandt** / Græcè verò Bataviæ: cùm secundum Tortellium Bady (o) Græcè, altum sive profundum significet latinè; unde Batavia deducitur. Et Cornelius Tacitus libro XXI. de Bataviâ loquens ita scribit: *Quum interim fluxu Autumni & crebris pluvialibus imbribus superfusus amnis, palustrem humilemque insulam in faciem stagni opplevit.* Et Pomponius Mela lib. 3. *Rhenus ab Alpibus decidens, prope à capite duos lacus efficit, Venetum & Acronium. Mox diu solidus & certo alveo lapsus, haud procul à mari, huc & illuc dispergitur, sed ad sinistram amnis etiam tunc & donec effluat Rhenus: ad dextram primò angustus, & sui similis, post ripis longè ac latè recedentibus, jam*

bus, jam non amnis, sed ingens lacus, ubi campos implevit Flevus, dicitur; ejusdemque nominis insulam amplexus, fit iterum arctior, iterumque fluvius emittitur. Unde liquidò constat, Hollandiam apud nos esse eandem Provinciam, quam Latini & Græci Bataviam vocant, hoc est quæ inter Rhenum & Mosam ubi Vahalim recepit usque ad Oceanum interjacens protenditur. Si quis autem Holtlandiam potiùs, quàm Hollandiam appellandam censuerit, & quia in quibusdam literis ita invenitur (licet in vetustis Historiis latinis nunquam legitur hoc nomen Hollandia, nisi apud S. (p) Marcellinum) hoc ab arboribus, quæ in desolatâ provinciâ excrevêre, dictum putet, cùm partem Provinciæ sylvis & nemoribus oppletam fuisse non abnuamus, ut Holtlandia, hoc est, pars illa arboribus consita potiùs censeatur, quàm Hollandia, id est Batavia, quæ pro majori parte paucas nutrit arbores, præter salices, & eas quidem raras. Regio autem ea, quæ à Moselandia usque Kenemaros, inter Oceanum & oppidum Leithim protenditur, Nort-Hollandia pridem, nunc Rijnlandia vocatur. Fuit & vicus Hollant, à quo forsan nomen cœptum, sicuti Gelria, Clivis, Iuliacum, Brabantia. Nihilominus quamvis & Zelandiam à Græco vocabulo Chilindras, quod navem significat, (q Chilindriam vocare possemus, attamen Hollandiam, Zelandiam, & Denemarcam provinciam nomina ab illis hominibus septentrionalibus, quos Danos & Normannos vocant, indita crediderim. Nec tota Hollandia sive Batavia fuit in Ditione Caroli Calvi eo tempore, quo donationes, (in quibus nec Hollandię meminit,) fecisse creditur Theodorico. Pater namque dederat ei Alemanniam, Rhetiam, & partem Burgundiæ, indignantibus cęteris filiis. At tunc nondum erat ad imperium promotus, in qua donatione nec Hollandię meminit. Quod ex divisione regni Lotharii inter Ludovicum fratrem regem Alemanniæ, & ipsum facta apud Aimonium clarè constat; ex qua particulam hanc tanquam proposito nostro convenientem exscerpsimus. *Ludovicus accepit Comitatum Teisterbantia. Batuam, Hattivarias Mosam subteriorem de ista parte. Item Mosam superiorem, quantum de illa parte est. Lingas, quantum de ista parte est. De Frisiâ partes duas. Carolus verò accepit Mosam superiorem de ista parte Mosa. Mosam subteriorem, quantum de ista parte est. Lingas quod de ista parte est Mosa, & pertinet ad Versatum, Scarpemusa, de Frisiâ tertiam partem. Acta* (r) *creditur hac divisio Attimaci.*

Flevii.

Hollandia in specie est regio quæ à Moselandia in Cannemaro usque inter Oceanum & oppidum Leithem protenditur quæ nunc Rhynlandia vocatur.

Chelidon, auctore Suida, navis fuit in Peloponeso, quæ in Masiliam trāsuehebat: cætera non intelligo.

Hollandia à Danis habet nomen auctore Heda.

Nunc procedendum est ad primordia ipsius Comitatus Hollandiæ, & eorum Principum, qui ab eodem tempore aliquandiu per successionem præfuerunt, Superiùs enim satis declaratum est, qualiter Provinciæ Rheno adjacentes per Romanos anteà sub Præfectis sive Præsidibus & Legatis administratæ sunt etiam usque ad Imperii declinationem. Et qualiter posteà in potestatem Regum Francorum devenêre: & usque ad adventum Barbarorum & alienarum gentium per Francos gubernabantur, Frisiis & inferioribus Saxonibus tempore intermedio irruptionem frustrà tentantibus. Franci verò, dum posteà mutuâ internecione sese affligunt, & idcircò solitis potentiæ viribus exhausti bene parta amodo tutari non valent, vastatæ atque indefensæ Provinciæ liberaliter sunt concessę illis, qui animos habebant acquirendi seu hostes profligandi atque eas defendendi, cum largientibus nulla ibidem demeretur potestas aut imperium, quæ ipsis nulla fuit. Sed mihi anni, & tempora & origo ipsorum Comitatuum malè videntur quadrare. Quamvis enim non sit dubium, quin ipse Theodoricus Princeps fuerit alti sanguinis, & militiâ insignis, armisque potens, ita ut propter egregia facinora omni laude dignus celebretur: Quem ab ipso Theodorico illustri Comite, qui consanguineus Caroli Magni, & ejus temporibus per Frisios in Saxoniam & Pannonias exercitum formidabilem duxit, descendisse credam: & majores suos etiam ante tempora Caroli Calvi in his regionibus aliqua possedisse, alibique fuisse potentes: & descendisse à Principibus, qui dicebantur corruptè de Guiennâ, rectiùs verò de Vienna, urbe Allobrogum, vicina Lugduno. Nam (s) legitur quidam Theodoricus Comes fuisse cubicularius Ludovici Balbi, filii Karoli Calvi & ejus filii successoris, qui multas fecit contra Nortmannos expeditiones, & auctoritate contendebat cum Bosone fratre Richildis secundæ uxoris Karoli Calvi, qui Viennam occupaverat, coactus sese dedere, Theodorico verò concessit ipse Ludovicus Balbus Comitatum Augustodunensem testamento, quem cum Bosone commutavit pro certis Abbatiis illic consistentibus. Quod autem Princeps Viennæ fuisse potuerit, satis alludit, quod Ecclesia ipsa Viennensis (quæ jam provinciæ ascribitur metropolis) valde solemnis, prout nobis illic existentibus ostensum est, hac nostra ætate eisdem utitur insigniis, quibus Comites Hollandiæ; hunc ergo posteriorem Theodoricum dixerim patrem Theodorici primi Comi-

Hic multa omittuntur, ut videre est apud Ammoinum lib. 5. cap. 25.

Franci liberales in elargiendis Provinciis, quas ipsi conservare non poterant.

Comes illustris Theodoricus per Frisiam.

Princeps de Vienna.

Theodoricus cubicularius Ludovici.

mi Comitis, qui Abbatiam Egmondensem in beneficium obtinuit. Nec opus est eos avitis & falsis saltem titulis adornare, quos propria facta ita illustrarunt, ut præstent suis majoribus. Constat enim ipsum Theodoricum & sequaces suos nedum limites fortissimè fuisse tutatos contra Barbarorum incursiones, sed ampliasse, religione præcelluisse, populosque subjectos placidè & in summâ justitiâ aliquandiu rexisse, & Imperatoribus tam Græcis quàm Latinis ac Regibus, conjugiorum necessitudinibus fuisse conjunctos. Unde mihi satisfacere nequeo, ut credam, eos ab antiquis Francorum Regibus Meroveis descendisse, & in Aquitaniâ dominatos, ac Ludovico Pio filio Karoli Magni bella intulisse: sive precibus Haganonis aliqua possessione per Carolum Calvum donatos, vel ipsi Haganoni attinuisse, considerata saltem temporum serie. Nam Ludovicus Pius Aug. ante Imperium Aquitaniæ quietè satis præfuit, nec jam promoto ad Imperium ulla turbatio, nisi forsan per proprium filium Pipinum emersit; nec aliquem, qui vocetur Theodoricus legimus conscium fuisse, aut ad Aquitaniam aspirasse, licet filia Theodorici Comitis Matricensis per Ludovicum patrem Pipino desponsata sit. Is Comes tamen alibi nominatur Theutbertus, Harmigarda quoque prima uxor ipsius Ludovici Pii, cujus filiam minorem Hiltegardam volunt Theodorico patri Theodorici primi Comitis nupsisse: fuit filia Nigranni Comitis, clarissimis orta natalibus, non autem soror Haganonis, ut Iohannes Beka astruere videtur. Haganonis etenim neque sub Carolo Magno, neque sub Ludovico Pio vel Karolo Calvo Augustis, aut Ludovico ejus filio ulla apud Scriptores invenitur mentio, sed solum apud Abbatem Urspergensem in Chronicâ suâ recitatur de Haganone quodam ex mediocribus elevato, ubi de (t) Carolo Simplice Rege Galliarum Ludovici seu Lotharii filio nepote Karoli Calvi tractat, qui (u) quinquennis Anno D ccc xcvii. creatus Rex fuit. Sed nec Iudith secunda uxor ipsius Ludovici Pii, mater Karoli Calvi, soror fuit ipsius Haganonis, ut putaquæ filia erat Welpii nobilissimi Ducis Baioariorum. Audiatur quoque ipse Abbas & Historiographus Gallus apud ipsum introductus, ita scribens de isto posteriore Karolo: *Cumque jam fere totum colligeret regnum, cœpit quendam Haganonem ex mediocribus extollere, & supra omnes Principes diligere, adeò ut magnatibus quibusque procul absistentibus ipse regio lateri solus hæreret, multaque Regis juris ad suum jus torqueret. Unde primates indignati, cùm nullatenus possent eum ab illius dilectione avertere, quærebant illum de Regno abjicere, Rupertumque Ducem, fratrem Oddonis, Regem constituunt, quem Carolus in prælio occidit.* Testatur quoque inter Principes, qui à Rege propter Haganonem defecerant, primos fuisse, Henricum Ducem Saxoniæ, atque istum Rupertum, qui indicto conventu Aquisgrani, continuè secus fores Regii cubiculi manentes, quotidie egressum Regis à penetralibus aulæ præstolabantur; Cùm verò nullum eis à Rege responsum per dies quatuor daretur. Henricus id molestissimè ferens, dixisse fertur; aut Haganonem quandoque cum Karolo regnaturum, aut Karolum cum Haganone ad mediocritatem rerum deventurum: & indignatus inconsultò recessit. Henricus iste tandem ad Imperium promovebatur circa annum Domini D cccc xx. Karolus verò Simplex post quinquennalem incarcerationem obiit Regni xxxvi. (x) ætatis verò liv, & Salutis D cccc xxxiii. anno, cum eo adhuc puero administrasset regnum Oddo tutorio nomine per annos xiii. Secundum ergo historicam veritatem, Donatio de Monasterio Egmondensi & cæteris locis ad illud pertinentibus, à loco qui dicitur Zuitherdes-Hage usque ad Fortrapa & Kinhem sive Kuthen ab hoc Karolo Simplice aut fratre ejus, & alia donatio de Silvâ Wasdâ & Zelandiâ in Comitatu eodem cum pratis & aquis terrisque exitibus, &c. à Ludovico filio Lotharii anno D ccc lxxv. defuncto, vel Ludovico Rege Alemaniæ filio Arnulphi Imp. qui obiit anno D ccc xcix. cui filius anno D cccc. primo successit, Imperans annis xii. factæ sunt, & non sub Karolo Calvo aut Ludovico Ludovici Pii filio. Nam per divisionem superiùs tactam ea loca, Zelandiæ non erant in potestate hujus Ludovici, & Iohannes Papa VIII. ordinatus est primum anno D ccc lxxiii. ad cujus preces donationes factas volunt, qui non tempore Karoli Calvi, sed Ludovici ejus filii primum in Gallias venit, agens cum Episcopis Galliarum & Belgicæ Synodum apud Trecas. Nec Hagano aut sui diu apud Xanthim resedisse potuerunt: nam circa annum salutis D ccc iv. legitur nobilis (z) Bertholdus de Grimbergen, frater Hildebaldi Archiepiscopi Coloniensis, & Præfectus Karoli Magni Imp. apud Xanthim resedisse, & orarum circumvicinarum administrationem habuisse, cujus uxor dicebatur Ermigardis: nisi fortè ipse Hagano ab hoc Bartoldo descenderit. Scribunt insuper ipsum Theodoricum primum Comitem, unà cum filio suo Theodorico Secundo, centum viginti quinque annis,

Abbatia Egmondensis in beneficium data Comiti. *Virtus Comitum Hollandiæ.* *Origo Comitum Hollandiæ.* *Theutbertus.* *Ioannes Beeka.* *Abbas Ursperg.* *Erat Carolus simplex duodecim annorum cùm à Fulcone Archiepiscopo Remensi inauguraretur.* *Haganonis elevatio.* *Invidia Francorum.* *Donatio de Egmunda & conjunctis quando facta sit.* *Donatio de Wasda à quo facta.* *Onuph. 872* *Vivacitas Comitis Hollandiæ.*

annis, hunc verò Theodoricum secundum solum regnasse annis lxxxviii. (Rara avis) Hoc enim spacium integram ætatem etiam hominis sanissimi, & senis benè complexi, nedum regnantis, ut plurimùm complectitur, quum Valerius Maximus in cap. de Senectute, pro miraculo narrat Massinissam Regem Numidiæ regnasse annis sexaginta: Nec verisimile est oram maritimam ex faucibus Normannorum evindicandam puero fuisse creditam. Sed annotat ille Scriptor tantùm annorum spacium, nequiens alio argumento suam palliare supputationem, legitur etiam in vitâ Ludovici filii Caroli Simplicis, qui Gerbirgam sororem Ottonis primi duxit uxorem, quidam Theodricus Comes magno fuisse in precio circa annum Domini D cccc lii. in Belgicâ, quem hunc Theodricum Secundum crediderim, præmissa omnia me reddunt anxium; dejudicent alii quod velint.

a *Quam vulgò Aurundilium vocant,*] Hinc Midæ fabulam in scenam produxerunt, quod numismata Aureliani eo loci inventa essent, qualem amicus meus Petrus Venius IC. & pictor non inelegans mihi olim ostendit: de reliquis antiquitatis Rom. monumentis, vide tabellarium diligentissimi nostri Scriverii.

b *Se ad Lotharium Augustum ap. Prumiam monast.)* Obscura hæc narratio & intricata. Nam Dorostatum à Normannis anno 837. vastatum legimus, quando verisimile est Trajectum similiter captum & destructum, longè ante quam Episcopatum iniret Hungerus, sub Imperio nihilominus Lotharii Augusti, utque ita is donationis Monasterii S. Petri ad Ruram fl. auctor dici posset; nisi ipse Heda se explicaret sequentibus verbis: *Iste fuit filius Lotharij Imp. filii Ludovici Pii* &c. Qui Lotharius Imperatoris Lotharii secundo genitus Rex fuit Lotharingiæ; successit a. patri in Imperio Ludovicus II. natu maximus, quem quoque Marianus Scotus contra scriptorum veterum mentem, Lotharium vocat; hinc illa confusio, neque enim Imperator Lotharius sed Rex fuit, qui ut ex diplomate liquidè constat, donationis auctor existit, ad hujus rei elucidationem hanc stemmatis partem adjungo:

Carolus Mag. Imp.	{ Ludovicus Pius, cui ex priore conjuge natus	{ Lotharius Imp. qui obiit an. 855	{ Ludovicus Imp. Rom. Lotharius Lotharing. Rex Carolus.	{ Marianus hos confundere videtur.

c *Et est notandum quod iste Ludovicus successerit patri in Imp.)* Et hic errat Heda, nam Ludovicus Germanicus Lud. Pii filius nunquam Imperium administravit, sed Lutharius frater ejus à patre vivo assumptus 20. annis cum eodem imperaverat & post ejus obitum 15. adhuc Imperio præfuit, Onuphr. Panvin. accuratissimo scriptore testante. Et annales Francorum incerti auctoris ad annum 849. sic habent: *Hunc (*nempe Lotharium*) ferunt Imperatorem morientem designasse, ut post se regni gubernacula susciperet missis ei insignibus regalibus*, hoc est, *sceptro Imperij* & corona; quod & Furmerius vidit, & annotavit. & scriptores probant.

d *Bellum ad Fontanetum gerebatur,*] Vide Nithardum lib. 2. de dissension. filiorum *Lodhuici*. Chron. Reginon. lib. 2. ad annum 841. ubi sic scribit: *Ludovicus & Carolus indignè ferentes, quid regno paterno per omnia privati essent, exercitum undiquaque contrahunt, ac mox fratrem bello aggrediuntur apud Fontaniacum: in qua pugna ita Francorum vires attenuatæ sunt, ut non modò non ad amplificandos regni terminos, verùm etiam nec ad proprios tuendos in posterum sufficerent.* Conveniunt in hunc annum Contractus, Lambertus Schafnab. Marianus. Sigisbertus verò ad annum sequentem rejicit. Sed Annales Fr. Pithæi & pleriq; scriptores, tam Gallici quàm exteri nostro auctori consentiunt.

e *Oceano quoque omnes Provincias inundante* &c.] Eam arborum stragem, aquarumque diluvium referunt in annum 860. Iunius, Bockenb. & reliqui. Vide quæ Douza loco supra citato; ubi tempus Rheni obturati controversum, & à nonnullis in annum 1170. relatum discutit. Adde quæ Hortensius ea de re tradidit in initio rer. Vltr. Nann. Misc. x. lib. Scripsi & ego quid sentiam de tempore obrurati istius ostii alibi.

f *Ad Orientalim verò Navaliam,*] Interpretes Campense oppidum ad ostium Isalæ situm volunt, ubi Pirckheimerus & Mizæus, portum Manarmanis collocant; vide contrarias Pontani & Cluverii opiniones, quid & ubi Navalia locanda.

g *Visa sunt alterius municipii ingentes ruinæ,*] Illud *alterius municipii* quid sibi velit ignoro: aliquoties autem Britannici istius monumenti sive armamentarii in littore ad Catvicum reliquiæ visæ sunt, cujus Ichnographiam exhibet Iunius in Bataviâ, & ex eo, Scriverius in Tabulario Antiquitatum Batavicar. cum ampliore descriptione; Detectâ rursus arenâ à pluribus hæc fundamenta visa annis a Christo nato 1520. 1552. 1562. & nostro demùm tempore bis terve, vide & Douzam lib. 4. Ann. Holl.

h *An. Sal. D ccclxvi. Kal. Ian.*] In Mortual. invenio xi. Kal. Ian. depositio B. Hugeri Episc. 866. cui alii

concinunt,

concinunt: Annus hic quoque invenitur in Catalogo Episcop. Tr. S. Salvat.

i *Datum 15. Cal. Iun. Anno* XXI. *&c.*) Sic inveni in MSS. qui annus incidit in annum D.861. quo non fuit indictio 2. sed 9. nam 2. Indictio cadit in annum 854. quo anno Hungerus Ecclesiæ Tr. nondum præfuit.

k *Traditio Lotharii de Berg,*) Hic Lotharius non fuit Augustus, ut jam ante Heda, verùm malè scripsit, sed Rex Lotharingiæ secundus, Lotharii Imp. filius ac fr. Ludovici Imp. Ideoque annum 843. qui in MS. non habetur, delendum esse censui, quod perperàm irrepserat, ut & indicavit ad marginem Furmerius.

l *Volunt aliqui circa hæc tempora,*) Multa quæ de Hollandia hic narrat. à Douza & Scriverio sunt rejecta, quædam ipse Heda paulo post discutit & propius ad veritatem examinat. Quæ de Eckberto Trevirensi & Hollandiæ divisione adduntur aliter à me in notis ad Bekam narrantur. Neque enim Heda veros antiquæ Hollandiæ limites agnovit, qui Insulam Dordrechtensem vix excedebant.

m *Aut alio,*) Nempe pro restauratione Scholarum, qui Eumenii est ad Maximian. & Constantem Impp. circa finem.

n *Naturâ Provinciæ Hollandiæ,*] Plures de Hollandiæ nomine sunt sententiæ, neque hic discutiendæ mihi erunt. Videantur scriptores Hollandici & in primis Iunius ac Douza.

o *Græcè verò Bataviæ,*) Βάθος Græcis profunditas dicitur, an verò inde Batavia dicta sit alii viderint.

p *Nisi apud S. Marcellinum,*) Sed quanti Marcellini iste liber sit æstimandus jam ante dixi, & suo loco plenius me ostensurum arbitror.

q *Quasi Chilindriam vocare possemus,*] Putidum hoc, quasi Zeelandiæ vernaculum ac domesticum vocabulū nostris non satis notum, adeò ut à Græcis Barbarisantibus ejus interpretationem arcessere opus habeamus. χελάνδιον Cedreno navigii genus est. Diacono & Luitprando notum. vide Ioh. Meursii Glossarium Græcobarbarum.

r *Acta creditur Attiniaci,*] Vide fragmentum ad Nithardi historiam, ubi hæc leguntur: Anno *incar. D.870. regni Caroli 33. Indict. 3. Id. Aug. fuit hæc divisio regni in procaspide super fl. Mosam inter glor. Reges Car. & H Ludovicum* &c. In vitâ Lud. Pii Imp. fit mentio Attiniaci his verbis. *Habuit eo tempore circa Missam. S. Martini conventum generalem* in Attiniaco *Palatio*. Extat & inter scriptores Pitheanos, Franc. Sacramentum fidelitatis, quod juraverunt omnes Franci *Missis* D. Caroli Regis secundum capitula facta ap: Attiniacū. Item in Chron. Frodoardi ad an. 924. 928. in vita Lud. Pii pag. 215.

s *Nam legitur quidam Theodoricus,*) Incerta hæc conjectura & fragilis fundamenti, cur enim ex Viennâ & non Indigenâ aliquo? Illud verò de insignibus admodum futile, nec enim insignia aut arma familiarum hæreditaria tunc temporis cognita fuêre.

t *Ubi de Carolo Simplice,* Vide Douzam Nord. lib. V. Annal. Holland. ubi indicatam ab Heda assertionem propius explicat, & multorum approbatione confirmat, quem Scriverius & alii sequuntur.

u *Qui quinquennis anno D CCC XCVII. creatus Rex fuit,*] Id quomodo verum esse potuerit non video, cum Pater ipsius Simplicis Lud. Balbus (post cujus mortem is natus fuit) anno 880. vel 881. sit mortuus: Quin Tilletus Bussierius Car. Simpl. Remis à Fulcone Archiepiscopo coronatum anno 892. 12. ætatis tradat, quod à Faucheto præside confirmatur, vide quæ Gaguinus. P. Æmylius, Massonus, Serrius, alii de Reg. Franc. scripta reliquerunt.

x *Carolus vero. Simplex post quinquennalem, &c. obiit anno 933. &c.* De annis regni Caroli hujus valde variāt auctores, eo quod ipse postumus patre Lud. Balbo circa annum 880. mortuo plures habuerit vel tutorio etiā Regio nomine Rectores, nam ad 22. ætatis annum & pro & cū eo præfuerunt Francis Lodovicus & Carolomannus fratres, vel ut alii filii illegitimi, Lud. Balbi 2. Carolus Crassus 9. Odo vel Eudo 11. annis. De mortis ejus anno plures tradunt eum fuisse 929. quod ex Æmylio, Massono, Faucheto, Haræo, aliis, constat. Sigisbertus tamen 926. facit, quem sequuntur Tilletus, Paradinus, Bonadus, alii, nemo ad 933. annum eum vixisse scriptum reliquit. Urintius vel is qui Barlandi Duces Brabantiæ supplevit, nimis exorbitat à vero, qui Simplicem anno demum 955. obiisse in carcere somniat. Serrius 927. eum mortuum videtur annuere.

y *Odo tutorio nomine per annos* XIII.) Et hic Heda videtur aberrare à veritate, Æmylius enim Odoni tantum 9. annos concedit nec ei cæteri Francici scriptores plures quàm novem vel decem annos tribuunt, Serrius undecim.

z *Nobilis Bertoldus de Grimbergen*] Undè hæc hauserit Heda ignoro, certè mihi suspecta sunt, nec digna videntur disquisitione altiore.

aa *Dijudicent alii quod velint,*) Hæc apertura omninò aperuit oculos posterorum, ut penitius & altius ad veritatem, penetraverint; inter quos primi Nob. Douza pater; diligentissimus Scriverius, & accuratissimis Emmius.

Odilbaldus Episcopus XII.

Odilbaldi virtus.

SEd ad cœpta revertamur, Hungero successit Odilbaldus Frisius XII. Episcopus Trajectensis, vir laudatæ sanctitatis per omnes gradus Ecclesiasticos ascendens ad Præsulatus honorem, provectus est optione omniū, cui Lodovicus Rex primum & postea Zuentibolchus

bolchus filius Arnulphi Imp. confirmarunt, quicquid Ludovicus, Carolus, Pippinus, aliique Reges concesserant, & proprietatem ac immunitatem ab eis obtentam extenderunt sursum ad Daventriam, Tielam jam destructam, cum suis ripaticis ac cæteris pertinentiis, & universa alia loca in ipso Episcopatu consistentia. Actum Nuimaga anno DCCCXC Salutis, Regni verò Zuentibolchi secundo. Iste Odilbaldus cùm præfuisset annis XXIII. rebus sublatus humanis ad cœlica regna migrasse scribitur. Anno DCCCC. 4. Idus Decembris sepultus Trajecti apud templum Divi Salvatoris. qui cùm solùm viginti tribus annis præfuerit, & Hungerus uti præmittitur, anno DCCCLXVI obierit, à quo anno usque ad diem obitus Odilbaldi, intercurrunt anni triginta quatuor, sic vacant anni undecim absque alicujus Præsulatus noti administratione; nisi hunc contra (a) vetusta exemplaria XXXIII. annis sedisse, voluerimus astruere. Meminit hujus viri Regino Abbas Prumiacensis haud obscurus scriptor sui temporis, hoc modo scribens: *Ea* (b) *tempestate scilicet* Anno DCCCC. *Odilbaldus vir sanctus Trajectensis Ecclesiæ Præsul è rebus humanis sublatus ad cœleste Regnum transivit, in cujus loco subrogatus est* Egilboldus Episcopus XIII. Deinde *Radbodus* XIIII. *venerabilis successoribus antistes.*

Confirmatio Donationum factarum Sedi Episc.

Obitus & sepultura Episcopi.

Temporis quæstio.

Regino Abbas de Odelbaldo ejusque successoribus.

Confirmatio Zuentibolchi sub Odilbaldo.

IN *nomine sanctæ & individuæ Trinitatis. Zuentibolchus gratiâ divinâ Rex, cùm petitionibus Sacerdotum justis ac rationabilibus divini cultus amore favemus, supernâ nos muniri gratiâ non diffidimus. Quapropter noverit industria seu utilitas omnium fidelium nostrorum tam præsentium, quàm & futurorum, qualiter Odilbaldus Trajectensis Ecclesiæ veteris, venerabilis Episcopus, quæ est constructa in honore S. Martini confessoris, & aliorum Dei Sanctorum, obtulit obtutibus nostris authoritatem immunitatis Domini & parentis nostri* (c) *Ludovici piissimi Augusti, in quâ erat insertum qualiter Dominus & genitor suus Carolus bonæ memoriæ clementissimus Imperator, & avus Pippinus Rex & antecessores eorum ad ipsam Ecclesiam concessissent omnem decimam, de mancipiis, de terris, & de teloneis, vel de negotiis & de omni re, undecunq; quæ ad partem regiam Fiscus teloneum accipere vel exigere videbatur, & ut homines ejusdem Ecclesiæ sub Mundiburdo & tuitione ipsius Ecclesiæ consisterent; nec non in ripis Dorestado, ut nec bannum, nec fredum, nec conjectum, quod ab ipsis* geschot/ *vocatum esse comperimus, cōtingere aut exactare præsumeret. Et quisquis ex negotiatoribus in eorum ripas intrare voluisset, nullam eis contentionem ex hoc fecisset, nec mansiones in eorum domibus sine permissu eorum accipere auderet, nec eorum res dum vixerint auferre, aut post mortem eorū contingere, nec ullo modo eis in aliquâ re calumniam generare quis præsumeret, qualiter Præsul ipsius Ecclesiæ liberiùs eidem Clero & populo sibi subjecto alimoniam ministrare, & luminaria in ipsâ sede continuare, at-*

Trajectum vetus.

In quem finem Donationes Ecclesiis fiant.

 are, at-

are, atque gentiles, qui ad Christianitatem convertuntur, alere & docere possit. Hæc rogavit celsitudinem nostrã jam dictus Episcopus, ut ob nostræ mercedis augmentum illi concederemus, ut ipsam legem quam in Dorestadio antecessores nostri Reges videlicet & Augusti antecessoribus suis Præsulibus sc. & Episcopis, ad jam nominatam sanctam Trajectensem Ecclesiã concesserunt in omnibus huic sanctæ Traj. Sedi, ob amorem Dei, & reverentiam S. Martini in Daventre scilicet & Thiele, universisque aliis locis in ipso Episcopatu consistentibus concessissemus. Cujus petitioni libenti animo aurem accommodare placuit, & per hanc nostram auctoritatem confirmare, ut sicut in Dorestadio in terris S. Martini residentibus, vel cum navibus adripantibus, aut ibi commanentibus, nec teloneum, aut conjectum, seu mansionaticum, aut fredus à ministerialibus nostris exigatur, sic in Daventriâ villâ & Thielâ omnibusque aliis locis in terris & possessionibus ejusdem Trajectensis Ecclesiæ consistentibus & commanentibus, de cætero ab exactoribus nostris non expetentur, sed hæc omnia ob mercedis nostræ augmentum & æternam remunerationem in jus & dominationem jam dictæ Ecclesiæ Traj. redeant, ut S. Martinus, in cujus veneratione ista contulimus, dignetur pro nobis intercedere, ut veniam peccatorum nostrorum mereamur habere. Et quicunque hanc donationem infringere aut immutare per malevolentiam tentaverit in iram omnipotentis Dei & S. Martini se incurrere sciat. Et ut veriùs credatur, & diligentiùs observetur, manu propriâ nostrâ subtus hæc confirmavimus, & sigillo nostro assignari jussimus. Signum Zuentibolchi gloriosissimi Regis, Wadgerus Notarius ad vicem (d) *Radbodi Archicancellarii recognovi. Data* VIII. *Kalendas Julii, anno incarnationis Dominicæ* DCCCXC. (e) *indictione* VIII. *anno verò regni Domini Zuentibolchi secundo. Actum Nuimaga palatio Regio in Dei nomine feliciter, Amen.*

Daventre.

Radbodus.

At ne obnubiletur splendor & amplitudo Ecclesiæ Trajectensis, utile duximus commemorare res ac proprietates bonorum, quæ Divo Martino & Ecclesiæ suæ ab olim à Regibus, Imperatoribus, & piis Christianis ibidem traditæ sunt, & in quarum usu & possessione ipsa Ecclesia fuisse comperitur, usque ad tempora hujus Odilbaldi Episcopi.

(f) Bona & immunitates Ecclesiarum Trajectensium.

Catalogus bonorum ad sedem Vltraject. pertinentium.

Vbkirica.

IN Dorestado Ecclesia, quæ vocatur Ubkirca, cum omnibus appenditiis suis, terris, pascuis, aquis, aquarumvè decursibus, piscationibus, omnia hæc cum insulâ, quæ jacet juxta Ecclesiam sancti Martini, circumquaque inter Rhenum & Leccam; & insulam juxta Bosenchem, quæ propior villæ Rijswich, hæc omnia sancti Martini. De vico etiam supranominato decima pars sancti Martini in omnibus rebus, & inter

& inter Holanwech & Freger-Mahusenhem, sive quod vulgò dicitur Leck terra illa sancti *Rijswijck.*
Martini. In villâ Ryswich Ecclesiæ cum terris ad easdem pertinentibus, & tres alii mansi.
In Lote ecclesiæ tres, cum terris ad easdem pertinentibus & septem alii mansi, exceptâ Regali
decimâ. Et in Haschem tertia pars totius villæ, & insuper mansus unus, quem Hagabard de-
dit; villa Thorhem cum Ecclesiâ & omni integritate sancti Martini. Villa Galama similiter *Hagabard.*
in villa Westfrisse mansus unus, in Tulle mansi tres. In villâ Upburen mansus unus, in Gest- *Galama villa.*
harpe Marka duæ virgæ simul jacent, in villâ Smul mansus unus. In villâ Haltna, quicquid *Upburen*
Herlulphus habuit ibi, & Ecclesia cum quinque mansis. In Lanthein juxta fluvium Laca u- *apud Isel-*
num. In supradictâ villâ Tulle mansus unus, quem Herlulphus dedit. In Helpini IV. & di- *steyn.*
midius mansus. In Lorech tres mansi. In Rugrum sancti Martini totum. In Rumpse simul *Herlulphus.*
in Werkum duæ Ecclesiæ cum terris ad easdem pertinentibus, & octo mansi alii. In villâ
Iodichem tertia pars villæ. In Fresdore Ecclesia cum IV. mansis, Bunichem totum S. Mar- *Rodichem.*
tini. Fetna similiter, Nessechorst similiter, Suegsnon similiter, in Rudinhem quarta pars
totius villæ, Suesna similiter, Marsna similiter, in Lonaralaca duæ partes totius villæ sancti *Marsna.*
Martini: in Merchishem similiter quarta pars totius villæ; in pago Germepi tam de ter-
ris, quàm etiam de pascuis seu piscationibus, vel de omnibus rebus quinta pars san-
cti Martini. In Vurdam totum sancti Martini. In Potarne quinque mansi, In Wal-
richeschem quinta pars villæ. In Hermesche quarta pars villę, villa Gimelt pro-
pria sancti Martini. In Calmere IV. pars totius villæ. In Alfna duæ partes villæ. In Bra-
canhem similiter; in Wilischem VII. mansi, in Martischem duo mansi. In Willighen III.
mansi, in Suetam similiter. In Havesche similiter, in (g) Holtland IV. mansi, in primâ *Holtland.*
Leithen II. in secunda & in tertia unus. In Rodeuburgh quinque mansi, in Leghan V. In *Leithen.*
Loppishem II. In Lippinge similiter. In Wadinghem III. in Fore similiter, in Foren- *Rodenburg.*
burgh II. In Forschate III. In Cralingen I. in Hostenpinhem II. In VVestenpinhem *Cralingen.*
II. In Corsean III. mansi. Thialind, filia Alberti cum filio suo Reginberto tradiderunt *Tialind.*
quicquid habuerunt in Uphusen Martino. Ecclesia quæ dicitur Holtsole cum omnibus san- *Holtsole.*
cti Martini. In Maseland de omni decimâ sancti Martini totum & ad integrum. Et Sin-
noverit totum, Ostburem totum. Similiter Ecclesia quæ dicitur Valcanaburg cum omni- *Valcane-*
bus appenditiis sancti Martini totum & ad integrum. Honerathorp totum. In Suthrem *burg.*
IV. mansi, in Hellere V. In VVabbigem III. In Gittastirp II. In Pillingem I. In Maran-
di I. In Epharadum II. In Elsnum II. In VVirthum II. In Masanusam quicquid Elegsuind
ibi hæreditatis habuit, vel ejus videbatur possessio, totum tradidit ad sanctum Martinum.
In Ler. III. In Rufigen III. In Hustingest III. In Litlongest III. In Lanlongest man-
sus & dimidius. In Honarathorpa medietatem totius villæ, quicquid ibi tradiderunt Er- *Ernulphus*
nulphus & Radulphus hæreditatisque habuerunt. In Rhotusshem, medietas totius villę *& Radul-*
sancti Martini, & insuper hæreditas Aldbutgæ quicquid ibi habuit. Piscatio quam Gerul- *phus.*
phus habuit in extremâ parte Rheni fluminis sexta pars pertinet ad sanctum Martinum. In *Gerulphi*
Heslem mansi V. In Ostrataschem II. In Heslemaholte III. In Lux III. In Ostsagem V. *piscatio.*
In Schota II. In Offrichem thagintes tertia pars & mansi VI. In Westsagem totum absque
II. mansis. In Linsna V. In VVarmelde III. In Ostresgeist II. In Polgest II. In Husin-
gest III. In Offem II. In VVilkenheim cum omnibus appenditiis sancti Martini. Simili-
ter in Buren cum omnibus appenditiis, & in Thalinge similiter totum sancti Martini. In Bro-
ghem II. In Limbon Ecclesia cum mansis X. In Nortgo VII. In Lethem totum & ad inte-
grum sancti Martini, cum sylvis & omnibus adjacentiis; similiter Axmeri Scota totum sancti
Martini. In Haralem III. In Velssen II. In Snattingaburich X. In Schraveholt X. In Venna- *Haralem.*
pen totum sancti Martini. In Hex II. In Bredhem III. In Batchem duo. In Landen tres. In
Benthem VI. In Westburhgem V. In Hosterburgem II. In Brockhem & in Cumulshem III.
In Godolphem II. In Pischem I. In Panga VII. In Guisingo totum sancti Martini. In Wint-
mundhem V. In Husidina III. In Lidum II. In Vagarafelda II. In Edestorpa III. In Padhem
II. In Sichusum totum S. Martini. In Hagarum III. In Zutheren II. In Blechtingen II. In
Schoronlo IV. In Bergum V. In Beverfelda II. In Cãptorpa I. In Berchenburen I. In Vranlo
I. In Texle tertia pars S. Martini. In Wiron duæ partes totius terræ S. Martini cum Ecclesiis
utriusq; terræ; & in Varoth similiter, decima quoq; navium quæ illuc procellarum impetu fe-
runtur, ac inventionis ad sanctum Martinum pertinet, quia ibi telonium non est. De teloniis
quoque aut de negocio, aut undecumque ad partem Regiam jus Fisci censum exigere debet,
omnis decima sancti Martini est; similiter & de tributo quod Husloto vocatur. In VVer-

Piscatio. Damarsche. Vannepa. Almere. Fecht. Servi. Poppo. Hoffled. Villæ. Mancipia. Fresionowijc

mere omnis piscatio, & in Utermere laxatio retium, quod Tragal dicitur, omnis & dimidium piscationis ad sanctum Martinum pertinet, in Darmasche tota piscatio sancti Martini, in Amuson VII. were ad stipandum in Getzewad. In flumine Vennepâ omnis piscatio sancti Martini, in Almere Regalis decimæ census, qui vocatur Cogschult, in Nesse villâ cum omni piscatione. Decima etiam in Almere de sagenis sancti Martini est. Sed modo illæ aliæ partes novem propriæ sunt sancti Martini. Sed & alia piscatio in flumine Fecht tota sancti Martini est, cum omnibus stagnis ibi adjacentibus, omnesque aquæ in Insterlaca cum omni piscatione sancti Martini. Dedit Wiron in Alintlo mansum dominicatum(h)cum terrâ Salariciâ sancto Martino cum servis in(i)eâdem villâ manentibus, quorum hæc sunt nomina: Folcric, Offo, Radberch, Daxger, Thiemar, Redger, Redulf, Dinnach, Remger, Daxburch, Aldo, Richard, Diacer, Wibald, Thito, Hune, Wulfbald, Adolf, Geldulf, Hyldulf, Cathald, Gerhelm, Beclo, Saxger, Everbald, Ostlef, Osburg, Tatlo, Edo & quicquid ibi habuerunt: nunc computatum est in XII. mansos, quorum Poppo, unum habet. In Nothanberi VI. in Lugdingem, & in Strene VI. in Huwido VII. In Heldingen sunt mansi Regis III. & quod superest totum sancti Martini, faciuut mansos XXXII. In loco qui vocatur Beostan-Westaine, XXV. mansi, in Strude lx. & XII. mansi, qui fuerunt Dei sanctorum Martini, Bonifacii, Willebrordi, Ludgeri, Landberti, & Domini Regis & Iubante, Abbo, Alchrafan, Thrudlof, Lindrad, Garhard, Siburg, Gesnulf, Bulo, Soltolf, Garburg, Saxburg & frater ejus Thãgburgũ habuit. Isti sunt S. Martini cũ terrâ quã habuerunt. In Wihemundhem XIII. mãsi, in Ellinthem II. in Wenningen V. mansi, in Landrage III. mansi, in Westerburgen IV. mãsi, in Hosterburgen II. In Beverhem IX. mansi, in Litum III. mansi, in Rotelnashem quod modo dicitur Rinel burg XIII. mãsi sancti Martini sunt, quos Radulphus & Aldburgis de suâ hereditate tradiderunt sancto Martino, & mansi jacent Binorthanflieta. Sedilia autem, quæ Hofsted dicuntur, bisutamflicta, in quibus supra nominati manserunt. In Beverhem tradidit Gutha Ecclesiam necdum consecratam in jus & dominium sancti Martini, eâ videlicet ratione, ut post consecrationem ejusdem Ecclesiæ decimę darentur ad supradictam Ecclesiam de villis his nominatis vocatis Beverhem, Gileshem, Eggingem, Scupildhem. Præterea sunt mancipia quæ jure debentur propria fore almi Martini juxta Feilsum. Tetla & filius ejus, Abbo filiæque ejus tres; Beclo etiam & sorores ejus Frithesuind & Eimburg cum illorum infantibus. In Texele Ecclesiæ omnes sancti Martini, & totius terræ, quæ ad Regem pertinebat, tertia pars sancti Martini, exceptis aliis terris, quas Christi fideles tradiderunt, quæ omnia leguntur inconvulsa mansisse usque ad tempora Otbaldi Episcopi, etiam cujus temporibus fuit quidam presbyter nomine Sibrant qui jussu supra dicti Episcopi regebat omnes Ecclesias in eadem insula Texele cujus fratres his nominibus erant nominati Ostraven & Lintraven. Item in Nortwalde Regalis decima, sicuti in aliis locis, & insuper Accastorp totum sancti Martini in Medemelake regalis decima, & insuper sicut continentur, aquæ, quæ vocantur, Win Warflit, totum S. Martini nec non etiam Fresionowic totum sancti Martini, in terris, sylvis, pascuis, aquis, & piscationibus.

Quæ posteriores Impp. & potentes sed Ultrajectinæ contulerint.

Verùm parum est hæc commemorasse, cum Henrici, Ottones & subsequentes Reges, & Imperatores longe majora contulerint nempe adjacentes provincias, ubertate glebæ, frequentiâ populi, & amplitudine opum & potentiâ regno haud cessuras: veluti Comitatus boni Everhard, Walgeri, Teisterbantiæ, Veluæ, Twenthiæ, Drenthiæ, Grunorum (quos antiquitus Salii, Bructeri, Franci, Vectæ, ac inferiores Saxones tenuerunt) quorum pars non modica incuriâ Episcoporum, suos ditare studentium alienata, seu violenter à potentioribus occupata, aut per defectionem perfidorum subditorum in potestatem aliorum concessit, seu libertatem sibi vindicavit; maxima tamen hâc tempestate sub ditione Episcopi constituitur, uti in suis locis videbitur. Cùm autem in plerisque donationibus & actis mentio fiat Zuentibolchi Regis, & hujus nomen minus notum, vitáque à multis ignoretur, propter scriptorum raritatem, operæprecium duximus, ea quæ invenire potuimus hic intexere, ut hæc obscuritas in parte elucidetur.

De

De Zuentiboldo historia.

(k) ARnulphus filius Karolomanni, quem ille, cùm sibi ex legitimo matrimonio soboles nata non esset, propter conjugis infecunditatem, ex quadam nobili fœminâ suscepit, Arnulphumque nominari voluit ob memoriam Arnulphi Metensis Episcopi, qui à Ludovico patruo suo provinciâ Carantanâ donatus, quam pater pridem illi concesserat, genuit (l) ex pellice filium quem à Zuendiboldo Rege Marahensium Sclavorum (is enim ipsum ex sacro fonte levavit) id nomen sortiri voluit, primum honores * Megandi Comitis & nepotis Odonis Regis circa annum D ccc xciv. illi largitus. Deinde Wormatiæ assensu omnium, Regno Lotharii præfecit, qui anno D ccc xcvi. cupiens amplificare terminos regni sui, collecto immenso exercitu adversus Odonem Laudunum Clavatum obsedit frustra, ac tandem recessit: & hortatu patris, Odam filiam Odonis Comitis duxit in uxorem. Anno D ccc xcix, * Reginharium ducem sibi fidelissimum, & unicum consiliarium (nescitur cujus instinctu) à se reppulit, & honoribus ac hæreditatibus interdictis, eum extra regnum excedere jubet, qui adjuncto Odocare Comite, & quibusdam aliis cum mulieribus & parvulis, & omni suppellectili in locum tutissimum ad Mosam, qui Dorsos dicitur intravit, ibique se communivit. Quod cum Rex cognovisset, castrum obsedit, nec prævalere potuit. Recedenteque itaque eo, Comites Carolum adeunt, & cum omni exercitu in regnum introducunt. Quod persentiens Zuentibolchus licet serò se circumventum, cum perpaucis fuga dilabitur. Carolus recto itinere Aquas venit, deinde Neomagum perrexit. Interea Zuentibolchus ad Franconem Leodiensem Episcopum venit, & eum cum omnibus suis secum assumens Mosam transiit, & ad * Florincas contendens, ubi omnes Proceres regni qui in illis partibus erant, ad eum confluxerunt; ex desperatis itaque rebus vires se recepisse congaudens, resumptâ fiduciâ contra æmulum ad pugnam proficiscitur. Carolus à Neomago revertens Prumiam venit, & inde adversus Zuentiboldum copias transfert, verùm appropinquantibus ex utrâque parte exercitibus nequaquam pugna committitur, sed intercurrentibus legatis pax firmatur, sacramenta jurantur. Carolus transvadatâ Mosâ in suum regnum revertitur. Zuentibolchus colloquium habuit cum optimatibus Arnulphi & Caroli ac suis apud sanctum Goarem, & rursum Durfos expugnare tentavit temerè. Anno D cccc. defuncto Arnulpho Imp. Proceres & Optimates qui sub ditione Arnulphi erant, ad Forocheim in unum congregati, Ludovicum (m) filium præfati Principis, quem ex legitimo matrimonio susceperat regem, super se creant, & coronatum Regeniique ornamentis indutum in fastigio regni sublimarunt, quamvis aliqui hunc Zuentibolchum etiam Ludovicum nominent. Dum hæc in Germaniâ geruntur inter Zuentiboldum & primores regni, inexpiabilis oritur dissensio propter assiduas deprædationes & rapinas quæ in regno fiebant. Et quia cum mulieribus & ignobilioribus regni negotia disponens, honestiores & nobiliores quosque dejiciebat, & honoribus & dignitatibus exspoliabat, pro hujusmodi itaque causâ omnibus odiosus efficitur. Certatim itaque ad Ludovicum transeunt, eumque in regnum introducunt, & in Theodonis villa manibus datis dominationi ejus se subjiciunt. Ludovico transeunte Rhenum Zuentibolchus eò adunatis quoscunque potuit, civitates circuivit, incendiis & rapinis cuncta devastans, arbitratus defectores, qui propter ejus insolentiam & immanem malitiam ab eo defecerant; immaniora & pejora faciens ad se revocare posse. Ludovicus rursum in regnum accersitur, & a Comitibus Stephano, Gerhardo & Matfrido prius honoribus, & dignitatibus privatis, & postea per Arnulphum patrem reconciliatis eidem, Zuentibolchus in prælio interficitur Idibus Augusti: Et eodem anno Gerhardus Comes Odam uxorem ejusdem sibi in matrimonium copulat. In annalibus tamen Leodiensium refertur post Carolum tertium, jamque Imperio à Francis ad Longobardos translato Arnulphum (licet à Formoso Papa R. in Imperatorem inunctum, sed nec filium ejus, nec plerosque alios connumerari inter Augustos, & usque ad Ottonem (n) primum solo regio nomine contentos. Ludovicum quoque (o) hunc in loco Forechem Regem declaratum. Anno D cccc. tertio, ad Imperium non pertigisse, Imperiumque stirpis Carolinæ in eo finitum. In eo autem prælio in quo Zuentibolchus occubuit, quicunque vulneraretur, aut mortem non evasit, aut nunquam sanari potuit. Corpus verò beati

Margin notes: Orig. — * Meginardi Regino. — * Reginbertus — * Reg. Florich magn. — Zuentiboldi perversitas. — Imperium à Francis ad Longobardos translatum. — Vulnera letalia.

rò beati Regis (ſic enim narratur tanquam inter Divos relatus) ſepelitur in eccleſiâ Sufteren-ſi ab ipſo fundatâ Leodienſis Diœceſeos, in quâ & Benedicta & Cecilia ipſius Regis filiæ ſacro velamine initiatæ præfuerunt annis aliquot, multis relliquiis ac privilegiis decoratâ: Memoria hujus Regis celebratur Idibus Augusti, ut prætactum eſt ſuperiùs in vitâ Gregorii præſulis.

Sepultura Zuentiboldi.

a *Contra vetuſta exemplaria 34. anni,*] Imò Beka, Chronicon magnum, Bockenbergius tot annos eum præſulatui præfuiſſe referunt, alii paulo minus 33. inter quos Barlandus.

b *Eadem tempeſtate ſcilicet anno D CCCC.* Regino ad annum 899. hæc refert neque Egilboldi meminit, at Radbodum Odilbaldo ſucceſſorem addit. Sunt qui Odilbaldum anno 898. obiiſſe volunt, in Mirop. Cod. etiam. 899. annum reperi.

c *Parentis noſtri Ludovici piiſſimi Aug.*] Largo modo parentem vocat Ludovicum Pium, cum Zuenteboldus quartus ab eo fuerit, ut ex hoc ſtemmatis parte patet.

Pipinus Rex Fr.	Carolus Magnus Imp.	Ludovicus Pius Aug. ex Emgarde genuit.	Ludovicum Germanicum, qui	Carolomannum, cujus ex concubina filius	Arnulphus Imperator qui ex concubina reliquit	Zuenteboldum Lotharingiæ Regem.

d *Ad vicem Radbodi Archicancellarii,*) Hic Radbodus, juxta Reginonem, mortuo Bertulfo Trevirorum Epiſcopo 4. Idus Septemb. 883., ad VII. Id. Aprilis anni ſequentis per Clerum & populum eidem ſucceſſor electus eſt, cum primum fuiſſet Abbas Epternacenſis: & præfuit annis XXI. ut Bertius in Germ. lib. 3. Kiriander verò, eum Abbatem Mediolanenſem facit, & anno C. 914. obiiſſe tradit.

e *Anno incarn. Domini D CCC XC. Indict.* VIII.) In M. SS. Indict. XIV. legitur qui eſt annus C. 896; itaque reſtituendum arbitror *Anno D. 896. Indict.* 14. Iſque annus ſecundus eſt regni Zuenteboldi in Lotharingiâ; quod indicant ejuſdem diplomata ap. Kiriandrum Commentar. de rebus Aug. Treviror. parte XI. Regino autem ad annum 894. ſic habet: *Poſt Wormatiam venit*, nempe Imp. Arnulphus) *ibique placitum tenuit, volens Zundibalch filium ſuum regno Lotharii præficere, ſed minimè Optimates regni eâ vice aſſenſum præbuere*, quod anno ſequenti eũ obtinuiſſe addit: ergo annus 895. fuit 1. annus regni Zuenteboldi, & 896. ſecundus.

f *Bona & immunitates,*] Extat in libro Cathenato Salvat. & archivis Collegiorum Traject. hoc titulo: *Commemoratio de rebus S. Martini. Trajectenſis Eccleſiæ, quæ jam olim ibidem à fidelibus traditæ ſunt.* Nomina verò propria locorum quæ hic recenſentur cum pleraque valde obſcura & incerta ſint, malui relinquere, quam incertis conjecturis confundere; prodit nihilominus hoc ſcriptum & auctius quàm prius & correctius.

g *In Holtlant,*) Quæ vera olim & primitiva Hollandia, puto me alibi indicaſſe, ex libro Cameræ dicto, Eccleſiæ Tr. qui & liber Statutorum dicitur; ubi inter Decanos rurales Diœceſeos Trajectenſis nominatur Decanus de Hollant, cujus juriſdictio per magnam Inſulam, nunc Zuyt-Hollandiam extendebatur, & diſtinctus erat à Decanis Moſelandiæ, Weſtlingiæ, Renolandiæ, Kinemariæ, Amſtelandiæ, Betuæ, &c. cui rei probandæ etiam videtur facere diploma Epiſcopi Godeboldi
» donantis collegio D. Petri quædam bona in eadem inſula magna ſita, quod incipit: Ego Godebal-
» dus Dei miſericordia Trajectenſ. Eccleſiæ humilis Miniſter, Eccleſiam mei juris in Holland, quæ
» vocatur Tiezelineſkerka, B. Petro in Trajecto, ac fratribus in Eccleſia B. Petri Deo ſervientibus
» in perpetuum tradidi &c. Et hic locus, videtur ſeparatum territorium, à reliquis, quæ nunc ſub nomine Hollandiæ comprehenduntur, denotare.

h *Manſum dominicatum, cum terra Salaricia,*) Manſus quid ſit, vide Hotomannum comment. de verbis feud. Lydius in Gloſſ. putat terram eſſe XII. jugerum; nos vernaculo ſermone vocamus een Hoeve/ agri menſuram 12. jugerum. De huoba & curte quæ obſervavit ad parænet. Teuton. Goldaſtus, vide ib. pag. 440. In legib. Antiquis. Huobas & Hobunnas invenimus dictas etiam manſos. dicitur autem Mãſus Dominicatus, quod dominio Principis obnoxius, vel quod ab eodem donatus Rabanus ad Otgarium: *Proprietas dominicalis dicitur quæ dom. Imperatore ex paterna ſucceſſione hæreditario jure pervenit*, adde gloſſ. ad capp. Car. & Lud. Aimon. lib. v. c. 30. hiſt. Franc. *Vt de manſis indominicatis ſolidus unus daretur*, Legimus etiam manſum *Regalem, Dominicum, Indominicatum* &c. Salariciam vero terram credo illam fuiſſe quæ Salicæ legi obnoxia, vel quæ ad mulierem non perveniret.

i *Et ſervis in eadem villa manentibus,*] Manſi erant alii liberi, alii ſerviles. In Tradit. Fuldenſ. lib. 2. *Duas huobas ſerviles.* Item. *Trado ſervum unum cum ſua huoba*, quod & Bignonius indicat ad Marculf. form. & ex hoc loco apertè conſtat. Quamvis enim coloni & adſcriptitii jure Romano prædiis eſſent adſtricti, ita ut ea rellinquere non poſſent, liberi tamen erant, & res proprias habebant l. 1. Cod. de Præd. Tamiacis lib. XI. l. 18. de Agricolis & cenſitis lib. eodem.

Arnul-

k *Arnulphus filius Karolomanni,*] Hic Arnulphus fil. Karolomanni, fratris Ludovici, F. Lud. Balbi Francorum Regis fuit; qui regnare cœpit post Carolum Calvum anno 879, ex quadam nobili fœmina, & si Lazio habenda fides, ex Lutovindâ nobili Carnâ, extra matrimonium progenitus, Imperium Carolo III. abdicante suscepit anno 887, ut testatur Onuphrius; quæ verò sequuntur pleraque ex Reginone sumpta sunt, lib. 2. Chron. Meminerunt etiam Zuentiboldi Sigisbert in Chron. Luitprandus Ticin. de gestis per Europam lib. 1. cap. 7. Annales Franc. Fuld. ad annum 900. Chron. Laurishamense, Gobelinus Cosmodrom. lib. 6. cap. 44. Contractus ad ann. 900. Marianus Scotus lib. 3. in Arnulp. Imp. Sifridus presb. Misnensis in eodem. Fr. Haræus de Brab. principibus, in Carolo Simpl. Chron. Naucleri, vol. 2. Gener. 31. ad princ. Aventin. lib. 4. Annal. Bojor. Fauchetus, Antiq. Gall. lib. 7. cap. 5. & seq. Miræus in Annal. Belgicis ad anuum 899. Cuspin. in Arnulph. Imp. Divæus rer. Brab. lib. 4. ad finem, alii.

l *Ex pellice genuit filium,*] Lazius de migrationibus Gentium lib. 6. Arnulphi filium ex Helinrada concubinita genitum (Zuentiboldum vulgò dictum) Suetibogum vocat Lotaringiæ Ducem, usque Hepidanno 5. Gallè monacho Tuventibolch nominatur.

m *Ludovicum fil. Arnulphi, quem ex legit. matr.)* Onuphrius de Cæsaribus lib. 3. Ex Lutgarda vel Deyta Augusta natum tradit, eique germanas tribuit Bertham & Luitgardim uxorem Ottonis Saxonis; priorem conjugem Luthardi I. ejus nominis Com. Clivensis facit Cuspinianus, qui & alteram Arnulpho dat conjugem Agnetam matrem Arnulphi cognomento mali ducis Bavariæ, & Wernheri Comitis à Schæurn. P. Æmylius tamen contra omnium ferè historicorum sententiam sic scriptum reliquit: *Duos reliquit filios ex concubina procreatos, Vendaldum & Ludwicum, Paternis tantum natalibus, nulla præclara gesta re nobiles. Ille Paucorum annorum Lotharingiæ Rex; hic solo nomine Augustus, obiit anno Sal.* 912. Cujus opinioni consentientem alium nondum reperi. Vide Andream Presbyterum Ratisponensem in Chron. Bavariæ, ubi agit de Arnulpho & liberis ejus.

n *Vsque ad Othonem primum,)* Baronius Ottonem ab anno 962. imperare cœpisse tradit; & post Carolum III. cognomento Crassum in Italiâ Berengarii, Guidones & alii quidem exorti sunt, qui regium nomen usurparunt; nec id tamen obstitit quo minus Ludovicus hic Arnulphi F. Cæsar diceretur; vide Onuphr. de princip. Rom. lib. 3. Verùm miror interim Sigonium de Regno Ital. lib. 6. Arnulphum tanquam vitio creatum inter Impp. non numerare, quem aliqui Italorum secuti sunt, Blondus autem 2. Decad. libro 2. sic ait: *Desiit in Arnulpho gens Francorum Romanorum Imperium possidere.* Atque ita Itali suis faventes (qui tamen tyranni potius quàm Impp. dici merebantur) eosdem Imperatores & Augustos magno fastu pronuntiare solent, Germanos & Francos insuper habentes; quos Barbaros sæpè, ipsi ex barbarorum fæce progeniti, appellare non verentur.

o *Ludovicum quoque hunc anno 903. ad Imperium non pertigisse,* Onuphr. Panvin. loco supra citato: *Rex appellatur in Forchem, coronatus Aquisgrani ab Hattone Archiepiscopo Moguntino, regnavit annos* XII. Arbitrantur quippe Itali Imperium à Pontif. Rom. coronatione pendere; quare & plures posterorum Imperatorum Reges tantùm Romani, vel Germaniæ, ab ipsis dicti sunt.

p *Inter Divos relatus,*] A Susterensibus Virginibus, quarum Monasterii fundator extitisse creditur; more ejus ævi; de quo videndus Tom. 3. rer. Alamannicarum pag. 64. Hunc Suentibolchum etiā Eventiboldum vocatum lego ab Anselmo in vita Vranc. Leod. Episcopi quem & Lazius Suetibogum, & Switibaldum nominat.

Egilboldus Episcopus XIII.

EGilboldus natione Frisius unanimi omnium voto, XIII. Episcopus surrogatur in locum Odilbaldi, vir non contemnendæ vitæ, literis clarus & ipsi Zuentiboldo Regi acceptus, qui ejus contuitu famulam quandam datis, ut lex Salica docet, in commutatione duobus mancipiis prius & posteà secundum (a) legem Francorum denarium ejus excutiens hoc modo servitutis vinculo liberavit & donavit ingenuitate. Actum Nuimagæ (b). præfuit hic cathedræ Episcopali solum duobus annis, sed secundum Iohannem Bekam sex mensibus tantùm, cujus etiam mentio habetur in annalibus & apud scriptores, decessit 3. Calendas Octobris, sepultus in eâdem (c) ecclesiâ, quâ & Odilbaldus. Hoc etiam tempore volunt Theodericum primum Comitem Hollandiæ concessisse Fatis, subsequente paulo pōst Ghena ejus conjuge, sepulti Egmondæ in Monasterio, quod ex oratorio ipse ligneum erexerat.

Lex Salica. *Lex Francorum.* *Forma manumissionis.* *Ioh. Beka.* *Obitus Egilbaldi.* *Obitus Comitis primi Hollandiæ.*

In vitâ Radbodi Episcopi, VI. tomo SS. Surii, Egilbertus vocatur: in Veteri quoque Cod. Eylbodum lego.

a *Secundum legem Francorum denarium ejus excutiens,*] Vide legem Salicam cap. 28, & ibi à Lindenbruchio annotata. Extat & libr. 1. cap. 22. Formul. Marculfi præceptum denariale his verbis expressum. *Quia N. vir inluster servum suum nomine N; per manum illius ad nostram præsentiam, jactante denario,*

denario, secundum legem Salicam dimisit ingenuum, ejus quoque absolutionem per præsentem auctoritatem firmamus. Adde, quæ ad hunc locum Bignonius, de tribus manumissionis modis ap. veteres Francos, eleganter tradit. Genabi quoque in Galliis, in templo S. Crucis elegans manumittendi formula extabat lapidi incisa. Legitur hujus manumissionis diploma integrum in Archivis Collegiorum Traject. cujus operæ-pretium hic addere tenorem:

Præceptum Suentibolchi sub Eylboldo Emancipationis jure Francorum factæ.

IN nomine S. & Indiv. Trinit. Zuentiboldus divinâ præveniente clementiâ Rex. Cum fidelium nostrorum petitiones ad effectum perducere curamus, omnino animos eorum erga nostram utilitatem reddimus promptiores. Ideo noverit omnium Sanctæ Traject. Ecclesiæ fidelium futurorum scilicet & præsentium nostrorum universitas; Quandoquidem fidelis noster nomine Eylboldus Episcopus aures pietatis nostræ adiit, humiliter deposcens, ut unam è familiâ juris Ecclesiæ S. Martini in Elste, Odburg videlicet, liberam ac ingenuam fecissemus. Nos quoque petioni ejus acquiescentes, datis postea in commutationem, ut lex Salica docet, duobus mancipiis præfatæ Ecclesiæ propriis. Et postea secundum legem Francorum denarium ejus excutientes, & sic eam servitutis vinculo liberavimus & ingenuitatis ei confirmationem tribuimus. Nos quoque Eminentiæ nostræ Apices ei fieri atque conscribi jussimus, per quos mandamus atque firmissimè præcipimus ut præmemorata Odburg ingenua sit, & sub ingenuitatis nomine secura atque illæsa omni tempore firmiter permaneat, ita, quasi ab ingenuis parentibus nata esset. Et ut nostræ confirmationis authoritas inviolabilem obtineat firmitatem, annuli nostri impressione subtus signari jussimus.

Signum Zuentiboldi Regis, Walterus Notarius ad vicem Fretiboldi Archiepiscopi & summi Capellani recognovi. Actum Nuimaga regali Palatio in Domini nomine feliciter.

b *Præfuit solum duobus annis,*] De tempore mortis hujus præsulis, & quamdiu præfuerit Ecclesiæ Tr. quam omnia sint incerta, satis inculcat hic Heda. Sunt qui x. tantum ei menses tribuunt. Beka parvo eum tempore pontificium gubernasse scribit. Barlandus, mense sexto quam administrare cœperat, fatali morte consumptum tradit, Bockenbergius annum unum sedisse vult.

c *Hoc etiam tempore volunt Theodoricum,*] Quæ de obitu Theodorici Com. narrantur non minus dubia & incerta sunt, quàm quæ de Egilboldo dixi, de quo plura consideratione digna supra auctor noster tradidit, & videndus omnino est diligentissimus Scriverius, qui acri judicio excussit hæc paradoxa in notatis ad Chronicon Hollandiæ, & nos ad Becani Chron. quædam diximus.

Radbodus Episcopus XIV.

RAdbodus, sive Radbodo vir illuster, & (a) Regio sanguine ortus (siquidem maternus attavus erat Radbodus Rex Frisiorum, & Guntherus (b) Coloniæ Agrippinæ Episcopus ejus avunculus) urgente Arnulpho Imp. Episcopus XIV. constituitur animo satis renitente. Hic educatus in aulâ Caroli Regis Francorum, (c) Nannonis Philosophi profitentis septem artes (quas vocant liberales) fuit auditor, &, uti conjicitur ipsius Zuentibolchi Regis (d) Archi-cancellarius, humanis (e) ac divinis literis apprimè eruditus, valuit carmine & pedestri oratione: cujus scripta in vitam & laudem Sanctorum adhuc extant, potens etiam spiritu prophetico & vivens clarus miraculis. Ordinatus autem Episcopus, jam exteriorem hominem supplantans, & relinquens aulam Regiam, fervore religionis accenditur, orationibus, eleemosynis & corporis macerationi intentus usque adeo, ut dum convivæ uterentur vino, ipse solus & clam illis aquam sumere consueverit: quod cùm quidam Gommarus suspicaretur, expetiit ex ejus poculo bibere, & non consentienti subtrahens scyphum, hausit ex illius liquore, quem repentè ex aquâ in optimum vinum constat fuisse commutatum, quo comperto ille supplex deposcit veniam. At urbe Trajectensi jam per tyrannorum crudelitatem omninò desolatâ, constituit sedem apud (f) Daventriam. Properans autem certo tempore adire Trajectum, visitaturus loca & corpora Sanctorum, habuit Danos obvios pium ejus propositum impedientes, quos piè admonitos, ut à crudelitate & Idololatriâ desisterent, ac fidem Christianam sumerent, obaudientes & mortem comminantes tanquam perditos notavit anathemate; & statim subsecuta ultio: nam cœlesti icti fulmine, interierunt. Quo miraculo commoti Christiani eos sumptis armis propulerunt Trajecto. Præterea Baldrico juveni claræ indolis adducenti binos clericos conterraneos suos exoranti, ut eos consecraret sacerdotes. Respondit, peracto triennio mihi ab ergastulo carnis absoluto succedes Episcopus, hos tunc ordinabis, & loca sacra ac urbem Trajectensem restaurabis, prout eventus rei posteà edocuit: huic in Tuentoniâ extremâ valetudine laboranti, apparuit sancta Dei genitrix, comitata Agnete & Teclâ virginibus, consolans eum, & promittens spem sanitatis, subjungens tamen ipsum haud longo tempore superstiturum mundanis miseriis. Itaque liberatus ab illâ ægritudine assiduò se præparavit ad resolutionem beatam, exiens Tuentoniam & apud Homersum sive Othimarshem lecto decumbens inter decantandum laudes sancti Martini, migravit ex hoc sæculo III. Kalend. (g) Decemb. Anno DCCCCXVII. translatus Daventriam. Præfuit in tantis Danorum calamitatibus annis XVII. adscriptus (h) catalogo Sanctorum. Ad cujus sepulchrum confugientes, fiunt compotes votorum. Cui Zuentibolchus Galliæ Belgicę sive Lotharingiæ ac Carolus Francorum Reges, confirmarunt donationem Daventriæ oppidi ac illius arcis, & Thielæ cum teloniis & pertinentiis anteà ecclesiæ Trajectensi factam. Et Conrardus Rex similiter confirmavit, quicquid alii Reges concesserant ad preces Udonis consanguinei sui & Walgeri Comitis, anno DCCCCXIV. regni ejus tertio. Actum apud Willenaburg. Supersunt multa ejus præconia in laudem Sanctorum composita, & etiam inter alia scripta hæc comperimus literis vetustis annotata. (h).

Nanno Philosophus. Radbodi virtus. Radbodi scripta. Frugalitas Radbodi. Gommarus Aqua in vinum mutata. Dani obviam veniunt Radbodo, & ab eo feriuntur anathemate. Dani Trajecto expulsi. Vaticinium Radbodi. Apparitio Deiparæ Virginis. Homarsum sive Othmarsum. Obitus S. Radbodi. Donationes factę S. Radbodo. Præconia S. Radbodi.

Anno ab incarnatione Domini DCCCC. apparuit in cœlo mirabile signum, stellæ enim visę sunt undique tanquam ex alto in Horizontis imum profluere circa poli cardinem, omnes ferè inter se invicem concurrere: quod prodigium secutæ sunt tristes rerum calamitates, aëris videlicet maxima intemperies, crebrique ventorum turbines, fluminum quoque terminos suos transgredientium, terribilis quædam quasi cataclymi imago. Et quod his pestilentius est, diræ hominum adversus Deum se extollentium tempestates. Hoc eodem anno, priusquam tamen Epactę mutarentur, Folco (l) Remorum Episcopus Metropolitanus, & Zuentiboldus Rex interfecti sunt; ac non multis antea diebus ego peccator Radbodus inter famulos sanctę Trajectensis ecclesiæ conscribi merui: Atque ô utinam cum eisdem æternæ vitæ consortium merear adipisci. Hoc ergo erit Epitaphium meum de viatico Christi.

Esuries

Epitaphium Radbodi.

ESuries, te, Christe Deus sitis atque videndi
Iam modo carnales me vetat esse dapes.
Da mihi te vesci, te potum haurire salutis
Unicus ignota tu cibus esto via.
Et quem longa fames errantem ambesit in orbe,
Hunc satia vultu, patris imago, tuo.

(k) Item de poscendâ peccatorum remissione.

Sis pius oro mihi Martine habitator Olympi,
Solamen misero sis pius oro mihi.
Porrige quæso manum ne me trahat ecce profundum
Portus naufragium, porrige quæso manum.
Imminet umbra necis, nunc mihi proximus adsis,
Res nimium tristis, imminet umbra necis.
*Eripe me tenebris, * & diris subtrahe flammis,*
Dilector lucis eripe me tenebris.
Me quoque redde polo regnum quo permanet agno,
Qui frueris cælo, me quoque redde polo.

* Cocyti &.

In quorum omnium confirmationem ita scribit Iohannes Abbas Spanhemensis: Radbodus XIV. Episcopus Trajectensis, natione Teutonicus, vir in divinis Scripturis valdè eruditus, & "secularium literarum non ignarus, ingenio subtilis, eloquio clarus, vitâ & conversatione "sanctissimus, multis & vivus & mortuus miraculis coruscavit, hunc in omnibus literis humanitatis Nanno Philosophus doctissimus instruxerat; qui advocatus in Palatio Regis Karoli "Grossi fuit, & posteà Monasterium ingressus, tandem Episcopus ut diximus consecratus, Ecclesiam Trajectensem in gravi persecutione Danorum XVII. annis strenuè gubernavit; scripsit autem nonnulla præclara opuscula, de quibus ista feruntur, Laudes sancti Martini lib. I. "Laudes sancti Bonifacii Episcopi lib. I. De sanctâ Amelbergâ lib. I. Homiliarum & Sermonum lib. I. De sancto Willibordo flores. Integrum quoque de sancti Martini translatione officium, & varios cantus in honorem Sanctorum. Obiit sub Ludovico filio Arnulphi Imp. "Anno DCCCCXVII. Indict. V. III. Kalend. Decemb. Episcopatus sui anno XVIII: sepultus "apud Daventriam ubi residere anteà consueverat.

(l) Tritem.

Conradi confirmatio sub Radbodo sive Radbodone.

IN *nomine sanctæ & individuæ Trinitatis. Conradus divinâ auxiliante clementiâ Rex: Cùm petitionibus sacerdotum justis & rationabilibus divini cultus amore favemus, remunerationem hujus rei à Christi gratiâ expectamus. Quocirca notum fieri volumus omnibus*

ſtæ Dei Eccleſiæ fidelibus tam præſentibus quàm futuris Radbodonem venerabilem Epiſcopum veteris Trajecti Eccleſiæ, quæ eſt conſtructa in honore S. Martini Confeſſoris, aliorumq; Sanctorum, ſuggeßiſſe Majeſtati noſtræ per quoſdam nobis familiares, ut conſtituta Regum qui nos præceſſerunt, quibus præfata Eccleſia nobiliter ampliata atque ditata, ſcripta renovari juberemus, idemque ſcriptum nominis noſtri (l) *ſigno, noſtræque Imaginis ſigillo, cum manus noſtræ ſcriptione firmaremus. Cujus petitioni, quam per Udonem conſanguineum* (m) *noſtrum,* Waltgerumque *Comitem nobis obtulerat, libenter aurem accommodantes, Regali authoritate ſtatuimus, firmiterque jubemus, ut ab hâc die, & deinceps ſicut in cæteris immunitatibus anteceſſores noſtri Reges videlicet vel Impp. Eccleſiis Dei conceſſerunt, ita & nos in omnibus rebus immunitatis prædictæ S. Dei Eccleſiæ concedimus, & jure perpetuo delegamus. Hanc itaque authoritatem, ut noſtris, noſtrorumque ſucceſſorum temporibus inviolabilem obtineat firmitatem, manu propriâ ſubtus firmavimus, & ſigilli noſtri impreßione jußimus roborari. Signum D. Conradi ſerenißimi Regis.* (n) *Salomon Cancellarius ad vicem Pigrini Archicappellani recognovi. Data* VII. *Idus Julij, anno incarnationis Domini* DCCCCXIV. *Indictione ſecundâ, Anno regni Conradi glorioſißimi Regis tertio. Actum apud* Willinaburgh (o) *in* Dei *nomine feliciter, Amen.*

a *Regio ſanguine ortus,*] Hæc habet quoque Sifridus Petri de ſcriptor Friſiæ Dec. 7. Unde Hamconius:

> *Rege atavo Friſio, magnis genitoribus ortus*
> *Cum regeret ſacrum Præſul* RADBODUS *ovile,*
> *Trajectum tenuit prædo Normannicus.*

Et Ubbo Emmius Rer. Friſ. lib. 5. ita ſcribit iteratâ editione: *Ultrajectum ab exceſſu Hungeri, quam plures per annos, dum Odilbaldus, Egilbaldus, Radbodus omnes in Friſiâ nati, & hic etiam clariſſimo ſtemmate materno ex Rege cognomine deſcendens Eccleſiæ præfuerunt.*

b *Gunterus Col. Agrippinæ Epiſcopus ejus avunculus,*) Hunc alii Guntarium vocant, qui circa annum 840. vel ut quidam 852. Hattebaldi Epiſcopi ſucceſſor fuit; verum cum is cauſam Lotharii uxorem ſuam repudiantis & Waldradæ ſororis præſulis (quam uxori Lotharius ſuperinduxerat) foveret, à Nicolao Papa R. excommunicatus, & circa annum 864. à ſede ſuâ dejectus eſt: quam rem pluribus exequitur Regino Chron. lib. 2. ad annum 864. & ſeqq. uſque ad 869. quando demum ſucceſſorem accepit Guntherus. vide inſuper Sigiſberti Chronicon ad annum Chriſti 862. & ſeqq. Decret. 2. par. cauſa 11. quæſt. 1. in fine, Haræum de princip. Brabant. in Lothar. 2. Miræum in Annal. Belg. ad annum 862. ſeqq. Divæum Rer. Brabant. lib. 4. Aventinum Annal. Bojorum lib. 4. Anaſtaſium in vita Nicol. P.R. Chron. Belg. magn. Ottonem Friſing. Chron. lib. 6. cap. 3. Contractum in Chron. ad annos prædictos.

c *In aula Caroli Regis Francorum,*] Caroli Craſſi Imp. & Regis Francorum, qui regnare in Francia cœpit teſte Æmylio anno 886.

d *Nannonis philoſophi auditor,*] Hujus Nannonis præter Bekam meminit Trith. Abbas in Cat. vir. illuſtr. ubi vitam Radbodi attingit. Friſium facit Sifridus Petri in lib. de ſcriptoribus Friſiæ Dec. 6. Staurienſem philoſophum, virum ſui temporis doctiſſimum, cujus etiam ſcripta in bibliothecis per Hollandiam & Friſiam haberi ſolita, idem tradit, mihi ea omnino incognita licet aliquam eorum mentionem quoque faciant Val. Andreas & Franciſcus Sweertius in ſuis Bibl. vixit autem circa annum C. 880.

c *Ipsius Zuentibolchi Regis Archicancellarius,*] In diplomate Zuentibolchi supra in Odilbaldo recitato, legitur quidem *Waldgerus Notarius ad vicem Radbodi Archicancellarii recognovi*: Sed is Radbodus Episcopus fuit Trevirensis, qui eodem tempore vixit, nempe anno C 883, ac Bertulpho successit, anno 914. mortuus, de quo vide plura apud Kiriandrum Comment. Trevirens. parte XI. Invenio etiam Not. Radbodum in diplomate Caroli Regis quem simplicem vocant, ad annum C 920, cum hic noster jam ante triennium, ut videtur, obiisset.

f *Humanis & divinis literis eruditus,*] Consulendi Trithemius Abbas de viris illustribus & scriptoribus Eccles. Sifridus Petri de scriptoribus Frisiæ, & Hamconius Friso, qui postremus pleraque ejus scripta in lucem se daturum promisit, quod an fecerit, ignoro. Item Val. Andreas in Bibl. Belg. ac Fr. Swertius in Athenis Belgicis.

g *Constituit sedem apud Daventriam,*] Verisimile est ex monte S. Odiliæ vel Monasterio Berch, quo Hungerus cum reliquiis Cleri se contulerat, Radbodum post Normannicam cladem venisse Daventriam, ut Trajecto minus abesset, & sparsum Ecclesiæ suæ populum commodius colligeret. Nam jam ante Zuenteboldus Rex Odilboldo Antistiti cum aliis locis etiam donationem Daventriæ confirmaverat, ut ex diplomate supra posito constat.

h III. *Calend. Decembris.*) Diem obitus Radbodi ad XV. Calend. Decembr. refert Sweertius in Athenis Belg. secutus Dessellum, cum plerique Hedæ calculum probent.

i *Folco Remorum Metropolitanus & Zuentiboldus Rex interfecti,*] De cæde Zwentiboldi jam dictum est ex Reginone & aliis. De Folcone verò qui anno C 882. Remigio successerat, Flodoardus lib. 4. hist. Ecclesiæ Remensis cap. 1. sic scribit, *Successit in Episcopatu Remensi Fulco vir valde nobilis, & Palatinis assuetus officiis*; & sic porro usque ad caput. X, quo agit de ejus cæde, Procurante Balduino Flãdriæ Comite à Winemaro factâ, cujus ibi causa & occasio narratur. Videndus etiam Meierus lib. 2. Annal. Flandr. ad annum C. 900. in Bald. Calvo. Miræus in Annal. Belg. cædem Fulconis refert in annum 901. Molanus, vel potius additiones ad Usuardi Martyrol. 17. Iun. eum inter Martyres referunt, ut & Ferreolus Locrius in Chron. Belg. ad annum 900. quem vide, cum Reginone lib. 2. Chron. anno 903, & Sigisberto, qui cædem Zuentiboldi anno demum 903. factam scribit.

k In MSS. inter duo hic posita epigrammata, aliud carmen Radbodi habetur, quod & addendum curavi.

O Deus omnipotens cujus pietate redemptus
Subsistit mundus, qua generatus homo,
Respice me miserum peccati mole gravatum
Et nimio pressum pondere Christe, leva.
Ereptumque gregis dira de sorte sinistri
Iudicij, inter oves tempore siste tuas.

l *Idemque scriptum nominis nostri signo, nostræque imaginis sigillo; cum manus nostræ scriptione firmaremus*) Tribus, ut hisce patet, modis Impp. sua olim firmabant diplomata: *Signo* nempe *Imperatorio*, nomen principis literis implicitis exprimente; qualia plura in Onuphrio lib. 3. Princip. Rom. aliisque scriptoribus passim occurrunt: *Imaginis sigillo*, qualia in auro & cerâ à me visa, & expressa: ac denique *manus subscriptione*, quod etiam hodie principes usurpant, ut Carulus, Conradus, Otto.

m *Per Vdonem consanguineum nostrum;*) Videtur hujus meminisse Regino ad annum 910, & ad annum 939. his verbis: *Giselbertus & Everardus juxta Andernacum castellum cum suis Rhenum transituri, ab Vdone & Chunrado Comitibus præventi, &c.*

n *Salomon. Cancellarius,*) Invenio circa annum C. 907. Salomonem Episcopum captum, forteani idem cum hoc; & animadversione dignum est plerosque ex Clero talia eo tempore munia administrasse, & nullos; vel paucos post Boetium Severinum Cos. in re literaria præstitisse, nisi ex eo ordine, usque Accursium Iuris Civilis interpretem vel paulo ante ejus ævum.

o *Actum apud Willinaburg,*) Quo loco Urspergens. Abbas Imperatorem hunc sepultum tradit, quod & Cuspinianus ex eo refert; alii mortuum quidem Vuilinaburgi in Franconiâ, sed Fuldæ sepultum eum volunt.

Baldri-

Baldricus Episcopus XV.

BAldricus ob egregia sua facinora cognominatus Pius, nobili sanguine Præfectorum sive Comitum Clivensium oriundus; patre Rixfrido excomite, post Radbodum dignitatem cathedræ Episcopalis Trajectensis xv. assequitur, vir magnæ scientię, pace ac bello clarus, præceptor filiorum Henrici primi Regis, scilicet Ottonis, Henrici & Brunonis, quorum Otto ad Imperium conscendit. Henricus immaturâ morte præventus defletur, Bruno Agrippinæ Coloniæ Archiepiscopus, & Dux Lotharingiæ constitutus, præpedito fratre Imperatore Hungarico, & aliis exteris bellis ipse inferioris Germaniæ ac Belgicę provincias gnaviter administravit. Nam eâ tempestate tanta fuit Christianæ Reipubl. necessitas, ut & Episcopi & Prælati Ecclesiastici utile duxerint etiam armis illam defensare. Decreverat Henricus pater, Brunonem filium ante (a) Radbodo surrogare, sed intellectâ desolatione urbis Trajectensis per Danos factâ, tradidit ipsum militiæ, quem posteà frater Otto Imp. instinctu Baldrici hujus direxit cum non spernendâ manu ad restituendam urbem, & liberandum provincias circumvicinas, antiquatis hostibus, quorum fortuna jam undique nutabat, qui etiam victoriosè bellum hoc injunctum exequitur; constituens ipsum Baldricum in sedem quietam. Hic itaque quemadmodum nova urbis & templorum fundamenta jecerit, munierit, & arcem adjunxerit, aliquanto supra deletam urbem (unde (a) Ultrajectum nuncupari volunt) ipse suis literis attestatur.

Otto, Henricus, Bruno. *Ecclesiastici in armis.* *Liberas in Trajectensis Ecclesiæ.* *Ultrajectum.*

Privilegium concessum Ecclesiæ per Dominum Baldricum Pium Episcopum Trajectensem.

BAldricus gratuitæ pietatis ac Dei clementiâ sanctæ Ecclesiæ Trajectensis humilis Præsul, omnibus in Christo fidelibus, tam præsentibus, quàm futuris in Domino Iesu continuum æternæque jucunditatis ineffabile tripudium. Omnium Christi fidelium comperiatur industria tam præsentium quàm futurorum, qualiter ego Baldricus S. Trajectensis Ecclesiæ Præsul indignus, cùm post mortem Reverendi Patris Domini Radbodi XIV. *Traj. Episcopi creatus fuissem in Episcopum Traj. & à Metropolitano, videlicet S. Coloniensis Ecclesiæ Archiepiscopo confirmatus & consecratus, operæ precium fore duxi S. Traject. Ecclesiæ locum de quo Episcopatus nomen habuit, visitare. Ad quem cùm venissem, & destructum à Danis, proh dolor, reperissem, & omninò desolatum, nec non honorabiles Ecclesias gloriosi patroni mei S. Martini ac S. Salvatoris dirutas & exustas, lachrymas dolore cordis gravissimo tactus, intrinsecus nullatenus valui continere, & invocato de cœlis auxilio profusis lachrymis exoravi, ut ille qui Ecclesiam suam Sanctam supra firmam petram, id est, Christum fundaverat, ad Ecclesiæ mihi commissæ restaurationem & reparationem cooperari suâ consuetâ benignitate dignaretur, ejusque adjutorio, qui non faciem, sed cor hominis intuetur, pontem (b) trans fossatum, urbemque cum portis, & murum cum propugnaculis* *Baldrici ædificationes.*

 contra-

contra hostium insultum construxi & erexi, ac nobilissima probataq; Deo sacratæ pacis locum, Ecclesias videlicet gloriosi Patroni mei S. Martini & S. Salvatoris à prophanis dirutas & exustas, non prout debui, sed prout potui aliquantulum reparavi, Canonicos ab his Ecclesiis fugatos, & multimode dispersos, ad ipsas Ecclesias revocavi, substituendo alios Canonicos in loca mortuorum, fideliumq; nutu Dei ad me confluentium adjutorio inimicos de terrâ propulsavi, terras, prædia, decimas, & possessiones ad S. Trajectensem ecclesiam pertinentes potenter de inimicorum manibus liberando; Insuper dictarum ecclesiarum Canonicos ad sustentationem eorum ampliorem, ut divinis laudibus ferventius inhæreant, omnium decimarum suarum accrescentias ac novalium decimas ad stipendialem usum fratribus in eisdem Ecclesiis continuè servientibus, propter Deum, qui cuncta bona remunerat, ad ejus servitium augmentandum corde favorabili, & manu largâ tradidi & donavi in perpetuum possidendas; Ita quod ibidem pro remedio animæ nostræ omni tempore proficiat in augmentum. Si quis verò, (quod futurum esse non credo) contra hanc traditionem & donationis chartam aliquam injustam interpellationem, aut injuriam facere voluerit, in primis iram Dei omnipotentis incurrat, & à liminibus S. Ecclesiæ Dei efficiatur extraneus, & sit authoritate nostrâ Episcopali anathematizatus, sitque maledictus eâdem maledictione, quæ descendit super Dathan & Abiron, quos terra vivos absorpsit; & quod repetit evindicare non valeat. Sit præsens traditio ad instar testamenti à nobis facta, omni tempore firma & stabilis permaneat stipulatione subnixâ, quam propriâ manu subter firmavi, & sigilli mei impressione roboravi. Actum & datum in Castro Trajectensi, Anno incarnationis Dominicæ D CCCC XXXIV. (c) *Kalendis Iulii, Indictione septimâ, regnante D. Henrico primo Rege invictissimo, in Dei nomine feliciter, Amen.*

Luitprandus Ecclesiæ Ticini, quæ Papia dicitur, Diaconus, lib. quarto cap. VII. Machtildis ante regni susceptionem Henrico viro suo peperit filium, quem vocavit Othonem, » istum inquam, cujus potentiâ mundi partes Aquilonaris & Occidua reguntur, sapientiâ paci» ficantur, religione lætantur. Iustique Iudicii severitate terrentur. Post regiam autem digni» tatem, duos peperit, unum, quem patris nomine vocavit Henricum, facetiâ satis ornatum, » consiliis providum, vultus nitore gratiosum, oculorum vigilantiâ placidum, cujus pro recen» ti funere non mediocres lachrymas adhuc fundimus: Tertium deinde Brunonem nomine, » quem pater sanctus, quoniam Nortmanni Trajectensem destruxerant omnino Ecclesiam, ob » ejusdem recuperationem voluit militare. Quantæ fuerit prudentiæ, quantæque Rex Henricus scientiæ, hinc probari potest, quod optimum, & potissimum, & religiosissimum natorum suorum Regem constituit. Imminebat enim Rex prudentissimo obitu tuo, totius populi casus, si tantus Regiæ dignitati non subiret Vicarius. Quâ ex re in amborum laudem nos pangimus versus.

Ipse

IPse, qui quondam superare gentes
Impias bello solitus cruento,
Novimus nunc Rex dederis popello
Morte, quam magnas propriâ ruinas.
Turba certatim viduata charo
Rege jam cesset lachrymare, quando
*Alter exsurgit similis * priori*
Filius Patri, venerandus orbi
Rex Otho gentes ditione magnâ
Qui premet, pacemque feret beatam.
Quicquid Henrici periit recessu
Præstitit, claro populis hic ortu.
Blandus & mitis, patiensque Sanctis,
Pestifer duris, rabibusque sævis.
Bella cum multis tibi sunt gerenda,
Ex quibus nomen referens in astra
Cuncta calcabis pedibus per orbem,
Quæ premit tardus radians Bootes,
Et quibus nomen dedit Hesper almus,
Lucifer rursus vocitatus idem
Surgit eôo properans Corusco.

* *Vel Flammis.*

(d) Secundum Abbatem, Henricus tertium quoque filium genuit nomine Brunonem, nam „secundò genuerat Otthonem mundi amorem: hunc Brunonem quem Pontificis summi ac „Ducis magni officium vidimus gerentem, frater quippe ejus Otho, cùm post patris excessum „regeret Imperium, hunc omnium literarum scientiâ imbutum Præsulem fecit Coloniensem, „factâque de hinc nimiâ perturbatione in Regnum, ita ut etiam filius Regis Luitolphus con„tra patrem consentiret pravorum consilio. Rex Otho ad disponendum regnum secedens in „partes Orientis, fratri Brunoni Præsuli providendas commisit Occidentis. Ita ut cum ma„gnâ religione usus est officio Sacerdotis, & exigente necessitate jussu Regis functus est vir„tute magnanimi Ducis. Nemo autem super hac re culpabilem illum dicat, cùm Samuelem „sanctum & alios plures Sacerdotes pariter legamus & Iudices. Henricus autem Rex obiit „anno D cccc xxvi.

Bruno Archiepiscopus Coloniensis.

Exemplo Samuelis & aliorum Bruno & Ecclesiam & militiam coluit.

At cùm Ecclesia atque urbs Trajectensis jam denuo renatæ sint, operæprecium duximus aliquantisper immorari ad recensendum, quanta incrementa ipsa Ecclesia evestigio in religione ac bonis ex piâ Imperatorum largitione sumpserit. Nam hi condolentes tantæ cladi præsentaneo remedio occurrerunt.

Incrementa Ecclesiæ Trajectensi.

Henricus Rex confirmavit, & de novo concessit Baldrico, quicquid per Conradum Zuentibolchum, Ludovicum ejusque æquivocum, Carolum Pipinum, & antiquiores Reges & Imperatores Ecclesiæ Trajectensi fuerat piè collatum.

Confirmatio Donationum factarum.

Otto autem Imperator primus ejus nominis ex Francis sive Germanis, nedum omnia, quæ antecessores sui concesserant, cum plenitudine approbavit, sed pro memoriâ suâ atque (e) Edgidis conjugis suæ defunctæ Regiâ munificentiâ, donavit piscationem in Amuson

Otto I. Imperator cum Etgida conjuge com-

probat donata, & ipse quoque de se donat. & in Almere cum omni censu, anno D cccc xlvii. (f) anno suo xiii. Actum Numaga. Idem omnia à prædecessoribus suis Regibus seu etiam à cæteris fidelibus Ecclesiæ Trajectensi collata, videlicet decimam partem omnium regalium prædiorum, & monetarum, & teloneorum, quæ inter Episcopatus terminos exiguntur: Insuper & tributorum, quæ Huslata & **Cogschult** dicuntur, res etiam in villâ, quæ quondam Duerstat, nunc autem Wycke nominata, & in cæteris omnibus locis à prædicta villa usque ad mare, & in insulis cæterisque mari continguis provinciis ab Imperatoribus & Regibus tradita, præscriptæ Trajectensi ecclesiæ confirmavit, interdicens authoritatem auferendi aut mutandi. Actum Quindelingeburgh, anno D cccc xlviii. Ottonis xii. Itemque Monasterium in loco Tiela constructum cum novâ atque lapideâ in eodem loco civitate, cæterisque ecclesię prædiis, famulis, mancipiis, sylvis, aquis, piscationibus, pascuis, pratis, omnibusque ad præfatum Monasterium, vel ad Ecclesias à Walgero & filiis ejus Radbodo, nec non & Hattone, & illorum antecessoribus dicto Monasterio in proprium concessas jure partinentibus, una cum salicto juxta dictam civitatem sito jure perenni in perpetuum donavit anno D cccc l. anno regni sui xv. Quindelingeburgh.

Huslata & Cogschult.

Servi.

Item ad preces Brunonis Germani sui, & Baldrici, concessit quicquid in villâ Amuda una cum teloneo ad eandem villam pertinente, quod Walgero olim ad beneficium concessum fuit, in proprium, dedit etiam quicquid ab utraque parte fluminis Fecht habuit, cum omni integritate transfudit, terris, sylvis, aquis, aquarum decursibus, piscationibus, stagnis, lacubus, quæ ex eodem flumine derivantur, & terram quam Hatto in loco Ecki habere videbatur, ut Ecclesia potestativè possideat cum licentiâ in prædicto loco Trecht monetam faciendi. Actum anno D cccc liii. anno xviii. Ottonis. Quindelingeburgh.

Fecht.

Moneta faciendi facultas.

Idem Otto primus, interventu fratris sui Henrici, ac Baldrici Episcopi, interdixit ne aliquis Comitum, vel aliorum quorumcunque hominum in pago Thriente vocato, qui est in Comitatu Everhardi, Cervos, Ursos, aut Apros, bestias insuper quæ Teutonicâ lingua Elo & Scele appellantur absque permissu Pastoris Ecclesiæ Trajectensis venari præsumat, & ut præfatæ Ecclesiæ in eodem pago & universis finibus ejus adusque adjacentes cæteras regiones jus servetur Forestense, sicut ipsi Imperatori in suis. Actum in Walahusan palatio Regio, anno Domini D cccc xliv. Ottonis Regis ix.

Pagus Triente. Fera. Venationis jus datum Episcopo.

Idem Otto ad supplicationem fratris sui, atque charissimi illius præceptoris Baldrici approbando donationes factas per Henricum Regem patrem suum, contulit totum quod ad regalis Fisci proprietates in pago Laken & Issa habuit, quod Walgerus, & postea filius ejus Ratbodus ab eo in beneficium habuerunt, cum omnibus illuc legaliter pertinentibus, agris, mancipiis, pratis, pascuis, sylvis, &c. Actum anno Domini D cccc xliv. & regni Ottonis viii. in Renum.

Radbodus.

Idem Otto Imp. interventu conjugis suæ Edgidæ & Giselberti Ducis Lothariorum concessit Baldrico monetam in Trajecto, & exemit Episcopum & Ecclesiam ab omni judicio & potestate Comitum, conferendo eidem quicquid ex teloneo sive monetâ exigendum erat, & in futurum in eleemosinam sui & divæ memoriæ Henrici Regis patris sui. Actum anno quinto regni sui, Domini verò D cccc xl. in Brughem Curte Regiâ.

Concessio monetæ. Immunitas contra Comites concessa.

Idem Otto II. Imperator interventu Theophaniæ uxoris suæ, nec non Geronis Episcopi; concessit de novo, quicquid genitor suus Ecclesiæ Trajectensi donaverat sub Baldrico anno D cccc lxxv. Regni sui xiv. Imperii viii. Actum Erpesfort.

Erpesfort. Comitatus Walgeri. Amuda.

Idem contulit in proprium in pago (g) Interlako in Comitatu (h) Radtbodonis villam Amudam vocatam, quatenus illa prius ad præfatam non pertinebat Ecclesiam, cum omnibus ad eam pertinentibus, cum curtibus, ædifitiis, &c. taleque teloneum, quale prius Walger in eodem exigebat loco, & ut illud teloneum totum valeat in Trajecto sumere, vel totum in Amudâ, vel partem ejus in Trajecto, & partem in Amuda perpetuò pro Episcopo. Anno Domini D cccc lxxv. anno Regni sui xv. Imperii viii. Actum Erpesfort pro Baldrico. Item omnem piscationem quam in Almere ad suam regalitatem pertinentem habebat, cum terrâ quam Hatto Comes in Lonâ habuit, &c. Actum eodem anno.

Erpesfort.

Hic Baldricus concessit in precariam Usufructuariò N. & N. & post discessum eorum ex hâc luce Baldrico eorum filio, & post eum Rudolpho fratri suo certas res sancti Martini Episcopatus sui, de Abbatiâ vocabulo Herebere, unà cum Monasterio in honore beati Petri dedicato mansos servitiales (i) numero lxv. in fundis coniacentes, ita nuncupatis Rura, Liethorp,

Herebert.

thorp, Linne, Sulethem, Flothorp, Ascolon, Malicaleol, Curvelo simul cum mancipiis ccc lxxxiii. deinde ipsi N. & N. tradiderunt ad præfatam Abbatiam sancti Martini de Alode juris sui curtem unam in villa vocabulo Willere sitam, ad quam respicit Ecclesia una cum dote, quæ posita est in fundo, nomine Brochem, & etiam medietas alterius Ecclesiæ sitæ in villâ nuncupata Fischelo, mansique servitiales numero xlv. una cum mancipiis c xc. & ut rebus sancti Martini liberiùs perfrui possent, & pro ablutione peccaminum genitoris sui Raineri Comitis, & insuper Nevelungi (k) senioris sui, xxxiii. mansis legaliter in redhibitione usufructuarii sancto Martino traditis, xii. mansos qui supersunt, divino instinctu * commoti spontè tradiderunt. Actum Trajecti viii. Cal. Iulii, anno viii. regni Ottonis gloriosissimi Regis, ab incarnatione autem Domini D cccc xliii. cum signo Baldrici gloriosissimi Præsulis, Regenbaldi Præpositi, & Sigboldi Decani in præsentiâ testium. Ipse autem Baldricus anno D cccc lxvi transcendens Alpes in Italiam pro utilitate Ecclesiæ suæ præsentiam Regis Ottonis adivit. Revertens verò detulit corpora Sanctorum Urbani Papæ & Martyris, Benigni Episcopi & Martyris, Pontiani Martyris & Agnetis virginis & Martyris quæ in ecclesiâ Trajectensi reverenter condidit: reperit & divinâ revelatione corpora Sanctorum Lebuini, Werenfredi, Plechelmi, Wironis, Otgeri, Odulphi & Radbodi, quibus & Ecclesiam suam adornavit, de quo ista scribuntur:

Servi 383. *190. servi.* ** Commoniti al.* *Reliquiæ.* *Corpora sanctorum reperta.* *Versus.* *Historia habet inde overste Domkerke.*

Præsul Baldricus Trajectum magnificavit,
Funditus à Danis eversum quod reparavit,
Nobilis atque pius & omni stemmate dignus,
Per quem venerunt huc Pontius, Agna, Benignus.

Sub eò revelatum est corpus Divi Ieronis Presbyteri & Martyris in vico Norwico Hollandiæ, fertur & oppidum Aldenzalense instaurasse, & (l) Ecclesiam illic construxisse: Scripsit & ad hunc Baldricum Hucbaldus (m) sancti Amandi Elnonensis Monachus, vitam sancti Lebuini. Obiit tandem plenius dierum & bonorum operum quinta Augusti anno (n) D cccc lxxvi. cùm rexisset Cathedram annis lix. sepultus Trajecti in Basilicâ majori parte meridionali versus ostium. Claruit sub Henrico primo, Ottonibus primo, filio ejus, & nepote Regibus, Impp. non immeritò inter cœlicolas relatus. (o)

Præceptum Immunitatis Henrici sub Baldrico.

IN nomine sanctæ & individuæ Trinitatis Henricus divinâ favente Clementiâ Rex. Cum petitionibus Sacerdotum justis & rationabilibus divini cultus amore favemus, supernâ nos muniri gratiâ non diffidimus. Quocirca noverit omnium fidelium nostrorum præsentium scilicet & futurorum industria, qualiter Baldricus Trajectensis Ecclesiæ veteris Episcopus, quæ est constructa in honore S. Martini & aliorum Sanctorum obtulit obtutibus nostris quasdam authoritates constitutionum Regum antiquorum Pippini videlicet & Caroli bonæ memoriæ Impp. Augusti, nec non Ludovici piissimi Cæsaris, ejusque æquivoci Ludovici, Zuentibolchi quoque & Conradi, in quibus continebatur, quod illi ad ipsam Ecclesiam concessissent, omnem decimam de mancipiis, de-

piis, de-

piis, decimis, terris, & de teloneis, vel de negotio, & de omni re, undecunque ad partem Regiam jus Fisci censum accipere aut exigere videbatur, ut homines ejusdem Ecclesiæ sub Mundiburdo & tuitione ipsius Ecclesiæ consisterent, nec non in ripis, in Dorestado, Daventre, Thiele, universisque aliis locis in ipso Episcopatu consistentibus, ut nec bannum, nec fredum, aut conjectum, quod ab ipsis gescat *vocatur, contingere aut exactare quis præsumeret, præcipientesque firmiter jusserunt, ut nullus judex publicus, neque quislibet de Judiciariâ potestate, aut Procuratores Reipub. in Ecclesias, aut loca vel agros, seu reliquas possessiones, quas moderno tempore in quibuslibet pagis, territoriis, infra ditionem Regni illorum justè & rationabiliter memorata tenet vel possidet Ecclesia, vel ea quæ deinceps jure ipsius sancti loci voluerit divina pietas augeri, aut ad causas audiendas, aut freda exigenda, aut mansiones aut paratas faciendas, vel fidejussores tollendos, aut homines ipsius Ecclesiæ tam ingenuos, quam & servos injustè distingendos, neque ullas redhibitiones, aut illicitas occasiones requirendas suis futurisque temporibus ingredi audeat, vel ea quæ suprà memorata sunt penitus exigere præsumat, & quicquid de privatis rebus Ecclesiæ jus Fisci exigere poterat, integrum eidem concesserunt Ecclesiæ, sc. ut perpetuo tempore, ei ad peragendum Dei servitium, in augmentum & supplementum fiat. Ob firmitatem tamen rei, ut ista veriùs credantur, firmiusque recolantur, postulavit nos prædictus Episcopus, ut prædecessorum nostrorum regum morem sequentes. Hujuscemodi nostræ authoritatis præceptum ob amorem Dei & reverentiam sancti Martini, circa ipsam Ecclesiam fieri censeremus, Cui petitioni libenti animo aurem accommodantes, præcipimus, firmiterque jubemus, ut ab hac die & deinceps, sicut in cæteris immunitatibus antecessores nostri reges etiam vel Impp. Ecclesiis Dei concesserunt, ita & nos in omnibus rebus immunitatem sæpedictæ Ecclesiæ concedimus, ac jure perpetuo delegamus. Hanc itaque authoritatem ut tam nostris quàm successorum nostrorum temporibus inviolabilem obtineat firmitatem, manu propriâ subtus firmavimus, & Sigilli nostri impreßione jußimus roborari. Signum Domini Henrici invictißimi Regis. Simon Notarius.*

Præcep-

Præceptum Regale de Moneta in Trajecto Ottonis primi sub Baldrico Episcopo.

IN nomine Domini nostri Iesu Christi. Summæ divinitatis nutu disponente Otto Rex. Cunctorum fidelium noverit universitas, qualiter nos interventu dilectæ conjugis nostræ Edgidæ, nec non fidelis nostri Giselberti Ducis Lothariorum licentiam concedimus monetam fiendi in civitate Trajectensi, in quâ modo venerabilis vir Baldricus Episcopali officio fungi dinoscitur: & ut nullus Comes, neque aliqua judiciaria potestas licentiam habeat, teloneum vel aliud quodlibet debitum sive quæsitum ex ipsâ monetâ exigendi nostræ serenitatis regiâ authoritate omninò interdicimus; sed quicquid inde exigendum erit ad integrum Episcopo prædictæ urbis, & Ecclesiæ eidem potestativè in posterum habendi, & in eleemosynam nostri simul & divæ memoriæ patris nostri Henrici serenissimi Regis damus & concedimus. Et ut hæc concessio veraciùs à fidelibus nostris credatur, & firmiorem tenoris sui stabilitatem, in futuras populorum successiones obtineat, præceptum hoc inde conscribi jussimus, & annuli nostri impressione illud sigillari præcepimus, manuque nostrâ propriâ illud confirmavimus. Signum D. Ottonis serenissimi Regis, Adaldagus Notarius ad vicem Rodberti Archi-capellani recognovi. Anno regni ejus quinto, anno incarnationis (p) D CCCC XXXVII. *Indictione decima. Actum Brugheim curte Regiâ, in Dei nomine fæliciter, Amen.*

Cudēdæ monetæ facultas concessa Ecclesiæ Vltraject.

Præceptum Immunitatis Ottonis Primi Imperatoris sub eodem Baldrico.

IN nomine sanctæ & individuæ Trinitatis. Otto divinâ annuente clementia Rex; Cùm petitionibus sacerdotum justis & rationabilibus divini cultus amore favemus, superna nos muniri gratia non diffidimus. Quocirca noverit omnium fidelium nostrorum præsentium scilicet & futurorum industria, qualiter Baldericus Traject. Ecclesiæ veteris Episcopus, quæ est constructa in honore S. Martini & aliorum sanctorum, obtulit obtutibus nostris, quasdam auctoritates constitutionum Regum antiquorum Pipini videlicet & Caroli B. M. Augusti, nec non Luthovici piissimi Cæsaris, ejusque æquivoci, Zuentibolchi quoque & Conradi; in quibus continebatur; quod ipsi ad præfatum ecclesiam

clesiam concessissent omnem decimam de mancipiis, terris & theloniis, vel de negotio, & de omni re undecunque ad partem Regiam pertinentibus, unde jus Fisci censum accipere aut exigere videbatur. Et ut ab hominibus ejusdem Ecclesiæ qui sub mundiburdo & tuitione ejusdem Ecclesiæ consisterent, nec non in ripis Dorestati, Daventriæ, Tielæ, universisque locis aliis in ipso Episcopatu consistentibus nullus bannum, nec fredum, nec conjectum, quod ab ipsis gescot *vocatur continngere vel exigere præsumeret, præcipientesque firmiter jusserunt, ut nullus Iudex publicus, neque quislibet ex judiciariâ potestate aut procuratores Reipub. in Ecclesias aut loca vel agros ceu aliquas possessiones, quas moderno tempore in quibus libet pagis vel territoriis intra ditionem Regni eorum justè & rationabiliter memorata tenet vel possidet Ecclesia; vel ea quæ deinceps jure ipsius sancti loci divina pietas voluerit augeri, aut ad causas audiendas, aut freda exigenda, aut mansiones vel paratas faciendas, aut fidejussores tollendos, aut homines ipsius Ecclesiæ tam ingenuos quam & servos injustè distringendos, ullasque redhibitiones aut illicitas occasiones requirendas suis futurisque temporibus ingredi audeat, vel quæ supra memorata sunt penitus præsumat exigere, & quicquid de præfatis rebus jus fisci exigere potest integrum eidem concessêre Ecclesiæ, scilicet, ut perpetuo tempore, & ad peragendum Dei servitium & supplementum & sublevamentum fiat. Ob firmitatem rei, ut ista verius credantur & firmius recolantur, postulavit nos prædictus Episcopus, ut prædecessorum nostrorum Regum, beatæ mem. patris nostri, qui hoc idem ei concêssit, morem sequentes; hujusmodi nostræ auctoritatis præceptum ob amorem Dei & reverentiam S. Martini circa ipsam Ecclesiam fieri censeremus; cujus petitionibus libenti animo aurem accommodantes, præcipimus firmiterque jubemus, ut ab hac die, & deinceps, sicut in cæteris immunitatibus antecessores nostri vel Impp. Ecclesiis Dei concesserunt, ita & nos in omnibus rebus immunitatis sæpedictæ Ecclesiæ concedimus, aut jure perpetuo delegamus. Et hæc authoritas ut firmior sit, manu nostrâ illam firmavimus, & annulo nostro sigillari jussimus. Signum Domini Ottonis invictissimi Regis. Poppo Cancellarius ad vicem Rodberti Archi-cappellani recognovi. Data quarta Ianuarij. Anno* DCCCCXXVIII. *Indictione* XI. *anno Regni Ottonis* VII. (q) *alibi* II. *Actum Thulehem in Dei nomine fæliciter, Amen.*

Poppo.

Otto-

Ottonis primi de Lake & Isla.

IN nomine sanctæ & individuæ Trinitatis. Otto divinâ favente clementia Rex. Nosse cunctos sanctæ Dei Ecclesiæ nostrosque fideles ambimus charissimum fratrem nostrum una cum charissimo præceptore illius Domino Baldrico sanctissimæ Ecclesiæ Trajectensis Episcopo, nostram supplicasse Regalitatem, quod quia à Domino vel genitore nostro p. m. Henrico Rege ad præfatam collatus est Ecclesiam, ibidemque famulantium Ecclesiis S. Salvatoris nostri, & beatissimi Confessoris ejus Martini, in cujus etiam honore præfata Præsulatus urbis habetur dedicatus, est suppeditatus quasdam Fisci Regalis proprietates, & nos similiter quadam illuc donaremus. Quorum obsecrationi pro æternâ obtemperantes remuneratione in eleemosyna prælibati germani fratris nostri usibus, fratrum præmemoratæ Pontificialis Cathedræ, in duobus Monasteriis inibi Deo famulantium, unum in honore sancti Martini dedicatum, alterum verò sanctæ Dei Genitricis, omniumque Sanctorum, totum quod in pago Lake & Islâ hactenus habuimus, quod Walgerus & posteà filius ejus Radbodus ex nostrâ parte in beneficium habuerunt cum omnibus illic legaliter pertinentibus agris, mancipiis, pratis, pascuis, sylvis, aquarumvè decursibus, terris, cultis & incultis, piscationibus, cunctisque quæsitis & inquirendis, hoc præcepto jure perenni in proprium donavimus manu nostrâ signato, & annuli nostri impressione roborato. Signum Domini Ottonis serenissimi Regis. Brun Cancellarius ad vicem Fritherici Archicapellani recognovi. Data XVI. Kalendas Augusti, anno Domini DCCCCXLIV. Anno Domini Ottonis VIII. Actum in Renen, in Dei nomine feliciter, Amen.

Lecke & Isla. Radbodus.

Regale præceptum Ottonis de Foresto in Threnthe sub Baldrico.

IN nomine sanctæ & individuæ Trinitatis, Otto divinâ favente clementiâ Rex, Notitiæ omnium fidelium nostrorum tam præsentium quàm futurorum significamus, quod venerabilis Baldrici Trajectensis Ecclesiæ Præsulis voluntati obtemperantes, ex hoc in antea præsenti privilegio authoritatis nostræ interdicimus, ut nullus Comitum aliorumve hominum in pago Forestensi, qui est in Comitatu Everhardi, cervos,

ursos,

Venatio interdicta. *ursos, capreas, apros, bestias insuper, quæ Teutonicâ linguâ Elo (¹) aut Schelo appellantur, venari absque prælibatæ Cathedræ Præsulis permissu præsumat. Volumus quoque, firmiterque Regalis edicto munificentiæ præcipientes jubemus, ut in eodem pago, aut in sylvâ quæ nuncupatur* * *Fulnaho, ac universis finibus ejus ac præfati pagi adusque adjacentes cæteras regiones prædictæ Traj. Ecclesiæ jus servetur Forestense, ut nobis & nostris. Ac ut hæc traditionis nostræ concessio firmiorem in* Dei *nomine obtineat vigorem, veriusque per succedentium curricula temporum ab omnibus credatur, inviolabiliterque servetur, ac incorrupta jugiter perduret, manus nostræ scripto illud firmavimus, & annuli nostri impressione jussimus corroborari. Signum* Domini *Ottonis serenissimi Regis, Brun Cancellarius ad vicem Fretherici Archicapellani recognovi.* Data VI. *Kalendas* Decembris, *anno* Domini DCCCCXLIII. *Indictione primâ, anno* Domini *Ottonis invictissimi* Regis VII. *Actum in loco qui dicitur* Walahusen.

* al. Fulanho

Jus Forestense.

Brun Cancellarius.

Indictio I. est annus Christi 949. Ottonis 7.

Similis ferè ejusdem Ottonis de Foresto in Thrente sub Baldrico magis declaratoria scilicet.

Trente pagus. IN *nomine, &c. Qualiter nos interventu dilecti fratris nostri Henrici, venerabilis etiam Baldrici sanctæ Trajectensis Ecclesiæ Præsulis voluntati obtemperantes ex hoc in antea præsenti Regiæ auctoritatis præcepto interdicimus, ut nullus Comitum aliorumve hominum quorumcunque in pago Trente vocato, qui est in Comitatu Everhardi* Datum VI. *Kalend.* Decemb. *anno* DCCCCXLIV. *Actum Palatio Regio, quod dicitur* Walehusan, *in* Dei *nomine.*

Traditio Ottonis de Piscatione in Amuson & Almere, sub Baldrico.

Piscatio. Trecht. IN *nomine sanctæ & individuæ Trinitatis, Otto Dei gratia Rex. Notum sit omnibus fidelibus nostris præsentibus atque futuris, qualiter nos pro remedio animæ nostræ, vel etiam dilectissimæ conjugis nostræ B. M. Etgidis, totam piscationem quam hucusque in Amuson & in Almere ad nostrum Regale jus habere videbamur, omnemque censum qui vulgariter* Cogschult *vocatur, hoc nostræ auctoritatis præcepto ad Ecclesiam sancti Martini, quæ est in loco* Trecht *vocato, constructa, ubi ve-*

ubi venerabilis Baldricus praeesse videtur, in proprium concessimus jure perenni. Et ut hac nostra condonationis largitio firma & inconvulsa per succedentium temporum curricula perduret, manu propria nostra subter eam firmavimus, & annuli nostri impressione signari pracepimus. Signum Domini Oddonis invictissimi Regis. Brun Cancellarius ad vicem Roberti *Archi-capellani recognovi. Data* I. *Calendas Iulii, anno Domini* D CCCC XLVIII. *Indictione* VII. *Regnante Pio Rege Oddone, anno* XIII. *Actum Numaga in* Domino *feliciter, Amen.* Oddo.

Item traditio Ottonis de monetis & teloneis sub Baldrico.

IN *nomine sancta & individua Trinitatis, Otto divinâ propitiante clementiâ Rex, Ecclesiasticis profectibus, cunctis opera precium est Religiosorum fideles precibus obtemperare virorum, pro hinc venerabilis sancta Trajectensis Ecclesia Baldrici Prasulis rogatui annuentes omnia à pradecessoribus nostris Regibus eidem collata Ecclesia, seu etiam à cateris quibuslibet fidelibus, scilicet decimam partem omnium regalium pradiorum & monetarum & teloneorum, qua intra sui Episcopatus terminos exiguntur; insuper & tributorum, qua Hustata &* Cogſchult *dicuntur; res etiam in villâ, qua quondam* Dorstade, *nunc autem* Wijck *nominata: & in cateris omnibus locis à pradicta villâ usque ad mare* (c) *& in Insulis, caterisque mari contiguis provinciis, ab Impp. vel Regibus tradita prascripta Trajectensi Ecclesia, hoc immunitatis nostra Pracepto firmavimus, pracipientes, ut nullus habeat potestatem aliquid horum auferendi, sed perpetua firmitate inconvulsa permaneant. Et ut hac nostra concessionis authoritas firmiorem in Dei nomine obtineat vigorem, manu nostrâ firmavimus, & annulo nostro signari pracepimus. Signum Domini Ottonis invictissimi Regis. Brun Cancellarius ad vicem Rodberti Archicapellani recognovi. Data Calend. Aprilis anno Dominica incarnationis* D CCCC XLIX. *Indictione* VII. *regnante pio rege Ottone anno* XII. *Actum Quindilingeburgh, in Domino feliciter, Amen.*

Hustata & Cogſchult *tributorum nomina.*

H h Tradi-

Traditio Ottonis de Thiela sub Baldrico.

IN nomine sanctæ & individuæ Trinitatis, Otto divinâ favente clementia Rex. Notum sit omnibus fidelibus nostris præsentibus scilicet & futuris, qualiter nos ob amorem Dei *nostræque remedium animæ Monasterium in loco Tiela constructum cum novâ atque lapideâ in eodem loco, civitate, omnibusq; Ecclesiis, prædiis, familiis, mancipiis, sylvis, aquis, piscationibus, pascuis, pratis, omnibusq; ad præfatum Monasterium, vel ad Ecclesias à* Waldgero *& filio ejus Radbodone, nec non & Hattone, & illorum antecessoribus ad jam dictum Monasterium in proprium concessis jure pertinentibus ad Episcopalem sedem Traj. in honore sancti Martini constructam, cui nunc venerabilis Baldricus Episcopus præest, insuper etiam salictum juxta supradictam civitatem Tiele situm jure perenni in perpetuum donavimus. Jussimus quoque inde hoc præsens præceptum conscribi, per quod volumus, firmiterq; jubemus, ut nullus successorum nostrorum videlicet Regum aliquid de his nostro dono collatis prælibatæ Traj: sedis Ecclesiæ auferre habeat potestatem, manu nostrâ subtus firmatum, annulique nostri impreßione roboratum. Signum Domini Ottonis serenißimi Regis, Brun Cancellarius ad vicem* Wigfridi *Archicapellani recognovi. Data* XII. *Kalendas Maji, anno Dominicæ incarnationis* D CCCC L. *Indictione* VII. *Anno verò Regni Ottonis regis* XV. *Actũ Quindelingeburg in Dei nomine feliciter Amen.*

Rabodo. Hatto. Tiele.

Traditio de Amuda & Lonen Ottonis.

IN nomine sanctæ & individuæ Trinitatis, Otto divinâ propitiante clementiâ Rex. Noverit omnium fidelium nostrorum præsentium, nec non & futurorum solertia, quod nunc intervenientibus Brunonis nostri dilectißimi Germani, & Baldrici venerabilis Episcopi nostri precibus consentientes, quasdam res juris nostri ad Ecclesiam sancti Martini, quæ est constructa in loco Trecht *vocato, ubi præfatus Episcopus Baldricus praeesse dinoscitur in proprium* concessimus, id est, quicquid in villâ Amudâ habere videbamur, telonium quoque justè ad eandem villam pertinens, quod* Walgero *jam olim in beneficium conceßimus ad prælibatam Ecclesiam perpetualiter in proprium donavimus. Omnem videlicet piscationem,*

Trecht. * Perpetuum al. Amuda Walgeri beneficium.

quam

quam in Almere ad nostram Regalitatem habuimus pertinentem jure perenni illuc relaxavimus: insuper etiam terram quam Hatto Comes in Lona habuit firmiter illuc delegamus. Quinetiam quicquid in utrâque parte fluminis habere dignoscebamur, quod dicitur Fecht, *cum omni integritate transfundimus, terris, sylvis, aquis, aquarumve decursibus, piscationibus & stagna, & lacus, quæ ex eodem flumine* Fecht *derivantur. De caterò terram quam Hatto in loco Eki habere videbatur, & ad nostrum regale jus Judiciario more pro sui ipsius commisso fiscata erat, ad sæpedictam Ecclesiam tradidimus, quæ etiam sita est super ripam fluminis Rheni; prælibato quippè concedimus Episcopo licentiam in præscripto loco* Trecht *nominato monetam faciendi, & ut nullus Comes, neque alia persona qualibet Judiciaria potestatem habeat, teloneum vel aliud quodlibet debitum sive quæsitum ex ipsâ monetâ exigendi nostræ Serenitatis regiâ authoritate omnino interdicimus, sed quicquid inde exigendum erit ad integrum Episcopo prædictæ urbis & Ecclesiæ eidem potestativè in posterum habendi concessimus. Et ut hæc nostræ concessionis authoritas firmiùs veriusque à fidelibus nostris in Dei nomine habeatur, manu propriâ nostrâ subter eam firmavimus, annuloque nostro sigillari jussimus. Signum Domini Ottonis invictissimi Regis. Brun Cancellarius ad vicem Roberti Archi-capellani recognovi. Data* XI. *Calend. Maji, anno Domini* DCCCCLIII. *Indictione* VI. *regnante pio rege Ottone anno* XVII. *Actum Quindilingeburgh, in* Domino *feliciter, Amen.*

Piscatio in Almere. Hatto Comes in Lona. Eki locus Hattonis. Monetæ cudendæ facultas.

Ottonis secundi de Amuda & de teloneo, & de Piscatione, cum novà donatione quatenus opus est.

IN *nomine Summi* Dei, *Otto omnipotentis* Dei *clementiâ instimulante Imperator Augustus.* Dignoscant *omnes fideles nostri præsentes scilicet & futuri, qualiter nos ob nostræ animæ remedium, & debitorum nostrorum, nec non & dilectæ nostræ conjugis Theophaniæ interventu, atque venerabilis Episcopi* (u) *Geronis, ad sanctum Martinum Trajectensemque Ecclesiam in proprium damus, in pago Instarlake, in Comitatu Ruotbodonis villam Amudam vocatam, in quantum ejus prius ad præfatam non pertinebat Ecclesiam, cum omnibus ad hanc pertinentibus, cum curtibus, ædificiis, mancipiis, pratis, pascuis, sylvis, aquis, piscationibus, mobilibus, & immobilibus,*

Villa Amuda in Comitatu Radbodonis.

Walgerus Comes. *bilibus, taleque teloneum, quale prius in* Walger *in eodem Comes exigebat loco, Et ut ejusdem Trajectensis Ecclesiæ Episcopus potestatem habeat, utrum illud teloneum totum velit in Trajecto sumere, vel totum in Amuda; vel partem ejus in Trajecto, & partem in Amudâ. Quod scripto confirmari jussimus, per quod præcipimus, quatenus ita ut datum habemus, perpetualiter permaneat; & ut veriùs credatur manu nostrâ illud firmavimus, & annulo nostro sigillari jussimus. Signum Domini Ottonis Magni Imperatoris, Folcmarus Cancellarius ad*
Indictio 3. *vicem* Willigisi *Archi-capellani notavi. Data* VIII. *Idus Iunii, an-*
est annus Christi 975. *no Domini,* D CCCC LXXV. *Indictione* III. *Anno Regni Domini Ot-*
Ottonis 2. *tonis* XV. *Imperii* VII. *Actum Erpesfort.*

Ejusdem Ottonis secundi de Amudâ & de omnibus terris, sylvis, pratis, piscationibus, & de teloneo, & in Almere quicquid anteà Reges habuerunt.

IN nomine sanctæ & individuæ Trinitatis, Otto divinâ præveniente clementia Imperator Augustus. Noverit omnium fidelium nostrorum præsentium, nec non & futurorum solertia, quod nos interventionibus dilectissimæ conjugis nostræ Theophaniæ, atque Geronis Archiepiscopi, nec non pro remedio animæ nostræ, atque pro Regni nostri statu quasdam res juris nostri ad Ecclesiam S. Martini, quæ est constructa in loco Trecht *vocato, ubi Baldricus Episcopus praeesse dinoscitur, in proprium concessimus, id est, quicquid, &c. ut suprà in literis Ottonis primi fol. præcedenti,*

Et infrà.

Signum Domini Ottonis Imperatoris Augusti. Folcmarus Cancellarius ad vicem (x) Willigisi *Archi-capellani recognovi. Data* VIII. *Idus Iunii, anno Domini* D CCCC LXXV. *Indictione* III. *anno verò Regni Ottonis* XIV. *Imperii* VII. *Actum Erpessfort.*

Quæ hic narrantur de Balderico; quod præceptor fuerit filiorum Henrici primi Imp.; cum 60. annis præsulatu Ultrajectino dicitur postea vixisse, juvenis admodum ad Episcopatum pervenerit necesse est; cui tamen hoc elogium, quod magnæ scientiæ vir pace belloque clarus fuerit, vix convenit. Nec quod de Brunone filio Episcopatui huic præficiendo Imp. cogitaverit nisi intellexisset urbem à Normannis destructam & occupatam verosimile est: cum illud jam dudum antè quàm ad Imperium pervenerat Henricus, imò quam natus esset, accidisset; quod perinde ignorare minimè potuit; unde hæc ἀδύνατα & incredibilia mihi videntur, etiamsi suis auctoribus nitantur.

a *Unde Ultrajectũ nuncupari voluit, ut ipse suis literis expressit.*) Nescio unde id cõjecerit Heda, nec n. verba quæ submittit tale quid habent; est nõ nemo, qui hęc Hedæ verba sic interpretatur; Reparavit Traj. à Nortman-

Nortmannus destructum sed quia post reparationem non fuit tantæ capacitatis ac latitudinis sicut ante, ideo voluit ipsam vocari *Nyrtrecht*. Quid hæc sibi interpretatio velit, ego sane non capio, & quis vel Hedæ vel huic interpreti concedet, majoris antea capacitatis fuisse urbem, & quod non in ruderibus vetustæ reparationem fecerit? certè [illegible] mea adhuc ætate turris, quam vulgus Boldeur-Toorn appellare solet, monumentum, ut credo, hujus restaurationis. Sed quod urbi, antea major fuerit amplitudo, mihi persuadere non possum; Nec enim ante illam Barbarorum destructionem, præter castri munitiones & templa circumposita, ac cleri habitacula, ædificia ibi ampla fuisse, puto; temporum verò progressu, mænia fossasque additas, plateas in ordinem commodiorem redactas, areasque & insulas paullatim ædificiis occupatas. Quin est ante Baldrici tempora nomen *Trecht* notum, quod Utrecht postea dictum, ut ex literis antiquioribus agnoscimus, atque ita planè absurdum sit, aliunde nominis hujus originem accersere velle.

b *Pontem transfossatum,*] Pontem illum nunc S. Martini vocari existimo, qui & Pons castri dictus; plateam etiam illam quæ inde ad D. Mariæ templum tendit, suburbanam dictam olim invenio; unde & confirmatur, quod ea pars tempore Baldrici vel ante nondum urbe comprehensa fuerit, sed paullatim pomœriis extensis ea introducta, cum prius illa quæ extra castrum, suburbii verius quam urbis speciem referrent.

c *Anno incarnationis Dom. 934.*) Sic restituit Furmerius cum in MSS. habeatur annus 940. Cal. Iul. sed malè, nam è vivis excessit Henricus Imp. teste Onuphr. lib. 3. de princip. Rom. item in Fastis anno C 936. & indictio 7. in annum hunc 934. incidit, cui consentiunt Ubbo Emmius in Chron. opere, Cuspinianus de vitis Impp. alii. De diplomatis hujus fide sunt qui dubitant, verùm inter vetusta Colleg. Traject. monumenta antiquo charactere descriptum aliquoties repperi, nec ab historiâ abit.

d *Secundum Abbatem,*) Urspergensem nempè Conradum à Lichtenauv, cujus hæc sunt verba eo loco ubi de filiis Henrici Aucupis agit, non procul à fine.

f *Anno* D cccc xlvii. *anno suo* xiii.) Annus C. 947. juxta Marianum Scotum fuit xi. regni Othonis; juxta Sigisbertum x. vide quæ Onuphrius lib. 3. de princ. Rom. In sequentibus error itidem patet, ubi annus C. 948. Ottonis dicitur 12. Sed plura post, cum ad ipsa diplomata perventum fuerit.

g *Anno* D cccc lxxv. *Regni sui* xiv. *Imp.* viii.] Rex dictus fuit Otto ii. vivo patre, ut testatur Panvinius, anno C 958. Imperialem vero coronam suscepit Romæ, eodem adhuc vivente anno 968. ergo hic annus 975. regni ejus 17. fuerit. Imperii verò 7. necesse est.

h *In Comitatu Radbonis,*) Variant exemplaria, nunc Radbodum, iterum Radbodonem præferentia, cum eundem tamen innuant.

i *Mansis servitiales,*) Ii, ut puto, Dominicatis opponuntur atque principibus servitium debebant, vide Bignonium ad Marculphi formulas, ubi passim de mansis servilibus.

k *Nevelungus senior,*] Inde Gallorum *Signeur.* Marculf. in form. lib. 1. cap. 7. *Præcellentissimo Regi, vel Seniori communi illius, à servis vestris* &c. In capitt. Caroli Magni & Lud. 1. cap. 91. *Et si aliquid amplius habuerint, inde senioribus suis debitum servitium impendant.* In Annal. Francor. Fuldensibus: *Isti invitarunt Arnulphum filium Karolomanni Regis, ipsumque ad seniorem elegerunt*; & passim hoc verbum eo significatu in mediæ ætatis scriptoribus occurrit, vide Hotomannum de verbis Feudalibus; & quæ in Epistolas Hincmari Archiepiscopi Rem. notavit Busæus.

l De Ecclesia Aldenzalensi à Baldrico condita ita Brockius annotavit in schedis: *Ecclesia collegiata Aldenzalens. à Baldrico fundatur circa annum 968.*

m *Hucbaldus S. Amandi Elnonensis monachus,*) Furmeriana editio hunc locum plane corruperat, & Hucbaldi nomen omiserat, quod hic restitui, cum absque eo sensus nullus esset. Meminerunt Hucbaldi Trith. Abbas de script. Eccl. vocatque Hugbaldum Gallum qui sub Car. Calvo floruerit, & ad eundem carmen in laudem Calvorum scripserit: Dessellus in Bibl. Belg. qui ejus scripta recenset, eumque obiisse anno 939. tradit. Sweertius in Athenis Belgicis, Miræus in Annal. Bel. ad annum C 931. Serrar. Rerum Mogunt. lib. 4. sub Hattone Præsule.

n *V. Aug. Anno* lxxvi.] Plures, inter quos & Beka, asserunt Baldericum an. 977. 6. Id. Ian. Obiisse, hujus meminit Baronius ad annum C. 978.

o *Inter Cælicolas relatus,*] Nec Molanus in Indiculo SS. Belgii, nec Cratepolius de SS. Germaniæ hunc agnoscunt; Sifridus tamen & Hamconius inter divos collocarunt.

p *Anno Regni ejus V. Incarn.* D cccc xxxvii. *Indict.* x.) Indictio x. incidit quidem in annum C. 937. sed is est annus Ottonis secundus, cum V. annus Imp. Ottonis sit Christi 940. vel 941. Indict. xiii.

q *Anno Regni Ottoni* vii. *alibi* ii.) Annus, ut jam indicavi Christi 938. non potest esse VII. Ottonis, iniit enim regnum in Iunio 936; ergo 4. Ian. 938. secundus erit ejusdem, qui est in MS. antiquo.

r *Quæ Teutonicâ Linguâ Elo aut Schelo appellantur,*] Cum P. Scriverium in hisce rebus versatissimum consuluissem, quid ipsi de hisce verborum monstris videretur, in hæc verba respondit: *Porro quod me interpretem obscurissimorum verborum, & corruptissimi loci quæras, operam profectò perdis. Etenim locus iste diplomatis Ottoniani me sæpius torsit, & nunquam me ex tricis istis extricare potui.* Adjungit apud Lazium se invenisse vocem *Sleischer* pro vulpe vetere Teutonica Lingua usurpatum, & eam

eam aliquomodo convenire huic loco ab ignorantibus corrupto. Verùm ut nec ipsi ita nec mihi ea interpretatio placere multum potuit: ac ratio quæ me móvet, hæc est; quod vulpes non inter nobiles (qualium venatio plerisque prohibita est) habeatur, sed potius damnosas inter feras, quales sunt lupi & similes: quarum captio, non tantum non prohibetur, sed & vulgus præmio statuto, ad earum capturam invitatur. Quare an loco. Elo / & Stelo / Eel-Wilt scribi possit? aliorum judicium requir.., donec quis meliora & certiora adferat.

s *Palatio regio quod dicitur Walehusen,)* Aliis Walahusan aut *Waldhhusan*: Videtur Crantzius vocare *Wildeshusz* oppidum Bremensis diœcesis, Saxon. lib. 2. c. 26. Metrop. lib. 8. c. 24. Cujus etiam meminit Wilhelm. Dilichius in Chron. Bremensium, ut & Adamus in hist. Eccles. ac Episcop. Bremensium.

t *Usque ad mare & in insulis,)* Hic dubitari posset an lacus ille magnus, qui nunc mare Australe dicitur, eo tempore fuerit tam prope Dorestatum, cum fama sit paullatim in eam magnitudinem, quâ nunc est, excrevisse, olim vero illam terræ partem ad Frisiam usque continuam fuisse, & tantum lacubus interruptam.

u *Episcopi Geronis.*] Videtur is fuisse Coloniensis Antistes, qui Ottonis primi anno 32. id est Christiano 968. XXVII. Pontif. Agripp. Electus, ad annum hujus diplomatis pervenire potuit; vide Chron. Magnum Belg. pag. 84.

x *Willigisus Archicapellani* &c.] Willigisus hic 34. Antistes Moguntinus fuit Ottoni secundo à Consilus, & à Sacris. Hic ille idem est, à quo Moguntini insigne habent Rotæ, quia scilicet ipse fabro rotario genitus erat. Fuit & is primus ex Moguntinis præsulibus Imperii Elector, de quo plura ap. Serrarium Rer. Moguntiacar. lib. V. circa initium, qui hunc 57. Episcopum & 27. Archi-Episcopum numerat, & anno 977. cœpisse præsulatum scribit: quod hæc diplomata videntur refellere, nisi etiam Archi-capellanus fuerit, antè quàm Archi-Episcopus. Sed magis miror Lambertum Schafnaburgensem scribere anno 988. Willigisum Ruotbetto Archi-Episcopo mortuo successisse, at hæc Moguntinis excutienda relinquo.

Volcmarus Episcopus XVI.

Volcmari obitus & sepultura.

VOlcmarus, sive Folcmarus XVI. Episcopus, præfuit in dignitate Episcopali annis ferè XIII (a) scilicet annis XII. & mensibus XI. Obiit anno (b) Domini DCCCCLXXXIX. 3. Idus Decemb. sepultus (c) in Ecclesiâ Trajectensi in parte Boreali, inter duas columnas in opposito altaris B. Barbaræ. Hujus tempore, scilicet anno DCCCCLXXXVIII. secundo Nonas Maji, dicitur obiisse Theodricus secundus Comes Hollandiæ magnificus, qui ex tabulato Monasterium Egmondensem magno sumptu lapideum construxit. Et amotis sanctimonialibus ob Frisonum continuos insultus, constituit illic viros religiosos, & in Monasticâ vitâ conspicuos: tradidit & plurima dona, libros sacros antiquo charactere insignes, & puro auro involutos: item & tabulam Altari superpositam fulvo auro compactam, preciosis lapidibus resplendentem, miro sculptoris ingenio fabre exsculptam. Est enim forma mensæ seu tabulæ quadrata, Romanam vetustatem redolens; continet in circumferentiâ literis majusculis Romanis, sive verius (d) Atticis Hanc scripturam, *hoc altare in Dei & sancti Apostolorum Principis Petri, Christique egregii confessoris Adelberti honore constructum Theodricus Comes venerandus, una cum sibi charissimâ conjuge Hildegardâ, auro gemmisque ornantes, sub spe æternæ remunerationis sibi suisque parentibus & proli ex eis ortæ Deo & sanctis prædictis devotissimè obtulerunt.* In quolibet angulo decumbit senex annosus, amplectens urnam sive urceum sub humero, quali effigie antiquitas, Danubium, Rhenum, Tyberim, ac cætera flumina depingere consuevit. Primò à dextris ascribitur *Phison*, sequenti *Tigris*, tertiò *Eufrates*, ultimo *Geon*. Inter superiores duos fluvios, sex Apostoli in habitu venerando cum eorum nominibus adnotatis, *S. Iohannes, S. Andreas, S. Petrus, S. Paulus* aliquanto depressius, *S. Philippus, S. Iacobus*: Sex item Apostoli inter inferiores fluvios, *S. Thomas, S. Bartholomeus, sanctus Thadeus, S. Symon, S. Iacobus, S. Matthias*, in medio mensæ crux cum Diademate, in quo effigies Salvatoris. Crucis autem dextro brachio inscribitur *Charitas*, sinistro *Spes*, pedi *Fides* cum imaginibus condecentibus. Extra crucem adstat brachio dextro figurâ Angeli, ascribitur *Cherubin*: cui versus marginem quadraturæ *S. Adelbertus*, huic *S. Bavo* junguntur: sinistro brachio apponitur *Seraphin*, cui *S. Martinus*, huic *S. Willebrordus* sociatur. Inter fluvium *Phisontem* & crucem *S. Iohannes* sedens cum pulpito & libro incipiente, *in principio*. Ex opposito inter *Tigrim* & crucem *S. Mattheus* cum pulpito & libro continente *liber Generationis*. Inter *Eufratem* & crucem sanctus *Lucas* cum cornu loco scri-

Theodricus II. Comes Hollandiæ. Monasterium Egmondense. Frisonum insultus. Libri sacri. Ornamenta. Tabula insignis. Hildegarda. S. Adelbertus. S. Bavo. S. Martinus. S. Willebrordus. S. Mattheus. S. Lucas.

pturæ.

pturæ. Ex opposito inter *Geonem* & crucem S. *Marcus* cum libro inscripto: *Ecce mitto.* Et singulis Euangelistis adstat suum animal in Apocalypsi Iohannis descriptum. Quod opus ita demiratus sum, sicuti dignissimum est, ut hæsitem, mysterium magis laudem, an artem? Nusquam enim locorum elegantius quicquam ex omni parte, & præsertim de nostrâ religione compositum me vidisse memini. At cùm nonnulli Scriptores discrepent de ordine Comitum Hollandiæ, volui partem literæ, quam originaliter vidimus Theodrici quarti Comitis hic inserere pro majori certitudine sic incipientis. In nomine sanctæ & individuæ Trinitatis, (e) Ego Theodricus Dei gratia Holtlandensis Comes reputans mecum incertos casus humanæ fragilitatis, decrevi justis petitionibus assensum præbere, ut divinam misericordiam in illo districto examine placabilem merear habere. Quapropter notum sit omnibus tam præsentibus, quàm futuris Christi fidelibus. Quod Stephanus bonæ memoriæ Abbas Eckmondensis Ecclesiæ quasdam auctoritates donationum detulit mansuetudini nostræ, qualiter piissimi Comites antecessores nostri ex propriis possessionibus, & à Regibus jure hæreditario susceptis, & eandem Dei Ecclesiam construxerunt, ditaverunt & honoraverunt. Theodoricus frater Walgeri cum legitimâ conjuge sua Gena in primis ligneam construxit Ecclesiam, instituens sanctimonialium vitam, & offerens Deo ad eundem locum in Franlo mansos novem, in Alcmere duos mansos, in Callinge medietatem totius possessionis. Theodricus secundus prædicti filius cum Hildegardâ conjuge suâ construxit ex lapidibus magno sumptu Ecclesiam, removens inde sanctimoniales fœminas, & instituens Monachicam vitam. Obtulit & ipse ad eundem locum, &c. Ornata autem bonis moribus uxor prædicti Comitis Hildegarda venerabilis, & ipsa obtulit Deo sanctoque Adelberto tabulam Altaris fabricatam ex auro claro gemmisque preciosis, Textum Euangeliorum etiam auro gemmisque decoratum, historiam, id est, medicinalem librum. Eckbertus nominati Comitis filius Dei gratia Trevericæ Ecclesiæ Archi-episcopus honoravit eundem locum Eckmundensem, offerens Deo sanctoque Adelberto crucem auream, casulam preciosam, stolam pulcherrimam, cingulum auro contextum, Dalmaticam, subtile, missale capitulare & historiam vetus novumque Testamentum continentem, multosque alios libros, Scrinium argenteum plenum reliquiis sanctorum Arnulphus Comes cum condigna uxore sua Luytgarda obtulit &c. Theodricus tertius prædicti Arnulphi filius cum conjuge suâ Othelhildi obtulit &c. Florentius tertii Theodrici filius cum Bonę memoriæ conjuge sua Gertrude obtulit, &c. Hujus Florentii filius fui ego quartus Theodricus, quem humiliter deprecatus est prædictus Abbas Stephanus, &c. Insuper precante & adjuvante Othelhildi uxore meâ dilectissimâ concessi, &c. Actum est hoc publicè in Vlaerdingâ coram populi multitudine anno Dominicæ incarnationis M lxxxiii Indictione sextâ, regnante IV. Henrico xxviii. anno Imperii sui, Conrardi Trajectensis Ecclesię, anno Episcopatus sui viii. Domini Stephani Abbatis xxvi. suscepti Pastoralis officii, die vii. Calend. August. in Dei nomine fæliciter Amen.

S. Marcus. *Scriptorum discrepantia de Comitibus Hollandicis.* *Litera Theodorici quarti.* *Hollandensis Comes* *Stephanus Echmondensis Ecclesiæ Abbas.* *Donaria facta Eckmondano Monasterio.* *Luytgarda.* *Othelhildis.* *Gertrudis.*

Ex quâ literâ non modicus error deprehenditur Iohannis Bekæ, si quis attentè legerit.

a *Præfuit annis ferè* xiii.] Ita ferè omnes, Barlandus xii. & amplius, Snoyus xii. & mens. xi. alii ex Collegii summi scriptis xiv. vide & notas ad Bekam.

b *Obiit anno Domini 989.*) Plerique scriptores anno ajunt 990.

c *Sepultus in Ecclesia Trajectensi.*] Bockenbergius in æde Salv. habet, Barlandus ubi sit tumulatus non esse proditum scribit. In lib. MS. S. Mart. minore traditur sepulturam habere in parte Boreali templi inter 2. columnas in opposito alt. S. Barbaræ.

d *Litteris Romanis sive verius Atticis,*] En absurditatem: Quid Atticæ literæ cum Romanis, aut Latina lingua cum Græca? Ego Gotticis potius literis, & sui temporis usum sculptorem dixerim.

e *Ego Theodricus Dei gratia Hollandensis Comes,*) Diploma hoc fictitium esse multi non sine ratione crediderunt, quod filius Douza omnino *propugnat*, cujus libro Annal. Holl. x. integrum exhibetur. Continet enim contradictiones, falsa & absurda plura; unde à monachis olim fabricatum crediderunt Brockius, Preillius, & Sandelinus, rei antiquariæ hujus Provinciæ peritissimi; quibus assentitur P. Scriverius, quin & Miræus, etiamsi illud in suis quoque libris posuerit; in Cod. nempè piarum Donat. cap. 62. dubitare nihilo minus incœpit, ut ex literis ipsius ad me missis demonstrari possit. Quod autem Heda, Bekam erroris insimulat non rectè facit, quandoquidem tam dubiæ fidei nititur instrumentis.

Baldevinus Episcopus XVII.

Volcmaro Episcopo defuncto succedit Baldevinus filius Sifridi cognomento (a) Sicconis præfecti Kenemariorum, fratris Theodrici tertii ejus nominis, quarti Comitis Hollandiæ XVII. Episcopus, qui vixit in Episcopatu annis tribus, (b) mensibus quinque, nihil memoriâ dignum relinquens, nisi quod novas ecclesias atque urbem in pace ac tranquillitate rexit. Obiit anno D cccc xciv. VI. Idus Maji. Sub eo quoque Arnulphus pater Sicconis, tertius Comes Hollandiæ à Frisiis interemptus est, vir sanctitate (c) conspicuus, miraculis in vitâ & in morte clarus. Iste autem Theodricus tertius filius Arnulphi Comitis interventu Eckberti (d) Trevericæ (e) ecclesiæ Archiepiscopi patrui sui suscepit in propriam hæreditatem ab Ottone II. Imp. quicquid antecessores sui habuerunt in beneficio, anno D cccc lxxxv. Idem Theodricus paulo pòst obiit, anno scilicet D cccc lxxxviii. (f.

Arnulphus à Frisiis interemptus. Theodoricus ex beneficiario Com. fit proprietarius,

a *Filius Sifridi cognomento Sicconis,*) Ego idem nomen esse Sifridus & Sicco, hoc tamen Frisicè abbreviatum ceu contractum, non autem cognomentum puto. Iste enim Sifridus, si veritate nituntur quæ de ipso tradita sunt, in epitaphio Sicco dicitur: *Sicco genus Comitum &c.*
Sed cum hæc narratio genealogica obscurior sit, nec satis firma extent de eâ monumenta; nihil pronunciandum esse censeo.

b *Vixit in Episcopatu annis tribus mensib. v.*] Alii quatuor ei annos tribuunt, & Baldrico sanguine junctum ferunt Arnoldi Cliviæ Comitis, ex sorore nepotem facit Hamconius, quod an verum sit nescio, pugnat saltem cum iis quæ de Sicconis conjuge scribunt Hollandi, quare & hic veteri formulâ utendum arbitror N. L.

c *Vir sanctitate conspicuus & miraculis clarus,*] Miror inter sanctos ab Hagiographis eum non collocari. Molanus tres in Belgio Arnoldos vel Arnulphos inter cælites refert, hunc vero Comitem ignorat, nec præter Annales Hollandicos, alius quod sciam, scriptor hunc tali titulo dignatus est.

d *Iste autem Theodricus tertius F. Arnulphi,*) Non huic, sed ipsius avo Theodorico II. Plerique scriptores Hollandici hanc donationem factam volunt, quod Douza, Scriverius, Annales populares probant; licet Snoyus dissentire videatur, & eodem anno quo infra mortuum istum Theod. 2. tradunt, post quem præfuit Arnoldus annis quinque: Nec in eo solum fallitur Heda, sed quod Ottoni secundo prædictum diploma tribuat, qui ante duos tunc annos obierat, testantibus id Onuphr. Panvinio diligentissimo Chronogr. lib. 3. de principibus Rom. in Fastis item & Chronico Ecclesiastico; Sigonio de Regno Italiæ lib. 7. ex recentioribus: ex vetustioribus verò, Contracto, Sigisberto, Lamb. Schafnaburg. Mariano Scoto, aliis plerisque, quare illud; Annales Hollandici, Nob. Dousa, Scriverius, tertio Ottoni tribuendum censent: idque Nordvicensis dominus omni scrupulo carere vult. Attamen cum Ottonem 3. valde puerum, ut habent scriptores, ad regnum, mortuo patre, pervenisse constet, ac anno 1. vel 2. ejus Regni, sit concessa hæc proprietas tot Comitatuum, dicendum erit, donationem hanc à puero sub tutela matris & aviæ existentis esse proditam, quod an vero sit simile judicandum relinquo, & hic sane aqua hæret, & proinde quæro qui mihi hunc scrupulum adimat, videtur huic loco aliquam lucem dare diploma Ottonis 3. quo Notgero Leod. concedit Comit. Hoyensem eodem anno 685. vide notata ad Ansfridum.

e *Interventu Egberti Archiepiscopi,*) Vide quæ ad Becani Chronicon de hoc Egberto notavi.

f *Idem Theodor. paulo post ob. anno 988.*] Hoc anno, ut jam dixi, Theodor. secundus obiisse fertur. Theodoricus vero 3. ad annum usque 1039. pervenit.

Anfridus Episcopus XVIII.

Balduino defuncto, succedit Aufridus vir illuster & Comes præpotens XVIII. Episcopus, qui gloriam sæcularem cum magnâ sanctitate, & spirituali dignitate commutavit, de quo in Epitomate Annalium scribitur anno D cccc lxxvi. *Baldricus Trajectensis obiit, Folcmarus successit & deinde Baldevinus. Demum Aufridus prius Comes, & posteà Episcopus electus atque ordinatus successit.* Iohannes Beka (a) testatur ipsum anno XIV. Ottonis tertii renunciasse sæculo, & fuisse Comitem Bratuspantium, Hoyensium, Dionantensium & Teisterbantiæ in confinibus Thielæ oppidi. Et in annalibus Leodiensium habetur, Anno D cccc lxxxviii. *secundum* (b) *Sigibertum, Clarebat hoc tempore inter nobiles Francorum Aufridus Comes Hoyensis, qui etiam cùm esset Comes Bratuspantium, non minus justitiâ, quam potentiâ sæculari famosus, deposito militia cingulo, tonsuratus in clericum eò provectus est, ut*

Epitome Annalium. Aufridus Comes,

est, ut ordinaretur Episcopus Trajecti inferioris, à quo de consilio & licentiâ Notheri Leodiensis Episcopi fundatum est cœnobium sanctimonialium beatæ Mariæ in villâ de Thoren (c) *quam tenet Dux Brabantinus, à Leodiensi Episcopo.* Hic Comes itaque Ausfridus cùm esset gratiâ divinâ inspirante in Episcopum inferioris Trajecti electus, suam conjugem videlicet Hilswindem in dicto cœnobio constituit, in quo & filia eorum sancta (d) Benedicta primò regimen animarum illius cœnobii sub regulâ sancti Benedicti suscepit, ubi & meruerunt sepeliri. Beatus verò Anfridus constructo cœnobio sancti Pauli Apostoli prope Amersfordiam in eodem sepulturam accepit. Hic in (e) manibus Ottonis secundi Imperatoris resignavit Comitatum Hoyensem ad utilitatem Episcopi & Ecclesiæ Leodiensis, qui precibus Theophaniæ conjugis suæ nedum approbavit hujusmodi resignationem, sed quod reliquum ibidem erat ditionis Regiæ in monetâ scilicet & teloneo, reliquisque reditibus munificentiâ Regiâ ecclesiæ Beatæ Mariæ in Heyo concessis, dedit & elargitus est. Vidimus autem hujusmodi literarum exemplaria sub datâ anni (f) Domini D cccc xc. in Chronico Affligemiensi. *Anfridus Comes Bracbantiorum tam justitiâ quàm potentiâ famosus, deposito militiæ cingulo, tonsuratur, eoque profecit, ut ordinaretur Episcopus Ultrajectensis Ecclesiæ.* Anno D cccc xcvii. contulit & iste Anfridus non aspernendam partem ditionum suarum Ecclesiæ suæ Trajectensi, uti patet per literam donationis suæ, quæ subsequitur.

Comitatus Hoyensis.

Anfridi delegium.

Donatio Anfridi.

*IN nomine sanctæ & individuæ Trinitatis, operæprecium duximus, quæ sequuntur scriptis inserere, ne posteros lateret, quod præsens ætas faceret. Quapropter desideramus notum esse cunctis sanctæ Dei Ecclesiæ fidelibus, tam futuris, quàm modo præsentibus: quod ego Anfridus Dei solummodo gratiâ sanctæ Trajectensis Ecclesiæ Præsul indignus jure confisus in Domino cum transitoriis acquirere perennis vitæ gaudia, quandam mei juris hæreditatem, quam anteà potestativè possederam infra Comitatum Rien nuncupatum, quorum locorum hæc sunt nomina: Westerlo, Oudlo, Colo, Mirenbecke, * Honbecke, Borchte, pro me, meorumque parentum remedio cum omnibus ad hæc pertinentibus Ecclesiis, ædificiis, mancipiis, agris, pascuis, pratis, cultis & incultis, sylvis, aquis, aquarumque decursibus trado ad Ecclesias* (g) *sanctæ Mariæ semper Virginis, sanctique Martini in Trajecto ad restaurandum ibidem Dei servitium. Si quis hujus rei traditionem infringere nititur, laqueum omnipotentis Dei iræ, ejusque genitricis Mariæ, sanctique Martini incidat, & quasi profanus, & à sanctæ Dei Ecclesiæ liminibus sequestratus existat. Et ut veriùs credatur, firmiusque observetur, sigilli nostri impressione propriâ manu designavimus.*

* Hilvernbeke.

Ea autem loca adhuc sunt in potestate Ecclesiæ Trajectensis, & à Nobilibus de Merode sub (h) censu possidentur, exceptis quibusdam Ecclesiis & bonis, quæ nonnulli de Wesemale occuparunt, & de hujusmodi rapinâ quærentes gloriæ suæ consulere, injustè transtulerunt ea sub simulatâ pietate in Monasterium Tongerlo, à quo sub recognitione modicâ detinentur. Sed non potuerunt tanti Domini fallere Christum: Nam eo deventum est, ut & nomen & familia, alioquin clara, jam penitus exstincta, & in oblivionem cedat.

Hujus etiam Præsulis contuitu Fretheboldus, nobili prosapia progenitus, tradidit Ecclesiæ Trajectensi omnem juris sui hæreditatem quam habuit intra Comitatem Teisterbantiæ. Exemplar autem traditionis subsequitur.

In

IN nomine sanctæ & individuæ Trinitatis: operæpretium duximus quæ sequuntur scriptis inserere, ne posteros lateret, quod prior ætas faceret. Quapropter desideramus notum esse cunctis sanctæ Dei ecclesiæ fidelibus tam futuris, quàm modo præsentibus, quod quidam miles nobili parentum prosapiâ genitus, nomine Frethebaldus, amore Dei salubriter instigatus, nil dubitans cum transitoriis acquirere perennis vitæ gaudia, omnem sui juris hereditatem, quam habuit infra Comitatum Teisterbantiæ nuncupatum, cum omnibus ad eam pertinentibus, exceptis tribus mansis & mancipiis in eis manentibus, quin & viginti, quæ erant suæ curtili mancipata servituti, pro animæ suæ, suorumque parentum remedio tradidit & donavit sancto Martino suo speciali patrono ad stipendialem, videlicet usum fratribus Trajecti sub castris Christi commorantibus, eâ scilicet ratione, ut Pontificialis Cathedræ fratres curtim ex integro in Hero cum ædificiis, mancipiis, agris, pratis, pascuis, aquis, aquarumve decursibus, ut quicquid à me habuit, & id totum quod de ecclesiâ in Ukele structâ suæ subjacuit potestati, semotum haberent: Cætera, quæ supersunt rebus in omnibus cultis & incultis utriusque Monasterii fratres ibidem Deo servientes æquâ & pari communiter dividerent inter se divisione. Post decessum verò hujus vitæ, Præpositi Monasteriorũ, ejus anniversarium non immemores præterirent, Ecclesiis pro eo luminaria præsentando cibo potuq; fratres lætificando quotannis aliquam partem impendent. Dominus autem Præsul Anfridus piâ memoriâ recolendus pro hujusmodi traditionis remuneratione, ut firmior & stabilior esset hujusmodi traditio, concessit ei singulis annis de suâ parte dari XII. *libras in beneficium dum viveret. Quin etiam addidit, ut si ipse, vel ejus, quod absit, successor, hæc concessa neglexerit, ipse præfatus miles de suo, quod dedit, faciat ut velit. Anno Dominicæ incarnationis* D CCCC XCVII. *Indictione* X. *anno verò tertii Ottonis regnantis*, XIII. *Imperii autem ejus* I. XII. *Calend. Octob. & in quintâ feriâ. Actum est in Trajecto in præsentiâ Domini piæ recordationis Anfridi Præsulis, suique Præsulatus anno secundo, coram testibus quam pluribus, quorum quorundam hic subnotantur nomina,* Wlphere, *Godefrit*, Wiroc, *item Godefrit, Erolf, Bono, Rebrant, Humezo, Lamzo, Anffrit, Gerbold, Enzis, Hildebold, Adelhardt, Atto, Poppo, item Poppo, quin & his multo plures. Mox post hæc subsequenti* IV *.die, ut firmius & stabilius esset, infra terminum prædicti Comitatus in villâ quoque Trile nuncupata, eisdem prænominatis testibus, & aliis nonnullis astantibus sine alicujus retractatione*

[Margin: Frethebaldus miles nobilis.]

[Margin: Nota morem tradendi fundos.]

tione cum ramo & cespite jure rituque populari sancitum est, rationabiliterque firmatum, ut hujusmodi traditio intacta & inconvulsa permaneat feliciter sub Christo stipulatione subnixa.

Otto tertius ejus nominis fecit etiam donationem, prout in exemplari subsequitur de Bomelo & Arclo in districtu Teisterbantiæ.

IN *nomine sanctæ & individuæ Trinitatis, Otto supernâ favente clementia, Romanorum Imp. Augustus. Si locis divino cultui mancipatis alicujus honoris seu proprietatis supplementum præbere studuerimus, in nostræ animæ & carnis felicitate nobis divinitus remunerari, procul dubio credimus. Quapropter optamus ut omnibus nostris fidelibus præsentibus atque futuris notum sit, qualiter nos ad remedium animæ nostræ, parentumque nostrorum, nec non interventu & supplici rogatu Anfridi sanctæ Trajectensis Ecclesiæ venerabilis Episcopi, & Franconis reverendi Præsulis nostri, prædictæ sedi Trajectensis Ecclesiæ in honorem sancti Martini confessoris constructæ dedimus, largiti sumus & omninò concessimus omnem* (k) *districtum super villam Bomele & super cuncta, quæ ad eandem villam pertinent, videlicet publicè rei subjecta. Teloneum verò, monetam & negotium generale fermentatæ cervisiæ, quod vulgò* Grutt *nuncupatur, immò quicquid in jam dicta villâ ad publicum bannum sive districtum pertinere visum est in Comitatu * Hunerici Comitis in pago Testerbantia dicto, situm, atque eundem districtum cum monetâ, banno & teloneo, & totius publicæ rei functione, prælibato Cœnobio sancti Martini confessoris penitus in proprium tradidimus, Insuper sibi donavimus, quicquid Poppo filius* Walgeri *habuit in ministerium in eodem Comitatu, & in villâ Arclo proprietario* (l) *jure habendum tali ordine, ut præfatus Anfridus venerabilis Præsul, suiq; successores easdem res per nostram confirmationem traditas teneat, disponat, ordinet & perfruatur nostrâ omniumque nostrorum perpetualiter remotâ contradictione. Et ut hæc nostræ authoritatis pagina firma permaneat, hanc manu nostrâ propriâ corroboravimus, & sigillari præcepimus. Signum Domini Ottonis Cæsaris invictissimi. Heribertus* (m) *Cancellarius vice* Willigisi *Archiepiscopi recognovi. Data* III. *Idus Aprilis, anno Dominicæ incarnationis* D CCCC XCVIII. *Indictione* XII. *tertii Ottonis regnantis anno* XVI. *Imperantis* III. *Actum in Romano Palatio felici manu.*

*al. Vnrochi

Poppo Walgeri filius.

De

De isto Ottone tertio, quæ apud raros, & non vulgaria inveniuntur scripta, scitu tamen non indigna, libet hic inserere, & à cœptis idcircò paulisper deviare. Hic, secundum Sigibertum, à Iohanne xv. Papa ejus nominis in Imperio initiatus anno D cccc xc I I I. tamen alibi legitur, quod à Gregorio V. hoc factum sit, verius astipulatur Epitaphium, quod Romæ in marmore in æde Divi Petri Apostoli in Vaticano legitur, cujus exemplar annotavimus.

Hic quem claudit humus oculis vultúque decorus
Papa fuit quintus nomine Gregorius.
Ante tamen Bruno Francorum Regia proles,
Filius Ottonis de genitrice Iudith.
Linguâ Teutonicus Numagâ doctus in urbe, *Wangiâ al.*
Sed juvenis, cathedram sedit Apostolicam.
Ad binos annos & menses circiter octo,
Ter senos februo connumerante dies.
Pauperibus dives per singula sabbata vestes
Divisit numero cautus Apostolico
Usus Franciscâ, vulgari, & voce Latinâ
Instituit populos eloquio triplici.
Tertius Otto sibi Petri commisit ovile,
Cognatis manibus unctus in Imperium.
Exuit hæc postquam terrena vincula carnis
AEquivoci dextro substituit lateri.

(n) Decessit x I I. Cal. Martii, Anno D cccc xc I I I. secundum Chronicon Leodiensis Ecclesiæ Otto tertius à Iohanne xv. secundum Sigibertum in Imperatorem benedicitur. Anno D cccc xcv, Gregorius quintus, qui & Bruno, filius (o) primi Ottonis Imperatoris PP. factus, sedit annis I I. (p) mensibus v I. Ottonem hunc optimum scribunt fuisse Principem, & æquitatis & justitiæ observantissimum, usque adeo Reipub. utilitati insudantem, ut nec diem quidem ullum in otio transegerit. Nam crebrò intentus quæstionibus hunc servavit ordinem: primam diem viduis, pupillis & Orphanis audiendum accommodabat: secundum iis, qui in religione aut Monasticâ professione erant constituti: tertiam Episcopis & clericis: quartam Principibus & Nobilibus: quintam militibus & plebeis: sextam ordinationibus Catholicæ ecclesiæ: septimam conservationi Imperii. Unde tunc temporis cùm Otto Imp. in Italiâ moraretur, (q) accidit, quod quidam Comes Tusciæ formâ speciosus frequentaret suam curiam, cujus pulchritudinem Imperatrix percipiens, exarsit in ejus amorem. Quare quodam die cùm hæc haberet tempus & locum ad hoc aptum, & ille casu illuc advenisset, mox Regina apprehendit eum per chlamidem, aliciens ut ei condormiret; qui relictâ veste malens subire mortem, quàm facere opprobrium Regi cùm esset ei fidelis, renuit & aufugit. Regina (r) verò videns se esse à Comite spretã, corde doluit & menti cõtraria dicens, cõquesta est marito suo. Rege verò credente uxori, Comes judicatur ad mortem, nec valuit excusatio ejus, quod innocens esset à culpâ sibi propositâ.

Comes Tusciæ immeritò condemnatur adulterij.

VERSUS.

INdicat uxori propriæ Comes acta pudoris,
*Dicens opto mori, quàm Regis *obesse decori;* ** Abesse.*

Semihi

Se mihi prostituit fœmina digna mori.
Et quia delitui fugiens luxum mulieris.
Iudicor ad mortem, mihi non licet acta fateri,
Tu mihi post mortem conscia testis eris.
Si dubium videatur eis, quod teste probaris
Iudicio candentis eos ferri superabis,
Sic mihi post mortem gaudia fama dabit.
Uxor ait, fuge cùm poteris, nec sic moriaris,
*Ille refert magis opto * mori quàm sons reputari,* * necem.
Qui fugit ille magis suspiciosa trahit,
Dixit, & in fatum præcone trahente vocatur,
Insequitur Comitissa virum qui fraude necatur,
Morte data, manibus, detulit illa caput.

Prædictus Otto Imperator post aliquantulum temporis spacium, sicuti mos erat ei, post mortem Comitis sedit in Iudicio apud Ravennam, ubi primò statuit audire viduas.

Iudicii causas dum præcipit Otto parari,
Imperat & Viduas celebri præcone vocari,
Hisque piis studiis jura cupita dari.
Astitit occisum plorans Comitissa maritum,
Et queritur, quia Iudicium dat Cæsar iniquum,
Cui pro more loci nititur arte loqui,
Dicit ei: dic pœna reis quæ jure paratur,
Si rupta quandoque fide, vir fraude necatur?
Retulit Otto; caput perdere jure datur.
Intulit hæc, tua te Cæsar sententia damnat,
Fraude meum jugulasse virum te crimine pandam,
Si vis jura coli, te decet inde mori.
Hæc tacuit, Rex obstupuit, dicens mulieri:
Nescio quid quæris, neque vera tulisse videris,
Hujus enim sceleris quis tibi testis erit?
Ecce caput Comitis (dixit Comitissa) paratum
Fraude tuâ periit, proprium cognosce reatum,
Suscipe Iudicium, te perhibente datum.
Rex ait, iste Comes meruit pro crimine mortem.
Illa negat, cupiens ignitam sumere sortem,
Rex parat ignita, fœmina vicit ita,

De laqueo juris se conspicit Otto ligari,
Mira viri bonitas ratione potest superari,
Fœmineis manibus se sinit ipse dari.
Dum Regem Comitissa tenet, dat Regis honestas
Ut capitis sit plena sibi collata potestas;
Sic ut in arbitrio stet, cadat, ipse suo.
Cogitat illa modum, quo Regem perdere posset,
Inducias tunc Rex modicas pro tempore poscit,
Addunt & proceres cum pietate preces;
Innumeris precibus procerum simul & mulierum,
Regia vita decem spacio datur esse dierum,
Sic ratione ferum fœmina vicit herum.
Iam decimâ veniente die casumque minante,
Otto redit, Comitissa venit, qui venerat ante;
Rex ubi dixit ave, rettulit illa cave,
Tollit eum Comitissa Reum miranda leana
Dum trahitur, dum præcipitur succumbere pœna.
Fœmina victa prece distulit ipsa necem.
Distulit, & dicit; ita nunc tristissima parco,
Ut post octo dies gladii sit pœna Monarcho,
Sic data, tunc vita pendula pendet ita.
Pace dies octo rediens dum perficit Otto,
Tunc precibus cum principibus rursus petit octo;
Septima dat requiem post numeranda dies.
Septima præteriit rursus cupit Otto mereri,
Ut sex ipse dies habeat cum pace tueri,
Consilio cleri, fœmina dixit, erit.
Nec tamen illa dedit nisi Rex promitteret illi,
Quod prior ignitis pereat Regina favillis,
Hoc ubi convenit vita redempta redit.
Pro tribus Induciis tribuit tria castra Monarchus,
Nec fuit in reliquis concedere plurima parcus,
Nomina castrorum novimus atque solum.
Si cupis ipsorum confinia nosse locorum
Climate Tuscorum populus monstratur eorum.
Me quoque non latuit sæpe videre solum.

Nota autem, quod ista tria castra, quæ data sunt Comitissæ ab Imperatore pro morte Comitis mariti ejus, & tribus induciis, quas fecerat Imperatori, sita sunt in Lucensi Episcopatu; quorum

quorum unum vocatur Decendium, propter decem dierum inducias, alterum autem dicitur Octodium, propter octo dierum inducias, Tertium dicitur Sextidium propter sex dierum inducias quas Regi tribuit Comitissa, & ita vocantur castra, usque in præsentem diem. Imperator Otto posteà redit in Saxoniam.

Anno Domini M. Otto Imp. expeditionem jam tertiò factam movit in Italiam contra rebelles Romanos, post subactis hostibus, (s) veneno à muliere dato vita decessit v. Cal. Februarii, anno tam Regni, quàm Imperii XVIII. cujus corpus Aquisgranum relatum, ante altare Sanctæ Mariæ in choro conditum.

(t) Anno Domini DCCCCLXXIV. Otto senior XXXVIII. Regni sui, anno Imperii verò XII. diem claudit extremum. Sepultus in Magadaburch.

Anno DCCCCLXXV. Otto II. successit Patri, qui eo vivēte coronatus fuerat Rex in Imperiū, & gubernavit tam Imperium, quàm Regnum annis novem Obiit Romæ an. 985. & ante ecclesiam sancti Petri in conchâ marmorea habuit sepulturam. Hic scaphâ salutem quærens, vix evasit, in Ausoniâ confugiens ad Theophaniam uxorem, matrem Ottonis tertii.

Mortuo Ottone tertio absque liberis, propter causam fortè præscriptam, cùm tres Ottones per successionem imperassent, (u) eligitur Henricus Claudus filius Henrici Hezelonis in Regem, natione Noricus, & Dux Noricorum, id est Bavarorum, quorum castrum Noricum dicitur, vulgariter Norimberch, caput Bavariæ. Hic (x) Henricus Valentianas Castrum, situm in Marca Alemaniæ, seu veriùs in confinibus Arduennæ à Balduino Comite Flandriæ occupatum, recuperavit, & Gandavum castrum cœpit anno M. V.

Item Henricus Secundus Rex partim ea confirmavit, & alia concessit de servis, vel liberis, vel advenis presbyteris.

IN nomine sanctæ & individuæ Trinitatis, Henricus divinâ favente clementia Rex. Noverit industria seu sagacitas omnium fidelium nostrorum, tam præsentium, quàm & futurorum, quia Anfridus venerabilis vir Veteris Trajectensis Ecclesiæ Episcopus, quæ est constructa in honore sancti Martini confessoris, cæterorumque Sanctorum, adiit celsitudinem nostram, deprecans ut concederemus prædictæ sanctæ Dei Ecclesiæ ob amorem Dei & sancti Martini, ut nullus servus aut liber prælibatæ Ecclesiæ coram ullo Præside, aut Judice nostro ad causas audiendum, aut freda (y) *exigenda coactus veniat, sed coràm* (z) *Advocato ipsius Ecclesiæ finiantur. Homines quoque qui* (aa) *ceram ad prædictam Ecclesiam solvent per annos singulos & ingenui qui sub* (bb) *Mundiburdo & tuitione ipsius Ecclesiæ consistunt, tali lege fruantur, sicut Coloniensi ecclesiæ concessum est, cæterisq; in Regno nostro constitutis, Insuper prædictus honorabilis Episcopus Anfridus deprecatus est nostram Imperialem clementiam, ut res* (cc) *Presbyterorum advenarum, quas Theutisca lingua* Overmecke *nominamus, post obitū eorum nostræ ditioni relictas supra nominatæ Ecclesiæ concederemus. Cui*

 petitioni

petitioni per interventum dilectæ Conjugis nostræ reginæ Cuningundæ libenti animo aurem accommodare placuit. Et idcirco hoc præceptum jam sæpe dictæ Ecclesiæ concedimus ob amorem Dei, sanctique Martini, & præcipiendo jubemus, ut nullus Iudex publicus, aut aliquis ex Judiciariâ potestate in suprascriptis rebus Ecclesiæ Dei, aut rectoribus ejus aliquam calumniam ingerere præsumat. Et ut à fidelibus nostris veriùs firmiusque observetur, hoc præsens præceptum conscribi jussimus, & sigilli nostri impreßione muniri, manuque nostrâ, ut infra videtur, signavimus. Signum Domini Henrici Regis invictißimi, (dd) *Egilbertus Cancellarius vice* Willigisi *Archi-capellani recognovi. Data* III. *Nonas Septembris, Anno Dominicæ incarnationis* M.III. *Indictione* XV. *Anno verò Domini Henrici* I. *Actum Elista.*

Confirmatio ejusdem Henrici Regis de Bomela, teloneo, ac Moneta ibidem ac Iurisdictione, & donatione de Arclo.

I*N nomine sanctæ & individuæ Trinitatis; Henricus supernâ favente clementia Rex. Si locis divino cultui mancipatis alicujus honoris seu proprietatis supplementum præbere studuerimus, in nostræ animæ & carnis felicitate, nobis divinitùs remunerari proculdubio credimus. Quapropter optamus, ut omnibus nostris fidelibus notum sit, præsentibus atque futuris, qualiter nos ob animæ nostræ remedium, parentumque nostrorum, nec non interventu & supplici rogatu Anfridi S. Trajectensis ecclesiæ venerabilis Episcopi, & Franconis* * *venerandi Præsulis nostri, prædictæ sedi Trajectensis ecclesiæ in honore sancti Martini constructæ, dedimus, largiti sumus, & omninò conceßimus omnem districtum super villam Bomele, & super cuncta, quæ ad eandem villam pertinent, videlicet publicæ rei subjecta, teloneum verò, monetam, & negotium generale fermentatæ cerevisiæ, quod vulgò* Gruit *nuncupatur; imo quicquid in jam dictâ villâ ad publicum bannum sive districtum pertinere visum est, in Comitatu* Wrochi *Comitis in pago Testerbant dicto, situm, atque eundem districtum cum monetâ, banno, teloneo, & totius publicæ rei fruitione prælibato cœnobio S. Martini confessoris tradimus. Insuper sibi donavimus, quicquid Poppo filius* Walgeri *habuit in ministerium in eodem Comitatu, & in villâ Arclo, proprietario jure habendum; tali ordine; ut præfatus Anfridus ve-*

* Reverendi.

Bomela cum telonio & omni jurisdictione donatur Ecclesiæ Trajectensi.

Wrochus Comes. al. Hunericus.

Poppo filius *Walgeri.*

dus venerabilis Præsul, suique successores easdem res per nostram confirmationem traditas, teneat, disponat, ordinet, & perfruatur nostrâ omniumque nostrorum perpetualiter remotâ contradictione. Et ut nostræ authoritatis pagina firma permaneat, hanc manu propriâ corroboravimus, & sigillari præcepimus. Signum Domini Henrici Regis invictissimi, Egilbertus Cancellarius vice Willigisi Archiepiscopi recognovi. Data III. Nonas Septemb. anno Dominicæ incarnationis CIↃ XIII. *Indictione* I. *Anno verò Domini Henrici* (cc) *Regis* I. *Actum Elista.*

Item de Venatione per Comitatum Trenthiæ.

*IN nomine sanctæ & individuæ Trinitatis, Henricus divinâ favente clementiâ Rex. Noverit omnium fidelium nostrorum tam præsentium quàm & futurorum industria, qualiter nos interventu venerabilis Egilberti Præsulis obtemperantes, nec minus & voluntati Anfridi Traject. Ecclesiæ Antistitis aures accommodantes ex hoc in antea præsenti Regiæ authoritatis præcepto interdicimus, ut nullus Comitum aliorumvè quorumcunque hominum in pago Thrente nuncupato, quòd est in Comitatu Baldrici, cervos, ursos, aut apros, insuper & bestias, quæ Teutonicè Elo & Scelo appellantur, venari, absque prælibati Pastoris ecclesiæ permissu præsumat. Volumus quoque, firmiterque Regalis edicto munificentiæ præcipientes jubemus, ut in eodem pago, universisque finibus ejus adusque adjacentes cæteras regiones præfatæ Traject. Ecclesiæ jus servetur forestense, utpote nobis ac nostris * debitum. Et ut hæc nostræ traditionis concessio firmiorem obtineat vigorem, meliusque per succedentium curricula temporum ab omnibus credatur, inconvulsiusque in æternum observetur, hanc chartam inde conscriptam manu propriâ corroborantes. Sigilli nostri impressione insigniri jussimus. Signum Domini Henrici Regis invictissimi, Bruno Cancellarius vice Willigisi Archi-capellani recognovi. Data* VIII. *Calendas Maji, Anno Dominicæ incarnationis* CIↃ. VI. *Indictione* IV. *Anno verò Domini Henrici secundi Regis* V. *Actum in Inglehem.*

Elo & Scelo bestiæ venatoribus vocatæ.

* *Verbum* debitum in *MS.* abest.

Obitus Aufridi Episcopi.

Anfridus moritur circus 1008. Normanni Tielam & Trajectum exurunt anno Christi 1009.

BEatus itaque Aufridus jam plenus virtutibus & senectâ, à Deo instar auri mundanâ scoriâ emundatus, circa annum Domini M. v. privatus lumine extitit. (ff) Construxit ex fundamentis celebre Cœnobium sub professione sancti Benedicti, in monte sancto prope oppidum Amersfordiam, in honorem Deiparæ Virginis Ibi & religionis Monasticæ habitum suscepit, & usque in finem vitæ in sancto proposito perseveravit. Decessit anno (gg) salutis M. VIII. v. Non. Maji, cùm præfuisset feliciter annis quindecim, quamvis alibi scribatur eum decessisse mense Aprili, anno M. IX. Sepultus est (hh) in Ecclesiâ Trajectensi in parte meridionali juxta ostium chori, cujus conversatio qualis fuerit per (ii) miracula ad ejus sepulchrum ostensa, crebrò innotuit. (kk) Eo autem vità defuncto juxta aliquos Nortmanni oppidum Thiele incendunt, anno videlicet M. IX. & sequenti anno Trajectum flammis consumunt, trucidatis multis.

a *Ioannes Beka testatur anno* XIV. *Ottonis renuntiasse sæculo*,) Hæc verba, nec in Bekâ, nec auctore Chronici magni Belgici, qui Bekam descripsit invenio; pugnant etiam cum veritate, Otto enim tertius post mortem patris, qui ut supra dixi anno 983. obiit, Rex electus est penè puer, à quo tempore usque ad annum 994; quando Episcopus factus est Ansfridus x. vel XI. tantum anni numerantur.

b *Secundum Sigisbertum*,) Verba Sigisberti in Chron. ad annum C 997. sic habent: *Clarebat hoc tempore inter Gallos Ansfridus, qui cum fuisset Comes Bratuspantium* &c. Ut in Beka atque ita hic anni non conveniunt. Extat diploma Cod. Donat. piarum Miræi cap 41. quo Otto tertius Imp. anno 985. donat Episcopo Leodiensi Notgero Comitatum Hoyensem, quem Ansfrid. Comes antea tenebat. vide Ægidium à Leodio Aureæ vallis monachum in addition. vitæ Norgeri per Anselmum descriptæ c. 54. Fuit & alius Ansfridus Comes antiquior, cujus donationes extant ap. Freherum in Origin. Palatinis.

c *Cœnobium Sanctimonial. B. M. in villâ de Thoren*,] Est hoc illustre nobilium Virginum Canonicarum, (ut vocant) Collegium ad Mosam, in diœcesi Leodiensi, cujus fundatricem fuisse circa annum C 992. Hilswindem Comitissam Striensem Ansfridi conjugem, constat; quæ pleraque bona sua eidem monasterio contulit, quod & hodie decimas & census prope Bredam & Zevenbergen in Comitatu olim Striensi dicto possidet, vide librum 1. diplomatum Belg. Miræi cap. 24. & ibi notata. In notis Walteri Brockii antiquitatum nostrarum scientissimi, invenio hæc verba: Idem *Ansfridus monasterium puellarum Ord. S. Bened. in prædio suo Avesaet construxit, & dotavit, cui uxorem suam præfecit; quod Monasterium postea transfertur in Thoren prope Ruremundam.*

d *Sancta Benedicta*,) Hanc Abbatissam, & ex parte fundatricem, utpote, quæ paternas & maternas donationes confirmavit, invenio: sed inter cœlites relatam non memini; nec Molanus in Indiculo SS. Belgii agnoscit.

e *In Manibus Ottonis II. resignavit Comitatum.*) Extat hujus Imp. diploma anni C 981. quo confirmat Ecclesiæ Leod. possessiones à prioribus Impp. & Reg. acceptas, inter quas & Hoyensis Comitatus. Meminere 2. Hoyens. oppidi Guicardin. in descript. Belgii, Dessel in Bibl. Belg. Sweertius in Athenis Belg. Itinerarium Ortelii.

f *Vidimus a. hujusmodi liter. Exempl. sub data* à D. 990. Si temporis expressio hic posita vera est non potuit spectare illud diploma ad Ottonem II. Imp. qui ut sæpe jam dictum anno 983. obierat.

g *Ad Ecclesiam S. Mariæ semper Virg.*] Hæc apud posteriores vocata S. Salvatoris. In privilegiis Ottonis I. Imper. anno 944. *In duobus monasteriis, inibi Deo famulantium, unum in honorem S. Martini dedicatum, alterum verò S. Dei genitricis omniumque SS.* Sic quoque Henricus III. Imp. in litteris ann. 1046. Vocatur eadem ecclesia S. Bonifacii, à conditore: In donatione Adelheidis Comitissæ anno 1088. Item à Burchardo Episcopo anno 1108; à Godebaldo annis 1118. 1125. Conrado Imp. 1145. Godefrido Episcopo 1160. In literâ de Stationibus 1219. à Petro Card. anno 1247. Sed sæpius Salvatoris nomine, quo vulgò notior.

h *A Nobilibus de Merode*,] Hi usque ad nostra tempora tenuêre bona in Westerloe & Oulo in Brabantiâ Gallicâ non procul ab Aerschot sita, verùm hoc sæculo, post Christum natum 1600 ineunte certæ pecuniæ summâ illa à duobus Collegiis Martini nempe & Salvatoris redemerunt, vide Miræi dipl. Belg. lib. 1. cap. 97.

i *Cum ramo & cespite*,) Hic mos explicatur lib. 1. diplom. Belg. cap. 90. à Miræo editorum, his verbis: videlicet; *quod major dicti monasterii cereus illuminatus fuit & prædictus miles cum viride cespite cui viridis ramus infixus existit, arrepta etiam stola, qua frater N. N. Monachus, præcinctus fuerat, & subscriptis testibus, ad perhibendum super hoc efficax testimonium, cum instantia convocatis, obtulit spontaneè, super altare dicti Monasterij, Domino Deo hereditarie decimam prænarratam* &c. Vide Bignonium in Notis ad cap. 13.

cap. 13. lib. 1. Marculphi, ubi plures modi & formæ traditionum antiquarum describuntur, quæ per festucam fiebant, unde *defestucare*, *depossidere*. Adde Goldastum ad leges veteres. Meminit quoque Freherus in Glossario vocum semilat. Et inde formula Majoribus nostris usitata; **met mondt ende halm overgeben**; jungantur, quæ Hotomannus de verbis Feudalibus, lit. E. & Lambertus Goris Advers. Iuris cap. 1. tradunt.

k *Destrictum*,) In impresso districtum legitur, sed malè; vide Hotomannum libro supra nominato in lit. D. est autem districtus territorium in quo quis districtionem seu Iurisdictionem habet, Teutonicè **'tghebiet**.

l *Proprietario jure habendum*,] In MSS. perpetuario jure legimus, id est, teste B. Brissonio de verborum signif. jure Emphyteuticario; ex l. 1. C. de officio Com. Sacr. Pol. In perpetuum autem locatos agros Vectigales interpretatur Paul. I.C. pro quibus tam diu vectigal. penditur, quamdiu neque ipsis qui conduxerunt, neque his qui in locum eorum successerunt auferri eos licet. L. 1. ff. si ager Vect. verum an hæc sensui huic conveniant, lectori discutiendum relinquo.

m *Heribertus Cancellarius*,] In editis est Helibertus, sed nos rectè emendavimus; fuit enim Heribertus Archiepiscopus Col. post Evergerum anno 990. defunctum ac primus Elector qui & fundator Abbatiæ Tuitiensis, ubi etiam habuit sepulchrum, vide Chronicon Sigisberti ad annum C 1002.

n *Decessit* XII. *Kal. Mart. anno* D CCCC XC III. Accuratiss. rer. Eccl. scriptor Onuphrius Panvinius lib. 3. Rom. princip. sic scribit: *Obiit in Italiâ rediens ex urbe V. Cal. Februarij anno Domini* 1001. quod idem affirmat in Chron. Eccl. & cùm eo, Sigonius lib. 7. de Regno Italiæ. Nauclerus Chron. 2. parte, Gen. 34. Aventinus Rer. Bojor. lib. 5. aliique primæ classis auctores. Sunt tamen qui anno eum sequenti mortuum velint inter quos Lamb. Schafnab. Monachus. Marianus Scotus. Sigisb. Gemblac.

o *Bruno filius primi Ottonis Imp. pp. factus*,) Hic turpiter labitur Heda, cum Bruno Ottonis I. Imp. non fuerit filius, sed pronepos, Luitulphi nempe primogeniti ex Ottone filio nepos, ut, ex Onuphrio, Cuspiniano, Gotof. Viterbiensi, Aventino, Nauclero, Fabricio, aliisque German. rer. scriptoribus apertissimum est.

p *Sedit annis 2. mensib. 6.*] Dissentit ab Heda Godef. Viterb. parte 20. Chron. qui unum tantum annum & 6. menses Gregorio tribuit. Massæus eum paulo minus triennio supervixisse dicit. Onuphrius & Bellarminus duos annos, & octo eum menses sedisse tradunt. Nauclerus v. menses annis duobus adjungit; cum Onuphrio facit Volaterranus lib. 22. Comment. Urban.

q *Accidit quod quidam Comes Tusciæ*,) Hanc narrationem vel fabulam à Iosephi historia mutuatus videtur Heda; suos nihilominus habet auctores, inter quos, fide alioqui non indigni; Crantz in Saxon. lib. 4. cap. 26. ex Viterbiens. Chronico 17. parte: Chronic. Belg. magn. fol. 88. ex Gobelini Cosmodr. Ætat. 6. cap. 50. Cuspin. in vitâ Ottonis III. Imp. Bellarminus in Chronol. ad Ecclesi. Script. parte alterâ, Sigonius de Regno Ital. lib. 7. Sifridus presb. Misnens. lib. 1. Benevenutus de Rembaldis in libro August. Munsterus lib. 3. Cosmogr. Peucerus ad Chron. Carion. lib. 4. Haræus de princip. Brabant. in Ottone Duce, Elias Reusnerus in Stemmate Witichindæo, Pontanus Danicæ hist. lib. v. Iac. Strada de Impp. Rom.

r *Regina vero videns*,] Hanc omnes Mariam Regis Arragoniæ F. dicunt fuisse; de qua sic Reusnerus in Stemmate Witichindæo: *Fuit in ejus consortio Maria Sanctii Garciæ Abarcæ Regis Arragoniæ & Navarræ filia, vidua Ordonii Regis Hispaniæ: mulier scelesta, libidine perdita & infamis: quam adulterii convictam Mutinæ ad rogum damnavit.* Lamb. vander Burchius in principio hist. Sabaud. princ. Beraldum *Mariam Arrigoniam patrui sui Ottonis conjugem in adulterio deprehensam una cum adultero, confodisse tradit.* At Texera in Explicatione arb. Gentilitiæ Henrici IV. scriptum reliquit Garciam 2. cognomento Avarcam ex Totâ conjuge sustulisse quidem V. filias, inter quas recenset Mariam Seniofredo Barcinoniæ Comiti junctam, verùm cùm hic Sanctius anno 920. in vivis eodem teste esse desierit, temporis ratio non patitur, ut ejus filia Ottoni huic nupta fuerit; nisi fortè ex ejus filio Garciâ 4, qui obiit anno 969. natam dixerimus, cujus tamen filias non invenio, & sunt qui post annum demùm 1000. Arragoniæ Regnum exortum volunt. Vide Marineum Sicul. de Reb. Hispaniæ lib. 8.

ſ *Veneno à muliere dato*,) A Crescentii conjuge muliere pulcherrimâ, quam Ioannam vocat Bzovius; de hac re sic Sigisbertus ad annum 1002. *Româ decedit cum Sylvestro Papa & quia uxor Crescentis Imperatorem spe regnandi in amorem pellexerat, dolens pro ejus discessu, venenum ei misit, quo ille consumptus inter remeandum in Italiâ moritur.* Romæ mortuum eum eodem anno tradit Blondus lib. 3. 2. Decad. plerique tamen scriptores in itinere vitâ excessisse volunt, lento chirotecis indito veneno infectum G. Fabritius anno 1002. 9. Cal. Febr. æt 30. Ottonem vivere desiisse asserit; viscera autem condita Augustæ Vindel. in fano D. Afræ, corpus Aquisgranum delatum.

t *Anno Dom. D cccc lxxx iv. Otto senior*,] Accuratissime hanc rem discutit Onuphrius, qui hic nonnihil dissentit, ut etiam in ejus filio Ottone secundo; hunc vide lib. 3. de princip. Romanis. in Chronico Ecclesiastico, in Fastis.

u *Eligitur Henricus Claudus*,) Qui secundus ejus nominis Imp. anno 1002. à Willigiso Moguntino Archipræsule Aquisgrani coronatus est: primus, ut putant, ex institutione Ottonianâ vel Gregorianâ à certis Electoribus nominatus; quam opinionem major Scriptorum pars, uno ferè ore probant;

Sabellicus, Blondus, Volaterranus, Platina, Gobelinus, Nauclerus, Cuspinianus, Palmerius, Massæus, Trithemius, Cario, Munsterus, Reusnerus, Mutius, Rolevinckius, Hæræus, Pontacus, Crantzius, Stokius, Snoyus, Strada, alii. Vetustiores tamen tacent. Sigonius & Peucerus dubitant. Onuphrius autem singularem edidit librum de Comitiis Imperatoriis, in quo VII. Electorum origo demonstratur, & communis de ea fama refellitur. Aventinus libro v. Annal. Bojorum, hoc tempore institutionem illam factam negat. Henrici hujus Imp. tale stemma reperio.

Otto magnus Dux Saxoniæ Lutgarda F. Arnulphi Imp.	Henricus Rex Germ. uxor Mechtil. fil. Theodorici Saxon. Comitis.	Henricus Rixosus Dux Saxon. uxor. Iuditha F. Arnulphi Bavar. Ducis.	Henricus Hezelo Dux Saxoniæ & Bavar. uxor Bertha Lotharingica.	Henricus II. Imp. Claud. dictus & Sanctus; uxor Cunegundis filia Sifridi C. Palat.
		Otto I. Imp. uxor Adalhais F. Rudulphi Reg. Burg.	Otto II. Imp. uxor Theophano.	Otto III. Imp. uxor Maria Navarrena.
		Bruno Archiepisc. Colon.		
		Gerbirga uxor Giselberti Lotharing. Ducis.		

Sigisbert. ad annum C 1002. *Erat filius Henrici Ducis qui fuit genitus de Henrico fratre primi Ottonis Imp.*

x *Hic H. Valentianas castrum,)* Sigisb. Chron. ad annum 1006. *Castrum Valentianas situm in marchiâ Franciæ & Lotharingiæ, quod Balduinus Comes Flandrensium invaserat Imperator Henricus obsidet*; & ad annum sequentem: *Henricus Imper. quia de obsidione Valentianensi inefficax redierat, contra Balduinum profectus Castrum Gandavum invadit, & depopulata terra, aliquot primores Flandrensium capit. Unde Balduinus perterritus Imperatori satisfacit, Valentianas reddit*, &c. Id factum non ut hic Heda anno 1005. sed sequentibus annis. Vide Meyeri Chron. Marchantium in Balduino 4. Oudegerstium in Annal. Fland. Gal. cap. 35. & seq. Gramayum in Gandavo cap. 25. Gobelinum Ætat. 6. cap. 52. Dithmari Chron. lib. 6. Aventinum Annal. Bojorum lib. v. pa: 402.

y *Freda exigenda,*] Fredum interpretatur Bignonius ad lib. 1. Marculphi, *tertiam esse compositionis, quæ parti solvenda erat.* Vadianus violatæ pacis pœnam putat. Gregorius Turon. lib. 4. de virt. B. Martini cap. 26. Affirmavit Rex quosdam ex his qui absoluti fuerant, ad eum venisse, compositionemque fisco debitam, quam illi Fredum vocant, à se indultam.

z *Sed coram Advocato ipsius Eccl.*] Id est, defensore vel protectore. Canonis 97. Africanæ Synodi verba sunt ex translatione Christ. Iustelli: *Placuit, ut petant ex nomine Provinciarum omnium Legati perrecturi, Vin. & Fort. à gloriosissimis Impp. ut dent facultatem defensores constituendi scholasticos, qui in actu sunt, vel in munere defensionis causarum, &c. Iique habeant facultatem pro negotiis Ecclesiarum, quoties necessitas flagitaverit, vel ad obsistendum obrepentibus vel ad necessaria suggerenda, ingredi judicum secretaria.* Vide Bignon. ad Marculphi formul. lib. 1. cap. 21. In capp. Caroli & Lud. lib. v. cap. 31. *Defensores Ecclesiarum adversus potentias secularium vel divitum ab Imp. sunt poscendi.* In diplomatis hæc vox passim occurrit; capitur etiam pro domino ac fundatore, qui supremus dicitur Advocatus: Bockenb. de Dynast. Egmond in Berwoldo 1. *Verum enimverò legitimè Advocati titulum (quem anno 1173. Florentium x. Holland. principem sibi vendicasse constat) æquè sibi ac posteris tribui voluerit, non temere pronuntiavero*, adde etiam Florentii diploma anni 1174. fol. ejusdem libri 20.

aa *Homines quoque qui Ceram ad præd. Eccl. solvent,*] Quales in diplomatibus *Cerocensuales* vocantur, quorum mentio in literis Warneri Schoenhals Com. domus Theuton. in Dideren anni 1336. & in libro Cameræ Eccl. Tr. fol 25. in hæc verba: Nullus servus vel libertus *Cerocensualis* vel Curmedalis in Ecclesia nostra potest esse Canonicus, quamvis minora possint præbenda obtinere.

bb *Qui sub Mundiburdo,*] Hinc nostrum **Momber & Momberschap** / est ap: Marculphum lib. 2. Form. cap. 24. de Mundiburde Regis. vide leges Longobard. ubi tutor fæminarum *Mundoaldus* & *Mundius* dicitur plura ap. Bignonium loco supra allegato, Glossarium Lydii ad Clemangem, Fr. Pithœum in Gloss. Barb. & passim hoc verbi in diplomatis nostris occurrit.

cc *Res presbyterorum advenarum,*] Nos hodie jus exuviarum dicimus, quod Magistratui competit in bonis advenarum in civitate morientium, quo tamen propter fædera, in vicinos hodie raro utitur, etiamsi Colonienses neglectis omnibus pactis, fæderibus, ac hospitalitio jure, quibus olim arctissime cum Trajectensibus jungebantur nuper nimis rigidè illud jus quod sibi cōpetere volebant non rectè in bona patrui mei exercuerint, cum tamen illa in pauperum usum reliquisset, neque in ipsorum territorio, quod requirebatur, quicquam acquisivisset. In Franciâ hodie, si advena moritur, nisi jus Francicum (naturalisationem vocant) à Rege in vitâ impetraverit, omnia ab eo ibi relicta fisco cedunt. Diploma fœderis cum Coloniensibus olim initi, cujus supra mentionem injicio quamvis posterioris temporis, non alienum esse putavi, hic inserere, quod tale est.

Iudices, Scabini, Consilium, Iurati ac universi cives Coloniens. omnibus præsentes literas inspecturis in perpetuum. Quoniam ea quæ aguntur

guntur, in tempore lapsu temporis elabuntur, solet ea vivax scripturarum memoria perennare. Ad notitiam igitur tam præsentium quàm futurorum volumus pervenire quod nos præhabita deliberatione providâ & maturâ, propter pacis vinculum inter civitatem nostram Coloniensem, & civitatem Trajectensem inferiorem firmiter in perpetuum observandum, concordatum inter nos hinc inde exstitit, & conventum; ut quicumque civium nostrorum Coloniensium alicui civium Trajectensium, vel econverso, aliquis civium Trajectensium alicui concivium nostrorum bona sua ceu res suas quascúnque prestiterit & crediderit ceu mutuaverit, illas à nemine nisi à debitore principali exiget & requiret, nec pro his quenquam alium conveniet vel detinebit, vel alicujus alterius pignora capiet nisi debitoris principalis &c. Quicumque vero alium pro debitis convenerit vel impetierit, solvet is eidem si debitum confitetur, aut actor ab adversario negante, super petitis recipiet juramentum quo ambo erunt contenti; nisi, debitum recognitum fuerit principale. Cæterum propter dicta pacis fœdera firmiter observanda inter nos hinc inde concordatum exstitit, quod si inter dominos nostros Archiepiscopum Colon. & Episcopum Traject. vel alios quoscunque guerra seu discordia fuerit exorta, nos personas civium Trajectensium bona ac res ipsorum quæcunque sunt in Coloniâ vel extra muros Colonienses in Reno, dummodo tamen sint infra superiorem & inferiorem turres civitatis Colon. conservabimus & defendemus bona fide tanquam personas & res unius nostri concivis. Et econverso, ipsi cives Trajectensis personas & res concivium nostrorum habitas in Trajecto, infra Gheyne *&* Maersen *conservabunt similiter, & defendent bona fide, tanquam personas & res unius concivis civitatis eorundem; præterea si forte (quod absit) Dominus Episcopus Trajectensis vel quæcunque alia persona seu Ecclesiastica fuerit vel sæcularis, existens in Episcopatu Trajectensi, aliqua bona vel res nobis acceperit, vel molestiam intulerit extra terminos locorum prædictorum, nos proinde nullam discordiam contra cives movebimus Trajectens. nec ipsos super hoc aliquatenus impetemus, nisi ipsi cives Trajectenses nobis personaliter in bonis civium nostrorum & personis eorum injuriam irrogarent. Et econverso si Dominus Archiepiscopus &c. ut supra. Volentes hinc inde omnem formam & modum fœderis, pacis sive compositionis prædictum inter nos & ipsos habitum inviolabiliter in perpetuum observari; nec propter hoc dictum fœdus infirmari, si aliqui concives nostri, non tamen ad ipsorum vel aliquorum concivium nostrorum utilitatem cum dominis suis quibus serviunt,*

viunt, interfuerint injuriæ seu molestiæ illatæ civibus Traject. dummodo hoc sine nostro consensu & consilio generali, vel aliquorum speciali fuerit vel mandato: aut etiam aliqui, cives Traject. interfuerint consimili modo cum dominis suis quibus serviunt injuriæ nostris concivibus illatæ, &c. Quod si fortaßis cives Trajectenses qui interessent hujusmodi injuriæ vel molestiæ nostris concivibus illatæ demandato seu consilio ipsius civitatis interfuisse putaremus, & super hoc ipsos impeteremus, ipsi per quatuor probos viros juramento confirmabunt hujusmodi cives sine ipsorum consilio taliа perpetrasse. Et nos ipsis in casu consimili id ipsum, si accederit, faciemus. Ut autem prædicta omnia tam à nobis, quam à civibus Trajectensibus rata & firma, omni dolo & fraude exclusis in perpetuum observentur, præsentes literas placuit conscribi, & nostræ Civitatis sigilli munimine roborari. Actum & datum de communi consensu, consilio & voluntate Scabinorum consilii & cæterorum civium Coloniensium Anno Domini Mill. ducentesimo LXII. *in viglia omnium SS.*

dd *Egilbertus Cancellarius,)* Erebertus legendum putarem & qui tunc temporis Coloniensis erat Archipræsul, nisi constanter MSS. hanc scripturam retinerent.

ee *Anno Domini incarn.* cIↄ III. *Indict.* I.] In M.SS. ubique legitur M. II, id est secundo Henrici I. Imp. qui teste Onuphrio, appellatus Rex v. Cal. Febr. 1001.

ff *Construxit ex fundamentis,)* Quod cœcus jam factus tantam rem incæperit non puto, sed inchoatum forte perfecerit. Diploma fundationis & donationis ex monumentis Abbatiæ descripsi; ut sequitur.

I*N nomine S. & individuæ Trinitatis. Notum sit omnibus sub Christianæ relligionis norma degentibus: Qualiter ego Anfridus licet indignus Trajectensis Episcopus in loco qui vocatur Hohorsta ædificari præcepi cellulam in primis in honorem Dei nostri Iesu Christi constructam, nec non gloriosißimæ genetricis ejus Mariæ, sed & BB. Apostolor. Petri & Pauli, meique Patroni specialis S. Martini, ea ratione ut inibi fratribus monachis sub S. Benedicti regula feliciter vivere cupientibus dies ducere liceat huic vitæ concessos. Ut autem locus prædictus in Dei servitio firmius poßit esse stabilitus, jam dictis fratribus tradidi quicquid visus fui habere in villa* Thrile *in pago* Testerbantensi, *cum omnia familiâ cunctoque servitio & districtione, ita ut omni tempore, tenui ac possedi, absque ullius contradictione, regali scilicet manu traditione ac stipulatione nobis concessum: & in Tvvente dimidium census theloniarii & monetæ & Foreste in Rumelo, & quartam partem sylvæ in Fugenhoute. Præter hæc tradidi inter villas Hese & Sous* XIV. *mansos cum prædio Hohorst prædicto, cum mancipiis & omnibus appendiciis, id est sylvis, pratis, pascuis, molen-*

dinis, aquis, aquarumque decursibus, acquisitis & acquirendis, quod dedit quidam Garvvardus miles S. Martino; & novale quoddam de monte Hohorst, *usque in* Bachevorth. *Addidi & has ecclesias* Ermelo, Masemunster, Livemunster, Leyre, Suindrecht, Hamerthe, Loysden. *Actum est hoc publicè coram idoneis testibus, in Basilica Sᵃ. Mariæ Sanctique Martini in Hohorst, ipso die dedicationis ejus, id est,* XIV. *Kal. Decemb. Anno ab incarnatione domini* M. VI. *Indict.* IV. *Regnante Henrico secundo, Imperii sui anno* V.

Est & confirmatio bonorum eidem monasterio collatorum facta à Conrado Imp. anno 1028. anno Conradi secundi Regnantis 4. Trajecti, qui & meminit bonorum ab Adelboldo collatorum.

gg *Decessit anno salutis* M. VIII.) Plerique consentiunt, nisi quod sint qui anno M. IX. mortuum velint. Schafnaburgensis abit, ita enim scribit, *Anno 1016. Ansfridus Trajectensis Episcopus obiit, cui Adelboldus successit*, vide notata ad Bekam.

hh *Sepultus est in Ecclesia Trajectensi,*] Bockenbergius in Montis sancti monasterio à se condito sepultum tradit ex vulgari Chron. alii dubitant.

ii *Per miracula,*) Hæc Molano & aliis Hagiographis incognita.

kk *Eo vitâ functo Normanni oppidum Tielam incendunt,*) Sigisb. in Chron. ad annum C. 1009. *Normanni Frisiam infestantes Tilę oppidum incendunt.* Et ad annum 1010: *Normanni Frisiam repetunt, & multis cæsis Vltrajectum incendunt.* Nescio an quis veterum alius, ejus invasionis Danorum meminerit.

Adelboldus Episcopus XIX.

De prima origine discordiarum inter Episcopos Trajectenses, & Comites Hollandiæ, & occupatione bonorum Ecclesiæ per Tyrannos facta.

IAm vastum & horrendum ingruit sulcandum pelagus, immensis scopulis refertum. Nam usque modo Ecclesiam Trajectensem nullam in rebus & bonis comperimus passam injuriam, quam non sanctis monitis, vel censurâ anathematis repulerit (nisi forsan ab infidelibus Frisiis & Normannis, contra quos religiosi Imperatores & Reges suas vices pro vindictâ & subsidio impigrè accommodarunt) nec cladem aliquam persensit, quam non multo cum fœnore compensarit. Sed nunc neglecto Deo datore omnium & protectore, ad arma fragilia & humanam opem recursum: Unde quantum jacturæ & incommodi Ecclesia susceperit Trajectensis, liquebit in posterum. Siquidem amodo nullum sensit incrementum, nec retinere potuit, quod piâ largitione obtinuerat, sed vel privatâ Episcoporum affectione, pars in familiam, vel alios indignos translata est, pars etiam hinc inde Tyranniculis & injustis occupatoribus instar prædæ direpta, & malè custodita concessit. Adelboldo etenim (a) viro nobili, & Proconsulari magnæ apud Henricum Imperatorem auctoritatis in locum beati Anfridi XIX. Episcopo suffecto, tristis obrepsit erynnis, ex aulicâ forsan ambitione, ut bella concitaret, & ferro injuriam ulcisci quæreret. Nam per centum & viginti quinque supra actos annos, quibus Hollandiæ Comites esse cœperant, continua pax fuisse legitur inter Episcopos & Comites, mutuaque perstitisse benevolentia. Anno autem M. XVII. (alibi XXIII. ingenti & horribili exorto (b) Comete, juxta Physicos malorum præsago, qui per multos dies instar columnæ apparuit, non modica pullulavit dissensio. Theodrico etenim (c) Comite in ultionem paternæ necis adversus Frisios agente expeditionem, suspicio (d) incidit non modica, Adelboldum eos contra Arnulphum patrem, quem occiderant, in defectione fovisse & animasse instinctu & adhortatione Henrici Imperatoris (uti quidam volunt) secretâ, vel ut aliis placet, amore gentis, ex quâ ipsum originem traxisse asserunt. Accessit quidam Theodricus (e) cognomento Bavo circa oras Rheni (qui Comitatui ubi nunc Bodegrave ac Zwadammer-

Adelboldus vir nobilis & proconsularis Henrico Imperatori acceptus.

Theodricus Bavo Comes in Bodengrave Comitatu ejicitur.

dammerdam vici sunt) præerat Episcopo fide beneficiali (quam Vasallorum dicunt) obnoxius, prædas ex Provinciâ Theodrici Comitis Hollandiæ ageret, & incursionibus crebris infestaret. Unde comprobata major suspicio. Theodricus itaque injuriâ provocatus, cum Syffrido Siccone fratre in Bavonem Comitem non spernendum ducens exercitum, ipsum profligavit, omni exuens Dominio. Quod indignanter ferens Episcopus, tentavit profugum armis restituere, & conserto prælio post cruentam hinc inde stragem Comes Hollandiæ victor extitit. Resarcito autem confestim novo exercitu & copiis in aciem deductis, post crudelem conflictum, & multorum ex utrâque parte nobilium cædem, victoria iteratò mansit penes Theodricum, Adelboldus quoque minus prosperè pugnans in bello capitur, (f) clementiusque quàm sperare licuit ab hoste exceptus, sciscitatur Comes ab Episcopo in hunc modum. (g) Quæ te movit Præsul occasio, ut in genitoris nostri interitum, & nos concitares Frisios, & in rebelliones foveres Bavonem Comitem nobis & Provinciis nostris insidiantem, agros depopulantem, prædas abducentem instigares & sustineres? Sint tamen hæ conditiones libertatis tuæ consequendæ, modo velis, fidem dato, quam confirmato sacramentis, te, neque sequaces tuos, de cæterò nobis obfuturos, Frisiis suppetias ferre cessato, nec ad eorum dominium aspirato, quod nobis debetur, ab ambiendo aut invadendo Provincias nostras abstineto. Inter te & nos subditosque nostros firma pax & concordia sunto. Comes tuus Bavo perpetuò proscriptus & fortunâ nudatus permaneto, hac lege liber esto. Ad quas conditiones subeundas cum Episcopus se redderet difficilem, mancipatur firmiori custodiæ in (h) arce munita ad Islæ fluvii ostium, quæ idcirco Islemonde vocatur, in eâque detinetur triennio. Causa dissidii altius venit repetenda, ex quâ hoc vulnus antiquum recruduit. Prisci Reges (i) & Imperatores Francorum latissimos agros & possessiones absque definitione tradiderunt Ecclesiæ & Episcopis Trajectensibus; utpu ta quæcunque Regiones superioribus annis per Barbarorum insultationes jacebant desolatæ, sive quæ infrequentes habitatoribus, aquis maris Oceanici ac fluminum excursionibus partim obrutæ, sive quæ ab infidelibus occupatæ jure belli in ditionem Regum venerant; hæ omnes circum limbum maris & inter flumina sitę, tanquam exigui momenti, concessæ fuerant Ecclesiæ, & si expulsis tyrannis & proscriptis bonis, victima ex his consacraretur Deo, & Christianis jam novellis apud Trajectum, quorum prædicatione omnes circumvicinæ provincię in fidem Christi conversæ sunt, plus operante linguâ, quàm gladio. Nec eo tempore aliquis in Fresiâ, Batavia, Insulisque usque ad Oceanum Principatum tenuit, præter solam Ecclesiam Trajectensem: quæ concessione Regum illa possidebat, sub tuitione & administratione præfectorum. Siquidem Reges Frisiorum funditus deleti, & alii atque alii proscripti & exterminati, sic purgata tyrannis regio usque ad tempora Ludovici Pii filii Caroli, sub quo ex causâ duplicis connubii & filiorum dissensio, & imperii divisio cœpit fomentum, ut & ipsa Ecclesia dispendium: Harmigardę prioris uxoris filiis (quibus sanctus Fredericus Trajectensis Episcopus favere videbantur) in patrem propter odium Iudith secundæ uxoris & prolis natæ accessionem conspirantibus, uti superiùs prætactum est. Nam licet pius pater filios sibi conciliarit, & successiones designarit regnorum, quo inter se discordes animi pacarentur, frustrà tamen laboratum est: Imo filii priores (patre vitâ defuncto) mutuis viribus in Carolum Calvum filium posterioris uxoris arma parantes, ut eum tanquam (l) illegitimum vitâ & hæreditate nudarent, tantam apud Fontanetum vicum commiserunt stragem, ut anteà nec pòst similis audita fuerit, absque ulla gloriâ, & cum maximâ Imperii clade, unde, & primùm Imperii dissidium, ejusdemque atque Francigenarum regni constituti limites.

Ecclesia Trajectensis sola domina terrarum usque ad Oceanum.

Compositis autem rebus non absque turpi pacto, & per novam divisionem, incœpit jam animorum & stirpis suboriri defectio. Nam quibus Germania cessit, sibi Imperii dignitatem vendicare, alii verò in Galliis designati contra niti tentabant. Unde factum est, ut quod à filiis Hermigardæ primæ (m) uxoris Ludovici Pii, eorumque successoribus concederetur Episcopis & Ecclesiæ Trajectensi, id à Carolo filio Iudith, & eum sequentibus vel abrogatur, vel concederetur aliis in odium Frederici Episcopi & commissorum in genitricem Iudith; donec Imperium in Germanos transferetur. Unde perpetui rancoris & dissensionis origo (quam hic Adelboldus inter Episcopos & Comites duraturam prædixit, nam quod Episcopi à Germaniæ Regibus, id Comites ab iis, qui in Galliis Francorum nomen retinuere, impetrabant, & quisque suas concessiones efficaciores contendebat, unde radicata discordia. Ubi verò Ecclesia cum civitate Trajectensi à Barbaris fuit deleta, & bona & possessiones

occupatæ; ex ignaviâ Regum inter se usque ad internecionem dissidentium, qui ea ex faucibus hostium eruerant gladio, iis, non Ecclesiæ restituere, sed sibi acquirere in animis stetit, tanquam ab inimicis recuperata, fuit itaque jus in viribus, ut potentior quisque occuparet, quod posset. Theodricus quoque primus Comes Hollandiæ pro tuitione limitis Imperii contra Normannos & Danos Frisiam detinentes, non autem pro restitutione Ecclesiæ Trajectensis missus, præsedebat, illud mansit altâ mente Episcopo Adelboldo repostum, ut verbis Poëtæ utamur. Nam confisus viribus & auctoritate, quâ valuit apud Imperatorem, angebatur in animo, si quando direpta vel alienata in suam ditionem reducere posset. Sed adversante fortunâ, cui causa Comitis Hollandiæ perplacuit, jam in captivitate (n) tentus non antè relaxatus est, quam jurejurando sponderet, se expostulata observaturum, & abdicasset, quodcunque jus ad Frisiam aut Hollandiam prætenderet. Mansit itaque inter eos pax & tranquillitas. Celebratur nihilominus hic Adelboldus à multis scriptoribus eximiis. In annalibus etenim scribitur: Mortuo Aufrido, Adelboldus vir sapientissimus post eum eligitur, & intronizatur anno Millesimo octavo. Anno M. XXIII. Eclipsis Solis facta est. Nova Ecclesia S. Martini in Trajecto constructa & dedicata est à XII. Episcopis VI. Cal. Iulias, Anno M. XXIV. Henricus Imperator obiit, cujus vitam Adelboldus Episcopus Trajectensis descripsit. Conradus (u) ejus filius successit. Anno M. XXVII. obiit Adelboldus Episcopus, cujus excellens sapientia multis nota est, & qui summæ virtutis vir, & consilii ubique prædicatur. Si de hoc cuiquam dubitare visum fuerit, respiciat Trajectum „ diversis operibus ab illo auctum & ornatum, ibidemque novum Monasterium sancti Marti- „ ni miro ingenio ab eo fundatum & ordinatum, & mirâ celeritate paucis annis penè ad perfe- „ ctionem perductum. Videat etiam locum in Thielâ, jam divinis rebus florentem, à superio- „ ribus Episcopis omnibus solatiis destitutum, ab ipso verò piâ & paternâ consideratione ad „ pristinum statum restitutum. Ex quibus rebus facilè colligitur, quia terrena non quæsivit, „ sed soli Deo placere desideravit.

Ecclesia Trajectensi à Barbaris vastata jus in viribus fuit.

Theodoricus primus Comes Hollandiæ occupator bonorum Ecclesiæ Trajectensis.

Hoc urit Adelboldum Episcopum.

De Adelboldo Episcopo diversorum elogia.

Ex annalibus Leodiensibus: Notgerus XVII. Episcopus Leodiensis Suevus, vir admodum „ nobilis, & in utrâque linguâ apprimè eruditus, Ottoni primo charissimis, qui eum tutorem „ filii constituit, Ottonis scilicet junioris in Regio palatio diu conversatus. Hic quando in „ viâ esset, scholares adolescentes secum ducebat, & libros, & alia scholarum arma ferebat. De „ cujus scholâ fuerunt Guntherus Archiepiscopus Saltzburgensis, Rothardus & Harduius Epis- „ copi successivè Cameracens. Adelboldus Episcopus Trajectensis inferioris, Hezelo Tullen- „ sis, Haymo Verdunensis, Wazo & Durandus (p) Leodienses posteà Episcopi. Iste Nothge- „ rus præfuit Ecclesiæ annis XXXIX.

Guitbertus Floriacens. & Gemblacensis Abbas ad G. Canonicum Landunensem de scriptoribus virtutum meritorumque signipotentis sancti Martini.

SEd nec à tantorum collegio & tempore posterior meritoque & nomine inferior Adel- „ boldus Ultrajectensis Episcopus aliquatenus mihi videtur secernendus, cùm propter „ præcipuæ devotionis fervorem, quo totus in Sanctum Dei incanduit, tum quia & ipse „ cantum nocturnalem in ejus laude composuit. Triumphum quoque ipsius de Danis & Sue- „ dis Turoniam infringere & spoliare conantibus, & si non multo opere quid de illo sen- „ tiret, aliis etiam sentiendum intimans, propter claritatem operum ejus gemmam illum vo- „ cans, his inter alia usus est verbis: Gemma, inquit, ista fulget in cœlo, in terrâ coruscat, „ ubique honoratur, ubique diligitur. En qui eam mercatus fuerit, perenni gaudebit thesau- „ ro. Si quis possederit, non deficiet omni bono. O filii hominum hanc vobis lucramini, & „ lucem perennem habebitis hanc possidete, & nihil vobis deerit. Iohannes Trittenheim Ab- „ bas; Adelboldus Episcopus Trajectensis ex monacho, ut ferunt Lobiensi ordinis sancti Bene- „ dicti, Sub cujus personâ tunc monachi ac Clerici Romæ existẽtis Heritgerius Abbas, Dialogũ „ de advẽtu Domini cõposuit, vir in divinis scripturis eruditus, & in secularibus libris nobiliter „

" doctus, in Curiâ sancti Henrici Imperatoris in magno precio habitus, non minus armis, quàm " eruditione prostravit infideles, scripsit vitam sancti Henrici Imperatoris lib. I. de Laude sanctæ crucis, de Laude beatæ Mariæ. Sed & alia tam metro, quàm prosa nonnulla edidit, quæ ad notitiam meam non venerunt. Moritur sub Conrado Iuniore Imp. anno Domini M. XXVII. Indictione X. Episcopatus sui anno XVIII. V. Calend. Decembris.

Adelboldus Episcopus moritur.

" Platina in vita Ioannis XVII. ferunt tum Henricum Abbatem Lobiensem in Lotharingiâ, " & Adelboldum Episcopum Trajectensem, qui multa in laudem beatę Mariæ Virginis, sanctæque crucis scripsit, & Abbonem Abbatem (s) Floracensem, (qui posteà in Vasconiâ ob fidem Christi Martyrium passus est) doctrinâ, religione, sanctitate, magno in precio habitos.

Adelboldi opera.

Adelboldus itaque in actibus bellicis parum fortunatus, in administratione & regimine suo prudentissimus, animum applicans ad augmentum Religionis & divini obsequii, locorumque sacrorum collapsorum instaurationem, ecclesiam Trajectensem à Baldrico inchoatam, secundum aliquos continuavit, secundum alios, diruto priore opere à fundamentis novam basilicam magnificentiùs octennio exstruxit, in cujus consecratione interfuere Henricus Imperator, & inter alios Prælatos ac Nobiles Piligrinus Agrippinus, Everhardus Trevirensis, Arebo Moguntinus, Everhaldus Bambergensis primus, Geberhardus Ratisbonensis, Bruno Augustensis frater Henrici Augusti, Reginboldus Spirensis, Bruno Tullensis, Walbodo Leodiensis, Adalbertus Hammelburgensis, Heymannus Verdunensis Episcopi, qui etiam interfuere consecrationi sancti Michaëlis Bambergensis, anno M. XXI. Dedicata est autem VI. Cal. Iulii, M. XXIII.

Sub eo Odo Præpositus capiebatur ab Immone, qui pro satisfactione tradidit mansos in Wamel, de quo hoc modo scribitur in vetustissimis codicibus: Odo Præpositus tempore Adelboldi Ven. Episcopi captus est ab Immone quodam pestilente & prophano, ob hoc idem Immo ab Episcopo sæpè vocatus, eidem Præposito pro satisfactione tradidit duos mansos in villâ Wamelo, unde statim Præpositus per manus advocati sui Popponis, eosdem mansos tradidit fratribus duarum congregationum in Trajecto, secundum condictum ejusdem Immonis in Thiele coram præsentiâ supradicti Præsulis atque Ducis Godefredi, ejusque fratris, sc. Marchionis Gozelonis, omniumque nobilium & ingenuorum in circuitu commanentium, eâ conditione, ut si idem Immo vel aliquis cohæredum ejus, fratribus supradictis persolveret viginti libras Thielenses, hoc est xl. marcas, & septem equos, totidemque scuta, & totidem lanceas cum totidem tunicis in ejus jus sæpedictum prædium redire posset.

Pactum redimendi prædium.

Ecclesiam præterea Divæ Walburgis in Tielâ coævam Ecclesiæ Trajectensi à Danis & piratis paulò antè destructam, restauravit & perfecit, deputans in illâ Collegium Canonicorum, ubi dudum Walgerus Princeps & Comes frater Theodrici (uti volunt primi) Comitis Hollandiæ, templum struxerat, & virgines sacras (quas sanctimoniales vocant) pro obsequio divino instituerat. Quod posteà collapsum & dirutum, semotis virginibus, reparatum fuit, & viri religiosi sub professione sancti Augustini, vel beati Isidori (quos Canonicos regulares appellant) in locum illarum subrogati, qui Deo serviendo piè vivebant usque ad tempora Adelboldi. Hic loco tum tertio desolato, & per eum instauratio, dissolutâ priorum disciplinâ, Canonicos præfecit sæculares, qui temporis successu, ob sævitiam municipalium, translati sunt in oppidum Arnhemense, benigne excepti à Comite tunc Gelriæ, qui locum eis accommodavit, ubi sedes ponerent. Referunt aliqui Adelboldum natione Frisium & nobilem extitisse. Sed ego eum potiùs Batavum crediderim, cùm fratrem ejus prope Tielam in Santvicâ habitasse constet ex vitâ Divæ Walburgis, quæ ab Adelboldo (t) scripta erat. Præfuisse (u) scribitur Ecclesiæ annis XVIII. decessit anno M. XXVIII. quinto Calend. Decemb. sepultus in Basilicâ, quam ædificaverat Trajecti. Fecerat Adelboldus recenseri & conscribi nobiles beneficio & fide præcipuè Ecclesiæ Trajectensi astrictos (quos Ministeriales sive Vassos appellant) præsente Henrico Imp. uti ex litera inserta declaratur.

Santvica prope Tielam

De Vas-

(y) De Vassis sive fide addictis Ecclesiæ & Episcopo Trajectensi.

IN nomine Dei Amen. Operæpretium duxi ea, quæ sequuntur scriptis inserere, ne posteris lateret, quod præsens ætas faceret. Quapropter desidero notum esse cunctis sanctæ Dei Ecclesiæ fidelibus, tam præsentibus quàm futuris, quod ego Adelboldus Dei solummodò gratiâ, sanctæ Trajectensis Ecclesiæ Præsul indignus. Cùm feudales liberi Trajectensis Ecclesiæ à me feudum suum requirerent, prædecessorum meorū Episcoporū Trajectensium mihi literas ostenderunt, continentes, quæ & qualia bona ipsi & eorum progenitores ab ecclesiâ Trajectensi tenuerunt: quibus visis, in scriptis feci redigi, quæ sequuntur: Dux Brabantiæ est liber feudalis Ecclesiæ Trajectensis, & tenet in feudum civitatem lapideam in Tiele, cum prædiis, familiis, mancipiis, sylvis, aquis, piscationibus, pascuis, pratis, & Salictum juxta prædictam civitatem Tiele situm, & omnibus ad civitatem pertinentibus eandem.

Item totam Campiniam usque Tournoutervoerde, cum mancipiis, sylvis, campis, officiumque ejus est quod vocatur, & est Dapifer Episcopi Trajectensis. Dapifer.

Item Comes Gelriæ est etiam liber feudalis ecclesiæ Trajectensis, & tenet in feudum Comitatum Zutphaniæ, cum multis prædiis, mancipiis, pratis, sylvis, aquis, aquarumve decursibus & justitiis. Item Embricam cum suis attinentiis pro parte mediâ, & alia pars est Episcopi Trajectensis. Item in pago Batuâ magnam partem, cum mancipiis utriusque sexus & justitiis. Item Tielrevvert & Bomlrevvert, cum multis mancipiis, mansis, terris, casis, domibus, campis, pratis, aquis, Venator. *aquarum decursibus, & Iustitia; & dicti Comitis officium est, quod vocatur & est venator Episcopi Trajectensis.*

Item Comes Hollandiæ est liber feudalis Episcopi Trajectensis, & tenet in feudum Comitatum Hollandiæ, & terram Kenemariæ, cum terris, mansis, sylvis, campis, pratis, pascuis, mancipiis, aquis, aquarum decursibus, & Iustitia, exceptis dictarum terrarum decimis, & terrâ Waterlandiæ & West-Frisiæ, quæ totaliter pertinet ad Episcopum, & Ecclesiam Trajectensem & dictus Comes Hollandiæ vocatur & est Mareschalcus Episcopi Trajectensis. Marschalcus.

Item Comes Clivensis est liber feudalis Ecclesiæ, & tenet in feudum in pago Batua in superiori parte supra Rhenum magnam partem terrarum & mansorum, cum casis, domibus, mancipiis, campis, pratis, pascuis; & ex alio latere Rheni, & in aliis quibusdam locis, terras, mansos, casas, domos, sylvas, campos. Item Woudrichem *cum agris & campis, cum aquis, aquarumvè decursibus, & Iustitiis, est & vocatur Camerarius Episcopi Traject.*

Camerarius.

Gerardus Domicellus Com. de Benthem resignavit circa annũ 1300. feuda & homines suos ad utilitatem Domini de Goy.

Item Comes de Benthem est liber feudalis Ecclesiæ, & tenet in feudum Burchgraviatũ sive Præfecturã Trajectensem, cum plurimis mansis, terris, insulis, campis, mancipiis, sylvis, pratis, pascuis, aquis, aquarumvè decursibus, & Iustitiâ in pluribus locis civitatis & Diœcesis Trajectensis, qui vocatur & est Ianitor Episcopi Traject.

Ianitor.

Item Dominus *de Cuke est liber feudalis Ecclesiæ, & tenet in feudum multas terras, insulas, & decimas, cum casis, domibus & sylvis, campis, pratis & pascuis, aquis, aquarum decursibus, & Iustitiâ in diversis locis Diœc. Trajectensis, qui vocatur, & est Pincerna Episcopi Traject.*

Pincerna.

Item Dominus de Ghoer est liber feudalis ecclesiæ Trajectensis, & tenet in feudum castrum Ghoere, & terram dictam Ameide, cum multis terris, mansis, casis, domibus, sylvis, campis, mancipiis, pratis, pascuis, aquis, aquarum decursibus, mobilibus & immobilibus, & omnibus ad dictos districtus de Ghoer & Ameyde pertinentibus, qui vocatur & est signifer Episcopi Trajectensis.

Signifer.

Prænominati omnes feudales Ecclesiæ in generali Synodo Episcopi Trajectẽsis tenentur, & debent personaliter interesse, qui feudum suum à me receperunt in homagium ac fidelitatem præstiterunt coram Domino *Henrico II. Rom. Imp. invictiss. Augusto, præsentibus Aribone Archiepiscopo & Archicapellano, Annone Coloniensi, Everhardo Treverensi, Adelberto Hammelburgensi Archiepiscopis, Udalrico Vicecancellario & pluribus aliis Episcopis, Comitibus & Regni fidelibus. Actum in Tulpiaco castro anno Domini* M. XXI. IV. *Non. Ianuarii feliciter, Amen.*

Obtinuit etiam de novo confirmari donationem Threntiæ, primùm ab ipso Henrico, & posteà à Conrado secundo ejus successore, videlicet,

IN nomine sanctæ & individuæ Trinitatis, Henricus Dei gratia Rom. Imp. Aug. Cuncta quæ aut possidemus, aut possidere videmur, ab ipso accepi-

accepimus, qui nos & potenter ex nihilo fecit, & misericorditer usque ad hoc, quod nunc sumus, perduxit; ipse dator, ipse nutritor, ipse noster & protector. Ex acceptis autem aut condemnabimur, aut glorificabimur. Nam si eis secundum suggestionem inimici ad pompam nostram abutimur, ex eis quasi commissi talenti defraudatores infeliciter condemnabimur. Si autem eis ad gloriam & laudem nominis illius, qui dedit, utimur, ex eis ut fideles dispensatores glorificabimur. Nihil quippe quod prosit habemus, quod ab ipso non accepimus, qui ideo dat ut recipiat, & non ideò recipit, ut indigeat, sed ut nos earum rerum, quas recepit, possessores æternaliter faciat. Nam quicquid ei donamus non amittimus, sed hinc nobiscum portamus, quod autem retinemus non hinc nobiscum portamus, sed hic amittimus. Quapropter notum sit omnibus S. Dei Ecclesiæ fidelibus, tam futuris, quàm præsentibus, quod nos ob perpetuale remedium antecessorum nostrorum, & nostri ac dilectissimæ conjugis nostræ Cunigundæ; S. Trajectensis ecclesiæ nostris temporibus constructæ, & nobis præsentibus dedicatæ sub patrocinio beatiss. Martini Archiepiscopi, interventu conjugis nostræ, & Adelboldi ejusdem Ecclesiæ Episcopi, ac Haymonis Verdunensis Episcopi, & Comitis Bertolphi fidelis nostri Comitatum de Thrente per hanc Imperialem paginam nostrâ jussione conscriptam deinceps habendam damus & concedimus. Quæ donatio ut stabilis & inconvulsa nunc & in perpetuum permaneat, hanc paginam inde conscriptam, manu nostrâ propriâ corroboravimus, & sigilli nostri impressione insigniri curavimus. Signum Domini Henrici Romanorum invictissimi Imp. Aug. Aribo Archiepiscopus & Archicapellanus recognovi. Data Nonis Januarij, anno Dominicæ incarnationis CIↃXXIV. *Indictione* VI. *anno* Domini *Henrici Regis* XXII. *Imperii* X. *Actum Babenbergh feliciter Amen.*

Indictio 6. est annus Christi 1023 Henrici 21.

Conradus similiter tradidit Comitatum in Trente, anno M XXV. Litera Conradi II. Regis.

IN nomine sanctæ & individuæ Trinitatis, Conradus divinâ favente (2) clementiâ Rex. Noverit omnium fidelium nostrorum tam præsentium, quàm & futurorum industria, qualiter nos interventu dilectæ conjugis nostræ Giselæ videlicet Reginæ & Aribonis Maguntinæ

sedis

ſedis Archiepiſcopi, nec minus & voluntati Adelboldi Trajectenſis Eccleſiæ antiſtitis, obtemperantes ex hoc in antea præſenti Regiæ authoritatis præcepto interdicimus ut nullus Comitum aliorumvé quorumcunque hominum in pago Trente vocato, quod eſt in Comitatu Temmonis, cervos, &c. ut ſuprà ubi de Venatione per Comitatum Trentiæ.

Et pòſt.

Signum Domini Conradi Regis invictiſſimi, Udalricus Cancellarius vice Arbonis Archiepiſcopi recognovi, Data VII. *Calend. Auguſti. Indictione* VIII. *anno Domini* CIↃ XXV. *anno autem Domini Conradi* II. *regnantis* I. *Actum Triburiæ.* (22)

Præceptum Conradi II. de ſervis vel liberis, & de advenis Preſbyteris, Eccleſiæ ſancti Martini ſub Adelboldo.

IN *nomine ſanctæ & individuæ Trinitatis, Conradus divinâ favente clementiâ Rex: Noverit induſtria, Quia Adelboldus venerabilis, &c. & pòſt. Cui petitioni per interventum dilectæ conjugis noſtræ Giſelæ Reginæ, & Aribonis Monguntinæ Sedis Archiepiſcopi, &c: & infrà: Signum Conradi Regis invictiſſimi, Udalricus Cancellarius vice Aribonis Archicap. recognovi. Data* VII. *Kal. Auguſti. Indict.* VIII. *anno Dominicæ incarnationis* CIↃ XXV. *anno Domini Conradi* II. *Regni* I. *Actum Triburiæ, feliciter amen.*

Reliqua quæ hic deſiderare poſſes, invenias poſt proxima ſupra poſita Carmina.

Idem contulit Comitatum in Teiſterbantiâ modo ſequenti.

IN *nomine ſanctæ & individuæ Trinitatis, Conradus divinâ favente clementiâ Rex Francorum, Longobardorum, & ad Imperium deſignatus Romanorum. Quoniam non dubitamus multum proficere peccatricibus noſtris animabus Eccleſiaſticas res humanis augeri beneficiis, & honorificis ſublimari dignitatibus, regalem decet perſonam minimum renuere, cùm ab aliquo fidelium ſuorum pro hâc eadem re, de quâ*

commo-

commonetur & petitur facere, sed omni intentione commonita & petita largiter adimplere. Talibus enim saluberrimis intentionibus antecessores nostros semper vidimus invigilare, & ad hujuscemodi beneficium commonere posse. Inde etiam sensimus illos temporaliter multùm vigere, & quod est multò meliùs inde æternaliter nunc cum Christo gaudere confidimus. Hujus ergo desiderii fomite cordetenus accensus, voluntas constat nobis illorum exemplo, eâdem ratione, eodemq; modo Sanctorum suffragia promereri, ut dum nobis subsistit eadem promerendi facultas, similium succedat eventuum, Sanctorum interventu, prosperitas. Cæterùm ne nostra voluntas verbis inhæreat, notum fieri volumus omnibus in Christo fidelibus, præsentibus scilicet atque post venientibus, qualiter nos interventu ac petitione dilectæ conjugis nostræ, videlicet Giselæ, nec non familiarium nostrorum Aribonis Archiepiscopi Sedis Maguntinensis, & Adelboldi Episcopi Trajectensis Ecclesiæ, Comitatum (bb) *in Teisterbant situm, ad Trajectum S. Martino & ejusdem Sedis Episcopo, suisque successoribus post futuris, cum omni utilitate quæ pertinet ad eundem Comitatum perpetualiter habendum tradimus, eâ videlicet ratione, ut nullus post hac in illo Comitatu potestatem aliquam exerceat, extra Præsulis præscripti licentiam: quia sibi totum concessimus, quicquid utilitatis in illo habuimus. Et ut firmiora sese inibi haberent jura legalia,* (cc) *bannum statuimus illi dare, quemcunque vellet Episcopus ad regendum eligere. Ut hac authoritas nostra firma & inconvulsa omni permaneat ævo, hanc paginam inde conscriptam, propria manu roborantes, sigillo nostro jussimus insigniri. Signum D. Conradi Regis invictissimi. Udalricus Cancellarius vice Arbonis Archiepiscopi recognovi. Data* XVIII. *Calendas Julii Indictione* IX. *anno dominicæ incarnationis* CIↃ XXVII. *Anno verò Domini Conradi secundi regnantis* III. *Cremonæ actum est.*

Comitatus in Teisterbant donatur Ecclesiæ Trajectensi.

Adelboldi inter scriptores externos meminerunt, Germani, Dithmarus, Sigisbertus, Lamb. Schafnaburgensis, Trithemius Abbas; inter Italos. Sabellicus Ennead. 9. lib. 2. qui Theobaldum Ultraiacensem Antistitem virginis Deiparæ ac sacratissimæ Crucis encomiastem laudat, ac Platina qui eum Adeoboldum vocat in Ioanne XVII. P. R.

a *Adelboldo n. V. Nob.* &c. Non hinc origo belli, ut ante à me dictum, nec Adelboldus suâ vel sponte, vel nomine aut auspicio bellum gessit, sed imperatorio præcepto arma cum aliis induit, quamvis non propria. Preces enim & lachrimæ sunt Episcoporum arma, Ambrosio teste, non gladii, aut hastæ. Omnis verò hæc narratio obscura & confusa est, tam nostris quam exteris scriptoribus.

b] *Exorto Comete juxta physicos malorum præsago.)* Sigisbertus ad annum 1017. *Cometes solito mirabilior in modum trabis maximæ per 4. menses apparuit.* Dithmarus lib. 7. non longe à fine: *In mense Augusto, stella quædam juxta plaustrum noviter apparens radiis eminus emissis cunctos cernentes terruit, hinc terris minitantem dira Cometam, legimus.*

c *Theodorico etenim Comite, &c.* Ex fide dignis scriptoribus considerandæ caussæ & occasiones hujus belli, quæ sunt violentę Comitis actiones, & vicinorum oppressiones. In Chronico Camerac. & Atreb. à Balderico Noviomensi & Tornacensi Episcopo (qui non ita dudum post hoc ævum vixit,) conscripto, lib. 3. cap. 19. de hoc Comite, ita legitur. *Alienus invasor, ipsam terram* (quæ postea Hollandiæ nomine dicta) *præsumpserat possidere, sed & negotiatores ibi navigantes, gravissimo censu constringere.* Dith-

re. Dithmarus Chronicor. lib. 7. circa finem. *Thiedericus magnum habuit prædium, quod sibi ab eodem ablatum esse cuncti comprovinciales Cæsari queruntur.* Anselmus Can. Leod. in vitâ Balderici XLVII. Leodic. Episcopi cap. 63. *Eâ tempestate Deodoricus Comes Fresoniæ bellis & seditionibus exagitabat regnum, & ob sui firmitatem loci, vel opum potentiam quietem perturbabat Serenitatis Imperatoriæ, cujus audaciam cum publicis detrimentis regni non est passus H. Imp. diutius impunè vagari* &c. Causam habemus; deinde, cujus auctoritate bellum sit gestum, videamus, de quo idem Baldricus loco s. d. *Unde Imp. Henricus clamore excitatus, ac maximè Albaldi Episcopi, cui major portio de ipsa communi possessione cedebat monitione, Duci Gotefrido, sed & Episcopis Coloniensium, Trajectensium, & Leodicensium ut exercitum adunarent edixit*: Dithmarus prædicto loco: *Unde cum consilio optimorum Imperator Episcopo Trajectensi hæc loca præcepit incendi & conclamantibus reddi* &c. Anselmus item loco supra nominato: *Henricus Imp. eundem non passus diutius impune bacchari Gosiloni duci Lotharienfis regni mandat, ut paratis copiis illius insaniæ obviam iret, ejusque insolentiam manu valida opprimeret:* Habemus auctoritatem Imperatoris, non privatam Adelboldi; deinceps inspiciamus locū, ubi prælii est factū: Indicat Chron. Cam. his verbis: *Erat sylvis & paludibus inhabitabilis, qui ab incolis Merewda nomen accepit, ubi videlicet Mosa & Wal fluvius de Rheno effluens pariter corrivantur.* Dithmarus quoque in Insulâ exercitus convenisse apertè tradit, & prædium, quod caussa præcipua belli, in quâdam sylvâ Merwedâ vocatâ situm addit, Sigisbertus in Fresoniâ pugnatum dicit; Ac tunc omnis iste tractus hoc nomine dicebatur; Sic & Placentius in Balderico Episcopo Leod. *Obiit (inquit) anno administrationis* XI. 4. *Cal. Aug. quum ad expeditionem in Frisios ab Imperatore electus fuisset.* Quarto nunc loco attendamus pugnantes. A parte itaque Imperatoris ejusque jussu exercitum congregarant Gosilo, qui & Godefridus dicitur, dux Lothariornm, & Baldricus Episcopus Leodiensis ejus nominis 2, Ludovici Lossensis Com. filius, (si vera sunt quod Placentius tradit) nec non Herebertus ex Comitibus de Rodenberch. Archiepiscopus Colon. item Adelboldus Episcopus Trajectens. ac eorum socii: Ut expressè ex scriptoribus supra positis patet. Ex alterâ verò parte se his opposuit *Theodoricus Arnulphi Gandensis filius, qui participium (ut ait Bald.) Monarchiæ Frisonum tenebat,* quo nomine etiam à Sigisb. vocatur: Dithmarus autem Thiedericum Imperatricis nepotem Aldbaldi Episcopi satellitem, id est, vasallum vel clientem dicit. Restat eventus prælii; videlicet Lotharingiorum & sociorum, panico quodam pavore territorum pugnâ vix tentatâ, fuga & cædes; ac Godefridi, dum fugere renuit, pugnantis & vulnerati captivitas, nec non Episcopi naviculâ quâdam evasio; Ducisque post prælium à Theodorico dimissio, & illo intercedente Theodrici cū Episcopo reconciliatio. Conditiones in tantâ paucitate & brevitate scribentium ignorantur. Veruntamen ex præcedentibus facile æquo lectori clarum erit, quantum scriptores Hollandici, & qui eos secuti sunt, in narratione hujus belli à vero deflexerunt, ac quæ fuerit occasio controversiarum, & motuum inter Antistites nostros & Comites.

d *Suspicio incidit non modica Adelboldum eos contra Arnulphum patrem fovisse.* Hæc quoque res examinanda, & quam ex nihilo hæc suspicio, ostendendum. Arnulphus ille Theodorici pater anno 993. à Frisiis vicinis occisus est; quo tempore Adelboldus adhuc monachus Benedictinus & nondum in aulam Imperatoris Henrici erat adscitus ut qui post decem demum annos Imperator electus est: neque vero Henrico privatam cum Arnulpho controversiam fuisse, vero est simile, utpote in Bavaria commoranti, nec ejus alibi ullum extat vestigium.

e *Theodoricus cognomento Bavo,*) Meminit hujus Beka. At Chronicon Rythmicum omnino tacet, ex Bekani verò Chronico Hollandici fere scriptores referunt.

f *In bello capitur,*] Error errorem trahit; & cum semel à vero scriptores abeunt, mox quæcunque placent comminiscuntur. Nam neque Stopius neque Beka, neque illi qui vel synchroni sunt, vel proximo tempore vixerunt videlicet Baldricus, Dithmarus, & Anselmus quicquam de captivitate Episcopi scriptum reliquêre. Verùm Hollandici scriptores, nescio unde hauserint aut somniarint, certè se Rhetores hac in re ostenderunt, quin & eloquentiam suam Douza, juvenis alioqui doctissimus, hic exercuisse videtur.

g *Quæ te movit Præsul,*] Miror Hedam hæc scripsisse, cum falsitatem totius rei, mentem propiùs admovens, facile percipere potuisset.

h *In arce munitâ ad Islæ fluvii ostium.* At infra traditur inchoatam illam arcem à Wilhelmo Episcopo, atque à Conrardo ejus successore demum perfectam.

i *Prisci reges Francorum & Impp.)* Hic propiùs ad veritatem, & genuinas bellorum ac dissidiorum inter Antistites, & Comites causas accedit. Neque enim, ut verum dicam, aliud tot sæculorum dissidia aluit, quàm avaritia & ambitio: cum, principum more, Comites limites suos pro potestate extenderent, & non tam diplomatibus, jam carie pereuntibus, quàm gladiis defendendos esse putarent: atque Antistites non tantum animarum sibi curam commissam, sed & locum principum, ad defensionem *Regni* se obtinere crederent.

l *Ut eum tanquam illegitimum,*] Id nusquam lectum, sed tanquam minorem natu, & amplioribus ex favore paterno regnis ac ditionibus donatum, quàm par erat, persequebantur.

m *A Carolo filio Iudith & eum sequentibus,*) Ludovicum ac Carolum Calvum ejusque posteros Episcopis Ultrajectensibus fuisse iniquiores ob Fredericum Episcopum credibile est, ideoque plura, quæ olim Ecclesiæ erant concessa per eos adempta, & aliis donata. Id indicat Dorostatum à Ludovico Pio. Rorico Normanno & ejus fratri in beneficium concessum, cum antè ad Episcopatum pertinuisse certum sit.

n *In captivitate tentus,*] Ut positio hæc de captivitate falsa, ita & promissio ut ex illâ liberaretur frivola,

frivola, ac nullius momenti.

o *Conradus ejus filius successit,*] Et hic fallitur Heda; neque enim prolem reliquit Henricus, ut qui conjugem nunquam cognovisse, sed eam virginem reliquisse perhibetur. Conradus verò Franconiæ Dux fuit cognomento Saliquus; de quo vide Onuphrium, Cuspinianum, & singularem rerum ab eodem gestarum scriptorem Wipponem, diu à doctis desideratum, & ante non ita multos annos diligentiâ Pistorii publicatum.

p *Wazo & Durandus Leod. Episcopi,*] Fortè Walbodo legendum, is enim Durando præcessit; de quibus Leodienses scriptores. Walbodo autem vitæ sanctimonia clarus Imp. Henrico dilectus à quo factus à sacris primùm, inde Leodiensis Episcopus, creditur quoque ante Decanus fuisse S. Martini in Trajecto, & obiisse anno 1021. & in Ecclesiâ S. Lamberti Leodii tumulatus. Wazo verò ad annum 1050. fere pervenit, atque diu post Adelboldum vixit.

q *Guibertus Abbas Flor. & Gembl.*) Hujus Sigisbertus non meminit & Baronius eum cum fundatore Gembl. monasterii confundit; vide Desselium & Sweertium in Bibliothecis.

r *Heritgerius Abbas Dialogum de adventu Domini &c.*) In Impressis nomen Heritgerii abest, quod ex M.SS. revocavi; meminit hujus Trithemius de Scriptoribus Ecclesf. & sub Ottone III. Imp. eum vixisse tradit; nec ejus oblitus fuit Sigisb. Gembl. in Chron. ad annum 994. vide quoque Desselium in Bibl. Belg. ubi scripta Herigeri referuntur.

s *Abbonem Abbatem Floriacensem,*) Hunc Trithemius Albonem vocat, & sub primo Ottone Imper. floruisse scribit, ejusque scripta recenset. Extat & vita hujus Abbatis ab Aymonio Floriacensi Monacho conscripta in vet. Flor. Bibliothecâ Benedictinâ, Lugduni anno 1605. editâ.

t *In vitâ D. Walburgis ab Adelboldo conscripta,*] Hanc Abbas Trithemius ubi de Adelboldo agit & ejus scriptis, ignorasse videtur. Extat tamen Walburgis vita à Wolphardo presbytero monacho Hasenrietano scripta, & post eum à Philippo Eichstatensi Episcopo. Prioris meminit etiam Baronius Tom. IX. Annal. ad annum C. 725. nullus autem quod sciam, vitæ D. Walburgis ab Adelboldo conscriptæ mentionem facit, etiamsi Hedam illam vidisse credibile sit.

v *Præfuisse scribitur annis XVIII. decessit anno M XXVIII.*) Variant auctores; Trithemius enim anno 1027. obiisse ait, ut & Bockenb. qui 19. eidem annos tribuit; alii anno C. 1027. decessisse volunt, vide quæ dixi ad Becanum Chronicon.

x *Quos Ministeriales sive Vassos appellant,*] Freherus in Glossis semilat. ad Tom. 1. script. Germ. *Ministeriales Germanicè* Dienstluite; *junguntur Vasallis, diversi tamen ab illis.* Vox hæc apud posteriores, & in diplom. frequens. Hotomannus de verbis Feud. duorum generum Ministeriales vocat Liberos & Nobiles hic ponuntur; ac serviles, qui dominis certo modo erant addicti, vide eundem de utrisque accurate differentem loco prædicto. Vassi etiam qui sint idem tradit; nempe qui accepto beneficio fidem suam alicui obligarunt: Aimonius: *Abbates etiam & regni primores ac Vassi Regij se illi commendarunt,* &c.

y *De Vassis sive fide addictis Ecclesiæ,*] Hæc commemoratio quibusdam suspicione non caret, atque ut mihi quidem videtur non est hujus loci neque temporis; sed ad aliquem sequentium Episcoporum referenda. Extat tamen in Archivis Collegiorum Trajectensium aliquoties antiquo satis charactere conscripta, & præter nostrum, ejus meminerunt M SS. quædam Bekæ exemplaria. Item Snoyus lib. V. Holland. in Theodorico. 3. Noviomagus, Gerbrandus & Hamconius. In libro Cameræ Episcop. Tr. fol. 74. talis est Epigraphe: *Memoriale & scriptum D. Adelboldi Episcopi Tr. de liberis Vasallis ecclesiæ Trajectinæ, & eorum feudis quæ tenent ab Ecclesia.*

z *Conradus divina favente Clem. Rex.*) Hic fuit Conradus II. dictus Salicus, cujus vitam Wippo plenè descripsit. Diploma hoc in M SS. Legitur integrum, vide quæ de Conrado & ejus conjuge notavi ad Chron. Becanũ. De Aribone autem Moguntino præsulè (quem ex Palatinis Rheni fuisse putat in Germaniæ lib. 3. Bertius) videnda accuratè scripta à Serrario lib. V. Rer. Moguntin. Meminnere etiam illius Trithemius de scrip. Eccl. Schafnab. Lambertus in Chron. Aventinus, alii. Marianus Arbium, Sigisbertus Abbonem vocant.

aa *Actum Triburiæ,*] Triburia villa Regia in pago Rhenensi, inter Francofurtum & Wormatiam sita, Principum conventubus olim frequens. In Antiquitatibus Fuldens. lib. 2. pa. 537. *Actum hoc concambium in Regio Palatio Driburc Anno 901.* In Antiquitatibus Laurisham.: *Actum ad Triburiam Palatio Regio anno 912.* meminerunt ejus sæpius Germaniæ scriptores antiquæ, Regino, Lambertus. Schafnaburg. aliique passim, varia ibidem expedita Impp. & Regum Germ. diplomata. Vide Freherum in Origin. Palat.; & descriptione Lupodini. De concilio Treburiensi anno 1036. celebrato, vide Colverium ad lib. 3. Chron Camer.

bb *Comitatum in Teisterbant,*] Qualis hic Comitatus fuerit, non exprimit, nec limites ejus indicantur. Neque in totum Teisterbantiæ pagum, in quo jam ante Tielam ex donatione Ottonis I. Imp. possidebat Ecclesia Trajectina, donat, sed Comitatum in Teisterbantiâ, in quâ etiam Ansfridus jam antea quædam eidem Ecclesiæ concesserat: nisi fortè ante donata Imperator confirmare, & hac iterata donatione stabilire voluisse dixeris.

cc *Bannum statuimus illi dare,*) Bannum Regium, edictum vel præceptum, ut tunc loquebantur, interpretatur Freherus in Gloss. barb. Appendix ad Gregor. Turonensis hist. *Jussu Sigisberti omnes Leudes Austrasiorum in Exercitum gradiendum bamniti sunt.* Capitula Car. & Lud. lib. 3. cap. 69. *Quicunque homo nostros habens honores, in hostem bannitus fuerit.* Sic bannum pro denunciatione & edicto sumitur passim in mediæ ætatis scriptoribus. Inde etiam mulcta edicto non obtemperantibus statuta, bannum dicitur. Vide Hincmarum Epist. 4. Et ibidem Busæi notata. Gloss. Latinobarb. Lydii ad Clemangem, Hotom. de verbis feudalibus. Bernul-

Bernulphus Episcopus XX.

ADelboldo defuncto ingens in clero suboritur contentio de novo Pontifice designando, unde cùm ex nimiâ pertinaciâ convenire nequirent, ne quid Respub. ex hoc pateretur detrimenti, Conradus Aug. Divi Henrici successor, ad componendum discordes animos, Ghisela Augustâ conjuge suâ gravidâ, ex fatigatione itineris, apud vicum Oesterbeeck dimissâ, celerrimè descendit Trajectum. Quod cùm frustrà tentaret, atque de unione desperaretur, tandem utraque factio submisit se arbitrio Regio, ut Ecclesiæ provideret. Dum hæc aguntur, conjux Regia Bernulphi sive Bernoldi (ut aliis placet) sacerdotis loci excepta hospitio peperit filium, denuncians id Regi per eundem sacerdotem. Unde tam fœlici accepto nuncio, plurimùm lætatus juxta Regiam munificentiam decrevit digna congratulationis præmia; Bernoldum virum alioqui justum & pium dignitate Præsulatus sublimans, & per annulum & baculum Pastoralem, juxta ritum à tempore Caroli Magni sequaciumque Imperatorum, investiens, congaudenti clero ac populo universo exhibuit honorandum. Bernulphus itaque xx. ordinatus Episcopus illicò animum ad vitam sanctiorem, & augmentum religionis cultumque Divini obsequii applicuit. Primum pacem pepegit cum Comite Hollandiæ & Principibus circumvicinis. Erexit in Trajecto à fundamentis ecclesias binas, unam in honorem Divi Petri Apostoli, alteram sancti Iohannis, in quâ corpora Sanctorum Iustinæ & Cypriani recondit, utramque multis prædiis & possessionibus ditans, ubi etiam collegia Canonicorum instituit, Monasterium anteà per Anfridum Episcopum in monte Sancto constructum, transtulit in urbem, ubi & Ecclesiam sub invocatione sancti Pauli Apostoli ædificavit. Apud Daventriam instauravit templum Divi Lebuini, ubi & partem Canonicorum ex ecclesiâ beatæ Mariæ Trajectens. (quæ sancti Salvatoris nunc dicitur) transmisit, assignans ex bonis dictæ Ecclesiæ, quæ admodum opulenta erant, quibus perpetuo illic Deo militarent. Ecclesias prætereà & loca sacra per Diœcesim suam ruinam minantia, in cultum pristinum restituit & ornavit. In hâc itaque tam sanctâ conversatione usque in finem vitæ perseverans, cùm cœlitus datus esse crederetur, ad relevamen Ecclesiæ suæ paulo anteà satis oppressæ postquam sedisset annis 28. migravit ad Dominum 14. Kal. Aug. anno Domini M. LIV. tempore Henrici III. Sepultus in sanctuario ecclesiæ sancti Petri per ipsum fundatæ translatus posteà collocatur in choro, ubi plurimis claret signis & virtutibus: (a) Quo & mortales plures nostrâ tempestate confluunt salutis gratiâ. Cui successit Wilhelmus frater Comitis Gelriæ, uti videbitur in subsequentibus.

Bernulphus Episcopus moritur anno 1054. 14. Kal. Augusti.

Conradus Imp. moritur Trajecti.

Conradus verò Imp. decesserat jam pridem anno M. XXXIX. pergens Romam orandi causa, & multis urbibus Italiæ atque Apuliæ peragratis, dum per mare Adriaticum redire disponit, ex tempestate & aëris inclementiâ magnam jacturam in principibus suis patitur. Reversus tandem Trajectum ibidem incidit in infirmitatem, & obiit Regni sui xv. Imperii verò 13. annis. Cujus corpus Spiram urbem (quæ Nemetis dicitur) delatum, Regio more inhumatur in templo Divæ Mariæ Virginis, reconditis intestinis suis in ipsâ ecclesiâ Cathedrali Trajectensi.

Donationes sub Bernulpho Ecclesiæ collatæ.

Sub hoc Bernulpho Ecclesia Trajectensis hæc cœpit incrementa: Primum Berta nobilis fœmina cum familiâ suâ se submisit tutelæ Ecclesiæ Trajectensi modo sequenti, post mortem tamen ejus, sed dudum per ipsum admonita.

Berta nobilis fœmina mancipat se altari S. Martini.

Qui se ad tempus humiliaverit in hujus sæculi areâ, exaltabitur salvâ mercede infra regni cœlestis palatio. Quapropter (c) ego Berta cùm sim nobilis & ingenua, suggestione & exhortatione Domini gloriosi Episcopi Bennonis in accipiendo satis valentem clericum, nomine Geronem legitimè ductum cum omni hæreditate patrimonii & (d) matrimonii sui, nullâ necessitate coacta, humilio & dono caput meum liberum ad altare sancti Martini in (e) novo Monasterio de Utrecht, eo tenore, lege

re, lege & conditione, ut ego & omnis parentela mea ex me profectura, persolvamus singulis annis pro censu II. (f) *denarios sponte nostrâ, sic tamen ut me vivente nemo filiorum aut filiarum mearum solvat. Me autem viam universæ carnis ingressâ, senior qui est majoris ætatis filiorum aut filiarum unus solvat, cæterorum autem nemo. Et sic eâ lege utantur in ævum stabili, & sic liberi maneamus secundum libitum ab omni servitutis notâ. Mondiburdem verò vel defensorem alibi non requiramus, nisi ad supradicti sancti altare, ad defendendum scilicet, non ad inclinandum, ut ab omni servitio permaneamus liberi atque illæsi stabili lege. Iterum ne omnimodò sine respectu videatur sancta Dei Ecclesia, pro licentiâ nubendi infrâ sive extrà concedere potestatem, dentur sex denarii, nullum placitum servare, exactorem census nostri nullum, nisi quem ipsi ex cognatione nostrâ elegerimus. Post obitum cujusque dentur* XII. *denarii lege continuâ, & si non suppetit facultas habendi, dentur vel sex, si fieri potest. Si quis hanc ingenuitatis cartam infringere tentaverit, vel molitus fuerit, iram Dei omnipotentis, & sanctæ Dei Genetricis Mariæ, & sanctæ Crucis, sanctique Martini incurrat, & omnium Sanctorum. Et excommunicatus & anathematizatus sit ex parte Patris, & Filii, & Spiritus sancti, & S. Crucis & S. Mariæ & S. Michaëlis & omnium Angelorum & Archangelorum, & sancti Petri, & omnium Apostolorum & sanctorum Martyrum & confessorum, & sanctarum virginum, & à Domino Papâ Leone, & glorioso Episcopo, piæ memoriæ Bennone, cum sanctæ & universalis matris Ecclesiæ, ecclesiis. Actum loco publico Utrecht* XII. *Kal. Augusti, sub præsentiâ memorati Episcopi, & Godefridi Ducis filii Gozelini Ducis, & Luzonis Advocati, & nobilium Iudicum, novo Monasterio beati Martini astantibus testibus Heremanno & fratere ejus Gerardo. Roberto Comite, Castellano, Francone, & fratre ejus Wilshardo, Rothardo de Ambersoy, & fratre ejus Wirico Gerardo Candido, Renzone Wurico de Ueno, Francone Ruso, Wlfardo de Alburg, Gerardo de Heingen, Eppone & fratre ejus Lautzone de Alburg, Thruteken de Alburg, Gerungo de Aspert, Gerundo Advocati filio, Udone præposito Luithardo custode ecclesiæ. Ego Blidger vidi, & ex præcepto jam fati Pontificis & Ducis Godefridi & Advocati Luizonis & fratrum nostrorum scripsi & subscripsi, & his astantibus & audientibus, & cum eis pluribus legi atque relegi testimonium perhibentibus, hanc ingenuitatis chartam. Anno ab incarnatione* Domini M. L. (g) *Indictione* (h) III. *Lunâ* XIX. *Regnante glorioso Imperatore*

tore Henrico, Duce Godefrido.

Similiter Henricus tertius Imperator pleraque contulit; cujus chyrographos per ordinem licet confusos, quia ad Historiam & acta illius temporis, notitiamque locorum conferunt, hic per ordinem ex parte annotavimus.

Donatio Henrici de Uphelte Withelte, Pithelo, quæ Vlffo & frater ejus possederant in Threntiâ.

IN nomine sanctæ & individuæ Trinitatis. Henricus divinâ favente clementiâ Rex, si loca Deo devota terrenis rebus augere studuerimus, cælestibus bonis à Deo nos remunerandos, nullo modo ambigimus: Etiam nostræ celsitudinis dignitatem credimus stabiliùs permanere, si sanctarnm Ecclesiarum honorem toto nisu laborabimus augere, & si Deo ejusque sanctis divina officia pro vivis & mortuis offerentes, nostro fuerunt adjuti juvamine, omnipotentis Dei auxilio & consilio nos carituros, non credimus in nostro regimine. Quocirca ne talium bonorum omninò expertes videamur, omnium S. Dei Ecclesiæ fidelium, & nostrorum præsentium sc. & futurorum universitas agnoscat, eorumque industria pateat, quod nos pro æternâ Dei gloriâ, atque bonæ memoriæ patris nostri Conradi Imp. animâ, sanctæ Traj. ecclesiæ ad honorem beati Martini confessoris dicatæ, cujus sedi Bernoldus venerabilis Episcopus meritò praeesse videtur, & in cujus Ecclesiâ quasi pro pignore paterna sepelivimus viscera, ut beatus Martinus à nobis quasi debitoribus nostra requirat servitia, hæc prædia scilicet Uphelte, Witthelte, *Pithelo, quæ Ulffo & frater ejus in Comitatu Trente tenere & possidere visi fuerunt, & posteà pro nefandâ temeritate in judicio victi, dignè & laudabiliter perdidere, cum areis, ædificiis, mancipiis, agris, cultis & incultis, pratis, pascuis, campis, aquis, aquarumvé decursibus, molendinis, piscationibus, viis, inviis, exitibus & reditibus, quæsitis & acquirendis, & cum omnibus suis pertinentiis & utilitatibus, quæ unquam inde provenire possunt, nostra præceptali authoritate concedimus & stabiliter donamus. Et ut hoc nostrum donum perpetualiter inconvulsum permaneat, corroborando confirmamus. Præterea ut hæc nostra concessio omni tempore inviolata persistat, & hujus nostræ confirmationis nemo violator existat, præsentem paginam inde conscriptam manu propriâ roborantes, sigillo nostro jussimus in-*

mus insigniri. Signum D. *Henrici tertii Regis invictißimi, Theodoricus Cancellarius vice* (l) *Bardonis Archicapellani recognovi. Data* XII. *Kal. Junii, anno Dominicæ incarnationis* CIↃ.XL. *Indictione* VIII. *anno autem* Domini *Henrici tertii, Regis ordinationis* XIII. *Regni* I. *Actum Trajecto feliciter.*

(k) Donatio Henrici de Lintherunge, Euen inter Emese fl. (quem Ptolomeus Amasim vocat) & Laveka, flu.

IN nomine sanctæ & invidua Trinitatis. Henricus divinâ favente clementiâ Rex, Honor nostri Regni in hoc debet vigendo florere, si justis ac venerabilibus locis videamur præbere aliquid de nostris locis, quia sicut legitur, si Deo servire regnare est, ergo & nos esse regnaturos nullo modo ambigimus, si Ecclesiasticas res augendo honorare studuerimus, Quapropter omnium sanctæ Dei Ecclesiæ fidelium, & nostrorum tam & præsentium, quàm & futurorum sagacitas cognoscat, quod nos pro honorandâ Dei gloriâ atque bonæ memoriæ patris nostri Conradi Imp. animâ S. Traj. Ecclesiæ ad honorem beati Martini confessoris dicatæ, cujus sedi Bernoldus Episcopus dignè & laudabiliter praeesse videtur, & in cujus Ecclesiâ quasi pro pignore paterna sepelivimus viscera, ut B. Martinus à nobis nostræ devotionis habeat servitia, hæc prædia videlicet Lintherunge, Euen, quæ Ulffo & fratres ejus in Comitatu Rodolphi tenere & poßidere visi fuerunt, & posteà pro nefandâ temeritate judicio convicti justè perdidere, & quicquid de eorum prædio est inter Emese & Laveke, cum areis, ædificiis, mancipiis, agris, cultis & incultis, &c. ut in præcedentibus literis ab hoc signo usque ad finem.

Donatio Henrici de Groninga in Comitatu Threntiæ.

IN nomine sanctæ & individuæ Trinitatis. Henricus divinâ favente clementiâ Rex. Cuncta quæ aut poßidemus, aut poßidere videmur, ab ipso accepimus, qui nos & potenter ex nihilo fecit, & misericorditer usque ad hoc, quod nunc sumus, perduxit, ipse dator, ipse nutritor, ipse noster est protector. Ex acceptis autem aut condemnabimur, aut glorificabimur. Nam si eis secundum suggestionem inimici ad pompam nostram abutimur, ex eis quasi commißi

talenti defraudatores infeliciter condemnabimur. Si autem eis ad gloriam & laudem nominis illius, qui dedit, utimur, ex eis ut fideles dispensatores feliciter glorificobimur. Nihil enim quod pro sit habemus, quod ab ipso non accepimus, qui ideo dat ut recipiat, & non ideò recipit, ut indigeat, sed ut nos earum rerum, quas recepit, possessores æternaliter faciat. Nam quicquid ei damus non amittimus, sed hinc nobiscum portamus, quod autem retinemus non nobiscum portamus, sed hic amittimus. Quapropter ne vos videamur abuti bonis nobis divinitùs concessis omnium Christi nostrique fidelium, tam præsentium quàm post futurorum universitati notum fieri volumus, qualiter nos S. Trajectensi Ecclesiæ in honore sancti Martini constructæ pro Deo animæque Patris nostri, piæ memoriæ, Conradi Imp. remedio, cujus ventris interiora in eadem sepelivimus Ecclesiâ, cui venerabilis Bernoldus Episcopali dignitate dignoscitur decenter, & * cum utilitate praeesse, nec non ob æternum nostri nominis memoriale, tale prædium, quale visi fuimus tenere in villâ Groningâ nuncupatâ in Comitatu Threnteſitum, cum areis, ædificiis, mancipiis, agris, cultis & incultis, pratis, campis, pascuis, aquis, aquarumque decursibus, piscationibus, viis, inviis, exitibus & reditibus, quæsitis & inquirendis cum omni ejusdem Comitatus districtione, monetis, teloneis, causis agendis & discutiendis cum omnibus appenditiis & pertinentiis, quæ ad præsens retinere videtur, aut quicquid in posterum ibi Deo adjuvante acquiri potuerit, liberâ manu donando concedimus, & concedendo stabilimus, eo videlicet tenore, ut supradictum prædium perpetualiter respondeat servitio & utilitati fratrum ibi Deo incessabiliter servientium, sc. ut ex ejusdem Prædii utilitate quotannis habeant XXX. carradas vini, & quicquid remanserit, in usus ipsorum à Præposito fideliter expendatur. Verùm volumus, atque immutabiliter statuimus, ut ex ejusdem proficuis nemo aliquid auferre præsumat, aut in aliquam partem distribuere audeat, donec illud speciale tributum de carradis vini fratribus persolvatur. Et ne aliqua Imperialis vel Regalis, aut Episcopalis persona, vel aliquis publicus exactor hujus donationis nostræ authoritatem præsumat infringere, præsentem paginam exinde conscribi, manuque propriâ ut subtus videtur, corroborantes aureâ nostræ (1) imaginis, bullâ jussimus insigniri. Signum Domini Henrici tertii Regis invictissimi. Theodericus Cancellarius vice Bardonis Archi-capellani recognovi. Datum XII. Cal. Iunii, Indictione VIII. anno Dominicæ incarnationis CIↃ XL. Anno autem Domini Henrici Regis tertii ordinationis * XIII. Regni I. Actum Trajecti feliciter, Amen.

* MSS. Utiliter.

* Iuxta Onuphr.

Dona-

Donatio Comitatus Agridiocensis, sive Vmbalaho, quem credimus forsan esse forestum Fulnaho vel Amalant.

IN nomine sanctæ & individuæ Trinitatis, Henricus divinâ favente clementiâ Rex: Si in amplificandis Ecclesiis temporalia bona Regia nostrâ benevolentiâ donare studuerimus, pro perituris mansura, pro deficientibus æterna nobis comparare non dubitamus. Quapropter omnium fidelium Christi & nostrorum industria noverit, tam futurorum, quàm præsentium, qualiter nos ob fidele ac nobis acceptabile servitium Bernoldi S. Traj. Ecclesiæ Pastoris, & ob remedium animæ genitoris nostri, fælicis memoriæ Imp. Conradi, & dilectæ conjugis nostræ (m) Cunehildis Reginæ, & ob nostræ utriusque vitæ felicitatem, Comitatum quendam Agridiocensem, sive Umbalaha dictum ad S. Martinum Regali authoritate donamus atque tradimus, eâ videlicet ratione, ut prænominatus Episcopus, ac successores sui de præfato Comitatu, quem prius Comes Eckehardus obtinuit, liberam dehinc potestatem habeant, obtinendi, præstandi, vel quicquid illis placuerit inde faciendi, cum omnibus utensilibus, quæ inde possunt provenire. Et ut hæc nostræ traditionis authoritas stabilis & inconvulsa perenniter permaneat, hanc chartam inde conscriptam manu nostrâ, ut infrà videtur, corroborantes, sigilli nostri jussimus impressione insigniri. Signum Domini Henrici tertij Regis invictissimi. Adelgerus Cancellarius vice Bardonis Archicancellari recognovi. Data Idus Octob. Indictione X. *anno dominicæ incarnationis* CIↃXLII. *anno autem Domini Henrici tertij, ordinationis ejus* XIII. *Regni verò* IV. *Actum Northuysen feliciter, Amen.*

(n) Donatio proprietatis Daventriæ, & Comitatus Amelandiæ cum limitatione locorum.

IN nomine sanctæ & individuæ Trinitatis, Henricus divinâ favente clementiâ Rex: Noverit omnium Christi nostrorumq; fidelium solers industria, tam præsentium, quàm & futurorum, qualiter nos ob Dei omnipotentis amorem, nostrique Patris dilectissimi Conradi videlicet Imp. Aug. nec non interventu ac petitione nostræ dilectæ *(o) *conthoralis* * Contectalis in MS.

 Reginæ

Reginæ Agnetis, jugeque Bernoldi Traj. Ecclesiæ in honorem sancti Martini constructâ venerabilis Episcopi servitium fideliter nobis persæpe adhibitum, talem proprietatem eidem Ecclesiæ, qualem visi sumus manu sub potestate tenere in loco Daventre dicto, in monetâ, teloneis, placitis, cum omni Regali districtu, omnique utilitatis commoditate, quæ ullo modo inde poterit provenire, & cum (p) Comitatu in Amelande sito; termino ejusdem Comitatus hic subter denotando: De Rathnon ad Hunne; de Hunne ad Weggestapelen, & inde ad Westerfle de Westerfle ad Agastaldaburg, de Agastaldaburg ad Stevere per sylvam, & in alia parte Islæ, de Lovenen usque ad Erbeke, de Erbeke ad Suythempe, & item ex aliâ parte Islæ ad Ascete in proprium tradidimus & stabilivimus, eo scilicet tenore, ut nullus Iudex aut exactor major aut minor persona ullam potestatem habeat inde aliquid exigendi absque licentiâ Episcopi; sed ut prædictus Præsul ejusque successores de his supradictis Regiis donis, liberam dehinc potestatem habeant obtinendi, commutandi, precariandi, vel quicquid sibi placuerit ad usum prænominatæ Ecclesiæ inde faciendi. Et ut hæc Regiæ nostræ donationis authoritas stabilis & inconvulsa per succedentium temporum momenta maneat, hanc paginam inde conscriptam manu propriâ corroborantes, ut infra poterit videri, sigilli nostri jussimus impreßione signari. Signum Domini Henrici tertii Regis invictißimi. Theodoricus (q) Cancellarius vice Bardonis Archicapellani recognovi. Data x. Calendas Septemb. anno Dominicæ incarnationis, CIↃ xlvi. *Indictione* XIV. *anno autem Domini Henrici tertii ordinationis ejus* XVIII. *Imperii* VII. *Actum Spiræ.*

Comitatus Amelandia fines.

(r) Spectativa ad Comitatum Gozelonis, alibi Goselini Ducis in Trenthiâ.

IN *nomine sanctæ & individuæ Trinitatis, Henricus divinâ favente clementiâ Rex. Si locis Deo dicatis quiddam beneficii juxta petitiones Dei servorum ex nostræ liberalitatis munere conferimus, id nobis profuturum liquidò credimus, & ad mortalem vitam temporaliter transigendam, & ad æternam felicitatem obtinendam. Quapropter notum esse volumus omnibus Christi nostrisque fidelibus, tam futuris, quàm præsentibus, qualiter nos pro remedio animæ nostræ, parentumque nostrorum, nec non interventu & petitione dilectißimæ conjugis nostræ Agnetis Reginæ, Trajectensis Ecclesiæ*

sub

sub honore Sancti Martini constructa, atque Bernoldo ejusdem sedis venerando Præsuli Comitatum, qui post obitum Goselini (f) *Ducis, nostræ ditioni in Trente visus est subjacere, Regiâ nostrâ benevolentiâ & auctoritate, cum omni integritate & utilitate quæ ad eundem pertinent Comitatum, perpetualiter habendum tradidimus, ea videlicet ratione, ut Præsul prænominatus, quem etiam nostræ servituti satis familiariter invigilare agnovimus, omnesque successores ejus eundem Comitatum sic potestativè teneant, ut neque Comes, neque aliquis major aut minor persona posthac in illo Comitatu potestatem exerceat aliquam, extra Præsulis prænominatæ sedis licentiam, quia totum sibi concessimus, quicquid utilitatis in illo habuimus. Et ut hæc nostræ Regiæ concessionis auctoritas stabilis & inconvulsa per succedentium momenta temporum maneat, hanc cartam inde conscriptam manu propriâ, ut infrà poterit videri, roborantes sigilli nostri impressione jussimus insigniri. Signum Domini Henrici tertii Regis invictissimi. Theodericus Cancellarius vice Bardonis* Archicancellarii recognovi. Data* XI. *Cal. Iunii, anno Dominicæ incarnationis* M XLVI. *Indictione* XIV. *Anno autem* Domi*ni Henrici tertii ordinationis ejus* XVIII. *Regni* VIII. *Actum Aquisgrani Palatio in* Dei *nomine feliciter, Amen.*

Comitatus Goselini Ducis in Drentia.

* *al. Archicapellani.*

De Cæde Theodrici IV. Comitis Hollandiæ.

HOc tempore Theodricus ejus nominis quartus & quintus Comes Hollandiæ existens Leodii, ubi celebre gladiatorum spectaculum (t) habebatur, dum in Hastiludio casu fratrem (u) Archiepiscopi Coloniensis, & Episcopi Leodiensis occidisset, elapsus, celeri fugâ salutem quæsivit. (x) Magnam idcircò sustinens persecutionem, ubi tamen egregie se de hostibus ultus fuisset anno M XLVIII, Idibus Maji per insidias Dordraci occiditur cùm imperasset annis novem. caruit uxore ac liberis, in cujus locum (x 2) Florentius frater ejus succedit, anteà Comes Frisiæ ulterioris, duxerat in uxorem Gertrudam filiam Hermanni Ducis Saxoniæ, ex quâ genuit Theodricum, qui sibi successit, Florentium, Albertum & Petrum Canonicos posteà Ecclesiæ Leodiensis, & (y) Machtildim, quæ post Patris obitum nupsit Philippo Regi Francorum. Florentius autem præmeditans ultionem fraternæ necis, concitavit in se rursus Archiepiscopum Coloniensem, Episcopum Leodiensem, & Marchionem Brandeburgensem, Ducem Brabantiæ, & Comitem Gelriæ, (z) qui omnes in pago Dordracensi, sive Zuyt-hollandiæ, (quæ terra Wiltorum dicebatur) descendentes, (aa) pontibus ex dolo fabricatis, & per industriam fossis obtectis incauti obruebantur: quos Florentius insequitur usque locum Hemert ad Mosam capto (bb) Episcopo Leodiensi & saucio, pluribus aliis trucidatis, & captis; ubi super lx. millia hominum partim suffocati, partim occisi feruntur. Dum ergo (cc) Florentius victor insequendo fatigatus improvisè medio æstu diei sub umbrâ salicis cum exercitu quiesceret, supervenit Comes Trajectensis de Kuyck, qui per fugam evaserat, adductis cæteris profugis, qui animum resumpserant (erat enim ex auxiliariis Ducis Brabantiæ) & Comitem inopinatè adorsus illic trucidat XIV. Calend. Iulii, cùm gubernasset in Hollandiâ annis XIV. & in Frisiâ XXII. Anno salutis M. LXI. Corpus ejus translatum Egmondam. Eo itaque occiso apud Hemert, uxor ejus transacto biennio, nupsit Roberto Iuniori filio Baldevini Comitis Flandriæ, qui tutorio nomine Theodrici pueri ætatis X, annorum accepit gubernacula rerum, per annos decem illa exercens.

Theodricus quartus Hollandiæ Comes Dordraci occiditur.

Florentius Comes occiditur in Hemert.

a *Quo & mortales plures nostrâ tempestate confluunt.)* Miror viri sanctimoniam & miracula Molanum latuisse, accuratissimum alioquin talium inquisitorem, qui nihil in Indiculo SS. Belg. de hoc tradit; nec quisquam alius Hagiographorum veterum. Bockenbergius, eum populari religione ad hæc fere tempora frequentatum scribens, eo videtur respicere: Chron. vulgare refert sepulcrum ejus à mulierculis, quarum infantes nullum capere valerent incrementum, quales etiam D. Mathuto offerebantur, visitari certâ sanitatis spe solitum Cratepolius Bennonis nomine inter SS. Germaniæ videtur retulisse; In novo Catalogo post Rom. Martyrol. Venetiis anno 1625. edito, quoque comparet. Benno etiam vocatur à Guillimanno de præsul. Argent. & anno 1023. inter fuisse concilio Francofurtensi traditur.

b *Inhumatur in templo D. Virginis,)* In templo D. Mar. Virginis Nemetensis ab illo inchoato, & à filio ejus perfecto, ubi hodieque spectatur sepulcrum marmoreum hac Epigraphe; *Conradus II. Imp. Rom. obiit anno D. incarnat. M. XXXIX. prid. Non. Iunij,* De intestinis ad Bekam *Dixi.*

c *Ego Berta cum sim nobilis,)* Formula est se offerendi ad altare ex veterum more, & sic censum perpetuum ecclesiis constituendi, reservatâ tamen ingenuitate: tales ritus refert Abbas S. Gertrudis Lovan. & adfert exempla, Ut Gislæ Gandavensis ingenuæ anno 1030. se mancipantis D. sub pensione annuâ. *Sunt (& inquit) idem Abbas lib. de S. Gertrude) qui se Virgini Matri mancipent, numellâ collo vel brachio injectâ, alij catenula brachio affabricata, quam nunquam deponunt, & hi se dicunt mancipia Virg. Matris, alii ream faciunt vel urbem vel Provinciam totam pendendi certum nummum, aut modium frumenti quotannis.* Quod & Ramirus Hisp. Rex fecit per jugera S. Iacobi Apostoli. Sed & singularis est ritus ille obligandi se vel sua per traditionem cespitis cum festucâ, vel per ramum cum cespite & cultello, vide Antiquites Fuldensium, aliarumque Ecclesiarum.

d *Cum omni hæreditate patrimonii & matrimonii,)* Id est hæreditate paternâ & maternâ. Matrimonium enim novo significatu (non ut Latini solent) pro maternæ hæreditatis portione hic sumitur.

e *In novo Monasterio de Vtrecht,)* Novum vocatur, vel respectu Salvatoris, quod vetus monasterium dicitur; vel quod ex nova Adelboldianâ restauratione recentius esset.

f *Pro censu II. denarios)* Hinc Ecclesiasticos census ortos volunt, quorum plura sunt exempla, ex similibus oblationibus. Sic Pont. Rom. non tantum Ecclesias & monasteria, (ut de Egmondano quoque nostra indicat historia) sed & Principatus, ac integra regna censuali jure sibi subjecta esse putat. Quod de Anglico, Polonico, Ungarico & majoris emolumenti Neapolitano ac Siculo ostendi posset.

g *Anno ab incar. Dom. 1050.)* Hic annus 19. vel 20. Regni Henrici 3. Indict. 3. verùm cum Heda videatur innuere post obitum Bernulphi hanc oblationem factam & is 1054. sit mortuus, quomodo hæc convenire possunt non video.

h *Luna XIX.)* Sic & in MSS. constanter scriptum invenio, & in aliis quoque literis ejus ævi. Novi etiam Orbis Incolæ, tempora numerant ex Lunæ cursu.

i *Vice Bardonis Archicapellani,)* Is fuit 20. Archiepiscopus ac quartus Elector Moguntinus, Ex Abbate Fuldensi ut vult Serrarius lib. v. Rer. Mogunt. Nobili familiâ de Oppershoven natus, suo tempore sanctitate celebris & ob eloquentiam dictus Chrysostomus. Meminit ejus Herm. Contractus in Chron. ad annum C 1050. quo 3. Id. Iunii obiit.

k *Henrici III. Regis Ordinationis XIII, Regni I.* Henricus III. Italis secundus est, qui Aucupem inter Imperatores non numerant. Hic à patre appellatus est Rex anno C. 1030. teste Onuphrio; incœpit autem regnare solus prid. non. Iunii 1039, ergo rectè in Majo anni sequentis primus ei numeratur annus, sed ordinationis decimus non XIII. Cuspinianus priores annos, patre vivente lapsos, non videtur numerasse, anno enim 18. regni mortuum ait, id est, ab eo tempore quo Conradus pater ejus in vivis esse desiit. Ubbo quoque Emmius in Chronol. Henricum anno quadragesimo supra millesimum incœpisse regnare, indicat.

l *Aureâ nostræ imaginis bullâ jussimus insigniri,)* Hujus bullæ formam Nicolaus Schoonhovianus Archivorum olim Traject. custos, expressit; videlicet, ab unâ parte continebatur caput Imper. barbatum & coronatum ad scapulas usque, extensa dextra manu cui insidebat avicula quædam: ab altero vero erat urbis Romę simulachrum. Dicitur autem ipsa bulla ab Hollandis, postquam urbs & provincia Traject. se in protectionem Car. Imp. dedisset, cum aliis monimentis nonnullis ablata; quo autem devenerunt haud difficilè divinaverimus, cum ea in manus insidiantium à longo jam tempore incidissent: unica tantum superat Frederici II. Imperatoris, quam post exhibebimus.

m *Conjugis nostræ Cunehildis Reginæ.)* Quamvis Onuphr. Panvinius unam tantùm Henrico conjugem tribuat Hagnetem matrem Henrici IV. post ipsum Imperatoris: alii tamen Cunelindim Cnitonis vel Canuti Anglorum Reg. filiam anno 1036. patre ad huc vivo ab illo ductam tradunt, quæ anno D. 1038. unica relicta filia, Wippone testante, obiit. Contractus Eliphdrudam vocat, meminere hujus Cunildæ Ursperg. Abbas & Pontanus in Danicis.

n *Actum Northuisen.)* Refertur inter civitates Imperii in Thuringiâ à Munstero; memoratur etiam à Geor. Fabritio Rer. Saxon. lib. 2. ad annum 1181. 1199. 1540. quando magno ea deformata est incendio.

o *Contheralis Reg. Agnetis,)* in MS. antiquissimo est *contectalis*, quod verbum reperio in Hierotheca Gelenii ex MS. diplomate, ubi sic legitur. *Rex interventu Gislæ Imperatricis suæ contectalis, & filii sui Henrici,* & Thietfrido Mon. Eptern. in vitâ D. Willibrordi cap. 12. *Dux excellentissimæ generositatis Pipin.*

Pipin. cum Bliurude contectali suâ.

p *Et cum Comitatu Amdande,*) Comitatum istum circa Isalam fuisse situm ab utraque parte fl. haud procul Daventriâ, satis indicant hoc diploma, & limites ibi expressi.

q *Theodericus Cancellarius vice B.*] De hoc Theodorico videndus Hermannus Contractus in Chronico ad annum Christi 1047.

r *Anno Dom. incarnat 1046. Indict. 14. Ordinat. Henrici 18. Imperij 7.*) Priora si aliquatenus admitti possent postremum, nempè *Imperij VII.*, præter historiæ veritatem esse constat. Nam si anno demùm 1047. consecratus est Imperator, ut Onuphrius asserit, quomodo annus 1046. erit Imperii ejus septimus, delenda proinde illa verba, *Imperij* VII. putarem, vel, quod in nonnullis MSS. inveni, restituendum *Regni* VII. vel VIII.

ſ *Comitatum qui post obitum Gozelini Ducis nostræ ditioni in Trente visus est subjacere,*) Trentæ Comitatus, ab Henrico Balderici, à Cunrado Temmonis vocatur: hic verò & Gozelinus dux aliquam quoque ejus partem possedisse videtur.

t *Celebre gladiatorum spectaculum,*] Barbarè torniamentum vocabant, melius hastiludium, vel ludum aut concursum equestrem, Ludo Trojano non absimilem, dixeris. Sed sæpè ejusmodi ludi tragicos habuêre exitus, ut hic refertur & nostro tempore in Henrico secundo Galliarum rege patuit.

u *Fratrem Archiepiscopi Colon. & Episcopi Leod.*) Fuit circa illa tempora Archiepiscopus Coloniensis Hermannus ex Palatinis Rheni Comitibus, & Leodiensis Episcopus Wazo, quem Placentius filium Comitis Iuliacensis dicit, quæ minimè conveniunt Hedæ scriptis. Wazo autem anno 1048. eodem an. quo Theod. Comes, occisus successorem Theoduinum Bavariæ Ducis filium Henrici III. Imp. consanguineum nactus est. Hi verò an fratrem habuerint, ludis istis occisum, & inter se fratres fuerint, nondum reperi, nec hic quidquam notavit P. Scriverius.

x *Magnam idcirco sustinens persecutionem,*] Hermannus Contractus tradit Theodoricum in indignationem Henrici 3. Imperatoris incidisse, idque ob rapinas, ut puto, & vicinorum invasiones. Illius verba ita habent: *Rex Paschale festum apud Trajectum Fresiæ urbem egit, & subsecutis diebus navali expeditione in Phlarditingam fretum trajiciens pagum quendam quem Theodoricus Marchio sibi usurpaverat, ab eo eripuit: unde idem postea rebellionis causam sumpsit.*

x a *Gertrudim F. Harmanni Ducis Saxon.*] Ægid. de aurea Valle Monachus, Bernardi filiam dicit in vitâ Theoduini 53. Leod. Episcopi cap. 3.

y *Et Machtilden quæ post patris obitum,*) Hanc Tilletus vocat Bertham ut Francici scriptores plerique, Andreas vetus auct. Franc. lib. 3. *Philippus defuncto tutore suo Balduino Frisonis F. Bertham in uxorem duxit.*

z *Qui omnes in pago Dordracensi,*] Nunc Zuyt-Hollandia quæ originalis & primitiva est Hollandia, in quâ & propter quam, omnia bella illis temporibus gesta acciderunt, quod hanc terram invitis dominis ademptam Imperator ut superior, restituendam suis curasset, & Comites loci commoditate adjuti, ac rebellium quorundam ope sustentati Imperatorum legibus aut jussis obtemperare, negligerent.

a a *Pontibus ex dolo fabricatis,*] Hoc militare Stratagema non semel usurpatum in historia legimus: vide Guil. de Nangis de gestis Philippi III. Reg. Franc. cap. 3. Io. Isaacum Pontanum Danicarum lib. 4. de Henrico Duce Normannos ab obsidione Parisiensi pellere tentante, ac in insidias præcipitato, Henricum Hunticidon. Rer. Anglic. lib. 7. de Anglis per insidias in foveam lapsis ac cæsis, Dubravium Rerum Bohem. lib. v. circa finem, Thomam Fasellum de reb. Siculis poster. Dec. lib. 9. Glabrum lib. 2. cap. 3. Scribanii Antwerpiam, &c.

b b *Capto Episcopo Leodiensi,*) Victorem fuisse Florentium arte magis quam vi, facilè crediderim; sed particularia quæ hic adduntur, conficta arbitror; siquidem 60000. cæsa vel suffocata, ac Leodiensem Episcopum saucium & captum, neque historia Leodiensis tradit, neque alii ejusdem temporis scriptores: Stokii Rhythmicon Chronicon, præter generalia quædam nihil habet; à quo vel adversarii ne nominantur quidem, ut nec à Beka, qui paucis rem attingit tantùm. Sigisberti Chron. ad annum 1058. *In Fresoniâ captis ab Imp. Henrico aliquibus castellis, Fresones à rebellione refrenantur*, quæ de hoc bello dicta videntur. Snoyus occisum scribit Episcopum, ut & vulgare Chronicon, quod omnino falsum. Bockenbergius auget occisorum numerum sex millibus. Cætera quæ dici de Florentio Comite, ejus conjuge & liberis possent, à Scriverio satis attentè excussa, ad cujus accuratas notationes avidum Lectorem amando.

c c *Dum ergo Florentius victor,*] Snoyus id quinto post anno factum dicit; Bockenbergius quarto. Miror Hedam omisisse diploma Bernulphi de rebus ab Adolpho milite donatis Ecclesiæ Trajectensi. id est, de Gores, quod est tale.

IN Nomine sanctæ & individuæ Trinitatis. Ego Bernaldus sanctæ Trajectensis Ecclesiæ præsul notum esse cupio cunctis fidelibus tam futuris quam præsentibus, quod quidam ingenuus clericus nomine A-

 dolphus

dolphus militis officio functus, quandam sui juris hereditatem quam habuit infra comitatum Godescalci comitis Thuente nuncupatum, id est, Gore, tradidit S. Martino cum convenientia hæredis suæ Wiburgis *Abbatissæ videlicet de Frikenhurst per manum Advocati sui* Walonis *cum omnibus ad eundem locum pertinentibus curtilibus, ædificiis, mancipiis, agris, pascuis, sylvis, aquis aquarumque decursibus, quæsitis & inquirendis, cum omni districtu quicquid fratres ejus Luidolphus &* Wernerus *ibidem in vita sua visi sunt habere in servitio & redditibus, & ipse Adolphus per successionem hactenus in sua potestate tenuit, postea in benevolentia præstitit ei in beneficium infra Thuente decimam decem librarum Daventriensium, & infra Thrente decimam ad septem libr. & dimidiam. Quod si forte alicui successorum nostrorum hac precaria displicuerit, & concessa præstare neglexerit, ipse præfatus Adulphus de suo quod dedit faciat, quod velit. Acta sunt hac juxta Gora in placito supranominato Comitis, coram testibus quam plurimis & hac traditio ut firma & inconvulsa in futurum permaneat, hanc kartam sigilli nostri impreßione roberari jußimus.*

Wilhelmus Episcopus XXI.

DUM hæc agerentur, Wilhelmus frater (a) Comitis Gelriæ, qui Bernoldo in Episcopatu XXI. successit, vir admodum strenuus atque magnanimus, in rebus administrandis sagax, & apud Henricum Imperatorem in precio habitus, considerans (b) Hollandiam vero Principe orbatam, & tutorio sive alieno nomine administrari, & carere defensore; memor cladis & captivitatis ac injuriarum, quas Adelboldus Episcopus passus est, nec non perpendens jam adesse oportunitatem, ut loca Ecclesiæ Trajectensi dudum ablata, recuperare posse, quot id justiùs fieri liceret, primò studuit se fulcire auctoritate Regiâ. Igitur ab Henrico Imp. filio Henrici & nepote Conradi Comitatum Hollandiæ, unà cum Monasterio Egmondensi, per & modum restitutionis, & partim commissi recepit, suffultus auxilio Godefridi Gibbosi, Ducis Lotharingiæ, Robertum unâ cum Theodorico pupillo Dominio exueret, ut ex literarum diplomate (c) ipsius Henrici, cujus exemplar hic submisimus, latiùs declaratur.

Henricus V. Imper.

Wilhelmus Episcopus Hollandiam cum Egmonda impetrat ab Henrico.

Donatio Comitatus Westflinge cum Abbatiâ Egmondensi.

IN nomine sanctæ & individuæ Trinitatis, Henricus divinâ favente clementiâ Rex. Patrum nostrorum orthodoxorum exempla secuti, qui rebus suis Ecclesias Dei ædificaverunt, ædificatas non minus rebus ad Regium fiscum pertinentibus, quàm propriis hæreditatibus honoraverunt, pensante quoque benignum remuneratorem Deum preciosaque

commer-

commercia dum pro temporalibus mereamur, æterna terrenis, cœlestia caducis in æternum mansura; æquum & honestum duximus, primitias adolescentiæ nostræ hujuscemodi studiis initiare, ut vita longævior sit in tempore, & tempora jucundiora in tranquillâ pace. Unde notum esse volumus omnibus Christi nostrisque fidelibus, tam futuris, quàm præsentibus, qualiter nos ob remedium animæ nostræ, & p. m. patris nostri Henrici Imp. Augusti, interventu quoque & consilio nostrorum fidelium, sc. Annonis Coloniensis Archiepiscopi, Everhardi Trevirensis Archiepiscopi, Adelberti Hammaburgensis Archiepiscopi, Burchardi Halverstadensis Episcopi, Frederici Mimigarfordensis, id est Monasteriensis Episcopi, Gotefridi, Frederici, Gerhardi Ducum, nec non ob fidele servitium Wilhelmi *Trajectensis Episcopi, Comitatum omnem in* Westflinge*; & circa oras Rheni, quem Theodoricus Comes habuit, cum omnibus ad bannum Regium pertinentibus, universisque ad eundem Comitatum respicientibus, hoc est, Abbatiâ in Egmonde; utriusque sexus mancipiis, areis, ædificiis, agris, pratis, pascuis, terris, cultis & incultis, aquis, aquarumque decursibus, piscationibus, exitibus & reditibus, viis & inviis, quæsitis & inquirendis, mercatis, monetis, teloneis, forestis, eidem S.* Dei *Ecclesiæ Traj. in proprium tradidimus, & in æternum, omni contradictione remotâ possidendum concessimus. Et ut hæc nostra traditio stabilis & inconvulsa omni permaneat ævo, hanc cartam inde conscribi, eamque manu propriâ corroborantes, sigilli nostri impressione jussimus insigniri. Signum* D. *Henrici quarti Regis, Sigehardus Cancellarius vice Sigefridi Archicancellarij recognovi.* Data II. *Kalendas Maji, anno* Dominicæ *incarnationis* CIↃ.LXIV. *Indictione secundâ, anno autem ordinationis Henrici quarti Regis* IX. *Regni verò* VIII. *Actum* Werde *in* Dei *nomine feliciter, Amen.*

Restitutio locorum ablatorum, & Comitatus Hollandiæ.

IN *nomine sanctæ & individuæ Trinitatis, Henricus divinâ favente clementia Rex. Notum esse volumus omnibus in Christo fidelibus, tam futuris, quàm præsentibus, qualiter nos ea bona, quæ injustè ablata fuerunt S. Dei Ecclesiæ Traject. à Theodorico Comite ejusque filiis à tempore Henrici secundi, & Adelboldi ejusdem sedis Episcopi, pro quibus & idem Imp. Henricus, & avus noster Conradus, & pater*

noster

noster piæ m. Henricus plurimùm laboraverunt, & multa bella fecerunt, nos quoque nostrique fideles multum laboris impendimus; Notum inquam esse volumus, qualiter ea ob remedium animæ nostræ, & pii patris nostri Henrici, aliorumque antecessorum nostrorum, interventu quoque & consilio Principum nostrorum Annonis Coloniensis, Sigefridi Moguntini, Adelberti Bremensis, Everhardi Treverensis Archiepiscoporum, Burchardi Halverstadensis Episcopi, Frederici, Godefridi, Gerardi Ducum aliorumque fidelium nostrorum, nec non ob fidele servitium Wilhelmi, *ejusdem sedis Episcopi reddimus & restituimus, & Regali authoritate eidem S. Ecclesiæ confirmamus. Sunt autem hæc: in loco qui dicitur Crempene* IV. *mansi de fine fluminis Alblas usque Mervvede, inde usque Menkenesdrecht dimidietatem totius terræ cum omni districtu, Item de Ryede juxta Mervvede usque Slydrecht. Item juxta Mervvede in Thuredrecht, inde in Duble, inde in Duvelhara, inde in* Waal, *inde iterum in Mervvede usque in Thuredrecht cum capellâ noviter constructa. De Thuredrecht ad orientem usque* Godekines Hoffstat, *quod est juxta* Werkenemunde, *in* Holtreka* VII. *mansi in Valckenbourgh* XVI. *curtilia cum terrâ ad ea pertinenti, Ibidemque* III. *mansi: Sylva quædam propria inter Valckenbergh & Groterhenekestegron usque Litte, in cædendis lignis & venatione, & pascuis, & omni utilitate. In Hemstede mansus* I. *Ecclesia in Flardinge cum capellis, Kircvverva cum capellis, Voreholt, & Northgo cum capellis, Pethem, Aldathorpe cum capellis. Ad hoc Comitatus omnis in Hollandt, cum omnibus ad bannum Regalem pertinentibus. Præterea beneficium, quod Comes** Wirich *ab Episcopo Adelboldo tenuit, ab eo loco qui dicitur Sigeldrecht usque Rinesmuthen, Item sursum ab occidentali parte Rheni usque in Bodegraven, & post* Wiroch *Godezo, post Godezonem, Theodoricus Bavo filius possedit, quem Theodoricus Comes expulit, & vi S. Martino abstulit. Præcipimus etiam ne quis Comes, nec aliqua sub Comite persona juxta Islam & Lake in locis ad duo Monasteria pertinentibus ullam potestatem habeat, sed propria fratrum sint ad duo Monasteria servientium, sicut continetur in immunitatibus Ottonis primi, qui ea primus S. Martino tradidit, aliorumq; antecessorum nostrorum. Et ut hæc nostra confirmationis authoritas rata & inconvulsa permaneat, hanc paginam inde conscriptam manu propriâ roborantes, sigilli nostri impressione jussimus insigniri. Signum Domini* Henrici IV. *Regis, Sigehardus Cancellarius vice Sigefridi Archicancellarii recognovi.* Data VI. *Nonas Maji, anno Dominicæ incarnationis* CIↃ. lXIV. *Indictione secundâ, anno autem ordinationis*

* Holtreo.

* Wiroch d.

nationis Domini Henrici IV. *Regni verò* VIII. *Actum Werede in Dei nomine feliciter, Amen.*

Idem Confirmavit etiam antiquas donationes Regum, similiter & Comitatum Trente ac Teisterbant. Anno itaque M. lxxi. Godefridus (d) ut Advocatus, una cum Episcopo, sumptis armis intrat Hollandiam, cui Robertus cum exercitu occurrens apud Leydim initâ pugnâ cum magnâ strage suorum in fugam vertitur, cum uxore & Theodrico Gandavum profugiens, ubi omnem nobilitatem in arma concitans, Arnoldum (e) nepotem suum, Comitem Flandriæ Provinciam opprimentem apud montem Casleensem interfecit; Philippum Regem Francorum, qui illi auxilio venerat, & ejus exercitum prostravit, & terga vertere compulit, effectus victor & Comes Flandriæ. Godefridus Dux Comitatum Hollandiæ de manu Episcopi in beneficium accipiens, orientalem sive ulteriorem (f) Frisiam armis subjecit Ditioni suæ, & quatuor annis quietè omnia possedit. Episcopus verò Wilhelmus contra Robertum & Theodoricum continuò se muniens, construxit (g) arcem invictissimam in Islemondâ. At Godefridus Dux, quo sibi ac hæredibus suis Dominium perpetuò stabiliret, placidâ fruens pace, ædificavit inter vicos Ryswijck & Oudersche, quoddam oppidum (h) & arcem munitissimam, quod Delft nuncupavit, postmodum à Wilhelmo Comite & Rege Romanorum adauctum atque ampliatum, legibusque & plebiscitis adornatum Imperialibus. Verùm cùm nihil sit certùm in humanis, quem nec arma terrebant, & cui victoria ac pax videbantur obsequi, insidias ac mortem evadere nequivit. Godefridus quadriennio rerum potius, dum alvum exoneraret, lætaliter vulneratur, per quendam (i) Giselbertum ministrum Theodrici Iunioris, ac sic saucius ductus (k) Trajectum spiritum exhalavit v. Kal. Martii, anno M. lxxv. seu potius, M. lxxvj. Verùm in quodam Chronico vetustis characteribus Affligemiensi legi, quod anno M. lxxv. in Antverpiâ sicarius Ducem Godefridum in secessum ad purgandum alvum ingressum, per secreta naturæ cultro feriens interemit. Et adhuc annotatur ex rubro caractere: Dux Godefridus in Andverpiâ confoditur, dijudicet lector. Nam scriptor ille magnum apud me habet pondus, qui Marianum Scotum & Sigebertum diligentissimè scribendo insequitur. Hujus (l) soror Ida nupserat Eustachio Comiti Bononiensi, mater Godefridi de Bullion, atque Balduini Regum Hierosolymitanorum atque Eustathii. Godefrido Gibboso defuncto, successit Godefridus ex sorore nepos dictus de Bullion in Ducatu Lotharingiæ atque Brabantiæ, licet tunc Brabantiæ titulum nemo sibi vendicasset, quem Henricus tertius primò assumpsisse dicitur anno M. cc lI. Nam Hollandia usque (m) ad hæc tempora nomine Frisiæ appellabatur, quemadmodum Brabantia Lotharingiæ adscribetur à Tornaco ad Velpam fluvium protensa.

Godefridus Dux Lotharingiæ Frisiam ulteriorem vincit.
Iselmunda arx condita.
Delft oppidum conditum.
Ida soror Godefridi uxor Eustatii Bononiensis.
Brabantiæ titulum Henricus tertius primum sumpsit.

Libenter parcerem calamo, ne scriptores mortuos notarem, sed tanta est discrepantia, ut ipse culpandus venirem, nisi me excusarem. Beka scribit Anfridum Episcopum obiisse anno M. VIII. ac successisse illi Adelboldum, quem præfuisse annis XVIII. & decessisse v. cal. Decembr. anno M. XXVII. annotat, huic suffectum Bernoldum, eumque præfuisse annis XVII. migrasse ad Dominum XIV. Kal. Augusti, anno M. LIV. Subsecutum Wilhelmum, & postquam præfuisset annis XXII. excessisse vitâ anno lxxvI. hoc est eodem anno, quo decessit Godefridus Gibbosus, quinto Cal. Maji, Conradum Episcopum post Wilhelmum, assumtum sedisse annis XXI. & VIII. Calend. Maji occisum anno quo capta est Ierosolimâ 1099. Itaque intermissi sunt paulo minus (n) anni quam decem, in his quatuor sessionibus Pontificum, & tamen Marianus Scotus, qui genuinam servat calculationem, narrat Wilhelmum Episcopum accessisse Hierosolymam, secundum unam anno M. lxv. secundum aliam anno M. lxxxvII. Abbas verò Urspergensis anno M. lxIV. id actum annotat. Hæc pro admonitione illorum, qui minus sunt solliciti.

Wilhelmus itaque in dignitate Episcopali vixit annis XXII. obiit in mense Majo, anno Domini M. lxxvI. & est sepultus in Ecclesiâ Trajectensi in quadam Capellâ, in parte Meridionali, in eodem sepulchro in quo Guido posteà Episcopus. Hic Synodali decreto renovavit donationem per Baldricum factam de libertate Bergę atque Linnæ, atque erectione Ecclesiæ in Leinderkercke anno M. lvI.

Abbas Urspergensis anno Domini M. lxIV. Sigefridus Episcopus Maguntiacensis, & Guntherus Babergensis, & Wilhelmus Trajectensis, aliique quam plures Præsules vel nobiles

» les multo comitatu Hierosolymam tendentes, multas infestationes à Barbatis perpessi sunt,
» tandemque (*) profectione fruentes optata, numero & rebus admodum attenuati redierunt.

*Perventione est in Ursp.

Ex Chronico Affligemiensi.

» ANno millesimo lxv. fama vulgata omnes movit, cunctis pro certo asserentibus, advenisse diem Iudicii, quia à multis asseritur certum terminum illius diei fore, quando terminus Paschalis in sextâ feriâ evenerit, & sequenti Dominicâ Pascha sit, quando Dominus passus est, contigisse * dicunt, usque ad septem millia peregrinorum Hierusalem orandi voto petentes in parasceve in quodam castello obsessi ab Arabitis pariter trucidantur.

* Convenisse.

» Marianus M. lxv. Multi pauperes & divites cum Sigefrido Moguntino Archiepiscopo, Trajectensi Episcopo, Bambergensi Episcopo, atque Ratisponensi Episcopo, post transitum sancti Martini, plus septem millia hominum Hierosolymam perrexerunt, Ubi autem Episcopi sedebant, dorsalia pallia pendebant scutellas & vasa aurea & argentea habebant. Arabes verò fama pecuniæ congregati sunt, multosq; eorum in parasceve occiderunt. Qui autem evadere potuerunt, in quoddam vacuum castellum, nomine Carvasalim fugerunt, ibique se contra jacula Arabum defenderunt. Tunc unus optimus miles nullo periculo victus, quim sepulchrum Domini videret, exivit foras. Arabes verò statim eum comprehendentes, resupinum in modum crucis distenderunt, & ab imo ventris usque ad guttur superficiem ejus proscindentes, omnia viscera ejus scrutati sunt, postremò cùm eum membratim divisissent, dux ipsorum primus lapidem super eum misit; deinde omnibus tunc sociis illius de castello hæc omnia intuentibus, dixerunt, vos ita interietis, nisi omnem pecuniam vestram nobis tradideritis. Christianis itaque promittentibus Dux Arabitarum ingressus est ad eos in castellum, & xvi. alii cum gladiis. Qui Dux cùm vidisset adhuc in tantâ gloriâ Episcopos sedere, cernens Episcopum Babembergensem nomine Guntherum, cæteros magnitudine seu pulchritudine corporis præcellentem, putavit illum esse Dominum Christianorum, & sicut mos est gentilibus reos tenere, misit corrigiam in collum Episcopi & ait: Tu & omnia ista tua mea erunt. Episcopus verò per interpretem ait illi: Quid mihi facies, ille dixit ei, istum pulchrum sanguinem gutturis tui sugam & suspendam te ante castellum sicut canem. Tunc Episcopus apprehenso capite ejus uno colapho allisit Ducem in terram, alii autem omnes ligati sunt, quo comperto hi qui foris erant, irruerunt super castellum, sed illi qui ligati erant suspensi de muro contra eos prohibuerunt eos suæ salutis causâ. Ipsi verò latrones propter pecuniam, quam prius Christianis abstulerant, rixati invicem se ex magnâ parte interemerunt. Interea Dux Ramula rogatus à Christianis, qui evadere poterant secundo die paschæ cum valida manu advenit, Arabitasque fugavit, Deinde accipiens quingentos bisantios aureos à Christianis cum Duce Arabitarum inimico Regis Saracenorum Domini sui produxit eos Ierosolymam, deinde ad navim. Ita autem omnis multitudo Christianorum consumpta est, ut vix de septem millibus, vel eo amplius duo millia reversa sint.

Et vide Marianum.

Hujus Wilhelmi Episcopi intuitu, Henricus quartus Henrici tertii Imp. filius, nepos Conradi Imp. confirmavit donationes Henrici II. Imp. de Trente, & similiter Conradi de Comitatu in Teisterbant, & de Amuda aliisque; & approbavit auctoritatem constitutionis Regum antiquorum Pipini, Caroli, Ludovici Pii, ejusque æquivoci, Zuentiboldi & Conradi, Ottonis & Henrici, quas sibi fatetur exhibitas anno M lv. ordinationis Henrici tertio, Regni I. Actum Werede.

Inter hunc Episcopum Wilhelmum & (o) Regimbertum Abbatem Epternacensem fuit facta concordia de Ecclesiis in Hollandiâ, approbante hoc ipsum Henrico quarto anno Domini M. lxiii. anno autem ordinationis Domini Henrici quarti Regis viii. Regni verò vii. Actum Coloniæ. Sequitur pars. Notum sit omnibus in Christo fidelibus, tam præsentibus, quam futuris, qualiter ego Wilhelmus Trajectensis Ecclesiæ licet indignè vocatus Episcopus per manus Advocati mei Gerolphi, Regimberto venerabili sanctæ Epternacensis Ecclesiæ Abbati, ejusque Advocato Theodrico in sanctâ Synodo recognovi mediam partem Ecclesiarum earum, quæ infrà nominatæ sunt, quarum (p) matres, videlicet, hæ Flardinge, Kirck-

Kirckwervé, Velsereburgh, Heilegelo, Pethem, aliquando à Carolo & orthodoxis Patribus
aliis, beato Willebrordo Patrono nostro, ac primo sedis nostræ Archiepiscopo ad eandem Ec-
clesiam Epternacensem traditæ fuerant. Sed à Theodrico Comite, & filio ejus Theodrico,
fratreque ejus Florentio invasæ, atque propter continuam bellorum seditionem omni Epis-
copali jure neglecto, in potestatem Episcopi Synodali auctoritate redactæ fuerant, cum ca-
pellis infra nominatis: Harago, Schie, Rinesburg, Warmunde, Liethemuthen, Rinsater-
wald, Asclekerwald, Agathenkyreca, Hemezenkireca, Ascumannedilf, Spernerewald, Slo-
ten, Egmunde, Alcmere, Scirmere, Alisven, Woggenum, Aldenthorp, Vronlo, quæ neque in
termino earum, quæ modo matres sunt, quippe ubi neque consecratio, neque terminatio ul-
la erat, neque ipsæ consecratæ erant, atque ideo omnis decima, secundum constituta cano-
num, in manibus Episcopi erat, ea scilicet conditione, ut idem venerabilis Abbas omnesque e-
jus successores ad eandem Ecclesiam Epternacensem medietatem habeant earundem Eccle-
siarum omnium, liberam ab omni servitio Episcopali, neque (q) circaturam, neque oblationes
Episcopo, neque servitium Præposito, neque ad ædificandas sive consecrandas, vel ad ter-
minandas easdem Ecclesias ullum supplementum præbeant. Neque ad Synodum coacti ve-
niant, ipsi ministros locare poterint, qui suam partem colligant. Ipsi Presbyteros ponere,
qui ad easdē Ecclesias serviant, similem cum Episcopo potestatem habeant, ipsi in omni uti-
litate, quæ de eisdem Ecclesiis provenire possunt, sive in redemptione earum, sive in acquisi-
tione decimarum, sive in compositione illati damni, excepto Episcopali banno, in omnibus
mediam partem accipiant. Si quid verò culpa Presbyterorum neglectum fuerit, nullum in-
de damnum incurrant. Actum Coloniæ, anno salutis M. lxiii. anno ordinationis Domini
Henrici quarti Regis ix. Regni verò septimo.

a *Wilhelmus frater Comitis Gelriæ,)* Fuit frater Wichardi Præfecti, quem *Voocht* vocant vernaculâ
linguâ, & filius Wikingi; de quibus videndum Chronicum Gelricum Aquilii, & ibi diligentissi-
mus Scriverius. Snoyus Wilhelmum de Pont vocat. Tesmakerus in Annal. patruum Wichardi
sibi contrarius, dicit. Ab hoc videntur Dordrechtenses sigillum suum vetus habere, in cujus aversa
parte rosa spectatur, signum Præfectorum, ut volunt, Geldrensium cujus hic forma expressa est.





Quo facere videntur illa, quæ infra tradit Heda: *Dux Godefridus Comitatum Hollandiæ de manu Episcopi accepit:* Illam scilicet partem, quæ vera & prima est Hollandia, quam nunc *Zuyt-Hollandiam* vocamus. Item illud diploma, cujus Gouthouvius in Archivis urbis Durdrechti extare tradit exemplar; quo continetur quod Dordrecht & villulæ circumjacentes teneri debeant à Duce Brabantiæ, qui illa tenebat ab Episcopo.

b *Considerans Hollandiam vero principe orbatam,*] Hæc consideratio non cadebat in virum strenuum & magnanimum, ut pauló ante eum vocarat, multó minus in Episcopum. Verùm hic errare cum vulgo Heda maluit, quam veram hujus dissidii causam, quod tamen interdum facit, indagare: quam antiquorum Herm. Contractus & Lamb. Schafnaburgensis attingunt; quod nempe Marchiones Phlarditingæ (sic vocant Hollandiæ postea Comites dictos) Imperatori rebelles, Episcopos in contumeliam ejusdem suis spoliarent bonis, ac se cum inimicis Imperii sociarent.

c *Ex diplomate ipsius Henrici.*) P. Scriverius & diligentissimus Boxhornius, explodunt hoc & sequens diploma, ac fictitia putant, quorum auctoritati licet multùm tribuam, attamen rationes illorum non satis ponderis mihi habere videntur. Sunt quædam, fateor, quæ suspicionem movere possent; reperiuntur tamen illa in antiquissimis membranis, ante aliquot centenos annos descripta, atque in Archivis nostris conservata. Sed de his plenè agere brevitas harum notationum non patitur, alio fortè loco ex professo de iis acturus.

d *Godefridus ut Advocatus*] De Advocatis Episcoporum supra quædam attigi, tales olim Vicedominos & Ecclesiarum Oeconomos appellarunt; & Reineccius ad Annales Car. Magni; **Vogte/** Germanicâ linguâ dictos putat.

e *Arnoldum nepotem suum ap. montem Castetensem interfecit.*) Violentus quippe homo; nam ut primùm Hollandiæ Comitatum ejectis incolis vi occupaverat, quod distinctè refert Lambertus Schafnaburg. sic postea inde expulsus, Flandriam aggressus nepotem occidit, terramque ejus occupavit, vide Mejerum. Oldegerstium, Sigisbertum etiam ad annum 1072.

f *Ulteriorem Frisiam armis subegit,*) Hic claré separat Hollandiâ ab ulteriore Frisiâ, Frisiæ enim nomine omnis hæc regio, tunc appellabatur, quæ erat extra insulam Dordrechtensem. Sic Arnulphus Comes dicitur à Frisiis cæsus, & Trajectum Fresiæ oppidum vocatur, ac omnia bella postea per 300. annos cum Frisiis gesta, haud multùm ultra Alcmariam processere, nec longè inde Guil. Rex à Frisiis occisus est.

g *Construxit arcem invictissimam in Iselmundâ,*] Sed cum Adelboldum præsulem in arce Iselmundanâ diu ante à Comite Hollandiæ captum & detentum fuisse velint, quomodo hæc concilientur?

h *Quod Delft nuncupavit,*) Ea quamvis sit omnium fere opinio, nihil tamen de hac fundatione Stokius aut Beka scriptum reliquêre: vide Swerium in nova Hollandiæ descriptione. Ego castrum tantum aut munimentum à Gibboso eo loci constructum crediderim, quod à posteris auctum Comitibus, & civitatis jure donatum fuerit. Novi etiam familiam olim nobilem Delphensium in Hollandiâ fuisse, quorum Gentilitii stemmatis insigne, crux recta, quod in sigillis expressum circa annum C. 1242. comperio, tunc enim Theodoricum de Delft militem, & Hadewigem ejus conjugem sigillasse quasdam literas constat.

i *Per quendam Giselbertum ministrum Theod. C.*) Plerique scriptores authorem hujus cædis, faciunt Robertum Frisium Flandriæ Comitem, alii Theodoricum Comitem Hollandiæ. Sigisbertus in nomine sicarii dissentit, & Richarium appellat; de totâ re plura ad Becani Chronicon dixi:

k *Ductus Trajectum,*) De genere mortis, & cujus ea instinctu perpetrata, scriptores ferè conveniunt, sicario nomen tribuunt Giselberti, Richarium vocat Sigisbertus; Bertholdus Constantiensis à quodam coco peremptum scribit. In tempore dissentiunt; annum statuunt 1075. Beka, Meyerus, Bockenbergius, Snoyus, Chron. vulgare Holl.; sequentem major pars, inter quos Sigisbertus Gembl., Monachus Schafnaburgens. Bertoldus in supplem. ad Contractum, Divæus, Bruno de bellis Saxonicis, Miræus, alii quibus Heda videtur accedere. De loco item sepulturæ ejus, non eadem sentiunt Chronographi; quidam Trajecti ad Mosam; alii, inter quos Lambertus Schafnaburg. Virduni ap. patrem conditum, tradunt, quem Divæus & Miræus sequuntur. Stokius verò & qui eundem secutus videtur Aldegerstius Flandricus scriptor Ultrajecti conditum sed perperàm volunt. Elogium huic à Lamberto Schafnaburgensi, Pont. Rom. licet addictiore insigne relictum hisce adscribere operæprecium putavi ne ejus viri virtus in obscuro lateat, est aũt tale, *magnum regni Teutonici robur & momentum, qui licet staturæ pusillitate, atque gibbo despicabilis videretur, opum tamen gloriâ, & fortissimorum militum copiâ, prudentiæ quoque maturitate, postremo totius vitæ temperantiâ longè cæteris principibus supereminebat.* Simili genere mortis peremptum Stephanum Comitem narrat Fauchetus in Carl. Simpl. Fr. R. Is enim occisus sagitta veneno infecta, cum de nocte ventrem exoneraret, vide not. ad Bec. Chron.

Hujus

l *Hujus soror Ida,*] Utriusque, Godefridi & sororis habe stemma, clarioris intellectus causâ ex Miræo translatum:

Godefridus captivus Com. Virdun. Anno 984.	Godefrid. Improl. Dux Lotharingiæ infer. obiit 1023.			
	Gothilo magnus Dux Lothar. super. Et infr. ob. 1044.	Godefridus magnus Utriusque Lotharing. Dux obiit 1070.	Godefrid. gibbosus Dux utriusque Lotharingiæ ob anno 1076. S.L.	
			Ida ux. Eustachii 2 Com. Bolon.	Eustachius 3. Godefrid. Bulion. Balduinns.
		Steph. 9. P.R.		
		Gothilo ignavus Lothar. infer. Dux obiit 1046.		
		*Oda ux. Baldrici Com. Lovan.	Henricus 2 Com. Lovan. uxor. Aleyd.	Henric. III. Com. Lovan. ob anno 1095. S. L. Godefr. Barb. C. Lov. Dux Lotharing. & Brab. 1106. obiit 1140.
		Regelind. uxor Alber. 2. Com. Namur.		
		Mathildis ux. Ragineri 4. C. Hannon.	Richildis uxor Balduini Com. Flandriæ.	
	Adalbero Episc. Vird.			
	Frider. C. Virdun.			
	Hermann. Com. Dagisb.			
	Emengardis.			

* Apud plerosq; scriptores invenio Odæ maritum Lambertum vocari, nisi quod Divæus Brab. 6. eundem Lamb. & cognomento Baldricum dictum tradat.

m *Nam Hollandia usque ad hæc tempora,)* Vidi diploma, quod in archivis Marianis Tr. integrum adhuc servatur Theodorici F. Florentii & Adæ Com. titulo Hollandiæ Comitis anno 1194. conscriptum, quo nullum à me visum vetustius.

n *Itaque intermissi sunt paulo minus anni x.*] Si Bernulpho 27. annos tribuas, quod plerique auctores faciunt, rectus erit calculus, nec anni decem supererunt: quod verò anno 1087. Hierosolymam profectum Wilhelmum tradunt, omninò cū classicis scriptoribus pugnat, cum constet eum anno 1075 vivere desiisse. Iter autem hoc Christianorum describit ample satis Lambertus Schafnaburgensis, ad annum C. 1075. qui addit, Wilhelmum hunc nostrum vulneribus male mulctatum, nudum ferè relictum ab Arabibus. Ingulphus quoque Anglus, postea Croylandiæ Abbas, se huic itineri interfuisse refert circa idem tempus; cujus & meminit Sigisbertus in Chron. ad annum C. 1075.

o *Regimbertum Abbatem Epternacensem,*] Qui 23. Abbas in ordine, post annum 1051. electus obiit anno C. 1080. 3. Id. Novembr. ut refert Bertelius in historiâ Luxemburgicâ, relinquens successorem Theofridum scriptorem vitæ D. Willibrordi.

p *Quarum matres hæ &c.)* Loca hæc in Hollandia Boreali vel Westfringia satis cognita sunt, ita ut ulteriori explicatione non indigeant: Videntur autem quæ hic traduntur, aliquomodo confirmare diplomata Henrici Imp. supra posita.

q *Neque circaturam,*] Quid sit circatura non satis perspicio, nisi sit à circumeundo sic dicta; quum præfecti suas Ecclesias, & Episcopi suas Diœceses circumeundo perlustrarent. In diplomate Conradi Episcopi Tr. anni C. 1085. de telonio in Smithusen: *Ecclesia cum tribus capellis, liberam à circatu & censu* &c. In aliâ Burchardi Episcopi donatione capitulo S. Johannis Bapt. facta anno 1101. *Concessi autem tam liberam à censu & circatu &c.* *Circitores* etiam nominantur in legibus Alamannorum: & in Iure nostro vocantur *Circitores* qui vestes circumferunt distrahendas l. 5. D. de Institoribus. Sic Vegetius de re mil. vocatos dicit qui vigilias circumibant, vide Briss. de verb. significatione lit. C. Utrum verò Hollandiæ Comes eo nomine cum Epternacensibus transegerit, nec ne incertum habeo; hoc tamen in hujusmodi donationibus accidere sæpe solet, ut cum auctoribus facile concidant: & tandem is in jure potior habeatur, qui potentior est armis.

r De exitu vitæ Guilielmi Episcopi multa confinxerunt, quod is Imperatori contra Paparum Rom. factionem fideliter adhæserit; vide Schafnaburgensem monachum Lambertum, Bertholdum Constantiensem, Abbatem Trithem. Chron. Hirsaug. ad annum C. 1076. Nostri autem scriptores nihil ejusmodi tradunt.

De controversia Wilhelmi Episcopi Trajectensis cūm Episcopo Noviomensi nullam cūm faciat mentionem Heda, non abs re erit de eadem hic adjungere Epistolam Gregorii VII. P. R. Ex lib. 2. Regest. ejusdem Pontificis, quam mihi Nobiliss. vir Theod. Renessius olim suppeditavit, cujus hic tenor:

GREGOR. EPISCOPVS SERV. SER. DEI MANASSI REMENSI ARCHIEPISCOPO.

Salutem & Apostolicam benedictionem. Confratris nostri Trajectensis Episcopi Wilhelmi querelam de Brugensi Ecclesiâ in Noviomensi Episcopatu sita, literis ipsius expositam accepimus, quam & ante D. & prædecessorem nostrum P. Alexandrum depositam, necdum competenti termino contigit definiri. Astruit autem Episcopus Trajectensis eandem Ecclesiam traditione antiquâ sedi suæ delegatam ducentis ferme annis absolutè & quietè ad usus stipendiarios Can. Trajectensium detentam; donec Raboth Noviomensis Episcopus absque ullo canonico judicio sibi eam surripuit: & , ut affirmant legati (quod gravius est, & omnino illicitum) alteri cuidam Clerico vendidit. Quapropter Suffraganeum tuum Noviomensem Episcopum per te conveniendum esse censuimus, & de tantâ perversitate, (si ita esse constiterit) severè esse increpandum, ac subinde admonendum, imò etiam compellendum ut canonum statuta sequendo, Ecclesiam Trajectensem quæ tanto tempore possedit, sine expoliatione, sine morâ reinducat: ac postea si qnid habet quod jure conqueratur, Synodali judicio disceptare contendat, quod si huic authoritati nostræ, vel monitis tuis obtemperare neglexerit, tam diu Episcopali privetur officio, quoad usque causas Ecclesiasticas non potentiæ magnitudine, sed justiciæ censurâ finiri oportere doceatur. Hujus ergo negotii decisionem per te studiosè & impigrè volumus adimpleri, & literis judicium nobis quantòcitius poteris notificari. Datum *Romæ* III. *Non. Martii, Indict.* XIII.

Confirmatio Henrici Regis sub Wilhelmo Episcopo Tr. eidem Ecclesiæ facta, de decimis, mancipiis & aliis universis, in Dorestad, Daventre, Tiele &c. anno 1056. in Werede.

Item emancipatio à Iure Episcopali Ecclesiarum de Bergâ & Linnâ olim facta ab Adelboldo in gratiam Balderici Episcopi Leodiensis, & à Wilhelmo Episcopo Tr. petente Thietwino ejusdem Leod. Ecclesiæ præsule, anno 1057. confirmata.

Conradus Episcopus Trajectensis XXII.

Wilhelmo Episcopo defuncto, Conradus natione Suevus electus & promotus intuitu Henrici quarti Imp. cujus (a) nutricius fuisse asseritur XXII. Episcopus constituitur. Iam filii Florentii Comitis Hollandiæ, quorum suprà meminimus, ad paternam hæreditatem aspirabant, sublato Godefrido. Cùm Wilhelmus Episcopus sperasset hæredes exterminatos & Comitatum Imperatori devolutum, impetravit illum, ut de cætero juris sui esset, & idcirco arcem in Iselmondâ incœpit munitissimam, eo anno, quo obiit, quam Conradus iste perfecit, pinnis & propugnaculis adornans. Reversus itaque ex Flandriâ Theodoricus juvenis cum auxiliariis copiis, arcem hujusmodi obsidere statuit, quibus Conradus cum valido occurrens exercitu, laborantibus suis laturus suppetias, confecto prælio, cæso & in fugam verso exercitu, ægrè se in arcem recepit, eaque validè expugnatâ sese dedere coactus est: captâ itaque arce, & demolitâ ad civitatem suam redire permittitur. Et Theodricus in Comitem sublimatur, & duxit Withildim filiam Ducis Saxoniæ in uxorem, ex quâ genuit Florentium Crassum, decessit anno M. XCI. cùm præfuisset annis XV. Sepultus Egmondæ. Paulo ante Basilica Divi Petri in montibus incuriâ aulicorum Henrici quarti Imp. apud Trajectum conflagravit, quod ille dolens, dedit ad restaurationem amplas possessiones in hunc modum, prout ipsi ex originalibus excerpsimus, ut appareat, quanta fuerit ipsorum priscorum Regum in Ecclesiam liberalitas ac pietas.

Theodoricus Hollandiæ Comes arcem Iselmundam evertit.

IN nomine sanctæ & individuæ Trinitatis, Henricus divinâ favente clementiâ Rex, liberè & perfectè regere, regnare est: Illum, per quem Reges regnant, Christum in sanctis suis honorare, inter quos cœli Ianitorem integræ fidei confessorem, Regni vel Imperii defensorem, Apostolorum principem, beatum Petrum Apostolum in reparandâ Trajectensi Ecclesiâ sua placando honorare, necessarium duximus. Quam incendio consumptam nostris peccatis imputando ingemuimus. Unde in reparatione ejusdem Ecclesiæ prædium quoddam nomine Brueche, cum universis appenditiis, hoc est, utriusque sexus mancipiis, areis, ædificiis, pratis, pascuis, terris, cultis & incultis, viis & inviis, sylvis, venationibus, aquis, aquarumque decursibus, molis, molendinis, piscationibus, exitibus & reditibus, quæsitis & inquirendis, ac cum omni utilitate, quæ vel excogitari, nominari, vel scribi poterit, sancto Petro in præfatâ Ecclesiâ combustâ firmando tradidimus, tradendo firmavimus, submonentibus ac rogantibus Berthâ & Regni & thori sociâ, Sigefrido Moguntino, Hiltolfo Coloniensis Archiepiscopis. Ruperto Babenbergensi, Ebbone * Numburgensi Episcopis, Trajectensi verò Episcopo Cunrado, eo obnixiùs, quo rectiùs, cæteris succinente, cujus Prædii situs est in pago Velue in Comitatu Diederici. Dedimus autem eâ lege, ut eadem Ecclesia sancti Petri perenniter absque omni contradictione obtineat, & interdicimus, ne alicujus violentia inde auferat vel alio trãsponat. Cujus firmæ traditionis testem chartam*

Donatur ab Henrico quarto Imp. prædium Broeck.

* In MS. Broec vel Broeckerhoven.

* al. Hamburg.

Comit. Diederici in Veluâ.

chartam præsentem scribi jussimus, quàm ut infrà videri potest, propriâ manu corroboratam, & sigilli nostri impressione insignitam omnis generationis tam futuræ, quàm præsentis notitiæ relinquimus: Signum Domini Henrici quarti Regis invictissimi, Adalbero Cancellarius vice Sigefredi Archicancellarii recognovi, Anno Dominicæ incarnationis Millesimo lxxvii. *Indictione* xv. v. *Kalendas Iunias data. Anno verò ordinationis Domini Henrici quarti Regis* xxiii. (b) *Regni verò* xxi. *Actum* Wormaciæ *feliciter in nomine Domini Iesu Christi, Amen.*

Huic Conrado Henricus quartus contulit Comitatum in Stavero, quem Egbertus Marchio Imperatoris consanguineus (qui Comites Hollandiæ ex (c) Orientali Frisiâ violenter expulerat & spoliaverat) ob perfidiam per sententiam Principum, publicus hostis judicatus, amisit, anno M. lxxvii. anno ordinationis Domini Henrici xxiv. Regni sui xxii. Imp. ii. Actum Wormatiæ.

(d) Obtinuit etiam ab Adelheyde Comitissâ, filiâ Everhardi prædium (e) Ortinam cum suis annexis, cui vicissim dedit in precarium unam curtim Verdam scilicet in Batva juxta Awich sitam, & Waticam prope Thielam, & cum domo lapideâ quatuor præbendas Trajecti. Contulit insuper Ecclesiæ (f) Trajectensi certam terram juris sui: (g) Tandem à fundamentis construxit Basilicam Divæ Virginis Mariæ in civitate Trajectensi secundum mœnia, ad similitudinem alterius Ecclesiæ juxta muros urbis Mediolanensis, in ejus honore dicatæ, per ipsum Conradum, cùm interesset expeditioni per Imperatorem factæ, In Italia dirutæ, quam abundè ditavit. (h) Tandem die quem Mercurii vocant in Paschali hebdomada peractis missarum solemnibus, dum in aulâ Episcopali solus oraret, insidiis cujusdam Frisii interimitur anno salutis M. xcix. mensis Aprilis xiv. cùm præfuisset annis xxv. Sepultus in Ecclesiâ quam ipse fundaverat; qui verò scelus perpetravit, aufugit impune, posteà Regiâ auctoritate capite plectitur. Causam mortis suæ variam scribunt, alii ab uno suorum, alii à pluribus occisum volunt, alii patrem illius architecti, qui secreto allectus pretio, templum ipsum in cœno & fluida terra fundavit, & columnas firmavit, auctorem necis asserunt, ob odium idcircò in ipsum conceptum. Ego crediderim per Egberti occisi fautores paratum dolum.

(i) De Egberto verò ita scribit Abbas Urspergensis: Recepto jam à Saxonibus pacificè Imperatore Henrico quidam Marchio Egibertus Imperatoris etiam cõsanguineus, armis strenuus & animosus atque ditissimus iterum in Saxoniâ contra Imperatorem tyrannidem suscitavit, quâ cognitâ Imperator in Franciam properè rediit.

Anno Domini Millesimo lxxxix. Imperator Henricus congregato exercitu oppidum quoddam Marchionis Egiberti in Turingia positum nimis firmum Gliche dictum obsedit. In vigiliâ verò natalis Domini, Dominico scilicet die, cùm magna pars primatum ob diem festum jam abiret. Egibertus suis consulens audacter Imperatorem invadit, & gnaviter primo resistentem tandem cedere compellit, ibi Burchardus Losannę Episcopus, qui eâ die sacram Imp. lanceam ferebat, occisus est. Anno Domini M. xc. Henricus Imperator Italiam ingreditur, ibique ferè per septem annos moratur. Prædictus Egibertus à quibusdam Imperatoris fidelibus in quodam molendino pausandi gratia deprehensus turpiter occubuit.

a *Cujus maritum fuisse asseritur,*) Sic nostri fere scriptores inter quos & Beka, tradunt. Meminêre 2. Conradi inter veteres; Sigisbertus in Chron. ad annum C. 1098. Schafnaburg. Monachus ad annum 1076., Dodechinus in appendice ad Marianum anno 1099., Abbas Trithemius Chron. Hirsaugiensi ad eundem annum.

b *Ordinat.* xxiii.] Sic textum Hedæ emendandum putavi, nam biennio ante mortem patris erat, teste Onuphrio, creatus rex, & ab Hermanno Colon. Archiepiscopo coronatus.

c *Qui Comites Hollandiæ ex Orientali Frisiâ expulerat,*] Id nunquam factum; neque Hollandiæ Comites Orientalem Frisiam possederunt; neque id in diplomatibus Henrici exprimitur, sed hostilitas in Imperatorem allegatur, quæ majoris lucis causâ hic adjungo.

Dona-

Donatio Comitatus de Staveren.

IN nomine S. & individuæ Trinitatis. Henricus divina favente Clementia Rex. Lex est & jus gentium inimicos Regis aperte deprehensos, aperte communem totius regni persecutionem pati; ut sicut perjurii infamia sunt ex leges, ita bonorum omnium suorum fiant exheredes. Insuper tam ipsi quàm possessiones eorum regali sententiæ puniendi subjaceant. Iustum est enim ut summa nequitia deprehensi summa vindicta mulctentur, & regni dominum persequentes regni persecutionem patiantur. Hæc sententia principum nostrorum judicio super Egbertum quondam Marchionem dicta est, ut quod in nos exercere non timuit, in se recipiat, videlicet ut in regno partem non habeat, qui nos integro regno privare laborat. Unde de bonis justo judicio sibi ablatis, B. Martino speciali Traject. Eccles. patrono, cui fidelis noster Conradus Episcopus præsidet, Comitatum quendam de Stavero in proprium tradendo firmavimus, firmando tradidimus ea ratione ut idem Conradus Episcopus eundem Comitatum poßideat, suisq; successoribus poßidendum custodiat. Cujus traditionis testem cartam præsentem scribi jussimus, quam, ut infra videlicet manu nostra corroboratam & sigilli nostri impreßione insignitam omnibus seculis relinquimus. S. D. Henrici IV. *Regis invictiß. Geberhardus Cancellarius recognovi Anno Domin. incarnat.* M. lXXVII. *Indict.* I. *data* III. *Kal. Novembr. anno autem D. Henrici ordinat.* XXIV. *Regni* XXII. *Actum* W*ormatiæ in Christi nomine feliciter.*

Traditio ejusdem Imp. de Comitatu in Oostergouwe & VVestergouwe.

IN nomine S. Tr. Henricus d. f. Cl. Rom. Imp. Aug: Universis Dei nostrisque fidelibus, tam futuris quam præsentibus notum esse volumus, qualiter nos Egberto Marchioni rebellionem quam ipse adhuc puer cum cæteris Saxonibus adversum nos exercuerat, cum ad requirendam gratiam nostram humiliatus fuisset, respectu ætatis ejus & consanguinitatis, quâ nos contingebat, indulsimus, sua sibi misericorditer & restituentes, & alia super addere meditantes, qui denuò non ratione, non aliqua inductus vel justa vel probabili causa, sed solo superbiæ spiritu elatus, contra pietatem justiciam, fidem & facta nobis sacra-

menta fidelitatis, non solum honorem, sed & vitam nostram impugnare conatus est. Adeo ut reconciliatos nobis Saxones & Thuringos quoscumque potuit adversus nos concitaret, & erecto sigillo Saxoniam & Thuringiam, nobis quam obtinere juraverat, prohiberet. Ob ejusmodi culpam illius comprovinciales, tam Saxones quam Thuringi cum cæteris principibus nostris coram nobis ex jure gentium inde sententiam proferentes, ipsum sicut manifestum hostem Regni & Imperii Romani persequendum censuerunt, prædio verò ejus, & quæ à nobis habuerat beneficia Imperiali nostræ ditioni & potestati adjudicaverunt, ex eisdem beneficiis B. Martino ad Ecclesiam Trajectensem, cum pro remedio animæ nostræ, tum ob fidele servitium dilecti nostri Conradi ejusdem sedis Episcopi, quendam Comitatum Frisiæ nomine Oostrogouvve & Westrogauvve cum omni jure & utilitate quam Egbertus in hoc Comitatu habuit in proprium tradidimus, cujus nostræ donationis authoritas, ut in perpetuum stabilis & inconvulsa permaneat, hanc cartam inde conscribi, quam sicut infra apparet manu nostra roborantes sigilli nostri impreßione jussimus insigniri. S. Domini Henrici Rom. Imp. Aug. Harmannus Cancellarius vice Wezelonis *Archicapellani recognovi. Data* VII. *Id. Februar. Anno ab incarn. Dom.* M. lxxvi. *Ind.* IX. *Anno autem* D. *Henrici Imp. Regni quidem* XXXI. *Imperii vero* II. *Actum in villa Thuringiæ, quæ dicitur* Wehemar. *præsente* D. *H. Imp. exercitu, mox ut in Egbertum fuerat judicium pronuntiatum. In Dei nomine feliciter.*

Extat aliud quoque diploma ejusdem Imperatoris de eadem donatione in quo omnem cum Egberto historiam plenius enarrat, & ut Comitatum prædictum Egberto ablatum & Trajectinæ Ecclesiæ datum, eidem Marchioni, veniam petenti, invito Conrado Episcopo, iterum restituerit; & hinc eidem ad priorem infidelitatem relapso, iterato ademerit ac Ecclesiæ tandem stabiliter reddiderit recenset. Datum anno C. 1089. Est præterea ab Heur. IV. Imp. donatio facta Eccl. Traject. sub Conrado Episcopo, de Comitatu Islegouwe cum omni utilitate quam habere consueverat Egbertus Marchio, privatus eodem per d. Imp. data III. Non. Apr. Anno Domini M lxxxvi. Indict. IX. anno autem Regni ejus XXXI. Imperii vero III. Act. Ratisbonæ.

d *Obinuit etiam ab Adelheyde Com.*] Cujus hæc filia fuerit ignoro. Diploma donationis hujus integrum extat in tabul. collegiorum Trajectens. ut sequitur.

Donatio de prædio Ortina.

IN nomine S. & Ind. Tr. Sciant omnes Christi fideles, tam futuri quam præsentes, quod Adelheyt Comitissa Comitis Everhardi filia ob remedium animæ suæ ac mariti sui Henrici, parentumque suorum per manum Heremanni, quem ab Imper. Advocatum acceperat, tradidit Eccl. S. Martini in Trajecto super altare ipsius, atque Conrado Episcopo

piscopo prædium suum Ortinam nominatum, cum omnibus appenditiis, hoc est: mancipiis, areis, ædificiis, pratis, pascuis, terris cultis & incultis, sylvis, venationibus, aquis, aquarumvè decursibus, piscationibus, exitibus & reditibus, quæsitis & inquirendis & cum omnium utilitate, quæ inde provenire poterit. Servientes autem ad idem prædium pertinentes ibidem in præsentiâ suâ fecit jurare S. Martino fidelitatem, & Episcopo Conrado: concessâ eis lege, qualem habent meliores in totâ familiâ B. Martini servientes: post hæc statim datis manibus Episcopo facta est ipsius, atque prædictum prædium ab eo in beneficium recepit dans ei XII. *denarios Tielensis monetæ in Signum quod idem prædium jam non esset suum, sed Ecclesiæ proprium. Interposita est autem conditio ejusmodi, ut nulli Episcoporum unquam liceat idem prædium alicui dare in beneficium. Dominus verò Conradus Episc. Comitissæ dedit in precarium duas curtes Verdam scilicet in Batua juxta Avvich sitam, & Waticam prope Tielam positam cum omni utilitate quâ ipse ante ibi usus fuerat: & cum domo lapideâ quatuor præbendas Trajecti, ap: S. Martinum, S. Bonifacium, S. Petrum & S. Ioannem: Ita ne subtrahantur ei. sive præsens sive absens fuerit. Ipsa verò Comitissa tres libras denariorum quas censuales in Ortina solvunt ad prædicta monasteria singulis annis fratribus dari constituit. Cui si quis Episcoporum de his quæ concessa sunt aliquid abstulerit; potestatem habeat ipsa recipere sua. His omnibus absque omni contradictione peractis: Episcopus banno interdixit, ne quis sive de bonis Ecclesiæ à Comitissa traditis, sive de his quæ Comitissa concesserat, se intromitteret, ac violenter in suos usus redigeret, Quicunque vero hoc præsumeret, banno subjaceret, atque omnipotentis Dei & SS. omnium contra se iram sentiret. Ut autem omnia firma & inviolata permaneant, interfuere testes idonei. Rogerus de Malsena, Heremannus de Merehen, Diedericus de Harler, Poppo filius ejus, Hemericus de Mera, Gerungus de Asper, Iohannes de Imple, Winemarus & frater ejus Adelardus filii Adelardi, Rogerus de Druten, Albero de Batenburch, Diedericus de Batenborch, Albertus de Essing, Diedericus frater ejus, Lambertus de Isendra, Weremboldus de Oya, Gyselbertus de Medel, Herbertus de Buxtel, Wilhelmus de Flagence, Rudolphus de Batenburch, Snellart de Hemerten, Hamilger de Rysvvijck Actum anno* 1188.

e *Prædium Ortinam,)* Locus est prope Buscum Ducis civitatem anno 1179. à Godefrido III. Brabantiæ Duce conditam, unde & in suburbanis pagus, & porta urbis, nomen hodieque retinuerunt. In Cod. Donationum Miræi cap. 97. est diploma Godefridi anno 1079. ubi Urtina dici videtur.

f *Contulit item Ecclesiæ Traject.)* Hoc diploma donationis Conradi extat, quidem sed minus integrum

tegrum quare illud omisi.

Extat & aliud diploma donationis ejusdem Episcopi de telonio in Smithusen, aliisque bonis Ecclesiæ S. Iohannis Bapt. in Traject. concessis, quod sequitur.

IN nomine patris &c. Cognoscant fideles tam futuri quam præsentes, quod Anselmus præpositus & reliqui fratres Ecclesiæ S. Ioannis Baptistæ in Trajecto constituti, mihi Conrado ejusdem loci Episcopo telonium in Smithusen, duos quoque mansos cum quinque mancipiis, sylvam, quam etiam forest vulgo nuncupant in loco Wanleco nominato, cum omnibus appenditiis, dederunt: pro istis autem dedi eis Ecclesiam in Fronekeram, cum tribus appenditiis capellis, liberam à circatu & censu, à denariis quoque oblationes vocant, & terram palustrem in Everekestdorpe, tantæ latitudinis superius, quanta erat terra earum inferius in longitudine, pertingentem usque ad Trenscoten & Furs prout secundum positionem locorum saltus hos habuerit oppositos; aliam quoque, quam vulgari nomine vocant quadraginta houvas, terram palustrem in Mydrecht dedi eis, hujns discretæ longitudinis, ut ex uno latere ipsi & habitatores de Abekevvalde palustrem illam terram ex æquo dividant, & ad se invicem nullo intervallo collimitent, ex altero vero latere d. terræ palustris, idem sit terminus qui findit terminum Episcopatus & Comitatus, & idem sicut ex superiori latere nullo intervallo usque ad terminum Comitatus ipsi fratres terram illam possideant. Has vero terras tali pacto dedi eis, ut si quando inhabitentur, decimæ & placita & omnis ecclesiastica & laycalis justitia ad eos solum pertineat. Hujus quoque rei testes subscripsimus Lanzonem majorem domus S. Martini præpositum Trajecti, Adelhardum præpositum S. Salvatoris ibidem, Rudolphum præpositum S. Petri, Liebertum præpositum in Aldenzele, Egbertum Decanum, Lambertum, Engelbertum præpositos, Wezelinum Decanum, Theodoricum Comitem Hollandiæ. Et ut inconvulsus contractus iste permaneat sub anathemate firmavimus, & sigilli nostri impressione signavimus, & cartam hanc testimonio futuram sub prædictis præsentibus testibus dedimus. Anno Dominicæ incarnationis M lxxxv. *Indict.* VIII. *Anno præsulatus mei* IX. *Regnante Henrico Imp.* IV.

g *Tandem à fundamentis construxit.)* Sumptus ex parte tribuente Henrico IV. Imp. Meminit hujus fundationis diploma successoris ejus Burchardi, cujus verba ad Chronicon Bekæ retuli. Goulutius Fredericum Imp. hujus templi conditorem facit, sed tempora non conveniunt, ut qui anno tandem 1152. regnare incœpit.

h *Tandem die, quem Mercurij vocant,)* Causam necis in dubium videtur vocare Heda; sed quæ ultimo loco adfert, mihi omnibus modis probantur. Nam quæ de architecto narrantur, famâ quidem vulgi testata sunt, at nullus accedit idoneus auctor; imò ne ipsi archivorum diligentissimi scrutatores, in historiâ nostrâ haudquaquam rudes, inter quos doctissimus vir Lambertus Burchius, ipsius collegii Mariani, dum viveret Decanus, qui etiam minima quæque excussit, certi aliquid adferre potuerunt.

Sigisber-

Sigisbertus ad annum 1098. *Conradus Vltrajectensis Episcopus feriâ quartâ Paschæ post missam à se celebratam à quodam suorum in domo suâ perimitur.* Dodechinus ad annum 1099: *Conradus Traject. Episcopus 4. feria Paschæ à negotiatore Frisio crudeliter occiditur.* Est autem magis verisimile, quandoquidem à Frisio interemptus traditur, in vindictam Egberti Marchionis, cujus bona jam triplici donatione ab Imperatore acceperat; quinque ante annos 8. vel 9. occisus erat à Ducibus Imp. cædem illam ab amicis Egberti bona repetentibus esse procuratam: Urspergensis Abbas ita tradit: *Hoc anno (nempe 1099) Chunradus Trajectensis Episcopus à suis occisus est.* Adjungam & aliud, unde odium Saxonum contra Imperatorem & Episcopum satis superque patet, ex Bertoldo Constantiensi ferocissimo Imperatoris hosce sic scribente ad annum 1099: *Conradus non Episcopus sed Schismaticus, turpiter à quodam occisus, interiit, quem ipse deprædari præcepit*, quibus ille verbis opinionem nostram aliquomodo probare videtur adde quæ ad Becanum Chron. notavi.

i *De Egberto verò,)* Hic Egbertus teste Onuphrio, fuit etiam Thuringiæ Marchio, ac tyrannidem contra Henricum 4. Imp. arripuit anno 1085; occisus insidiis quorundam Ducum Henrici in Saxonia anno 1090. Sigisb. in Chron. *Saxones iterum rebellant incentore Egberto*: & post anno C. 1090. *In Saxonia Egbertus Comes dum fideles Imp. bello insequitur, & ipse perimitur.* Schafnaburg. Monachus „ ad annum 1089: Sextum bellum committitur inter Imperatorem & Egbertum Marchionem, qui „ Egbertus inde juxta aquam Sclicha in molendino quodam miserabiliter interfectus occubuit. Meminerunt hujus præter Abb. Urspergensem, Crantzius, Cuspinianus, Carrio vel ad hunc Peucerus, Haræus, Emmius, vita Henrici IV. Imperatoris, alii plures.

Burchardus Episcopus XXIII.

BUrchardus Conrado successit in Cathedra XXIII. Episcopus, vir admodum pius & prudens, cujus genealogiam non inveni. Hic etiam ordines manu propriâ contulit & consecravit Presbyteros & Diaconos. Præfuit annis XIII. decessit anno salutis M. CXII. XV. Kal. Iunii, sepultus in Occidentali parte Ecclesiæ Trajectens. tempore Henrici quinti: anno scilicet M. C. primo, vel circa Henricus (a) Crassus Germanus Cunonis, filii Ducis Ottonis, fraude ipso Cunone occiso in itinere natu senior, dum in Frisiæ Marcam, cui præerat, res acturus, proficiscitur à vulgaribus Frisonibus, quibus Dominationis suę jugum grave fuit, obsequium spectans, vallatur, re quoque cognitâ, fugiens ad mare, vulneratur à nautis, simul & suffocatur. Hujus tanti viri, qui nimirum totius Saxoniæ Principatum secundus à Rege regebat, interitus, ab universo regno Teutonico graviter ferebatur. Fuit Marchio in Saxonia potentissimus. Hic Burchardus adjudicavit prædium situm (b) inter Leckam & Ligniam flumina, per Arnoldum de Rothe, & Henricum de Kuyck diu occupatum, ecclesiis majoris & sancti Salvatoris Trajectens. & ut liceat eis ibidem matrem Ecclesiam constituere, indulsit. Anno Millesimo centesimo octavo.

Otto Sax. Dux Bavarię pater Henrici Crassi & Cunonis.

a *Anno 1101. Henricus Crassus Germanus Cunonis,)* De cæde hujus Cunonis, sive Conradi Palatini Saxoniæ vide Reusner. in stemmate Witichindæo pag. 22. ubi dicit eundem noctu familiarium suorum ab Imperatore pecuniâ corruptorum scelere in cubili suo jugulatum anno 1103. Henricus verò crassus Dux Saxoniæ ad Visurgim, Comes Northemius ducta Gertrude F. Egberti 2. Saxoniæ Marchion. Brunswicensem ditionem cum eadem dotis nomine acceperat; & ob virtutem Frisiis præfectus datus: per insidias ab iis trucidatur anno Chr. 1100. Fabritius Saxon. lib. 2. hæc ita tradit: *Henrico Duci Gotingensi ad Visurgim Frisiæ præfecturâ propter virtutem committitur sed quia à multitudine acceptus simulanter est, ei exitium obsequii & honoris specie, meditabantur. In itinere ad Nordam oppidum cum positas sibi insidias intelligeret, ad mare confugit, ibi vulneratus à nautis & fluctibus submersus est.* Non insidiis, sed bello apeto occisum vult Ubbo, lib. VI. rer. Fris. ubi pluribus rem totam explicat. vide & Crantz. Saxon. lib. V. cap. 14. Urspergensem Abb. Conradum à Liechtenauw in Henrico V. Imp.

b *Hic, B. adjudicavit prædium situm inter Leckam, &c.]* Hujus rei diploma sequitur integrum:

Burchar-

Burchardi adjudicatio cujusdã prædii Capp. S. Martini & Servator.

IN nomine S. & Indiv. Trinitatis, & in honore S. Salvatoris, S. Martini & omnium Sanctorum. Cum discordiæ seminatores Prophetică Deus asseratur attestatione detestari, multo magis ab eodem pacis auctore credendum est concordiæ æmulatores approbari. Ego ergo Burchardus Dei misericordiâ Episcopus, quia Dei prædio quod inter Leckiam & Lingiam fluvios situm est, non minimas litium flammas, diutissime ad meum tempus usque deductas, inter duas congregationes S. Martini & S. Bonifacii, & nunc inter Arnoldum de Rothe & Henricum de Kuch ipsorumque coheredes invaluisse consideravi, ut illas extinguerem, meorum fidelium tam clericorum quàm laycorum quantum ullum sanius inveniri potuit, inii consilium. Facta itaque ejusdem divisione prædii, sub hujus probata conditione consilii; postquam quod his duabus Ecclesiis & Arnoldo de Rothe & Averarde vidua Henrici de Kuch jam mortui determinatum est, deberet contingere, ego cum earundem Ecclesiarum Radulpho scilicet S. Martini, Herimanno verò S. Bonifacii Præpositis per manum Wilhelmi *legitimi mei Advocati, Idemque Arnoldus & eadem Alveradis, cum ipsorum, ut dictum est, hæredibus, quicquid nobis cum eis ipsisque nobiscum disconvenerat invicem effestucavimus, factâ inter nos & ipsos firma & immobili ejusdem prædii disjunctione. Ego verò & respectu retributionis divinæ, & ea quam eædem Ecclesiæ in hoc prædio antiquitus habuerunt, justitia exigente, censum, decimam & omnem sæcularem Iustitiam, cum omnibus quæ de cultis & incultis postmodum ibidem possent provenire, ad has duas Ecclesias in perpetuum usum prædictorum Præpositorum contuli, & fratrum earundem congregationum. Insuper hanc eis concedens potestatem, ut ubicunque in hoc prædio eligerent matrem ecclesiam, & ab omni Episcopali jure liberam, ædificarent. Quod ut ratum maneat & stabile, hanc cartam & sigillo confirmavi, & hos testes fideles adhibui, præpositos Radulphum S. Martini, Harmannum S. Bonifacii, Anffridum S. Petri, Rodulphum de Aldenséle, Canonicos S. Martini Albertum, M. Lambertum, Blidgerum, Luzonem. S. Bonifacii, Razonem, Dodonem, Theodoricum. Laycos liberos;* Wilhelmum *Advocatum, Giselbertum de* Werde, *Fredericum de Haveskesdrecht, Theodoricum de Trajecto, Giselbertum de* Welle, *Hubertum de Utwijck,*

Harman-

Harmannum Vist, Gerardum de Oye, Hezelonem de Helmund, Hugonem de Vorne, Razonem & fratrem ejus, Wezelonem de Trecht, Gerardum de Paveke, servientes: Galonem, Ansfridum Knijf, Gerfridum, Lancfridum, Gelperadum, Ensfridum de Munchem, Ulfgerum, Lubbertum, Werenboldum. In omnium istorum præsentiâ, nulli penitus, Comiti vel Advocato in supradicto prædio & ipsius cultoribus aliquam concessi potestatem, nisi tantum earum ecclesiarum Præpositis, & suis quos ibi constituerunt Villicis. Actum est publicè Anno Domini M. CVIII. Ind. I. Idus Aug. sub Regno Henrici V. præsidente S. R. Eccl. Pascale.

Burchardus donat Capitulo S. Ioannis quædam bona.

IN nomine &c. Notum sit omnibus Christianis &c. Quod ego Burchardus Trajectensis sedis Episcopus, pro remedio animæ meæ D. Iohanni & Canonicis ejus dedi Ecclesiam Thiedradeskercke sitam juxta Duble, cum decimâ & omni utilitate, quæ ad eam pertinet. Concessi autem eam liberam à censu & à circatu: tantum denarii, quos oblationes vocant, inde solvantur, & ad executionem Synodalis justitiæ præposito suum servitium detur, & ut istud firmum permaneat, Hanc cartam fieri præcepi, & impressione sigilli mei stabiliri. Si quis verò irritum facere voluerit & à fratribus istis hanc ecclesiam alienare voluerit, ira Dei maneat super ipsum, & anathemizatus omnibus Christianis sit, sicut Ethnicus & Publicanus. Hujus rei testes sunt clerici: Rodulphus Præpositus, Herimannus Præpositus, Othelricus Præpositus, Focco Præpositus, Lambertus Magister, Albertus, Luithardus, Rodulphus, Blidgerus; layci Florentius Comes de Hollant. Henricus de Kuc, Harmannus de Merehem, Wichardus Comes, Dodo de Furholt, Costetin filius Ionis, Arnoldus & multi alii. Actum est hoc anno Dominicæ incarn. M C I. Indict. IX. regnante IV. Henrico Imp. anno Regni ejus 45. Imperii 17. Episcopi dom. Burchardi anno secundo.

De lite inter Ecclesias de Slidrecht & de Houweningen.

NOtum sit, quod ego Burchardus D. gr: Traj. Episc. controversiam, quæ erat inter homines de Slidrecht & illos de Hougninke, quã

rectiùs potui secundam veritatem, & justitiam terminavi. Controversia autem erat hac: Quod illi de Hougninke *dicebant* Ecclesiam *suam Bottelkercke vocatam, matrem esse per se liberam, & ecclesiæ de Slidrecht non debere esse subjectam, controdicentibus illis de Slidrecht. Auditi sunt utrique in præsentiâ meâ; & illi de* Hougninke *prolatâ in medium cartâ, quam dederat eis Conradus* Episcopus, *conati sunt per illam causam suam roborare: qua tamen plenè, & diligentissime examinatâ, quia legitima non erat, recto judicio repudiata est, & ita causa eorum de Slidrecht invaluit, atque decretum est, quod homines de* Hougninke Ecclesiæ *de Slidrecht deberent esse subditi &c.* Et *ut in hac re decreti nostri auctoritas stabilis semper permaneat, cartulam hanc inde conscribi, & sigilli nostri impreßione roborari & insigniri jussimus. Testes affuerunt idonei &c. Rod. majoris Ecclesiæ Præpositus, Harmannus Præpositus S. Bonifacii, Godebaldus Præpositus S. Iohannis, Engebertus Præpositus de Elste, Adelbertus Capellanus Episcopi. De S. Bonifacio; Bazo, Dodo, Evervvacrus, Theod. Adalhardus: De S. Petro; Sigbaudus, Lantfridus; De S. Ioanne, Fredericus:* De *S. Mariâ, Rudolphus,* Wezelo. *Presbyteri Parochiani; Hugo de Papendrecht, Sigfridus de Duplemunda, Franco de Heradeskerke, Engelfredus de Almisuethe, Giselbertus de* Wolfgersdijcke, *Evervvacrus de Fornhe, Ravengerus de Herdingfelde, Adelhelmus de Riede: Servientes Episcopi; Otto Castellanus, Galo Scultetus, Anssridus Schultetus de Muthen,* Wolfgerus Schultetus *de Amestelle.* De *Trajecto: Ansfridus, Giselbertus, Abbo, Lieferus, Gelpradus, Lantfridus, Arnulphus, liberi homines Altgerus,* Wolbodo, *Aldraven, Evervvalo,* Silephs, Sibrandus, *Fredebartus, Leo, Adeboldus, Everbalgerus, Herebrandus, Isbodus. Actum est hoc anno Dom. incarn.* M C. V. *Indict.* XIII. *Regnante Henrico* IV. *Imp.*

Burchardi Donatio Eccles. in Wasiâ ad S. Salvat. Collegium.

IN *nomine* S. & *Ind. Trinitatis, & in honorem omnium* SS. *Cum opera misericordiæ impensa minimis Christi, Christum reficiunt, speramus etiam illum honorari in illis qui quolibet & humili loco teneantur apud homines, apud* Deum *probantur, meritis excelsi. Ego ergo Burchardus divina misericordiâ Episcopus contuli sanctis ad Ecclesiam* S. *Salvatoris, quæ vetus dicitur, Ecclesias de Bockholt, & eccles. de* Havesche

Haveſche, & Eccleſiam de Axele & Capellam de Hulſt, cum omnibus appenditiis, earum decimis majoribus & minoribus, cultis & incultis, acquiſitis & acquirendis in perpetuum. Volens & conſtituens, ut quod pro meis neceſſitatibus de theſauris Eccleſiæ mutuum accepi, prius ad plenum reſtauretur; poſtea verò pertineat ad tectum reficiendum & ad luminaria, ut per merita ſanctorum mea tecta ſint peccata, & ipſi impetrent lucernam pedibus meis in die tenebrarum & caliginum. Dimiſi etiam ipſas Eccleſias liberas à circatu & ab omni Epiſcopali ſervitio, niſi fortè ſit opus in patriâ viſitatione, & præſentiâ Epiſcopi. Quod ut ratum maneat & ſtabile, fideles teſtes in traditione adhibui, cartâ & ſigillo præcepi confirmari. Actum publicè, anno ab incarnatione domini M C VIII. *Indict.* I. *ſub regno Henrici* V. *ſub ſacerdotio Paſchalis Papæ, Burchardo in Trajecto præſulatum agente, ſub præſentiâ & teſtimonio iſtorum Cler: qui ſunt Anſfridus, Luthardus, Engelbertus Præpoſiti, Lambertus. Razo, Adelardus, Gerbertus, Everwacrus, Albero, Theodor. Ubio, Wichardus, Remfridus, Lebuinus, Reynoldus, Otto, Franco, Gevebardus, Canonici. Layci verò Wilhelmus Advocatus, Wilhelmus Comes, Godefridus, Giſelbertus: & hi liberi, Otto, Ialo, Giſelbertus.*

Godebaldus Epiſcopus XXIV.

SEquitur Godebaldus Friſius, uti volunt, XXIV. Epiſcopus, non impar meritis ſuorum prædeceſſorum, religionis obſervantiſſimus. Hujus tempore Bernardus Clarevallenſis celebris habetur, & Henricus quintus anno M C XIV. contra (a) quoſdam in locis paluſtribus, ultra Friſonum Inſulas habitantes, navalem expeditionem multo ſtudio inſtituit, ſed rebellione Agrippinæ Coloniæ revocatur. Hic Epiſcopus in territorio Trajectenſi in loco (b) paluſtri, qui idcirco Ooſtbroeck dicitur, conſtruxit Monaſterium pro commoditate *Ooſtbroeck*
Religioſorum virorum & fœminarum, in honore Beatæ Mariæ, ac Laurentii Martyris, quod *Monaſterium carcer*
propter ſtrictam Religionis obſervantiam, (c) Carcer ordinis pridem dictum volunt, ſub pro- *Ordinis.*
feſſione ſancti Benedicti. Anno M C XXII. Idem (d) in Middelburgo oppido Walacriæ Canonicos Regulares propter eorum petulantiam amovens, Religioſos ordinis Præmonſtratenſis, ex Antwerpiâ in locum eorum accitos, inſtituit. Paulo (e) ante, videlicet M C XXI. *Florentius*
VI. Non. Martii obiit Florentius Craſſus, Comes Hollandiæ VIII. fraterno (f) amore Tra- *Craſſus Co-*
ject. junctus Eccleſiæ, cùm præfuiſſet annis XX. tumulatus Egmondæ. Cujus uxor (g) Pe- *mes Hollan-*
tronella conſtruxit Monaſterium juxta arcem ſuam in Reynſburch, ubi & quieſcit, cui ſuc- *diæ moritur.*
cedit Theodricus ejus filius Comes IX. ducens in uxorem Sophiam filiam Ottonis Comitis Ricomagi, ex Principibus Palatinis, ex quâ genuit Florentium ſucceſſorem, Ottonem Comitem de Bentem, Baldevinum Epiſcopum, & Peregrinum (h) Præfectum arcis Leydenſis, ac tres filias. Item Henricus quintus Imp. donationem de Iſla & Lecke confirmavit. Sub eodem tempore idem Henricus Imp. Pentecoſten apud Trajectum celebrat, ſuboritur levi ex cauſâ tumultus inter aulicos Cæſaris & Epiſcopi, ita ut Epiſcopus intra Monaſterium, aliquibus ex ſuis captis, aliis trucidatis, ſalutem quærere impelleretur, captus tamen coram Imperatore ſiſtitur, & cuſtodiæ mancipatur, à quâ non (k) longo poſt tempore elapſus eſt. Volunt hujus tumultus auctorem fuiſſe quendã Giſelb. Epiſcopo infeſtũ*, quem Imp. pœnâ capi- *al. infenſum.*
tali animadvertendum cenſuit. Abbas tamen Urſpergenſis hoc modo ſcribit: Anno Domin. »
incarnat. M C XXIII. Imp. Henr. natalem D. Traj. celebravit. Oritur in ipſis dieb. quædã inter »

Seditio Trajecti inter Episcopi & Imperatoris officiales.

» Aulicos sc. & Episcopi Ministeriales, quæ etiam eò processit, ut universâ curiâ simul & civitate commotâ, utriusque partis armatæ concurrerent cohortes; fit clamor confusus, quasi à Trajectensibus in Imp. conjuratio sit facta; sicque illis irruentibus & istis resistentibus, acris committitur pugna, adeò ut multi caderent, plures de oppidanis caperentur, reliqui in turrim firmissimam, quæ illic erat, confugerent. Pontifex etiam ipse quasi pravi consilii particeps, & ob hoc Majestatis reus habitus, custodiæ traditur, à quâ posteà magnâ pecunię summâ mulctatus, multis etiam primoribus illarum partium intervenientibus, & maximè Frederico Coloniensi Archiepiscopo, vix redimitur. Demum apud eandem civitatem Pentecosten celebraturus, ægritudine, quâ diu cælaverat, superatus ad extrema cœpit propinquare, vocatisque qui secum aderant, id est Reginâ Machthilde conjuge suâ, cæterisque primatibus, prout potuit de Regni statu consilium dedit. Coronam, cæteraque Regalia usque ad conventum Principum conservanda, in castello firmissimo, quod Hamerstein dicitur, reponi disposuit, sicque viatico Christi Sacramentorum communicans, diem claudit extremum x. Kal. Iunii. Cujus corpus more Regio curatum, Spiram est delatum, & coram multitudine Nobilium & inferiorum, clericorum atque laicorum, juxta majorum suorum Mausolea, honorificè conditum, anno Regni sui xx. Imperii verò xiv. Hic primo sub specie religionis patrem excommunicatum Imperio privavit, confirmatus in honoribus, mores mutavit: sed post injurias Apostolicæ sed illatas, semper se ipso inferior fuit. Cœpit etiam tunc germinare discordiæ illius seminarium, quæ sequenti æstate maximo illius regionis damno (quæ vulgo *Hollandt* vocatur.) morosè & laboriosè, & vix tandem ipso Imperat. copiosum exercitum ducente, terminabatur. Ubi matronâ quædam, cujus nomen excidit, soror nimirum Lotharii Ducis, cujus & patrocinio confisa Imperatori rebellare præsumebat. Anno verò M. CXXIV. Henricus Imperator movit expeditionem contra eos, qui sibi in Regione *Hollant* contrarii existebant. Hisque licet tardè subactis, ad superiores se partes contulit. Dicta fuit ista Petronella uxor Florentii Comitis, & soror Lotharii posteà Augusti.

Henricus quintus, moritur Trajecti, & sepelitur Spiræ 10. Kal. Iunii 1125.

Huic Godeboldo (m) Calixtus Romanus Pontifex, ex concilio Remensi, dum malâ valetudine laboraret, per epistolam suam absentiam excusanti, & petenti pro se & successoribus, concessit mitram ac Infulam Pontificiam, quâ Episc. Traject. ob clades passas, multis ante actis annis, usi non sunt. Hic Episcopus recuperavit bona in Siselich alienata, anno M C XX. Et Henricus Quintus Imperator donationem de Comitatu Frisiæ, per genitorem suum Conrado Episcopo factam, renovavit.

TRADITIO MITRÆ PER CALIXTUM.

Calixtus Episcopus servus servorum Dei. Venerabili fratri Godebaldo Trajectensi Episcopo salutem, & Apostolicam benedictionem: Nos quidem personam tuam interesse concilio sperabamus; cæterum sicut ex fratrum tuorum quos ad nos misisti, assertione cognovimus, in itinere à Deo *impeditus es, ut ad nos, sine graviore periculo minime potueris pervenire, propter quod absentiæ tuæ paternæ dilectionis intuitu parcimus, confidentes quod in Dei & Ecclesiæ tuæ servitio deinceps secundum facultatem perseverare fideliter debeas; porro Præpositos illos, qui à te tua vice invitati ad con-*

ad Concilium se minime præsentarunt, discretioni tuæ committimus, quatenus Canonicam de eis justiciam exequaris: quod enim auctore domino inde à te factum fuerit, hoc ratum habebimus. Præterea pro commissæ tibi Ecclesiæ reverentiâ, & nostræ diutina ad invicem dilectionis affectu Episcopalem mitram tibi, tuisque successoribus conferendam concedimus. Datum Remis III. *Kal. Novemb. Indict.* XIII. *(id est,) anno* 1120.

IDem Henricus confirmavit Donationem de Islâ & Leckâ anno M. C. XXII. Trajecti. Hic idem (n) præbendam Episcopalem perpetuò adjunxit Decano majoris Ecclesiæ, uteabatur hoc Proverbio: Corpus dum arctatur penuriâ, haud facilè contemplatur cœlestia. Et similiter Ecclesiam in Occidentali Frisiâ, quæ Medenblick vocatur, cum suis appenditiis & censu ad Cameram Episcopalem pertinente, liberam à circatu & oblationibus contulit Canonicis Trajectensibus. (o) Restituit etiam, dictante Lothario Aug. per Iustitiam præposito Majori paludem ad Amerongen, & Thornen & Coten, quam ipse alienaverat, illo nolente pro necessitate suâ, credo, redemptione captivitâtis, cum decimis, exceptis iis quæ pertinent ad Ecclesiam de Amerongen, tam in paludibus, quàm in montibus. Synodalem quoque Iustitiam tam illâ de palude, quàm de aliâ in Wercunden & Zeist adjacente supradictæ paludi ex eadem parte Rheni. Actum anno M. C XXVI. Episcopatus sui XII.

Circa eadem tempora puta M. C XXV. (p) Mathildis Regina contulit ecclesiæ Trajectensi proprietatem suam in Richtkercke pro salute Henrici IV. Imp. consortis sui pro perpetuis cereis, qui Henricus hoc tempore concessit naturæ apud Trajectum, cujus intestina recondita sunt in medio choro majoris Ecclesiæ, juxta viscera Conradi Imp. proavi sui; cui successit Lotharius.

Godebaldus tandem ingravescente morbo, professionem Monachalem Divi Benedicti in Oostbroeck assumens, plenus sanctitate decessit, anno salutis (q) M. C XXVIII. secundo Idus Novembris, cùm præfuisset annis XV. Ecclesiæ Trajectensi, sepultus in eodem Monasterio.

a *Contra quosdem in locis palustribus,*) Hæc ferè ex Abbate Urspergensi sumpta sunt, quædam etiam videtur attingere Ubbo Emmius Frisic. lib. 6., sed anni non conveniunt, nec constat satis Hollandosne an Frisios Imperatori rebelles vocet, cum & illi Frisiorum tunc nomine continerentur.

b *Qui idcirco* Oostbroeck *dicitur,*] Abbatiæ in Oostbroeck & Vrouwen-Clooster / anno 1125. à Godebaldo Episcopo dicuntur fundatæ jam ante ab Hermanno & Theodorico militibus inchoatæ, & à Mechtilde Henrici V. Imperatoris conjuge dotatę, anno 1122; à Pontifice demum confirmatæ, cujus diploma est apud Bekam.

c *Carcer Ordinis,*] Hinc Rupertus ad regimen Abbatiæ Tuitiensis adstitus, propter singularem ejus in sacris literis scientiam, teste Trithemio de scriptoribus Eccles.

d *In Middelburgo Oppido can. Reg.)* Id factum circa annum 1122. Ejus meminit Guicardinus in descript. Belg. dicitque Abbatiam illam vulgò S. Nicolai vocari, eamq; à Godebaldo quidem reformatam, sed per Guil. Rom. Regem, Hollandiæ Comitem quasi de novo restauratam, cujus ibidem ossa à Frisiis ablalta, sepulta sunt: vide Reigersb. Chron. Zeland. cap. 20. & 28.

e *Paulo ante videlicet* 1121,] Scriptores varrant; Bockenbergius anno 1123. mortuum tradit, postquam 31. annis præfuisset, Barlandus & alii 22. tantum ei annos tribuunt, videantur accuratissimæ Scriverii notationes ad Annal. vulgares Holl.

f *Fraterno amore Ecclesiæ Tr. junctus,*] Chronicon Magn. Belg. confratrem Ecclesiæ Trajectinæ vocat Florentium, & sanè magni olim principes se in numero Ecclesiasticorum haberi, summæ pietatis esse credebant. Hinc circa hæc ferè tempora 6. Regum, 24. Ducum, 29. Comitum, filios Ecclesiæ Leodiensi adscriptos legimus, & Robertum Francorum Regem inter Cantores in templis psallere solitum. Quin & Imperatores se inter Canonicos numerare patiebantur; quod præbenda Imperialis in Ecclesia Traject. satis superque demonstrat; de quâ extat in libro, quem Cameræ vocant, sequens diploma:

Henricus divina favente Clementia Rom. Imp. semper Aug: & Rex Siciliæ, fidelibus suis, Præposito, Decano, totique Capitulo S. Martini, majoris Ecclesiæ Trajectens. gratiam suam, & omne bonum. Quum antiquissimis retro temporibus Romanorum Reges & Imperatores antecessores nostri vestram sint experti devotionem, eo quod communi electione & canonicâ Regem Rom: seu Imperatorem pro tempore existentem, & eorum successores, in Canonicum Ecclesiæ vestræ, & fratrem elegistis, *faciendo præbendam ipsius debit. Offic. per duos sacerdotes à Rege, vel Imp. instituendos, qui pro Regibus & Imperatoribus, ac tranquillitate pacis & Regni dominum incessanter exorarent; proinde nostrâ Imp. Excellent. ad nostram Ecclesiam protectione tenebimur speciali, verùm quia nostræ Excellentiæ innotuit, quod mortuis sacerdotibus prædictis, Regibusque & Imp. interdum in remotis agentibus, neglectum est hujusmodi in vestra Ecclesiâ instituere sacerdotes. Et cum de his quæ ad Deum sunt, major à nobis diligentia requiritur; nolentes per hujusmodi negligentiam Ecclesiam nostram debitis in hac parte privare obsequiis, Regiâ auctoritate statuimus, ut stipendium præbendæ nobis assignata per manus Theodorici Decani ipsius majoris Ecclesiæ, ejusque successoribus in perpetuum duobus sacerdotibus conferatur. qui illud deservire, &, ut præmittitur, pro nostrâ salute & Imperii tranquillitate idonei existant dominum exorare. Et ut hæc rata maneant, & inconvulsa perpetuò teneantur, sigilli nostri impressione hanc cartam jussimus insigniri. Datum anno Regni nostri* XI. *Indict.* VI. *mensis Maji die* XVI. *In Christi nomine, Amen.*

g *Cujus uxor Petronella,*) Hanc virilis animi mulierem provinciam pro filio rexisse tradit Ubbo Emmius; ac in se arma Imp. Henrici V. concitasse, quod pluribus circa annum C. 1124. exequitur Abbas Urspergensis in Chron. Stokius in Rhythm. de Petronellæ regimine, hæc tantùm.

Ende sy bleef houdende voort an,
Dat Graefschap van Hollant ghemene,
Met haren Kind'ren die vvaren clene.

De fundatione verò Monasterii in Rynsburch, idem sic scribit;

Ende vvas te Reynsburch begraven,
Dat sy sticht met haren haven,
In de ere der moeder ons Heren
Aldaer leghse noch met eren.

Plura apud Scriverium videnda.

h *Peregrinum præfectum arcis Leydensis,)* Bockenbergius hunc quidem Burchgravium dicit, sed non addit Leydensem, malim ergo Burchgravium Zeelandiæ scribere, hi enim à Peregrino illo descendisse se volunt. Huterus vocat gubernatorem Hollandiæ. Snoyus inter liberos Theodorici hujus *Peregrinum* refert, *primum Dominum de Voirn, Vicecomitem Zeelandiæ, à quo dominos Voirnenses, dominos à Renesse, & ab Heenvliet ulterius descendisse constat*: Certè inter Leydenses Burchgravios nullus Peregrinus invenitur.

i *Sub eodem tempore Henricus Imp.*] Conr. à Liechtenauw Abbas Ursperg. hæc fere in sequentibus narrat, sed paulo aliter; & quæ hic habentur de Giselberto, sunt in appendice ad Marian. Scotum Dodechini hisce verbis ad annum C 1129. *Rex purificationem B. Virginis Mariæ ap. Altenam civitatem fecit, ubi Giselbertum Trajectens. Ecclesiæ oppressorem decollari fecit 4. Id. Ianuarii.* Quis hic Giselbertus fuerit non liquidò constat, civitatem verò Altenam non ita longe hinc dissitam, sunt quæ suadent credere. Inveniuntur nihilominus ap. Hoeningiũ in opere Genealogico, ubi de Honsteiniis agit, quæ huc faciunt sequentia verba: *Chronicon Hildesheimense refert Giselbertum Laræ dominum (qui Vdone Episcopo mortuo, cujus fuerat Advocatus, cum fratribus, pluribusque Vdonis consanguineis in clientelam Godebaldi Episcopi Trajectens. se dederat,) anno 1123. jubente Imperatore, diris modis trucidatum: reliquis fuga dilapsis.*

k *Non longo post tempore,)* Mersæus per triennium in carcere detentum Episcopum scribit: quod fere ad Imp. obitum fuit, qui anno 1125. Trajecti mortuus dicitur.

l *Cœpit etiam tum germinare,)* Hæc ex Ursperg. Abbate transcripta sunt: Annales tamen nostri harum controversiarum ne meminerunt quidem.

m *Calixtus Rom. Pontifex Concil. Remens.*] Hoc concilium anno 1. Calixti II. P.R. congregatum est, 426. fratrum, teste Onuphrio in Chronico Ecclesiastico; Bellarminus de eo nihil in Chronol. suâ; ut nec Mageburgenses scriptores, aut Platina in vitis Pont. Rom. At Massonus lib. 3. Annal. Franc. Calixtum hac Synodo Remensi Henricum Cæsarem Ecclesiæ hostem pronuntiasse scriptum reliquit, eamque fuisse potissimum causam ejus celebrandæ. Meminit Ursperg. in Chron. ad annum C. 1115. Hessonis cujusdam qui Tractatum pacis inter Calixtum & Regem Henricum scripserat sed frustra; hic investituræ Ecclesiarum per manum laicam abrogantur sub nomine Symoniæ, plurimis tum id graviter ferentibus, hic & presbyteris ac diaconis matrimonia prohibentur, vocaturque divinum institutum immunditia: Hic solemni admodum pompâ, referente Hessone supra nominato, accensis 427. candelis excommunicatio peracta. Adde quæ traduntur in vitâ Altmanni Episcopi Pataviæ ap. Bavaros. Quæ vero ad Godebaldum Episcopum Tr. spectant, & privilegium gerendæ deinceps Infulæ, ejus rei diploma, quod extat suprà.

n *Hic idem præbendam Episcopalem adjunxit Decano,*] Meminit hujus rei Chron. Magn. Belg. fol. 158. & extat diploma sequentibus verbis, in Archivis, libro dicto Cameræ:

Notum sit omnibus fidelibus sanctæ Ecclesiæ & huic congregationi Deo & S. Martini devotis; Quia placuit domino ac vener. Episcopo Godeboldo misericorditer quotidianam solicitudinem Decani majoris Ecclesiæ attendere: cujus volens laborem aliquâ temporali consolatione relevare juxta commune consilium Præsulatus sui, præbendam suam in eâdem Ecclesiâ eidem perpetuo locavit. Decrevit siquidem hoc beneficium præbendalis stipendii per singulas successiones, tam Præsulum quam Decanorum *ita formare, ut post discessum unius, sine omni contradictione alterius in eandem sedem succedentis, Decanus præscriptus beneficium stabiliter obtineat. Quod si etiam is qui eligendus in Episcopũ erit, non fuerit ibidem Canonicus (quod fieri potest) nihilominus tamen Decanus præbendam illius qui obiit scilicet beneficium suum firmiter tenebit, donec ille fiat Canonicus, qui Episcopo successit; cui iterum substituetur Decanus quasi hæres præbendatus, & lege perpetuâ vicarius. Dispositum est præterea ordinabiliter ab eodem Episcopo Godeboldo unanimi & eorum qui præsentes aderant; Quatenus ipse Decanus præfatæ Ecclesiæ generalem Synodum ad honorem*

Dei & Christianæ religionis observet ad deputationem Abbatis S. Pauli Synodaliter indutus. Ut autem stabiles sint & inconvulsæ hujusmodi traditiones, sigillo ejusdem Episcopi præsenti ceræ impresso firmatæ sunt, Anno Dominicæ incarn. M C XVIII. *Indict.* XII. *quarto verò ordinationis anno God. piæ record. Episcopi, coram idoneis testibus, Mengodo Majoris Ecclesiæ Præposito,* Willibrando *S. Pauli Abbate, Hermanno S. Bonifacii Præposito, Theodorico S. Petri Præp. Rodulpho Præp. Lucardo Præp. Athelvvino Archidiacono, Rasone S. Bonifacii Decano, Ottone S. Mariæ* Decano, *Alardo, Luzone, Martino, Bernardo, Herborto, Reynaldo, Athelberto, Balderico, Ruvenaldo, Adolpho, Ottone.*

Donatio de Medenblico à Godebaldo.

E*Cclesiæ Rectoribus summopere admittendum est subditorum necessitati subvenire commodis temporalibus, ut possint vacare spiritualibus, Corpus enim dum arctatur penuriâ haud facilè contemplatur cœlestia. Unde ego Godeboldus Dei gratiâ Trajectensis Episcopus fraternæ Charitati condescendens, & pro spe futurorum in posterum consulens Ecclesiam quandam in Occidentali Fresiâ in villâ quæ Medenblec vocatur cum omnibus suis appendentiis & censu ad Cameram Episcopalem pertinente & circatu & oblationibus utilitati fratrum in Ecclesia B. Martini* Deo *famulantium in memoriam mei concessi. Ita ut hæc omnia per manus eorum ad arbitrium suum disponantur.* Data *Anno dominicæ incarn.* M. C. XVIII. *Indict.* XI. *Anno Episcopi Godebaldi* IV. *ordinat. eodem. Hanc autem traditionem literis præsentibus firmamus, sigilli nostri impressione signavimus; præsentibus idoneis testibus Meingodo Præposito, Lubberto* Decano, *Hermanno præposito, Alvvino Archidiacono, Alphero, Blidgero, Gelmaro, Hardberto, Fraberto* Dec. *Lamberto, Anselmo, Thietboldo,* Wichaldo, *Athelardo, Ialone Sculteto, Giselberto, Isbrando, Gerardo, Meurteto, Arnoldo Castellano.*

o *Paludem ad Amerongen, &c.*) Comprehenduntur sub eâ palude, loca illa quæ circa Rhenum oppidum & villam Amerongen sita, nunc vulgò de Rhenense Veenen vocantur. Diploma autem restitutionis extat etiam nunc, quod hic adjungere placuit.

De

De paludibus juxta Amerongen, Coten, &c.

IN *nomine &c. Quæ perperam sive à potestatibus per negligentiam per suggestionem aliquorum geruntur, cognitâ veritate in melius commutanda sunt. Hoc enim beneplacitum est coram* Deo, *& coram hominibus. Igitur Godebaldus* Dei *gratiâ Trajectensis Episcopus paludem pertinentem ad Amerongen & Thornen & Cothen, quam semper Præpositi quidem majoris Ecclesiæ cum fratribus suis possiderant. Nos autem pro necessitate nostrâ extraneis vendideramus, cognitâ veritate & justitia illorum coram domino Rege Lothario & principibus regni ipsius, recognovimus & reddidimus, præcepto quoque* Domini *Regis dictante justitiâ & judicio principum, proprietate suâ revestiti sunt. Nos verò decimam cum censu & justitiâ de totâ supradictâ palude illis tradidimus exceptâ solâ decimâ quæ pertinet ad Ecclesiam de Amerongen, tam in paludibus quam in montibus; Synodalem autem Justitiam tam de illâ palude, quam de nostrâ pertinente scilicet,* Werconden *&* Seyst *adjacenti supra d. paludi ex eadem parte Rheni Præposito majoris Ecclesiæ perpetuâ traditione concessimus. Ut autem rata hæc permaneant, cartam hanc eis conscripsimus, & sigilli nostri impressione consignavimus. Testes hujus traditionis fuerunt Episcopus Monasteriensis, Theodoricus Episcopus Leodiensis, Albero Episcopus Verdenensis, Thietmarus* Dux *Saxoniæ gener Regis, Henricus Comes Paganus, Com. Arnoldus de Lon, Comes Gerardus de Gelre, Comes Arnoldus de Clive, Comes Adolphus de Huvele, Comes Theodoricus de Oxgoye,* D. *Gerardus de Hostade,* D. *Godefridus de Malsen & frater ejus.* D. *Hermannus,* D. *Riquinus de Malberge,* D. *Godefridus de Rienen, Arnoldus Castellanus, Wlfgerus de Amestelle, Werembolдus de Wercunden, Wilhelmus, Hugo, & quam plures alii tam liberi quam servientes Ecclesiæ.* Data *Anno* Dom. *incarn.* M C XXVI. *Ind. 3. anno Episcopatus,* Domini *Godeboldi* XII. *Actum Trajecti feliciter.*

Mathildis Regina contulit,) Hæc filia Regis Angliæ, ut Panvinius tradit. & uxor Henrici V. Imper. hoc ipso anno mortui, quem Itali quartum vocant, quos miror, quare hic Heda sequatur, quandoquidem Germani *Henricum* Aucupem primum numerent. Diploma Mechtildis sic incipit.

Sub eodem Episcopo.

IN *nomine S. & Ind. Trinit. Mathildis Dei gratia Romanorum Regina &c. Quæ Ecclesiis & Deo famulantibus conferuntur, consentien-*

ferentibus ad æternam retributionem proficiunt. Hoc ego Mathildis considerans tradidi S. Martino in Trajecto, proprietatem, quæ dicitur Richterke, *cum omni utilitate & appenditiis, sicut dominus meus Imp. & ego hereditariâ possessione habuimus, pro remedio animæ dilecti domini mei Imperatoris Henrici, cujus viscera ibidem sepulta sunt in tumulo quo & attavi ejus Conradi Imp. intestina condita sunt, ad perpetuam memoriam eorundem Impp. & meæ peccatricis animæ; ea conditione, ut perpetuâ observantiâ hæc inde exhibeantur jugiter die ac nocte, lumen ceræ ad idem sepulchrum in medio choro permaneat; Ecclesiis sc. B. Petri, S. Iohannis & S. Mariæ.* E*leemosina in anniversario dilecti domini nostri Imp. conferatur secundum arbitrium Episcopi & Episcoporum Ecclesiæ, & quicquid superfuerit, habeant Canonici S. Martini 2. partes in eodem anniversario, & tertiam partem Canonici S. Bonifacii. Ut autem hæc traditio nostræ auctoritatis rata permaneat, hanc paginam inde conscriptam manu propria roborantes, sigillo nostro insigniri jussimus. Signum domini Henrici* V. *Imp. invictiss. Philippus Cancellarius vice Adelberti Archicapellani recognovi. Data* VII. *Kal. Iunii Anno domini* M C XXV. *Indict. 3. anno Domini Henrici* V. *Regni quidem* XXVI. *Imperii verò* XV. *Actum est ap:* Wackeningen.

Sub hoc Episcopo fuit in Germaniâ celebrata Synodus Fridslariæ cui ipse interfuit, teste Goblino in Cosmodr. pag. 221.

q *Anno salutis* M C XXVIII.] Cum Bekà concordant ferè nostri scriptores. Dodechinus in appendice ad Marian. Scotum annum 1127. habet.

Sub hoc Antistite Henr. V. Imp. Calixto P. R. post multas vexationes remisit jus confirmandi Episcopos & Prælatos, de quo inter prædecessores diu certatum fuerat; cujus renunciationis diploma cum mihi ad manum esset, nec ab hâc historiâ alienum, hic addendum putavi; quod sequitur:

I*N nomine S. & Individ. Trinit. Ego Henricus Dei gratiâ Rom. Imp. Aug. Pro amore Dei, & sanctæ Rom. Ecclesiæ & domini Papæ Calixti, & pro remedio animæ meæ, dimitto Deo & SS. Dei* A*postolis Petro & Paulo, sanctæque Catholicæ Ecclesiæ omnem investituram per annulum & baculum; concedo in omnibus Ecclesiis quæ in regno vel Imperio meo sunt, canonicam fieri electionem, & liberam consecrationem; possessiones & regalia S. Petri quæ à principio hujus discordiæ usque ad hodiernum diem sive temporis patris mei, sive etiam meo, ablata sunt, quæ habeo eidem & Ecclesiæ restituo: quæ autem non habeo, ut restituantur fideliter curabo, possessiones etiam omnium aliarum Ecclesiarum, & principum & aliorum tam clericorum quam Laicorum, quæ in guerra ista amissa sunt, consilio Principum, vel justitia*

quæ

quæ habeam reddam: quæ non habeo, ut reddantur fideliter juvabo: Et do veram pacem domino Papæ Calixto, sanctæque Rom. Ecclesiæ, & omnibus qui in partibus ejus sunt vel fuerunt, & in quibus S. R. Eccl. auxilium postulaverit à me, fideliter juvabo, & de quibus mihi fecerit querimoniam debitam sibi faciam justitiam. Hæc omnia acta sunt consensu & consilio Principum quorum nomina subscripta sunt: Adelbertus Archiepiscopus Moguntinus, Fredericus Archiepiscopus Coloniensis, H. Ratisponensis Episcopus, Otto Bambergensis Episcopus, Bruno Spirensis Episcopus: H. Augustensis Episcopus, Godebaldus Traject. Episcopus, Uldaricus Constantiensis Episcopus, H. Fuldensis Abbas: Henricus Dux Bavariæ, Freder. Dux Sueviæ, Bruno Dux Saxoniæ, Dietboldus Marchio Cambiensis à Vochtburg, Godefridus Palatinus C. Rheni, Otto Palatinus Comes à Wittelsbach, *Engelbertus Marchio Istriæ, Berengarus Comes Habsburgi, Theodoricus Comes Montisbellicardi, & alii quam plures.*

Priusquam vitæ Godebaldi Episcopi finem faciam, diploma, quod sequitur, de Donatione Tieselineskercke Ecclesiæ S. Petri facta, cujus Heda non meminit, operæ pretium duxi hic adscribendum:

IN *nomine &c. Ego Godeboldus Dei misericordia Traject. Eccles. humilis minister Ecclesiam mei Iuris in Hollant quæ vocatur Tiezelineskerka B. Petro in Trajecto ac fratribus in Ecclesia B. Petri Deo sanctoque Petro devotissime servientibus in perpetuum tradidi, quatenus ejusdem ecclesiæ fructu eorundem fratrum sublevetur indigentia, & continua eorum prece mea apud Deum augeatur memoria. Quia verò fratrum utilitati eandem Ecclesiam assignavi ac libens donavi, fratres iidem integram habeant potestatem, in quos voluerint usus eam deputare scilicet aut à ejus dispositione se suosque successores adjuvare. Ne verò quispiam irritum hoc facere, ac fratres in hujus Ecclesiæ dono, seu proprietate lædere præsumat, manuscriptum hoc sigilli mei impressione notavi, & rem gestam banni mei auctoritate confirmavi, & in altare beati Petri reponi præcepi; multisque de clero astantibus & de populo, ad prædictam Ecclesiam* Deo *sanctoque Petro manu meâ in perpetuum obtuli. Facta est autem hæc traditio Anno* Dominicæ *incarnat.* M C XXVI. *Indict.* IV. *Anno Regis Lotharii primo, anno verò Episcopatus mei* XIII. VIII. *Id. Iulii Trajecti in Christi nomine feliciter. Sub testimonio Cleri & valentium laicorum, præsen-*

Tiezelineskerck.

præsentibus videlicet, Lubberto Decano *majoris Monasterii; Adalvvino, Luthardo, Hardtberto, Ottone, Cunerado, Temone, Adelardo.* Henrico Decano *de S. Bonifacio,* W*ichardo, Blichero,* S*imone,* H*ezelone. Præsentibus etiam laicis* Domino *Godefrido de Malsen, Theodorico Comite, Arnoldo Præfecto,* W*lfgardo de Amestelle, Gerhardo Telonario.* W*ilhelmo de* W*ercunden & fratre ejus Ruthardo.*

Andreas Episcopus XXV.

Comes Aquilini montis, in Arenberch.

Comes Gugernorum, id est de Kuyck.

GOdebaldo defuncto, successit (a) Andreas ex Comitibus antiquæ gentis Gugernorum xxv. Episcopus, vir prudens & gravis paci & tranquillitati suorum multùm intentus. Hic Hermannum Comitem Gugernorum, sive fratrem, sive nepotem suum (incompertum habeo) à Theodrico Comite Hollandiæ in ultionem Florentii proavi sui apud Hamerithem occisi, palam & occultè hostiliter impetitum, ac similiter Godefridum Comitem Aquilini Montis, (hunc de Arenberch, illum de Kuyck vulgus appellat) fratres ægrè illi reconciliavit, pacemque composuit hâc conditione alias insperatam. Hermannus pro mulctâ & liberatione animæ occisi Comitis à fundamentis erigeret (b) Monasterium, atque dotaret, in perpetuam memoriam. Unde factum est, quod in agro, qui Rheno & Wahali interjacet haud longè à fluvio Lignia corruptè, (c) Linea rectius, (sic vocato quia labore militari Romani instar regulæ hanc fossam ex Rheno in Wahalim ac Mosam deduxere, pro recrescentibus aquis derivandis) insigne conderetur cœnobium, in quo Religiosi (quos Præmonstratenses à loco, alii Nortbartinos ab auctore nominant) quorum vita, quia tunc recens institutus ordo, magno in precio habebatur, acciti ex Lauduno collocantur. Quibus etiam præficitur Abbas Robertus, non minus sanctitate, quàm Regio sanguine clarus. Nomen (d) autem inditum insula Mariæ ipsi loco, quem Rex Angliæ contuitu ipsius Abbatis, Calice aureo, infulis auro gemmisque contextis, nec non ære legali copioso ac pavimento Tessellato, quod adhuc visitur, opulenter adornavit. Habuit itaque initium eodem reconciliationis anno, scilicet M, c xxv i i i, quarto Kal. Iulias. Sed heus, *manet altâ mente repostum* hoc conceptum odium, ut verbis utar Virgilianis. Frisiis enim rebellantibus, Florentius cognomento Niger se jungit adversus Theodricum fratrem. Quibus suppressis, recipitur Florentius in gratiam ex auctoritate Lotharii Imp. Augusti, utriusque avunculi, postquam Alcmaria oppidum atque provincia Caninefatum (Kenemaros vocant) jam ferro igneque vastata erant. At Florentius Comes instigantibus Nobilibus quibusdam, Helwigim puellam formosam Hermanni atque Godefridi Comitum ex sorore neptim, ex Principe de Rothen procreatam, sub tutelâ Hermanni degentem, eo inconsulto, in matrimonium appetebat, obstitit Hermannus conatibus Florentii, adjutus viribus Godefridi Comitis, atque Andreæ Episcopi. Unde recrudescente odio, Florentius infert molestias. At Trajectenses, rarò concordes cum Episcopo, partim metu Lotharii Cæsaris, partim affectione, Florentium in civitatem recipiunt, & emittendi, recipiendique se potestatem faciunt, auxilioque fovent, ita ut in Episcopi opprobrium, præsidium Episcopi ac vicos aliquos flammis consumeret: inter quos erat & pagus, quem oram Lecex flu. sive Lexmundam vocant. Quo provocatus Hermannus, atque secum in animo revolvens, quonam pacto injuriam ulcisceretur illatam, tendit ad insidias, & submittens latenter, qui præstolarentur manè egredientem Trajectum, cum paucis ad venationem, haud longè ab urbe, in loco dicto Abstede, frustra quærentem fugam, collabente equo, occiderunt. Ipse autem Hermannus patrator per Lotharium Augustum, qui cædem nepotis permolestè ferebat, ex sententiâ Principum, dignitate ac titulo (e) Comitis, quò fulgebat, privatur perpetuò. Theodricus quoque Comes in ultionem fratris Hermannum atque Andream Episcopum profugavit, exuens illum omni Dominio suo, quod etiam in solitudinem redegit, incolas omnes percutiens in ore gladii. Ambo tamen per obitum Lotharii in gratiam à Theodrico recepti, ad sua redierunt. Quo tempore Fulcoldus quidam miles, conscius necis hujus ex (f) arce suâ quæ Barne dicitur, citra Mosam sita, qui vindictam Theodrici evaserat, pro recon-

Insula Mariæ Cænobium à Comitibus de Kuyck institutum.

Regis Angliæ munificentia.

Florentius Niger jungit se Frisiis contra Theodricum fratrem Hollandiæ Comitem.

Florentius Episcopi Neptim ambit.

Barne Monasterium ordinis Præmonstratensis.

reconciliatione construxit Ecclesiam ac Monasterium, similiter ex professione Præmonstratensium, quod etiam nostrâ ætate per Abbatem regitur. At Andreas Episcopus amovens sacerdotes ab Stauriensi Ecclesiâ ob dissolutos mores, traduxit illuc viros ac fœminas religiosos ex Oostbroeck; cumque jam utiliter & honestè per decem annos Ecclesiam sibi commissam administrasset; Decessit Kal. Iunii, sepultus apud Prædecessores anno M CXXXVIII. alibi XXXIX. Huic Conradus (k) tertius Romanorum Aug. renovavit donationem Comitatuum de (g) Oostergoo (g 2) & Westergou, per alios Reges & Imperatores antea collatorum, quos Lotharius Aug. Ecclesiæ iterum ademerat, & Comitatui Hollandiæ univerat, præbens perpetuum discordiarum fomentum. Pro confirmatione autem hujus rei subjecimus literam Conradi Regis. *Stauriensis Ecclesia reformatur.* *Andreas Episcopus moritur. 1139.*

Restitutio comitatuum Oostergouwe & Westergouwe.

IN nomine sanctæ & individuæ Trinitatis, Conradus divinâ largiente clementiâ Rex Romanorum III. *Scimus & verè credimus, quod qui copiosus est in misericordiâ, per quem & Reges regnant, propter hoc suos constituit Rectores in hujus peregrinationis & sæculi viâ, ut bene se regentes, & alios, postmodum secum regnent in Patriâ cœlesti. Quod nobis utique justè & misericorditer eventurum speramus, si unicuique suam justitiam pro viribus nostris conservemus. In ipsam itaque justitiam pro Dei amore fideliter intendentes, notum esse volumus tam futuris, quàm præsentibus, cunctis Christi nostrisque fidelibus, qualiter Comitatum quendam Frisiæ, nomine Oostergouwe S. Martino ad ecclesiam Traj. monitu & petitione venerabilis ac fidelis nostri Andreæ ejus sedis Episcopi justè resignavimus, quem injustè eidem Ecclesiæ ablatum pro certo comperimus. Dederat sanè prædictum Comitatum Traj. ecclesiæ Divæ recordationis Henricus* IV. *Imp. Aug. tum pro remedio animæ suæ, tum propter amorem & servitium venerabilis viri, & fidelis sui Conradi, ejusdem sedis Episcopi. Cujus donum filius ejus Henricus bonæ memoriæ* V *Rex,* IV *verò Imp. Aug. iterando renovavit, & renovando authoritate & privilegio suo confirmavit. Nunc igitur aliquamdiu sub prædecessore nostro Lothario Imp. prædicta Ecclesia suo jure & prædicto Comitatu caruit, ulterius eam suo jure carere nolumus, sed secundum monitionem fidelium nostrorum, in debitum statum ei reddendo Comitatum, eam reformamus secundum hoc, quod in privilegiis Ecclesiæ veritatem invenimus. Ut igitur antiquæ donationes, & nostræ resignationis authoritas immobilis & inconvulsa per succedentia tempora permaneat, hujus attestationis paginam conscribi, & sigilli nostri impressione insigniri jussimus, Testes quoque subnotari præcepimus, quorum nomina hæc sunt, Thitvvinus S. Rufinæ Cardinalis Episcopus, & Apost. Sedis Legatus, Arnoldus Coloniensis Archiepiscop., Albero Treverensis* Archiepiscopus, *Embrico* Witzeburgensis *Episcopus, Albero Leodiensis Episcopus,* Wernerus *Monasteriensis, Udo Osnaburgensis, Stephanus Metensis, Nicolaus Cameracensis Episcopi.* Walravius *Comitatus Oostergouwe & Westergou donantur Ecclesiæ Trajectensi.*

vius Dux, Wilhelmus Comes Palatinus, Godefridus Comes Namucensis, Henricus Comes de Zuiphen, Arnoldus Comes de Clivo, Adolphus Comes de Saffenberch, Adolphus Comes de Monte, Conradus Comes de Loen, Conradus de Haghen, Henricus de Hirstelhusen, Theodor. & frater ejus Rothgerus de Duria, & alii quam plures. Data v. Idus Aprilis, Indictione I. *Anno Dominicæ incarnationis* CIↃ C XXVIII. *regnante Conrado Rege Rom. tertio, primo anno Regni ejus. Actum Coloniæ, in Christo feliciter, Amen. Signum Conradi Rom. Regis* III. *Ego Arnoldus Cancellarius recognovi, & recensui vice* (i) *Archicancellarii Moguntini.*

Villa Alburch dicta Babilonia. Idem Andreas Abbati ac Monachis sancti Trudonis concessit in villâ (k) Alburch, quæ & Babilonia dicitur, Ecclesiam ac decimas, quæ Episcopi esse consueverant, quia profugus illic forsan receptus fuit. Discordiam quoque inter majorem atque sancti Salvatoris Ecclesias, super ordine ministerii in Paschâ, Pentecoste, atque natali Christi servando antiquam exstinxit, & ne in posterum exsuscitaretur, contribuit ex suis in Puttâ & Ermellostipendia perpetua. Et intuitu ejus Lietardus Episcopus Cameracensis contulit utrisque Ecclesiis altaria duo in Westerloo & Oulo M C XXIV. (l)

Contulit Andreas, etiam Ecclesiæ sancti Salvatoris certas proprietates ad Illam flu. versus Gaudam & Haestrecht, & Ecclesiæ sancti Iohannis Traject. parochiam in Boesinchem, M C XXXI. sub Lothario Augusto.

a *Successit Andreas &c.)* Ex Præposito Leodiensi Episcopus Ultrajectinus factus. Sed Gugernos populos quod Cukienses appellat, minus placet; cum gens illa latè sese olim extenderet, & apud posteros hi exigui tantùm, Dominii proceres fuerint. An non à Cauchis dicti? Cujus originationis meminit non nemo.

Pars Stemmatis Cukiensium.

1062. Hermannus Comes de Kuc obiit anno 1068, teste Divæo.	Henricus de Kuc vixit anno 1096.	Hermannus de Kuc Comes anno 1132. 1145.	Henricus de Kuc, Comes an. 1171. 1198.
		Andreas Episcop. Traject.	
		Godefridus Comes de Arnsberg.	
		Aleydis ux. Arnoldi de Rothem, quorũ filia	Helwich, quam Florentius frater Holl. Comes sibi ambiebat conjugem.

b *A fundamentis erigeret Monasterium,*] De fundatione Monasterii Insulæ S. Mariæ, vulgò Marien-weerdt in Bataviâ sic in schedis Brockii invenio: *Anno* 1128. 4. *Kal. Iul. fundata & dotata fuit ab Hermanno de Cuyck Comite.* Hujus meminêre plerique scriptores nostri. Fuit autem olim celebre id monasterium, nunc præter tenues ruinas nihil ejus superest.

c *Lignia corruptè.)* An Linea sive Lignea sit fossa à Rom. facta, quam Corbulonis vocat Ortelius, negat Cluverius, pluribus adductis in contrarium rationibus, lib. 2. Germ. Antiquit. cap. 31. in quâ is opinione adversarium est nactus Ioh. Pontanum, in medium relinquo; uterque enim suam sententiam propugnat libris eam in rem scriptis. Videantur etiam Lipsii Comm. in XI. Annal. Taciti.

Nomen

d *Nomen autem inditum Insula Mariæ,*] Meminit hujus A. Miræus in Chron. Præmonstratensi ex Ioh. Bekâ, & addit Primum Abbatem Robertum ex Regio Anglorum genere, Henrici I. nempe nepotem fuisse.

e *Titulo Comitis privatur perpetuò,*] Erant illi Comites non ut hodiè hæreditarii, sed officiarii; nec puto Heremannum Comitem dictum respectu bonorum Cuyckensium, sed quod esset Burchgravius vel præfectus Trajectens. ut ad Bekæ Chronicon fusius indicavi.

f *Et arce suâ de Barne,*] De hac fundatione præter nostros Annales, scribit Miræus in Chronico Præmonstratensi, & lib. 2. cap. 59. Diplom. Belg. Ubi dicit Fulcoldum illum assumptâ veste Regulari, ibidem anno 1149. decessisse.

g *Conradus tertius Imp.*] Variant exemplaria nunc tertium nunc secundum appellantia: Onuphrius tamen ubique III. vocat, ut scriptores plerique: Sigonius nihilominus, Martinus Polonus, aliique pauci secundum hunc dixêre ejus nominis Imperatorem.

(g 2) *Renovavit donationem Comitatuum Oostergou & Westergou,)* Emmius aliique Frisici scriptores Oostergoam & Westergoam has Provincias appellant, latissimas sanè, & quibus magna pars Frisiæ Orientalis continetur; quarum accuratam descriptionem dedit Ubbo Emmius Rerum Fris. libro, 1. & passim toto opere, Kempius quoque videri poterit libr. 2. de origine & qualitate Frisiæ. Hujus autem donationis aliquam verisimilitudinem addunt ea quæ Abbas Urspergens. de dissidio inter Conradum electum Regem & Henricum Ducem Saxoniæ adducit. *Mediatores* (inquit) *per triduum huc atque illuc transmeantes, nihil profecerunt: Rex enim non aliter compositionem fieri voluit, nisi Dux quædam de his, quæ à Lothario acceperat ac possederat, resignaret.* Quæ verba huic loco optimè conveniunt, & quæ de hac restitutione referuntur, ex parte confirmant. Quæ etenim Lotharius prioribus possessoribus adempta suis contulerat, Conradus restituenda optima ratione putabat. Gouwe sive Goa, ut & hoc obiter addam, Germanis est, quid Latinis pagus; sic *Lobedengouwe, Neccergouwe, Pleumgauwe, Haspengouwe, Henegouwe*, vide Origines Palatinas Freheri.

h *Thietwinus S. Rufinæ Card,*] Urspergensis Abb. dicit Chunradum fratrem Frederici Confluentiæ ad Rhenum electum anno 1128. & sequente regnum accepisse præsente Theodwino Episcopo Card. Onuphrius, sub Innoc. 2. ad annum 1130. nominat inter Cardinales Theowinum Episcop. Card. Portuensem.

i *Vice Archicancellarij Mogunt.)* Fortè Archicapellani; nomen non additur, verùm Serrarius de Archiepiscopis Moguntinis, Adelbertum quendam eo tempore Moguntina sede potitum indicat.

k *In Villa Alborch,*] Extat hodieque locus non procul ab oppido Heusden ejus nominis; quo etiam familia olim celebris ex Heusdanâ stirpe oriunda, ut insignia rotam præferentia indicant, dicta; ex quâ sub Bernulpho vixit anno 1026. Vulfardus de Alburg. item Eppo de Alsbuch anno 1031. Postea Thruteke de Alburch, & alii deinceps.

l *Altaria duo in Westerlo & Oulo* M CXXXIII.) Sic restitui pro *alterna* & 1124. Nam si anno 1128. decessit Godeboldus, quomodo anno 1124. potuit Lietardus Cameracensis Episcopus intuitu Traject. Episcopi Andreæ successoris Godeboldi, donationem illam facere? In meis scedis est annus 1133. Altaria etiam olim dicebantur templa vel sacella ut ex non uno diplomate dedici. De Lietardo verò Episcopo Camerac. sic Rob. de Monte ad annum 1127: *Cameraci post Burcardum Hermannus Episcopatum tenuit; quo post triennium extruso, Lietbardus ei successit, qui & ipse post quatuor annos repudiatus Nicolaum successorem habuit,* hujus diplomatis exemplar continet.

QUod tradit Canonicis SS. Martini & Bonifacii in Trajecto, duo altaria, Westerlo scilicet & Oulo libera ab omni persona & conditione excepto quod ibi cantaturus sacerdos duos Antwerpiensis monetæ solidos in festo S. Lucæ Euangelistæ per singulos annos Episcopo Cameracensi persolvat. Actum anno incarnat verbi M CXXXII. *Indict.* III. *præsulatus domini Lietardi tertio.*

m *Consulit Andreas Eccles. Salvat.)* Diplomatis vel donationis verba sunt, quæ sequuntur;

IN nomine domini Iesu Christi, ego Andreas Dei *gratiâ Minister Ecclesiæ Trajectens. jugi memoriâ retinens quæ sit in* Deum *multiplicatio cedrorum in ramis quorum Christi passeres nidum ponunt. Utile duxi me & mea exhibere his qui à communi hominum conversatione subvolando sortem suam benignum Iesum dicunt, & faciunt. Quapropter Canonicis S. Salvatoris in Trajecto, generis omni decimas novæ culturæ juxta Goldam cum censu & justitiâ sæculari contradidi; superiorem earum terminum inchoans sine intervallo post* Alberonis *filii Giselberti beneficium, inferiorem verò terminum, definiens in* Swanesdrecht. *Addidi quoque ipsis Canonicis prædictis intra memoratos terminos, mansos* V *possessionis hæreditariæ, post* 30. *mansos Episcopi, nullâ medietate proximos. Hacque donativa omnia lege tali præmemoratis fratribus assignavi & dedi, ut ipsi per dispensatores fideles, quicquid exinde fructuum pervenerit, annis singulis colligant, & sive illud plus minusve, ad quotidianas refectiones in communi loco communiter accipiant, inferioris & superioris, Iunioris & provectioris in participatione hujus stipendii nulla sit differentia; sed & qui cum aliis in communi refectionis loco hac donatione uti, quâcunque causâ omiserit, nullam partem extra prædictam conversionem accipiet, exceptis per omnia tantum his qui manifestè sunt infirmi vel imminuti, quibus hâc causâ absentibus, si Trajecti sunt, partem suam cæteris contentibus parem dispensari præcepimus. De cæterò cum justum sit, ut unumquemque opera sua consequantur, hoc quoque prædictis Canonicis injungimus, ut quotiens convenit, & ratio temporis sinit, mei & Præpositi Themonis dum vixerimus, & post ubi rebus humanis excesserimus, in Missis suis oratione speciali, sed & in Canone meminerint; semper quippe gratia Dei præeunte & subsequente, ipse plurimùm ad hoc commodum eorum laboravit. ego autem perfeci in domino. Et ne quis huic dono vel distinctionibus prædictis obvias manus injiciat, anathema maranatha facimus omnibus qui faciunt aut facientibus consentiunt, aut præsentes locô suo non defendunt. Gesta autem sunt hæc anno unigeniti Dei incarnati* M C XXXIX. *Indict.* II. *Anno Episcopatus mei* XII: *Anno verò primò Regni Conradi* II. *Præsentibus his testibus, Præpositis Hereberto S. Mart. Themone, S. Salvatoris, Alberone S. Petri, Conrado Thielensi; Decanis, Lutberto S. Martini, Lutberto S. Petri, Ancelmo S. Iohannis, Arnoldo* S. *Mariæ,* Alardo Aldensalensi *& Godefrido Helstadiensis Ecclesiæ Præpositis: Canonicis; Reimaro, Ioanne, Hazekone, Erkenboldo, Ottone,*

Ottone, Ascelino, Ingelberto, Fraberto, Rodolpho; & Clero Traject. propemodum universo: Liberis; Hugone Advocato, *Godefrido Comite,* Herimanno *fratre ejus,* Adam, *Denizone, Germago,* Waltero *de Stapele: Ministerialibus;* Alphero, *Ionatha fratre ejus,* Alberone *& fratribus ejus,* Warnero *& Gerhardo fratre ejus.*

Idem Episcopus Andreas dedit eodem anno Canonicis & Ecclesiæ S. Salvatoris, decimas & novalia in Rijswijck, extat & diploma donationis decimarum in Bodegraven eisdem factæ, anni M C XXXIV. Indict. XII. Episcopatus verò VII.

Aliud item de bonis in Bosinchem, quæ ad usum Collegii D. Ioan. Bapt. tradidit, cujus donationis exemplar, sequitur.

IN *nomine patris &c. Sciant fideles &c. Quoniam ego* Andreas *Traject. Ecclesiæ Pontifex humillimus inter Præpositum Harmannum & Canonicos Ecclesiæ B. Baptistæ domini medius, caritate mecum mediâ Ecclesiam & curtim in Buesichem à manu Præpositi suscepi, & utrumque ipso petente & concedente cum omni allodio, quocumque situm est locorum appendente, exceptis feudi dominorum liberorum Amelrici, Giselberti, & quatuor ministrorum Suethgeri, Alberti, Harnoldi, Gozvvini, & cum omni ea libertate Iustitiæ, quæ ipse & omnes antecessores sui ante ipsum sunt usi, in augmentum præbendarum canonicor. supra memoratæ Ecclesiæ, pro salute meâ piè in Christo donavi. Decimas verò dictorum Altarium in Hoghe & Geschoron ab eisdem cann. suscepi, & eas in usum suum Præposito commisi; ita tamen ne quoque ab Ecclesiâ prædictâ elongent. Ad hujus rei sanctionem cartam hanc jussi fieri, & nota sigilli mei signari. Siquis autem &c. Hoc factum est anno Dom. incarnat.* M C XXX *Indict.* IX *Regnante Rege Lothario anno* VII *Regni, & anno* IV *Episcopatus D. Andreæ Pontificis hum. Trajectensis Ecclesiæ. Testes de S. Martino, Hardbertus Præpositus, Lutbertus Decanus, Simon filius Comitis Holland.* Wer*nerus Præpositus de Berth, Conradus, Henricus, Adelard; de S. Bonifacio;* Wichardus *Decanus, Blitherus, Sibrandus, Simon,* Winimannus, *de S. Petro Decanus, Theodr. Freso, Rudulphus Albero, Altetus, Everhard, Odoldus; de S. Maria, Arnoldus Decanus, Rodulphus, Alwinus &c.*

Est & in Adversariis meis sententia ex originali descripta hujus Episcopi, quâ parochianis de Mi, quidam ager ablatus, adjudicatur, quam hic ad calcem vitæ ejus de verbo ad verbum adjungendam curavi:

IN *Nomine Sanctæ & individuæ Trinit. Notum sit omnibus, &c. Quod ego Andreas* Dei *providentiâ Trajectensium Episcopus, Parochianis de Mii terram suam quondam eis à Gisel-*

à Giselberto violenter ablatam, & postmodum audito clamore & quærimoniâ eorum in præsentiâ meâ astante Clero & laico populo justo judicio eis adjudicatam & recognitam, tum pro fidelium meorum petitione, tum etiam pro illorum servitio, & maximè pro gratiâ Dei, quia justam eorum causam cognovi, liberè, & absque impedimento tradiderim', & in perpetuum possidendum ipsis eorumque hæredibus donaverim. Terra verò eis adjudicata hac est, ex quâ solvent decimam, censum & Iustitiam Ecclesiæ B. M. in Trajecto ad præbendam fratrum quicquid continetur inter fossatum, quod est terminus terræ illorum de Kamerka, & inter veterem terram illorum de Mi quam Teutonicè . . . . . Quod ut ratum & inconvulsum in posterum permaneat, hanc eis inde testamenti paginam in munimen . . conscribi, & sigilli nostri impreßione confirmari jußimus. Actum est autem anno dominicæ incarnationis M C XXXI. *Indict.* IX. *Regnante Rege Lothario* II. *anno regni ejus* VI. *Anno verò Episcopi domini Andreæ* III. *Huic confirmationi hi testes affuerunt, Rengotus Præpositus, Luithardus Præpos. Arnoldus Decanus de S. Mariâ, Frabertus* Decanus; *Arnoldus Castellanus, Alfero Scultetus, Gerardus Telonarius, Egbertus de* Ame*stelle, Harmannus de* W*orthen, Bero de* W*esopa, Bertolt de Lindescot, Godefridus de* Ame*stella.* Sigillum non appendet, sed in cerâ candidâ pergameno impressum, scutellę instar concavum.

Heribertus Episcopus XXVI.

Trentani tumultuantur. POst Andream eligitur Hardbertus sive Heribertus, uti nummi (a) cusi testantur XXVI. Episcopus, natione Frisius, ex loco Berom (b), vir integer, & Ecclesiasticum statum ad pristinum vigorem reducens. Hic dum Romanum accederet Pontificem, consulturus illum certis de causis, rediens invenit apud Trentinos, (c) magnos tumultus concitatos, *Gruni pro Gruninganis* auctoribus Grunis, quorum pars templum Divæ Walburgis occupaverat & munierat, quos per crebras oppugnationes ad deditionem coëgit: Interdicens eis structuram mœnium, committens duobus fratribus, uni in Gruningâ, alteri (d) Præfecturam in Cœvardiâ, perperam in hoc posteris consulens. Nam usque in hunc diem Episcopi ipsi liberè judicabant.

At Otto Comes (e) Ricomagi ex stirpe Palatinorum Præfectus in (f) Benthem, sororius Theodrici Comitis grassabatur in Twentanos: cui Pontifex Heribertus viribus impar, nec valens resistere, accito tandem in subsidium Hugone, cognomento Butyro, ex nobili familiâ illorum de Arclo, cum magno equitatu, tandem apud Heemsheim sive Omersheim, juxta alios, initâ crudeli pugnâ, occisis multis, aliis partim captis, partim per latibula sylvarum salutem quærentibus, Otto capitur cadente Ottone Comite in Biele, & Trajectum deducitur. Quod audiens Theodericus Comes, illicò circumvallat urbem obsidione, adjuncto sibi *Otto Comes Palatinus capitur.* Iohanne (g) Principe de Arclo, fratre ipsius Hugonis Butyri, quo animum Comitis irati sibi conciliaret, quia frater adhærebat Episcopo. Ignarus Episcopus salutis humanæ, scilicet ad cœleste subsidium intendit, cumque decretum fuisset oppugnare civitatem, quo illam ab ingruente periculo liberaret, provocat hostes ad pugnam, designatur locus ex arbitrio utriusque, at ingruente die pugnæ, Episcopus jubet cives omnes esse in armis, quos custodiis turrium ac mœnium distribuit, prohibens ne quis portas exeat. Ipse (h) verò congregato

Sacerdo-

Sacerdotio, & omnis ordinis clero Pontificialibus indutus, cæteris juxta dignitatem religiosis vestibus accinctis, & vexilla atque in signia crucis ferentibus, portis erupit, hostibus obviam procedens, qui e conspectu credentes exercitum armatum propter candorem resplendentem adventare, ad prælium se præparant, appropinquans autem inermis Episcopus sacro cum exercitu, admonuit Comitem ab oppugnatione desisteret, obsidionem solveret, atque retrocederet, ni anathemate ac diris feriri vellet. At Comes compunctus pietate & rel gione, animum flectit ab irâ, ponit furorem conceptum, fatetur reatum, ac depositis armis supplex petit veniam & meretur, datisque osculis, & junctis dextris fit amicitia, ac fœdus novum percutitur, liberatur Comes à captivitate, qui arcem (i) suam Benthem beato Martino tradidit, ob devotionem & rursum in beneficium recepit, eâ conditione, ut Episcopo liber esset introitus & exitus in arcem, in quâ & Oratorium & aulam pro residentiâ suâ sibi reservaret. Erat hic forma corporis egregius, qui paulo pòst ab Hermanno (k) Comite de Schalewick vel Stalicke dolendâ morte perimitur, & Otto filius Theodorici, nepos ejus successit in Comitatum ac Præfecturam de Benthem. Anno quoque M C XXXVIII. perrexit Theodricus Comes Hierosolymam devotionis causa, & sequenti anno reditum faciens per urbem Romam, ubi Monasteria in (l) Egmondâ atque Reynsburch à majoribus suis partim fundata atque instaurata, protectioni sancti Petri sub annuo censu submisit: quæ Innocentius Papa II. suscipiens, perpetuò ab omni ordinariâ potestate exemit, favente & approbante Heriberto Episcopo. Non longè post, videlicet anno M C XLVIII. conflagravit (m) major pars civitatis Trajecti, majori & sanctorum Petri & Pauli, atque Iohannis templis omninò consumptis flammâ, una cum Oratorio sanctæ Crucis; Ecclesiâ sancti Salvatoris, non absque miraculo, à tanto incendio intacta permansit, cum imagine Salvatoris ex favillis asservatâ, quæ adhuc visitur. Tum futuris periculis prospectum est; pro aquarum commoditate undique acquirendâ ordinatæ fossæ per urbem, atque aquæ è Rheno inductæ, quæ in Vectam flu. perpetuò decurrerent. Unde jam urbs & pontibus ornatior, & sedandis incendiis, vehendisque commerciis longè instructior, apparet.

Episcopus inermis religiosè movit hostes ab obsidione.

Otto Comes occiditur cùm Comitatum Benthemensem donasset S. Martino.

Theodoricus Comes Hollandiæ Egmondam & Reynsburgam Monasteria donat Papæ Innocentio secundo.

Rhenus derivatur in fossas urbis ad incendia restinguëda.

Heribertus itaque plenus dierum, cùm annis præfuisset duodecim, ultimum naturæ persolvit debitum III Idus Novemb. anno M C L. adjunctus prædecessoribus suis in majori Basilicâ. Hic impetravit pro Ecclesiis Trajectensibus à Conrado III. Rom. Aug. auctoritatem eligendi Episcopum, quam Eugenius Papa tertius approbavit, ut ex literis subnotatis constat.

Heriberti obitus.

Eugenius Episcopus Servus Servorum Dei dilectis filiis, Decano & Capitulo Ecclesiæ Trajectensis, gratiam, gloriam & Apostolicam benedictionem, Supplicatio charissimi in Christo filii Conradi tertii Regis Romanorum illustris, nobis per dilectum filium Conradum ipsius fratrem, vestræ Ecclesiæ Præpositum, propter hoc ab eodem Rege ad Romanam curiam destinatum, continebat, ut privilegia per Romanorum Reges & Imperatores antecessores suos Ecclesiæ vestræ concessa, nec non privilegium ab ipso Ecclesiæ vestræ prædictæ concessum, auctoritate Apostolicâ dignitaremur confirmare, cujus privilegii tenor talis est.

Diploma Eugenii Papæ pro eligendo Episcopo. vd. pr. 3 9

IN nomine sanctæ & individuæ Trinitatis, Conradus divinâ favente clementiâ Rex Romanorum tertius: Si Ecclesias Dei amplificamus & earum jura Regali auctoritate tuemur & confirmamus; antecessorum nostrorum piorum Regum vel Imperatorum exempla imitamur, & hoc nobis ad regni nostri celsitudinem, & præcipuè ad animæ nostræ salutem profuturum non ambigimus. Et propter tam futurorum quàm præsentium Christi nostrique fidelium Regni noverit industria, quod nobis apud Trajectum civitatem residentibus, & de pace ac de statu Regni tractantibus, fidelis noster Hardbertus ejusdem loci venerabilis Episcopus, (n) Conradus frater noster Præpositus, Decanus *&*

Capitulum Majoris Ecclesiæ dictæ civitatis ad nostram præsentiam venerunt, nostræ celsitudini supplicantes, ut sicut antecessores nostri pii Romani Reges & Imperatores, ipsam ecclesiam Trajectensem multis honoribus & privilegiis dotaverunt: Sic nostra Regalis excellentia ipsorum vestigia imitando, dictæ Ecclesiæ aliquam honoris prærogativam concedere dignaremur. Nos itaque considerantes, quod Regalem decet excellentiam, illos honorare debere prærogativâ ampliori, quorum devotionem continuis obsequiis experimur, attendentes etiam nos & antecessores nostros (o) Reges & Imperatores in dictâ Ecclesiâ à fundatione ejus inter Canonicos primum locum obtinere, nostramque prabendam in eâdem duos deservire sacerdotes, pro nostrâ salute & Regni tranquillitate ac pace Dominum exorantes, & dicti Hardberti venerabilis Episcopi fidele servitium, ac dilectorum nobis Decani & Capituli grata obsequia & devotionem frequentem, quâ nostram Regalem excellentiam & dilectam conjugem nostram Gertrudim Reginam per aliquod tempus in ipsâ civitate commorantem plurimùm honorarunt. Et propter hoc volentes eandem Ecclesiam majorem Trajectensem honoris prærogativâ speciali sublimare, ob remedium animæ nostræ, & animarum Domini Henrici III. Avi nostri, (cujus viscera in ipsâ Ecclesiâ pro pignore sunt sepulta, & (p) Henrici IV. avunculi nostri Imp: nec non interventum dilectæ conjugis (q) nostræ Reginæ prædictæ, ac Conradi fratris nostri charissimi, ejusdem Ecclesiæ Præpositi, jus eligendi & instituendi Episcopum in ipsâ Ecclesiâ, quod ad Reges Rom: & Imperatores pertinere dinoscitur, & ab antecessoribus nostris Regibus & Imperatoribus usque ad nostra tempora est devolutum, & deductum, antedictis Præposito, Decano, ac Capitulo ecclesiæ Trajectens. ac dilectis nostris Præposito Decano & Capitulo Ecclesiæ sancti Bonifacii ejusdem loci, eidem majori Ecclesiæ ab earum fundatione speciali fraternitate, ut nobis innotuit, conjunctis in donationem perpetuam Regali magnificentiâ concedimus in donum, & damus potestatem nostram omnimodam à nullo successorum nostrorum infringendam; ut cùm Episcopatum prædictum vacare contigerit, iidem Præpositi, Decani, & Capitula majoris & sancti Salvatoris Trajectens. antedicti, & nulli alii, nisi Ecclesiarum suarum concanonici Episcopum alium eligendi plenariam habeant potestatem. Ut autem hæc nostra donatio, donum & privilegium Regiâ magnificentiâ voluntariè ac liberaliter concessa iisdem perpetua sint, & rata credantur ab omnibus, & inconvulsa omni deinceps tempore conserventur, hâc in chartâ conscribi jussimus, manu propriâ, ut infrà videtur, corroborantes idoneos testes qui præsentes

Jus eligendi Episcopum ad Ecclesiã majorem & S. Salvatoris solum pertinet.

aderant

aderant subter notari fecimus, quorum nomina hæc sunt: Ancelinus Havelburgensis Episcopus, Albero Leodiensis Episcopus, Wernerus *Monasteriensis Episcopus, Nicolaus Cameracensis Episcopus, Udo Osenburgensis Episcopus. Walramus Dux,* Wilhelmus *Comes Palatinus, Henricus Comes de Zutphene, Arnoldus Comes de Clivo, Adolphus Comes de Monte, Henricus* (r) *Comes de Gelre, Conradus frater noster Præpositus Traject., Emo Præpositus sancti Bonifacii, Conradus Tielensis Præpositus, Lambertus sancti Petri Præpositus, Godefridus de Renen, Alardus de Megene, Otto Præfectus Trajectensis, Egbertus de Amstelle, Bertoldus de Aldenseele, Iacobus de Satersloe. Signum Domini Conradi Rom. Regis* III. *Ego Arnoldus Cancellarius vice Henrici Moguntini Archiepiscopi & Archicancellarii recognovi, anno Dominicæ incarnationis* M. CXLV. *Indict.* VIII. XV. *Kalend. Novemb, regnante Conrado Romanorum Rege tertio. anno verò Regni ejus* VIII. *Data apud Trajectum in Christo feliciter. Ea propter nos pro nostra Ecclesiæ reverentia, & ejusdem Regis supplicantis instantiâ inclinati, considerantes etiam ad Ecclesiam vestram dicti Regis devotionem; quâ ipsam regali magnificentiâ favorabiliter & excellenter honoravit, antedictum privilegium, cujus tenor his nostris Apostolicis literis de verbo ad verbum est insertus; & omnia privilegia per Romanos Reges & Imperatores ecclesiæ vestræ ad honorem Christi & ecclesiæ exaltationem concessa, Apostolicâ auctoritate confirmamus, inhibentes sub anathematis vinculo, ne Imperialis, vel Regalis, vel Episcopalis, vel clericalis, vel laicalis persona aliqua cujuscunque status & conditionis existat ipsam ecclesiam Trajectensem, contra hujusmodi privilegium & nostræ confirmationis tenorem, molestare, aut in ejusdem præjudicium in præmissis quidquam in perpetuum audeat attentare, decernentes irritum & inane, si quid à quoquam in contrarium fuerit attentatum. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc nostræ confirmationis paginam infringere, vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare præsumpserit, indignationem omnipotentis Dei ac beatorum Petri & Pauli Apostolorum ejus se noverit incursurum. Datum Romæ apud Sanctum Petrum* XV. *Kalend. Aprilis, Pontificatus nostri anno primo.*

Sanctio Pontificalis confirmatoria privilegii.

Hanc confirmationem à Domino Eugenio Papa tertio, ipse Dominus Conradus Rex, qui privilegium ecclesiæ prædictæ de electione Episcopi donavit, impetravit, & fratrem suum Dominum Conradum ecclesiæ Trajectensis antedictæ Præpositum in suis expensis ad Romanam curiam propter hoc destinavit, quæ posteà per diversos Romanos Pontifices & Imp. extitit confirmata. Similiter Comitatus de Oostergou & Westergou pridem concessos iterum de manu Regis recepit juxta exemplar literarum infra scriptarum.

IN

Oostergoo & Westergoo Frisiæ Comitatus donatur & confirmatur Ecclesiæ Trajectensi.

IN nomine sanctæ & individuæ Trinitatis, Conradus divina favente clementia Rom. Rex. tertius. Si Ecclesias Dei amplificamus, & earum jura Regali authoritate tuemur, & firmamus, antecessorum nostrorum piorum Regum vel Imperatorum exempla imitamur, & hoc nobis ad regni nostri celsitudinem, & præcipuè ad animæ nostræ salutem profuturum non ambigimus. Ea propter tam futurorum, quàm præsentium Christi nostriq; regni fidelium noverit industria, quod nobis apud Trajectum civitatem considentibus, & de pace, ac de regni statu tractantibus, fidelis noster Hardbertus ejusdem loci venerabilis Episcopus ante præsentiam nostram venit, & Instrumenta privilegiorum avi nostri Henrici tertii, & avunculi nostri Henrici quarti Imperatorum nobis præsentavit, in quibus continebatur, qualiter ipsi præfati scilicet Imperatores Comitatum Oostergouwe & Westergouwe cum omnibus appenditiis suis beato Martino & Ecclesiæ Traject. contulerint. Rogavit igitur excellentiam nostram idem venerabilis Episcopus, una cum clero, beneficiatis, & universa ejusdem Ecclesiæ familiâ, quatenus juxta privilegiorum tenorem & Impp. donationem, prædictum Comitatum ei & Ecclesiæ suæ lege in perpetuum valiturâ, confirmaremus. Et quoniam benevolentia Regalis nulli in justitiâ suâ deesse debet, & nos sine Iudiciario ordine nihil hujusmodi facere consuevimus, perlectis privilegiis, quid super hac re nobis esset faciendum judicio Principum à Comite Henrico de Gelre sententiam exquisivimus: Ille verò communicato tam Principum, quàm aliorum plurium Nobilium consilio judicavit, quod nos jure possemus, & deberemus antiqua privilegia renovare, & pristinas Impp. donationes nostro privilegio corroborare. Eundem igitur Comitatum scilicet Oostergowe & Westergowe, quem prædicti Impp. beato Martino & Ecclesiæ Trajectensi tradidisse & concessisse dinoscuntur, nos quoque dictante judicio, interventu etiam dilectæ conjugis nostræ Gertrudis Reginæ, & petitione fidelis nostri Hardberti ejusdem loci venerabilis Episcopi, aliorumque fidelium nostrorum, beato Martino & Ecclesiæ Trajectensi perpetualiter possidendum sancientes per præsentis privilegii paginam, ob spem futuræ retributionis confirmamus. Et ne alicui mortalium nunc vel in posterum facultas aut occasio contradicendi valeat suboriri, omnem quæ aliquo modo moveri posset calumniam, edicto Regali submovemus, statuentes ne aliqua unquam persona magna sive parva Impp. donationem, & nostram confirmationem, aliquo ingenio infringere præsumat: Sed Ecclesia Trajectensis liberè ac sine omni contradictione præfatum Comitatum

Imperator Conradus sine Iudicum sententiis nihil agit.

Pœna infringentis privilegium 1000 auri Libb.

tatum

tatum cum omnibus suis pertinentiis omni deinceps tempore possideat. Si quis, quod absit, hujus nostræ confirmationis edictum infringere tentaverit, mille libras auri purissimi componat, quarum partem dimidiam Fisco nostro, reliqua verò prædictæ Ecclesiæ Traj. persolvat. Ut autem hæc omnibus credantur, & inconvulsa deinceps omni tempore conserventur, hanc inde chartam scribi, & aureâ bullâ nostrâ insigniri jussimus, manuque propriâ, ut infra videtur, corroborantes, idoneos testes qui præsentes aderant, subtusnotari fecimus, quorum nomina hæc sunt. Anselmus Havelbergensis Episcopus, Conradus frater noster, & ejusdem Ecclesiæ Præpositus, Emo Præpositus S. Salvatoris, Conradus Tielensis Præpositus, Arnoldus Præpositus sanctæ Mariæ, Luitbertus S. Petri Præpositus, Anselmus Decanus S. Iohannis, Simon Camerarius, Henricus Comes de Gelre, Godefridus de Arnesberch, & frater ejus (p) *Comes Hermannus, Theodoricus de Altena,* Adelbertus *Comes de Norvenich, Godefridus Præfectus Norenbergensis, Robertus Comes de Lutzenburch, Godefridus de Renen, & filius ejus Hugo, Giselbertus filius Hugonis* Advocati, *Gerardus de Marken,* Alardus *de Meghene, Iordanus de* Windesheim, *Godefridus de* Wekene, *Peregrinus de Kempfelde, Lithardus de Disenhem,* Alardus de Wissenhurst, *& frater ejus* Winemarius, *Theodericus de Bockeshorst, & frater ejus* Werenboldus, Wilhelmus *Comes Ghorensis, Rodolphus de* Wia, *Otto de Malberch, Everhardus Crithelman, Henricus de Papenheim Mareschalcus noster, Henricus Freso, ac frater ejus* Wigerus, *Henricus de Boninge,* (r) *Arnoldus de Rodenburch* Dapifer *noster, Conradus Pris Pincerna, Tibertus Camerarius,* Waltherus *de Lonenhusen, Marquardus de Grombach, Conradus de* Walresteyn, *Tibertus de Spileberch. Otto Præfectus Traj. Albertus Telonarius, Rodulphus,* Wernerus, Walterus *de A & filius ejus Henricus, Eckebertus de Amestele, Bartoldus de Aldenselo, Iacobus de Saterslo. Signum Dn. Conradi Rom. Regis* III. *Ego Arnoldus Cancellarius vice Henrici Moguntini Archiepiscopi & Archicancellarii recognovi. Anno Dominicæ incarnationis* M. CXLV. *Indictione* viij. xv. *Kal. Novemb. Regnante Conrado Romanorum* Rege *tertio. Anno verò Regni ejus* viij. Data *est apud Trajectum in Christo feliciter, Amen.*

Testes hujus confirmationis.

a *Ut nummi cusi testantur,*] Hi à me quidem visi non sunt, verùm habeo nummulum argenteum Balduini Episcopi, quem primi ejus nominis Præsulis esse crediderim, cujus formam expressi in notis ad Chronicum Becanum.

b *Ex loco Berom.*) Ubbo Emmius lib. 6. Frisic. Heribertum apud Bierumanos ex familiâ plebeia natum asserit.

c *Invenit apud Trentinos magnos tumultus,*) Hoc bellum pluribus prosequitur Emmius lib. 6. ad annum C. 1143. non procul à fine libri.

d *Altri*]

d *Alteri præfecturam in Coevarden,)* Sequentes historiæ satis indicant incommoda hinc exorta; & quoties in ea gente, etiam cum interitu Episcop. certatum sit.

e *Otto Comes Ricomagi,)* De hoc Ottone plura dixi ad Bekam quem adeat curiosus Lector.

f *Præfectus in Benthem,)* Hic indagandum an hæc præfectura ante illa tempora fuerit, Traject. Antistitum, quod indicare videtur enumeratio illa feudalium quæ sub Adelboldo facta traditur, ego verò, ut jam dixi, posterioris ævi semper putavi, quare nihil hic affirmare volui.

g *Iohanne Principe de Arclo,)* Quem alii dominum vel Satrapam, hic noster principem appellat, quod verbum sublimioris alicujus dignitatis est indigitamentum.

h *Ipso verò congregato Sacerdotio.)* Cœlestibus armis certando, veri Antistitis munere functus est, plures hoc modo insuperabiles alioqui, vicerunt hostes; in promptu sunt exempla: Sic summus Pontifex Ierosolymitanus Alexandrum illum cognomento magnum infesto animo ad sanctam urbem accedentem, mitigavit: Atque Lupus Tricassium Episcopus Attilam, Dei flagellum sese appellantem, flexit, & pacavit.

i *Qui arcem suam Benthem B. Martino tradidit.)* Si arx fuit D. Martini, quomodo itaque tradidit? Certè hic hæret aqua; quare ego ab hoc primùm tempore Benthemios Antistitibus obnoxios fuisse crederem, & Othonem hunc tanquam pretium redemptionis tum arcem suam Præsuli tradidisse, etiamsi supra in Willibrordo Benthem S. Martino traditum fuisse scribat auctor noster.

k *Harmanno C. de Staleke,)* Diploma est in Originibus Freheri cap. xi. ubi Staleke castrum Bacharaco impositum nominatur.

l *Monasteria in Egmunda atque Reynsburg,)* Extat Innocentii diploma in Chronico vulgari, quod doctissimus Boxhornius ex membranaceis Cod. integrum in Theatro urbium Hollandiæ dedit.

m *Anno* 1148. *Conflagravit major pars,)* Chronic. Belg. Magnum alterius meminit incendii circa annum 1131, quod an idem cum hoc, an illud sit ignoro Loca autem & tempora haud concurrunt; hoc saltem vero simile est, geminatum incendium remedium peperisse, & ideo fossam ex Lecka per Urbem in Vechtam deductam, quæ nunc fossa vetus dicitur. Nova verò 120. annis posterior est, ut suo loco ostendemus.

n *Conradus frater noster Præpositus,)* Hic Præpositus Ecclesiæ D. Martini Traj. Anno 1145. post Patavienfis Episcopus, ac deinde Satzburgensis Archiepiscopus electus, successorem habuit in Præpositurâ Godesfridum de Rhenen, postea Episcopum Trajectens. Hujus Conradi meminit Onuphr. lib. 3. de Princ. Rom. in stemmate Waibelingensi, Bertius lib. 3. Germ. ubi agit de Saltzburgo 30. Archiepiscopum dicit Conradum II. S. Leopoldi Austriæ March. F. Prius Pataviensem Episcopum sedisse ann. 4. obiisse verò anno 1168.

o *Reges & Imperatores in dictâ Ecclesia inter Canonicos primum locum obtinuêrit,)* Extat ex libro Cameræ dicto Coll. S. Martini de collatione præbendæ Imperial. diploma quod hic adscribendum duxi, ut sequitur:

Henricus divinâ favente Clementiâ Rom. Imp. semper Augustus: & Rex Siciliæ dilectis fidelibus suis Præposito, Decano, totique Capitulo S. Martini majoris Ecclesiæ Traject. gratiam suam & omne bonum. Quum antiquissimis retrò temporibus Rom. Reges & Imperatores antecessores nostri vestram sint experti devotionem, eo quod communi electione & Canonicâ Regem Romanum seu Imperatorem pro tempore existentem, & eorum successores, in Canonicum Ecclesiæ vestræ & fratrem elegistis, faciendo præbendam ipsius debitis officiis per duos sacerdotes à Rege seu Imp. instituendos; qui pro Regibus & Impp. ac tranquillitate pacis ac regni dominum incessanter exorarent. Proinde nostra Imperialis excellentia ad nostram Ecclesiam protectione tenebitur speciali. Verum quia nostræ Excell. innotuit, quod mortuis sacerdotibus prædictis, Regibusque & Impp. interdum in remotis agentibus, neglectum est hujusmodi in vestrâ Ecclesiâ instituere sacerdotes, & cum de his quæ ad Deum sunt, major à nobis diligentia requiritur. Nolentes per hujusmodi negligentiam ecclesiam nostram debitis

in hac parte privare obsequiis; Regia auctoritate statuimus ut stipendium præbendæ nobis assignatæ per manum Theodorici Decani ipsius majoris Ecclesiæ ejusque successoribus in perpetuum duobus sacerdotibus conferatur, qui illud officium deservire, & ut præmittitur, pro nostrâ salute & Imperii tranquillitate idonei existant, dominum exorare; Et ut hæc rata maneant, & inconvulsa perpetuo teneantur, sigilli nostri impressione hanc cartam jussimus insigniri. Datum anno Regni nostri XI. *Indict.* VI. *mensis Maji die* XVII. *In Christi nomine, Amen. Sunt & hodie præbendæ quæ Imperiales vocantur, quarum commodis & utilitatibus nonnulli fruuntur parum de precibus solliciti.* »

p *Henrici IV. avunculi nostri,*] Fuit enim Henricus IV, Italis nostris autem V. ejus nominis Imperator frater Agnetis nuptæ Frederico de Stauphen Duci Sueviæ ex quibus natus Conradus, ut ex Onuphrio colligere licet, cui adstipulare videntur Cuspinianus in ejus vitâ, & Munsterus in Cosmogr. lib. 3. Felix attamen Fabri mon. libro 1. hist. Suevorum, sic de Conradi electione scribit: *Mox congregatis Principibus Electoribus ad Suevorum Duces animos inclinaverunt & Conradum filium Harmani Ducis Suevorum fratrem Frederici primi, & nepotem Henrici V., elegerunt in Rom. Imperatorem anno Domini* 1138. qui in nomine patris ac fratris falli, mihi videtur.

q *Conjugis nostræ Reginæ prædictæ,)* Hanc Onuphr. Panvinius Bavaram fuisse tradit, filiam Comitis de Sultzbach, Berengarii senioris (teste Guil. Tyrio hist. de bello sacro lib. 16.), magni & egregii Principis in regno Teutonicorum potentissimi. Habuit hæc sororem nuptam Emanueli Imp. Constantin. ut idem Tyrius.

r *Henricus Comes de Gelre,*] Henricus hic secundum Aquilium 3. fuit Gelriæ Comes ab Ottone ex Nassovicâ, ut volunt, familiâ; vide & ad eundem Aquil. notas historicas Scriverii, atque ea quæ Wernerus Teschemakerus Annal. parte secundâ tradit.

s *Et frater ejus Comes Hermannus,)* Hic iterum legis Hermannum de Cuck, Comitem, post obitum Lotharii Imp. quod opinionem meam supra positam confirmat; Comitatum nempe non fuisse annexum dominio de Cuick, nec hunc titulum Cuickensibus per Lotharium in perpetuum ademptum, sed aliunde ipsis adhæsisse.

t *Arnoldus de Rodenburch dapifer nost. Conrad. Pris Marq. Grombach.*] Circa hæc tempora, nempe post Syriacas Christianorum expeditiones, cognomina familiarum nobilium multiplicari cœperunt. Tum enim Rodenburgii, Prisii, Bothorstii, Grombachii, Wihi, Malbergii, Amstelii, Saterfloi, apud Germanos suâ virtute innotuêre, & horum nomina Principum diplomatibus inscripta inveniuntur.

Hermannus Episcopus XXVII.

DEfuncto Heriberto oritur non modica contentio de futuro Episcopo, Theodrico Hollandiæ, Henrico Geldriæ, Theodrico item Clivens. Comitibus, Hermannum ex (a) Comitibus de Hoern, Præpositum sancti Gereonis Coloniensis promoventibus, Civibus verò cum aliorum oppidorum votis, Fredericum (b) de Havell postulantibus: prævaluit tamen ipse Hermannus fretus auctoritate Comitis Hollandiæ, qui omnes adversarios sibi redegit in subjectionem. Transacto hoc modo biennio descendit Legatus Apostolicus apud Leodium, citans utrumque electum, ubi interventu Conradi Regis, eo res deducitur, ut Hermannus XXVII. Episcopus constitueretur, vir parum utilis, usque adeò ut ignaviæ notaretur: nam latrocinia & cædes ac vulnera mutua inter cives agitabantur in ejus conspectu, in quos animadvertere non audebat, nec vulgi sibi subditi potuit coercere petulantiam, quin quæque scelera in suos atque exteros perpetrarent. Unde propter hujusmodi licentiam concordes animi scissi in diversas affectiones, initium dedere intestinæ factionis, quæ adhuc perseverat. Anno MCLVI. III. Kalend. Aprilis exhalavit Hermannus Episcopus spiritum, Sepultus in majori Ecclesiâ, cùm sedisset annis sex. 1156.

Contentio ob Electionem Episcopi.

Ignavia Hermanni Episcopi.

Prodigia.

Hujus tempore (c) circum lunam visus est circulus instar Iridis, cum quatuor radiis protensis ad formam crucis. Secutus est ingens terræmotus ad XV. annos perdurans, multas præclaras urbes subvertens, inter quas Damascus & Antiochia innumerabili mortalium multitudine

Anachronismus historiæ. oppressa. Et invenio magnam temporis varietatem, quidam scribunt circulum visum] anno M c l I I. X I. Kal. Aprilis, alii (d) M c lx I I. quo tempore Fredericus Augustus urbem Mediolanum rebellantem evertit. Et Rodolphus Archiepiscopus tres (e) Magos Coloniam adduxit. At Frisii, quos (f) Drechteros appellant, aliquot loca exurentes rebellarunt, quorum motus, cum magnâ eorum clade subitò compressere Harlemii manu adjuti rusticanâ. *Drechten Frisii circa Hornam habitant.*

a *Ex Comitibus de Hoern,)* Nondum eo tempore erant Comites de Hoern; nam primus eâ dignitate & titulo auctus est à Frederico Austriaco Imp. Iacobus Dominus de Hoern, circa annum Christi 1451. id est, post 300. demùm annos.

b *Fredericum de Havell.*] Quis hic fuerit ignoro; variè autem scribitur, *Houvell*, MS. Beka *Hovel* habet, alii *Hanel*. At constat hunc à civibus & Colonis prælatum Hermanno: Douza in hist. Holl. versibus conscriptâ lib. 7.

Hornæ hinc Hermannus Comitum genus, Hauvveliæ stirps
Inde (petitorum pars) erat &c. Cui pater Adolphus.

(b2) *Interventu Conradi Regis,*] Quantorum malorum, discordiarumque hæc electio causam dederit; etiamsi breviter nostri scriptores attingunt tantum, ab Ottone Frising. Episcopo fusiùs narratur lib. 1. de reb. gestis Freder. I. Imp. cap. 62. his verbis: *Ea quoque tempestate in inferiori Trajecto Fresiæ urbe, Hartliebo ejusdem Ecclesiæ Pontifice obeunte, grave schisma ibidem oritur: quibusdam Fridericum Adolphi Com. filium, aliis Hermannum Eccl. S. Gereonis in suburbio Col. sitæ Præpositum, in illius Ecclesiæ præsulem digentibus. Illi vero qui Herman. elegerant, alios præoccupantes principem ap. Noricum castrum adeunt, ab eoque investituram Regalium suscipiunt. Quos altera pars in civitatem Galliæ Spiram subsecuta, inducias ab eo usque ad proxim. dies Rogat. Noviom. in palatiis accepit &c. Trajectenses Fredericum in civitate non sine fastu habebant, Harmanno ejecto. Itaque conductum primò de personarum incolumitate petentes, cum magnâ multitudine navium à Rheno per Wal fl. veniunt. Quos Rex ad pacem cum adversariis suis, sine litis contestatione revocare volens, cum hoc modo procedere non posset, tandem eis juris districtionem obtulit. Illi se, eo quod causa ipsa tanquam Ecclesiastica ad aures Sum. Pontificis translata esset, respondere coram laico judicè non posse, dixerunt. Contra quos, utpote adversus Rom. Principem agentes, Majest. reos, acerba Rex usus conquestione, vindictam sumere eo tempore distulit.* cap. seq. *Inde in Gallias rediens, Trajectensium negotium, revocatis omnibus ad subjectionem Hermanni, cum Imperii honore terminavit.* Nec ita finitum illud dissidium. Quin cum sub Frederico Imp. adhuc Havelio favere contra Herm. non desinerent, grandi ære ab eodem mulctati sunt. Quam quoque rem suis versibus prosequitur Gunterus de reb. gestis Frid. Imp. lib. 1. ubi hæc leguntur;

Haud mora, Trajectum patruo regnante, superbâ
Abjecisse jugum cervice, piumque recenter
Offendisse virum, factis crudelibus ausum,
Hostili fervore petit; murosque parabat
Inclinare solo, captasque evertere turres
Suppliciumque reis, &c.
Tandem multorum vix eluctante rogatu
Magnorumque Ducum, multo prius are redemptis
Parcitur, & justi fera Principis ira resedit.

Meminit harum controversiarum sed tribus tantum verbis Cuspin. in vita Fred. I. Imp.

c *Circum Lunam visus est circulus &c.)* Vide Chronicum magn. Belg. pag. 174. meminit & terræ motuum circa annum 1170. & præcedentes annos Abbas Ursp. pag. 309.

d *Quo tempore Fredericus Aug. urbem Mediol.)* Vide ad annum 1162. Sigonium de Regno Ital. lib. XIII. qui deditum scribit Mediolanum, sed durissimis cõditionibus, quas ibi exprimit; ac paulo post, ait, eversam urbem, idque sequenti anno factum incertus auctor ad Contractum refert: quod & hisce verbis approbat Rob. de Monte in Append. ad Sigisb. Chron. *Anno 1163. Fridericus Imp. Alamannorum urbem Mediolanum quam per tres annos obsederat, necessitate famis afflictam, capit & destruit; reservatis tantummodo matrice Ecclesiâ, & quibusdam aliis.* Videndi: Corius Italus in historiâ Mediolanensi, Conradus à Liechtenauw Abbas in Chron. Cuspinianus in vitis Impp. Hieron. Rubeus hist. Italiæ & Raven. lib. 6. Blondius lib. 5. Dec. 2. Sabell. Ennead. 9. lib. 5. Platina in Alexandro 3. P.R. Volaterranus, Munsterus, Georg: Merula de Antiquit. Gall. Cisalpinæ lib. 1. cap. 4. Fredericum I. Rubrobarbum partem urbis solo æquasse, actis civibus in exilium, tradit. Adde Leandrum Albertum in Lombard. descrip. aliosque ejus temporis & loci scriptores.

e *Et Rodolphus Archiepiscopus tres Magos Col. adduxit.*] Id plures tradunt, ac multi credunt. Leander Albertus in descript. Lombardiæ: *Trium Magorum corpora quæ in æde D. Eustorgii servabantur, hinc in Agrippinam Coloniam transtulit.* Meminerunt hujus rei Amylius Stokius fol. 14. Albert. Sta-

denſ. in Chron. Sabell. Platina, Corius, alii. Godefridus Mon. Pantaleonis ad ann. 1164. refert. Miræus tamen in Annal. Belgicis Reinaldū Epiſcopum appellat non Rodulphum, quod & Chron. Colon. ante 142. annos editum probat, ubi multa de tranſlatione narrantur fabulis ſimillima.

f *Friſii quos Drechteros appellat,*] Ad Becanum Chronicon puto me egiſſe de his fuſius.

Godefridus Epiſcopus XXVIII.

DIſcordia poſt obitum Hermanni ſuper electione rurſus ſuborta, auctoritate Frederici Imp. ſupervenientis illicò pacatur. Is enim prudenter providit, ut & Canonicè & ſuâ prece Godefridus de Renen major Præpoſitus viceſimus octavus eligeretur Epiſcopus, vir appetens gloriæ, atque ingentis animi. Sub hoc tempore obiit Theodoricus Comes Hollandiæ, poſtquam rexiſſet Comitatum annis xl. ſecundum alios xxxvi. Sepultus Egmondæ anno M. c lxiii. Nonis Auguſti, cujus uxor (a) Sophia ſanctitate perſpicua, orationibus & peregrinationibus dedita, jam tertiò pergens Hieroſolymam, illic moritur & ſepelitur. Succedit Florentius tertius Comes x. qui graviſſima bella contra Philippum (b) Comitem Flandriæ & Alſatię geſſit: à quo tandem victus & captus in prœlio, abdicat perpetuò medietatem terræ, ſitæ in Occiduâ parte Schaldis flu. quæ vocatur Waſia ſive Waſda, incorporata nunc Flandriæ. Tandem ictis paribus conditionibus dimiſſus, duxit (c) Adan filiam Regis Scotorum uxorem, ex quâ genuit Theodricum ſucceſſorem, Wilhelmum Orientalis Friſiæ Comitem, Florentium Præpoſitum Trajectenſem, Robertum Præſidem Kenemariæ, & quatuor filias. Hic (d) Godefrido Epiſcopo, contra Trentanos, auctoribus nepotibus Heriberti, pro Præfecturâ Groningenſi ſibi adverſantes, fuit magno adjumento. Nam pene captum ab hoſtibus liberavit, quos etiam contrivit & urbem ipſam magnâ preſſit obſidione, crebris oppugnationibus eam appetens, reſiſtente Comite Gelriæ cum Theodrico (e) Batenburgenſi, qui civibus ſuppetias venerant, donec res per arbitrium Imperatoris Frederici, mandato negocio Reinaldo Archiepiſcopo Colonienſi fuiſſet compoſita. Sed (f) haud longè poſtquam hæc res acta eſt, ſuboritur inter Godefridum Epiſcopum, atque Florentium Comitem non modica diſcordia, occaſione ejus partis Orientalis Friſiæ, quæ Lavicæ flu. adjacet, quem Carolus & Lotharius Aug. Comitibus Hollandiæ. Alii verò Imp. Epiſcopis atque Eccleſiæ Trajectenſi tradidère. At Florentius totum ſibi vendicabat. Epiſcopus ſe videns viribus inferiorem, invocat Cæſarem Fredericum, qui deſcendens hanc quæ ſequitur ex æquo edixit concordiam.

Theodoricus Comes Hollandiæ moritur 1163.

Florentius tertius Comes Hollandiæ.

Diſcordia inter Comitem Hollandiæ & Epiſcopum ob Friſiam.

Concordia inter Epiſcopum Trajectenſem, & Comitem Hollandiæ ſuper parte Orientalis Friſiæ.

IN nomine S. & individuæ Trinitatis, Fredericus divinâ favente clementiâ Rom. Imp. ſemper Auguſtus. Controverſiarum quæ ſententiâ vel concordiâ ſopiuntur, ratio ſuggerit, ut ſcriptis & teſtificationibus deſignentur, ne fortè diuturnitate temporū diſcordia recidiva reſurgat & habeat ſecutura poſteritas, quid de ſtatu præcedētiū, fraudibus malignātium convenienter opponat. Ea propter controverſias, quæ inter Godefridum venerabilem Trajectenſem Epiſcopum, & Florentium Comitem Hollandiæ de Comitatu Friſonū agitabatur, nos de conſilio curiæ & fideliū noſtrorum concorditer decidentes, eoſq; favorabili amicitiâ reconciliantes, dignum duximus, ut univerſus tenor concordiæ deſcriberetur, quemadmodum ſubnixa videtur. Statuimus igitur, ut æquè participent de prædicto Comitatu Friſonum, Epiſcopus videlicet & Comes, & neuter eorum alio majus habeat in hoc Comitatu commodum vel proficuum: ambo concorditer eligent ſibi Comitem, qui vices eorum gerat in prædicto

Comitatu Friſonum inter Epiſcopum & Comitem controverſus.

Inter utrumque æqualiter dividendus quoad commoda & incommoda.

dicto Comitatu, qui præsentatus ab eis Domino Imp. bannum & potestatem judicandi à manu Domini Imp. accipiat, & juramentum præstabit, quod pro dilectione, vel odio, vel pro argento, vel auro, vel alicujus rei gratia in prædicto Comitatu neutri faciat injuriam, nec unius magis promovebit commodum aut proficuum, quam alterius. Episcopus etiam & Comes ordinabunt de utilitate electi Comitis eorum in prædicto Comitatu. Quod si ipsi concorditer Comitem eligere non poterunt, Dominus Imp. pro consilio suo Comitem eliget, & illi dabit Bannum, & ordinabit de suâ utilitate. Si verò displicebit Episcopo, vel Comiti, vel utrique, Episcopus & Comes, quem vel ipsi elegerint, vel quem Imperator eis dederit, mutare possunt eum, quando voluerint.

Vtriusque nomine Comes cum Báno Imperatoris constituendus.

Cùm verò intrandi in prædictum Comitatum, & judicandi Maji tempus advenerit, Episcopus videlicet & Comes Hollandiæ simul intrabunt, uterque cum XXX *militibus, vel si fortè in majori vel minori numero militum convenerint, & postquam intraverint, æquè divident omnes reditus curtilium ad Comitatum pertinentium, & omnia commoda & emolumenta, quæ de Comitatu vel Iudiciis Comitatus pervenerint: æqualiter quoque impartientur damna & defectus Comitatus, & separatim uterque in hospitio suo faciet expensas pro voluntate suâ: communi quoque consensu & dono investituras locabunt & ordinabunt officia sua.*

Duo Advocati constituendi.

Uterque autem pro libitu suo accipiet sibi Advocatum, communibus tamen negociis idoneum. Si autem Advocatus Episcopi Comiti displicuerit, ad nutum Comitis Episcopus illum deponet, & substituet alium qui Comiti placeat. Si verò Advocatus Comitis Episcopo displicuerit, deponet eum Comes, & alium qui placet Episcopo substituet. Ab introitu amborum Episcopi videlicet & Comitis exercebit Comes eorum Iudicia & justitias Comitatus, donec peragantur VIII. *septimanæ. Infra has octo septimanas Episcopus non exercebit aliqua Synodalia vel Ecclesiastica Iudicia. Transacto autem hoc spatio, Comes Hollandiæ si vult exire poterit, & si vult, remaneat ad negocia si quæ sint pleniùs peragenda: & Episcopus similiter remaneat ad Ecclesiastica judicia facienda, ambo autem in Mayo debent intrare, ut expeditis singularibus negociis & Iudiciis, Synodalia quoque negocia ante incommoditatem hyemis valeant promoveri.*

A Maio ingressus in Frisiam, & judicia civilia inchoanda.

Functi judiciis civilibus Ecclesiastica recipiunt.

Verùm si alter eorum, Episcopus videlicet & Comes, commonitus ab altero, vel in servitio Imp. vel alterius Domini sui, vel gravi infirmitate occupatus, vel qualibet inevitabili causâ detentus, vel pro voluntate suâ Comitatum non intraverit, mittet condictam militiam, vel quantam tunc oportunitas temporis exigit, & ipsi inter se convenerint, & æqualem portionem accipiet, & sicut supra dictum est, o-

eſt, omnia ſimul bona & mala partientur. Si verò neuter eorum Comitatum intrare poterit, vel communi conſenſu intrare vitaverint, mittent Comitem ſuum ad exercenda judicia Comitatus, & cum illo mittent milites, quotquot voluerint, vel nuncios. Et quicquid ſuper ſumptus illorum reſiduum fuerit, æqualiter divident inter ſe. Præterea Comes Hollandiæ juvabit Epiſcopum per(g) *Werram vel obſidionem quam cum ipſo faciet, vel per querimoniam caſtrum recuperare Benthem. Et ſi quocunque modo illud recuperaverit, concedet illud Comiti in feudum, ſalvâ uniuſcujuſque juſtitiâ. Et Epiſcopus habebit in eodem caſtro domum & Capellam, & granarium, & coquinam, & ponet in eodem unum liberum hominem ſuum, & duos miniſteriales ſuos, & liberè ingredietur & egredietur, quando voluerit. Comes autem habebit omnem munitionem & fortitudinem caſtri, & juvabit inde Epiſcopum. Si autem Epiſcopus Werram habuerit cum aliquo amico vel homine Comitis, contra quem Comes ſalvo honore ſuo Epiſcopum juvare non poteſt, dabit caſtrum in poteſtatem Epiſcopi, ut habeat illud quamdiu Werra duraverit, acceptâ tamen ſecuritate, ut finitâ Werrâ ei reſtituat. Ut autem univerſam concordiam Epiſcopus & Comes perpetuò teneant & obſervent, fide datâ in manu noſtrâ firmiter compromiſerunt. Et nos ad majorem hujus concordiæ firmitatem ſub obtentu gratiæ noſtræ, & ſub pœna quingentarum marcarum argenti eis injunximus omni tempore obſervandam. Caterùm ſi alter ipſorum hanc concordiam violaverit, & commonitus ab altero, infra* XII. *hebdomadas non emendaverit, nos Comitem, qui bannum à nobis habet, in præſentiam noſtram vocabimus, & ab ipſo, ab aliis ſex boni teſtimonii viris, tribus videlicet ex parte Epiſcopi, & tribus ex parte Comitis, quos ad hoc eligemus, quis in hujus violatione concordiæ reus ſit, inveſtigabimus. Hi ſeptem jurabunt, quod bona fide veritatem dicent. Qui autem ab iis ſeptem viris, vel, ſi diſcordes fuerint, à majori parte reus eſſe cenſebitur, quingentas Marcas argenti intra* XX. *hebdomadas Cameræ noſtræ perſolvet, & reatum ſuum dignè emendabit.* (h) *Datum Anno* MCLXVI.

Alter alterum in bello juvet.

Bello castrum Benthem recuperandum in communi.

Pœnæ non servantis pacta conventa.

Motus Friſiorum & prodigia.

HOc quoque tempore, ſcilicet MCLXI. Friſii vadum Okenwoerd tranſeuntes, graſſantur in Hollandiam. Inter quos & Florentium aliquot annis ſub vario fortunæ eventu præliatum eſt. Tandem vaſtata Winckel cum Niedorp, & Texaliâ & Wieringiâ inſulis ſubactis à Florentio, Friſii ad pacis conditiones coacti ſunt, & Florentius demum viſit Ieroſolymam. Contigerunt etiam diverſa & horrenda prodigia. Agnus naſcitur cum uno capite, ac ſenis pedibus, geminatâ caudâ, gemellus videlicet à parte poſteriori. Anno MCLXX. In Autumno inaudita tempeſtas, Oceanus excurrens terminos, ad mœnia Trajecti urbis pertingit, ſequenti verò multo altius efferbuit per univerſam provinciam, ſimillimus Cataclyſmo, in Natali Dominico viſa fulgura, audita tonitrua, & ante tempus fruges & flores innati arboribus, volatiliaque & animantia quæque producebant fœtus. Et rurſus magna pars

Prodigia ejus temporis.

Godefridus Episcopus quatuor castra ædificat gna pars Trajecti incendio consumpta, unde Iejunium, & Potentia publicè indicta. Godefridus verò inter tantas calamitates animo minimè consternatus, oppidum (i) Rhenen cum residuâ hæreditate suâ, contulit ecclesiæ Trajectensi. Et pro tuitione suæ Ditionis construxit arces quatuor munitissimas, videlicet (k) Horrestum ad Gelrorum, Montfort ad *Moritur anno Christi 1178.* Hollandorum, Woerden ad Trajectensium, Vollenho ad Frisiorum insultus compescendos. Et cùm annis XXII. feliciter Ecclesiæ præfuisset, obdormivit in Domino VI. Kalend. Iunii Anno (l) M C LXXVIII. adhumatus Baldrico Episcopo.

a *Cujus uxor Sophia,)* De quâ Meyerus ad annum 1165. sic scribit: *Hierosolymis Sibylla Theodorici uxor abstinentiæ & pietatis percelebre adepta nomen, debitum naturæ persolvit*, qui tamen in nomine errat.

b *Gravissima bella contra Philippum Flandriæ Comitem,]* De hoc bello sic idem Meyerus lib. V. Annal. Flandr. *Philippus Comes cum Mathæo fratre instructâ multarum navium classe movet in Florentium C. Hollandiæ, qui per id tempus terrâ marique Flandris incommodabat. Cessit hæc expeditio Flandris quàm prosperè: Florentius etenim qui tantam sibi vim militum piratarumque conflaverat, ut totius maris Imperium obtinere videretur, circumventus undique à nostris, desperata spe resistendi, sine ullo prope certamine, se suosque Philippo Principi dedidit.* Anno post secundo custodiâ dimissus est. Conditiones pacis copiosè descripsit Meyerus eodem loco, & paulo post: *Sed quia Florentius hanc pacem non servavit, abstulit illi Philippus omnia quæ habuit in insulis, etiam terram Wasiam quam tenuerat Comes Holland. in fide & clientelâ Comitis Flandriæ &c.* Miror Oudegerstium nihil de hoc bello referre. Marchantius attingit lib. 2, descript. Flandriæ, sub Philippo Alsatio, hoc modo: *Florentium III. Holland. Comitem captum dimisit, per transactionem, eumque contravenientem, terrâ Wasiâ, quam in clientelâ Flandri possidebat, ex pacto mulctavit.*

c *Duxit Adam filiam Regis Scotorum,]* Ad Bekam dixi, non filiam fuisse Regis Scotorum, sed neptim, patre Adæ antequàm regnare posset, mortuo.

d *Hic Godefrido Episcopo, contra Trentanos,)* De toto hoc bello vide Ubbonem Emmium, libr. 7 Fris. suo more differentem Frisiis nempe suis faventem: unde historiam plenè descriptam curiosus lector hauriet. Adde ea, quæ à Nobiliss. Dousa conscripta sunt versibus lib. 9. hist. Hollandicæ.

e *Cum Theodorico Batenburgensi,)* Chron. Magn. Belgicum vocat Henricum, sed malè, Ubbo enim, prædicto loco, etiam Theodoricum appellat, ut Chron. incertum ignoti Clerici, Dousa lib. 9. hist. Holl. Pontanus hist. Gelr. lib. 6. Chron. vulgare, Divis. 13. c. 3.

f *Sed haud longe post suboritur &c.* Anno X. Episcopatus Godefridi, ut est in Chron. Belg. magno; ubi ea res causæque propius discussæ. Sed mirum nihil ab Æmylio Stokio de hâc controversiâ scritum inveniri; cùm Annales vulgares, Barlandus, Snoyus, Ubbo Emmius, Chronicon innominati Clerici, & ante hos Beka, illius meminerint; nec Gerbrandus Leidensis intactam reliquerit.

g *Per Guerram.)* Itali *guerram* vocant bellum, ut etiam Galli *guerre*. Mathias Parisius in vitâ Wilhelmi II. Anglor. Regis: *Vicinos werris & exactionibus assiduis provocabat*, vide Abb. Ursp. in legibus Frider. Hotomannum de verbis Feudal. Estque verbum frequenti in usu mediæ ætatis scriptoribus.

h *Datum Anno M C LXV,)* De tempore hujus diplomatis, cum desit in impressis, dubitatur: ego in quibusdam exemplaribus MSS. & meis etiam fœdis annum hunc inveni, quem hic reposui. Regni is fortè Frederici Ahenobarbi XV. Imp. X. qui calculus non multum ab Onuphrio dissidet, & convenit diplomati ejusdem Imperatoris à me ex originali descripto anni 1156. Regni V. Imperii primo. Videtur nihilominus dissidii materia inter hunc Episcopum & Comitem superfuisse, de quâ extant literæ Godefridi circa annum 1170. datæ, quorum tenor sequitur.

IN nomine S. & individuæ Trinitatis, Amen. Ego Godefridus D. G. Trajectensis Episcopus notum facio Universis &c. Quod Philippus Coloniensis Ecclesiæ Ven. Antistes, *ægre ferens controversiam quæ fuit inter nos & Comitem Hollandiæ, de liberis Episcopi hominibus. Cum multis spem reformandæ pacis & amicitiæ inter nos dictos dedisset, & non perfecisset. Tandem nobis Susæ diem indixit, quo & venimus; primùm itaque multâ industriâ advocato consilio Comitum Gelrensium & Clivensium, & Comitis Ultrajectensis Henrici de Cuck, & aliorum nobilium Ministerialium, desudavit nos amicè componere. Sed cùm res hâc viâ non procederet, urgente molestiâ & indignatione in communi, dixit, cum de re propositâ, inter nos amicabili compositione dif-*

finire

finire non posset, finem imponere rei vellet per justitiam: Quod Comes gratis auribus audivit, & sententiam fieri petivit; Quæsitum itaque est in sententia à Comite Gelrensi, si liber aliquis servitio obligatus Imperio se & bona sua, pro quibus debitè servire tenetur Imperio, conjugio vel juramento alienare posset ab Imperio? Quod prædictus Comes Gelriæ asseruit in sententiâ, nequaquam id fieri posse; huic verò sententiæ, assenserunt ipse Comes Hollandiæ, Com. Clivensis, Comes Trajectensi: Henricus de Kuck, & alii quam plures, tam nobiles quam Ministeriales. Insuper Comes Hollandiæ, quasi leviter & absque molestia ferens sententiam, domino Coloniensi & aliis nobilibus audientibus dixit: quod non multum de liberis his attenderet, cum per sententiam eos amisisset, sæpe tamen postea gravem nobis in eis intulit injuriam; quod nobis in eum magis & magis auxit molestiam.

Quantum ipsi præterea præsuli fuerit molestiæ illatum ab Amsteliis, qui viribus; & potentiâ suâ confisi, undiq, ad se trahere Ecclesiæ (ut dicebantur) bona, conabantur, testatur id sequens diploma nonnihil à vetustate consumptum, quod hisce notaris inserere non inutile visum fuit.

IN nomine S. & Indiv. Trinitatis; Amen. Notum facio tam futuris quàm præsentibus; quod ego Godefridus Dei gratiâ Traject. humilis Antistes, legitimè certantibus coronam incorruptibil. . . . . . . legi, me exponere periculis & certamen fortè inire pro defensione sanctæ Ecclesiæ, cui praeesse & prodesse pro juribus & officio divinitus mihi injuncto, debeo: Unde accidit ut non solum Nobilium extra territorium degentium, verùm etiam Ministerialium S. Martini offensam sæpe incurrerim, & gravissimos impetus propterea sustinuerim. Inter quæ incommoda unum erat non minimum, quod Eggebertus de Amestelle *Ecclesiæ S. Martini & mihi intollerabiles injurias intulit, omne servitium quod ipsa Ecclesiâ de jure debuit habere in* Amestellâ, *& in aliis justitiis in circuitu per violentiam sibi vindicando & usurpando. Pro quo prius ipsum ordine judiciario evocatum, tandem justè inbannivimus, postea tot & tantas querimonias ad audientiam domini Imperatoris super eodem . . . ut tandem judicio Imperialis Curiæ idem Eggebertus proscriptus, & reus Imper. Majest. fuerit. Tandem dominus Philippus Coloniensis Eccles. Metropolitanus, tam pro his, quam pro aliis inimicitiis mediatorem se inter me & adversarios meos, jussu domini Imperatoris interposuit; consilio cujus idem Eggebertus eodem prope modo mecum reconciliatus est; quo cum . . . prædecessore meo bonæ mem. Heriberto Episcopo aliquando compositus fuerat. Omnibus siquidem quæ in toto illo confinio jure feodali prius*

sibi vendicaverat, cum juramento abrenuntiavit, & ea in manus meas liberè resignavit, quæ in officium villicationis à me recepit, cum tali determinatione, ut post mortem ipsius unus tantum filiorum, Giselbertus videlicet, ejusdem Villicationis officium de manu Episcopali jure consueto requisitum, obtineret; ita tamen, si fidelis in ejusdem officii administratione & Sancti Martini servicio permaneret. Paludem verò, quæ dicitur Bendelmerbruc, *cum omnibus suis attinentibus, & medietatem decimæ in Wispe, quam sibi injustè usurpaverat, jure perpetuo ad usum S. Traject. Ecclesiæ, penitus resignavit. Hujus autem reconciliationis compositio, ut omni tempore posteritatis firma & inviolabilis permaneat . . . . . roborato, gestæ rei seriem digessimus, testibus qui aderant subnotatis, quorum nomina hæc sunt: Arnoldus Præpositus, Arnoldus summus Decanus, Arnoldus Præp. S. Andr. in Coloniâ, Lambertus Præpos. S. Salvatoris, Godefridus Præpositus S. Petri, Hildebrandus Abbas S. Pauli, Rudolphus Decanus S. Salvatoris, Hermannus Decanus S. Petri, Conradus Decanus S. Iohannis.*

i *Oppidum Rhenen cum residuâ &c.*] Videtur jam tunc muro cinctum, quod tamen postea factum legimus. Hinc nobilis familia de Renen, jam diu desita, originem habet. Nam, ut alibi dixi plenius, pleræque antiquiores familiæ à castris possessis cognomina sumpserunt, quorum quædam deinde ampliata oppidorum nomen assumpserunt, & paulatim Regionis principibus sese submiserunt. Sic Amersfortia & Vicus Durstadum primùm familiarum tantum fuère castra; Sic Wordena, Audewatera, Amstelia, Harlemum, Roterodamum, singula singulis familiis nomen dederunt; quarum juri paulatim sese subducentia, inter ipsas civitates numerari cœpta sunt.

k *Horrestum ad Gelrorum,*) Extant in Archivis summi Collegii Trajectensis literæ donationis castri Horst, à Godefrido Episcopo factæ Ecclesiæ Trajectensi, anno Christ. 1178., Episcopatus ejus 23., quas ob nimiam prolixitatem omisi hic adscribere, tantùm ex iis stemmatis fam. Rhenensium partem extraxi, quæ sequitur:

Godefridus de Renen pater Episcopi.
- Theodoricus, Gerlacus, Arnoldus Clericus. — hisce 3. fratribus pater distribuit bona sua in Brab. sita. — Filia Theodorici, vel Gerlaci Sophia nupta Henrico de Kuc. — Godefridus de Kuc cum fratribus.
- Hugo cui uxor supervixit, S. L.
- Godefrid. Ep. — Hic dedit Horst castrum S. Martino ut frater ejus Gerlacus illud cum posteris teneant jure feudi:
- Helwigis nupta; cui dos **Bemmele** juxta Noviomagum, & **Wermersbach** prope Andernacum.

l *Obdormivit in domino adhumatus Baldrico.*) Anno Episcopatus ejus 23. qui & Imp. Fred. I. Imperii 23. ut ex diplomate supra laudato didici. Hic giganteæ staturæ homo fuisse videtur, ut ex ipsius capitis cranio, aliisque ossibus, olim me adolescente, anno nempe C. 1580. sepulcro erutis, apparuit.

Baldevinus Episcopus XXIX.

GOdefrido successit Balduinus ex Comitibus Hollandiæ cognominatus de (a) Benthem, secundus hujus nominis, Aldezalensis, & beatæ Mariæ Traject. Ecclesiarum Præpositus, XXIX Episcopus; vir modestus & castus, frater Florentii Comitis, &

Theodrici

Theodrici Præpositi majoris, posteà Episcopi, atque Ottonis Comitis in Benthem, quorum adjutorio subditos suos in pace aliquamdiu rexit, injustè ab hostibus ablata, recuperavit, justitiæ cultor insignis. Solus tunc Dux Lotharingiæ, nunc Brabantiæ, qui Comitatum Veluæ in beneficium tenebat ab Ecclesiâ, & eâ inconsultâ temerariè in Comitem Gelriæ transportaverat, Episcopum contempsit, & pro Domino statuto tempore recognoscere distulit. Unde Episcopus justè provocatus, nec tantam rebellionem æquanimiter ferens, Gerardum Comitem Gelriæ ex Veluâ propellit, eamque tanquam jure debitam vindicavit sibi. Gerardus Comes dolens se exutum Dominio, illicò congregato exercitu, Daventriam obsidet: Unde interveniente Frederico Imp. jussus discedere, per inducias res componitur. Interim decedente Gerardo Comite absque liberis, Episcopus (b) Veluam sibi rursus vendicat, territorium Comitatus Zutphaniensis, atque ipsius Geldriæ incendio atque rapinæ exponens adjutorio Clivensium. In tantâ verò rerum necessitate Otto Gerardo fratri succedens, nec resistere potens viribus adversariorum, tandem fretus auxilio Episcoporum Agrippinensium & Monasteriensium, Ducisque Lotharingiæ ac Comitis Montensis, iteratò Daventriam acerrimâ pressit obsidione, in quâ erant præsidia, equestris turmæ Balduini Episcopi. Et vertebatur res in periculum, nisi Episcopus iterato contracto exercitu suis suppetias ferre statuisset. Unde considerato utriusque partis discrimine, Fredericus Imp. descendit, & dissidium arbitrio terminavit, tali, ut Otto Comes Veluam quietè possideret, donec super hoc de Principum consilio aliter foret definitum, interveniente autem pro Comite Gelriæ Henrico, Duce Lotharingiæ. Henricus Imp. sextus ejus nominis, filius Frederici suam promulgavit super hac quæstione sententiam, cujus exemplar sequitur?

Dux Brabantiæ feudum suo tempore ab Ecclesia non recognoscens, eo privatur.

Possessio Veluæ Comiti Geldriæ adjudicatur, donec aliter definiatur.

IN nomine sanctæ & individuæ Trinitatis, Henricus sextus divinâ favente clementiâ Rom. Imp. semper Aug. & Rex Siciliæ. Imperatoriæ Majestatis nostræ debitum expostulat & requirit officium, ut ea, quæ inter fideles & Principes Imperii causam & fomitem dant discordiæ, limâ correctionis & diligentiæ omnibus modis enervantes ad firmam pacis concordiam vigilanti studio ipsos satagamus reducere. Quapropter notum facimus universis Imperij nostri fidelibus, præsentibus & futuris, quod nos quæstionem illam, quæ jam diu vertebatur inter consanguineos nostros, Baldevinum Trajectensem Episcopum, & Henricum Ducem Lotharingiæ, super Comitatum de Veluve, in eo videlicet, quod ipse Episcopus Comitatum illum de concessione Imperatorum sibi & Ecclesiæ Trajectensi asserebat pertinere, & econtra Dux Lotharingiæ dicebat, quod ipsum Comitatum de manu nostrâ teneret in feudo, ad hunc finem deduximus, quod ipse Dux injuriam suam recognoscens, omne jus quod in Comitatu illo videbatur habere, in manus nostras liberè resignavit. Nos itaque prædictum Comitatum cum omnibus suis pertinentiis, Imperiali clementiâ prædictæ Ecclesiæ Trajectensi, & dilecto consanguineo nostro Balduino ejus Episcopo, solemniter contulimus, & imperiali auctoritate præsenti Majestatis nostræ privilegio, in perpetuum confirmamus. Ipse verò Episcopus eundem Comitatum cum pertinentiis suis, & omni jure prædicto consanguineo nostro Henrico Duci Lotharingiæ in præsentiâ nostrâ benignè concessit, sub eo tenore, ut idem Comitatus ad ejus hæredem filium suum, vel

Sententia Henrici sexti Imp. inter Ducem Brabantiæ, & Episcopum.

Comitatus de Velua donatur iterum ab Imperatore Ecclesiæ Trajectensi, à quâ illum recipit Dux Brabantiæ.

filiam liberè transeat & integrè. Statuimus igitur, & Imperiali edicto sancimus, ut nulla omninò persona in posterum hanc nostram ordinationem & confirmationem aliquatenus infringere audeat vel perturbare. Quod si quis attentaverit, centum libras auri pro pœnâ componat, dimidium Cameræ nostræ, & reliqua passis injuriam. Ad cujus rei certam in perpetuum evidentiam præsentem paginam inde conscribi jussimus, & Majestatis nostræ sigillo aureo communiri. Hujus rei testes sunt: Ludolphus Magdeburgensis ecclesiæ Archiepiscopus, Hartvvickus Bremensis Archiepiscopus, Hermannus Lantgravius Thuringiæ. Otto Comes de Benthem, Comes Lambertus de Erphordiâ, Gebhardus Burggravius de Maigdeburch; Comites Albertus de Weringerode, (al. Wermingerode.) *Rubbertus de Cleve, Cuno de Minteberch, Marquardus dapifer, Drenshardus de Kesteneberch, Henricus Camerarius de Proiz, Henricus pincerna de Lut, Gerhardus de * Grimberch,* (* al. Grimbach) *Arnoldus de Wesemalle, & alii quàm plures. Signum Domini Henrici sexti Rom. Imp. invictissimi, & Regis Siciliæ. Ego Conradus Hildeshemensis electus, Imperialis aulæ Cancellarius, vice Conradi Moguntinæ sedis Archiepiscopi, & totius Germaniæ Archicancellarii recognovi. Acta sunt hæc anno Dominicæ incarnationis* M C XC. *Indictione* XIV. *regnante Domino Henrico sexto Romanorum Imp. gloriosissimo, anno Regni ejus* XXV. *Imperii verò quinto, & regni Siciliæ secundo. Datum apud Geilenhusen* II. *Non. Martii.*

HIc (c) Henricus fuit filius Frederici Imp. cognomento Ahenobarbi Italicè Barbarossa, Clarissimi Principis, qui genuit hunc Henricum, qui duxit in uxorem Constantiam filiam Rogerii quondam Regis Siciliæ, contra Tancredum tyrannum. Item alium filium nomine Fredericum, Ducem Suevorum: cui desponsata fuit filia Regis Hungariæ, qui morte præventus ipsam non cognovit. Moritur enim in obsidione Acconis urbis exercitui suffectus paterno. Volunt præterea Italici scriptores tertium fuisse filium nomine Ottonem. Pater namque solicitante Clemente III. Pontifice Rom. per Legatum Cardinalem anno M c lxxxvIII. decrevit expeditionem permaximam, pro recuperatione Hierosolymæ, quæ traditione Hugonis Comitis Tripolitani, Saladino Babyloniæ cesserat, subjugans sibi Turcas, Armenios, aliasque nationes, & ipsum Saladinum, obsistentes. (*Expeditio Frederici Barbarossæ Imp. in terram sanctâ.*) Quanto autem discrimine ex perfidiâ Imperatoris Constantinopolitani, per Hungariam, Bulgariam, Thraciam ac Lycaoniam, aliasque Provincias, exercitum duxerit (siquidem dum virum quendam eremiticum consuleret de itinere, accepit in fatis, se periturum aquis, quamobrem viam maritimam declinavit) ipse suis literis ad Henricum filium insinuat, quarum exemplar ob vetustatem præsentibus inseruimus.

(d) Epistola Frederici Imp. ad Henricum filium Aug. ex castris.

FRedericus Dei gratia Romanorum Imp. & semper Augustus, perdilecto filio suo H: Illustri Romanorum Regi Augusto salutem, & sincerum

sincerum paternæ dilectionis affectum. Excellentiæ tuæ literas plenâ mentis & animi jucunditate nostra Imperialis excepit benignitas. Quarum tenore plurimùm exhilarati super convalescentiâ tuâ spem firmam concepimus & optatam. Cæterùm, quia de persona nostræ statu & gloriosi exercitus vivificæ crucis progressu tua Regia desideravit edoceri serenitas, id primùm significando occurrit. Quod mox ut fines Imperii fratris nostri Imperatoris Constantinopolitani attigimus, in rapinis rerum & occisione nostrorum non modicum sustinuimus detrimentum, sicut ab ipso Imperatore indubitanter dinoscitur esse procuratum. Nam quidam latrunculi sagittarii penes publicam stratam in veprium condensis latitantes ex improviso sagittis toxicatis plerosque ex nostris inermes, & minus cautè ambulantes, affligere non cessarunt. Donec consilio maturiori à balistariis & militibus nostris undique vallati atque flagrante maleficio deprehensi condignas meritis pœnas exsolverunt. Quippe in unâ die, & uno patibulo XXII. *more lupino suspensi, vitam indecenter terminarunt. Nihilominus tamen residui malefactores à latere per devexa montium per totum Bulgariæ nemus nos persequentes nocturnis rapinis molestaverunt, quamvis innumerabiles variis tormentorum generibus ab exercitu nostro vicißim sunt cruciati. Porrò præfatus Imp. Constantinopolitanus, non solum universa, quæ à Cancellario suo in animam ipsius & caput apud Nurenbergam jurata noscuntur, infringere non dubitavit; Verùm etiam sub interminatione pœnæ, concambium & forum nobis subtraxit: arcta quoque viarum succisis arboribus ac saxis ingentibus obvolutis jußit præcludi, & quasdam antiquas clausuras vetustate collapsas robur scilicet & munimentum totius Bulgariæ in (e) Verfredis ac propugnaculis, contra honorem Dei & vivificæ crucis, in nostrum & totius Christianitatis excidium præcepit communiri. Nos verò cœlesti suffulti præsidio Græcorum machinamentis ignem apponentes, robora cum saxis in favillam redegimus & cinerem. Itaque universis clausuris per Dei gratiam victoriosè transitis, in terram planam circa (f) Veron omnibus bonis refertam pervenimus. Et sic in peragratione Bulgariæ sex hebdomadas laboriosè satis expendimus. Rursus inde proficiscentes Philippopolim civitatem situ naturali ac manu artificis munitißimam atque opulentißimam prorsus desertam, tanquam pro derelicta occupavimus, & ecce die sequenti literas maximo fastu conceptas ab Imperatore Constantinopolitano recepimus, quæ pariter minas, blandimenta, dolos concinnabant. Tunc autem (g) primum de captivitate Legatorum nostrorum*

Exercitus cruce signatorum ab Imp. Constantinopolitano malè acceptus.

nostrorum Monasteriensis videlicet Episcopi, Comitis Roberti, Marcquardi Camerarii, ad plenum sumus certificati. Quos sæpe dictus Imperator, dum adhuc in Bulgariâ essemus constituti, in contumeliam Creatoris & crucis scandalum, cui militabant, jussit captivari, & famæ suæ minus consulens, contra jus universarum nationum & legatorum ignominiosè nudatos in carcerem fecit detrudi. Talibus auditis, universus crucis exercitus infremuit, & postmodum civitates, castella, vicos depopulari, atque occupare non cessavit, quoadusque Imp. Constantinopolitanus Magnificentiæ nostræ Legatos cum magno honore ad nos redituros literarum suarum tenore nobis significavit. Tandem verò post multas legationes atque Legatorum ambages, dolum quem jam dudum contra nostram benignitatem conceperat, in hyemis asperitatem transitum nostrum prorogans, artificiosè peregit. Sicque Legatis nostris tanquam rebus bene gestis ad nostram Majestatem remissis, de ipsorum pecuniâ plus quàm duo millia marcarum detinuit. Iterato promittens transitum securum, navium abundantiam, forum bonum, concambium consuetum. Verùm quia in vulgari dici solet proverbio: Ustus timet uri. Græcorum juramentis & simulationibus, nullam prorsus habentes fidem, apud (h) Philippopolim hyemare decrevimus. Filiolus verò noster Dux Sueviæ, frater tuæ sublimitatis, moram in aliâ facturus est civitate, Veron nomine, cum magnâ exercitus parte, quæ distat à Philippoli decem miliaria terræ nostræ donec hyemalis auræ inclementiam vernalis temperies pellat. Omninò igitur impossibilis est transitus noster per brachium sancti Georgii, nisi ab Imp. Constantinopolitano electissimos, atque omni exceptione majores obtineamus obsides, & totam Romaniam nostro subjiciamus Imperio. Regiæ nobilitatis tuæ prudentiam commonendo rogamus, quatenus idoneos serenitatis tuæ Legatos Ianuam, Venetias, Anconam, Pisam & alia loca pro Galearum (i) atque Vacellorum transmittes præsidio, ut Constantinopolim circa medium Martium nobis occurrentes, ipsi per mare, nos verò per terram civitatem oppugnemus. Quamvis tamen magna militum gaudeamus copia, orationum instantiâ ad divinum recurrendum est subsidium: Quia Rex non Salvatur in multitudine virtutis suæ, sed per æterni Regis gratiam. Rogamus igitur, quatenus apud Religiosas nostri Imperii personas studiosè obtineas, ut jugi vigilantiâ copiosas pro nobis fundant orationes. Consulimus autem dilectioni tuæ, ut judicium arripiat, & in malefactores Regiæ dignitatis zelus exardescat, profectò per hoc gratiam Dei consequeris, & favorem hominum; Legatos etiam à Domino Papa mitti facias,

Imp. Constantinopolitanus contra jus gentium Legatos detinet captivos.

Pecuniam Legatis eripit.

Ustus timet uri.

Pietas Frederici Imp. in Deo fiduciam ponentis.

ti facias, qui præcipuè prædicent contra Græcos; quia Patriarcha eorum præsentibus Legatis nostris Monasteriensi Episcopo, & collegis suis in Ecclesiâ sanctæ Sophiæ publicè prædicavit, quod quicunque (k) Græcorum centum peregrinos occideret, si viginti Græcorum reatum incurrisset, indulgentiam consequeretur à Deo. Apud Philippopolim jam duodecim hebdomadas complevimus. Usq; Constantinopolim non invenitur castri vel civitatis habitator. Datū Philippoli XVI. *Kal. Decemb.*

Iustitia concilias Principi gratiâ.

Græca fides erga Germanos & peregrinos.

Quamvis ultra conceptum propositum, jam non historiam, sed threnos omnibus Christianis meritò ingeminandos scribam, heu quàm difficilè mutantur decreta cœlestis Iudicis. Fredericus de Philomelâ & Iconio, aliisque civitatibus triumphans, & omnia ferro victoriosè sibi aperiens, devenit in Armeniam, ubi dum refrigerii causâ propter intensum æstum in flumen (l) Saram descendisset, ignarus nandi, in vorticem montis à præcipiti flumine absorptus est. Sepultus Antiochiæ anno M, C XC, Cujus interitus damnum irrecuperabile intulit religioni Christianæ. Fuerant Comites Francorum atque Anglorum Reges, & Fredericus Dux Suevorum, Conradus Dux Austriæ, Florentius Hollandiæ, Philippus Flandriæ, & Otto Gelriæ Comites, cum aliis plurimis Ducibus.

Fredericus Imp. in flumine mergitur anno Chr. 1190.

De Frederico Iuniore.

Fredericus verò eligitur Dux, paterni exercitus. Wilhelmus verò filius Florentii Comitis Hollandiæ patrem cùm non spernendâ classe secutus, per singularem industriam auctor fuit occupandæ (m) Damiatæ, mortuoque patre Florentio eodem anno, quo Fredericus Imperator perierat, cùm XXVI. annis rexisset Hollandiam, associatoque cineribus Frederici, ipse Frederico Duci per quinquennium periculi & belli socius magnam sibi à Kenemaris sub eo militantibus paravit gloriam. Miserat Henricus destituto exercitui suppetias, licet parum videretur affici huic expeditioni, quia parum profecere. Sic pia cœpta mansere frustrata. Tantarum Imperator iste narratur virtutum, ut nisi discordia cum Romano Pontifice, quem tamen tanquam Vicarium Christi adoraverat, atque casus adversus obstitisset, crederetur Christianus orbis non alio vindice sarciri ac restitui potuisse: constituit leges perutiles, quæ extant: confirmavit & Godefrido Episcopo literas Ottonis secundi de villâ Amudâ cum teloneo ac piscatione in Almere, & terrâ Hattonis Comitis in Lona, & quicquid in utraque parte fluminis, quod dicitur Vecta, habebat. Insuper & terram ejusdem Hattonis Comitis in Eki, cum potestate cudendi monetam in Trajecto, Anno M C lxxi. Imperii verò XVIII, 4, Idus Octobris. Aquisgrani.

Damiata capta.

Florentius Comes Hollandiæ Antiochiæ apud Fredericum Imp. sepelitur.

Concessit etiam auctoritatem transfodiendi Nodam juxta literas, quas pro notitiâ locorum & rei memoriâ hic subnexui.

De aperiendo alveo Rheni flu. quo liberiùs decurrat.

In nomine S. & indiv. Trinit. Fredericus divinâ favente Clementiâ, Romanorum Imp. semper Augustus. Dignitas Imperii Romani hoc exigit, & ad hoc Imperialis honoris culmen regendum à Deo suscepimus, ut necessitates Reip. semper præ oculis & manibus habeamus, & in cunctis operibus Iustitiæ ipsa clementia, sine quâ Deo placere non possimus, omni tēpore nos comitetur. Tunc enim honor Imperii recto tramite incedit, & in meliorem statū roboratur, quando & saluti totius Patriæ utiliter providetur, & necessitatibus pauperū misericorditer subvenitur. Ea propter cognoscat universi fideles Imperii, præsentes & futuri, quod nos primitus amore Dei, deinde pia petitione fidelium Principū nostrorum, Godefridi videlicet Episcopi Trajectensis, & Florentii Comitis Hollandiæ, Henrici etiam Comitis Gelrensis, & Theodorici Comitis de Cle-

ve, & pro fideli servitio aliorum hominum plurimorum de Episcopatu Trajectensi, quibus quotidiè in terris, & bonis eorum gravis destructio, & intolerabilis vastatio per assiduas aquarum inundationes, quasi mors quotidiana imminebat, ipsis hominibus prædictis sit, jamque miserabiliter ad nihilum redactis, hanc gratiam indulsimus, eisque nostrâ Imperiali auctoritate benignè concessimus, ut terra illa, quæ vulgo Noda, alias Niedam dicitur, ad faciendum aquæductum ab incolis Provinciæ, qui tanto damno & periculo aquarum subjacebant, ita perfodiatur, quod aqua Rheni per eundem meatum effluens in mare, (quod ibi vicinum est) sine læsione in perpetuum fluat & decurrat. Quod nos Imperiali auctoritate nostrâ confirmamus, & ut in perpetuum ita permaneat, & observetur præsenti privilegio roboramus. Præterea obstructionem illam Rheni, quæ vulgò dicitur Dam, prope villam, quæ appellatur Wich, quæ ad removendam tam gravem aquarum pernitiem antiquitus facta est. Nos pro petitione prædictorum Principum, & pro fideli servitio hominum illorum, qui huic generali malo aquarum participabant, ratam habemus, & nostro Imperiali edicto confirmamus, & ut æternaliter inconvulsa in eodem statu permaneat, & conservetur, præsenti jussione decernimus. Aliam quoque obstructionem Rheni, quam Comes Hollandiæ in loco qui dicitur Stekede, sive Swadeburg injustè & violenter erexerat, & fecerat, per quam etiam innumerabilium hominum & locorum submersiones frequenter evenerunt, nos ex judicio curiæ nostræ cassavimus, & penitus destrui præcepimus: Statuentes, & Imperiali jussione confirmantes, quatenus prædicta clausurâ destructâ, aqua Rheni libera & Regia strata sine omni obstaculo ibidem omni tempore fluat & decurrat, sicut antiquitus solebat. Quod ut veriùs credatur, & ab omnibus diligentiùs observetur, præsentem inde paginam conscribi, & sigilli nostri impressione insigniri jussimus, adhibitis idoneis testibus, quorum nomina sunt: Heimannus Ferdensis Episcopus, Everardus Ratisponensis Electus, Philippus Decanus Majoris Ecclesiæ in Coloniâ, Arnoldus Præpositus Ecclesiæ sancti Andreæ, Adilous Godslariensis Præpositus, Reignardus Præpositus, Ulricus Dux de Boemiâ, Marquardus (n) de Grumbach, Comes Emicho de Linuigen, Comes Folckmarus de Sarewarde, Henricus Marschalcus de Papenheim, Conrardus Colbo pincerna, Wilhelmus de Kaluwe, Rodolphus de Steenforde, Constantinus de Berge, Cuno Camerarius, Bertolphus pris, Camerarius Cuno de Malberge, Henricus Freso.

Noda, id est Nydam agger, inter Rhenum & mare perfodiendus.

Moles in Batavoduro contra Rhenum jacta manere debet.

Obstructio Rheni apud Suadenberg aperienda.

Freso, Menardus Comes de Niumage, Folbertus, Gerardus Trajectensis Sultetus, *Wilhelmus de Scalckevvick*, *Lutberthus de Odyck*, Helyas, *Egbertus de Amestel*, Hermannus de Wordene, *& frater ejus Godescalcus, Theodoricus de Iudefax, Albertus Pavo, & alii quàm plures clerici & laici. Signum Domini Frederici Rom. Imp. invictissimi. Ego Christianus Maguntinæ Sedis electus, & Sacri Palatii Archi-cancellarius recognovi. Acta sunt hæc anno Dominicæ incarnationis* M, c lxv, *Indictione* XIII, *Regnante Domino Frederico Romanorum Imperatore victoriosissimo, Anno Regni ejus* XIII. *Imperii verò* XI. *feliciter.*

Idem Fredericus confirmavit teloneum in Amuda & Piscariam in Almera. Dum autem Henricus hujus nominis sextus Imp. rerum potiretur, orta est magna discordia inter Theodoricum Comitem, successorem Florentii apud Antiochiam defuncti, ac Wilhelmum fratrem ejus jam reversum. Itemque inter ipsum Theodericum, & Baldevinum Comitem Flandriæ, qui cum potenti manu tentavit recuperare Walacriam. Hunc Theodericus cruentâ cæde profligavit. Wilhelmum verò amici reconciliarunt, eo pacto ut Frisiæ Orientali dominaretur. At Balduinus Episcopus, qui usque modo Trentoniam cum Tuentanis pacificè gubernaverat, magnam ex Provincialium rebellione sentiit calamitatem auctoribus Florentio atque * Folckero Præfectis Coevordensium, per instigationem Ottonis Comitis Gelriæ, favente Episcopo Ottone Comite de Benthem, interceptâque quæstione per Philippum Agrippinensem & Conradum Moguntinensem Episcopos, & demum renovatâ, cùm modo Episcopus, modo adversarii superiores essent, occasione belli ignaviæ Ducis Brabantiæ ascriptâ. Tandem verò Henricus Imperator descendens per definitionem Sententiæ omnem contentionem exstinxit, adjectis induciis. Quo recedente Trentones rursum omnia infregerunt, unde Episcopus insecutus Cæsarem usque Maguntiam, perfidiam eorum detegit cum justâ quærelâ. At Imperator non immeritò ad iram provocatus, præsentando decrevit in hostes auxilium. Sed instructum jam viribus Episcopum re infectâ intra paucos dies, antequam Maguntiâ absolvisset, mors intercepit XI. Kal Maji, alibi II. Novem. anno M, c xcvi. cum præfuisset annis XVIII. Devectum funus ad majorem Ecclesiam Trajectensem, ubi quiescit cum prædecessoribus.

Discordia inter Flandrum & Hollandum Comites.

* *Folberto.*

Henricus sextus Imp. discordiam componit.

Drentones rebelles.

Episcopus moritur anno Christi 1196.

a *Cognominatus de Benthem,)* A matre, ut puto, sic dictus, quæ erat ex Palatinis Ricomagensibus, Benthemiæ præfectis; ut ad Bekam satiis superque indicavi.

b *Gerardum C. Gelr. ex Veluâ propellit.)* Omnem hanc controversiam habes expressam in Chron. Belg. magno, pag. 182. quam tandem Fredericus Imp. composuit: & deinde malo renato, Henricus Frederici F. suo diplomate finivit. Aquilius in Gerardo secundo, & Ottone ejus fratre facit hujus mentionem; sed miror, nihil Brabanticos de eâ re scriptores tradere.

c *Hic Henricus fuit fil. Frederici Imp.)* Qui à Germanis scriptoribus VI. ejus nominis dicitur; Italis verò V. pater Frederici secundi.

d *Epistola Frederici Imp.)* Vide expeditionem Asiaticam Fred. I. Imp. ab æquævo auctore conscriptam, Tom. V. Antiq. Lect. Canisii parte 2. ubi prolixè hæc omnia describuntur. Adde Epistolam, quam de hac re Radevico adjunxit Urstisius Tomo I. Illustr. German. scriptorum.

e *In Verfredis,)* Quid illud verbi sit ignoro: videtur tamen clausuras & repagula eo indicare; atque ita, ut mea fert opinio, *Waerfrede*, quasi pacem custodiens provinciæ, & ab externo hoste defendens, dici posset.

f *Veron.]* Epistola apud Urstisium circa finem primi Tomi Germ. pag. 560. *famosum castrum Verin* vocat.

g *De captivitate Legatorum nostrorum,)* Id constat etiam ex epistolâ supra laudatâ, ab Urstisio edita; & expeditione Asiaticâ Fred. prædictâ, ubi etiam nomina Legatorum exprimuntur.

h *Philippopolim hyemare decrevimus,)* Expeditio Asiatica Fred. I. Imp. supra laudata sic habet: *Quidam suadebant hyemandum esse apud Philippopolim præsertim quia jam tempus hyemale instabat*, Philippopolis autem Thraciæ urbs est; vel, ut aliis placet, Macedoniæ, de quâ vide Livium. lib. hist. 29. Plin. hist. nat. lib. 4. cap. XI., Stephanum Byzantium, περὶ πόλεων pag. 304. Pomp. Melam lib. 2. cap. 2. de Thraciâ, Cl. Ptolom. Græciam Pausaniæ lib. 6, Natal. Com. historiæ universal. lib. 9. Creditur ad ejus incolas scripsisse Paulus Apost., epistolam ad Philippenses.

i *Galearum & Vacellorum,*] Meursius in Glossario Græcobarb. Γαλία, *ex Italico Galea*, Triremis, vide eundem d. loco, & Io: Lydium in Glossis Latinobarbaris ad Clemangem, Vacelli verò naves sunt minores, Italis Nacelli.

k *Quicunque Græcorum C. peregrinos occiderit,*] Acerbum odium Græcorum in Latinos; unde auctor Asiaticæ exped. Fred. Patheticè exclamat, his verbis, pag. 64. O dira & inaudita vindictæ species! hominem etiam post fata velle perimere, nam cadavera etiam sepulta non sinebant quiescere.

l *In flumen Saram,*] Vide quæ ad Bekæ Chronicon dixi, ubi varia fluminis nomina, & auctorum discrepantiam de genere mortis Imp. satis indicavi.

m *Auctor fuit expugnandæ Damiatæ*, Vide quæ hac de re ad Becanum Chron. disserui. Nauclerus, aliquot ante annos, scribit Almaricum Regem tentasse Damiatam, sed re infectâ discessisse: nec capta est ea urbs ante annum 1218. vel 19. unde patet quod & hic Heda cum aliis erraverit.

n *Marquardus de Grunbach,*) Grunbachiorum familia olim admodum celebris, & ab anno 900. inter nobilissimas habita, ex quâ ante sæculum vixit Fredericus de Grombach Harlingæ Satrapes, qui cum Saxoniæ principibus eò venerat, & Nobilibus Frisiæ, teste Winsemio, adscriptus erat; cujus ex filiâ nepos Fredericus Egmondius à Meerenstein cum reliquis Belgii Proceribus libellum supplicem pro libertate harum provinciarum conservandâ Duci Parmensi anno 1566. obtulit.

Arnoldus Episcopus XXX.

Theodoricus Episcopus XXXI.

SUblato itaque Baldevino servata electio sub discordiâ per impressionem Theoderici Hollandiæ, & Ottonis Gelriæ Comitum. Pars Theodericum majorem Præpositum, fratrem Balduini mortui ex Comitibus Hollandiæ, filium Florentii Comitis ex Sophiâ filiâ Ottonis Comitis Ricomagi natum, pars verò Arnoldum de (a) Isenburg Præpositum Daventriensem prætulerunt, ille Hollandiæ, hic Gelriæ (b) Comitis intercessione prævaluit, & per Henricum Imperatorem annulo & sambucâ investitur; suborto tamen per factionem utramque bello, ac Comitatu Veluæ per Theodericum Comitem in favillam redacto. Otto Comes apud Haymonis (a) montem superatur, & fugâ salutem vix consequitur. Tandem controversia per sententiam Rom. Pont. definitur, Arnoldo consecrato xxx. in ordine Episcopo, quo paulo pòst vid. VIII Aprilis, anno 1198. Romæ defuncto & sepulto, ad Theodoricum revertitur Ecclesiæ administratio, qui ab eodem Pontifice xxxi. Episcopus continuatur, jussus redire ad gubernandum populum sibi commissum, qui accinctus itineri Ticinum veniens, vitâ defungitur, & illic inhumatur.

Wilhelmus Comes Frisiæ Orientalis.

Dum hæc aguntur, venit Wilhelmus Comes ex Orientali Frisiâ in Hollandiam, accedens fratrem Theodoricum, in arce Horrestâ pro tuitione Ditionis Trajectensis Ecclesiæ agentem, congratulandi causâ de victoriâ obtentâ. Ubi evestigio (nescitur causa) arctis carceribus mancipatur, quibus tandem effractis, Wilhelmus ad Ottonem Comitem Gelriæ se contulit, à quo (fuerant enim contubernales in expeditione ultra marinâ) humaniter excipitur, & Adelheide filiâ pro uxore futurâ donatur: ex quâ genuit Florentium Hollandiæ Comitem, Ottonem Trajectensem Episcopum, Wilhelmum Præsidem, & binas filias. Celebratis nuptiis apud Stauriam, ipsoque (d) Wilhelmo â Frisiis Orientalibus hilariter ac magnificè recepto, paulò pòst iidem Hollandiæ & Gelriæ Comites in amicitiam redeunt, desponsatâ Adelheide filiâ Theodorici Henrico filio Ottonis: Parum tamen supervixere, sepulti in Monasterio Reinsburgensi.

Ducit Adelheidim Comitis Gelriæ filiam uxorem.

a *Arnoldum de Isenburg Præpositum Daventr.*) Hunc ex florentissimâ hodie Com. de Isenburg progenie fuisse puto, quæ nostro tempore Salentinum Electorem & Archipræsulem Coloniensem dedit, qui mortuis ejus familiæ masculis cum postremus superesset translatâ eâ dignitate in Ernestum Bavarum, & ductâ uxore Antoniâ Ligniacâ stirpem suam propagavit: non autem ex comitibus de Isenburg ad Ruram, unde, cum aliis præsulibus, prodiit Engelbertus Elector Colon., Ecclesiasticæ Libertatis summus defensor, à consanguineo Fred. Com. Isenburgico occisus; cujus meminere script. Germ. & inter illos Crantzius Metrop. lib. 7. quæ familia prorsus diversa à superiore, ut insignia Gentilitia, quæ Rosam purpuream ostentant satis indicant; cum hodierna Com. Isenburg. ad Lanum fl. depictas nigro colore trabes præferant, vide Æ. Gilenium in not. ad Cæs. Heisterbac. de vitâ S. Engelb. l. 1.

b *Hic Gelr. Comitis intercessione prævaluit, & per Henricum Imp. annulo & Sambucâ &c.*] Beka omnino contrarium scribit; nempe, *quod Imperator Theodorico cognato suo, per annulum & pastoralem baculum, investituram Episcopalem dedit, & temporalem Iurisdictionem Theodorico Com. Hollandiæ*, cum quo faciunt plerique scriptores nostri & Hollandici, de hoc investituræ more alio loco dixi; cum hic non tantùm Impp. Rom: sed & aliis Regibus Gall. Angliæ &c. Pontif. Rom. contra nitentibus, infinitas per Europam turbas dederit.

c *Apud Haymonis montem,*] Mons hic imminet Rhenensi oppido, nomenque videtur retinere à quodam Haymone Principe ejus loci, apud quem vixisse aliquando Cuneram ex XI. millibus virginum clade Hunnicâ elapsam ferunt, tandem Zelotypiâ uxoris ejus interemptam. Alii Haymonem illum vulgi fabulis notissimum, hic habitasse putant.

d *Ipsoque Wilhelmo à Frisiis Orient. magnificè accepto,*] Non quod fuerit Comes Orientalis Frisiæ, sed ipsis potius confœderatus, quem sponte tanquam Imperatorem militarem assumpserant, vide Ubbonem lib. 7. hist. Frisic.

Theodoricus Secundus Episcopus XXXII.

Ecclesia Trajectensis per discordiam Pontificum prædictorum jam multipliciter afflictâ atque Pastore destitutâ, aspirantibus eisdem Comitibus ad aliquem ex eorum amicis sufficiendum, diviná inspiratione exauditis eligitur Theodericus de (a) Are, secundus ejus nominis, absens in Italiâ, XXXII. Episcopus, qui rebus collapsis succurreret, vir nobilis & magni consilii, Præpositus Trajecti ad Mosam, non mediocris authoritatis apud Henricum & Philippum ejus fratrem Augustos, quos etiam usque in Siciliam comitatus est. Alibi legi post Theodericum de Hollandiâ, electum Godefridum de (b) Aemstele, sed nec ejus acta, nec finem vitę invenire potui. Theodoricus tandem evocatus ex Siciliâ, celeri itinere Trajectum appulit, inveniensque dignitatem suam magno ære gravatam, suasu suorum ad colligendam pecuniam pro redimendis debitis contractis animum intendit, sese primum in Orientalem Frisiam transferens, ut ex jucundo adventu atque administratione præfectorum, juxta Frederici Augusti factam concordiam, rationem susciperet. Quod Wilhelmus Comes indignè ferens, & credens animos populi jam satis proni sibi magis devincire Episcopum è monasterio Stauriæ post sacra peracta armatâ manu eripit, & custodiæ in carcerem apud Oosterzee (c) deputavit; quem nonnulli religiosi, ac alii ex populo pietate moti, detestantes turpe facinus Comitis, per vim liberaverunt. Unde justissimè provocatus Episcopus in Wilhelmum ducit, at Theodoricus frater, & Otto socer sese Wilhelmo jungunt adversum Episcopum. Socer Provinciam una cum Daventriâ citra, frater verò cis Isalam, sibi subigunt, & Trajectum premunt obsidione. Otto verò socer, per insidias instinctu Ottonis Augusti, atque Adolphi Agrippinæ Ecclesiæ Episcopi, à Duce Brabantiæ capitur. Theodoricus verò Comes intendens ad liberationem Ottonis, solvit à Trajecto obsidionem, & Silvam Ducis oppidum non spernendum circumvallans die VII. ad deditionem coegit. In quo Wilhelmum fratrem Ducis cum multis Nobilibus cepit, & magnâ prædâ onustus in Provinciam suam redire festinans, intercipitur per Ducem Brabantiæ cum potenti manu advolantem, & post consertum prœlium captivatur in oppido Heusden. Sentiens Episcopus hostes suos jam captos, nactus opportunitatem, utriusque Provincias depopulatur, ingentem abducens prædam, peragratâque Veluâ, ferro & igni omnia contaminans, Zutphaniam insigne oppidum aliquot diebus obsessum capit, Daventriam recipit, & plurimos captivos, & immensum thesaurum asportavit. Ac Theodoricus Comes pensatis damnis per illum illatis cum magno pondo auri relaxatur, & Episcopo se in pace uniens, perpetuam usque ad mortem cum illo stabilivit & servavit amicitiam. Et anno M. CC III. prid. Nonas Novembris apud Dordracum cessit è vivis, cùm rexisset annis XIII. unicâ filiâ nomine Adâ relictâ ante quàm illi, conquestus multùm de absentiâ fratris sui Wilhelmi Comitis, tutorem designasset, transvectus Egmondam apud majores. At conjunx ejus habens Wilhelmum Comitem exosum, & regni cupida, nondum adimpletis exequiis, quo summa rerú penes eam maneret, accivit Ludov. (d) Com. Lossens. ex arce Altenâ, cui properè advenienti Dordracum despondet Adan filiam, & nænlis miscetur nuptię. At Wilhelmus Comes auditâ morte fratris sui, ut interesset exequiis, applicuit ad portum Zype, nec impetrare potuit sibi, ut id liceret facere securè, sed repellitur.

Episcopus capitur à Wilhelmo Comite, sed à Frisiis carcere liberatur.

Otto Comes Geldriæ à Duce Brabantiæ capitur.

Theodoricus Comes Hollandiæ captivus in Heusdæna detinetur.

Relaxatus Dordraci moritur. Anno Christi 1203.

Ludovicus Comes Lossensis, inter exequias ducit Adam.

Cui idcircò multi proceres commiserati, ob illatam injuriam sese jungunt, & stimulos adjiciunt fidem dantes, ut securus ad eos veniret. Qui, interim concitatis Kenemaris atque Rhenanis, Ludovicum cum Adelheyde Harlemo pellunt, coactos nocte confugere versus Trajectum. Sed & oppidum Leidense ipsis cessit, captâ Adâ juvenculâ, cum aliquot (d2) equitibus, quam intellectâ re gestâ superveniens Wilhelmus in Texaliam Insulam custodiendam direxit; totum Comitatum brevi Ditioni suæ submitteus, Ludovicus verò animo consternatus Episcopum Leodiensem, Ducem Lymburgensem, & Comitem Flandriæ, una cum Episcopo Trajectensi sibi efficiens stipendiarios, magnam vim contrahit, in Trajectensem Episcopum præcipuam spem collocans, quem & belli, & pugnæ socium cum multo auro sibi devinxerat, paciscens se (d3) accepturum Comitatum Hollandiæ ab illo in precariam (uti ajunt) tradens Episcopo fratrem suum obsidem. Wilhelmus itaque securitati suæ providens, omnes confortabat, præsidia firmabat, & novas arces, unam in Buscho, alteram in Suadenberdam construxit, & aggerem ad flumen Aemstel interrupit, quo ditionem & territorium Giselberti undique aquis & incendio evertit, usque paludem, quam Broecklandt vocitant, ingentem in Kenemariam navi abducens prædam. Episcopus verò Trajectensis hanc ulturus injuriam, juxta Midratum expeditionem ducit in Hollandiam, utramque arcem prænominatam expugnans, & Comitem de Benthem fugans, prœlio cepit Florentium Præpositum Majorem fratrem Wilhelmi, eum in arcem Horrestam mittens custodiendum, progressus Leidim invenit Ludovicum Comitem, receptâ Wiltorum (e) provinciâ, ad Harlemum tendere, qui mulctatis Kenemaris, & in fidem reductis pago Divæ Agatæ, quem Beverwijck vocant, incenso, Egmondam progressi votum Divo exolventes Adelberto, redierunt totâ provinciâ Hollandiæ in potestatem Ludovici redactâ & insulis, quas Zelandiæ ascribunt, paulatim in ejus gratiam redeuntibus: Walacriâ per Comitem Namurcens. nomine Comitis Flandriæ tentatâ. Wilhelmus omni auxilio destitutus, vix scaphâ piscatoriâ obtectus retibus non absque miraculo evasit. Tandem insulanis ipsis ob superbiam ejusdem Ludovici ad Wilhelmum Comitem rursum deficientibus, & Kenemaris rebellantibus post varios conflictus Ludovicus prœlio vincitur, & perpetuo ab Hollandiâ profugatur. Wilhelmus verò succedens in paternam hæreditatem XII. (f) Comes constituitur, qui brevi post fautoribus Episcopi bellum intulit, Asprenam munitionem eorum destruendo. Ex adverso Gerhardus Comes de Are, frater Episcopi Dordracum incendit. Tandem humiliato Comite, conditiones pacis proponuntur, ut pro damno illato, mille talenta argenti penderet, ablata restitueret, & cum quingentis militibus nudis pedibus coram Ecclesiâ veniam expeteret, pro eo, quod Episcopum in Stauriâ captivaverat temerè ac injustè hoc modo pax reformata. Episcopus verò ex toto prosperis successibus ditatus, deperdita atque impignotata loca redemit, præsidiis annonam providit, ac Ecclesiam ab omni indebito onere relevavit, residuas dies agens per quietem. Wilhelmus verò defunctâ Adâ nepte, (g) Comitatum à Frederico II. Cæsare in beneficium recepit, atque deinceps rexit tranquillè. Ad quem regnum Scotorum per obitum Magolini (h) Regis avunculi sui jure hæreditario devolvebatur, & contracto exercitu cum adjutorio Regis Franciæ transfretavit, multas urbes atque castella Regni illius sibi vendicans. Sed dum interim Ludovicus Comes Lossens. tentaret novos concitare motus, revocatus in Hollandiam à cœptis secundis desiit.

Ada capitur à patruo & in Texaliam custodiæ mādatur.

Bellum inter Lossens. & Hollandiæ Comites.

Ludovicus Lossensis Comes totam Hollandiam subigit.

Ludovicus tandem vincitur, & Hollandiâ fugatur: Wilhelmusque fit Comes Hollandiæ 12.

Wilhelmus Regni Scotici heres.

Theodoricus autem Episcopus plenus dierum, & rebus Ecclesiæ pacatis, ultimum naturę apud Daventriam persolvit debitum Nonis Decemb. anno M. CCXXI. cùm præfuisset annis XIII, corpus ejus translatum Trajectum, sepelitur in majori Ecclesiâ. Quo anno ab Innocentio tertio Pontifice Rom. celebratur Iubileus Romæ, & concilium generale indicitur. Iste Theodoricus scribitur electus anno M. CXCVIII. alibi CC. primo, & præfuisse annis XIII. vel XIV. & obiisse anno M. CC. alibi CCXII. Sub hoc Episcopo recenset Iohannes Beka vix credenda de quodam (i) Everimachio administratore domesticarum rerum ipsius Episcopi ex mortuo resuscitato; cui Philippus secundus Imp. renovavit privilegium transferendi Teloneum ex Gana in alium locum (k) uti sequitur.

Theodricus Episc. moritur anno Ch. 1212. Iubilæus annus à Papa Romæ celebratur.

Privilegium Philippi Aug.

PHilippus secundus Dei gratiâ Romanorum Rex, & semper Augustus, Regalis excellentiæ nostræ deposcit benignitas, ut eos ampliori

pliori favore & gratiâ in agendis suis respiciamus, quos ad exaltationis nostræ gloriam ferventes invenimus & fideles. Quapropter noverint universi fideles Imperii præsentes & futuri, quod nos considerantes puram fidem & ferventem devotionem, quam dilectus consanguineus noster Theodoricus Trajectensis Episcopus ad sublimitatis nostræ promotionem constanter exhibet, & est exhibiturus, de consueta Majestatis nostræ clementiâ damus & concedimus, ei plenam auctoritatem & licentiam, ut teloneum quod ex concessione Imperatorum sive Regum ab antiquo tenuit in loco qui Gana dicitur, in alio sibi commodiori loco, ubi voluerit intra terram quæ pertinet ad officium Sculteti civitatis Trajectensis locet & constituat, & super hoc nullius personæ unquam habeat impedimentum. Ad cujus rei certam in posterum evidentiam hanc chartam inde conscribi jussimus, & bullâ nostrâ communiri. Testes hi sunt, Conradus Imperialis Aulæ Cancellarius, Wolfgerus Pictaviensis Episcopus, Conradus Spirensis Episcopus, Comes Fredericus de Zolre, Comes Ludovicus de Helfenstein, Comes Hartmannus de Wirtembergh, Henricus Marschalcus de Kallindim, Henricus dapifer de Walpurch, & alii quam plures. Datum apud Norimburgh, anno Dominicæ incarnationis M CC. Indictione IV. Kal. Octobris. Et Comes Ludovicus " Lossensis occasione Feudorum, quæ Comes Hollandiæ ab Episcopo obti- " tinet in hunc modum pepigit. "

Theloneum in Gana aliò transfertur.

EGo Ludovicus Dei gratiâ Comes de Los, universis Christi fidelibus, tam præsentibus, quàm futuris in perpetuum. Cùm omne feudum, quod socer meus bonæ memoriæ Theodricus Comes Hollandiæ ab Ecclesiâ Trajectensi juste possiderat, à manu Domini mei Theodrici Trajectensis Episcopi in eo jure, quod Lijf-tucht appellatur, recepissem, eiq; sicut legius homo legiam fidelitatem servare jurassem, ne unquam aliquâ occasio discordiæ de cætero inter Episcopatum Trajectensem, & Comitatum Hollandiensem possit coalescere ad perpetuam pacem nostram, talis inter nos ordinata est compositio: Omnes ministeriales vel servos, qui ad Episcopatum pertinebant, in terrâ Comitis Hollandiæ manentes, exceptis militibus & eorum liberis, dedit mihi & meis successoribus Dominus meus Trajectensis Episcopus. Ego similiter dedi Ecclesiæ omnes ministeriales vel servos, qui ad Comitatum Hollandiensem pertinebant, in terrâ Episcopatus manentes, &c.

Compositio inter Episcopum Trajectensem, & Comitem Hollandiæ, facta Anno M. CC IV.

Ego Wilhelmus Dei gratiâ Comes Hollandiæ, Universis Christi fidelibus tam præsentibus quàm futuris in perpetuum. Cùm omne feudum, quod frater meus bonæ memoriæ Theodericus Comes Hollandiæ ab Ecclesiâ Trajectensi justè possederat, à manu Domini mei Theodrici Trajectensis Episcopi recepissem, eique sicut legius homo legiam fidelitatem servare jurassem, ne aliqua unquam occasio discordiæ de cætero inter Episcopatum Trajectensem, & Comitatum Hollandiæ possit coalescere ad perpetuam pacem nostram, talis inter nos est compositio laudabiliter ordinata. Omnes Ministeriales vel servos, qui ad Episcopatum pertinebant in terrâ Comitis Hollandiæ manentes, exceptis militibus & eorum liberis, dedit mihi & meis successoribus Dominus meus Trajectensis Episcopus; ego similiter omnes Ministeriales vel servos qui ad Com. Holl. pertinere dicebantur in terrâ Episcopi manentes, exceptis militibus & eorum liberis, dedi Eccles. Traj. prædictæ eâ conditione adjectâ, ut si qui eorum de terrâ Episcopi ad Comitatum Hollandiæ transierunt, vel è converso de Comitatu ad terram Episcopi, ejus maneant, in cujus dominio mansionem elegerint. Ego etiam & homines mei juramento promisimus, quod de cætero nulla unquam occasione, Renus apud Suadenburgh, vel alibi obstruetur. Item promisi & juravi, quod nunquam prohibebo mercatores quoscunque deferre salem vel quaslibet alias merces ad terram Episcopi. Similiter nec Episcopus prohibebit aliquos mercatores ire, ad terram meam de Comitatu Frisiæ in Oostergo & Westergo & instanter hoc est adjectum, quod compositio quondam ordinata inter Episcopum Godefridum & patrem meum Comitem Florentium etiam inter nos inviolabiter observabitur, quæ talis est: Episcopus & Comes communi consensu mittent Comitem unum in Frisiam ad servanda placita sæcularia, & quicquid de redditibus ad Comitatum pertinentibus, vel de proventibus placitorum sæcularium, deductis expensis excreverit, æqualiter dividetur inter Episcopum & Comitem, sed quando contigerit Comitem illum non intrare Frisiam, nuncii Episcopi & Comitis Hollandiæ simul ibunt in communi expensâ colligere reditus ad Comitatum pertinentes. Monetarii, Thelonearii, Schulteti, Villici, & omnes beneficiati in Comitatu illo manentes, feuda vel

Homo legius Episcopi Comes Hollandiæ.

Ius in Frisia Orientali commune Episcopi & Comitis.

da vel officia sua primùm recipient de manu Episcopi, & Postea de manu Comitis Hollandiæ, & utrique jurabunt fidelitatem. Item de Jurisdictione in Hesevvijck juxta Montfort sita, hoc est condictum, quod nuncius Episcopi in eâ servabit placita sæcularia, & quartam tantùm partem eorum, quæ inde provenerint, habebit Comes Hollandiæ, reliqua omnia liberè cedent Episcopo. Præterea de distinctione terminorum inter terram Episcopi, & Hollandiens. sic inter nos convenit, quod si de aliquâ terrâ vel decimâ Episcopus quæstionem fecerit mihi vel hominibus meis liberam eam dimittam Episcopo, vel jurabo eam de jure ad me pertinere. Similiter si ego quæstionem moverem Episcopo vel hominibus suis de aliquâ terrâ vel decimâ, Episcopus mihi eam liberam dimittet, vel unus priorum suorum aut ministerialium Ecclesiæ tertiâ manu jurabit terram illam vel decimam ad Ecclesiam de jure pertinere, & sic libera erit Ecclesiæ. Insuper compromissum est, quod si aliquis hominum Episcopi, offensam ejus fortè incurreret, nullum habebit ad me refugium, nisi ad hoc tantùm, ut per me gratiam inveniat, vel in Curiâ Episcopi judicio comparium suorum sistat, & è converso. Acta sunt hæc ab incarnatione Domini, anno MCCIV, *Pontificatus* Anno Christi 1204.
Domini Theodorici Episcopi anno VII. *apud Trajectum coram altari (l) beati Martini, super quo obtuli homines meos, quos pro suis commutavi, in quo etiam juravi, & homines mei* Wolterus *de (m) Eve, Albertus Banjart, Iacobus Burggravius de Leyden, Gyselbertus de Lecke, Albertus Rufus, & alii quam plures; testibus his. Henrico Duce Lotharingiæ, (n) Ottone Comite Gelriæ, Gerardo Comite de Are,* Henrico *de Evere, Gerardo Xanctens.* Waltero *sancti Petri, Bernardo Tielensi, Bertoldo Aldersalensi; Remboldo sanctæ Mariæ Præpositis; Elia sancti Petri, Gysberto sancti Iohannis, Henrico sanctæ Mariæ Decanis, & universis tam ministerialibus quàm civibus Trajectensibus, & aliis quam pluribus; compositionem hanc sicut præscripta est inviolabiliter observare.*

a *Eligitur Theodoricus de Are,*] Fuit is ex Comitibus de Are; ubi vero is Comitatus situs, non admodum mihi certum. Supra Coloniam Agrippinam est fl. Aar: qui ex adverso urbis Lintz se Rheno jungit, ad cujus ripam oppida Arburg, Arwiler, Alden Aar, Nienar, sita.

b *Electum Godefridum de Aemstelle.)* De eo nihil invenio, quamvis circa annum 1172. cum Engelberto Godefridus de Amstelle ut testis diplomati Andreæ Episcopi adhibitus sit, præter quem alius Godefridus in stemmate Amsteliano non succurrit. Theodoricum autem Trajectensem Episcopum de Castro Nurenburg oriundum nominat Cæsarius Heisterb. lib. 12. cap. 23. hist. memor. forte Arenburg voluit dicere.

c *Et custodiæ in carcerem ap: Oosterzee deputavit,*] Magnum eo tempore piaculum manus in unctum Domini injicere, & magni satis ipsi constitit, veluti paulò post patebit. In historiis plura ejus rei extant exempla, quàm rigidè Antistites sacrorum etiam in maximos Principes injurias sibi vel suis illatas vindicarint; docuit id vel suo exemplo Rex Angliæ Henricus, in quem scurriliter penè debacchati sunt Mystæ, ob cædem Thomæ Cantelbergensis non satis ab ipso, pro illorum judicio punitam.

Ludovi-

d *Ludovicum Comitem Lossensem,)* Comites Lossenses antiquissimi, & olim admodum celebres fuêre. Extat diploma, Arnoldi C. de Loss. & Ludovici filii ejus fundatorum Averbodiensis monasterii ann. 1135. ap. Miræum, Cod. piar. Donat. cap. 92. Horum tandem Comitatum, cùm ad altare S. Lamberto obtulisset Arnoldus Comes, post mortem Margaretæ F. Lud. Lossensis postremæ ejus stirpis, anno 1172. occupavit Adolphus à Marka Leodiens. Episcopus, & ad successores suos Antistites transmisit, qui inde se Comites Lossenses inscribunt, licet & Heinsbergii aliquandiu eo titulo usi sint.

(d2) *Capta Ada cum aliquot equitibus,)* Inter hos Ottonem de Buren fuisse, refert Beka, variantibus aliis scriptoribus: ego ut propius ad Chron. Rhythm. ibi accederem me movit Diploma Theodorici & Adeleidis parentum Adæ hujus, eodem anno quo pater ejus mortuus est, concessum Monasterio Vallis S. Petri in Stromberg'; ubi inter testes nominantur *Hugo de Voerne* & *Rutgerus de Merhem*, quos, eosdem esse à Beka designatos, non adeò vero absimile videtur. Quod autem Ottonem Burenum circa illa tempora me non invenisse ibi addidi; cum V. Nob. Balth. de Buren diploma Fred. I. Imp. ostenderit, cui adhibitus sit Otto quidam de Buren inter testes (etiamsi alios in Westphaliâ Burenos à Batavicis diversos inveniam) non valde ejus opinioni repugnavero, Burenam nempe familiam eo tempore notam fuisse.

(d3) *Paciscens se accepturam Comitatum Holl.]* Extat diploma hujus rei Hugonis Episcopi Leodiensis aliorumque Ludovici amicorum in Archivis summi Collegii Traject. integrum adhuc, quod non alienum putavi, ob rei gestæ memoriam, hic inserere:

Hugo Dei gratiâ Leodiensis Episcopus, Henricus Dux de Lemburg, Philippus Marchio Namurcensis, Otto Comes Gelriensis, Adolphus Comes de Monte, Wilhelmus Patruus Comitis Flandriæ, omnibus Christi fidelibus in perpetuum. Cum ad preces & instantiam nostram Dominus Episcopus Trajectensis cognatum nostrum Ludovicum, Comitem de Los in Legium hominem recepisset, collato ei feudo ad tempus vitæ suæ, quod socer ejus Theodoricus Comes Hollandiæ ab Ecclesia Traject: justè tenuerat, mediantibus eorum amicis, ordinata est inter eos cōpositio ad perpetuam pacem servandam necessariam sub hâc formâ. Episcopus Trajectensis dedit Comiti, ministeriales & servos omnes in Hollandiâ manentes, vel in Comitatu ubicunque, exceptis Militibus & eorum filiis, pro omnibus illis quos Comes & ejus antecessores habuerunt in terrâ Episcopi; ea ordinatione adjectâ; ut si quis illorum transierit de terrâ Comitis ad terram Episcopi, vel de terrâ Episcopi ad terram Comitis, ejus sit, sub cujus dominio mansionem elegerit. Comes etiam de Loen & homines sui juramento promiserunt, quod de cetero nulla unquam occasione Rhenus apud Swatburg obstruetur. Suadenburg. *Insuper feudum de Nagele, quod quondam habuit Iohannes de . . . . à manu Episcopi, postea v°. injustè alienatum fuit ab Ecclesiâ, Comes de Loon resignavit Episcopo. Item Comes non prohibebit mercatores quoscunque deferre salem vel quaslibet alias merces ad terram Episcopi: nec Episcopus prohibebit aliquos mercatores ire ad terram Comitis. De Comitatu Frisiæ in Oostergo & Westergo & in Staveren, hoc est adjectū, quod cōpositio ordinata inter Godefridum Episcopum & Comitem Florentium inviolabiliter observabitur: quæ talis est, Episcopus & Comes de communi consensu mittent Comitem unū in Frisiam ad servanda placita sæcularia; & quicquid de redditibus ad Comitatum pertinentibus*

vel de proventibus placitorum sæcularium deductis expensis excreverit æqualiter dividetur inter Episcopum & Comitem, & quando contigerit Comitem non intrare Fresiam, nuntii Episcopi & Comitis Hollandiæ simul ibunt in communi expensâ colligere redditus ad Comitatum pertinentes. Monetarii, Telonarii, Sculteti, Villici, & omnes inbeneficiati, in Comitatu illo manentes officia vel feuda sua primùm recipient de manu Episcopi, & postea de manu Comitis; & utrique jurabunt fidelitatem. Partem hujus Comitatus quæ Comitem contingit, cum omni jure, & omnibus attinentiis suis, habebit Episcopus sibi obligatam pro CCC *marcis Colon. denarior. legalium, propter enorme damnum Ecclesiæ suæ illatum ab hominibus Theodorici Comitis Hollandiæ, donec ab Episcopo redimatur. Item Iurisdictionem in Hesevvich juxta Montfort sitam, quæ, licet vilis esset pretii, magna tamen fuit occasio discordiæ, dimisit Comes Episcopo Trajectensi. Hanc compositionem Comes juravit se perpetuò servaturum, & nos Episcopo dedit obsides super eadem ordinatione inviolabiliter observandâ. Et nos juravimus* Episcopo *quod si Comes contra factum & promissum suum venire vellet, nos ei fideliter assistemus contra Comitem ad plenam usque satisfactionem. Acta sunt hæc anno Dominicæ incarnationis* M CC IV, *præsentibus his, Gerardo Comite de Are, Theodorico filio ejus,* Walravino, *Gerardo, Nactensi, Ludovico majoris* Ecclesiæ *in Trajecto, Remboldo S. Mariæ Præpositis: Arnoldo & Henrico de Risvvic,* Woltero *Spirinck, Iohanne Persijn, Isbrando & Gerardo fratribus de Hairlem, Stephano de Sulen & aliis quam pluribus.*

e *Receptâ Wiltorum Provinciâ,*) Ita Hollandiam Australem videtur appellare Heda, cùm Wiltos & Sclavos circa Dordrechtum & Phlarditingam ad Mosam sedisse ex Annalibus popularibus sit opinatus: At meo judicio, melius expressisset nomina propria, notis vocabulis, ita ut ab omnibus intelligi possent.

f XII. *Comes constituitur,*] Eo fortè pertinet, quod Imperatorem agnoverit, ut tanquam in Imperiali feudo, fæminam excluderet incapacem: alioqui si feudum fuisset Episcopale, filia quoque fratris ut justa & proxima hæres erat admittenda: Sed per sequiorem illum sexum sequentibus temporibus Comitatus pervenit ad Hannones, Bavaros, Burgundos, Austriacos. Principes autem legibus utuntur prout ipsis commodùm videtur, semper interpretes earum nacti faventes.

g *Comitatum à Frederico 2. Cæs. in beneficium recepit,*) Hinc patet Hollandiam, non illam primigeniam, sed quæ nunc eo titulo audit, feudum Imperii fuisse; verùm Comites loci commoditate & discordiis principum adjuti, non semper Imperium voluêre agnoscere. Illa enim vera fuit Hollandia quam supra Wiltorum dixit provinciam, nunc Zupt-Hollandia vocatur, & olim ab Episcopis clientelari jure Comites acceperunt, ut Antiquariorum nostrorum curiosissimi annotarunt. At nunc ea quæ facerent ad hæc probanda, vel adeo corrupta sunt, vel amota ab adversariis Trajectensium, qui diu isti rei incubuerunt, ut vix ejus nisi obscura ad nos pervenerint indicia.

h *Per obitum Magolini Regis,*) Quam id futile, puto me satis in notis ad Becanum Chronicum demonstrasse.

i *De quodam Everimacho administratore,*) Hæc Furmerius in suâ editione Bekæ, omisit, vel quod fabulosum credidit, vel quod exemplaria quibus usus fuit, eo carverint; nec in meo MS. habentur. Chronicon verò vulgare diffuse enarrat. non tamen mihi tanti videntur, ut hic transferam.

k *Transferendi telonium ex Gana,*] Quis locus Gana, an Geinę id videtur, quum ad officium Prætorio

toris Trajectensis pertinuisse indicetur, diplomate Philippi Imp. & literæ fœderis cum Agrippinensibus initi contineant, quod Trajectenses, cives Colon. infra Gheyne & Maersen tutos præstare debeant. qui locus anno 1292. ab Episcopo Joanne jure oppidi donatus & Privilegiis ornatus est: cujus rei diploma integrum etiamnum superest ap. Illustr. Vir. Adrianum Plosium Equitem Ord. S. Michaelis, ejus loci Dynasten.

l *Coram altari B. Martini, super quo obtuli &c.)* Mos fuit offerendi ad aras Divorum bona consecrata, vel Ecclesiarum usibus destinata, ut & ante à nobis traditum.

m *Walterus de Eve,)* Libri MSS. variant, sunt qui de *Egmunda*, alii de *Eme* habent; quorum familiæ non ignotæ Hollandis, ut nec horum de *Eve*.

n *Ottone Comite Gelriæ,)* Si calculus Aquilii rectus, anno 1204, Comes fuit Gelriæ Gerardus tertius ejus nominis, Ottonis secundi F. quod idem videtur innuere Tesmacherus in Annal. nec dissentit Scriverius, quibus accedunt Pontanus in magno opere Gelrico, Bertius etiam in Germaniâ suâ & ille qui ante aliquot annos ingenti tabulâ stemmata Clivensium, Juliacensium, Montanorum & Gelriensium principum amplexus est, qui omnes uno quasi ore, Ottonem anno 1202. mortuum esse asserunt. At hisce duo hæc diplomata oppono: prius, obsidum L. Lossensis ex archivis summi collegii depromptum, & paulo ante descriptum: Posterius Guil. C. Holl. hoc loco positum; quæ Ottonem anno adhuc 1104. in vivis fuisse liquidò probant.

Otto Primus Episcopus XXXIII.

Otto Secundus Episcopus XXXIV.

POst Theodoricum precibus Adulphi Coloniensis, Ottonis Monasteriensis, & Gerardi Osnaburgensis, fratrum Pontificum, Wilhelmi Hollandiæ, atque Ottonis Gelriæ Comitum, eligitur Otto Præpositus XXIV. ætatis anno, frater (a) Ottonis & sosorius Wilhelmi Comitum, optimæ indolis, & formæ egregiæ, qui cùm Romanam curiam pro ætate dispensandâ accedere proposuerat, apud Northusen, (b) juxta Altinum febre captus, obiit VII. Kal. Aprilis, anno MCCXV. cùm præfuisset annis (c) tribus vel duobus & semi, relatus Trajectum. Administravit rem Ecclesiæ suæ plus quàm ætati dabatur, prudenter, Iustitiæ ac pacis observantissimus; cujus exequiis dum præfati Comites interessent, obtinuêre, ut Otto secundus ejus nominis ex Comitibus Lippiæ major (d) Præpositus eligeretur Episcopus XXXIV. qui apud forum Francorum ex consensu Metropolitani sui benedicitur, & per Fredericum Cæsarem temporali Iurisdictione investitur, & commisso provinciarum suarum regimine, (e) Hermanno fratri viro industrio, cruce signatus cum Imperatore transit mare, cui socius fuit Everimachus resuscitatus, ac Ioannes Scholasticus Xanctensis, militavit annis plurimis, Claruit circa hæc tempora vir (f) Walterus ex Trajecto inferiori nobili familiâ oriundus, Abbas Villariensis decimus, mirâ sanctitate & doctrinâ præditus, ut etiam in vitâ fulgeret miraculis, de quo plura scribuntur. Ejus sententiæ hæc feruntur: Iusto judicio Deus permittit hominem cadere in peccatis, quæ nunquam novit: quia ea quæ novit non cavet. Et quanto homo Deum ardentiùs amat, tanto clarius peccata sua videt, & mala pati desiderat, ut acquiratur timor Dei, qui valdè utilis est. Præterea duo consideranda sunt, Præsentia Dei, & mors. Diabolicus timor est, quando homo peccatum timet, & non cavet: Sanctus verò timor est, quando homo timet de bonis, quæ agit, quod non fiant sicuti justè fieri deberent, & iste timor omnia purificat. Item: Tam magnum peccatum quisque facit, cùm peccat, quantùm in conscientiâ suâ esse judicat, Iudicio conscientiæ post perpetrationem nec majus, nec minus fit, humilitate illa tamen & deletur: multa alia id genus.

Walterus Abbas Villariensis.

Otto itaque reversus ab expeditione, & in magnâ felicitate constitutus, gentilitate potens, in rebus expertus, invenit omnia placida, & tranquillè administrata, sed non correspondent ultima primis. Nam inter Episcopum & Comitem Ottonem Gelriæ gravissima & perniciosa exoritur contentio, petulantiâ aliquorum Præfectorum Episcopi, qui (g) Salios tributo nimio gravabant, unde illi de Buchorst Comitem Gelriæ ad arma solicitaverunt, cujus occasione Episcop. duo castra (h) Sisnam sive Voerst destruxit, & Buchorst, sive Clivum fagorũ dictum incendit. Ex adverso domus Episcopalis cum pago Gheyn per Comitem Hollandiæ comburitur, & partes (i) utrimque magnis viribus, etiam confluentibus Principibus, concurrunt,

Contentio inter Episcopum & Comitem Geldriæ petulantiâ Præfectorum conflata.

runt. Et loco ac tempore pugnæ designatis,supervenit quidam Conradus (k)Cardinalis Portuensis Legatus, qui furorem auctoritate suâ sedans, per arbitrium eos composuit, insequendo sententiam per Henricum Imp. paulo antè latam anno M CXCVI, inter Balduinum Episcopum, & Henricum Ducem Lotharingiæ superiùs expressam, & posteà remisso rancore, omnia damna & injurias compensavit. Insuper pactum extitit, quòd Episcopus traderet in precariam Comiti Gelriæ quicquid in Elistensi montisvé Sanctæ Odiliç pagis haberet Iurisdictionis aut proprietatis; Præposituris, & hominibus fide astrictis sibi reservatis. Et Comes Hollandiæ, si quos haberet sub ditione ecclesiæ Trajectensis sibi fide aut servitio obligatos, accepto ære,manumitteret,uti anteà conventum fuerat interTheodricum Episcopum,& Ludovicum Comitem Lossensem,& eundem Episcopum,& Wilhelmum Comitem Hollandiç.

Eodem tempore efferbuit apud Grunos ingens motus,auctoribus Everhardo Grunorum,& Rudolpho Vaccesori vulgariter Covordiæ Præfectis,qui severitate Episcopi compressus,interdictâ utrique pœnâ vitç, ne quis conditionem pacis per Episcopum datam violaret. Absente rursum Episcopo,Rudolphus primùm obstinate omnia infringit,fugat Everhardum oppido, arcemque ejus demolitur. Ille haud segnis obsidet rursum adversarium, fiunt cædes & rapinæ non modicæ, adeò ut auctoritas Episcopi pessundaretur, & subditi opprimerentur. Cumque is in rebellem animum advertere statuisset, collecto ingenti exercitu, Principes circumquaque vel sanguine,vel fœdere junctos in auxilium accivit; qui non defuêre, at dirigentes aciem versus Vaccesorum,sive Coevordiam,dum vel incauti, vel nimium suis viribus confisi,soluto ordine incedunt, ab adversario viribus impare & dolo intento in locis inviis & paludibus,quas Vecta fluvius effecit miserè obruuntur. Non parcitum cuiquam,sed sævitum in omnes indifferenter & crudeliùs in nobiles; Episcopum illic viribus destitutum cùm cepissent,atrociter jugilarunt,abscindentes capitis verticem,nec cæde ejus satiati, jam mortuum cadaver pluribus vulneribus confoderunt, & sic saucium immerserunt cœno. Quod paulo pòst clanculum extractum,delatum est Trajectum,planctu publico reconditum in Ecclesiâ majori. Cõtigit(l)hæc nefanda strages Kal. Augusti, an. M CC XXVI.cùm sedisset an. XIII.secundum aliquos. Hic(m)contulit Ecclesiæ sancti Ioh.Traj.decimas,quas novales vocãt in Bosinchem.

Motus Gruningensium qui Grun vocantur.

Disciplinâ militari neglectâ, exercitus Episcopi cæditur.

Episcopi crudelis mactatio.

Anno Christi 1226.

Tempore hujus Ottonis,anno scilicet M CC XVIII. 2.Idus Februarii obiit Adelheidis Comitissa, sepulta in Reinsburgh, & Wilhelmus duxit secundam uxorem Mariam filiam Ducis Lancastriæ. Decessit anno M CC XXII.prid.Non.Februarii,cùm Frisiæ & Hollandiæ præfuisset annis XIX.adjunctus priori uxori,cui successit Florentius quartus ejus nominis, XIII. Comes, ducens in uxorem Machtildim filiam Henrici Ducis Brabantiç m;materteram sanctç Elizabeth filiæ Andræ Regis Hungariæ, ex quâ genuit Wilhelmum succedentem Comitem, & posteà Regem Romanorum, Florentium præsidem, & binas filias. Sub hoc tempore Fredericus Secundus Romanorum Imperator iniit confœderationem cum Episcopis, Principibus Germaniæ in hunc modum.

Anno Christi 1218. obiit Adelheidis uxor Comitis Hollandiæ.

Wilhelmus Comes Hol. moritur anno Chr. 1220

Florentius 4. Comes Holl. 13.

IN nomine sanctæ & individuæ Trinitatis: Fredericus secundus divinâ favente clementiâ Rom. Rex, & semper Augustus, & Rex Siciliæ: Digna recolentes animadversione, quantâ efficaciâ & fide dilecti fideles nostri Principes Ecclesiast. nobis hactenus astiterint ad culmen Imperii nos promovendo, & promotos in ipso firmando, & demũ filium nostrũ Henricum in Regem sibi & Dominũ benevolè atq; cõcorditer eligendo,censuimus eos per quos promoti sumus semper promovendos, & per quos firmati sumus eos una cum ipsorum Ecclesiis semper fore nostrâ defensione contra noxia quæq; firmãdos. Igitur quia in eorũ gravamina, quædã cõsuetudines, & ut veriùs dicamus,abusiones ex lõgâ perturbatione Imp.,(quæ per gratiãDei nunc quievit & quiescit)inoleverã, in novis theloneis & monetis, quæ se invicem ex similitudinibus imaginũ

Fredericus abusus Ecclesiæ tollere cupit.

 destruera

Reliquiæ Episcoporum maneant apud eorum hæredes.

destruere consueverant; In guerris Advocatorum, & aliis malis, quorum non est numerus, statutis quibusdam eisdem abusionibus obviavimus. Primo promittentes, quod nunquam deinceps in morte cujusquam Principis Ecclesiastici reliquias suas Fisco vendicabimus. Inhibentes quoque ne laicus quisquam aliquo prætextu sibi eas vendicet, sed cedant successori, si antecessor intestatus decesserit: cujus testamentum, si quid inde fecerit, volumus esse ratum. Si quis verò contra hanc constitutionem reliquas sibi vendicare præsumpserit, proscriptus & exlex habeatur, & feodo sive beneficio si quod habet, permaneat destitutus.

Nova Telonia aut monetæ ne instituantur.

Item thelonea, & novas monetas in ipsorum territoriis sive Iurisdictionibus eis inconsultis, seu nolentibus non statuemus de cetero: Sed antiqua thelonea, & jura monetarum eorum Ecclesiis concessa, inconvulsa & firma conservabimus & tuebimur, nec ipsi ea infringemus, nec ab aliis lædi permittemus, modis aliquibus; utpote monetæ turbari & vilificari solent similitudinibus imaginum, quod penitus prohibemus.

Fugitivi Ecclesiæ restituantur.

Item homines quocunque genere servitutis ipsis attinentes, quacunque causa se ab eorum obsequiis alienaverunt in nostris civitatibus non recipiemus in eorum præjudicium; & idem ab ipsis inter se, eisque à laicis omnibus universaliter volumus observari.

Advocatus damnum Ecclesiæ inferens duplo luat.

Item statuimus, ne quis Ecclesiam aliquam in bonis suis damnificet occasione Advocati eorundem bonorum, sed si damnificaverit, damnum in duplo restituet, & centum marcas argenti Cameræ nostræ solvet.

Feuda Ecclesiæ ne occupentur, sed Dominis suis adhæreant.

Item si aliquis eorum vasallum suum, qui fortè eum offendit, jure feodali convenerit; & sic feodum evicerit, illum suis usibus tuebimur, & si ipse feodum de bonâ & liberali suâ voluntate n. bis conferre voluerit, recipiemus amore vel odio non obstante. Quocunque autem modo, sive etiam ex morte infeodati, Principi Ecclesiastico feudum aliquod vacare contigerit, illud auctoritate propriâ, immo violentiâ nullatenus invademus, nisi de bona voluntate liberalique concessione suâ potuerimus obtinere, sed cum effectu suis usibus studebimus defensare.

Excommunicati sunt vitandi.

Excommunicatus si sex septimanas in reatu mãserit, etiam ab Imperatore proscribatur.

Item sicut justum est excommunicatos eorum, dum tamen ab ipsis vivâ voce, vel per literas eorum, vel per honestos nuncios fide dignos nobis denunciati fuerint, vitabimus; & nisi prius absolvantur, non concedemus eis personam standi in judicio: sic distinguẽtes, quod excommunicatio non eximat eos à respondendo impetentibus, sed sine advocato: perimat autem ejus potestatem ferendi sententias, & testimonia, & alios impetendi. Et quia gladius materialis constitutus est in subsidium gladii spiritualis excommunicationum. Si excommunicatos in eò ultra sex septimanas perstitisse prædictorum modorum aliquo nobis constiterit; nostrâ proscriptio subsequatur non revocanda, nisi prius excommunicatio revocetur. Sic utique aliisque modis omnibus, justo videlicet & efficaci judicio ipsis prodesse atque præesse firmiter compromisimus, & ipsi versa fide datâ promiserunt, quod contra omnem hominem, qui tali nostro judicio ipsis exhibendo violenter restiterit, nobis pro viribus suis efficaciter assistent.

Ne Ecclesiæ fundi ædificiis occupentur.

Item statuimus, ut nulla ædificia, castra videlicet, seu civitates in fundis Ecclesiarum, vel occasione Advocatiæ, vel alio quoquam prætextu construantur. Et si quæ fortè sunt constructa, contra voluntatem eorum quibus fundi attinent, diruantur Regiâ potestate.

Officiales Imper. in civitatib. Principum Ecclesiast. Iurisd. ne exerceant.

Item inhibemus ad imitationem avi nostri felicis memoriæ Imper. Frederici, ne quis Officialium nostrorum in civitatibus eorundem Principum jurisdictionem aliquam

five in theloneis, five in monetis, seu aliis officiis quibuscunque sibi vendicet, nisi per octo dies ante curiam nostram ibidem publicè indictam, & per octo dies post eam finitam, nec etiam per eosdem dies in aliquo excedere præsumant jurisdictionem Principis & consuetudines civitatis. Quotiescunque autem ad aliquam civitatum eorum accesserimus sine nomine publicæ curiæ, nihil in eâ juris habeant; sed Principes & Dominus ejus in eâ plenâ gaudeat potestate. Sanè quanto fidem ampliorem prædictorum Principum circa nos intelleximus, tanto excellentiùs eorum profectibus semper intendemus prospicere. Et quoniam acta hominum oblivio inimica memoriæ per longam temporum evolutionem sepelire solet, diligentiâ vigilantiori adhibitâ hæc nostræ gratiæ beneficia Ecclesiis impensa perpetuari volumus. Statuentes ut hæredes nostri & successores in imperio ea rata conservent, & exequantur, & faciant in subsidium Ecclesiarum à laicis universaliter observari. Et ut futuris innotescant, & à præsentium non excidant memoriâ sive notitiâ ea fecimus huic paginæ annotari, & paginam subnotatione nominum eorum qui interfuerunt Principum videlicet, & sigilli nostri munimine insigniri. Testes hi sunt: Sifridus Maguntinensis Archiepiscopus, Theodricus Treverensis Archiepiscopus, Engelbertus Coloniensis Archiepiscopus, Albertus Magdeburgensis Archiepiscopus, Hugo Leodiensis Episcopus, Otto Trajectensis Episcopus, Engbertus Bambergensis Episcopus, Conradus Ratisponensis Episcopus, Hertvicus Eystedensis Episcopus, Theodricus Monasteriensis Episcopus, Henricus Wormatiensis Episcopus, Engelhardus Nuwenburgensis Episcopus Henricus Basiliensis Episcopus, & alii quam plures. Sigum Domini Frederici secundi Rom. Regis invictissimi, & Regis Siciliæ. Ego Conradus Metensis & Spirensis Episcopus Imperialis aulæ Cancellarius, vice Domini Sifridi Maguntinensis sedis Archiepiscopi, & totius Germaniæ Archicancellarii recognovi. Acta sunt hæc anno Dominicæ incarnationis M CC XX Indictione nonâ, regnante D. Frederico secundo Romanorum Rege, & Siciliæ gloriosissimo, Anno Regni ejus in Germania VIII. in Sicilia verò XXIII. Datum apud Franckenfort VI. Kal.

Officiales Imperiales in civitatibus Principum Ecclesiasticorum Iurisdictionem ne exerceant.

Sanctio.

Anno Christi 1220.

Idem (p) Fredericus secundus Rom. Imp. inhibuit Gerardo juniori Comiti Geldriæ ne telonium statueret in Ditione suâ.

FRedericus Dei gratiâ Rom. Imp. semper Augustus, & Rex Siciliæ, Universis præsentes literas inspecturis fidelibus suis gratiam suam & omne bonum: Quia cùm apud Franckenfort in Curiâ solenniter indictâ judicio præsideremus, per Principes qui ibidem aderant, talis data fuit sententia, & ab eisdem approbata, quod nullam auctoritatem sive Warandiam telonei in damnum vel præjudicium, alicujus nostra præstare serenitas potuisset. Quare cùm de Comite Gelrensi super teloneo, quod se à nobis asseruit tenere, clamor conquerentium non modicus aures excellentiæ nostræ pulsaverit, sub obtentu gratiæ nostræ, eidem Comiti dedimus in mandatis, ac penitus prohibuimus, quod nullum teloneum apud Arnhem vel Oesterbeke seu Lobede, vel in quocunque loco super Rhenum deinceps acciperet vel haberet, non obstante aliquâ Warandiâ, quam se dixit habere, nec aliquibus literis obviantibus à nobis, vel prædecessoribus nostris impetratis, super his literis apertas universis eis inspicientibus destinantes. Verùm quia idem Comes in his mandato & scripto nostro temerè contraire præsumens postmodum teloneum sibi prohibitum non solum

Telonium prohibetur Arnhemi, Oosterbeke, & Loopbeke

extorquere. Immò etiam, quod graviùs est, in dispendium Episcopi Trajectensis & Ecclesiæ suæ homines suos de Daventriâ *& Sallandiâ novis teloneorum exactionibus apud Lobbeke præsumpsit aggravare. Nolentes igitur ut per violentiam Comitis præfati, Episcopo jam dicto & Ecclesiæ ipsius occasione præmissi telonei aliquod præjudicium fiat, ulterius literas, quas super inhibitione ejusdem telonei indulsimus, confirmantes innovamus, ac iteratò Imperiali auctoritate* Warandiam *telonei apud loca memorata, & in aliis locis super Rhenum sæpedicto Comiti contradicimus. Et ne teloneum deinceps accipiat penitus inhibemus. Si verò idem Comes, quòd non credimus, huic nostræ contradictioni ac inhibitioni contrarius exstiterit, ipsum etiam indignationem nostri culminis incurrisse, & à gratiâ Majestatis nostræ exclusum penitus cognoscatis. Actum apud* (q) *Brachmam prid. Nonas Ianuarii,* XI. *Indictione.*

Minatur Comiti Geldriæ indignationem nisi parcat.

Epistol. ejusdem ad Comitem Geldriæ.

F*Redericus Dei gratiâ Rom. Imp. semper Augustus, & Rex Siciliæ, fideli suo G. Comiti Gelrensi gratiam suam & omne bonum. Intelleximus quod tu post inhibitionem mandati nostri apud Franckenforde in solenni Curiâ sententialiter factam, venerabilem Trajectensem Episcopum dilectum consanguineum & Principem nostrum, & Ecclesiam ipsius indebitis exactionibus telonei apud Lobbede, & aliis gravaminibus multipliciter aggravas & molestas. Immo, quod graviùs est, ab hominibus castri sui Davantre, & terræ suæ Sallandiæ de novo teloneum extorques in ipsius & Ecclesiæ suæ præjudicium & gravamen. Cùm igitur ex officio commissi nobis regiminis, Ecclesiarum jura defendere tenemur, ac conservare; fidelitati tuæ sub obtentu gratiæ nostræ firmiter præcipiēdo mādamus, quatenus ab hujusmodi exactionibus telonei & aliis gravaminibus, quæ eidem Episcopo &* Ecclesiæ *suæ hactenus irrogasti, & adhuc inferre non formidas, omninò desistas, teloneum, & maximè ad gravamen* Episcopi, *& hominum terræ suæ per te de novo institutum penitus abolendo, indubitanter sciturus, quod si in hujusmodi mandati nostri executione iteratò tibi facti, tenorem literarum, quas super his omnibus eas inspicientibus de novo direximus, negligentem te gesseris, non solum Majestatem nostram offendisse, sed à gratiâ nostrâ te scias penitus alienum. Datum apud Brechman* IV. *Idus Ianuarii* IX. *Indict.*

Execu-

Executoria super præmissis.

FRedericus secundus Dei gratia Rom. Rex, semper Augustus, & Rex Siciliæ, fideli & delecto Principi suo E. (r) sanctæ Coloniensis Ecclesiæ Archiepiscopo gratiam suam & omne bonum. Nobis apud Franckenvorde in Curiâ solenniter indictâ judicio præsidentibus data talis est sententia, & à Principibus approbata, quod nullam auctoritatem telonei sive Warandiam in damnum vel præjudicium alicujus præstare possimus. Cùm igitur super teloneo, quod nobilis vir Comes Gelrensis se asserit tenere à nobis, querimoniam non modicam audiverimus, Regiâ Majestate tibi mandamus, quatenùs auctoritate nostrâ, & sub obtentu gratiæ nostræ, eidem Comiti firmiter præcipias, ut nullum teloneum ab Arnhem vel Oesterbeke, seu Lobbede, vel in quocunque loco super Rhenum deinceps accipiat, non obstante aliqua (s) Warandiâ si quam se dicit habere, nec literis aliquibus obviantibus à nobis vel successoribus nostris impetratis. Datum apud Frankenforde in Curiâ nostrâ solenniter indicta II. Kal. Maji.

Concessit etiam (t) auctoritatem locandi teloneum in Ghano in quocunque alio loco, uti Philippus Rex anteà fecerat, sub data anni M cc xx, XIII. Kal. Maji apud Forum Francorum. Henricus quoque Imp. concessit Ottoni Episcopo Advocatiam Zallandiæ.

HEnricus Dei gratiâ Rom. Rex, semper Augustus universis præsens scriptum inspecturis salutem & omne bonum. Notum sit omnibus, quod Advocatiam (u) Sallandiæ, quam habuit Gerardus miles de Buchorst, & quam Gerardus Comes Gelrensis ab ipso emerat, ab eisdem nobis resignatam, & liberè nobis vacantem dilecto Principi nostro Ottoni Episcopo Trajectensi, & Ecclesiæ suæ suisque successoribus in perpetuum contulimus possidendum, & Ioannem Notarium ipsius, Canonicū sancti Petri Trajectensis nomine prædicti Episcopi & Ecclesiæ Trajectensis de manu nostrâ protestamur recepisse. Datum apud Franckenvoirdt, anno Domini M CC XXV, X. Kalend. Martii.

HEnricus Dei gratiâ Romanorum Rex, & semper Augustus, omnibus Christi fidelibus præsens scriptum inspecturis, in perpetuum notum esse volumus, tam præsentibus, quàm futuris, quod formam compositionis & pacis per venerabilem Dominum C. Portuens. & tit. sanctæ Ruffinæ Episcopum, Apostolicæ Sedis Legatum inter dilectum Principem nostrum Ottonem Episcopum Trajectensem, & G. Comitem Gelrensem ordinatam, ratam & firmam habentes ad pe-

titionem ejuſdem Domini Legati Advocatiam quam Gerardus miles de Buchorſt habuit in Sallandiâ, & dictus Comes Gelrenſis ab ipſo emerat, in manus noſtras ab eis liberè reſignatam nobis vacantem, præfato Epiſcopo & ſucceſſoribus ſuis, & eccleſiæ ſuæ Trajectenſi contulimus, cum aliis beneficiis & feodis quæ ab Imperio obtinet perpetuò poßidendam. Ad hujus igitur noſtræ donationis firmitatem & evidentiam perennem, hanc paginam ſigilli noſtri appenſione munitam, Eccleſiæ & Epiſcopis Trajectenſibus, perpetuò fecimus aßignari; ſub obtentu gratiæ noſtræ inhibentes, ne quis hominum huic noſtræ donationi audeat contraire. Datum apud Franckenvort, anno Domini M CC XXVI. X. *Kal. Martii.*

a *Frater Ottonis & ſororius Wilhelmi Comitis,*]. Vide quæ ad hanc rem pertinentia notavi ad Bekam: Nam, teſte Aquilio hic Otto filius fuit Ottonis II. Gelriæ Comitis, & frater Adelheidis, quæ nupta Guilielmo I. Hollandiæ Comiti fuit, quod & Ioan. Iſaacius Pontanus in perdocto & laborioſo opere de principibus Gelr. affirmat.

b *Apud Nortbuſen juxta Altinum,*] Altinum forte oppidum Altena, vide quæ ad Becanum Chronicum notavi.

c *Cum præfuiſſet annis 3. vel duobus cum ſemi,*) Beka tres annos cum dimidio ipſi tribuit. Barlandus nondum biennium præfuiſſe vult; at Noviomagus quadriennium tradit.

d *Major Præpoſitus,*] Nempe Trajectenſis, hic cum apud Frankenfurt à Præſule Agrippinenſi benedictionem & ab Imperatore inveſtituram accepiſſet, cum eodem Imp. in Syriam profectus eſt, quo facto, an probè officium boni paſtoris executus ſit, aliis judicandum relinquo: certè qui oves ſuas abſque neceſſitate deſerere pro ludo habuit, poſtea eaſdem in Lupos converſas, juſto Dei judicio, expertus eſt.

e *Hermanno Fratri,*] Comiti de Lippia, cui conjunx fuiſſe dicitur filia Simonis Com. de Tekelenburch; Hic teſte Crantzio Metrop. lib. 7. c. 47. à Stedingis occiſus eſt, ſtemma hujus in gratiam noſtri præſulis adjungo:

Vivebat an. 1181. Bernardus de Lippiâ, qui præerat pro Henrico Leone oppido Adelſleben; quod Wichman. Antiſtes Magdaburg. obſederat.	Hermannus Com. de Lippia.	Bernardus C. de Lippia pater Simonis. Simon Epiſcop. Monaſterienſis. Conrad. Can. Hildiſhemenſis. Sophia Stenfordiæ domino nupta.
	Theod. Præpoſitus Daventr.	
	Gerardus anno 1220. Archi-Epiſcopus Bremenſis.	
	Ioannes cum fratre Hermanno cæſus à Stedingis.	
	Otto Epiſcopus Trajectenſ. occiſus à ſuis.	
	Bernardus, poſt mon. factus.	

f *Walterus ex Trajecto inferiore,*) Miror Miræum in Ciſtertienſibus ubi ſatis amplè Villarienſem Abbatiam deſcribit, ne meminiſſe quidem hujus Walteri. In quinto verò Orig. Monaſticarum cap. 15. ſic de eo loquitur: *Walterus Trajectenſis, Abbas X. Vilarienſis, Prophetiæ ſpiritu clarus & orationi dediti ſſimus.* Thomas etiam Cantipratanus de Apibus, ſive bono univerſ. lib. 2. c. 26. num. 6. honorificam valde de eo mentionem facit.

g *Qui Salios tributo nimio,*) Sic vocant illos, qui regionem trans Iſſulam, quam Zallant vocamus, inhabitant, & quidam hinc Salios Francorum progenitores ortos crediderunt. Verùm quod dicit hic Heda, & cum eo alii Ottonem Gelriæ Comitem cum Ottone II. Epiſcopo Trajectenſi ob Zallandiam contendiſſe, non capio: cum Otto II. Gelriæ Comes anno 1102. vel 1104. dicatur mortuus, diu ante Epiſcopi noſtri electionem, & Otto III, anno demum 1129, poſt ejus mortem gubernacula Gelriæ acceperit. Quare putarem hoc diſſidium, inter Epiſcopum hunc, & Com. Gerardum III. (qui ab anno 1104, ad 1129, Gelriæ præfuit) ortum, quod diligentiſſimus Pontanus in Gelricis ſuis vidit, & ſequentis Compromiſſi inſtrumentum ex archivis noſtris depromptum, indicat:

GEradus Comes Geldrenſis omnibus ad quos præſens ſcriptum perveniet ſalutem, præſenti ſcripto proteſtamur, nec in aliquo neceſ-

ſitatis

sitatis articulo, difficultari debemus; quod nos cum venerabili domino nostro Ottone Trajectensi Episcopo, fide datâ in juramento præstito in talem formam compromissi convenimus; scilicet quod totam causam quam habemus & habuimus contra ipsum Episcopum super Cometia ecclesiæ Sallandiæ, secundum quæstionem inter nos hactenus inde habitam, & super illo jure quod vulgariter kortgerechte *appellatur, & super eò quod* Malegud *dicitur, & similiter super decimis novis, & hæreditatibus ad dominum Episcopum & Ecclesias & Ministeriales Ecclesiæ spectantibus. Et insuper hominibus domini Episcopi intra Mosam Walam in Tielrevveerde & Boemelrevverde & in Betue constitutis, compromisimus in arbitros, in quantùm adjutores nostri consenserint, & ipsi arbitri secundum juramentum suum de prædictis causis ordinabunt; & bonâ fide laborabunt, ut inter dom. Episcopum & nos amicabiliter vel secundum justitiam componant, in nullo modo componendi à domino Episcopo vel à nobis, arbitris præfixo, in quo sistere debeant. Sed ipsi arbitri secundum se & suam conscientiam in compositione liberè procedant. Arbitri v°. ex parte domini Episcopi sunt; dominus Engelbertus de Groninge, Giselbertus de Amestel, Gerardus de Tholre, Arnoldus Luf. Ex parte autem nostrâ; Henricus de Monte, Fredericus de Reden, Gerardus de Rothem & Theodoricus de Valckenberch: Prædictis arbitris super additi sunt duo, vir Nobilis dom. Herimannus de Lippiâ & Bernardus de Horstmariâ in quos dominus Episcopus & nos etiam fide datâ & juramento præstito convenimus, ut si præfati octo arbitri in aliquo scrupulo compositionis dissentiant, illi duo illorum dissentionem discutiant & amicabiliter, vel secundum justitiam, prout ipsis pura dictaverit conscientia fideliter inter dominum Episcopum & nos componant. Et dominus Episcopus & nos sicut juramento confirmavimus eorum arbitrio stabimus & ordinationi. Et si aliquis arbitrorum infirmitate detentus, vel aliâ causâ legitimâ cogente, arbitrio interesse nequiverit, alii arbitri virum idoneum ad compositionem perficiendam secundum juramentum suum substituent. Sunt & aliæ causæ dissentionis inter dominum Episcopum & nos, sicut de theloniis & exactionibus, quas arbitrio non commisimus, sed ipsis purè & simpliciter renunciavimus. Arbitri prædicti juramentum præstabunt, quod non recedent ab arbitrio, nisi compositione terminatâ, & totaliter consummatâ. Quæstio autem de fidejussione inter nos, & nobilem virum Hermannum de Lippiâ & quosdam alios prædicto arbitrio non est commissa, sed ordinationi domini Episcopi nostræ*

& nostra reservata. Assignata est verò dies quando arbitri super facienda compositione convenire debent, vigilia omnium SS. proximè ventura. Datum in crastino Lucæ Euangelistæ. Anno Domini MCC XXV. *in Nodâ super ripam Rheni.*

Appendet sigillum è cerâ nativâ, magnâ parte vetustate consumptum, in cujus dorso extat integra Comitis imago Equestris, clypeum præferens 3. mespilæ floribus insignem, qui tamen errore sculptoris in vexillo militari malè formati, ut hic expressi.



h *Duo castra Voerst & Bovveckhuorst.*) In MSS. invenio Sisnam sive Voerst, & Buckhorst sive clivum fagorum. Interpretatio Bueckhorst satis nota: sed Sisnam vel Sisisnam quid sibi velit, juxta cum ignarissimis intelligo.

i *Et partes utrimque,*] Mirop. Codex, *partibus* habet, unde malim legere: *Et partibus utrimque magnis viribus concurrentibus, etiam confluentibus principibus loco & tempore pugnæ designatis;* Cl. Professor Liræus ita legit, *& partis utriusque magnis viribus concurrunt.*

k *Supervenit quidam Conradus Card.*] Quis hic Conradus in Becano Chronico aperui; & de eodem videri poterit Miræi Chron. Cisterciense. Hujus autem concordiæ instrumentum etiamnum legitur sequentibus verbis:

Conradus miseratione divinâ Portuensis & S. Rufinæ Episcop. Cardinalis Apostolicæ sedis Legatus, universis Christi fidelibus, salutem in domino. Cum controversia esset inter Ottonem Episcopum Trajectensem & Florent. C. Holland. super comitatu Fresiæ, & obstructione dammi apud Svvachenburg, & permutatione quorundam servorum Episcopi & Comitis, quæ omnia determinata publicè inter B. M. Theodoricum Traject. Episcopum, & Wilhelmum patrem prædicti Comitis, talis in nostrâ præsentiâ, de consensu ipsorum & consilio priorum Ecclesiæ Traject. hominum & ministerialium utriusque compositio

positio intercessit. Quod VII. *Slusæ ponendæ sint in loco qui dicitur* Wendeldijck: *Et Comes assereret, quod Episcopus quatuor deberet ponere Slusas; & Episcopus diceret se teneri nisi tres. Itaque determinatum est; quod si quatuor homines Comitis:* Wilhelmus *de Teylingen,* Wilhelmus *de* Egmunda, *Hugo de Naeldvvyck, Iacobus Burchgravius de Leyden voluerint per juramentum unius ipsorum declarare, quod coram nobis & Archiepiscopo Colon. B. M. apud Dusburg determinatum fuit, quod Comes deberet ponere tres Slusas, & Episcopus quatuor stabiliter & immutabiliter ab utraque parte juramento illius stabitur: Si verò prædicti quatuor homines Comitis deferre voluerint hujusmodi juramentum; quatuor consiliariis Episcopi, qui apud Dusburg tunc temporis fuerunt, quando coram nobis de hoc tractabatur & Archiepiscopo mem.* Eccles.; W*altero Præp. S. Petri, Gosuino Præp. S. Ioannis, Giselberto de Amestelle, Arnoldo Luf, unus eorum juret, qualiter tunc fuit determinatũ, servabitur firmiter ab utraq; parte. Actum Traj., in Palatio Episc., præsentibus R. Decano Majoris,* W*altero Præp. S. Petri B. Præp. . . . .* W. *S. Salvatoris, G. S. Ioannis A. S. Mariæ Decano, Tr. G. Comite Goorens. Baudino Com. de Benthem,* Wilhelmo *de Brunchorst, Henrico de Monte, Frederico de Reden, Gerardo de Rochem, Alardo de Buren, Theodorico de Valckenberch, Alfero de Tsselmuten, Giselberto de Amestelle, Gerardo de* Dolre, *Arn Luf, Theodorico de* W*assenare & Philippo ejus fratre, Ottone* D*apifero * Zelandiæ, Theoderico de Raephorst, Bald. de Rodenborch, & Giselberto Nigro. Anno* Domini M C XXV. VII. *Kal. Februarii.* *Zallandiæ.


l *Contigit hæc nefanda strages,*) De tempore hujus cædis, & quamdiu præsederit Ecclesiæ, ad Chron. Bekæ quædam dixi.

m *Hic consulit Ecclesiæ S. Iohannis,*) Vidi diplomatis hujus exemplar; & non valde dissimile aliud supra dedimus, ab Episcopo Andreâ eidem collegio concessum de bonis in Bosinchem sitis.

n *Materteram. S. Elizabeth.*) De hâc Elizabethâ inter Divas relatâ, & ejus pietate, multa feruntur. Vide quæ de eâ scribunt Cratepolius de SS. Germ. Lit. E, ad Usuardum Molanus, 19. Novembr. Bonfinius rerum Hungar. Dec. 2. lib. 7. ad finem libri, Lipsius de Virg. Hall. cap. 2. & Cæs. Baronius ad Martyr. Rom. Cùm verò mater Elizabethæ fuerit Gertrudis, nobili Alamannorum genere orta, vel, ut Lipsius vult, Meraniæ Ducis filia, nescio quomodo Mechtildis dicatur matertera D. Elizabethæ? Hoc saltem verùm est, quod Sophia Thuringica D. Elizabethæ filia, nupserit Henrico 6. Brabant. Duci Mechtildis fratri; quod forsan Hedæ erroris causam præbuit.

o *In nomine sanctæ & individuæ Trin.*] Hoc diploma extat integrum adhuc in Archivis summi ap: Ultrajectenses collegii aureâ bullâ vel sigillo ornatum, cujus formam ad verum exprimi curavi; emendavi quoque ad ipsum exemplum satis curiosè; adeò ut maluerim ejus vitia imitari, quàm à scripturæ veritate discedere. Signum quoque Imperatoris, cum charactere Imperiali huic adjungere non alienum à re esse credidi, quod est tale:

Signum domini Frederici ſecundi Rom. Regis invictiſſ.



Et Regis Siciliæ





p *Idem Fredericus II. Rom. Imp. inhibuit G. Com. Gelr.)* Cauſa hujus & occaſio ex conceſſione ab eodem Imp. Comiti factâ, cujus extat apud me exemplar, cum Henrici ejuſdem Imp. filii continuatione; quâ cum C. Gelriæ uteretur, ad vicinorum & maxime Epiſcoporum injuriam eorundem quærelis ad Principes Imperii delatis, ipſi illam conceſſionem invalidam, & præter regni conſtitutiones impetratam, ideoque revocandam atque inhibendam judicarunt.

q *Datum ap. Brechman.)* Forte Bremam intelligit, quæ jam Archiepiſcopali ſede nobilis urbs, ad Weſaram ſita, inter primas Hanſeaticas habetur.

r *E. S. Colonienſis Eccl. Archiepiſcopo,)* Hic fuit Engelbertus qui in Chronico Auguſtenſi, dicitur vir magnæ providentiæ, & tutor Regis, qui anno 1225. à Comite Frederico de Altenâ ſororio ſuo occiſus fuit; In Chron. Elwangenſi ad annum C. 1226. hic præſul vocatur Cunradus Suevus, cujus auctor fortè legerat Cunradum natione Suevum Antiſtitem Trajectenſem occiſum olim. vide vitam hujus Engelberti à Cæſario Heyſterbacenſi deſcriptam, & ab Ægidio Gelenio notis illuſtratam, adde Godefridum Colon. Monachum S. Panthaleonis ad annum 1225.

ſ *Non obſtante aliquâ Warandiâ,)* Warandiare, id eſt, cavere pro indemnitate vel evictione à Warem noſtrum; Galli guarantigiare, ut & Itali etiam hodie dicunt, vide quæ Hotomannus de verbis feudalibus.

t *Auctoritatem locandi telonium in Gano,]* Vide quæ ſupra in Theodorico de Are Epiſcopo dicta ſunt, ubi & diploma Philippi Regis legitur.

u *Quod contulit Advocatiam Sallandiæ Ottoni Epiſcopo,)* Et hæc cauſam dedit diſſidii inter Geldrum & Epiſcopum, ut jam dictum eſt.

Cum nullam Heda mentionem faciat controverſiarum inter Collegium Marianum in Trajecto & Comitem de Goye, de decimis in Hauten & locis viciniſ ſub hoc Epiſcopo exortarum, eæque ſententiâ procerum Eccleſ. Tr. ſint deciſæ; cujus apud me exemplar exſtat authenticum: eandem hic adſcribere non inconſultum mihi viſum fuit; maximè cum ea ſit in ore multorum, ob multitudinem nobilium Judicum, qui ibidem recenſentur, & quorum familiæ quædam etiam nunc ſuperſunt.

IN nomine Sanctæ & individuæ Trinitatis, Amen. Otto Dei gratiâ Trajectenſis Epiſcopus, omnibus Chriſti fidelibus ſalutem in Chriſto Ieſu

sto Iesu. Notum sit omnibus tam posteris quam præsentibus, quod quæstio orta fuit Capitulo S. Mariæ à Comite de Goye, super decimis parochiæ de Halten, quæ proveniunt de villis vel insulis in eadem Parochiâ jacentibus, quas prædictus Comes asserebat se tenere à nobis jure feodali. Capitulum verò affirmabat easdem decimas ex largitione fundatoris sui domini Conradi Episcopi ad proprietatem Ecclesiæ pervenisse, usibus Canonicorum ad ministrationem præbendarum perpetuò servituras. Et quia capitulum longi temporis præscriptionem allegabat: Lata est sententia pro capitulo à prioribus Ecclesiæ Trajectensis, & approbata à nobilibus qui præsentes aderant, & ministerialibus, quorum plurima affuit multitudo: quod capitulum B. Virginis admitti deberet, ad probationem quietæ & justæ possessionis. Et postea similiter audiri deberet de probatione proprietatis. Igitur cum ad utrumque paratum esset sæpè dictum Capitulum, productis testibus omni exceptione majoribus, Diaconis & Sacerdotibus, allatis SS. Euangeliis sub stola jurare paratis; prædictus Comes juramenta eis, de bona voluntate remisit, & à vexatione ipsorum de omnibus quæ inter ipsos deducta erant in quæstionem se deinceps cessare velle, constanter asseruit. Itaque his omnibus rite peractis, nos vredebanno solenniter pronuntiato, præfatam Ecclesiam in perpetuâ suarum decimarum possessione confirmavimus, Decimæ autem super quibus mota fuit quæstio, sunt: in villis Halten Luriche, Westerhem, Oesterhem, & ultra novam dicam, & in quadam insulâ quæ dicitur Grunewert *vel* Groenenwerdt, *& quæcunque decimæ possunt emergere in Parochiâ de Halten tàm de cultis agris quàm incultis. Acta sunt hæc anno Incarnationis dñi* M CC XXVIII. *Indict.* XIV. *Domini Honorii Papæ anno* XI. *domini Frederici Imp. secundi, anno Imperii sui septimo, Regni domini Henrici filii ejus septimo, pontificatus Domini Ottonis secundi anno* XI. *præsentibus & attestantibus Theodorico majore Præposito, Ludovico S. Salvatoris,* Waltero *S. Petri, Goesvvino S. Iohannis Præpositis: Remboldo majore Decano,* Wolfranno *S. Salvatoris, Hugone S. Petri, Giselberto* S. *Iohannis, Andrea* S. *Mariæ Decanis:* Werenboldo *Choir-episcopo; Goesuino, Huberto, Rembolde custode, Heermanno,* Widekindo*, Matthæo Canonicis* S. *Martini; Theodorico, Gozhelino, Reimaro,* Wilhelmo*, Giselberto, Iacobo Canonicis* S. *Salvatoris; Nicolao, Herimanno, Theodrico, Arnoldo, Peregrino, Rogero Canonicis* S. *Petri; Iohanne Custode, Herimanno, Conrado, Theodorico, Alexandro, Matthæo Canonicis* S. *Iohannis; Brunone,* Waltero*,* Wichero*, Henrico, Christiano, Iohan-*

Iohanne, Conrado Canonicis S. Mariæ: Nobilibus; Alardo de Buren, Herberto de Leyde, Waltero Spirinck. Ministerialibus; Giselberto de Amestelle, Egidio fratre suo, Alberto de Wlven & Alberto filio suo, Arnoldo Loiff, Ernesto de Wlven, Hermanno de Worden, Alfardo de Renbecke, Amulio de Werde, Everhardo Burchgravio de Muntfoort, Henrico de Amersfoort, Gerardo de Merlo, Gerardo de A, Henrico Splinter, Stephano de Boesingem, Gisekino de Poele, Wilhelmo Schadde, Nannekino, Gerardo de Curiâ, Iohanne de Vechten, Hugone de Halten, & Philippo, & Pavone, Ernesto de Everdingen & Engelberto fratre suo, Wilhelmo Prois, Ottone Prois, Gerardo Prois, Bernardo Prois, Egidio de Scalvvick, Suedero Sculteto & Scabinis civitatis, & aliis quàm pluribus.

Hanc sententiam probavit & confirmavit post 25. annos sub Henrico Episcopo, Giselbertus de Goye, adhibitis testibus nonnullis, qui literis ejus sigilla sua appenderunt.

Wilebrandus Episcopus XXXV.

OTtone cæso, sollicitante Florentio Comite Hollandiensi, Wilebrandus (a) Osnaburgensis Episcopus, filius Comitis Castri Veteris, ut cladem illatam ulcisceretur: (erat enim fortis & audacis animi) tunc absens in Italiâ, obiens legationem Imp. postulatus à Gregorio Papâ ad Ecclesiam transfertur Traject. & xxxv. constituitur Episcopus, qui illicò animadvertit ad parricidas Ottonis, Rudolphum principem Anathemate percussit, & omni honore, sententiâ nobilium privavit, ducensque ingentem ex Frisiis hortatione Rom. Pont. armatis, aliisque gentibus in Trentones ac Vacceforum, id est, Coevordiam, exercitum, quos subegit, non absque sanguine & clade suorum Coevordiam ad deditionem compulit, indictâ Rudolpho mulctâ, ut arcem traderet, jurisdictionem Provinciæ abdicaret, ingentem vim auri persolveret, centum equites in Livoniam mitteret, in loco cladis passæ (b) Collegium xxv Canonicorum fundaret: & Monasterium religiosarum fœminarum, quod Nigra aqua dicitur, construeret. Ductus tandem pœnitentiâ, postquam abscesserat Episcopus, ob graves conditiones, quas impleverat. Illicò corruptis custodibus, arcem dolosè recuperat, & iterum coactus sese dedere, datis induciis dum Episcopo accedit eo minimè consentiente, sed quantùm valuit defendente per tumultum extractus cum socio ignominiosè trucidatur & impositus rotæ, stipite exaltatur, quod maximæ apud Germanos judicatur infamiæ. Sed Trentones rursum, sicuti natura est gentis, rebellantes nova auxilia per fœdera acquirunt, in quos Episcopus severius agens, nec sexui parcens, frustratus proposito propter eorum obstinatiam, & adauctis viribus hostium, retrocessit, arcem & loca confinia majore muniens præsidio, & re infectâ obiit VII. Kalendas Augusti, anno M CC XXXIII. cùm præfuisset annis octo, sepultus Trajecti apud Ecclesiam sancti Servatii, cujus prima jecit fundamenta. Alibi scribitur primùm Præpositus Zutphaniensis, & à magnâ parte Capituli aliquando electus in Præpositum Trajectensem, demum Hildeshemensis Præpositus, & inde effectus Episcopus* Radeburgensis, posteà interfuisse electioni suæ, attinuisseque Comitibus Hollandiæ atque Gelriæ sanguine proximo, frater Comitis Castri Veteris, sive Oldenburg, in omni expeditione suâ habuit Frisios, Vectas, Salios, Tuentanos, Daventriensesque adjutores, qui cum summâ virtute & perseverantiâ militabant. (c) Sed Trajectenses parum laudati, tanquam timidi effæminatique, qui nec viribus, nec ære aliquod præbuerunt adjumentum, nisi eò anno, qui post cladem Ottonis sequens interlapsus est absque Episcopi præsentiâ, qui protracto negotio suæ postulationis Rom. Pont. accessit. Tunc enim Groningam juvarunt contra elatos hostes, & in fide tenuerunt. Celebratur hic Willebrandus claritudine familiæ, (d) splendore armorum, quibus exercitatus erat annis aliquot per Italiam atque utram-

Episcopus moritur anno Christi 1233.

* *Padeburnensis.*

Willebrandus & genere & armis clarus.

que utramque Siciliam. Causas omnes Frederici II. Imp. strenuè peragens, bis transfretavit in Syriam, Deo militans, & idcirco non minus Gregorio IX. ac singulis Cardinalibus quàm ipsi Imperatori notus & acceptus, quem fata nimium repentè periculis, Ecclesiæ eripuêre, qui si supervixisset, haud dubie longè propulsisset id dissidium quod inter Pontificium & Imperium subsecutum est.

a *Wilebrandus Osnaburgensis Episcopus,*) Crantzius in Catalog. Osnaburgensium Episcoporum hunc non habet, sed Paderbrunnensem fuisse Antistitem expressè indicat Metrop. lib. VII. cap. 39. his verbis: *Cedenti succedens Wulbrandus vir utique insignis, & ipse solus duobus annis præfuit, translatus ad Ecclesiam Trajectensem.* Nec Bertius in German. ubi de Episcopis Osnaburg. agit eum agnoscit. Omnes etiam nostri scriptores Paderburnensem præsulem fuisse tradunt, ut & Albertus Abbas Stadensis ad annum C. 1227. Chron. magn. Belg. Snoyus item & quotquot præterea scriptores videre licuit. Hadr. Barlandus Badenburgensem vocat, fortè Audenburgensem voluit; nam Comite Oldenburgico genitum scribunt nostri. Ubbo tamen Emmius in stemmate Oldenburgico ejus non meminit: Etiamsi El. Reusnerus in stemmate Witichind. dubitet an Ioannis II. Comitis Oldenb. filius fuerit.

b *In loco cladis passæ collegium* XXV. *Can.*) De hoc more & ritu expiandæ olim cædis alio loco dixi; etiam ad Chronicum Bekæ.

c *Sed Trajectenses parum laudati,*) Hedâ hic ex affectu mihi loqui videtur, non judicio: rationem enim cur bellis istis Transissulanis parum favoris aut opis adhibuerint Trajectenses, vel ignorasse, vel malignè præteriisse dicendus est. Nam cùm Provinciæ istæ Trans-Issulam quasi liberæ & Imperiales sese venditarent, semper se alienos abs Trajectensium incômodis ac bellis servarunt, & rarò eisdem auxilio venerunt, ut cuivis nostras historias evoluenti, constare poterit: ac proinde Trajectẽses vicissim parum illorum se controversiis miscebant, cùm bella ipsi suâ propriis viribus sustinere cogerentur, nullis, vel exiguis Trans-Issulanarum adjuti. Quin & trans-Issulani primi se sponte separarunt à nostris, nullo communicato consilio, & Imperatori sese, proditâ suâ & vicinorum libertate, subjecêre.

d *Splendore armorum,*] Laudatur hic Antistes, non ut pastor aut Episcopus, qualis audiebat, sed ut princeps strenuus & dux militaris.

Otto Tertius Episcopus XXXVI.

Post Willebrandum rebus adhuc in ancipiti consistentibus, concordi omnium voto eligitur Otto ex Comitibus Hollandiæ, ex (a) Regiâ stirpe oriundus, ex milite terreno factus miles cœlestis, qui dominabatur (b) Frisiæ Orientali, quam in partem hæreditatis à fratre susceperat gubernandam, & trigesimus sextus Episcopus constitutus, vir utique frugi: nam ubi intellexit Episcopatum ad inopiam redactum ex continuo bello atque defectione Trentanorum, universum patrimonium publicè vendidit, rempublicam ex ære quæsito ab omni oppressione liberavit, in pristinam libertatem restituens, & per singularem providentiam, ut tumidas Rheni (c) aquas, quæ per inundationes assiduas agrum Trajectensem pessundaverant, secluderet, induxit Florentium Comitem fratrem, ut suis impensis latissimum ac perpetuum aggerem ab Amerongâ usque bellam Curiam, quam Schoonhoviam vocant, juxta Rhenum duceret; cum conditione, ut Episcopi successores haberent curam conservandi. Sub hoc tempore Stadingi (d) populi Bremensis Provinciæ, primò à fide Christianâ in hæresim, & demùm in gentiles errores, ad culturam (e) Deorum cecidêre, avaritiâ & culpâ unius sacerdotis. Adversum quos, sæpiùs à Rom. Pont. atque Imperatore per Legatos, ut resipiscerent commonitos, quibus nedum obauditis, sed per furorem, partim morte, partim magnâ injuriâ contra jus gentium affectis, Henricus Dux Brabantiæ, Florentius Hollandiæ, ac Theodricus Clevensis Comites, hortatu Gregorii noni expeditionem cepêre, & cum cruentâ pugnâ internecioni tradidere, nulli sexui aut ætati parcentes; ita ut eorum memoria funditus deleta sit anno MCCXXXIV IV. Kal. Iunias. Quo anno Florentius Comes cum multis nobilibus German. intrãs Gall., ubi Com. Claremõtens. ludos hasticos ac gladiatorios publicaverat, insidiis ipsius Com. Claremont. dũ ludos ageret, interficitur ex suspicione Zelotipiæ de uxore cõceptę, eo quod illa egregia Florẽtii laudaret facinora, Florentio insonte, & nihil minus cogitante.

Episcopus suo ære Rempublicam cõstituit.

Agger ab Amerongâ, Schoonhoviã ductus impẽsis Comitis Hollandiæ.

Stadingorũ contumacia punita.

Florentius Holl. Comes in Galliâ occiditur apud Corbiam,

tante. In cujus ultionem adcurrens Comes Clivensis ipsum Claremontensem Comitem eodem in loco trucidavit, uxore Comitis Claremontensis ex dolore morbo contracto, diem breviter post obeunte, & Principe Nigello fugato. Sic lætitia in publicum versa luctum. Tragœdia hæc acta est apud Corbiacum XIV. Kalendas Augusti, funus cum planctu delatum apud Monasterium Reynsburgense, postquam rexisset annis XII. Princeps morum strenuitate, armisque clarissimus, relicto Wilhelmo filio adolescente pro successore, cujus tutelam atque Comitatus administrationem idem Otto Episcopus suscepit, tantam sibi ex hoc parans auctoritatem, ut seditiosissimos Trentanos subjugaret, arcem Coevordiæ cum totâ Provinciâ oppugnando caperet, & cum Principe Nigelli fraternæ cædis conscio pepigerit, ut in loco commissi sceleris Ecclesiam construeret. Sub hoc quoque Episcopo imago Divæ Virginis, quam sancta (f) Elizabeth tunc clarens, Machtildi filiæ Ducis Brabantiæ, ac Comitis Hollandiæ dono dederat apud Harenam Comitis, sive 't *Sgravezande* (g) in pretio haberi cœpta: Et similiter (h) prodigium tunc contigisse ferunt de Machtilde filiâ Comitis occisi, uxore Comitis Hennebergensis, pariente ad numerum dierum anni numerosam prolem apud Losidunum, ex imprecatione cujusdam mulieris mendicantis, adhuc picturâ extante celebratum. Ubi & sepultura omnium. postquam Baptismo initiatæ fuerant, in memoriâ habetur, ubi & ipsa mater recondita est, usque annum M CC LXXVII supervivens; genitrice ejus Machtilde uxore Florentii ante, circa annum M. CC LXVII XI Kal. Januarii defunctâ, ibidem sepultâ, Monasterii erectrice. Similiter & fabulis similia hoc tempore recitantur de quodam (i) Folberto domino de Lede, & Trajecto hasi, nunc Haestrecht homine impiissimo, quem ob detestanda scelera in coronâ multorum hominum stantem, & ebrium cunctis videntibus, in aërem raptum nusquam comparuisse astruunt. Arx Leda in qua morari solebat, ob nocturnos lemures atque horrenda monstra illic etiam per diem visa atque audita, ammodo mansit inhabitata. Et Tartari, gens spurcissima atque (k) immanissima anteà incognita, jam in Europam erupêre, & plurima regna subdidêre, tantam in populum Christianum agentes cædem, atque nobilium urbium eversionem, quantam nec tunc legimus factam, nec adhuc audivimus contigisse, quibus Iudæi & alii homines perditissimi sese jungebant, etiam ex Christianis, ita ut innumerabilis conflaretur multitudo, quæ solo semestri supra XXX Regna subvertit, & suspicio erat de favore Imper. in odium Gregorii Papæ. At Wilhelmus filius Florentii Comitis occisi, transactis annis pupillaribus secundus hujus nominis XIV constituitur Comes Hollandiæ, ducens in uxorem Elizabeth, filiam Ducis Brunsvicensis, ex quâ genuit Florentium successorem, armis oblectatus, animi fortitudine præcipuus; Unde Frederico Imperatore contra Ottonem electo, & filio ejus Conrado Cæsare designato, per Gregorium diris percussis, ac Imperio & Regno privatis, super electo Henrico, cognomento Raspe Comite Provinciæ Thuringorum (Lantgravios vocant) filio (k) sanctæ Elizabeth electores convenerunt, qui devicto Conrado in prælio juxta forum Francorum (quod Francofort dicitur) rerum potens morte repentinâ subtrahitur. In cujus locum Wilhelmus (m) iste adnitente Innocentio Pontifice communi voto Principum, ut puta, qui animi & corporis vigore opulentiâque præstabat cæteris, suffectus est anno salutis Millesimo CC XLVII. & XIV. à nece paternâ. Cui Otto Episcopus Trajectensis, qui coronationi intererat, patruus, atque Henricus Dux Brabantiæ avunculus, designati sunt à consilio, Lubbertus Abbas Egmondensis Monasterii ab actis atque à secretis, (quos vice-Cancellarios vocant.) Hic urbem atque palatium (n) Neomagi cum territorio illius Ottoni Comiti Gelriæ impignoravit pro XXII. millibus marcarum, ut ajunt argenti puri, quod Rudolphus Cæsar posteà confirmavit cum conditione, ut si ullo unquam tempore depositam urbem per Imperatorem & Regem redimi contingat, quod ammodo permanebit in libertate & manu Imperatoris. Claruit hoc tempore Albertus Magnus Episcopus Ratisponensis, vir magnæ doctrinæ, de quo multa fabulantur de (o) convivio, quod paraverat Regi. Instituit apud Trajectum Ordinem Prædicatorum, ubi adhuc in vitris visuntur arma ipsius Wilhelmi Regis, quibus ipse fundum coemit, & ad constructionem auri bonam quantitatem contulit, permisit & se (p) ascribi civibus ab Ottone Episcopo magnificè exceptus, ubi & Ecclesiæ & civium libertatem confirmavit de novo. Actum (q) anno Domini M CC XLVII. Ac quamvis Rex ipse adeo munificum erga omnes exhibuit, non tamen caruit insidiis, quæ jactu

Otto Episcopus tutor Hollandiæ Trentanos subigit.

Machtildis filia Florentii parit 365 liberos uno partu.

Folbertus ebrius à Dæmone raptus.

Tartarorū adventus in Europam.

Wilhelmus secundus Holland. Comes 14.

Comes Hollandiæ fit Imperator Anno Chr. 1247.

Oppignoratio Neomagi urbis.

Albertus Magnus Episcopus Ratisponensis.

jactu saxi per fenestram sibi tendebantur. Hic (r) Comitem de Gboer ad querelam Episcopi in judiciũ vocatũ, & venire spernentem armis aggressus cepit, captivumq; omni jure debito privavit, & episcopo pro arbitrio dedit, ditiones suas depopulatus. Otto verò Episcopus postquàm annis XVI. strenuè administrasset causas Ecclesiæ, quievit in Domino II. Nonas Aprilis, anno M CC XLIX, Sepultus in Basilicâ Trajectensi. Hic Episcopatum, quem pene exhaustum atque exinanitum invenit, liberum atque opulentum reliquit. Sequenti verò anno Frederico Imp. in Apuliâ malâ valetudine laboranti, Manfredus filius ex concubinâ cum pulvinari (s) mortem acceleravit. Hinc Willelmus Rex imperat solus & quietè. Qui quantæ pietatis in Deum & mansuetudinis in Ecclesiam fuerit, vel ex hoc conjicere licet, quod querente (t) Ecclesiâ sancti Iohannis Trajectensis, se in jurisdictione temporali ab illo lædi, illicò, quod rarò contingit, causam cognoscendam commisit, nec Iudex simulatione aliquâ usus, Dominum suum condemnare non timuit, uti ex utriusque literarum serie conspicere licet, &c. Caruit & omni ambitione, nam cum manu militari urbem Trajectum ingressus, potestatis suæ eam facere posset, etiam absente Episcopo, ut suspicionem tolleret sese nihil sibi appetere aut vendicare velle contestatus est, idque facto comprobavit. Erexit (u) & Sacellum in porticu Ecclesiæ Divæ Virg. sub honore Martyris Georgii in sui memoriam. Gessit per Florentium grave bellum cum Margaretâ relictâ Flandriæ, quæ maximum exercitum miserat in Insulam Walacre, qui penè ad internecionem deletus est, captis liberis relictæ. Terruit & fratrem Regis Franciæ, qui subarratus cum magnis copiis intraverat Hannoniam solâ sui præsentiâ. Tandem principio anni M. CC LV. occiditur incognitus dolo Frisiorum rebellantium V. Kalend. Februarii, cùm præfuisset Comitatui annis XXI. Imperio verò annis VII.

Otto Episcopus moritur anno Chr. 1249.

Elogia Wilhelmi Imp.

Wilhelmus Comes Hol. & Imp. Rom. à Frisiis occiditur anno Chr. 1255.

a *Ex Regiâ stirpe,)* Non quod ex Regibus descenderet, sed quod parentes ejus Reges per matrimonia attingerent.

b *Qui dominabatur Frisiæ Orientali.)* Nihil de eâ dominatione scriptores Frisii: neque enim quicquam potestatis in eos Hollandis tum fuit, nisi quam cõmunem cum Episcopis ex donatione Impp. prætendebant: quibus grave bellum per multos adhuc annos cum Occidentalibus Frisiis gerebatur; quorum virtute Wilhelmus Rom. Rex occisus, & armis centum ultra annos libertas propugnata est.

c *Induxit Florentium Comitem fratrem,]* Hic longe latèque evagatur Snoyus lib. VII. histor. Hollandicæ non ita procul ab initio: Caulæus quoque vel Colius quædam de hac re disseruit, suntque in eâ opinione nullis olim Bataviam aggeribus fuisse munitam; in quos vehemens admodum est. Douza Ann. lib. 6. contrariam probans, & ab omni tempore fluviorum cursus, ne temere vagarent, coercitos ostendens.

d *Sub hoc tempore Stadingi,)* De hac re vide quæ Scriverius in suis notationibus ad Com. Hollandiæ, & ego ad Chronicon Becani notavimus.

e *Ad culturam Deorum,)* Ejusmodi calumnias adspergere soliti sunt cum veris falsa miscerent, sic de Albigensibus, de Bohemis, de Hugenotis, aliisque & olim & etiam nostro tempore factitatum est. Quin & Christianis infanda quædam facinora, incestos concubitus, infanticidia & similia scelera imposita, nec minora Franciæ Reformatis ab adversariis fuère, vide Frisica Emmii lib. X. non procul principio.

f *Imago Divæ Virginis,)* Hujus meminit Lipsius de Vir. Hallensi cap. II, sed non ab Elizabethâ verùm Sophia ejus filiâ hanc accepisse Machtildim, putat.

g *Sgravesande in precio haberi cœpta,)* Quo in loco tunc curia Principis Hollandiæ, ante quàm Palatium in Hagâ Comitis à Guil. Rege conditum fuit, videndus autem de Hagâ Comitis Guicciardinus in descriptione Belg. ubi & quædam addita à Petro Montano. Ejusquoque hodiernam formam & pleniorem descriptionem dedit nuper diligentissimus vir Boxhornzuerius in suâ Hollandiâ.

h *Et similiter prodigium tunc contigisse ferunt,)* Plenissime hac de re in notatis suis ad Chron. Holl. scripsit doct. Scriverius; & ego rem attingo in notis meis ad Bekan. Chronicon; quod inter ejus sæculi somnia referendum semper Putavi.

i *De quodam Folberto Domino de Leda,)* Ex familiâ Arculanâ, hunc casum Annales quoque vulgares referunt, & similia aliis accidisse historiæ narrant.

k *Et Tartari gens spurcissima,)* Harum expeditionum meminere Platina in Innoc. 4. P. R. Godefridus Monachus Col. in annal. ad annum 1237. Massæus in Chron. Mundi ad annum 1222. & singularem de Tartaris librum dedit Haitonus Armenius, vide & Casp. Peucerum lib. V. ad Chron. Carr. pag. 59. seq. Bonfinium de reb. Hungaricis passim.

l *Henrico cognomento Raspe filio S. Elizabeth.)* Errat hic noster, nam Henricus non Elizabethæ filius fuit, quæ filium tantùm Hermannum & Filiam Sophiam marito genuit, (ut accurate tradit Lipsius loco supra laudato,) sed mariti ejus frater, quod & affirmant, Cuspinianus, Onuphrius, Strada & quotqnot alii res Augustor. prodidêre.

m *In Cujus locum Wilhelmus,*] Quæ de hoc extra annales nostros dicenda erant, abundè à Scriverio peti possunt, & nos ejus meminimus ad Chronicon Bekæ.

n *Hic Palatium Neomagi cum territorio,*] Vocatur etiamnum hodie regnum Neomagense, **het Rijck van Nimmeghen** vulgò. diplomata & chartæ donationis apud me extant descripta, quarum unam hic adjungo.

NOS Wilhelmus Dei gratiâ Romanorum in Regem electus & semper Augustus universis hoc scriptum inspecturis notum esse volumus manifestè, quod nos fideli nostro & consanguineo charissimo Ottoni Nobili & egregio Comiti Gelrensi, qui se sacro-sanctæ Rom. Ecclesiæ, & nostræ Regiæ Majestati per omnia reddidit obsequiosum & fautorem devotissimum in recompensationem sui servitii, Castrum *quod vocatur* Noviomagium *cum omni dominio, quod eidem castro hactenus dignoscitur attinere, cum hominibus nobilibus, fidelibus, ministerialibus, oppidanis, servis, manumissis, agris, nemoribus pratis, aquis, pascuis, piscationibus cum pertinentibus, &c. universis Dominii non solùm obligavimus pro sedecim millibus marcarum puri & legalis argenti, immò ad majorem cautionem concessimus ei & suis heredibus dictam pecuniam in feudum habendam à nobis & successoribus nostris, donec eidem, vel Comitibus suis heredibus dicta pecunia integraliter fuerit persoluta, proventubus verò & fructubus ipsius castri quos ex dono sibi ac suis heredibus contulimus in sortem non computandis; saluisque sibi & suis heredibus expensis omnibus, quas circa dictum castrum in ædificiis vel munitionibus duxerit faciendas. Addimus & quod si dictus Comes viam universæ carnis sine filio ingreditur, filiæ suæ seniori dictum castrum cum omnibus suis attinentiis in formâ prænotatâ *remanebit obtinendum. In cujus rei evidentiam & cautelam præsens scriptum conscribi fecimus & ipsum nostri, & venerabilis patris Dñi Petri S. Georgii ad velum aureum Diaconi Cardinalis Apostolicæ sedis Legati sigillorum munimine roborari. Actum & datum in castris ante Aquisgranum* XVII. *Kal. Julii, anno Domini millesimo, ducentesimo quadragesimo octavo.* V. *Indict.*

* Concedimus.

Summa hæc 16000. Marcarum argenti pro quâ obligatum Castrum Noviomagense cum suo territorio, post aucta 1000. Marcarum & inde 500, ut ex literis eam in rem concessis constare poterit.

De qua

o *De quo multa fabulantur, de convivio quod paravit Regi)* Opmerus in Chronico universali, commodè hanc rem narrat verbis sequentibus:

Inde digressus Coloniam Agrippinam, ab Alberto magno solenni excipitur epulo; ipso die Epiphaniæ, in conventu Prædicatorum. Hic ramos aliquot feliciùm arborum in hypocausto tepenti aquâ foverat, ut jam inciperent florere. Quos cum posuisset in triclinio, atque aviculæ canoræ ibidem volarent: ignari id factum naturali vi humoris calidi Hollandi, Albertum quasi rerum mirabilium factorem suspiciebant. Thomas Garson. Italus disc. 41. Palatii universalis, tradit, Tyridatem Armeniæ Regem invitasse Neronem magices curiosùm ad cœnam magicâ arte præparatam; quod is ex Plinii lib. 30. cap. 2. didicerat.

p *Permisit & se ascribi civibus,)* Arctissimum inter se civium vinculum esse solet. Sic & Beka Burgensem effectum eum scribit; cives enim olim Burgenses, quasi Burgi seu Castri, & inde urbis, defensores; ut ad Bekæ Chronicon ostendi, vocabantur. Quod autem multi Magnates & nobiles Civis Trajectensis titulum in honore habuerint, multis liquet documentis; neque solùm, Abcoudios, Vianios, Iselsteinios, Renessios, Zulenos, Mindenos, Harios, Nienrodios, Hardenbroeckios, Lichtenbergios, Montfordios aliosque vicinos nobiles infinitos, sed & Regem Wilhelmum civibus Traject. adscriptum publicis tabulis probavit vir clarissimus Cornelius Boothius Med. Doctor, Senator Politicus, & XII. vir litibus judicandis, Urbis Traject. Leckani aggeris Quæstor, antiquitatum patriæ suæ curiosissimus investigator; mihique copiam is fecit aliquot prædicti Regis diplomatum civibus Tr. concessorum quorum trium hic sequitur tenor.

Wilhelmus D. Gr Romanorum Rex semper Augustus, Universis sacri Imperii fidelibus præsentem paginam inspecturis gratiam suam & omne bonum, cupientes proni ad gratiam inveniri ex libertate Regalis munificentiæ ipsam illis libenter impendimus, qui eam sibi vendicant suorum exigentiis meritorum. Hinc est, quod nos sinceræ dilectionis constantiã ac fidei puritatem, quâ dilecti fideles nostri cives Trajectenses erga nostram celsitudinem hinc diligentius intuentes, ipsos & civitatem eorum cum personis & rebus, sub nostrâ & sacri Imp. protectione per districtum Hollandiæ ac Zeland. tam in aquis quam in terris liberaliter recepimus, ac conductu. Et si aliquis bonas consuetudines & antiqua jura ipsorum infringere niteretur, nos juvare debemus quod consuetudines ac jura prædicta illis illibata, in perpetuum observentur secundum recognitionẽ Scabinorum civitatis prædictæ; præsenti edicto districtius inhibentes, ne quis ipsos vel ipsorum aliquem contra hanc nostram concessionem ac gratiam sive conductum impedire seu molestare præsumat. Quod qui fecerit, gravem celsitudinis offensam se noverit incursurum, Datum Traject. XIV Kal. Iulii, Indict. X. Anno Domini MCC. quinquagesimo secundo.

Wilhelmus Dei Gratiâ Rom. Rex semper Augustus, universis sacri Imperii fidelibus præsentem paginam inspecturis gratiam suam & omne bonum. Ad notitiam universorum volumus pervenire; quod si aliquis de nostris hominibus Hollandiæ, sive Zeelandiæ in Episcopatu Trajectensi, bona alicujus Burgensis Civitatis Trajectensis acceperit & ea detinuerit,

nuerit, nos dicta bona integraliter restitui faciemus indilatè. Datum Tr. anno Dom. M CC LII. XV. *Kal. Iul. indict. x.*

Wilhelmus Dei gratia Rom. Rex semper Aug. Universis sacri Imperii fidelibus præsens privilegium inspecturis gratiam suam, & omne bonum. Quotiens regalis excellentia Majestatis in subditos & fideles suos manus suæ liberalitatis extendit; & eos tanquam benè meritos condignæ retributionis muneribus recompensat, totiens eos in constantiâ fidei purè corroborat, & tam ipsorum quam aliorum fidelium, ad ejus obsequia fortius obligat voluntates. Hinc est, quod nos fidem puram & dilectionem synceram quam dilecti fideles nostri cives Trajectenses, erga nostram celsitudinem habuerunt hactenus, & adhuc ferventi animo habere noscuntur, diligentius intuentes, ac volentes ipsos speciali progativâ gaudere, & gratiâ liberali: eis universis & singulis præsentibus duximus perpetuò concedendum: ut nullus princeps, Marchio, Dux, Comes, vel nobilis, Ecclesiastica vel secularis persona, aliquem ipsorum civium vel in civitate ipsâ manentium, extra muros civitatis ejusdem, nisi Imperator vel Rex super his quæ ad judicium seculare spectant duntaxat, possit ad judicium evocare, citare seu etiam coram aliquo convenire, cum parati existant coram Episcopo Trajectensi eorum domino vel Judice, qui pro tempore fuit deputatus ab ipso in civitate Trajectensi prædictâ, exhibere cuique justiciæ complementum. Unde præsenti edicto districtius inhibemus ne quis ipsos contra hanc concessionem nostram impedire audeat, seu etiam molestare: Quod qui facere præsumpserit, disgratiam nostræ celsitud. se noverit incursurum; & in reatus sui pœnam centum Marcas auri Fisco nostro componat. Testes sunt hi: venerabilis Sambiensis Episcopus, Arnoldus dominus de Wesemale, *Henricus de Voorne, Nicholaus dominus Persijn, Theodoricus de Gouda, Philippus de* Wassenaere, Wilhelmus *de Brederode, & Hugo de Cralingen milites: & Theodoricus de Teylingen. Datum Trajecti* XIV. *Kal. Iulij Indict.* X. *Anno Domini* M CC LII.

q *Actum Anno D. M CC XLVII.*) Teste Onuphrio anno 1246. Wilhelmus in Reg. Rom. Electus ap. Nussiam, & seq. anno Aquisgrani Coronatus fuit, qui annus in decimam Indictionem cadere non potuit, fuitque ut patet ex diplomate, quo idem Rex concedit civibus Trajectensibus privilegium de non evocando. anno 1252.

r *Hic Comitem de Ghoer,*) Qui erat Vasallus Episcopi; ut ex enumeratione Vasallorum Trajectens. perperam Adelboldo adscriptâ patet, ubi & signifer Episcopi nuncupatur.

ſ *Cum pulvinari mortem acceleravit,*). Ita ferè omnes cum Heda. Onuphrius tamen tacet; & Scipio Mazella Neapol. ex gutturis morbo, anginam vocant, obiisse in fine anni 1250. in castro Florentino tradit; atque à Manfredo ejus cadaver ad Montem Regalem, supra Panormum, summâ funeris pompâ portatum & in sepulcrum porphyreticum illatum ibidem quiescere ait.

t *Querente Ecclesia Sancti Ioannis Tr. ab illo lædi,*] Extant diplomata hac de re data quibus Rex acquiescere se Iudicum sententiæ declarat.

Erexit

u *Erexit & sacellum in Porticu Eccl. D. Virg.)* Extat ejus fundationis memoria, & ante hunc exstiterunt pii in illam ecclesiam affectus indicia in proavo hujus, & patruo magno Theodorico cujus ea de re vidi litteras anno 1298. datas quas descriptas hic addidi.

IN nomine Sanctæ & individuæ Trinitatis. Ego Theodoricus Hollandiæ Comes hoc scriptum dedi, sicut manifestis liquet indiciis: Allinus S. Mariæ in Trajecto Canonicus, & patris mei piæ mem. Florentii Comitis Hollandiæ, nosterque Capellanus, Capellam quandam in septentrionali parte Eccl. Beatæ Mariæ in memoriam prædicti patris suamque, suis de rebus construxit; quam in honore matris domini & sancti Iohannis Euangelistæ, & Beati Georgii martyris Issridus Raceburgensis Episcopus XII. *Kalend. Decemb. consecravit. Ego igitur Theodoricus Comitis Florentii & Adæ Comitissæ filius prædicti Capellani bonam voluntatem, & pium affectum considerans, terram quandam meæ proprietatis, aquæ quæ Pul dicitur hinc inde adjacentem, juxta Naltvvic, & ex morte cujusdam hominis mei, nomine Iohannes, cognomine Nagel, qui eam à me in feodo tenuit, mihi vacantem, tam pro meâ, Parentumque meorum viventium salute, quàm pro defunctorum requie, prædictæ capellæ, unà cum uxore meâ Aleyda Comitissa in dotem, & ab omni servitio exemptam contuli: de cujus proventu sacerdos Deo & sanctis ibidem in propriâ personâ serviens, tam pro me quàm pro meis, hostiam vivis & defunctis salutarem offerens: Dum vitæ præsentis percipit fructum, æternæ nobis imploret consortium. Ad me autem & ad quemlibet Cometiæ Hollandensis hæredem legitimum jus instituendi sacerdotem in eadem Capellâ, sicut præfatæ Eccles. consensit capitulum, perpetualiter spectabit: qui sacerdos si fortè ad aliud aliquod Ecclesiasticum beneficium assumtus fuerit: jus alium instituendi ad me meosque (sicut supradictum est) sine contradictione redibit. Insuper & prædictus sacerdos, dum à servitio capellæ vacare poterit: chorum cum ejusdem Ecclesiæ fratribus, sub correctione Decani frequentabit. Ut autem hæc omnia rata & inconvulsa permaneant, præsentem paginam & Ecclesiæ sigilli, & sigillorum nostrorum appensione fecimus roborari, & nomina testium qui huic donationi interfuerunt, fecimus sub notari. Nomina autem eorum hæc sunt: Ada mater mea,* Wilhelmus *frater meus comes Frisiæ, Margareta soror mea, Florentius frater meus, Hugo de Vornâ,* Wilhelmus *de Teillingâ, Arnoldus dapifer meus, Henricus frater ejus. Franco Capellanus meus, Balduinus uxoris meæ Capellanus, Simon de Haerlem, Hugo de Nordeke, Theodorus de Vorburg, Gerulphus qui dicitur Calla. Acta sunt hæc apud Lis anno Domi-*

no dominicæ incarnationis M C lxxxxviii.*Indict.* i.*Henrico Imperatore regnante.*

Sub Ottone II. Lippiensi, Diploma de telonio in Tielâ à Fred. 2 Imp. Trajectensibus concessum ad instantiam Ottonis Lippiensis Tr. Præsulis, sequitur:

F*Redericus secundus Rom. Rex semper Aug. & Siciliæ Rex: Pium duximus, & æquissimum decernimus, progenitoris nostri, videlicet, Divi Imp. B. M. domini Frederici avi nostri factum solenne & benignum, suas quoque justissimas concessiones usquequaque ratas habere, & inviolabiliter conservare &c. Accessit sane ad præsentiam Majest. nostræ dilectus consanguineus noster Otto Traject. Episcopus cum privilegio Ecclesiæ suæ à mem. Imp. domino Frederico solenniter in hunc modum concesso. Fredericus divina favente clementia Rom. Imp. Aug. Nostri juris & misericordiæ est ut ex injuncto nobis à Deo supereminente dominationis officio, injuriis gravatos liberemus, & unicuique deputata jura in suo statu inviolabiliter conservemus. Noverit itaque tam præsens ætas, quàm futurorum posteritas, Quod cives Trajectenses ad nostræ Majest. præsentiam Thylæ nullum, pro quo gravabantur telonium se debere asseruerunt. Nos autem ad hujus rei veritatem cognoscendam, Scabinis nostris Thylæ pro veritatis exquisitione ipsos transmisimus; quorum judicio & juramento præstito Trajectenses obtinuerunt se nullum apud Thyle debere telonium, nisi de extraneâ regione & transmarinis partibus, quod vulgò vocant* Overwilde Haff, *navigando venerint, præter hoc autem quocunque alio tempore Thylæ venientes mensura modii & hamæ & pondere trutinæ indiguerint, de quolibet horum denarium unum persolvent. Quia igitur telonium de Thyla consilio curiæ nostræ apud* Werdam *transtulimus, sicut unicuique jus suum conservare tenemur, sic & Trajectensibus antiquam consuetudinem & justitiam conservatum esse decernimus. Ea propter justitiam, quam ap. Thylam quondam Trajectenses habuerunt apud* Werdam, *vel si fortè in posterum à* Werdâ *in alium locum telonium translatum fuerit, Imperiali auctoritate perpetualiter eis confirmamus, ab omni telonio, tam apud* Werdam *quàm apud Thylam ipsos absolventes, excepto marino telonio, quod vulgo* Zeetol *dicitur. Cùm igitur Clem. nostræ tam pia concessio & decens benè placeat, ipsam ratam habemus, & Regali munificentiâ confirmamus, volentes quod hæc eadem concessio de memorato telonio, secundum formam Privilegii præscripti inviolabili perpetuitate conservetur. Inhibemus etiam ne aliquis hominum contra hanc confirmationem nostram temerè præsumat venire.*

venire. Quod si quis attentaverit decem libras auri purissimi, dimidiam partem Imperiali fisco, reliquam verò sustinentibus injuriam pro satisfactione componat. Ad hujus autem rei confirmationem præsentem inde paginam conscribi, & sigillo nostro insigniri præcepimus: Testes autem sunt dominus Sifridus Moguntinensis Archiepiscopus, D. Engelbertus Coloniensis Archiepiscopus, Theodoricus Trevirensis Archiepiscopus, D. Albertus Magdeburgensis Archiepiscopus; D. Conradus Metensis & Spirensis Episcopus Imperialis aulæ Cancellarius. Hugo Leodiensis Episcopus, Theodoricus Monasteriensis Episcopus, Conradus Ratisbonensis Episcopus, Harluinus Eistadiensis Episcopus, Ludovicus Dux Bavariæ, Henricus Dux Brabantiæ, Walravius *Marchio Namurcensis, Marchio de Baden, Gerardus Comes Gelriæ,* Wilhelmus *C. Hollandiæ, Theodoricus Comes Cliviensis, Arnoldus Comes de Los, Gerardus Comes de Are, Henricus Comes de Zeine, Otto Comes de Tekeneburch, Harmannus de Lippiâ,* Wernerus *de Bolane Imp. aulæ Dapifer, Anselmus de Instinc Marescalcus, Henricus & Harlevvinus Magistri coquinæ, Philippus de Boulane, & alii quamplures fideles Imp. Datum ap. Frankenfurt, anno verbi incarnati* M CC XX. XIII. *Calend. Maji Indict.* VIII. *Data verò per manus domini Conradi Episcopi Metensis & Spirensis Imp. aulæ Cancellarii.*

Goesvinus Episcopus XXXVII.

OTtone vitâ defuncto, Goesvinus ex familiâ Nobilium de Aemstel Præpositus sancti Iohannis XXXVII, eligitur Episcopus, vir mansuetus & simplex, ineptus ad tantæ dignitatis munia supportanda, per cujus negligentiam publica res minus prosperè uno anno (a) administrabatur, sed rursum declinabat. Accessit (b) etiam quod minùs gratus erat Wilhelmo Regi, propter gentiles, unde in publicâ Synodo, præsente Rege ac Cardinale Portuensi Legato, Episcopatui renunciavit minus volens uti creditur.

a *Accessit quod minus gratus erat W. Regi,*] Rationem non video. Nam sequentibus demum temporibus causæ odiorum ortæ sunt; sed quòd Wilhelmo annitente, ut promoveret Viandium, præsulatu decedere coactus fuerit Goeswinus, non sine offensione gentilium ejus verum est. Quod & Heda indicat, & annales non tacent. Tum quod, cum Amstelii cum suis contra Episcopum Henricum sese opposuissent Hollandicis auxiliis oppressi fuerint, ad hæc post contigerunt. Hoc verò constat Amsteliam gentem tunc temporis inter Ministeriales Antistitum potentissimam fuisse, & longè latèque apud Frisia bones. & Naerdinx-Landios dominium suum extendisse; ideoque fortè vicinis etiam Hollandis fuisse invisam, nimiâ vicinorum incrementa ægris oculis spectantibus. Extant hodieque plurima ejus gentis monimenta, cui Amstelodamum longè celeberrimum totius Germaniæ emporium, initium suum debet, & superant etiamnum reliquiæ ejus familiæ, tantopere celebratæ in nostris historiis, indubitato stemmate ad nostra hæc tempora perductæ (sed longè à veteri illâ magnitudine & potentiâ abeuntes) in domino de Loenresloot; cujus stemmatis seriem nuper tam scriptam, quam pictam, vidi; quæ inde à me ex certissimis monumentis correcta. Quam mecum intelligētes probare omnino deberent, nisi quod in eâ incerta quædam matrimoniorum suppleta ab aliis invenirent, quæ locum suspicionis interdum, maximè in antiquioribus relinquerent.

b *Uno anno administravit,*] Bockenb. duos tribuit eidem annos, alii paullùm demunt. Vide notas ad Bekam.

c *Episcopatui renuntiavit,*) Barlandus oblatam eum dignitatem respuisse dicit, sed coactum id fecisse, sequentia videntur indicare. Solebant etiam permutationibus hæ abdicationes fieri. Et fortè Henricus successor ab Ecclesia Coloniensi, in quâ fuerat Archidiaconus huc translatus suam illic dignitatem Goeswino cessit. Quod à verò non multum abesse videtur. Sunt enim qui Coloniæ Gosuinum sepultum, & ibidem etiam hodie in Archivis extare de eo memoriam volunt, cujus rei fidem apud eosdem relinquo.

Henricus Episcopus XXVIII.

GOsvino sufficitur Henricus ex gente illustri Viena, (a) Archidiaconus Coloniensis Ecclesiæ, consanguineus Episcopi Coloniensis ipsum commendantis, quem Cæsar annulo atque baculo Pastorali investivit. Præfecti itaque in Aemstel ac Woerden indignè ferentes amotionem Gosvini Episcopi, clam se jungunt Comiti Gelriæ, ac Henrico Episcopo bellum inferunt. Qui designato loco ad prælium evocatus, congrediens omine fausto per dationem annuli ab Episcopo Coloniensi addicto, qui in civitate præsidii loco mansit, quoad victor rediret, fidentius sese accingens antequam Wilhelmus Cæsar (qui dissidium intercipere ac concordare ex auctoritate tendebat) adveniret, victoriam consecutus, utrumque hostem adduxit captivum. Quibus tamen petitione Cæsaris pepercit, atque in Comitem Gelriæ motus conscium arma convertens, Veluam exussit, & de hostibus occurrentibus, post magnam prædam coactam, triumphavit. Ex cumulato thesauro præsidium (b) Vredelant amplum & munitissimum contra rebellionem vicinorum construxit: Videns etiam Ecclesiam majorem Trajectensem ob vetustatem minantem ruinam jecit fundamenta celebrioris, atque firmioris operis, prout Basilica jam consummata ostendit. Paulo pòst duxit exercitum (c) in auxilium Episcopi Coloniensis contra Comitem Iuliacensem, cujus copias stravit, victorque datâ provinciâ incendio, cum spoliis amplis ad sua rediit, & Coloniensem Episcopum hoc pacto ab oppressione liberavit. Monasterium (d) quoque sacrarum Virginum in Horresto ad fluvium Hoerp prope Daventriam multis donis atque privilegiis adauxit. Collegium (e) etiam XII. Canonicorum in Steenwijck instituit. Decessisse dicitur 4. Nonas Iunii, anno (f) M CC LVII. Sepultus est Trajecti, adjunctus prædecessoribus, cùm præfuisset annis XXI. quod si verum fuerit, magnus ante, aut in sequentibus commissus est error.

Vredelant arx condita.

a *Ex gente illustri Viena,*] Video confundi Viennæ, & Viandæ nomen ac comitatus; insignia nihilominus differunt, & titulus Aurantiæ Principis, cui is comitatus ex nuptiis accessit, ubique Viandæ nomen præfert. Cujus stemmatis partem exhibet diligentiss. Miræus in notitiâ Eccles. Belgii pag. 500. & 656. Vide simul Bertel. in historiâ Luxenburg. De Comitatu Viennensi pag. 109. Gilbertum Cognatum de Burgundiâ. in Geneal. Comitum de Nassau, pag. 154; ubi refert Ottonem Comitem de Nassau uxorem habuisse Aleydam, Comitis de Vianna unicam filiam. Idque circa annum 1340. contigisse tradunt. Meminit & Guicciardinus in descriptione Belgii, ubi Ducatum Luxenburgensem describit, dicitque Viandalem à Vandalis populis, ut & Bertelius habet, dictum illum esse Comitatum.

b *Præsidium Vredelant amplum & munitissimum,*) De hoc ad Bekam quædam dixi, fuitque is locus civitatis jure donatus ut ex sigillo patet, idque anno 1256. quando Magistr. ab Episcopo concessum ut in causis gravioribus Daventriensium jura sequerentur. Sic Chron. magn. Belg: *Ex quibus* (nempe spoliis Geldrorum) *idem Episcopus adeò ditari cœpit ut castrum Vredelands adversus incursionem Domini de Aemstel expensis magnificis ædificaret, & ita circummanentes rusticos à consuetâ rebellione absterreret.* Ob sumptus in eam rem factos vendita tunc bona *Enge* dicta, quod sequens instrumentum docet.

HEnricus Dei gratiâ Traject. Episcopus universis præsentiâ visuris & audituris notum facimus: Quod propter evidentem & urgentem necessitatem structuræ novi castri Vredelant *nominati, quod deliberatione providâ nostrorum fidelium, & Ecclesiæ nostræ Traject. pro de-*

pro defensione & munimine fortiore totius terræ Traject. duximus construendum, nec sine gravibus expensis, velut apparet ex facto, poterat consumari; propter defectum paratæ pecuniæ, quæ de die in diem, de de tempore in tempus, sine intermissione per nos vel nuncios nostros, usque ad operis incœpti consumationem operariis & laborum consortibus, extitit numeranda. Viris venerabilibus Decano & Capitulo nostræ Traject. Ecclesiæ præsentium conservatoribus, dominium & proprietatem terræ nostræ, sive bonorum quæ Enge *vulgariter appellantur, jacentium extra portam S. Catarinæ versus Occidentem, inter muros civitatis Trajectens. & Papendorpe, quæ pleno jure ad nos ratione juris Episcopalis cum omnibus suis pertinentiis, censibus, Iurisdictionibus, sive rebus quibuscunque quæ ad ea pertinebant. Pro trecentis quinquaginta libris denariorum Traject. legalium in pecunia per dictos Decanum & Capitulum nobis integraliter numerata, quam ad utilitatem & commodum nostræ Trajectensis Ecclesiæ d. castrum* Vredelant *construendo, convertimus, ad præbendarum dictorum Decani & Capituli perpetuò fructus emendos, purè & sincerè vendidimus. Quæ bona præfati* Decan. *& Capitulum & eorum successores, cum omnibus suis appendentiis absque omni onere & exactione quâlibet, videlicet,* Dijck-vry, Tens-vry, Scot-vry, *in perpetuum liberè possidebunt. Volentes ut omnia supradicta, à nobis & nostris successoribus, qui pro tempore fuerint, firmiter & inviolabiliter observentur, nec dictos* Decanum *& Capitulum in contractu præsenti, aliquatenus per nos molestabimus, vel per aliquem molestari in futurum procurabimus. In cujus rei & facti nostri evidentiam & firmitatem perpetuam præsens scriptum sigillo nostro duximus roborandum, & sigillis venerab. Ecclesiarũ conventualiũ Traj. nec non prælatorum præsentium & dilectorum nostrorum fidelium, Giselberti de Sulen, Walteri Gerard Borchgravii de Montfort, Philippi de Riningen, Henrici de Almeloe, Harmanni de Voerst, Bernardi de* Dolren, *Suedheri Marescalci nostri:* Stephani de Wijc, *ad cautelam pleniorem petivimus sigillari. Actum & datum anno* Domini M. *ducentesimo* lx. *dominica post Lamberti.*

c *Exercitum in auxilium Episcopi Coloniensis,*) Hunc puto fuisse Conradum de Holsteden 52. vel ut alii 51. Antistitem Colon. qui obiisse dicitur circa annum 1266. & 33 vel 34 sedisse in Cathedrâ Episcopali; quem Wilhelmus Com. Iuliacensis captum per 9 menses in vinculis tenuit. Is etiam Wilhelmum Hollandum in Regem Rom. constituit juxta *Vvrinch*, multumque ac diu cum civibus Coloniens. dissidia exercuit, de quo vide Chronicon Belg. supra dictum.

d *Monasterium Virg. in Horesto ad fl. Hourp.*] In quibusdam MSS. Horesto deest. Sunt & quæ habent Hurp & Honepe, in schedis meis invenio Conventum sanctimonialium B. Mariæ in Horst. supra Honepe, prope Daventriam ab Henrico Episcopo fundatum, est & hodie haud procul Da-

ventriâ

ventriâ locus d'Honnepe, ubi olim monasterium situm fuit.

e *Collegium XII. Cano. in Steenwijck.*] In schedis invenio hujus fundationis annum 1257. aut 1262.

f *Anno MCCLVII.*] De tempore obitus Episcopi quàm varient auctores actum in notis meis ad Bekam satis prolixè. Ego malim iis accedere, qui annum mortis Episcopi statuunt 1267. In M.S. vetustissimo Chron. Fris. *ad annum 1259. Dominus Henricus Episcopus Tr. propter exactionem pecuniæ ultra consuetudinem, cum Thremonibus, quatuor parochias de Tremowaldâ, armatâ manu permovit invadere, sed cum obtento introitu silvæ quidam victores exultarent, quod 4. domos igni tradidissent, accurrentibus vicinis Fresonibus, & ipsis civibus Thremones in fugam versi sunt, & xx. occisis C. viri fugientes in Hunesâ fl. submersi sunt; & plurimi vulnerati, ac turpiter dearmati, & quidam captivati*: Ex quibus saltem patet Henricum post annum 1257. vixisse. Hæc eadem scribit ferè Ubb. Emmius initio lib. XI. hist. Fris.

Extat & hoc diploma hujus Episcopi.

IN nomine domini Amen. Nos Henricus Dei gratiâ Traject. Episcopus universis præsentem literam inspecturis in perpetuum salutem. Notum facimus præsentium testimonio literarum; Quod cùm Prælati & universalis Ecclesiâ Traj. ex unâ parte: Scabini, consules, & universitas civitatis Trajectensis ex alterâ, super omnem controversiam & discordiam inter ipsos exortas in nos purè & simpliciter, ac omni conditione exclusâ promiserunt. Nos paci & tranquillitati tam præsentium quam futurorum salubriter intendere cupientes, dicimus arbitrando; Quod Ecclesia Traject. gaudere debet omni libertate & jure, quibus eadem Ecclesia de jure & consuetudine ab antiquo hactenus est gavisa. Idem etiam dicimus de jure & libertate civitatis Trajectensis. Cæterum si placet Ecclesia Traject. vinum possunt emere, & inter se bibere absque usu tabernæ. Insuper possessionem & proprietatem pontis urbani Trajectensis adjudicamus Ecclesiæ sancti Martini Traj. Attamen pro ipsius utilitate & pro bono pacis, de consilio Prælator & fidelium nostrorum volumus, ut tertiam partem redituum ipsius Pontis habeat Civitas Trajectens. & prædicta S. Martini Ecclesiâ obtineat residuas duas partes: tali conditione, quod pro expensis factis de fundo pontis ipsius, civitas prædicta 25. libb. Traject. Exhibeat Ecclesiæ prænotatæ, & ad hoc quod ædificatum est in ipso ponte & adhuc in posterum ædificari contigerit Ecclesiâ S. Martini duas partes solvat, & tertiam partem solvat Civitas Traject. De domo S. Salvatoris de illâ parte, quæ est in quæstione, Capitulum S. Salvatoris affirmabit cum septem stolis de eâ parte quam dixerit suam esse, aut civitati relinquat. De fossato eorum. . omnia ædificia quæ longius & latius quàm ante incendium fuerunt, ibidem sunt erecta, tollantur, & unusquisque in eo jure & possessione in quibus fuerant ante incendium remanebit. Quæcumque verò partium Rumingam *habere voluerit de dicto fossato, dominum Episcopum & Burgravium requirat, ut debito modo fiat. Præterea de fossato civitatis, eligentur boni & discreti veri, qui agros & possessiones sciant æstimare, & illi sub*

li sub debito juramenti sui dicent, quanta quaque Traject. Ecclesia, & persona Ecclesiastica damna sustinuerit ex fossato, & ad hoc omnes possessiones & area civitatis cujuscunque fiat, exceptis emunitatibus solvent, & fiet compensatio Ecclesiis & personis Ecclesiasticis prænotatis infra tres menses, postquam cessaverit guerra inter dominum Regem & civitatem Trajectensem ac fautores utriusque. Ad portam verò & pontem versus Aldvicam Capitulum S. Petri dabit adhuc quinque libb., & parabitur ibidem bonus pons, ita quod per eum pateat utiliter introitus & exitus curribus & carrucis. Et hujusmodi quinque libb. solutis, ac guerra cessante prædictâ quæ nunc est in præsenti, infra tres menses iste pons debet esse paratus. De Emunitate verò Eccles. Sancti Iohannis Traject. in optione relinquimus Capituli ut metam ponat, & hanc cum VII. *stolis retineat, vel civitati relinquat. Et si quid postea de præmissis quæstionibus & dubietatibus exortum fuerit, hoc nostræ decisioni & examini reservamus. Statuimus etiam, ut si qua partium ab hoc nostro arbitrio resilierit, sententiam excommunicationis jam latam in eum à nobis se noverit incurrisse, & à gratiâ nostrâ se exclusum. Et ut rata & inconvulsa permaneant hæc præmissa præsens scriptum sigillo nostro, & capitulorum Trajectensium, & civitatis Traject. & quamplurium Ministerialium nostrorum hoc scriptum communivimus, Anno Domini* MCCL, V. *Id. Ianuarii.*

Hunc Episcopum Amersfortio, ex castro nobilium de Amersfort in oppidum mutato, jura & leges dedisse, circa annum 1257. tradunt, adjungo ejusdem Præsulis diploma de manumissis Amersfortensis Ecclesiæ hominibus quod sequitur:

HEnricus Dei gratiâ Traject. Episcopus Universis præsentes literas inspecturis salutem in Domino sempiternam. Ad vitandam quæ suboriri solet in gestis hominum calumniam, & ut veritas elucescat. Notum facimus universis tam præsentibus quam futuris; Quod cùm procuratores Ecclesiæ de Amersfort & beati Georgii patroni ejusdem, Scabini & Consules de Amersfoirt nomine ejusdem Ecclesiæ ac patroni, Everburgem viduam de Attenvelde, Henricum, Reinerum, Gerardum, Engelbertum, Theodericum filios suos, nec non Walburgem filiam suam, & alios qui ab eadem Everburge viduâ processerunt, proprios homines ipsius Ecclesiæ & patroni sui, de consilio & consensu dilecti fidelis nostri Wolteri de Amersfoort Militis Advocati hominum

 minum

minum eorundem, qui & juri suo, quod ex Advocatiâ habuit in eisdem renuntiavit in nostrâ præsentiâ voluntate spontaneâ, manumiserit, recepta prius ab eis recompensatione rationabili redditus unius libræ Trajectensis de domo dicta Allershusen prope Amersfort annuatim ad opus ipsius Ecclesiæ solvendæ pro vero concambio pro hominibus antedictis, & ipsos ab omni proprietate dimiserit liberaliter absolutos. Nos de nostrorum fidelium consilio prænotatis hominibus & aliis qui ab dictâ Everburge processerint, secundum quod præscriptum est, eorum redditâ libertate, sicut à nobis humiliter petiverunt, jus & libertatem nostrorum & Ecclesiæ nostræ Trajectens. Ministerialium potestate præsentium concedimus, & donamus, favorabiliter statuentes, ut eo jure & libertate liberè perfruantur, quo nostri Ministeriales & Ecclesiæ nostræ recepimus, recepto ab eis fidelitatis debito juramento. In cujus rei testimonium & munimen sigillum nostrum una cum sigillis prædictorum Wolteri *de Amersvoort Militis, & oppidi de Amersvoirt præsentibus duximus appendendum. Actum & datum apud Amersvoirt; præsentibus Giselberto de Goye, Marescalco nostro, Svvedero de Sulen, Amilio de Insulâ,* Wilhelmo *de Risvvic, Giselberto de Ruel, militibus & aliis pluribus probis viris. Anno domini* M CC *sexagesimo quinto, feriâ secundâ post translationem Sancti Martini.*

Et biennio post D. Walterus de Amersfort miles cum ædificasset castrum in suo prædio, Stoutenborch dictum, illud resignavit Episcopo Trajectensi, eique ac suis successoribus Episcopis liberum tradidit; *quod idem Episcopus* [verba sunt diplomatis] *considerato zelo favoris ac fidei per prædictum dominum ac fratres suos sibi & Ecclesiæ. Tr. exhibito, concessit ipsi D. Waltero ac suis proximis in feudum &c.*

Quin & Oudewateram in oppidum erexit, deditque incolis jura municipalia & privilegia, quibus postea usi sunt. Dedit & civibus Trajectensibus quædam Privilegia, quorum nonnulla exemplaria ex Archivis civitatis deprompta mihi ostendit Clariss. Doctor Bothius supra nominatus, quæ putavi, non alienum esse ab historiâ si hic inseruero;

De amoliendis ædificiis sacris urbi incomodis.

NOS Henricus Dei gratiâ Trajectensis Episcopus, omnibus præsentia visuris notum facimus, quod nos dilectis fidelibus nostris Scabinis, Consulibus & universitati Trajectensi præsentium conservatoribus, si evidens Eccles. & civitatis nostræ Traject. necessitas exegerit, Ecclesias, domos, & alias structuras extra muros Traject. constitutas, per quas ipsi civitati posset periculum imminere, frangendi, prout expedire videbitur, licentiam duximus concedendam. Si quis etiam in præmissis fuerit contradictor, cum prædictis civibus nostris in hac parte constanter volumus permanere. Datum Trajecti, anno Domini M CC L *quarto, feria quinta ante nativitatem Beatæ Virginis.*

Quod

Quod Cives Traject. extra urbem Episcopum comitare non tenentur.

IN nomine Domini Amen. Henricus Dei gratiâ *Episcopus Traject. universis præsentes literas inspecturis æternam in* Domino *salutem & cognoscere veritatem. Noverint tam præsentes quam futuri, quod Burgenses civitatis Traject. nec de jure, nec de aliqua consuetudine tenentur imitari aliquem Episcopum Trajectensem ulterius quàm ad muros civitatis eorum, nisi hoc facere voluerint de bona voluntate eorum. Et quoniam hoc juris & consuetudinis eorum est ab antiquo, nos hoc jus eorum & antiquam consuetudinem recognoscentes & approbantes præsentes literas dictis civibus* Traject. *porreximus, sigilli nostri munimine roboratas.* Datum, *& actum anno* Domini M CC L *sexto. In vigilia* W*alburgis Virginis.*

Sub finem vitæ ejusdem Episcopi, vel initium sequentis cum quædam discordia inter Comitem Montensem & cives Trajectenses esset exorta; ea amicè composita & sedata fuit, juxta ejus Com. diploma, quod sequitur:

UNiversis præsens scriptum visuris, Nos Adolphus Comes de Monte & Elizabeth Comitissa de Monte, notum facimus tenore præsentium, publicè protestantes, quod omnis discordia, quæ usque ad hunc diem inter nos, & terram nostram ac nostros, ex parte una, & cives Trajectenses universos ex altera super diversis controversiæ articulis, undecunque subortis vertebatur: de nostro nostrorumque consiliariorum ac fidelium terræ nostræ consensu & consilio adnihilata est, & terminata simpliciter, in hunc modum: ita videlicet; Quod omnibus civibus Trajectens. per totam terram & jurisdictionem nostram, eundo & redeundo quotiescunque & quandocunque id evenerit, securum ductum damus, & dabimus in futurum rebus suis pariter & personis pro nobis nostris fidelibus & amicis. Si verò, quod absit, in posterum aliquis ad Episcopatum Trajectensem pertinens, quicunque fuerit, & in nullo alio, ipsis civibus annexus, nobis aut nostris hominibus, rebus seu personis, aliquam injuriam intulerit, vel gravamen, in nullo propter hoc memorati cives Traject. per nos, aut nostros homines fideles & amicos rebus suis sive personis aliquid molestiæ sustinebunt, nisi forte nos aut nostros intra d. civitatem Trajectensem contigerit injuriam sive molestiam sustinere. Si autem à nobis vel à nostris memoratis civibus Trajectensibus imponeretur quod suis navibus bona & res alio-

minum eorundem, qui & juri suo, quod ex Advocatiâ habuit in eisdem renuntiavit in nostrâ præsentiâ voluntate spontaneâ, manumiserit, recepta prius ab eis recompensatione rationabili redditus unius libræ Trajectensis de domo dicta Allershusen prope Amersfort annuatim ad opus ipsius Ecclesiæ solvendæ pro vero concambio pro hominibus antedictis, & ipsos ab omni proprietate dimiserit liberaliter absolutos. Nos de nostrorum fidelium consilio prænotatis hominibus & aliis qui ab dictâ Everburge processerint, secundum quod præscriptum est, eorum redditâ libertate, sicut à nobis humiliter petiverunt, jus & libertatem nostrorum & Ecclesiæ nostræ Trajectens. Ministerialium potestate præsentium concedimus, & donamus, favorabiliter statuentes, ut eo jure & libertate liberè perfruantur, quo nostri Ministeriales & Ecclesiæ nostræ recepimus, recepto ab eis fidelitatis debito juramento. In cujus rei testimonium & munimen sigillum nostrum una cum sigillis prædictorum Wolteri *de Amersvoort Militis, & oppidi de Amersvoirt præsentibus duximus appendendum. Actum & datum apud Amersvoirt; præsentibus Giselberto de Goye, Marescalco nostro, Swedero de Sulen, Amilio de Insulâ,* Wilhelmo *de Risvvic, Giselberto de Ruel, militibus & aliis pluribus probis viris. Anno domini* M CC *sexagesimo quinto, feriâ secundâ post translationem Sancti Martini.*

Et biennio post D. Walterus de Amersfort miles cum ædificasset castrum in suo prædio, Stoutenborch dictum, illud resignavit Episcopo Trajectensi, eique ac suis successoribus Episcopis liberum tradidit; *quod idem Episcopus* [verba sunt diplomatis] *considerato zelo favoris ac fidei per prædictum dominum ac fratres suos sibi & Ecclef. Tr. exhibito, concessit ipsi D. Waltero ac suis proximis in feudum &c.*

Quin & Oudewateram in oppidum erexit, deditque incolis jura municipalia & privilegia, quibus postea usi sunt. Dedit & civibus Trajectensibus quædam Privilegia, quorum nonnulla exemplaria ex Archivis civitatis deprompta mihi ostendit Clariss. Doctor Bothius supra nominatus, quæ putavi, non alienum esse ab historiâ si hic inseruero;

De amoliendis ædificiis sacris urbi incomodis.

NOS Henricus Dei gratiâ Trajectensis Episcopus, omnibus præsentia visuris notum facimus, quod nos dilectis fidelibus nostris Scabinis, Consulibus & universitati Trajectensi præsentium conservatoribus, si evidens Eccles. & civitatis nostræ Traject. necessitas exegerit, Ecclesias, domos, & alias structuras extra muros Traject. constitutas, per quas ipsi civitati posset periculum imminere, frangendi, prout expedire videbitur, licentiam duximus concedendam. Si *quis etiam in præmissis fuerit contradictor, cum prædictis civibus nostris in hac parte constanter volumus permanere. Datum Trajecti, anno Domini* M CC L *quarto, feria quinta ante nativitatem Beatæ Virginis.*

Quod

Quod Cives Traject. extra urbem Episcopum comitare non tenentur.

IN nomine Domini Amen. Henricus Dei *gratiâ Episcopus Traject: universis præsentes literas inspecturis æternam in* Domino *salutem & cognoscere veritatem. Noverint tam præsentes quam futuri, quod Burgenses civitatis Traject. nec de jure, nec de aliqua consuetudine tenentur imitari aliquem Episcopum Trajectensem ulterius quàm ad muros civitatis eorum, nisi hoc facere voluerint de bona voluntate eorum. Et quoniam hoc juris & consuetudinis eorum est ab antiquo, nos hoc jus eorum & antiquam consuetudinem recognoscentes & approbantes præsentes literas dictis civibus* Traject. *porreximus, sigilli nostri munimine roboratas.* Datum, *& actum anno* Domini M CC L *sexto. In vigilia* W*alburgis Virginis.*

Sub finem vitæ ejusdem Episcopi, vel initium sequentis cum quædam discordia inter Comitem Montensem & cives Trajectenses esset exorta; ea amicè composita & sedata fuit, juxta ejus Com. diploma, quod sequitur:

UNiversis præsens scriptum visuris, Nos Adolphus Comes de Monte & Elizabeth Comitissa de Monte, notum facimus tenore præsentium, publicè protestantes, quod omnis discordia, quæ usque ad hunc diem inter nos, & terram nostram ac nostros, ex parte una, & cives Trajectenses universos ex altera super diversis controversiæ articulis, undecunque subortis vertebatur: de nostro nostrorumque consiliariorum ac fidelium terræ nostræ consensu & consilio adnihilata est, & terminata simpliciter, in hunc modum: ita videlicet; Quod omnibus civibus Trajectens. per totam terram & jurisdictionem nostram, eundo & redeundo quotiescunque & quandocunque id evenerit, securum ductum damus, & dabimus in futurum rebus suis pariter & personis pro nobis nostris fidelibus & amicis. Si verò, quod absit, in posterum aliquis ad Episcopatum Trajectensem pertinens, quicunque fuerit, & in nullo alio, ipsis civibus annexus, nobis aut nostris hominibus, rebus seu personis, aliquam injuriam intulerit, vel gravamen, in nullo propter hoc memorati cives Traject. per nos, aut nostros homines fideles & amicos rebus suis sive personis aliquid molestiæ sustinebunt, nisi fortè nos aut nostros intra d. civitatem Trajectensem contigerit injuriam sive molestiam sustinere. Si autem à nobis vel à nostris memoratis civibus Trajectensibus imponeretur quod suis navibus bona &

res aliorum ducerent, principalis inter eos solo suo juramento poterit confirmare se bona non ducere aliorum; & sic à nobis & nostris una cum rebus suis liberi erunt penitus & soluti. Ut autem præmissa in perpetuum robur habeant firmitatis, sæpe dictis civibus Traject. præsens scriptum contulimus nostrorum & Richardi de Sande nostri Dapiferi sigillorum munimine confirmatum. Acta sunt hæc præsente nostro consilio universo: Adolpho de Stamhain, Godeschalco de Winthuvele, Henrico Lumele, Iacobo de Uphoven militibus. Richardo nostro Dapifero, & Iohanne nostro Notario, Lamfrido, Gerardo dicto Alde, Richardo Vogelone dicto kustunte civibus Traject. Et quam pluribus aliis viris fide dignis. Datum anno Dominicæ incarnat. millesimo ducentesimo sexagesimo octavo, feriâ quartâ post Dominicam Palmarum.

Extat Henrici hujus diploma datum fratribus S. Catarinæ, ex quo horum institutio intelligitur, quare & illud hic expressi.

HEnricus Dei gratiâ Trajectensis Episcopus, omnibus Christi fidelibus per Trajectensem diœcesim constitutis salutem in Domino sempiternam. Cùm sicut intelleximus, & apparet evidenter dilecti in Christo fratres Hospitalis S. Iohannis Ierosolimitani in Ecclesiâ B. Catarinæ Traject. circa pauperes & debiles opera exerceant misericordiæ, infirmos recipientes, nudos vestientes, cibos egentibus distribuentes, & diversa opera caritatis indigentibus impendentes; nec ad hoc eorundem fratrum propriæ suppetant facultates, nisi fidelium eleemosinis adjuventur: Universos Christi fideles rogamus, monemus & exhortamur in domino in remissionem vestrorum peccaminum injungentes, quatenus de bonis vobis à Deo *collatis in subsidium d. loci ad sustentationem pauperum & egenorum pias eleemosinas tribuatis, illud Euangelicum attendentes: Infirmus fui, visitastis me; nudus fui, & cooperuistis me; &c. Ut per hæc & alia bona quæ Domino feceris inspirante, ad æterna possitis felicitatis gaudia pervenire. Nos verò de Omnipotentis* Dei *misericordiâ, B. Mariæ, beatorum Apostolorum Petri & Pauli, ac Sancti Martini Confessoris nostri intercessione & auctoritate confisi, omnibus verè pœnitentibus & confessis antedictum locum B. Catarinæ causâ devotionis visitantibus & manum adjutricem ad refectionem dictorum pauperum porrigentibus* XL *dies & unam carenam de injunctis sibi peccatorum pœnitentiis misericorditer*

corditer relaxamus, &c. Datum Horst anno domini M cc l. *tertio, feria 2. post octavam Apostol. Petri & Pauli.*

Ab eodem Episcopo & Goberto Præposito Trajectensi concessa facultas fratribus Teutonicis ædificandi intra civitatem Tr. ut ex diplomate sequenti patet:

HEnricus Dei gratiâ Trajectensis Eccl. Episcopus & G. major ejusdem Eccles. Præpositus omnibus præsentia visuris salutem in Domino. Noverint universi quod nos Præceptori & fratribus domus Theutonicæ S. Mariæ Tr. liberam concessimus facultatem ædificandi infra muros Trajectenses juxta ecclesiam S. Nicolai, ipsamque Ecclesiam cum suis proventubus in subsidium terræ sanct. integraliter contulimus eisdem jure, perpetuo possidendam & per ipsorum fratres sacerdotes deserviendam, de qua singulis annis VI. libras Trajectensi Præposito majoris Eccles. qui pro tempore fuerit in perpetuum exhibebunt, saluis juribus Synodalibus quæ consueverunt eidem Præposito de ipsâ Ecclesiâ exhiberi. Et ne quis hanc nostram liberam donationem occasione quacunque valeat infringere, prædictis Præceptori & fratribus præsentem paginam sigillorum nostrorum munimine dedimus roboratam. Actum anno domini M cc l. in crastino b. Andreæ Apostoli:*

Hanc concessionem probavit Petrus Card. S. Georgii ad velum aureum card. Anno 1253.

Extat hujus præterea Episcopi privilegium Traject. concessum quod sequitur:

HEnricus Dei gratiâ Traject. Episcopus, præsentes literas inspecturis salutem in D. sempiternam. Tenore præsentium protestamur, quod cum dilecti nostri Scultetus, Scabini, Consules, & universitas civitatis nostræ Trajectens. se obsequiosos exhibeant in omnibus & devotos. Nos eorum devotionem grato prosequentes affectu, ut devotiores reddantur merito ex devotis. Ipsos tanquam dilectos nostros, nec non hospites mercatores dictam civitatem nostram Trajectensem cum suis negotiationibus frequentantes, ascendendo & descendendo per aquam quæ Vecht *vocatur, in omni libertate, & jure eorum quæ hactenus habuisse noscuntur, conservabimus sicut tenemur, & liberaliter defendemus; non permittentes eis dictam Vechtam ascendentibus & descendentibus ab aliquibus injuriam irrogari. Et si qui, quod absit, dictis civibus nostris Trajectensibus vel hospitibus mercatoribus advenientibus, per terminos dicta Vechtæ violentiam, aut injuriam aliquam irrogarent, nos ipsos ad prosequendam*

hujusmodi injuriam & violentiam ad profectum & honorem ipsorum contra hujus rei factores per castrum nostrum Vredelant, *& per nostram potentiam favorabiliter adjuvabimus, & fideliter assistemus eisdem prout nostræ civitati Trajectens. tenemur. Propterea protestamur quod nullum thelonium novum ponemus seu constituemus apud castrum* Vredelant *memoratum. In cujus rei testimonium sigillum nostrum præsentibus duximus apponendum. Datum apud Hurst, anno Domini millesimo ducentesimo sexagesimo, feriâ quartâ decimâ post festum omnium Sanctorum.*

Iohannes Episcopus XXXIX.

HEnrico succedit per electionem Iohannes ex Comitibus Nassoviæ, vir in Ecclesiasticâ (a) disciplinâ minus versatus, simplex nec industrius XXXIX. Episcopus, sub (b) quo Kenemarii aspirantibus Frisiis periculosos motus in nobiles concitarunt; pervagantes vicinas provincias, arces, & quæque præsidia eorum expugnantes, proscribentes bona, & Gisbertum Præfectum Amsterlandiæ in partes suas, partim sponte, partim metu allicinnt, constituentes ipsum Ducem, Trajectum obsidione cingunt, & cives similiter ad motus concitant, qui nobiles & optimates urbe pellunt, atque Magistratum; magnum terrorem cunctis incutientes Nobilibus. Ita ut Episcopus una cum Comite Gelriæ idcircò confœderati, non ausi sint illis obsistere, aut manum conserere præ multitudine. Occasionem cepere ex eo, quod occiso Wilhelmo Cæsare, relictus est Florentius ejus nominis quintus, puer hæres annum nondum natus, sub tutela (c) Florentii Patrui constitutus, quem post tres annos in ludo hastico læsum amisit Antverpiæ. Demum Henricum Ducem Brabantiæ cepit tutorem, qui vitio suo rursus à provincialibus expellitur, postulato ab aliquibus pro tutore Comite Gelriæ, ab aliis Adelheyde sorore Wilhelmi Regis, uxore Comitis Hannoniæ, unde magnum belli discordiæque fomentum præbitum. Prævaluit tamen Comes Gelriæ avunculus, adjutorio populi, nec Episcopus urbe suâ potitus est, nisi post biennium, licet cum adjutorio suorum eam arctâ obsidione premeret: Quâ solutâ non sperans eam consequi, obsedit Amersfordiam oppidum, cujus cives sese Kenemaris fœdere junxerant, eoque per Comitem Gelriæ in deditionem accepto, & ob contentiosa verba pœne diruto, Episcopus Daventriam concessit omni spe recuperandæ urbis frustratus: donec Zuederus Præfectus in Boesichem miles armis strenuus, coadunatâ expulsorum manu urbem cum industriâ intraret, occisis hinc inde plurimis, & victor plebeium Magistratum urbe pelleret, & pulsos restitueret, & paulo pòst plebei proscripti rursum eam invadentes, non modicam exercuerunt cædem. Grassante hoc modo civili discordiâ, Nicolaus Catus miles egregius, qui Florentii Comitis tutelam adhuc exercebat, validâ stipatus manu aliquot auxiliis Trajectum petiit, portas confregit, & in medio civitatis pro tribunali sedens supra (d) mille XL. auctores motuum proscripsit, jura dictavit, & officia pro voluntate disposuit. Demum accessit aliud majus incommodum: Nam ex igne (e) cujusdam mulierculæ, uti fama est, urbs incendium passa est, quo major pars ejus, una cum templis sanctorum Petri, Ioannis, Catarinæ, atque beatæ Mariæ Civilis conflagravit, mense Februario, anno M. CC LXXIX. At ipse Iohannes (f) Episcopus omnia negligens, qui præsidia cuncta Episcopatus, & communita, & annonâ provisa invenit, nedum non conservavit: sed arcem terræ pacificæ, vulgariter Vredelandt dictam, Præfecto Amsterlandiæ, qui adjutorio Kenemariorum frustra illam occupare tentaverat, & arcem Montisfortis Præfecto in Woerden pro pecuniâ in pignus dedit, totius populi non immeritò ex hoc indignationem provocans. Unde anno Domini M. CC LXXXVIII. indicto consilio publico (quod Capitulum vocant generale) apud Trajectum, & vocato Florentio Comite Hollandiæ, cum aliis Nobilibus, idem Iohannes electus, postquam per annos XVI. tanquam sæcularis, & non in Sacris constitutus, Rempublicam malè ministrando ex opulentâ exhaustam,

Motus populi Hollandici côtra Nobiles

Motus urbis Trajectensis.

Nicolaus Catus tutor Florentii Co.

Trajectum incensum conflagrat, Anno Christi 1279.

Iohannes Episcopus deponitur.

ſtam, ex liberâ debitis immenſis obnoxiam redd diſſet, factâ denunciatione perverſorum morum, atque deſidiæ, & negligentiæ, Romano Pontificè accedente ejus decreto, dignitate (g) & honore privatur.

a In *Eccleſiaſticâ diſciplinâ minus verſatus*,) Noviomagus tradit eum ob imperitiam linguarum, confirmationem à Pontifice obtinere non potuiſſe.

b *Sub quo Kenemarii*), Hujus tumultus meminêre Beka, Gerbrandus Leydenſis, Chronicon vulgare, Snoyus, qui prolixè hic evagatur, Chron. M. Belgicum etiam, ſed ſtrictè tantùm attingit, ut & Chronicon ignoti ſcriptoris. Verùm Æmylius Stokius in Annal. Rhythmicis nihil omninò de hoc Kenemariorum tumultu tradit.

c *Sub tutelâ Florentii patrui*) Qui, teſte Stokio, Antwerpiæ, cum in equeſtri Ludo fuiſſet, vulneratus, obiit anno C. 1258.

d *Supra* 1040. *proſcripſit*,] Quàm id ſit ἀδύνατον in Bekani, Chron. annotavi, nec opus hic repetere.

e *Nam ex igne cujuſdam mulierculæ*,] Dixi etiam de hoc incendio ad Becani Chronicon.

f *At ipſe Ioannes omnium negligens*,) Iniquiores ipſi fuêre ejus temporis ſcriptores (ut in Beka dixi) & causam addidi ſed excuſationem merebatur qui toto tempore, quo præfuit, turbatiſſimum habuit Epiſcopatus ſtatum, Reipub. quoque regimen tum omnino mutatum fuit, & optimatibus ex civitate Traj. ejectis, popularis ab eo tempore magiſtratus habere cœptus, collegia artificium inſtituta, penes quæ urbis cura & adminiſtratio deinceps fuit & denique Sigillum mutatum.

g *Dignitate & honore privatur*,] Ceſſiſſe illum quidem epiſcopatu, verùm eſt; at invitum, aut violentiâ coactum id feciſſe, quæ extant monumenta, negare videntur: adi notas meas ad Bekam. Sub hoc Epiſcopo Ius patronatus Eccleſiæ Rhenenſis conceſſum Fratr. Ord. Teut. ap. Traj. ab Egberto Com. Benthemienſi, cujus pater Otto huic ordini erat adſcriptus.

Sub hoc Epiſcopo Culemburch caſtrum fit feudum Gelriæ; non obſtante quod ejus D. eſſet Miniſterialis Epiſcopi, ut indicant literæ ſequentes.

Ego Hubertus dictus de Boeſinchem præſenti ſcripto proteſtor & recognoſco, me Nobili viro R. Comiti Gelrenſi & Duci Lymburgenſi, caſtrum meum dictum Kulenburch de liberâ mea voluntate, nec non de conſenſu domini Svvederi *de Boſinchem Militis avunculi mei chariſſimi, Theod. dicti Splinter fratris mei & aliorum amicorum meorum, pro c. libb. Holl. denar. hæreditariè vendidiſſe, in hunc modum: Quod ipſe Comes vel ſui hæredes de ipſo caſtro proficuum ſuum facere poterunt & utilitatem contra quoſcunque: nec hoc ego Hubertus nec mei hæredes contradicere poterimus, nec debemus vel impedire. Ego etiam Hubertus prædictus ac mei hæredes à Comite prædicto ſuiſque hæredibus caſtrum prædictum hæreditariè tenebimus & poſſidebimus jure Zutphanienſi, pro dictis verò c. libris aſſignavit mihi idem Comes & meis hæredibus bona ſua apud Laxmonde & Lanxſmere jacentia, prout ad ipſum ſpectare dinoſcuntur, titulo pignoris tenenda & poſſidenda in eadem, dum ſibi placuerit quâ c. libris moneta prædicta redimere poterit & dequitare. In teſtimonium & robur hujus ſigillum meum præſenti literæ duxi appendendum; nos etiam Svvederus de Boſinchem miles & Th. Splinter qui huic facto interfuimus ſigillum noſtra in teſtimonium præmiſſorum ad petitionem Huberti prædicti præſentibus duximus apponenda. Datum ap. Noviomagum anno Domini M. CCLXXXI. feria* VI. *quæ fuit dies virginis beatæ Ceciliæ.*

Hic Hubertus in aliis literis eadem de re datis vocatur Hubertus Scencke de Kulenburch, erat enim pincerna Episcopi Tr. quod ministerium à Cukensibus acquisiverat.

Legitur hujus Episcopi diploma Vianensibus concessum de nundinis; quod his addendum censui:

Iohannes Dei gratiâ Traject. Electus omnibus salutem in domino. Noverint universi; Quod meritis plurimorum laborum & etiam onerum, ac expensarum dilecti Domini Svvederi de Buzinchem militis, quas aßiduâ sollicitudine & curâ pervigili pro Ecclesiâ Trajectensi nostri prædecessoris b. m. Domini Henrici & nostris temporibus sustinuit, consideratis & inspectis, de nostrorum & Ecclesiæ Tr. Prælatorum & Ministerialium consilio & consensu, concesßimus eidem Svvedero & suis perpetuò legitimis hæredibus, ad justum feudum in loco & jure Ministerialis, quod infra suam jurisdictionem, ex illâ parte Lecca, ubi castrum suum Vianen situm est; ubicumque sibi placuerit, & melius visum fuerit expedire, duas Nundinas, quamlibet octo dierum, in quolibet anno, ex nunc in antea poßint habere, terminis infrascriptis, videlicet: unam Nundinam, quæ incipiet in octava assumptionis B. Mariæ Virg. & aliam, quæ incipiat octo diebus ante vigiliam omnium Sanctorum: Protestantes publicè in his suprascriptis, quod omnes ad ipsas Nundinas venientes undecunque, cum personis ac rebus, & bonis suis omnibus, in terris, & in aquis veniendo, morando, recedendo, tribus diebus ante quam crux ipsarum Nundinarum erigatur, & tribus diebus postquam deponitur ipsa crux in protectionem nostram & Ecclesiæ Trajectensis recipimus, & conductum omnium, insuper Iurisdictionem de omnibus forefactis, quæ durantibus ipsis Nundinis, quocunque modo contigerint, eidem Svvedero, & suis perpetuo hæredibus, judicare, in feudum concedimus loco & jure Ministerialis. Actum præsentibus Domino Stephano Decano S. Petri, Domino Iacobo Decano S. Iohannis Traject. Ecclesiarum, Harmanno de Voerst, Giselberto de Ruele, Gerhardo de Reno, & Gerhardo de Voerne militibus, & aliis quam plurimis nostris & Ecclesiæ Traject. minister. militibus & famulis. In cujus rei testimonium nostro sigillo sigillavimus præsens scriptum ad perpetuam firmitatem. Datum anno M CC LXXII. *feriâ quarta post festum B. Andreæ Apostoli.*

Iohan-

Iohannes Episcopus XL.

SUfficitur Iohannes Zyricbus Lotharingus, ejus nominis secundus Episcopus; qui à Giselberto arcem Vredelant, nova imponente vectigalia repetens, sub deposito, quod ceperat Prædecessor, vi renuenti intulit bellum, & adjutorio Florentii Comitis post longam obsidionem, & varios conflictus utramque arcem, Vredelandt scilicet atque Montfort recuperavit, & per conditiones pacis retinuit.

Plura de hoc Episcopo, & res ejus gestas contra Amstelios, vide in Chron. Belg. M. Bekâ & Annal. vulgaribus. Refertur & inter Tullenses Episcopos; Post Probum 52. anno 1296; & obiit anno 1305.

Extat sub hoc Episcopo conscriptum Instrumentum Domini Abcoudij de jurisdictione in Ameronge, cujus exemplar ab historiâ nostra non alienum, adjungo.

OMnibus ad quos præsens literæ pervenerit, Ego Giselbertus de Abcoude famulus, notum facio, recognoscens, quod cum dudum inter Venerabilem virum D. Adolphum de Waldeke Præpositum Ecclesiæ Traject: ex unâ parte, & inter D. Suederum P. M. patrem meum ac me ipsum eo mortuo ex parte altera super jurisdictione de Amerongen & ejus attinentiis, non sine laboribus & expensis diutina quæstionis materia verteretur, tandem ego meorum propinquorum usus consilio, juramento Dom. Præpositi duxi deferendum, ut per hoc suam probaret intentionem in præmissis: qui hoc acceptans, juravit in hunc modum, videlicet; Quod Iurisdictio temporalis de Amerongen ad Præposituram Ecclesiæ suæ Trajectens. prædictæ cum tribus partibus cum omnibus suis pertinentiis; in hominibus, villis, domibus, ædificiis, viis, inviis, campis cultis vel incultis, venis, aquarum decursibus, ac omnibus aliis quocunque nomine nuncupentur, in quibuscunque rebus existant; quæ ad dictam Iurisdictionem aliquo jure vel bonâ consuetudine pertinere noscuntur, cum omnibus reditibus, proventibus vel obventionibus qui exinde proveniunt, vel provenire possunt, liberè pertinent pleno jure. Item juravit idem Præpositus, tres partes redituum vel proventuum qui ex gruta *proveniunt, & ipsius grutæ locationem pro tribus partibus, & præterea tres partes reddituum & proventuum thelonei, qui ad dominum Præpositum prædictum & me spectant saluo aliis jure suo, si quod habet quis in eodem thelonio, & ipsarum trium partium exactionem, ad dictam præposituram suam pleno jure & libere pertinere. Item juravit mancipia sua seu homines ad curias suas pertinentes, qui communiter* Hoflude *dicuntur, ubicunque eos morari contingat, seu contigerit, cum omnibus*

Corme-

Cormetis, *ac aliis utilitatibus vel servitiis, quæ de ipsis hominibus ipsius provenire poterunt vel debebunt ad præposituram & Ecclesiam prædictam integraliter absque ulla diminutione pertinere. Item juravit, Jurisdictionem temporalem in* Langebroic *superiori à loco quæ dicitur* veren Aden weteringe *superius usque ad locum qui dicitur* Berwoudsgrave, *Item à principio loci, qui decem mansi dicitur, superius, usque ad locum qui dicitur* wateringe, *de Amerongen cum* scowinga, *via &* wateringa *ac omnibus aliis & pertinentiis ad eandem Præposituram suam & Ecclesiam Trajectensem pleno jure & integraliter pertinere. Ego autem Giselbertus prædictus præmissa omnia prout dominus Præpositus juravit ad Præposituram & Ecclesiam supra dictã pertinere recognosco, & me nihil juris habere profiteor in eisdem, promittens prò me & heredibus meis bona fide; quod dictos Præpositum & Ecclesiam dicta bona pacificè possidere & gaudere eis absque aliqua contradictione permittam. In cujus rei testimonium ego Giselbertus prædictus sigillum meum una cum sigillis vener. viri D. Stephani Decani majoris, & officialitatis Trajectens. duxi præsentibus apponendum. Et nos Decanus, &c.* Datum anno *Domini* M cc lxxx, *nono feria sexta post Trinitatem.*

Wilhelmus Episcopus XLI.

ANno vero Domini M. cc xcvi. Ioannes Episcopus auctoritate Rom. Pontificis ad Tullensem Ecclesiam translatus est, & surrogatur Wilhelmus ex Machliniâ natus, vir Iuris divini humanique consultissimus, Sacri Palatii judex ordinarius, & xli. constituitur Episcopus, qui descendens invenit Provinciam admodum turbatam bellis atque incursionibus. Intendens itaque ad eam pacandam, & in statum pristinam restituendam, collectâ validâ manu, primo arcem(a) Mudensem sibi vindicat, progressusque ad Frisiam Occidentalem, Frisios ipsos in partem suam concitat, (sunt enim ad motus quosvis proni) arces Widenes, Enighenborch ac Medenblyc similiter obsidione premit, oppidum ipsum Medenblic in favillam redigens; ubi Præfecti castrorum deficiente commeatu etiam equinam carnem edebant, quousque Ioannes Comes Hannoniæ collecto exercitu adveniens trucidatis aliquot, suppeteret obsessis commeatum, & Enchusam incenderet ingente abductâ prædâ. Iam enim anno præmemorato v. Kalend. Iulii Florentius Comes suorum conspiratione; (nam (b) alterius uxorem violaverat) confossus erat in vindictam stupri, viro auctore necis capto, & vasi clavis infixis incluso, demum semivivo post longas volutationes extracto atque rotæ imposito, omnique gentilitate usque in nonam generationem deleto. Et Provincia carebat Principe, Iohanne filio apud Angliam, ubi Regis filiam duxerat in uxorem, nomine Elizabeth, commorante. Habuit enim Florentius occisus ex Beatrice filiâ Comitis Flandriæ quinque filios ac quatuor filias. Solicitavit itaque Nobilitas Hollandiæ, auctore Abbate Egmondensi apud Angliæ Regem ipsius Ioannis reditum. Qui unà cum uxore dimissus cum non spernendà classe advehitur, & in xvi. Comitem recipitur. Inde instituens sibi recuperare Frisiam rebellantem, accessit cum magno peditatu atque equitatu Alckmariam, & Frisiis occurrentibus in agris Vronensibus vicinis illi oppido, ingens committitur prælium, multis hinc inde occisis sub ancipiti fortunâ vi. Kalend. Aprilis anno M. cc xcvii. arridente tandem victoriâ Comi-

Iohannes Holl. Comes 16.

riâ Comiti, qui paulo pòst arma in aliquos Nobiles subditos, ac cives suos convertit ex suggestione adulatorum, & arcem Mormont in Provinciâ Zelandiæ evertit. At Wilhelmus Episcopus impatiens cladis Frisiacæ ad Orientales se contulit Frisios, quos propositâ peccatorum remissione in auxilium solicitans factus voti compos, è vestigio ingreditur in Occidentalem Frisiam: à quâ repulsus amissis suis, & in fugam versis, ipse salvus cum modicâ turbâ vix evasit, ad provinciam Transisulanam sese transferens. Comes verò, quo conatus Episcopi reprimeret violenter, occupat præsidium dictum Iselstein, captivato Præfecto illius, ut ex illo devastaret ditionem Trajectensem. Sed mors interrupit cœptum propositum. Nam anno (c) M. CCXCIX. IV. Kalend. Novembris cùm rexisset annis tribus & semi, moritur in oppido Harlemo absque liberis. Cui succedit Iohannes Comes Hannoniæ, nepos Wilhelmi Regis ex sorore Adelheyde, & XVII. constituitur Comes, qui Guidoni fratri contulit Præfecturas de Aemstel ac Woerden, duxerat Philippam filiam Comitis Lucemburgiæ uxorem, ex quâ genuit quatuor filios, ac senas filias. Hic Alberto Regi Romanorum descendenti Neomagum, ut Provincias Hollandiæ tanquam ad Imperium devolutas, sibi vindicaret, animosè occurrit, & retrocedere compulit. Fuit Cæsar (d) allectus ad hanc spem per Iohannem Renes, promisso adjutorio Zelandorum, dum per decessum Iohannis Comitis ipsas Provincias Imperio vacare suggereret. Nam uti fit, cùm ipse Iohannes Comes delatoribus (e) aurem præberet, & eundem Iohannem falsò accusatum magnâ afficeret injuriâ, ipsum persequendo, atque arces suas expugnando ac demoliendo, nec excusationem innocentiæ aliquo pacto admitteret, ipse de salute desperans ad quæque extrema intendebat, & gravatos insolito tributo seu alios oppressos injustè ad justa arma concitavit in sui favorem. Nam cum populo saturato (sicuti dicere solebat Aurelianus August.) nihil lætius fore noscatur, ita injuriato atque oppresso, quod avaritiâ petulantiâque nobilium plerumque contingit, dum inopiâ atque fame premitur, nihil tristius ac sævius, vel ad motus pronius. Verùm ipse Cæsar dum se à Zelandis delusum atque frustratum sensit, qui sera auxilia tulêre, fiunt conditiones pacis, interventu Episcopi Coloniensis, magis necessariæ pro honore Alberti, quàm utiles. At Iohannes Renes ex fideli amico factus hostis, tentavit animos multorum contra Comitem Hollandiæ exuscitare. Nam & Flandri irruperant cum illo in Zelandiam, quam etiam multis ac cruentis præliis attriverant, donec idem Ioh. de Renes Trajecto Præpositus in Leccâ submergeretur. Dum hæc aguntur, Wilhelmus Episcopus conspiratoribus Suedero (f) Montisfortis, Huberto Vianensi, Iohanne Linscotense Præfectis, à Iacobo Lichtenbergh Proconsule Trajectensi in ipsâ suâ civitate & ædibus propriis Iacobi captivus detinetur ad integrum fermè annum. Qui tandem rusticanâ manu laxatus nihilominus à sede propriâ amovetur: qui ad Transiselanos confugit, honorificè ab illis susceptus, paulo pòst ut tranquillitati ac paci totius Episcopatus consuleret, petiit Romanum Pontificem, exonerans se à curâ & suæ dispositioni Ecclesiam restituens. Pontifex verò sciens virum fortem & justum, renuit eum exonerare, jubens Episcopo Monasteriensi, ut sibi oportuna contra invasores ferret auxilia. Rediens itaque dum apud Angaros venisset, vidit signum quod mortem suam præsagiebat. Solem bicornem instar decrescentis Lunæ cum radiis emicantibus purpureum fulgorem. Ac progrediens congregato apud Iselanos valido exercitu, aggressus est Trajectum, ut sibi liberum ingressum pararet, repulsus statuit manere in campis ad eliciendum hostes in certamen, unde coadunatis ex (g) Hollandia plurimis, qui Episcopum inveterato odio persequebantur, & Iacobo Lichtenberch favebant, itur in pugnam, fit cædes ingens. Iam cesserat pene victoria Episcopo, sed renovatis auxiliis hostium, quibus ipse Zuederus succurrit, declinavit ad hostem. Nam Episcopo cùm veloci equo nimis audacter semel atque iterum hostiles transcurrente turmas, hostes tamen manus continuerunt à Christo Domini ob venerationem: Verùm pertinaciter tertiò irrumpere tentans, prostratus occubuit anno M CCC primo, 4. Nonas Iulii, quæ est translatio Martini: haud longè à Montiforti, locum (h) Hooghewoerdt/ sive altam insulam vocant, quo itur Trajectum: ubi jam lapidea crux erecta conspicitur in memoriam, cadaver jacens aliquandiu insepultum, tandem à fratribus Ordinis sancti Iohannis Hierosolymitani ad eorum Ecclesiam delatum, & posteà in Ecclesiâ majori sepultum est. Præfuit annis quinque, turbatis semper rebus.

Prælium Comitis contra Frisios anno Chr. 1297.

Comes Holl. moritur. Anno Chr. 1299. Harlemi.

Iohannes Hannonius Hollandiæ Comes 17.

Wilhelmus Episc. detinetur captivus totum annum.

Idem Episcopus in prælio à Trajectensibus occiditur anno Christ. 1301.

Hunc Lovaniensem Præpositum fuisse ante Pontificatum, MS. Codex Mirop. indicabat.

Arcem

Cormetis, *ac aliis utilitatibus vel servitiis, quæ de ipsis hominibus ipsius provenire poterunt vel debebunt ad præposituram & Ecclesiam prædictam integraliter absque ulla diminutione pertinere. Item juravit, Jurisdictionem temporalem in* Langebroic *superiori à loco quæ dicitur* veren Aden weteringe *superius usque ad locum qui dicitur* Berwoudsgrave, *Item à principio loci, qui decem mansi dicitur, superius, usque ad locum qui dicitur* wateringe, *de Amerongen cum* scowinga, *via &* wateringa *ac omnibus aliis & pertinentiis ad eandem Præposituram suam & Ecclesiam Trajectensem pleno jure & integraliter pertinere. Ego autem Giselbertus prædictus præmissa omnia prout dominus Præpositus juravit ad Præposituram & Ecclesiam supra dictã pertinere recognosco, & me nihil juris habere profiteor in eisdem, promittens pro me & heredibus meis bona fide, quod dictos Præpositum & Ecclesiam dicta bona pacificè possidere & gaudere eis absque aliqua contradictione permittam. In cujus rei testimonium ego Giselbertus prædictus sigillum meum una cum sigillis vener. viri D. Stephani Decani majoris, & officialitatis Trajectens. duxi præsentibus apponendum. Et nos Decanus, &c. Datum anno Domini* M cc lxxx, *nono feria sexta post Trinitatem.*

Wilhelmus Episcopus XLI.

ANno vero Domini M. cc xcvi. Ioannes Episcopus auctoritate Rom. Pontificis ad Tullensem Ecclesiam translatus est, & surrogatur Wilhelmus ex Machliniâ natus, vir Iuris divini humanique consultissimus, Sacri Palatii judex ordinarius, & xli. constituitur Episcopus, qui descendens invenit Provinciam admodum turbatam bellis atque incursionibus. Intendens itaque ad eam pacandam, & in statum pristinum restituendam, collectâ validâ manu, primo arcem(a) Mudensem sibi vindicat, progressusque ad Frisiam Occidentalem, Frisios ipsos in partem suam concitat, (sunt enim ad motus quosvis proni) arces Widenes, Enighenborch ac Medenblyc similiter obsidione premit, oppidum ipsum Medenblic in favillam redigens; ubi Præfecti castrorum deficiente commeatu etiam equinam carnem edebant, quousque Ioannes Comes Hannoniæ collecto exercitu adveniens trucidatis aliquot, suppeteret obsessis commeatum, & Enchusam incenderet ingente abductâ prædâ. Iam enim anno præmemorato v. Kalend. Iulii Florentius Comes suorum conspiratione, (nam (b) alterius uxorem violaverat) confossus erat in vindictam stupri, viro auctore necis capto, & vasi clavis infixis incluso, demum semivivo post longas volutationes extracto atque rotæ imposito, omnique gentilitate usque in nonam generationem deleto. Et Provincia carebat Principe, Iohanne filio apud Angliam, ubi Regis filiam duxerat in uxorem, nomine Elizabeth, commorante. Habuit enim Florentius occisus ex Beatrice filiâ Comitis Flandriæ quinque filios ac quatuor filias. Solicitavit itaque Nobilitas Hollandiæ, auctore Abbate Egmondensi apud Angliæ Regem ipsius Ioannis reditum. Qui unà cum uxore dimissus cum non spernendâ classe advehitur, & in xvi. Comitem recipitur. Inde instituens sibi recuperare Frisiam rebellantem, accessit cum magno peditatu atque equitatu Alckmariam, & Frisiis occurrentibus in agris Vronensibus vicinis illi oppido, ingens committitur prælium, multis hinc inde occisis sub ancipiti fortunâ vi. Kalend. Aprilis anno M. cc xcvii. arridente tandem victoriâ Comi-

Iohannes Holl. Comes 16.

riâ Comiti, qui paulo pôst arma in aliquos Nobiles subditos, ac cives suos convertit ex suggestione adulatorum, & arcem Mormont in Provinciâ Zelandiæ evertit. At Wilhelmus Episcopus impatiens cladis Frisiacæ ad Orientales se contulit Frisios, quos propositâ peccatorum remissione in auxilium solicitans factus voti compos, è vestigio ingreditur in Occidentalem Frisiam: à quâ repulsus amissis suis, & in fugam versis, ipse salvus cum modicâ turbâ vix evasit, ad provinciam Transisulanam sese transferens. Comes verò, quo conatus Episcopi reprimeret violenter, occupat præsidium dictum Iselstein, captivato Præfecto illius, ut ex illo devastaret ditionem Trajectensem. Sed mors interrupit cœptum propositum. Nam anno (c) M. CCXCIX. IV. Kalend. Novembris cùm rexisset annis tribus & semi, moritur in oppido Harlemo absque liberis Cui succedit Iohannes Comes Hannoniæ, nepos Wilhelmi Regis ex sorore Adelheyde, & XVII. constituitur Comes, qui Guidoni fratri contulit Præfecturas de Aemstel ac Woerden, duxerat Philippam filiam Comitis Lucemburgiæ uxorem, ex quâ genuit quatuor filios, ac senas filias. Hic Alberto Regi Romanorum descendenti Neomagum, ut Provincias Hollandiæ tanquam ad Imperium devolutas, sibi vindicaret, animosè occurrit, & retrocedere compulit. Fuit Cæsar d) allectus ad hanc spem per Iohannem Renes, promisso adjutorio Zelandorum, dum per decessum Iohannis Comitis ipsas Provincias Imperio vacare suggereret. Nam uti fit, cùm ipse Iohannes Comes delatoribus (e) aurem præberet, & eundem Iohannem falsò accusatum magnâ afficeret injuriâ, ipsum persequendo, atque arces suas expugnando ac demoliendo, nec excusationem innocentiæ aliquo pacto admitteret, ipse de salute desperans ad quæque extrema intendebat, & gravatos insolito tributo seu alios oppressos injustè ad justa arma concitavit in sui favorem. Nam cum populo saturato (sicuti dicere solebat Aurelianus August.) nihil lætius fore noscatur, ita injuriato atque oppresso, quod avaritiâ petulantiâque nobilium plerumque contingit, dum inopiâ atque fame premitur, nihil tristius ac sævius, vel ad motus pronius. Verùm ipse Cæsar dum se à Zelandis delusum atque frustratum sensit, qui sera auxilia tulêre, fiunt conditiones pacis, interventu Episcopi Coloniensis, magis necessariæ pro honore Alberti, quàm utiles. At Iohannes Renes ex fideli amico factus hostis, tentavit animos multorum contra Comitem Hollandiç exuscitare. Nam & Flandri irruperant cum illo in Zelandiam, quam etiam multis ac cruentis præliis attriverant, donec idem Ioh. de Renes Trajecto Præpositus in Leccâ submergeretur. Dum hæc aguntur, Wilhelmus Episcopus conspiratoribus Suedero (f) Montisfortis, Huberto Vianensi, Iohanne Linscotense Præfectis, à Iacobo Lichtenbergh Proconsule Trajectensi in ipsâ suâ civitate & ædibus propriis Iacobi captivus detinetur ad integrum fermè annum. Qui tandem rusticanâ manu laxatus nihilominus à sede propriâ amovetur: qui ad Transiselanos confugit, honorificè ab illis susceptus, paulo pôst ut tranquillitati ac paci totius Episcopatus consuleret, petiit Romanum Pontificem, exonerans se à curâ & suæ dispositioni Ecclesiam restituens. Pontifex verò sciens virum fortem & justum, renuit eum exonerare, jubens Episcopo Monasteriensi, ut sibi oportuna contra invasores ferret auxilia. Rediens itaque dum apud Angaros venisset, vidit signum quod mortem suam præsagiebat. Solem bicornem instar decrescentis Lunæ cum radiis emicantibus purpureum fulgorem. Ac progrediens congregato apud Iselanos valido exercitu, aggressus est Trajectum, ut sibi liberum ingressum pararet, repulsus statuit manere in campis ad eliciendum hostes in certamen, unde coadunatis ex (g) Hollandia plurimis, qui Episcopum inveterato odio persequebantur, & Iacobo Lichtenberch favebant, itur in pugnam, fit cædes ingens. Iam cesserat pene victoria Episcopo, sed renovatis auxiliis hostium, quibus ipse Zuederus succurrit, declinavit ad hostem. Nam Episcopo cùm veloci equo nimis audacter semel atque iterum hostiles transcurrente turmas, hostes tamen manus continuerunt à Christo Domini ob venerationem: Verùm pertinaciter tertiò irrumpere tentans, prostratus occubuit anno M CCC primo, 4. Nonas Iulii, quæ est translatio Martini: haud longè à Montiforti, locum (h) Hooghewoerdt/ sive altam insulam vocant, quo itur Trajectum: ubi jam lapidea crux erecta conspicitur in memoriam, cadaver jacens aliquandiu insepultum, tandem à fratribus Ordinis sancti Iohannis Hierosolymitani ad eorum Ecclesiam delatum, & posteà in Ecclesiâ majori sepultum est. Præfuit annis quinque, turbatis semper rebus.

Prælium Comitis contra Frisios anno Chr. 1297.

Comes Holl. moritur. Anno Chr. 1299. Harlemi.

Iohannes Hannonius Hollandiæ Comes 17.

Wilhelmus Episc. detinetur captivus totum annum.

Idem Episcopus in prælio à Trajectensibus occiditur anno Christ. 1301.

Hunc Lovaniensem Præpositum fuisse ante Pontificatum, MS. Codex Mirop. indicabat.

Arcem

a *Arcem Mudensem sibi vindicat,)* Muda vel Amuda villa ad Vechtam fl. Trajectinæ olim Ecclesiæ ab Ottone I. Imp. donata fuit, ut ex diplomatibus ejusdem Imp. supra positis apertum est: Quin & ipsi Mudenses se eidem Ecclesiæ subesse agnoverunt, ut ex sequentibus literis, quas integras hic damus ex Archivis nostris, patet:

NOs Iudex, Scabini, Consules, ac universi oppidani de Muden recognoscimus in his scriptis, & notum facimus, universis, ad quos præsentes literæ pervenerint; Quod nos & oppidum nostrum subsumus & immediatè attinemus Ecclesiæ Trajectensi; promittentes bonâ fide, quod ex nunc in antea devoti & fideles erimus Episcopo Traject: qui est, & pro tempore erit: nec unquam in perpetuum ab eodem divertemus de facto, nos alio Domino submittendo. Quod si nos, aut nostri successores, quod absit, præsumemus aut præsument, extunc arbitramur & recognoscimus in his scriptis, omnes indulgentias & libertates de jure oppidi municipalis nobis & oppido nostro à Domino nostro Episcopo & Ecclesiâ Trajectensi concessas & quascunque alias libertatum concessiones nullius fore momenti, & penitus irritas & inanes. In cujus rei testimonium in perpetuum valituræ prædictis Domino Episcopo & Ecclesiæ Traject. *dedimus præsentes literas sigillo nostri Oppidi sigillatas. Datum anno Domini* M CC *nonagesimo sexto fer. tertia post Dominicam Oculi.*

b *Nam alterius uxorem violaverat,*] Hæ vulgi neniæ sunt, à nemine, qui circa ea tempora vixit, probatæ, ut ad Bekam, adstipulante etiam doctissimo Scriverio, jam dixi.

c *Nam anno M CC XCIX, IV. Kal. Nov.)* Plerique Iohannem eo annô obiisse tradunt. Bockenbergius ait anno 1300. Stokius diem mortis exprimit profestum Martini. Meyerus per venenum, procurante Hannone tutore, & hærede sublatum vult, quod tamen Stokius factum negat.

d *Fuit Cæsar allectus,)* Nam cùm Ada filia unica, & hæres comitatus à patre relicta esset, Hollandorum quidam patruo ipsius Wilhelmo faventes, Hollandiam masculinum & Imperiale feudum esse, cujus mulieres non forent capaces asserebant.

e *Iohannes Com. delatoribus aurem præbens,)* Hannonis in Renessium injuria magni provincialibus constitit, & ipsi Renessio tandem exitialis fuit; præter enim privata, ac Zelandorum in Comitem arma, eidem excitavit Imp. inimicum; & Flandorum infinitum exercitum, qui totam ferè Zelandiam, & Hollandiam Renessio ductore occupaverunt. Hinc magnam tunc Renessiorum potentiam, & auctoritatem fuisse apparet, quibus etiam multa tum castella & dominia adempta leguntur: vide infra in Guidone Episcopo, ubi præfectum Veriensem hujus dissidii auctorem facit Heda, & quæ Bockenbergius in mergine Ioannis Avenn. annotavit.

f *Conspiratoribus Suedero Montisfortis &c.*] Causam dissidii & odiorum inter Episcopum & Nobiles potentiores Episcopatus Traject. videtur dedisse; quod ille Iuris peritissimus, omnia ad legum rigorem examinaret, & feuda, quæ ad Ecclesiam devoluta judicaret, repeteret; cui hi se omnibus modis opponerent, & consanguineorum viribus, etiam Hollandicis confisi, ad arma concurrerent. Ideoque Episcopus, ut Ministeriales sibi audientes, & Ecclesiæ suum jus redderet, armis quoque agendum putavit. Id ex controversiâ cum Rovero, sibi Montfortii præfecturam (Burchgraviatum vocant] post mortem Walteri Gerardi vendicante, exortâ, de quâ hæc vernaculâ linguâ expressâ sententiâ superest, liquere poterit.

ALlen etc. doen wy verstaen Willem by der genaden G. Bisschop t'Utrecht/ dat wy ons beeroenden van H. Heinric de Rover Borchgreve van Montfoort / Alse dat hy dat huys van Montfoorde ende dat Borch-leen dat daer toe behoort t'onrechte besat / ende wy daer op eenen anderen setten mochten alse wy wouden: Hier tegens antwoorde haer Heinric ende seghede/ dat hy metten rechte opten huus van Montfoorde een Erf-borchman wesen soude/ ende dat Borchleen

leen

leen dat ten huse behoort / zijn recht Erf-borch-leen ware / t'Huus van Montfoorde mede te houdene tot des Stichts behoeff / ende begeerde des eens daghes / voor ons Stichts Manne ten rechte te comen / dat voort te brenghen / alse hi schuldich ware te doene / den dach leghede wy hem t'Utrecht op onsen Sael / by goeder Lude witinghe / die dat segheden / dat wijt van rechte schuldich te doene waren / Daer quam hy voor ons mit sinen vrinden / ende met des Stichts-Man / ende boet dat te houdene alse hy mitten rechte op den Huus van Montfoorde een Erf-borch-man ware / ende dat borch-leen / dat ten Huse behoort zijn recht Erff-borch-leen wesen soude / Daer wert hem ghewijst / brochte hyt an ons mit tween Stichtes Mannen / alse hy soude mit den rechte / dat hy daer mede volstaen soude / ende mitten rechte inden Borch-leen blyven / hy ende zijn Erfnamen: Daer quam hy voort / ende hielt dat opden Heiligen mit tween Stichts Mannen als hem ghewijst was / mit rechte / ende mit oordeele / dat hy mitten rechte op den Huus van Montfoorde een Erf-borch-man wesen soude / dat Borch-leen dat ten Huus behoort zijn recht Erf-borch-leen ware / t'Huus van Montfoorde mede te houdene tot des Stichts behoef. In orconde van desen dinghen / ende dat dit vast ende stade blyve / ende hier af meer en ghene questie en come / soo hebben wy onsen Seghel an desen brief ghedaen. Ende wy Haer Hubrecht de Schencke van Bosinchem / Haer Ghysebrecht van Schalcwic / Haer Ghysebrecht upten Gope / Haer Hubrecht van Vpanen / Haer Lambrecht de Vrese / Riddere / Haer Jacob van Lichtenberch / Haer Harman Teutelaer / ende Haer Ghysebrecht Pellen-kussen Schepen t'Utrecht / want wy hier over waren / ende dit hoerden ende saghen / soo hebben wy dit mede besegelt t'enen orconde. Dit gheschiede in den Jaere ons Heeren datmen schreef dusent tweehondert ses ende t'neghentich Vrydach voor onser Vrouwen dach te Lichtmisse.

g *Ex Hollandis,)* Hollandis conspirantibus hoc bellum peractum [quamvis scriptores sint qui eos excusent] satis indicat expiatio cædis Episcopi ab Hollandiæ Com. facta, cujus extant literæ, ubi hæc verba leguntur:

Want inder zoene die ghemaecht was van des Bisschops H. Willaems doodt van Mechelen welnere Bisschop t'Utrecht gheordonneert werdt / dat wy voor ons ende voor onsen ghemeenen Lande van Hollandt maken souden voor zijn ziele 2 Capelrien ewelicken staende elcx van 25 ponden swarter Tornoysen 's Jaers / waer af wy die ene gemaect ende gedoteert hebben op seeckere renten inden Dom t'Utrecht / ende die andere bewysen wy ende besetten te verdienen in S. Catarinen kercke t'Utrecht / &c.

Quin & inter monimenta à M. Mathæo Hovio collecta inveniatur instrumentum continens remissionem Comiti Hollandiæ factam à Florentio Berthoutio Machliniæ Domino, de cæde Wilhelmi Episcopi fratris sui, & in Anniversario S. Salvat. Traj.: *Eodem anno* 1301 *Wilhelmus Episcopus, de Mechlinia interfectus est ab Hollandensibus apud Hogewoerd.* IV. Id. Iulii.

Tempore hujus Episcopi Dominus de Buren Castrum suum ap. Buren situm pro redemtione pacis, Gelriæ Comiti tradidit & ab eodem illud in feudum recepit, cujus rei testimonium extat in Gelricis Pontani libr. VI. ad annum 1298.

h *Hogewaert, sive aliam insulam,)* In M.SS. Hogewoert legitur, & ita etiamnum vocatur; locus est elevatior, circa ripas Veteris Rheni; ubi olim Rom. stetit munimentum, quod altitudo ex ruinis congesta, nummi, item, lapides, ac fictilium fragmenta, quæ ibi magnâ copiâ reperta sunt, indicant. Hic & hodie crux superat lapidea, memoriam cædis conservans.

Guido Episcopus XLII.

Wilhelmo occiso diversis suffragiis certatum, aliis Guidonem fratrem Comitis Hollandiæ Ecclesiæ Leodiensis thesaurarium, (a) aliis Rodulphum ex Comitibus de Waldeck ipsius Ecclesiæ Præpositum, eligentibus. Verùm Guido majore fultus auctoritate (nam (b) ex fratribus unus Hollandiæ atque Hannoniæ Comes, alter verò Princeps Moriennæ, tertius Mediomatricum, quartus Cameraci Episcopi Cardinales) erant

les erant) longè prævaluit, competitore sese transferente in Provinciam Transiselanam. Guido verò XLII. constitutus Episcopus, quum primum rerum administrationem accepit, animum applicuit ad pacem & tranquillitatem plebis sibi commissæ, nec quisquam ausus in ipsum apertè quicquam machinari, licet & (c) cives Trajectenses, & alii inter se digladiarentur; omnes tamen recognoscebant Episcopum, cui Iohannes Comes Hollandiæ restituerat (d) Ecclesiæ ablata ante Dominia Amstellana & Woerdam. Fuit vir magnanimus, affabilis & prudens, amator pacis ac Iustitiæ. (e) Contigit paulo pòst, anno videlicet M CCC II. undecima Iulii atrox pugna inter Philippum Crassum Regem Francorum, ac Robertum Comitem Flandriæ, in qua Iohannes natu major Iohannis Comitis præfati filius occubuit, & cessit victoria Roberto, auctoribus Iohanne & (f) Hugone de Arckel propugnatoribus primipilis. Anno verò (g) M CCC IV. Guido Comes Flandriæ instituit validum exercitum traducere in Walacriam, cui Wilhelmus frater Iohannis occisi futurus Princeps Hollandiæ occurrit usque (h) Cassandriam, profligans adversarios, & cum magnâ laude ad suos revertens, evestigio Guido Comes readunato exercitu electissimorum militum Walacriam intrat, cum Wilhelmo uno d e bis conflixit, & vicit deceptum fraude suorum, & quærentem nova subsidia insecutus, obsidit in oppido Zirixzee, quod validè etiam oppugnat continuo fere bimestri. Tandem Wilhelmus rebus ad desperationem tendentibus clàm erumpit, magnam cædem agens in hostes & Guidonem Episcopum patruum accedens, necessitudine sanguinis obnoxium, cum magnis copiis adjutorem sibi conciliavit. Et cum jam simul conjunctis viribus appropinquarent castris adversariorum ex itinere fatigati quietem exposcunt, nonnulli ex ipsis cupiditate prædæ, an audaciâ ducti, nescitur, aliis ignorantibus temerariè, nec acie instructâ incendia struunt, spolia ducunt; quos hostes insecuti, in reliquos dormientes irruunt, & per obscuram noctem sternunt, cædunt, & turpiter profligant. Guidone Episcopo capto, Principe verò (i) Wilhelmo ex Comitibus de Hoern majore Præposito cum pluribus Nobilibus occisis; Wilhelmo Principe vix per fugam in Zyrixzee erepto. Interim apud Trajectum ortâ contra mutua fœdera seditione Iacobus Lichtenberch auctor (k) cædis Wilhelmi Episcopi occiditur cum plerisque aliis. Guido verò Comes jam toties victor, secundam sequens fortunam, Hollandiam intrat, oppida pleraque in deditionem accipit. Pars etiam cessit Iohanni Duci Brabantiæ: Ac Trajectum procedens, regimen urbis sibi vendicat, constituens (l) judicem. Et Ecclesias tentavit, ut abrogato Guidone Episcopo, Wilhelmum (m) Iuliacensem eligerent, ac parum abfuit, quin desiderii foret compos, nisi exurgentibus Kenemaris ac Frisiis Occidentalibus residui defecissent, trucidantes quotquot ex hostibus invenere; unde non absque confusione receptui canens cum instructioribus copiis oppidum Zierixzee rursum circumcingit arctius solito ac assiduo ariete, catapultis, machinis bellicis, balistis, & omni genere missilium ac saxorum violenter oppugnat. In hâc angustiâ constitutus Wilhelmus Princeps quotquot potest auxilia congregat, cui Philippus Rex Francorum ingentem classem mittit suppetias, cum quibus junctus X. Augusti mensis, quæ fuit Laurentio Martyri sacra in hostes secundis velis prosilit. Pugnatum utrinque acerrimè, per diem ac noctem continuam auditur mirabilis armorum ac telorum fragor: tandem Guido inferior factus post cædem cruentam à Præfecto classis Regiæ capitur, suis ferè omnibus ex tantâ pugnâ fessis, facilè cæsis aut submersis, procuratumque fuit ut pro Guidone Comite Guido Episcopus relaxaretur per commutationem à captivitate. Præcessere multa prodigia hanc cladem, & signa visa in cœlo præsagientia. At Iohannes de Renesse, quem Wilhelmus Trajecto pellere constituerat, rebus suis diffidens, dum Rhenum navigio transire festinat, pondere armorum pressus, (n) submergitur. Hic infestissimus Comitibus Hollandiæ, Cæsarem atque Flandriæ Principem, aliosque populos in eos ad arma concitaverat. Injuriâ itaque provocatus delatione Præfecti Veriensis (cujus suprà meminimus,) cui Comes nimium detulit atque credidit. At Iohannes tantâ filii victoriâ nimium lætatus, ultimum naturæ persolvit debitum V. Idus Decembris, sepultus Valentianæ oppido, quod prisci Fiscum Regium cognominarunt in confinibus Imperii Germani ad Schaldim fluvium sito, postquam rexisset Hollandiam (o) annis quinque. Sequitur mense Aprili proximo Philippa & thori, & sepulchri socia. At Wilhelmus Princeps exaltatur Comes; XVIII. In Hollandiâ vir magni nominis & famæ, ob clara gesta. Duxit uxorem Io-

Pugna inter Regem Francorum & Comitem Flandriæ, anno 1302.

1304. Walachria à Flandro oppugnata.

Hollandus Walachria excedit.

Guido Comes Flãdriæ Hollandiam occupat & Trajectum.

Iterum tentat Zierixzeam in Zelandia.

Guido Comes Flãdriæ capitur, & pro Guidone Episcopo solvitur.

Iohannes Renessius Hollandiæ hostis in Rheno submergitur.

Præfectus Verens. delator Renessii.

annam Valesiam sororem Regis Franciæ, ex quâ genuit Margaretam Augustam, Ioannam uxorem Comitis Iuliaci, Philippam Reginam Angliæ, Wilhelmum successorem, atque adhuc geminam prolem. Guido verò Episcopus jam restitutus, quo amplius Dominium sibi vendicaret, nitebatur, & Iurisdictionem Ecclesiæ S. Ioannis sibi usurpare. At ubi conceptum ratione fundare nequiret, primo sententiam Prælatorum exegit, qui definierunt solam Ecclesiam S. Iohannis in ditione S. Martini habere jus gladii, hoc non contentus gestivit audire judicium Parium. At illi confirmarunt eandem sententiam, adjungentes, nisi si quis alius per literas & privilegia similem Iurisdictionem probaret. Tum contentus confirmavit (q) quæque Ecclesiæ concessa. Adhuc (r) continua mansit discordia inter cives Traject., & filium fautoresq; illius de Lichtenberch, & commissis extra (s) urbem aliquot præliis prævaluêre cives. Circa hæc tempora, anno videlicet M CCC VIII. delentur per orbem universum Professores, quos Templarios à custodiâ templi Hierosolymitani vocitant, consensu Romani Pontificis, atque Regis Franciæ, plus invidiâ opum quibus abundabant, quam criminis alterius damnati. Secuta (t) fames inaudita post Hierosolymitanam sub Tito nulli secunda, quæ magnam partem mortalium miserè consumpsit, carnibus crudis atque herbis incoctis ad restinguendam sitim, & inediam non suppetentibus. (u) Creditum est in ultionem sceleris perpetrati. At Guido Episcopus dum animum intendit ad sua quæque confirmandum arces ruinam minantes instaurando, & novas fundando, quo securius suis consuleret, & Frisiorum rebellium motus comprimeret, evocatur (x) ad Concilium Viennense à Clemente quinto, à quo humaniter acceptus, galerum (y) purpureum, (qui insigne Cardinalis est) sponte oblatum, respuit. At Philippus Rex considerans integritatem & modestiam viri, annua (z) ei designat ex publico ærario stipendia, quo fœdere perpetuo amicitiæ illum sibi devinciret, elaborans Comites Hollandiæ atque Flandriæ componere. Interim nonnullis Frisiis motum concitantibus, revocatus solâ sui præsentiâ, arcem Vollenhove liberavit obsidione, & seditiosos ad deditionem compulit; licet non spernendum contraxisset exercitum, qui tempestate coactus fuit retrocedere. Conspiciens itaque Guido sese alieno ære admodum gravatum, quo parcius viveret, rediit in Gallias, annis aliquot illic more privati degens ab anno M CCC XI. usque ad annum XVII. nemine in absentiâ suâ quicquam innovante. Reversus animadvertit in pravos ac sceleratos quosque juxta exigentiam delicti. Tutores autem Principis [aa] de Goey rationem curationis reddere recusantes, compulit ut redderent, obsessa arce illius, atque dedita; & paulo post, cum suis curam illius commisisset, viribus destitutus, decessit (bb) 4. Kal. Iunias, anno suprascripto, cùm præfuisset annis XVI. Sepultus in Ecclesiâ majore cum pompâ funerali. Expulsis verò suis ex arce Ghoey, auditâ ejus morte tutores priores curandi onus resumpsere. Constrinxit inter cætera tres arces, (cc) furores, & audaciæ vulgariter dictas, Dollenburch, Ghore, Stoutenborch. Solvit Fisco Apostolico debita maxima per prædecessorem suum contracta, relinquens Episcopatum ab omni onere liberum, quem potenter rexit atque protexit contra quosvis Principes in vitâ. Wilhelmus verò Comes defuncto patruo, rursum sibi usurpavit Dominia per Iohannem patrem restituta tanquam hæreditaria, cùm spectarent Ecclesiam. Et Henricus Imper. anno M CCC XIII. porrectâ per Bernardum quendam professorem ordinis Divi Dominici Eucharistiâ (dd) veneno intinctâ sublatus est. Et successit Ludovicus Bavarius, fuit crebrò ab aliis tentatum, ipsum Imperatorem aquâ venenatâ, caliceque aureo toxicato sustollere. Sed magistri præcipui Ordinis Prædicatorum ultimi mali auctores fuere, acceptis à Regibus Franciæ, Siciliæ atque Navarræ, ac præcipuè Tarentino XL millibus aureorum, qui hunc jusserant tradere venenum. Præcessere præsagia mortis Cæsaris, quæ ille tanquam somnia contempserat.

Guido Episcopus auget Iurisdictionem suam.

Templarii exstirpâtur, Anno 1308.

Fames ingens.

Guido Episcopus evocatur ad Cõcilium Viennense.

Frisii quidâ rebelles à Guidone compescuntur.

Guilo Episcopus moritur.

Episcopus ab ære alieno liber.

Dominicanus Imperatorem venenata hostia tollit è vita.

i *Aliis Rodolphum ex Com. de Waldeck,*] Adolphum scribere voluit Heda; sic diplomata & sigilla exprimunt: De eo Chron. Markanum Levoldi à Northof: *Anno* 1301. *Adolphus de Waldegge Præpositus Trajectensis, Ecclesiæ Leodiensi per Bonifacium* VIII. *præficitur.* vide quæ de eo ad Bekam dixi.

k *Nam ex fratribus ejus*) Vide stemma Avesnensium apud Aubert. Miræum in notitiâ Eccl. Belgii cap. 219. ubi traditur quod Iohannes Avesnensis Burchardi & Margaretæ Flandrensis filius, ex Aleyde sorore Guil. Hollandi, Germ. Regis genuerit, præter Ioannem Holland. &c. Com. Burchardum

ardum Metensem, Ioannem Cameracensem. Guidonem Vltraject. Episc. ac Florentium Achaiæ & Moreæ Principem, jure uxoris Isabellæ Guil. Vilharduini filiæ. Quem hic noster Moriennæ Principem vocat, putassem Mortaniæ legendum, quod dominium ad Avesnenses jam ante pertinuisse legeram, nisi aliter ab ipso Miræo doctus fuissem. Chronicon quoque vulgare Merianæ Principem nominat.

c *Licet & cives Tr. & alii inter se digladiarentur.)* Erant tunc temporis in urbe duæ factiones; una Lichtenbergiorum, alia Fresiorum; quæ inter se depugnabant assiduò: atque hinc cædes plurimæ fiebant, tam intra quam extra urbem. Quæ verò caussæ dissidiorum, liquidò traditum non reperio, hoc interim patet, Lichtenbergios magna cum Episcopo Wilh. odia exercuisse: quorum illum insidiis in urbe captum, ac anno demum 1301. prælio, extra urbem, pro urbis imperio certantem, occisum constat. Magnorum hæc factio virorum etiam ex Hollandis confœderatione potens fuit. Adversarii verò horum, Antistitis forsan partes (nisi relliquias has fuisse, ab illa factione qui inter patritios & plebem ante 30. tum annos inchoata fuerat post Kenemariorum tumultum velis), primùm foventes atque inde ob illatas injurias privata damna prosequentes, continuarunt. Ex Lichtenbergiorum parte cæsos D. Iacobum Lichtenbergium, D. Wernarium Friderici filium, D. Gerardū Vrenckium Scabinos Tr. indubitatis monumentis constat, ut & ex adversâ parte Arnoldum de Veno, & Petrum de Swane. Has factiones inter se coire fecit & reconciliavit Magistratus constitutâ infractoribus capitali pœnâ, idque Mercurii die post magnas Bacchanaliorum ferias, sub civitatis magno sigillo, & sigillis principum factionum, quorum hæc ibi nomina recensentur; Lambertus de Vrese equestris dignitatis vir, Harmannus Teutelaert, Harmannus de Velde ex Magistratu, D. Machelmus, Wilhelmus Amelraet, Giselbertus filius Domini Giselberti, Lubbrechtus de Hogestratē, Haremanus Fil. Domini Iohannis Teutelaert, ex una; & Iohannes Vrencke, D. Tidemanni Vrencken F. Iacobus de Lichtenberch, Alphardus de Lichtenberch filii Iacobi Ioannis filii, Wilhelmus de Rodenburg, Vredericus de Rodenburg, Iohannes Fr. D. Warneri, Iohannes, D. Harmanni Hārberti fil. cives Trajectenses, ex alterâ parte. Horum ita proximè ad vernaculum sermonem nomina expressi, ut inde ejus temporis mos, in exprimendis etiā magnæ alioqui dignitatis virorū nominibus cōstaret domini a. appellatio addita iis, qui vel equestri dignitate vel Scabinico officio clari essent. Annales vulgares quoq; meminerunt harum factionum ad annū 1304. Cum a. post malè servaretur hæc pax & à parte Fresiorum infracta videretur, pluresque cædes & tumultus Episcopo Guidone à Flādris capto, orti fuissent, anno 1310. illo reverso accedente Magistratu Vrbano, nova reconciliatio inter partes facta: & in perpetuum exilium acti D. Lambertus de Vrese, D. Harmannus Teutelaert, Lubbertus filius ejus, magnus Giselbertus & alii, qui isti reconciliationi acquiescere noluerant. Vt literæ quæ etiam hodie conservantur, plenissimè continent; ut sequitur:

Wy Guye byder genaden Gods Bisschop t'Vtrecht/maken cond allen Luden/dat dit onse seggen is/ eñ der stadt van Vtrecht/ alse vanden dreen doden/Haren Jacob van Lichtenberg/Haren Wernaerts/eñ Haren Gerrit Vrencken/daer God de sielen of hebben moet/eñ horen magen op de eene syde/en de ontschuldigen magen Haren Lambrecht Vresen/Haren Harmen Teutelaerts/ Lubrecht zijns soons/Grote Gysen/Machelems zijns broeders/Willem Amelraets Huge zijns broeders/ Gerrit vanden Vene/Willem Rochaerts/Johan Bollaerts/ Gerrit vander Meere/Heynen Loeff/ Coppe Pamelekijn/Kerstiaens Jolen/eñ Haren Harmans vanden Velde/ eñ van horen kinderen / horen broeders eñ allen horen magen/zijn sy Papen/zijn sy Lapen/eñ vā allen dien genen die hore helpers hebben geweest in desen stucken/uyt-genomen Haren Lambrecht de Vresen: den handadigen die hier voor genaemt zijn by namē/ op d'ander syde/in dere manierē/ dat alle dere handadige kinder broeder eñ magen of-stallinge doen sullen vanden handadigen / alse recht eñ woent is inden Lande van Vtrecht/eñ wy vinden/ Eñ Gerrits kinder vanden Vene ende haren Maghen sellen oervede doen van derer dreen doder Magen/ende harer helperen/alse van Arnouts dode haers broeders/ Wessels van Everdingen/Harmans van Everdingen/Willems Arnouts Neve/ ende anders hore Mage de doot gebleven zijn in dese oorloge/ ende horen broeder sellen sy graven doen/ tusschen haer eñ S. Peters dage tot ingangen Oest naestcomende/ voort sullen sy ofstallinge doen den van Everdingen die ondersoent zijn/ Voorts so maken wy Guido Bisschop t'Vtrecht by wille der stadt van Vtrecht ballingen/ Heer Lambrecht de Vrese/ H. Harman Teutelaert / Lubbert sijnen sone/ Grote Gisen etc. (ut supra nominati) ewelcken te blyven upter stadt Vtrecht/ eñ uyt onsen gestichte/om deen moort deen sy gedaen hebben/ want sy aens ons ende aender stadt niet blyven en wilden/ alse weder in sonen/ alsoo alset met hem ghesprooken was / ende sy ghesegет hadden eer sy upter Stadt vooren/ want aen hem versocht werdt van onsen weghen ende vander Stadt weghen te Gorchem

des

des men goede oirconde heeft aen goede lieden / voort is onse segghen ende der Stadt / dat deser voorgaende handadigher kinder / broeder ende magen maken sellen een Outaer binnen der Stadt van Utrecht / ende dat alsoo renten datter een Priester op singen moghe / ende daer toe renten te geven ten vijf Canonisten tot Utrecht / daermen Jaerlickx memorie mede doen moge voor der drier doder sielen voornoemt / alsoo groot als ons ende der stadt mogelicke dencket wesen / ende dit gelt sellen gelden de genen daer wy 't op setten / ende hier mede sullen de voorsz. hantdader W. Rockaert / Joh. Bollaerts / G. vander Mare ende allen haer helpers ghebooren / ende ongheboozen / wettelicken ende ghetrouwelicken versoenet wesen vander dreer voorsz. doot / ende men sal hem weder oervede doen als recht / ende woont is inden Lande van Utrecht / ende dese offtal ende oirvede sellen thans doen alle die gene die hier tegenwoirdich zijn van beyden sijden / ende de hier nijne zijn / ende binnen slandts zijn die sellent doen binnen 14. nachten na desen dage tot Utrecht / voor ons ist dat wy daer zijn / ende ist dat wyre nijne zijn voor onsen bode deene wy 't bevelen mit onsen openen brieve ende voor dese stadt / ende de buten Lants zijn de sellent doen binnen 14. nachten na hare compst sonder alle arghept. Ende dit Outaer sellen geven H. Jacob van Lichtenberch / Haren Johan Drencken eñ Johan Haren Drederickxsoon eenen Priester eerst daer 't hen denckt wel an bestet wesen / ende na des Priesters doot so sal die gifte daer van eewelick blyven aenden Bisschop van Utrecht ende de stadt / Ende so wie aen onsen seggen niet blyven en wil / noch onse seggen niet houden / d'een sellen wy Gwye Bisschop t'Utrecht by wille der stadt van Utrecht ballinghen wisen gelijckme den andere hantdadigen voor-genoemt / ende geviel eenich stoet in deser sone / dat souden wy een ons verclaren / Ende om dat wy willen dat de soending vaste ende stade blyve / so hebben wy desen brief besegelt mit onsen segel / ende mitter stadt seghel van Utrecht die dit seggen mede geseget hebbe / Gegeven in 't Jaer ons Heeren 1310. In Sint Johan dage Baptist te midsomer / tot Utrecht.

d *Cui Ioannes C. Holl. restituerat Eccl. ablata ante dominia,*] Imò ferunt extare literas, quibus Ioh. Hannonius Fratri Domino Guidoni donat bona, quæ olim ad Harmannum Woerdeniū, Gysbertū Amstelium, Gysbertum Isselsteinium, Arnoldum Benscopium & alios participes cædis Florentii Comitis pertinuerunt &c. Quæ tamen si secundum jura & æquitatem interpretari voluerimus, ea tantùm bona hac donatione compræhensa videbuntur, quæ Comiti Hollandiæ obnoxia erant; non autem quæ ad Episcopum spectabant, quæ ipse ob Vasallorum delicta occupare minimè poterat; Quod & jure feudali affirmatissimum est. Attamen aliud fecisse Hannonium post mortem patrui in fine hujus capitis hic idem auctor testatur;

e *Consigit atrox pugna,*] Meyerus prælium hoc Curtracense pluribus accuratè describit lib. x. Annal. Flandr. sed Philippum Regem non Crassum, sed pulchrum, appellat, ut & Paul. Æmylius lib. 8. rer. Francicarum, ubi Curtriacensem Victoriam, temeritati Rob. Atrebatensis à Flandris adeptam adscribit. Et cum eo Tilletus de Regibus Franciç, Guaguinus lib. 7. hist. Franciæ, Massonus lib. 3. Oudegerst in Annal. Flandricis cap. 138. Exterorum H. Stero in Annal. ad ann. 1302. ubi sic ait: *Mense Iulio prope Cortracum fuit campestre bellum inter Gallicos & Flandrenses, ubi flos militiæ Gallicanæ miserabiliter cecidit,* &c. Hæc ferè ad eundem annum Annal. Henr. Rebdorffii.

f *Auctoribus Iohanne & Hugone de Arckel,*) Apud neminem horum ulla mentio præter Bekā, quod etiam notavit Mejerus, loco supra laudato. Renessium autem Hollandiā exulem, cum Selandis nonnullis, huic prælio interfuisse plures referunt. Neque apud *Genealogicos* Hugonem Arckelium reperio hoc tempore; & Ioannes cujus vires extollunt supra modum, ante annos plures (si Gouthovio credendum erit) jam obierat.

g *Anno* V. M CCC IV. *Guido Com. Flandr.*) Hoc bellum prolixè in Annal. vulgaribus & Gerbrandi describitur: hec tacent Flandrici, atque etiam Francici; videndus & de eo diligentissimus scriptorum Scriverius.

h *Usque Cassandriam,*) Cassandriam vocant Flandriæ littoribus oppositam insulam, etiam exteris, cū Brugæ celeberrimum Europæ esset emporium, non ignotum, cujus quoque meminit in doctissimis Rhythmis Danthes in Inferno: *Quali i Fiamanghi fia Guizzante & Bruggia.*
Et non indictam reliquit in Flandriæ descriptione Lud. Guicardinus.

i *Principe Wilhelmo ex comitibus de Hoorn,*) Dixi alio loco Hornenses longo post tempore Comites factos, eoque titulo Hedam per anticipationem hic usum credo, non autem quod hunc Wilhelmum summo collegio Præpositum ex Comitibus ortum putaverit. In L. Burchii Guidone videtur Guil. Clivus vocari. Vidi literas in archivis ejusdem collegii, quibus constat anno 1302 Engelbertum ejus fuisse Præpositum, & Archidiaconum, quem anno adhuc 1307. eâdem functum dignitate, in stemmate Hornensi, à Rietwico curiosè satis collecto, discere est.

k *Auctor cædis Wilhelmi Episcopi.)* Hæc confirmant ea, quæ jam dixi de caussis partium in urbe Trajectinâ ortarum; quarum una oppugnabat,altera defendebat eundem: quæ etiamsi semel essent reconciliatæ inter se, iterum tamen captâ occasione ex absentiâ capiti Antistitis exarserunt. vide Stokium fol.79.

l *Constituens judicem)* Quem sculterum vocat Meyerus, Episcopis enim nulla in Magistratu olim creando potestas,nisi in constituendo Prætore, qui idcirco solet nominari mijn gn.h. scout. Et ex eâ ratione Gerardus Knyf vocatur in actis publicis,Prætor Ducis Gelriæ. Cæterùm civibus,de reliquo Magistratu constituendo, libera,sed obscuro votorum ordine, quo ambitus suspicio tolleretur, restabat electio.

m *Wilhelmum Iuliacensem eligerent,)* Erant tunc Iuliacenses Comites, qui post Marchiones, inde Duces facti sunt. Hic autem Wilhelmus de Iuliaco Bello Clericus dictus vulgò,egregius(ut Meyerus dicit)bellator,fuit primùm Præpositus S. Servatii Trajectens. ad Mosam, inde electus Coloniensis Antistes, verùm cum sago quam togæ aptior esset, relicto post pontificatu, bello Flandrico à Francis occiditur, testibus Stokio & auctore Chronici Magni Belg. vide & Chronicon Markanum Levoldi,& Annales Iuliacenses Tesmakeri.

n *Pondere pressus submergitur,)* Vide Rhytm.Chron.Stokii & quæ ad Bekam notavi.

o *Postquam rexisset Hollandiam ann.v.)* Anno nempe Christi 1305. ut tradit Bockenbergius. Barlandus verò *hâc victoriâ*[inquit] *filii auditâ Ioannes Com.multùm lætatus, paucis post diebus, mense septembri, anni* 1304. *vitâ decessit.* Huic concinit Meyerus ad eundem annum quartum post millesimum trecentesimum.

p *Nitebatur & Iurisdictionem Eccl. S.Ioannis sibi usurpare.]* Utuntur etiam hodie Præpositi altâ quidem jurisdictione, concessione Capituli, & jure gladii, at supremum & principale ap: Ordines nomine Principis remanet. Sententia de hac re extat, quæ sequitur.

UNiversis &c. Nos Iohannes de Bronckhorst D. grat. Præpositus, Decanus & Capitulum Salv. Traj. Notum facimus quod nos propter communem sententiam sæpius coram universali EcclesiâTrajectensi, coram vasallis & ministerialibus ipsius Ecclesiæ Trajectinæ, Domino nostro Episcopo hanc sententiam petente, publicè promulgatam dedimus; videlicet, quod nulla persona Ecclesiastica vel sæcularis inter Nodam & Bodegraven,intra fines temporalis Territorii Episcopatus Traject. habet jurisdictionem temporalem altam, quæ hooch-gericht *vulgariter nuncupatur, nisi tantum Dominus noster Episcopus Traj. nisi forsan aliqua persona Ecclesiastica vel sæcularis posset hoc per patentes literas vel privilegia edocere. Et quia Ecclesia nostra non habuit, nec habet in præsentiarum aliquas literas vel privilegia super altâ Iurisdictione Dominii de Haestrecht; prout nos, Decanus, & Capitulum tempore quondam Domini Philippi de Almeloe Præpositi Ecclesiæ nostræ B. M. coram universali Ecclesiâ confessi fuimus,recognoscimus quod ad prædictum Dominum nostrum Episcopum in Dominio, & terrâ de* Haestrecht *ad Præposituram Ecclesiæ nostræ spectantem, alta jurisdictio, & jus aggerandi,quod vulgariter dicitur* Schouwe, *tanquam ad superiorem dominum dignoscitur pertinere. In cujus rei testimonium nos Præpositus sigillum nostrum, & nos* Decanus *& Capitulum prædicti sigillum Ecclesiæ nostræ præsentibus literis duximus apponenda.* D*atum anno Domini* M ccc *quinto-decimo feria* v. *post. Mar. Magdalen.*

Confir-

q *Confirmavit quoque Ecclesiæ concessa)* Etiam civibus Trajectensibus sua jura & privilegia confirmavit, ut patet ex diplomatibus quæ hic sequuntur:

IN nomine Domini, *Amen. Guido de Hannoniâ* D. *gratiâ electus & confirmatus in Episcopum Trajectensem, Universis præsentes literas inspecturis æternam in domino salutem, & cognoscere veritatem. Noverint tam præsentes quam futuri, quod Burgenses civitatis Trajectensis, nec de jure, nec de aliquâ consuetudine tenentur imitari aliquem Episcopum Traject. ulterius quam ad muros civitatis eorum, nisi hoc facere voluerint de bonâ voluntate eorum. Et quoniam hoc juris & consuetudinis eorum est ab antiquo, nos hoc jus eorum & antiquam consuetudinem recognoscentes & approbantes, præsentes literas dictis civibus Trajectensibus porreximus sigilli nostri munimine roboratas.* Datum *& actum anno Domini* M ccc *secundo feriâ quartâ ante ramos palmarum.*

NOS Guido de Hannoniâ Dei gratiâ electus & confirmatus in Episcopum Trajectensem omnibus præsentia visuris notum facimus; quod nos dilectis fidelibus nostris Scabinis, Consulibus & universitati Trajectensi, præsentium conservatoribus, si evidens Ecclesiæ & civitatis nostræ Trajectensis necessitas exegerit, ecclesias, domos, & alias structuras extra muros Traject. constitutas, per quas ipsi civitati posset periculum imminere, frangendi, prout expedire videbitur, licentiam, duximus concedendam. Si quis etiam in præmissis fuerit contradictor, cum prædictis civibus nostris in hac parte constanter volumus permanere. Datum *Trajecti, Anno* Domini M ccc *secundo.*

GUido de Hannoniâ Dei *gratiâ electus & confirmatus in Episcopum Trajectensem, Universis præsentes literas inspecturis salutem in* Domino *sempiternum.* T*enore præsentium protestamur: Quod cum dilecti nostri Sculteus, Scabini, Consules & universitas civitatis nostræ* T*raject. se nobis obsequiosos exhibeant in omnibus & devotos, nos eorum devotionem grato prosequentes affectu, ut devotiores reddantur meritò ex devotis; ipsos tanquam dilectos nostros nec non hospites mercatores dictam civitatem nostram Trajectensem cum suis negotiationibus frequentantes ascendendo & descendendo per aquã, quæ* vecht *vocatur, cum libertate & jure eorum quæ hactenus habuisse cognoscuntur conservabimus sicut tenemur & liberaliter defendemus &c.*

prout ſupra in literis Henrici Epiſcopi habetur, ita verò finiunt. *Datum in civitate Trajectinâ, anno Domini* M CCC *ſecundo, feria quarta ante ramos palmarum.*

Cum præterea ad manus meas pervenerint literæ hujus Epiſcopi, continentes varia privilegia confirmata, & de novo conceſſa civibus Trajectenſibus; ſed vernaculâ linguâ conſcriptæ, cujus energia & vis cum Latinè exprimi haud commodè poſſet, operæ pretium duxi eaſdem ſuis verbi[illegible] erioribus adjungere:

WY Ghye byder gn. Goods Biſſchop t'Utrecht maken cond/etc. Dat wy om goeden wille die wy hebben tot onſer ſtat van Utrecht/die in paiſe ende vrede te ſetten/ende om den dienſt die ſy ons gedaen hebben etc. wy haer gegeven hebben eewelick te dueren. Inden eerſten: Dat wy onſe ſtat van Utrecht houden zellen alſulcke brieven / als ſy hebben van Keyſeren of van Roomſche Coningen / eñ ten voirſten den brief die ſy hebben van onſen Oom Coninck Willem/ ende betogen mogen ſonder weder-ſeggen / voirts ſo waer die Borgeren van Utrecht beteren mogen haren weg ende hore diepe / die van oudts gelegt hebben ende die ſy van nieus gemaect hebben die tot hare ſtat-waert gaen/ dat wy daer toe helpen ſullen trouwelicken / ende alſulc gelt alſe wy metten raet vander ſtat van Utrecht daer op leggen die weghe ende die diepe mede te houden alſe redelicken is/ dat wy dat ſtercken ſullen/ ende dat lant vanden nieuwen wege die gemaect is ſel die ſtat gelden alſe lant-recht is aen beyden ſyden. Voort ſellen wy de ſtat van Utrecht alle onrecht of doen binnen onſen Lande waerment hum doet/ ſo verre wijs macht hebben / Voirt ſel die Raet vander ſtat ſchepenen kieſen van jaer te jaer daerſe gebreken/alſe der ſtat orbaer is / ende wy ſellenſe eeden/ Voirt wat Borger t'Utrecht eenen anderen Borger ſloege binnen de ſtat van Utrecht/ ende waer dat hine doot ſloege / werden hy ghegrepen / dat geen goet voor zijn Lijf te bieden en zel weſen / ende ontginghe hy / dat hy balling weſen ſal uyt onſer ſtat ende Lande van Utrecht C. jaer ende eenen dach/ ende ſo wie hem voorſtonde dat die alſoo ſchuldich waer als de handadige / daer mede zellen die magen vriende quite weſen vander ondaet die den ondadighen man toe-behoren. Voirt dat elck Coopman varen en keeren mach totter ſtadt van Utrecht vrilick met zijn goet / oeck wat oorloge inder ſtat ofte inden Lande vallen mochte/ des dat de oorloge ons niet toe en behoirde alſe tegens onſer ſtat Utrecht/behouden ons rechts/ ende ſo wie dien Coopman venge oft rovede / dat wy den Coopman 't zijne weder zellen doen geven van des genens goederen die dat ghedaen hadde / ende nochtans zellen wy de miſdaet doen beteren alſt recht is/voirt deſe voirſz. punten der Ghilden recht ende hoir brieven die ſy gemaeckt hebben / ende by ons noch maken zellen/ ende aldaer datter gemeene ſtat orbaer is ende ere dat zel wy voirt ſetten ende vorderen met goeden trouwen: ende om dat wy willen dat alle deſe punten vaſt ende ſtade blyven/ ſo hebben wy deſen brieve beſegelt met onſen ſegele / ende hebben gebeden H. Jan Abt van S. Pauwels / Broeder Dirck van Hollant Commanduer vanden Duytſen huyſe / ende Broeder Dirck vander A Commandeur van Sinte Catarinen tot Utrecht / dat ſy in oirconde hier of mit ons deſen brief beſegelen met horen ſegelen / ende wy etc. om bede ons Liefs H. Biſſchop / hebben in kenniſſe der waerheydt deſen brief beſegelt met onſen ſegele / Gegeven int jaer ons Heeren M CCC ende v. den Sonnendach na Sint Marten / tot Predelant.

r *Commiſſis extra urbem aliquot præliis prævaluêre cives)* Hujus unius pugnæ pictura ſuperfuit etiam nuper in choro templi Iacobæo.

ſ *Anno* 1308. *delentur per orbem Profeſſores quos Templarios &c.)* Multa in utramque partem, pro & contra hos literis tradita ſunt; queî de re vide Platinam in Clem. v. Pontif. Papir. Maſſon. Annal. Franc. lib. 3, Ioann. Villaneum lib. 8. hiſt. Annal. Steronis ad ann. 1310. & ſeq. Crantz. Metrop. lib. 9. cap. 6. Saxoniæ lib. 9. cap. 3. Appendicem ad Polonum in Clem. V. ad annum 1312. ſeqq. & in Henr. VI, Imp. Aventinum Annal. Boiorum lib. VII. P. Æmylium lib. 8. hiſt. Franc. in Philip-

po pul-

po pulchro. Gaguinum lib. 7. in eodem Philippo, Chronicon Maſſæi lib. 17. ubi id factum anno 1307. fertur: & anno demum 1311. in Viennenſi concilio ordinem Templ. damnatum. Nauclerum vol.2.Chronograp Gener.44. Chronicon Car. lib.3.ed. Venetæ, Peucerum ad eundem, Carion.lib.v. Franciſcum Mennenium in Deliciis Equeſtrium, Marianam Rer. Hiſpan. lib. 15. cap. 10. Balæum lib. vi. de Pontif. Rom. in Clemente V. Chronicon Ar. Pontaci in Clem. V. Petrum Crinitum lib.24. de honeſtâ diſcipl.cap.13. Miræi Ord. Equeſtres cap. iv. & v. Nic. Serrarium Rer. Moguntiac. lib.v.ubi agit de Petro 23.Electore Moguntino, Chronic.Magnum Belgicum ex Bernardo, & Alphonoſo,neſcio quibus,ad annum 1307.Pontanum Rer.Danicarum lib. vii. Th. Walſingam in hypodigmate Neuſtriæ ad annum C.1308. & in hiſt.Anglicanâ in Edwardo 2., Hieron Rubeum Rer.Ital.& Ravennatium lib.6, ad annum C. 1307. ubi pleniſſimè Templariorum cauſſa diſcutitur. Abbatem Trithemium in Chronico Spanhemenſi ad annum 1307. & Hirſaug. ad annum 1311, Chronicon Germanorum H. Mutii lib.22.ad annum C. 1311, Faſciculum Temporum Warn. Rolevinck, Raph. Volaterr. Anthropologiæ lib.22.in Clem. V.P.R. Computationem Chronologicam ad annum C.1311, Paul. Langium in Chron.Citizenſi ad ann.1311. Paralipomena ad Abbatem Vrſpergenſem, Prateolum in Elencho Hæreſum lib. 18. Sabellicum Ennea.9.lib.7.Fr.Bern.Lutz. hæret. lib.3. lit. T, Meyerum Rer. Flandr. lib. xi, ad annum C.1307, Vbbonem Emmium in Can. Chronico ad annum, M ccc xi. Lamb. vander Burchium in Amadeo iv. Sabaudiæ Principe. Nic. Vignierium in Chronico Burgundion. ad annum 1313, Bertelii hiſtoriam Luxenburgenſium, Munſterum libr. 2. Coſmogr. Georgium Fabric. Saxon. univerſæ lib.2.ad annum 1316. Tilleti Chronicon Franciæ, ad annum 1308. & 1311, Stephanum Paſquierium in Quæſitis Francicis,lib.3.cap.1.9. Iacobum Breulium Monachum S.Germani pratenſis,in Theatro Antiq. Pariſienſium lib.3, Henricum Pantaleonem in fine libri 3. hiſt. Iannitar. Sed hæc ſufficiant; niſi his addere quis voluerit Antoninum Antiſtitem Florentin.;hiſt.parte 3.tit. 21,cap.3, Ioh.Heroldum,lib.5 ca. 13,Continuatorem hiſtor. Guiliel. Archiep. Tyrenſis, Ioan. Azorium lib.3.Inſtit. Mor. cap.6. Petrum Gregorium lib.xv. Syntagm. cap.33, Hocſemium in vitâ Theobaldi Barrenſ. Epiſc. Leod. Bocatium de ruinâ Principum, Crantzium Wandal. lib. 7, atque Lipſium alibi eâ de re differentem.

t *Secuta eſt fames inaudita &c:)* Hujus ad annum 1315. ſic meminit Chron. Belgicum: *Valida fames invaluit, adeò ut plerique pauperes cadavera pecudum, ſicuti canes cruda, ut & gramina pratorum, ſicuti boves incocta comederent,* &c. pag. 281. Et cum eo Meyerus Ann. Flandr. lib. xi. ad annum ſupra dictũ. Paralipomena ad Vrſpergenſem ad annum 1312. & ſeq. tres; horrenda de hac fame referunt cum Saguntinâ & Hieroſolimitâ conferenda. Geor. Fabritius quoque in Rerum Saxon.lib.11. ad undecimannum attingit,ut & alii ejus temporis hiſtorici.

u *Creditum eſt in Vltionem ſceleris perpetrati,)* Nempe contra Templarios. Nam à Papa Clemente in favorem Regis Galliæ illos crimine hæreſis falsò & invidiosè notatos plures ſcripsêre.

x *Evocatur ad Concilium Viennenſe à Clemente)* Generale id Concilium Viennæ apud Allobroges celebratum juſſu Clementis V. Galli, anno 1311. teſtibus Onuphrio in Chronico Eccleſiaſtico, Bellarmino Chronol. parte alterâ, Carione in Chron.lib.3. Annalibus Hainr. Rebdorfii in Clem. V. & H.Steronis, Papirio Maſſonio Ann.Franc.lib.3, ubi acta ejus conſilii quædam referuntur.

y *Galerum purpureum ſponte oblatum, reſpuit,)* Meminit hujus rei Trithemius in Chron. Hirſaugienſi ad annum 1311. his verbis. *Anno Henrici Abbatis II. Clemens Papa V. Concilium Viennenſe celebrandum indixit, quod biennio duravit, &c. Eodem anno Guido Epiſcopus Tr. veniens ad concilium Viennenſe à Papâ Cardinalis factus eſt, mediante rege Francorum, & quibuſdam Card. quanquam Trajectenſi Eccleſiâ contentus ſe Cardinalem non geſſerit.* rem innuunt quoque Beka, Barlandus, Bockenbergius, & alii.

z *Annua deſignat ex publico ærario ſtipendia,)* Beka quantitatem exprimit 500.libb.& ex eo Chronicon Belg. Io: Gerbrandus, & Annales vulgares.

aa *Tutores a. Principis de Goy,)* Vocabulũ illud, Principis, Heda nimis imminuit domini vel Satrapæ meliùs dixiſſet, Goyenſes enim etiamſi Burgravii, vel Comitis tit. aliquando uſi ſunt, gradum tamen nobilium miniſterialium ſupergreſſi non ſunt. Tutores exprimit Beka; Iohannem Culenburganum & Nicolaum Catzium: Culemburgii noti ſunt, verùm an Nicolaus Catzius is ſit cujus extant literæ, & ſigillum, in quo nomen ejus Nicolai de Hadewaert woude militis anni 1274, vel ejus filius quoque Nicolaus Catz dictus aliis conſiderandum relinquo, nam & Catzios invenio, in Zeelandiâ & Brabantiâ alios.

bb *Deceſſit 4. Kal. Iunias anno ſupraſcripto)* Alii habent Iulii anno 1317. Barl. ait *ſubitâ vi morbi preſſum obiiſſe anno initæ dignitatis* 16. Cui adſtipulatur Gerardus Noviomagus, in Epitaphio quod meo adhuc tempore extabat, legebatur An. 1316.4.Kal.Iunii, idq; contra omnes, in Anniv.S.Petri in Majo; ſic enim ibi legitur, *Anno* 1317. *ob. Guido de Hannonia Epiſc. Traj.* & ſi bene calculum poſueris a. caeſo.4. Non.Iulii anno 1301, Wilhelmo; uſque ad 4. Kal. Iunii 1317. ſi intervallum electionis detrahas, xvj. anni numerabuntur.

cc *Conſtruxit tres arces, Dollenburch, Gore, Stoutenberch.)* Dollenburch in Betuâ contra oppidum Renenſe, in Marſiâ ſita videtur, ubi nunc feudum Caſtrenſe Thollenburch, ſic enim nominandum, videtur, non Dollenburch; cujus extat in Elencho Feudorum Gaeſbekenſium circa annum 1510. memoria. Gora arx in Tranſiſſulanâ ditione à Gorenſi fortè Comite poſſeſſa. Stoutenberch cujus ante in Henrico Epiſcopo mentio facta eſt ab Amersfortiis condita, & in Epiſcopum tranſlata hodie adhuc

adhuc superat castrum & in Stellenewerff condidit, quod Frisii, ut testantur Emmius & Hamconius, paulò post diruerunt.

dd *Porrectâ per Bernardum quendam Eucharistiâ veneno tinctâ)* Hæc Scriverius in notatis ad vulg. Chron. plenissimè, negare tamen quidam nullius frontis homines inverecunde audent: quod à gravissimis ejus temporis scriptoribus, multis additis circumstantiis, affirmatur. Vide continuatorem Vrsperg. in Paraleipomenis. Crantzium lib. 9. cap. 7. ex Ptolomeo Lucensi Italo, qui per illa tempora floruit, Cuspinianum de Imp. Rom., Iacobum de Strada in Thesauro Antiq., Meyerum in Annal. Flandr. Aventinum Annal. Bojorum lib. 7. Ioan. Bapt. Egnatium Ven. de Princip. Rom. lib. 3. Balæum de Pontific. Rom. in Clem. V. Annales H. Steronis ad annum 1313. Gobelinum Cosmodromio, æt. vj. cap. 86, Geor. Fabritium rer. memor. Saxoniæ lib. 2. in Henrico VII, Sebastiani Munsteri Cosmograph. lib. 3, Car. Chron. lib. 3, Peucerum Chronicor. lib. 5. Vbbonem Emmium hist. Fris. lib. 13. ad annum 1313. Nauclerum, Chron. vol. 2. Gener. 44, Paul. Langium in Chron. Citiensi, qui penè omnibus in Chronicis id haberi tradit. Fasciculum temporum Wern. Rolevinck, H. Mutium Chron. Germ. lib. 23, Platinam in Clem. V. Volaterranum Antropol. 23. Compilationem Chronol. ad annum 1312, Chronicon Massæi lib. 17. Heliam Caurianum historiæ Brixianæ lib. 7, Blondum lib. 9. 2, Decad. Benevenutum de Rambaldis in libro Augustali, plures Italorum genus mortis tacent. Trithemius & Bertelius aliique pauci ex professo contradicunt. Ex Corio secundâ parte hist. Mediol. diem mortis habemus 23. Augusti.

Hoc tempore annus à nativitate Christi numerari cœptus cum antè à conceptione domini initium cepisset.

Episcopi verò potestas puniendi circa hæc tempore in lib. Cameræ Ecclesiæ & Veteri Cod. Civ. Tr. sequentibus verbis exprimitur:

" Episcopus ex officio suo potest punire fures, Latrones, pacis violatores, ut & virginum & mulierum violatores, corruptores, raptores. dominium suum temporale usurpantes, homines captivantes, vel captivos tenentes, [quibus hoc, ratione Iurisdictionis non competit] incendiarios, ecclesiarum effractores, & in casibus similibus qui ondaet vulgò dicuntur, etiamsi nullus conqueratur, secundum sententiam Ministerialium terræ adhoc convocatorum, non secundum arbitrium proprium Delicta verò alia quæ non sunt ondaet / ut sunt homicidium simplex per pugnam inter ministeriales, punire non potest, nisi aliquis sit qui conquiratur: Inter humiles verò qui huysluyde dicuntur potest ex officio, etiam ad nullius conquestionem punire, secundum tamen sententiam Ministerialium, & non ad arbitrium proprium.

Sub hoc etiam Episcopo, Ioannes Episcopus Scopulensis suffraganeus anno nempe 1310. consecravit Ecclesiam Iselsteinensem petente Giselberto ejus loci domino; ut literæ eam ad rem pertinentes, docent:

Fredericus Episcopus XLIII.

POst Guidonem eligitur Fredericus Zyrichius, Præpositus Ecclesię sancti Petri xliii, Episcopus Romæ consecratus, qui cùm ex magnis debitis contractis indigens opum inveniretur, cœpit omnibus suis esse contemtui, contra quem aliqui rebellarunt, incendia & rapinas agitantes, quibus ille virium impos nequicquam resistere tentavit, brevi Episcopatum (quem liberum invenit) penitus exhauriens, multis oneribus rursum involvit. Quapropter ad Reinaldum Comitem Gelriæ confugiens, frustra exposcit pro fide obtenti ab Ecclesiâ beneficii, auxilium contra (a) Vicarios de Lienden, Kesteren, Oemeren, ac illis proximos, qui arcem Dullenborch à Guidone Episcopo factam concremarunt, & multas sibi insidias tetenderunt: Nam paulo pòst Comes à proprio filio captus est. Fredericus itaque eodem jure Wilhelmi Comitis Hollandiæ implorat auxilium, qui haud segniter illi validas accommodans copias, rebelles per (b) Præfectum ferro atque igni in potestatem Episcopi redigit, pœnas dignas persolvere cogit, magnâ mulctatos pecuniâ. Sub hoc Episcopo (c) turris excelsa nimis, quæ Ecclesiæ majori jam imminet, à fundamentis primitus cœpta est mense Iunio, die qui Ioanni & Paulo Martyribus dicatus est, anno M ccc xx; perfectum autem opus post annum LXII. Anno verò XXII. IX. Kal. Iulias aggere interrupto, excurrens Rhenus, agros ac quæque sata circa utramque oram veteris Rheni, usque ad littus Oceani inunda ingentem jacturam adferens. Unde providentiâ Wilhelmi Comitis restituto aggere, pactum est cum Trajectanis, ut eorum curâ atque impensâ illum perpetuò præservarent, ne simile incommodum exoriatur. Quo anno XIII. Kal. Augusti Fredericus Episcopus morbo articulari laborans, concessit naturæ apud Horestum, quum præfuisset annis quinque, sepultus Trajecti in Ecclesiâ majori.

Debitis Episcopatum onerat.

Rhenus exundans agris & satis damnum dat.

Fredericus Episcopus moritur.

Vicarios

a *Vicarios de Lienden, Kesteren, &c.*) Dominos de Lienden; hos tumultus nobis describunt annales vernaculi ex Gerbrando & post hos Impostor ille qui stemma Lindinium ante paucos annos suis mendatiis conspurcatum dedit, & paraphrasi, sed an verâ dubito, ornavit.

b *Per præfectum,*] Per Ioannem dominum de Arckel, Comes Holl. suppetias Episcopo misit ut habent Annales patrii, & ea quæ ad Bekam in meo MS. junguntur.

c *Sub hoc Episcopo turris,*] In annot. M.SS. ad Ioannis Bekæ Chronicon additis, sic legitur: *Anno Domini M CCC XX, in festo SS. Ioannis & Pauli gloriosorum martyr. in medio æstatis, primus lapis fundamentalis de turri Sancti Martini Confessoris & patroni nostri in Ecclesiâ summâ Trajectensi locabatur, & anno domini M CCC LXXXII crux cum ventilabro superponebatur*, quibus non convenit inscriptio in ipsa turri sculpta, quæ talis est:

M. C ter, X bis, semel I: (festo) Paulique Ioannis,
Turris adaptatur, quâ Trajectum decoratur.

Et hic longius abit Heda, nisi hæc concilies secundum opinionem Clariss. D. Professoris I. Liræi; ut Hedam tantùm illius temporis rationem habuisse dicas, quo operi incubuerunt, nec enim continuò ædificationem promoverunt, sed per intervalla, ut in tantis operibus fieri solet, quiescentibus, aut alio occupatis interim latonis. Vel si errasse Hedam vel potius typographum velis, facilis enim in numeris lapsus est, qui in transpositione X & L. fieri potuit.

Extant statuta Synodalia hujus Episcopi anno 1484 impressa Goudæ, ut etiam aliorum Episcoporum, à Ioanne Syrichio usque ad Ioannem Vernenburgium, quæ ap: D. Gisberti Lappium à Waveren I.C. servantur.

Iacobus Episcopus XLIV.

VAcante jam sede, fit non modica civium commotio. Nam cùm sanior pars Sacerdotii Iacobum de Outshorn Decanum, alibi Præpositum majorem elegisset. Cæteri Iacobum Sudensem Episcopum commendatorem ædis Divæ Katharinæ Trajecti ad petitionem Wilhelmi Comitis (cui idcirco à populo comminari visum) postularunt. Videns itaque Suden. Episcopus se suffragiis imparem, nec jure posse aspirare, desiit à cœptis parumper. Sed ubi comperit alium debilitari, nec magnam spem longævæ vitæ adesse, celeri nuncio Romanorum Pontificem, ut dispositioni suæ, occurrente vacatione reservaret, commonuit. Comes verò terrore concussus, indignatus ob furorem populi, arcem amœnissimam in Doirne, & quicquid circumjacebat, Florentio majori Præposito pertinens, in favillam & vastitatem redegit. Iacobus tamen de Outshoirn consecratus primum ab Henrico Archiepiscopo Coloniensi XLIV. Episcopus constituitur, & obtentâ non sine magno ære, quo totam familiam suam enervavit, à Romano Pontifice confirmatione literis Coloniam usque delatis, vitâ functus est, non sine apertâ suspicione veneni, quod per adversarios clàm datum volunt, ubi illius promotionem ratione aut armis impedire nequiverant. Alii scribunt ex morbo incurabili periisse. Decessit eodem anno quo electus est XII. Kal. (a) Octobris, sepultus in majore Basilicâ. Fuit vir omni morum probitate, ac scientiâ & devotione, in religione insignis, sed brevis, Pontificatus impedivit illius gloriam.

Suspicio veneni.

Episcopus vita brevis alioqui probus.

Cum in notatis ad Bekam quædam de hoc Episcopo, & ejus familiâ retulerim, hic eadem repetere visum non fuit, tantùm indicandum duxi, Acta Electionis hujus extare quidem, sed prolixiora quàm ut hic inseri commodè possint.

a *XII. Kalend. Octob.*] In libro memor. majoris Ecclesiæ notatur dies obitus ejus x. Kal. Octobr. S. Mauritio & sociorum sacer.

Iohannis Tertius Episcopus XLV.

MOrtuo Iacobo, eligitur concordibus (a) votis Iohannes ex familiâ eorum de Bronckhorst, Præpositus Ecclesiæ sancti Salvatoris, & illicò administrationi rerum præficitur XLV. Episcopus. Verùm Romanus Pontifex Iohannes XXII. (b) non absque in:

que injuriâ isto abrogato, ad preces Ducis (c) Brabantiæ atque Hollandiæ, & Gelriæ Comitum, quos (d) Vassos Ecclesiæ Trajectensis vocant, tanquam beneficia ab illâ tenentes, præfecit Iohannem ex (e) Præfectis oppidi Diestensis, Præpositum Cameracensem, quem consecravit; qui potenti manu hoc modo introductus, XLV. Episcopus constituitur. Hic incommoda aliqua sensit in suis vicis atque castellis, ob cædem cujusdam Gisberti judicis, Wilhelmi de Duyvird, qui Gainum atque Horrestum incendit, repulsus tamen per Præfectum arcis, cùm majores parasset adversus Episcopum copias, apud Tulam, dum Episcopus cum suis imperterritus obviam ire statuisset, ille jubetur per Comitem Hollandiæ retrocedere, nec quicquam moliri in Episcopum. Henricum (f) quoque Præfectum in Hagestain incursiones plerasque exercentem, auxilio Wilhelmi Comitis compescuit, cunctis colonis atque possessionibus afflictis & subversis. Wilhelmus Comes statuit recuperare Frisiam, quæ ad Lavicam fluvium sita est, quam terrâ ac mari infestabat, & ad tributa & solita pacta servanda compulit. Anno M CCC XXXIV. mense Novembri, die Clementi sacro, ebulliit Oceanus cum ventis ac tonitruis, transcendens quosvis aggeres ac infinitos mortales cum numeroso pecore submergens, plurimos ad littus maris subigens vicos. Et sequenti anno Comes Gelriæ cum Trajectanis indixerunt ipsis Frisiis bellum, & commisso prælio apud vicum (g) Barbelise haud longè à castro Vollenho, succubuere Frisii cum ingenti suorum clade. Anno verò XXXVII. apparuit Cometes, & Wilhelmus Comes Hollandiæ vitâ defungitur VII. Idus Iunii, cùm præfuisset annis XXXIII. sepultus Valentianæ, eximius cultor Iustitiæ; de quo egregium ac memorabile facinus narratur. Erat (h) in territorio oppidi Dordracensis, quod Wiltorum dicunt, egenus quidam multis gravatus prolibus, unicam possidens vaccam, cujus lacte illas alebat, præstantiorem cæterorū bobus, quam famâ illius cognitâ, Præfectus Iustitię (Balivos vocant) appetebat, pretium offerens, quod dominus renuit. Dolens Præfectus se contemni, quo compos voti fieret, excogitavit crimen, quod pauperi falsò impegit, & bovem in emendam solvere compulit. Paulo pòst ipse Præfectus meditans severitatem Comitis, aliam electam vaccam in locum acceptæ pauperi remisit, ut crederetur facta commutatio. Verùm iste adhuc non contentus suasu aliquorum, accessit Comitem agentem in Hannoniâ, eique querelas profudit. Comes retinuit accusatorem, & Præfectum occupatorem per literas accersiri jussit. Decumbens in lecto, ad quem tamen liber subditis patebat accessus, comparentem Præfectum cum Præside Dordracensi interrogat Comes de statu Hollandiæ, uterque dixit omnia benè & tranquillè se habere. Subjungit Comes, quonam pacto omnia se bene ac tranquille habent, ubi justitia negligitur, & rapinæ dominantur? Evocansque pauperem, En Præfecte, inquit, quem immeritò spoliasti, replicanti illum deliquisse, & pro delicto mulctatum vaccâ. Respondit Comes ideo deliquisse eum accusas, ut vaccâ potireris: convictum itaque, nec sese purgare valentem, promulgat Comes, reum debere emendam persolvere, quam dictaret. Ad quam ille sese paratum obtulit, sperans aliquam gratiam. Ait Comes, jubemus pauperi suam restitui vaccam, & pro damno passo centum aureos, & paupere contento, subjungit. Iam contentus est pauper, verùm quia fuisti oppressor pauperum, & raptor, offendisti nos & Iustitiam, quod crimen non nisi capite piandum venit. Itaque, cæso capite, truncum cadaver jussit deferri Dordracum, & ab omnibus Hollandiæ Præfectis ad hoc conscriptis publicè ex funere inhumari in exemplum & terrorem. Cui successit Wilhelmus filius Comes XIX. dispar moribus paternis, qui duxit in uxorem Ioannam filiam Ducis Brabantiæ, & cum Ludovico Imperatore junxit se Regi (i) Angliæ contra Philippum Regem Francorum, quem in prœlio vicerunt. At Iohannes Episcopus obdormivit in Domino anno M CCC XL. cùm præfuisset annis XVIII. minus utiliter. Nam castella Vredelant cum territorio adjacente, Hollandiæ, Vollenhoo, (k) Gelriæ Comiti atque aliis alia impignoravit loca, multum inglorius, nisi (l) quòd adjutorio Sacerdotum Comitatum Diepenhem recuperaverit, atque Collegium Amersfordiæ fundaverit. Sepultus in templo majori.

Expeditio Wilhelmi Comitis Hollandiæ in Frisiam.

Exundatio Oceani.

Frisii Duce Geldriæ & Trajectinis caduntur.

Egregium Iustitiæ exemplum in Comite Wilhelmo.

Wilhelmus Comes Holl. 19. succedit patri Wilhelmo.

Iohannes Episcopus moritur 1340.

a *Eligitur concordibus votis,*] Unanimi voto habet Beka quem Chronicon Belg. sequitur.

b *Non absque injuriâ.*) Pontificis factum liberè damnat Heda: fuerat autem is Pontifex Galliæ regis Cancellarius, homo Gallus & aulicus, inconstans, & mutationibus gaudens. Platina & Balæus XXII. dicunt, Onuphrius tamen, Martinus, alii huic consentiunt.

c *Ducis Brabantiæ atque Holl. & Gelriæ Comitum,*) Horum nomina in Bekæ Chronico exprimuntur, Ioannes nempe Dux, Wilhelm. & Reinoldus Comites.

d *Quos Vassos ecclesiæ Traj. vocant,*] Beka & Chron. Belgicum Vasallos habent, diminutivo vocabulo

tabulo à Vaſſo ; generali nomine dicuntur clientes, qui pro beneficio accepto fidem ſuam auctori beneficii obligant, teſte Hotomanno de verbis feudalibus. Sed majoris dignitatis videtur Vaſſus, quam Vaſallus.

e *Iohannem ex præfectis oppidi Dieſtenſis,*) Dieſt ſive Dieſthemium Brabantiæ oppidum eſt ad Demeram fluvium ſitum, Baronatus titulo gaudens & jam ſpectat ad Naſſovios, horum ſtemmatis partem adjungo :

Arnoldus Caſtell. Antwerp. 1267.	Gerardus. Ioannes Can. Camerac. & inde Ep. Tra. Thom. dom. de Dieſt. Arnoldus. Elizabeth. Iolandis. N.	Iohanna. Henricus dominus de Dieſt.	Thomas Dominus de Dieſt 1423. Henricus Epiſcop. Argentinenſ. Iohannes. Maria Eliſabetha.	Iohannes dominus de Dieſt.	Iohanna nupta domino de Heinſb.
		Arnoldus de Dieſt.	Henricus Riviræ dominus 1448.	Eliſabetha uxor Iacobi Domini de Waſſenar, &c.	

f *Henricum præfectum in Hageſtein,*) Hæc ut Beka refert, anno 1332. facta ſunt. Fuit olim dominium Hagenſtein domini de Goye, inde ad Vianios & Arckelios pervenit ex quibus Otto D. de Arckel caſtrum mænibus & foſſis cinxit anno 1360.

g *Apud vicum Barbeliſe,*) In Chron. Belg. M. Barbeſile legitur, hoc bellum anno 1336. geſtum traditur à Rainaldo Gelro cui fœderati Trajectenſes : Is poſtea primus Gelriæ Dux creatus fuit à Lud. Bavaro, ut habent Chronicon Gelr. Aquilii, & ibi Scriverius, vide ea quæ notavi ad Bekam Emmius ad annum 1333. refert.

h *Erat in territorio oppidi Dordr.*) Quæ de Balivo hoc Dordracenſi narrantur in Cron. vernaculo, & Barlando extant ; & eâ de re Tragœdia vulgari nuper linguâ conſcripta ; meminit & Bockenbergius in Wilhelmo III. Et Henr. Doutremannus pag. 157. Hiſtor. Valencienn.

i *Iunxit ſe regi Angliæ contra Philippum,*) Meyerus Annal. Fland. 12. ad annum 1339. *Hainoniæ Com. Guil. cum Ioanne Hannonio & Com. Falcoburgenſi Aubentum in terrâ ſuâ aggreſſus eſt*, vide præcedentia & quæ ſequuntur : Walſingamius in Eduardo III. Hannonis non meminit, ſed anno 1340. mediante comitiſſa Hannoniæ treugas inter Franc. & Ang. reges factas tradit.

k *Vollenhoo Gelriæ Comiti impignoravit,*] Imo totam propemodum terram Trans-Iſſulam, quod indicant prolixæ ſatis literæ utraque linguâ Latinâ & vernaculâ cum ſigillis oppidorũ & nobilium plurium ejus provinciæ extantes, datæ Arnhemiæ anno 1336, feriâ quartâ poſt diem palmarum. De recuperatione verò Comitatus Diepenhem ſuperſunt ſimiliter inſtrumenta in archivis.

l *Niſi quod adjutorio,*) Immò & à C. de Benthem plura acquiſivit, ut in literis ejuſdem Comitis & ſuorum expreſſum, quæ hic ſequuntur;

U*Niverſis præſentes literas &c. Nos Iohannes de Benthem, Mechtildis uxor ejus legitima, Simon & Otho eorum liberi notum facimus, Quod cum Hako de Rutenberge famulus caſtrum de* Rutenberge, *quandam terram dictam* Weſterhof, *quandam domum ap. Heſne quam poſſedit Alpertus dictus Keech, quandam domum in* Wilſne, *tres domos apud Stegen, duos domos apud Beerza, quandam domum ap.* Anewede, *quandam domum apud* Ane, *domum dictam* Rederinc *ap. Larevvolde &c. domum dictam* Cloeſter *apud Coevorde, &* 4. *domos cum quâdam caſâ ap. Scherpenſele. Item heredes quondam Heſekini de Grave &c. Item Rodulphus vanden Stade duas domos ſitas ap. Stade; Item filius Godſcalci de Dalvveſhem. Quandam domum dictam Grotenhuys ap. Dalvvaſhem. Item Alphardus de Scuren quandam domum dictam Goethus ap. Vilſcen jure miniſteriali. Item Dominus Svvederus de Abekevvoude miles caſtrum in Duerſteden, judicium & quandam decimam apud Renen cum ſuis pertinentiis,*

Item Iohannes de Ameronghen quandam insulam sitam contra Hosteden in Nodâ, Item hæredes Gevvardi filii Waltheri quædam bona & decimas sitas supra montem ap: Renen. Item Bertholdus Wene quædam bona & decimas sitas in Merse, super montem & in Els. Item Theodoricus dictus Bovie quædam bona, quorum nomina ignoramus, jure homagii à nobis & Comitatu de Benthem tenere in Feodo dinoscuntur; Nos præhabita deliberatione sufficienti omne jus quod nobis in hominibus & bonis præscriptis, seu etiam in quibuscunque aliis ibidem constitutis, quæ ad nos legitimè pertinent, Reverendo in Christo patri ac Domino Iohanni de Diest Episcopo Traject. pro certâ summâ pecuniæ nobis ab eo integraliter persolutâ de consensu omnium hæredum nostrorum vendidimus unanimiter, & transferimus per præsentem &c. eosdem homines à juramento nobis præstito penitus dimittentes. In cujus rei testimonium pro nobis & nostris hæredibus sigilla nostra duximus præsentibus apponenda. Datum anno Domini MCCCXXVIII *feriâ sextâ post Dominicam, Quasi modo.*

Nicolaus Episcopus XLVI.

Iohannes Quartus Episcopus XLVII.

POst obitum Iohannis discerpitur auctoritas Ecclesiæ, pars Iohannem ex Præfectis de Arclo Canonicum majoris Ecclesiæ, petitione Wilhelmi Comitis Hollandiæ, pars Iohannem ex Bronchorst Præpositum sancti Salvatoris prece Comitis Gelriæ elegere. At Benedictus XII. Romanus Pontifex Nicolaum Caputium à causis decidendis designat. Verùm cùm ille accepisset ex Vicario misso, jurisdictionem temporalem non nisi præsidente Episcopo posse administrari, promotus ad honorem Cardinalatus, commendans ipsum Iohannem de Arclo dudum electum, abdicavit se dignitate, de quâ per Clementem Sextum Benedicti successorem tunc provisum extitit Iohanni de Arclo prænominato adolescenti nobili perdocto atque industrio, nam Sacris literis erat apprimè eruditus, & consecratur XLVII. Episcopus, anno MCCCXLII mense Novembri die S. Martino sacro à Cardinale & Episcopo Albanensi: quo anno fuit ingens terræmotus, malorum præsagus. Hic descendens anno sequenti mense Maji, cum gratulatione omnium excipitur, invenit Rempublicam undique quassatam, alienatamque, quam cupiens restituere in statum pristinum, illicò ingenium applicuit ad loca oppignorata redimendum, liberandumque. Sentiens hoc modo se omni facultate nudari, translacto biennio, prudente usus consilio secessit in Gallias, & ignotus privatusque mansit aliquamdiu (a) Grationopoli, quæ ad Hisaram fluvium sita est, rerum administratione Roberto fratri commissa, quo frugalius vitam ageret. Sed Wilhelmus Comes Hollandiæ (b) rediens ab expeditione Prutenicâ, urbem (c) Trajectensem gravissimâ pressit obsidione, cùm jam in prælio contra cives bis victor evasisset, exercitu, quem ducebat, in Frisios Orientales prius congregato, quem ob contentiones frivolas colloquen-

Nicolaus abdicat.

Terræmotus.

Wilhelmus Comes Trajectum obsidet.

colloquendo habitas in Trajectenses convertit, vel ut alii volunt, quia Trajectenses eo absente abegerant prædas & rapinas à suis, nihil Episcopo imputans, factisque crebris insultibus, civibus validè obsistentibus, Comite in pede sagittâ sauciato. Edoctus Episcopus per fratrem, ut urbi pressæ ferret suppetias, celerem parat reditum, & ingressus illam, habito colloquio, concipiuntur induciæ ad mensem Octobris, civibus veniam suppliciter precantibus, ut interim arbitrio discordia finiretur. Sed (d) nihil subsequutum, cùm Comes ante illud tempus à Frisiis Orientalibus cæsus, occubuit, Comitatu ad Imperium devoluto, non relictâ prole; soluta fuit obsidio pridie diei, quæ Mariæ Magdalenæ dicata est. In cujus rei memoriam sequenti die lustrationes, atque annuæ fiunt Supplicationes. Hic Comes clari nominis extitit apud Duces inclytos: fovit (e) electionem Ludovici Imperatoris, contra Fredericum Austriæ Archiducem, quem Archiepiscopus Coloniensis elegerat. Unde Wilhelmus (f) Vicarius Imperii designatus arces munitissimas Bruyl, Brolum, & Volmenstain expugnavit. Fundavit Ecclesiam cum Collegio Canonicorum in Middelburgo sub honore sancti Petri, anno M CCC XI. (g) Duxerat autem Ludovicus Imperator anno M CCC XV, Margaretam filiam Wilhelmi Comitis Hannoniæ & Hollandiæ in uxorem, ex quâ genuit Regem Ludovicum Cracoviæ, Ottonem Marchionem Brandenburgensem, Wilhelmum & Albertum Duces Bavariæ, Comites Hollandiæ, Hannoniæ, &c. Elizabetam Reginam Angliæ, & duravit intestinum bellum inter Ludovicum & Fredericum annis octo cum semi. Iohannes (h) Beka tamen alio loco scribit Ottonem Regem Cracoviæ, & Ludovicum Brandenburgensem Marchionem utrumque constitutum ex devolutione Regnorum ad Imperium. Ludovicus autem proscriptus ab Ecclesiâ, & ob facinora sua super inducto Karolo Rege Bohemiæ, nepote Henrici Imperatoris casu (i) equi suffocatus est XII. Octobris, anno M CCC XLVIII. Qui Frisiis Regali edicto jussit ut obedirent Wilhelmo Comiti Hollandiæ, neglecto jure Trajectensis Ecclesiæ. Iohannes verò Episcopus occiso Wilhelmo Comite, severè animadvertit in suos, quos contra civitatem suam illi favisse, aut confœderatos percepit. Castrum (k) Luporum, dictum de Wolven, vi expugnavit, & diruit, territorium oppidi Saxyselani, quod dicunt Iselstain, incendit, illius Præfectum ære plectens, atque alium de Abcoude ad deditionem compulit. (k) Hemanos populos juxta Hemi fluminis ripas sitos, qui ab Episcopo ad Comitem Hollandiæ defecerant, nec ammodo sub ditione Trajectensi, sed Hollandiæ se contineri patiebantur, gladio reduxit ad obedientiam, condignâ mulctatos pœnâ. Redemitque omnia alia loca sub pignore aliis concessa. Elargitus supra centum millia aureorum regiorum. Coemit (m) & municipium cum arce & territorio de Laghe in Transiselanis; & contulit (n) aream, juxta quam stabulum equorum Episcopi esse consueverat, haud longè à templo Divæ Mariæ, militibus ordinis Teutonicorum in urbe Trajectensi, priori sede per Wilhelmum Comitem extra mœnia dirutâ. Oppidum (o) Renanum muro cinxit. Motus & seditiones Trajecti ortas, auctoribus (p) Gunterlingis armis restinxit, plerosque trucidando, alios proscribendo; fundavit etiam Altare in Basilicâ majore sub honore sancti Iohannis Euangelistæ, ante quod (q) fratrem suum in bello Leodiensi occisum, sepelierat, funebri pompâ suspensis (r) insignibus illius. Sed ingrati cives, ac pristini immemores beneficii, violato posteà monumento, imposuerunt in illo Fredericum ex Blanckenhem Episcopum sublatis clypeis alterius. Designatis itaque in locum fratris occisi sex viris administratoribus, rursum recessit (s) Turones, ut cum minore impensâ degeret. Sed rediens invenit præter spem cuncta malè administrata, nec fidem servatam, nec commodo suo in aliquo consultum. Erat ex iis, quos Dominus Episcopus deputaverat, Dominus Zuederus (t) Uterloe, posteà Præpositus major; & Hemani defecerant rursum, Hollandinis ferentibus suppetias: quos aperto prælio devicit, & ad obedientiam compulit. Paulo pòst Dux Wilhelmus Bavariæ & Hollandiæ Comes Ludovici Imperatoris filius intulit bellum, intrans cum hostili exercitu ditionem Trajectensem; collocatis tentoriis haud longè ab lapide Isulæ fluvii (Iselstain dicunt) si forsan hostes ad pugnam elicere posset. Episcopus verò non segnis reposuit in Comitatum, quicquid per illum inferebatur, sed & Præfectus arcis Bronchorst concremavit præsidium in Ghoer: auctoritate tamen Ducis Limburgensis, Comitum Clivensis, atque Hannoniæ, Episcopus & Dux per firmas inducias reconciliantur. Et pendentibus induciis Episcopus vindictam sumpsit de injuriâ, per Præfectum de Bronchorst illatâ, vicum Borckeloo atque adjacentia quæque flammis consumens. Eodem tempore, scilicet anno XLVIII, Renaldus Dux Gelriæ cum fratre suo Eduardo, qui Wilhelmo Duci adhæ-

Comes Wilhelmus à Frisiis cæsus.

Ludovicus Bavarus Imperator ducit Margaritam Comitissam Hollandiæ.

Hemus fluvius.

Episcopi res gestæ.

Wilhelmus Bavarus Hollandiæ Comes bellum facit Episcopo.

ferant, Episcopo indicunt bellum: Episcopus verò cui pecunia (quæ belli nervus est) non suppeditaret, per singularem tamen prudentiam se parat ad defensionem, Frederico de Ezen, Saliorum Tuentanorum, & ditionis de Diepenhem Præside designato: Præfectis de Voerst & * Cuynre Episcopo adhærentibus, sequenti tamen anno omnis differentia sopita est. Compertum tamen est ex ea Episcopum sustinuisse stipendia, quinquaginta millium scutorum veterum. Wilhelmus Comes tutor Hollandiæ in Germaniam superiorem secessit, ut tutelę renunciaret; pensum annuum 10000. scutorum veterum, quod hactenus solverat, Imperatrici denegans; Provinciâ per absentiam ejus in diversas partes fluctuante. Paulo pòst magna nobilium manus simul conspirans, intentavit Episcopo bellum: sed lis consilio suo dirempta est Anno xlix. oppidum Veteris aquæ ab Episcopo & civibus Trajectensibus expugnatur, & in favillam redigitur, victoria (u) tamen non fuit incruenta, pereuntibus plerisque Nobilibus & civibus oppugnantibus. Dum autem Hollandini ad vindictam se pararent, extemplo Episcopus, quo conatus eorum interrumperet, cum potenti exercitu tendit ad Bellumportum, Schoonhaviam dicunt, ut oppidum illud sibi vendicaret. Cui Hollandini non impigri occurrunt, & post longum & crudele certamen vincuntur, plurimis (x) eorum captis, qui se magno pondere auri liberarunt. Et paulo pòst factæ inter Episcopatum & Comitatum induciæ trimestres. Exhausto itaque ærario per tam crebra bella, extantibus adhuc debitis per Iohannem Diestens. contractis, cunctisque locis munitis, tam cis, quam citra Isulam fluvium, pro servitiis militaribus in pignus translatis, quæ Zuederus de Uterloo, cum Frederico de Ezen, ac Præfectis de Castrolacu (sic Culenborch vocant) Castro saltuoso, Woudenborch, audaciæ sive Stoutenborch, castro Splendido Lichtenborch detinebant, non contenti illis, nitebantur quicquid residui vel Ecclesiasticæ, vel secularis Iurisdictionis superfuerat, sibi usurpare. Unde Episcopus in animo plurimùm consternatus; nec quid remedii rebus afflictis afferre posset, videns aut excogitare valens; licet & frugi & sapiens alias haberetur, & jam fidejussores sui convenirentur undique, ita ut nulla spes recuperandi ea loca remaneret, quæ per usuras indies magis atque magis reddebantur obnoxia, dolore & verecundiâ percitus, designato (y) Vicario, atque illis fœneratoribus à Præfecturis, rerumque administrationibus (quantum in eo fuit) destitutis, nec fidem obligatoriam quisquam admitteret, cunctis compositis, equum cum sex comitibus solum conscendens Romam petiit; cùm interim etiam induciæ finirentur inter Episcopatum & Arnoldum Præfectum de Iselstain, qui tamen per Præsidem Episcopi longâ obsidione, crebrisque insultibus, atque jactu ignis in deditionem compulsus, fidem perpetuam cum subdito populo Ecclesiæ Trajectensi juravit, quam male servavit. Atque Wilhelmus contra Margaretam matrem & Augustam solicitatus à factione eorum, (z) qui Cabelliavi (à pisce ejus nominis) vocantur, ut Dominium apprehenderet contra illos, quos Hoecken (ab Hamo) cognominant. Quæ quidem omni sæculo damnandæ factiones tunc primùm cœpere pullulare; anno M CCC L, commissoque prælio terrestri, penes Augustam mansit victoria. Secundo autem navali prælio cruentissimo ad Mosam indicto atque habito, filius victor evasit. Horret mens recitare aquam humano sanguine per triduum purpuratam, multos sese sponte in profundum præcipitantes, ut flammas evaderent, alios ipsis in navibus datos internecioni; cùm nusquam fuga pateret. Angliæ regina, soror Augustæ magna auxilia attulerat, & Franci aliæque gentes, quæ pœne omnes deletæ. Actum est hoc prelium Anno Domini M CCC LI, mense Iulio, die translationis beati Martini. Tandem devictâ Augustâ, pax firmatur, ut Matri Hannoniâ, filio Hollandiâ, Zelandiâ ac Frisiâ cederent. Tum Wilhelmus vicesimus constituitur Comes, proscriptis omnibus, qui maternæ factionis fuerant, dirutis arcibus eorum. Duxit in uxorem * Annam Lancastriæ Ducis filiam, ex quâ nullam suscepit prolem. Iam Episcopus per Ecclesiam (instigantibus tyrannis, qui omnem Ditionem occupabant) revocatur; qui eodem anno Kalendis Septembris rediens, nullam penitus invenit consolationem, æque à subditis exterisque amicis, atque proprio fratre derelictus, quæ (aa) omnia iidem tyranni fabricaverant. Ipse igitur vitæ integer, scelerisque purus, & excelsi animi, conspiciens se nedum omni humano auxilio, sed & proprio sanguine destitutum, ex necessitate eliciens virtutem, spem firmam jactans in Domino, ex consilio divinitus (ut creditur) inspirato, arcem Wredenstain (quæ à (bb) ferocitate nomen habet) sibi deligit, quo tyrannos illos Dominos suos à potestate dimoveret. Sequenti quoque anno ab Otto-

Marginalia: * Ruyne. — Hoex & Cabilliaux factiones Hollandicæ. — Bellum inter matrem & filium. — 1351. — Wilhelmus 20. Comes Hollandiæ. — * M.SS. Cod. Ioannã habet. — Episcopus Romã revocatur.

(cc) ab Ottone Præfecto de Iſelſtain arx inſulæ Caſtoreæ ſibi aperitur: quâ firmo præſidio communitâ, utramque Iuriſdictionem Epiſcopalem, nullo tamen ſuorum, ſed exterorum atque precatio adjutus milite recuperavit, omni auctoritate Tyrannis ipſis hoc modo ſubtractâ; quos cùm penitus aut humiliare, aut delere decreviſſet, ſiquidem eo magis exæſtuabat jam conceptum odium, quo illos anteà ferventius amarat; interventu Eccleſiæ atque Civitatis effectum eſt, ut numerata atque mutuata pecunia reſtitueretur abſque uſurâ, & loca quælibet libera Epiſcopo cederent. Quod hinc inde facilè eſt approbatum, ſolo Zuedero Uterloo retinente arcem, atque portum cum ponte ad Hemam fluvium adhuc aſſervante. Et eodem anno lij, Epiſcopus propitiam ad victoriam fortunam contuitu Giſberti Præfecti arcis Abcoudę, quo illum ſibi magis devinciret, municipium (dd) ſilvoſi atque ſaltuoſi montis (Woudenburch dicunt) poſt longam obſidionem cepit, ſoloque adæquavit. Arcem (ee) quoque Ruweel per Præſidem obtinuit, quam idem Woltero van Mynden vendidit. Interea nihilominus Giſbertus Præfectus in Vianen Ditionem Epiſcopi invaſit, & per prædas & incendia ex municipiis Goy & Merckenburch multa damna intulit. Anno itaq; lIV. (ff) Epiſcopus Zuederum Præfectum in Montfort (qui illis ex Culenburch & Vyanen faverat) ad deditionem compulit, ut perpetuâ fide ſibi atque Eccleſiæ maneret obnoxius, jurejurando affirmaret. Arces demum Merckenburch, Holenſtain ac Goy, quam tamen reſtaurare permiſſum eſt, ex quibus latrones indies prædas agebant, devicit atque delevit. Idem pontem atque arcem ad Hemam ſibi ſubdidit, ut in eâ (gg) civis Trajectenſis præficeretur perpetuò. Provinciam quoque Tranſiſſalanam recuperavit, reconciliatis ſibi Præfectis de Voerſt atque Ezen, ære mutuato perſoluto. Arcem (hh) verò pacis ſive Vredelant redemit ab Auguſtâ ſorore Wilhelmi Comitis; ſubegit & alios, qui ſe Friſiis confœderarunt, & invaſores exteros compreſſit. Tandem Epiſcopus clarus bello, & continuò victor, animum ſemper ad pacem firmans, reſtitutâ omni Ditione ſuâ in ſtatum & libertatem priſtinam, æreque alieno vel per ipſum contracto debito undique perſolutis; dirutas Eccleſias (ii) inſtaurare & bibliothecis (erat enim (kk) doctus admodum, & qui volumina ingentia compoſuit, quæ modo extant) ornamentiſque neceſſariis, etiam Monaſteria cœpit adornare, præſertim Baſilicam majorem. In familiares liberalis ac magnificus promotor bonorum, in pauperes pius, juſtitiæ cultor & ſeverus ultor perverſorum, & tanquam novus tyro poſt tribulationes virtuti ac ſanctitati intendens. Sed non diu hæc ſancta ejus propoſita per quietem continuare potuit, inſtigante omnium malorum patratore Diabolo. Nam Wilhelmus Comes Hollandiæ illi bellum induxit, cui fere (ll) omnes Nobiles Epiſcopo fide aſtricti, cum pleriſque plebeis ſubditis ſuis adhæſêre, validumque exercitum ducens apud vicum Coten, tentoria fixit aliquos dies; ad quem defecêre & rurſum Hemani. Epiſcopus autem animo imperterritus, cupiens manus conſerere tumultuario, aut hoſtes propellere, invenit cives Trajectenſes, & quotquot alii in fide manſere, obſtinatos ſuaſu ſecreto æmulorum, qui defecerant, qui nec minis, nec blanditiis adduci poterant, ut bellum ſequi vellent, vel erumpere permitterent. Emiſſus quoque Præfectus Egmondæ cum manipulis, acceſſit vicum Bunſchoten, cui illi validè occurrentes proſternuntur, occiſis circiter (mm) octuaginta ex primoribus. Agebantur autem hæc circa annum lv. At Comes rediit ad ſua; paulò poſt cives Trajectenſes occuparunt antemuralia oppidi Iſelſtain, ſed intenti prædæ, repelluntur. Erat tunc in (nn) vico Gano turris fortiſſima, omnibus ad præſidium neceſſariis præmunita, dicta **Wapen-toern**, quam per deditionem cuſtodis Giſbertus de Iſelſtain occupavit, & funditus delevit. Anno verò lvi. Epiſcopus oppida (oo) Mudam & Veſopam obſidendo cepit, atque in favillam redegit, præſidibus nando per foſſam, fugam quærentibus. At Arnoldus de Iſelſtein conciliavit nepotem ſuum (pp) Præfectum Montisfortis, tunc adhuc Præſidem Epiſcopi, cùm nec rationem adminiſtrationis feciſſet Comiti Wilhelmo, qui & Nobiles antea in obſequio Epiſcopi captos, eo inconſulto reſtituit. Paſſi ſunt & cives (qq) fori Hemani (Amersfordiam dicunt) cladem aliquam à Præfecto oppidi Nardeni. Et Wilhelmus Comes incitatus à defectoribus Epiſcopi, iterato arma ſumit: Arcem novi campi (Nieveldt dictam) obſidet, oppugnat acriter, & tandem per deditionem capit, illicò à ſuis quo modo neſcio incenſam atque demolitam, atque ex hoc ſubſecuta (rr) eſt pax inter Epiſcopum & Comitem, ſub conditione, ut proſcripti, atque etiam quiſquis alius rediret ad ſua. At Margareta Auguſta jam humanis functa, Valentianæ ſepulta: Hannonia atque Ditio oppidi Heuſden, ceſſit Wilhelmo Comiti, qui ab Eduardo Rege Angliæ ad ſolennia ſpectacula Ludoſque invitatus

Arcem Belvernaerde vocat inſulam Caſtoris.

Arces Merkeburg, Holeſteyn & Goy captæ. Eembrugge.

Epiſcopus doctus, liberalis & magnificus. Bonorum cultor, & perverſorum ultor.

Hemani rurſus deficiunt.

Muda & Veſpa capta.

Nievelde deditur.

Wilhelmus Comes Hollandiæ ex

Anglia reversus, in amentiam incidit. invitatus anno lviii. rediens amens factus, eo usque, ut ab Alberto fratre evocato ad Provinciarum administrationem, in præsidio Hannoniæ. Quercino dicto situ & sylvarum densitate amœno includeretur, supervivens annis xix. ubi & obiit anno M ccc lxxvii. vir crudelis; qui matrem hæreditate privavit, cædesque innocentium, & alia flagitia perpetravit, *Moritur 1377.* divinâ ultione tactus, Alberto erat uxor Margareta, filia Ducis de (ss) Zuidems sive Briga in *Albertus Dux curator fratris, & Hollandiæ, genuit liberos hic nominator.* confinibus Poloniæ: ex quâ genuit Catarinam uxorem Ducis Gelriæ, Wilhelmum Comitem Ostrovandiæ successorem suum, Margaretam conjugem Ducis Burgundiæ, Iohannam Reginam Bohemiæ, Albertum Ducem Bavariæ, Ioannem designatum Leodiens. Item Ioannam uxorem Ducis Austriæ: Mansit etiam Episcopo pax & tranquillitas toto post biennio, qui interim oppidum Montis duri, quod Herdenberch dicunt: deleto monte, fossis & propugnaculis munivit, ubi antiquitus municipium, & validum, & amplum fuisse commemorant, *Herdēberch, Mons Durus.* fortè à Romanis conditum. Quo tempore Hagestain atque Gasparde oppida primùm mœnibus atque fossis cincta per Ottonem Principem de Arclo. Anno lx. Episcopus in Provinciâ Saliorum in vasto nemore inter Wegestapel & Batuam fundavit præsiduim pro securitate viantium, & reprimendâ Saliorum perfidiâ, quod (tt) vocavit Arckelstein. Erasa est, & (uu) arx Satersloo propter prædones; subegit, & gravi prœlio eam gentem, quæ sedet in lo*Stellingwerf et Steenwijckerwolt.* cis Stellingerwarff & Steenwijcker-woldt; & territoriis eorum, quæ tributum diu solvere recusarunt, cogens ut annuè penderent deinceps. Rebellantes verò post ejus recessum, severiùs compressit, vicis incensis, & magnâ abactâ prædâ. Ita ut hostibus inciperet undique esse formidabilis. Nam Præfectum de Voerst ex arce Keppel infestantem Transysulanos cepit, *Arx Keppel* & arce avitâ Voerst per longam obsidionem spoliavit, eamque funditùs delevit, erat enim munitissima, habens turres altitudinis pedum lxxx. latitudinis xii. cum antemurali ex lapide quadrato, quod pugnando capiebatur in fine Iulii, anno lxii; In cujus principio, men*Maris inundatio.* se Ianuario, die Marcelli Papæ, tanta inhorruit tempestas, atque maris inundatio, ut posteris sit vix credendum, nec anteà auditum; Quæ templa, turres, ædes, atque aggeres subverterunt, & infinitam mortalium multitudinem oppresserunt. Episcopus verò utilitati Reipu*Mastbroec circa Zwollam.* blicę semper prospiciens, mortuo Zwedero de Voerst, filios in gratiam accepit; paludem (xx) dictam Mastebroeck in Transyselanis aggeribus inclusit, exsiccans supra triginta terrarum jugera; quæ Ecclesiæ suæ ac successoribus reliquit; Medietatem verò decimarum contulit ecclesiæ Daventriensi. Hic cum anno xlii. à Clemente sexto præpositus esset Ecclesię, per Iohannem de Diest omni ferè Ditione exutæ, consideratâ ejus probitate, postquam annis xxii. per varios fortunę cursus rexisset, cunctis ad pristinum vigorem reductis, tandem per *Episcopus Trajectensis ad Leodiensem Ecclesiam transfertur.* Urbanum Papam Quintum anno lxiv. die 14. Aprilis ad ecclesiam Leodiensem transfertur, Engelberto ex Comitibus de Markâ ab illâ amoto, atque ecclesię Coloniensi præfecto, Ioanne ex Nobili familiâ Verneburgensi, Trajectens. Ecclesię ex Monasteriensi Episcopo facto; in cujus locum suffragatur Florentius ex Wevelichoven Decanus Coloniensis. Ioannes autem subversis aliquot latronum præsidiis in primo ingressu suo administravit Ecclesiam Trajectensem in tranquillitate per annos xv. sub quo primum cœptum collegium (yy) Canonicorum in oppido Leydensi. Instituit & ipse in oppido Gorcum unà cum Ottone de Arclo Collegium Canonicorum. Demum anno lxxviii, Leodii migravit ad Dominum, translatum cadaver ex voluntate; Trajectum, cum magnâ pompâ: sepultum à meridionali parte chori. Obiit autem Kalend. Iulii. Hoc tempore puellus (aa) apud Trajectum natus est, quadragesimo die nativitatis suæ perfectè loquens, superstes aliquot annis. Sumus longiori stilo vitam hujus Episcopi prosecuti, cui à conditæ Ecclesiæ Trajectensis tempore parem non in*Elogium Episcopi.* venimus, qui per tot versatus Provincias, urbes, moresque populorum edoctus. Nam in Galliis bonis litteris, artibusque, quibus pollebat, operam dedit. Italiam peragravit, majores insultus in Provincias suas & exterorum incursiones, populique subditi defectiones, apertaque bella perpessus, quam quivis prædecessorum: quæ licet cum extremo discrimine, modo cruentus modo incruentus vindex, semper tamen victor gloriosè hostes repulit atque extinxit. Adversa quæque expertus, nunquam animo consternatus, omnique virtute præditus, qualem longa desiderabit posteritas. Hic obtinuit à Carolo quarto Augusto certa privilegia, tenoris subsequentis,

Karolus Dei gratiâ Romanorum Rex; semper Augustus, & Bohemiæ Rex, ad perpetuam rei memoriam: Etsi Regalis mansuetudinis providentia subditorum curam gerens ad ea, quæ Reipublicæ statum respiciunt, diligenti solicitudine teneatur attendere, atque voluntarios affectare labores, ut subjectus sibi populus in optatâ quietis tranquillitate quiescat, illam nihilominus uberiori quodam favore amplectitur, quæ sanctarum Ecclesiarum & ministrorum omnipotentis Dei commodum sapiunt & honorem, sane singularis favoris affectus, quo venerabilem Iohannem Episcopum Trajectensem, Principem dilectum nostrum, & ipsius Ecclesiam speciali prærogativâ, & multiplicatis favoribus prosequimur, ad ampliandum ipsius statum propensius nos induxit. Ea propter universa & singula privilegia, jura literas, concessiones, gratias, libertates, immunitates, feuda, castra, munitiones, oppida, & terras, dominia, honores, consuetudines & consuetas laudabiles observantias prædicto Episcopo & Ecclesiæ suæ, ac successoribus ipsius à recolendæ memoriæ Divis Imperatoribus, & Romanorum Regibus prædecessoribus nostris indulta vel indultas, concessa vel concessas de innatâ nobis clementiâ & ex certâ nostrâ scietiâ ac plenitudine Regiæ potestatis, cujus gubernaculis feliciter præsidemus, maturo procerum ac nobilium nostrorum accedente consilio, in omnibus suis clausulis & sententiis, de verbo ad verbum ac si prædictorum privilegiorum, literarum, libertatum, concessionum, jurium, & consuetudinum tenores præsentibus forent inserti, & totaliter intercluso, renovamus, approbamus, ratificamus, laudamus, & præsentis scripti patrocinio confirmamus; decernentes ac volentes prædicta perpetuis temporibus obtinere inviolabilis roboris firmitatem. Nulli ergo hominum liceat hanc nostræ innovationis, approbationis ac confirmationis gratiam infringere, vel ei temerariâ præsumtione aliqualiter contraire. Si quis autem contrarium attentare præsumserit, gravem indignationem, & pœnam gravissimam pro motu proprio infligendam, ac præcipuè centum librarum auri puri, (cujus medietatem Fisco nostro, & aliam medietatem antedicto Episcopo & Ecclesiæ suæ, ac successoribus suis pœna nomine applicari volumus,) se noverit irremissibiliter incursurum. In cujus rei testimonium præsentes literas fieri, & sigilli nostri munimine jussimus communiri. Datum Coloniæ, anno Domini *Millesimo trecentesimo, quadragesimo, nono, Indictione secundâ, tertio Idus Augusti, Regnorum nostrorum Romani anno quarto, Bohemiæ verò tertio.*

Privilegium Caroli IV. Imperatoris primum.

Omnia privilegia Imperator renovat & confirmat.

Confirmatio privilegiorum altera.

CArolus Dei gratia Romanorum Rex, semper Augustus, & Bohemiæ Rex, ad perpetuam rei memoriam. Etsi recolendæ memoriæ Divi Romani Imperatores, sive Reges prædecessores nostri piâ consideratione permoti, in salutem Christi fidelium & propriæ fidelitatis augmentum, prædia, possessiones & agros, aliaque multa donaria sacrosanctis Ecclesiis, & earum Prælatis sive Rectoribus & Ecclesiasticis personis liberaliter erogarunt, non tamen minus præsentis temporis curriculo effecisse confidimus, si Ecclesiarum jura, libertates, immunitates & gratias, sub integritate continuâ Regiæ protectionis præsidio custodimus, quàm si ad instar eorundem prædecessorum ipsis Ecclesiis nova stipendia largiremur. Ea propter, ne sceleratorum damnata perfidia, quæ Dei timore postposito, non solum falsa dicere, verùm etiam turpitudinis suæ ignominiam perjuriis multis, ac aliis certificare mendaciis nullatenus erubescit; venerabili Trajectensi Episcopo, Principi & devoto nostro dilecto ac suis successoribus, & Ecclesiæ memoratæ Prælatis, & Ecclesiasticis personis, quibuscunque adversus jura, privilegia, statuta & consuetudines, quibus usi fuerunt, inferre valeat nocumentum, decernimus, & edicto perpetuo duximus statuendum: Quod quotiescunque inter Episcopum Trajectensem, qui pro tempore fuerit, & cæteros Ecclesiarum prælatos & Ecclesiasticas personas ibidem ex unâ, & homines servituti obnoxios colonos, aut quoslibet alios eorum debitores super solutione census, ceræ, pecuniæ, vestium, equorum, pecorum, & jurium (BB) (vulgariter Cormede) aut aliarum rerum quarumcunque, quæ in vitâ, vel post mortem cujuslibet hominis, conditionis hujusmodi, Episcopis & Prælatis, ac Ecclesiasticis personis hactenus dari consueverunt, surrexerit, materia quæstionis, subditorum talium juramentis stare non debeant, nec solutionem rerum prædictarum juramento proprio possint evadere in supradictorum Episcopi & Prælatorum & Ecclesiasticarum personarum hujusmodi præjudicium & jacturam: Immo volumus, & decreto Regio sancimus expressè, quod supradicti Episcopi & Prælati, ac Ecclesiasticæ personæ per septem homines prædictis hominibus conditione pares, qui si consanguinei ipsorum non sint, similis tamen status, æqualitate conformes existant, de jure suo possint & debeant edocere, non obstante partis adversæ juramento, nisi fortè ipsi Episcopi & Prælati in probando deficerent. In quo casu & tunc demum, & non alias, sub suis & suorum parium juramentis ad evadendum solutiones censuum sive servitutum hujusmodi subditi admittantur, Præsentium sub nostræ Majestatis sigillo testimonio literarum. Datum Coloniæ, anno

Episcopi & Ecclesiæ potior ratio, quam subditorum.

anno Domini Millesimo, trecentesimo, quadragesimo nono, Indictione II^a. XVI. Kal. Septemb. Regnorum nostrorum Romani anno quarto, Bohemiæ verò tertio.

CArolus Dei gratiâ Romanorum Rex, semper Augustus, & Bohemiæ Rex, ad perpetuam rei memoriam. Etsi Regiæ dignitatis circumspecta benignitas universorum saluti teneatur intendere, illorum tamen indemnitati speciali quodam favore dignanter occurrit, qui divini Numinis laudibus deputati, pro salute Christiani populi creatorem omnium continuatis precibus deprecantur. Sane attendentes præclaræ devotionis insignia venerabilis Trajectensis Episcopi, Principis ac & devoti nostri dilecti, quibus idem ad instar felicis recordationis prædecessorum ipsius, nos ad sacrum Romanum Imperium hactenus devoto studio frequentius honoravit ad ipsius & Ecclesiæ suæ Trajectensis utilitates, honores, & commoda tantò diligentius, tantâq; majoris gratiæ ubertate prorsus intendimus, quantò ipsum inter alios sacri Imperii Principes majoris fidei & constantiæ puritate prædictum experimur. Ea propter sibi, nec non universis successoribus suis Episcopis Trajectensibus devotis nostris dilectis infra scriptas libertates & gratias de speciali nostræ Majestatis favore liberaliter erogamus. In primis videlicet, quod supradictus Episcopus & successores sui in perpetuum possessiones bona & jura quæcunque, quas, vel quæ ipsi ad se vel Ecclesias asserunt pertinere, si super eisdem ipsis quæstio aut controversia aliqua moveatur; Episcopus, qui pro tempore fuerit, cum septem Prælatis aut Canonicis Ecclesiarum suarum Trajectens., easdem possessiones bona & jura propriis juramentis valeat obtinere, secundum quod sui prædecessores per consuetudinem hactenus introduxerunt; & sicut hoc est pro præteritis temporibus observatum. Item quia infra territorium mensæ Episcopalis Trajectensis hujusmodi corruptela surrexit, quæ pro consuetudine obtinetur ibidem, videlicet, quod quicunque homicidium ibi perpetravit; Episcopus eum punire non possit, nisi ad requisitionem & instantiam parentum, & consanguineorum occisi: qui parentes & consanguinei aliquando propter potentiam homicidæ, aliquando propter negligentiam aut favorem seu collusionem, sive ex aliis causis frivolis exquisitis, occisi injuriam prosequi prætermittunt, pro consuetudine etiam abutentes, ut nullus occisi etiam injuriam prosequatur, nisi coram Episcopo Trajectensi corpus occisi præsentetur, quod corpus quandoque rapitur vel occultatur: & sic plerumque maleficia tam enormia re-

Probationis per juramentum Episcopi privilegium.

manent

manent impunita, atque per consequens frequenter occasio nascitur similia perpetrandi. Quapropter consuetudinem hujusmodi minus justam, immò corruptelam potius, juri contrariam & iniquam, de Regalis auctoritate nostræ excellentiâ, penitus abolentes, ipsi Episcopo & suis successoribus sub districtu Imperialis offensæ præcipimus & mandamus, quatenus non obstante consuetudine seu corruptelâ prædictâ, de homicidiis quibuslibet in eorum mensæ territoriis jam ante perpetratis, aut postea perpetrandis, justitiam faciant expeditam. Etiamsi parentes aut consanguinei occisorum causâ, vel occasione quâcunque occisi injuriam prosequi negligant vel postponant, aut si occisi parentes vel consanguinei, corpus ipsius occisi coram Episcopo Trajectensi non præsentaverint, aut fortasse noluerint præsentare, Præsentium sub nostræ Majestatis sigilli testimonio literarum. Datum Coloniæ anno Domini Millesimo, tricentesimo, quadragesimo nono, Indictione secundâ, decimâ septimâ Kalendis Septembris, Regnorum nostrorum Romani anno quarto, Bohemiæ verò tertio.

Homicidia ut Episcopus puniat etiam si cognati occisi non conquerantur, vel corpus occisi exhibeant.

a *Gratianopoli ad fluvium Hisaram,*) Hæc vulgo Gallicè Grenoble antiquissima Galliæ Narbonensis civitas, Archiepiscopatu & Senatu Regio, (Parlamentum vocant) nobilis: olim Cularone', inde ab instauratore Gratiano Imp. Gratianopolis dicta; de quâ videndi ante alios Merulæ Cosmogr. parte 2. lib. 3. cap. 40, Andræas Quercius, sive du Chesne, in Antiquitat. oppidorum castror. &c. Galliæ, lib. 4. cap. 2. ubi agit de Dalphinatu, Synceri Itin. Gall. pa. 576. aliique in nomenclatore scriptorum Gallicorum anno 1618. Parisiis edito, expressi.

b *Rediens ab Expeditione Prutenicâ,*) In edit. Furmerianâ legitur Britannicâ quod & M.SS. quidam Codd. habent, sed male; nam Beka, Annales populares, Chronicon Alberti Argentinensis Prutenicam expeditionem præferunt, nec quicquam rei Wilhelmo huic erat cum Britannis.

c *Urbem Trajectensem gravissimâ press. obs.*) Stratagema Comitis Hannoniæ, quo usus contra Trajectenses refert. Ioannes Hocsemius in vitâ Engelberti à Marka Episcopi Leod. cap. 31. vide Ioannem Leidensem in Chron. Holl. & Ægidium de Roia ad annum C. 1345.

d *Sed nihil subsecutum cum Com. ante illud tempus à Frisiis cæsus, occubuit.*) Iusto Dei judicio fit, ut qui alios temerè bellis vexant, & ob frivolas causas sanguinem fundunt, ipsi suo sanguine injuriam expient. Exemplum memorabile in hoc Wilhelmo, ut & in alio ejusdem nominis & Comitatus Principe, Rom. Rege; qui ob unius, qui tamen incognitus erat, culpam excidium urbi nostræ minatus; cùm vindictam antè in Frisiorum gentem effundere vellet, ne præceps in innocentes rueret, extinctus est.

e *Fovit Electionem Luduici Imp.*) De hac electione multi multa tradunt pro affectu suo sed nemo verius, aut certioribus probationibus rem executus est, Ioanne Geor. Herwarto Bavaro, qui ingenti volumine, contre Bzovii Monachi calumnias velitatur; ex ipsis archivis principum depromptis testimoniis.

f *W. Vicarius Imperii designatus,*) Ita vocabatur tunc provinciarum nomine Imp. præfectus, quasi vices Imperatoris gerens. Quales Latini olim dixissent, pro Imperatore; Tales fuere Procoss.; Proprætores, & qui hodie Regum vices in provinciis agunt, Proreges.

g *Duxerat Lud. Imp. Margaretam filiam Wilhelmi Com. Hann.*) Quæ hujus 4. Wilhelmi erat amita, unde sequentes Hannoniæ Hollandiæque Comites prodière: Partem stemmatis ex Chronico Bavariæ Andr. presbiteri Ratispon. adfero.

Lud. IV. Bavarus, cui prior uxor Beatrix Poloniæ Duc. F. posterior Margareta Hannonia, ex quâ nati.	Ludovicus ex priore Marchio Brandenburg.		
	Stephanus Dux in Landzhut inf. Bavar.		
	Ex poster.		
	Albertus Straubing. Dux & post fratrem Com. Holl. Hannon. Zel. &c. ob. 1405.	Albertus.	
		Wilhelmus Holl. Hann. Zel. Comes	Iacoba unica patris heres.
		Iohannes.	
	Wilhelmus Com. Holl. &c. S. L.		
	Ludovicus Romanus.		
	Otto Dux superioris Bavariæ ob. 1379.		

h Beka

o *Beka Ottonem Regem Cracoviæ,*] Bzovius in append. ad Annal. Baronii, Ludovicum cum Ottone confundere videtur; & eundem Ottonem Heda Brandenburgensem Marchionem cum Panvinio dicit, hic certè magnâ est scriptorum varietas & confusio, ut ex. Aventino, Munstero, Cuspiniano, Bertio, aliis patet. Ego inter principes aut reges Poloniæ Ottonem circa illa tempora, non invenio.

i *Casu Equi suffocatus est* XII. *Octobr.* 1348.) Alii habent v, Id. Octobr. id est, XI 1347; de equi lapsu Cuspinianus & alii referunt, sed supervixisse eum plerique volunt.

k *Castrum Luporum dictum de Wolven,*] Quàm ineptus sit Heda in interpretandis propriis nominibus, & quam parum vim verborum perceperit aut expresserit, jam ante à me dictum. Patet etiam hoc loco, quo Wulven sive Gulven, castrum luporum reddit, cum meliùs Undosum dixisset. Insignia etiam familiæ undas ubique exprimunt, & quæ ab hac descendunt similiter coloribus tantùm mutatis, ut sunt Horstiorum, Sterckenburgiorum, Hardenbroeckiorum, Hindersteiniorum, Oude-Geiniorum, Hemstediorum, &c. Castrum illud aliquoties destructum, & reparatum, tandem ad Renessios pervenit; & ante 40. vel circiter annos emptione ad D. Walterum Cravesteinium, qui domum ibi novam fecit. Feudum est Hollandicum.

l *Hemanos populos juxta Hemi fluv. ripas,*] In quibus uterque pagus Emenesse & Ter-Eme, qui **Eemlanders** vulgò, Hi sese ab Antistitis obedientiâ subtraxerant, & Hollandi Orientales dici volebant, sed magno suo malo, vi tandem ad verum dominum redire sunt coacti.

m *Coëmit municipium cum arce Laghe,*) Castrum *Laghe* pertinebat anno 1342. ad Harmannum de Laghe, cujus filia nupta Elberto Eylio Equiti, qui post 4. annos Episcopo omne territorium cum castro Laghe vendidit 5000. librar. At quia tempore debito hæc pecunia non solvebatur, multa inde damna & incommoda Episcopo provenêre.

n *Stabulum Equorum Episcopi,*) Equites Teutonici sacri olim in agro Trajectensi non procul ab Ecclesia D. Gertrudis Domicilium, in loco, qui *Op-Raven* dicitur habebant; quo ab Hollandis destructo, intra mœnia se receperunt; & hoc stabulum nacti, adjunctis vicinis suâ pecuniâ emptis areis, habitationem satis magnificam, quâ etiam nunc Fruuntur, sibi fecerunt; principibus olim ut & nunc hospitium. Pretium hujus areæ & stabuli (**van onser stallaetse** verba sunt Episcopi) **gelegen inde Sprinckwijch**) invenio 300. libb. nigr. Turonensium, quam summam pollicetur Arkelius se impensurum publicæ utilitati, ad emptionem scilicet, novi stabuli, datis fidejussoribus fratre suo Roberto Arkelio, Domino Iacobo de Lichtenberch, Adamo Soudenbalchio, Alfero Lichtenbergio, Henrico de Witte & Tidemanno Scrodekino, ut patet ex literis anno 1346, eam in rem conscriptis, hodieque extantibus. Olim ipsis fratribus Teutonicis data erat facultas ædificandi intra muros juxta cœmiterium D. Nicolai, ut ex diplomate seq. constat.

Henricus D. G. Trajectens. Ecclesiæ Episcopus & G. major ejusdem Ecclesiæ Præpositus, omnibus præsentia visuris salutem in domino. Noverint universi, quod nos Præceptori & fratribus domus Teutonicæ Sanct. Mariæ Trajectens. liberam concessimus facultatem ædificandi infra muros Trajectenses juxta Ecclesiam B. Nicolai, ipsamque Ecclesiam cum suis proventibus in subsidium terræ sanctæ integraliter contulimus eisdem jure perpetuo possidendam, & per ipsorum fratres sacerdotes deserviendam, de quâ singulis annis VI. *libras Trajectensi Præposito majoris Ecclesiæ qui pro tempore fuerit, in perpetuum exhibebunt, salvis juribus synodalibus quæ consueverunt eidem Præposito de ipsâ Ecclesiâ exhiberi. Et ne quis hanc nostram liberam donationem occasione quâcunque valeat infringere, prædictis Præceptori & fratribus præsentem paginam, sigillorum nostrorum munimine dedimus roboratam. Actum anno Domini* MCC, *quinquagesimo, in crastino Beati Andreæ Apostoli.*

p *Oppidum Renanum muro cinxit.*] Illud Godefridus de Renen antistes ante 200. paulò minus annos, summo (ut inquit Bockenbergius) cui præerat, Collegio dederat, ac tum oppidi nomen videtur habuisse. Sive igitur Arkelius primus illud muro cinxit, sive restauravit, munitiorem certè locum, &

cum, & tutiorem ab hostili vi fecit, situ tamen parùm commodo aut firmo.

P *Motus Trajecti ortus auctoribus Gunterlingis,)* Videntur hæ reliquiæ factionum priorum, quarum in Guidone ante memini; Gunterorum enim familia, à Lichtenbergiis orta, satis tum in urbe potens fuit. De hâc re sic in MS. meo Cod. Becani invenio, Anno 1346. pugnatum est ab Episcopo, una cum Huberto de Culemborg, Rob. de Arckel & Iacobo de Nievelt in foro Palatino, contra Gunterlingos numero trecentos. Meminit horum Sifridus Petri in Appendice ad Bekam. Hæc autem factio hoc antistite urbe pulsa exulare est coacta. Quæ omnia cum in literis ipsius Episcopi clarius exprimantur, eas hic adjunxi.

IAn byder Gn. G. Bisschop t'Utrecht / doen te weten etc. Dat ons aenghebracht hebben Eersame Luden Borgemeesters / Schepene / Raedt ende Oudermannen onser Stadt van Utrecht / als dat sy een willecoor hebben inder Stadt boeck gheschreven / die van langer tijt herwarts vaste ende stade gehouden wordt / spreeckende als hier na beschreven staet: Waer eenich Borger die brokich ofte misdadich worde weder die stadt / ende hem die stadt dat aff nemen woude / in wat maniere / dat / dat ware / ende waert dat hy des eenigen croene ofte clage brochte voor ons Heeren ofte voor Jonck-Heeren / ofte voor Vrouwen ofte Jonckvrouwen / hy / ofte ymant van sire wegen / daer die stadt swaernisse of comen mochte / die sal de stadt dat af doen / buten des stadts coste / of hy sal uyt die stadt een myle vander stadt wesen / tot dier tijt toe dat hy de stadt dat af ghedaen heeft / ende daer en teinden sal hy de stadt beteringe doen / totter stadt seggen. Ende want de Borgemeestren / Schepene / Raet ende Oudermannen onser Stadt van Utrecht openbaer bevonden hebben / dat Haren Jan van Leeuwenberch / Harman vanden Rijn / Grote Gysen Soon / Jan Utenweerde / Gysbrecht Haren Jans Soons Sone / Gysbrecht Gunter ende Claes vanden Putte / die stadt van Utrecht in groten swaernisse gebrocht hebben / by haren rade ende toe-doen / overmits ghecroen dat sy den Grave van Hollant truendē over de stadt Utrecht / alsoe dat hy sinen evelen moede ende toorne wierp op de stadt Utrecht / ende hise swaerlicken besat ende beorlochde / ende noch hudens dage noch niet versoent en is / Waeromme wy met hen in een gedragen zijn / alse om onse stadt ende die gemeene Borgers van Utrecht ten besten in ruste te houden / dat Haren Jan van Leuwenberch / Harman vanden Rijn / Jan upten Weerde / Gysbert Haren Jansz. / Gysbert Gunter ende Claes vanden Putte voornoemde binnen Utrecht niet comen en sullen / tot die tijt toe / dat sy desen laste / ende desen grooten onraet / daer sy ons ende onse Stadt in ghebracht hebben afgedaen ende gebetert hebben / alsoo ons Stadt bouck hout / Voort setten wy de voornoemde uyt hare Borgerschap / ende uyt alle hare privilegien / Rechten ende Vryheydt die sy t'Utrecht hadden ghelijck andere onse Borgeren / t'hent ter tijt / dat sy desen laste ende onraet of gedaen hebben den voorsz. / Voort want sy voormael gesworen hebben onser stadt van Utrecht / ende den gemeenen gilde haer beste te doen / ende haer quaetste te helpen weren / daer sy hem niet in verwaert en hebben als sy schuldich waren te doen / so zijn wy met onse Stadt van Utrecht in een ghedraghen; ware eenich man diese voorstonde mit woorden ofte mit wercken / waer by men dese saecke aen dese voornoemde Luden niet rechten en souden als voorschreven staet / datmen ter waerheydt vonde die woonachtich waren binnen Utrecht / die en souden binnen der Stadt voornoemt niet comen moghen / noch binnen een myle na der Stadt / ter tijdt toe dat hy ons ende onse Stadt ghebetert hadde dats ons ghenoechde. Voort / want Aernt vanden Veene / Jan vander Strijpe / ende Machelem sijnen broeder Harmans kinderen vander Strijpe / onser Stadts Borgers waren van Utrecht / eñ onse quaetste gedaen hebben / so ontsegghen wy hem onser Borgerschap t'Utrecht / ende alle privilegien / recht ende vryheydt die onse Borgeren t'Utrecht te hebben pleghen. Ende om dat wy alle dese voornoemde poincten mit onser Stadt van Utrecht eendrachtelicken overdragen zijn vaste ende stade te houden / soo ghelooven wy hem dese voorsz. poincten niet te verbreecken / noch daer van geene ghelijckenisse / noch soene aen te gaen / noch daer toe anders yet te doen / ten sy by de Stats Rade goetduncken eñ consent. In Orconde aller deser dingen / soo hebben wy desen brief besegelt mit onsen segel. Gegeven t'Utrecht in't Jaer ons H. 1346. des maendaechs na S. Pontiaens dach.

q *Fratrem suum in bello Leodiensi occisum,)* Quis hic fratrum Episcopi fuerit nondum mihi liquet. Iohannes enim major natu ante patrem Dordrechti in concursu equestri occubuit; nisi ex iis quæ sequuntur, constiterit Robertum, quem ditioni suæ vicarium constituerat, denotari.

r *Suspensis insignibus illius,*] Novus is tum videtur mos suspendendi insignia, cujus vix apud probatum auctorem antiquiorem mentionem fieri vidi. Hoc verò in loco post ipse antistes, licet ad Leodicensem translatus esset episcopatum, sepulturam sibi elegit.

s *Recessit Turones.)* MS. Cod. Lappii Turones vel Turonas non habet: sed Annales populares, Suffridus Petri in Appendice ad Bekam & alii nostrorum scriptorum locum exprimunt, qui est in Galliis nobilis urbs Archiepiscopatu & Consessu Iuridico celebris, vide Andream Quercetanum libro 1 cap. 122. de antiq. & memor. urbium Franciæ.

t *D. Zuederus Vterloe,*] Zuederus Uterloe ex Trans-Isselanis oriundus postea Martiniani templi & collegii Præpositus summoperè ad præsulatum Tr. aspiravit, sed non pervenit; Fratrem habuit Yvonem cui Arkelius custodiam arcis Vollenho commisit, ut ex literis anno Christi 1349. didici. Ipsius autem Zuederi Epitaphium extat in æde summa his verbis sarcophago insculptum: OB. VENERABIL' DOMINUS PRÆPOSITUS TRAIECT. ET ARCHIDIAC. SUEDERUS UTERLOE ANNO MCCC.LXXVIII.XXII APRIL. HIC SEPULTUS.

u *Pereuntibus nobilibus & civibus oppugnantibus,)* Horum quidam à Sifrido nominantur, inter quos Lichtenbergii, Rysenburgius & Drielii fuerunt, exercitus Ultrajectensium Duces; ita ut non incruenta fuerit ea victoria Episcopo, Oudewateræ captę.

x *Plurimis eorum captis,)* Annal. vulgares inter hos referunt Gisbert. Langerakium, Herpertum Liesveldium, & Conradum Oosterhoutium.

y *Designato Vicario,)* Gerardo de Veno Thesaurario & Vicario suo, quem Præpositum Arnhemiensem fuisse disco ex litteris, in archivis summi coll. Tr. existentibus, Anno 1359. & 1360.

z *A factione eorum qui Cabeliavi,)* De hac Asellorum, & Hamatorum factione apud Hollandos, non minùs quam Guibellinorum & Welphorum in Italiâ, execrandâ, Hollandicæ meminerunt historiæ, in quibus hoc Impium filii cum matre bellum plenissimè describitur: quo Lectorem avidum amando, ne instituti mei limites nimium transiisse dicar.

aa *Quæ omnia iidem tyranni fabricaverant,*] Hi petebant ab Episcopo, ut arces, & reliqua bona detinerent ad 30. annos: & ipsi annuè 2000. libr. persolverent.

bb *Wredestain arcem*] Fortè Weerdestein quæ hodie non incognita. Olim peculium Wyckiorum, Zyliorum & Wittiorum à Werèsteyn, nunc verò Grauwertiorum.

cc *Ab Ottone præfecto de Isselstain arx Insulæ Castoreæ,)* Otto nunquam præfectus, aut Dominus de Ysselstain fuit, sed filius Gijselberti de Isselstein *militis*, qui anno 1318. hos filios *suos nominat* D. Ioannem Custodem D. Mariæ, Wilhelmum Can. Trajectensem, D. Arnoldum de Isselstein militem, atque Ottonem & Herbernum. Otto anno 1344. reperitur equestr. dignitatis fuisse vir, cum fratre Arnoldo Domino de Isselstein, veluti literæ sigillo ejus roboratæ confirmant: cui uxor filia Domini de Beverweert, quæ ei castrum Beverweert in dotem attulerat.

dd *Municipium Salinosi montis post longam obsidionem cepit,*] Causa hujus obsidionis in additionibus MSS. ad Chronicon meum Becani, sic exprimitur: *Eodem anno* [*nempe* 1352.] *Dominus Gisbertus de Abcouda emit castrum de Woudenberch erga Dom. Ioh. de Woudenberch, fratrem Domini Huberti Schenck de Culemborch, in prælio Hasselensi à Leodiensibus interfecti. Filius vero D. Iohannis de Woudenberch ex instigatione & subsidio Domini Iohannis de Culemborch quadam nocte infra suburbium lateris pontem suum fuit extemplo præoccupavit, portam ulteriorem introivit, castrum cepit, custodes effugavit, & firmo munimine cum suis complicibus communivit. Gisbertus verò de Apcoudâ de amissione castri turbatus, & hanc violentiam molestè ferens, conquerebatur eandem violentiam Episcopo, supplicando ut ipse hanc ulcisci vellet injuriam. Episcopus verò cum multis belligeris propterea circumvallavit idem castrum, impugnando turres & mœnia diversis ingeniis, quoadusque castrinses urgente penuriâ victualium in deditionem transirent Episcopi, post 17. septimanas, & ipsum præsidium eidem liberè resignarunt, Episcopus verò castrum funditus destruxit.* Hujus etiam rei meminere Chronicon vernaculum & annotata D. Corn: Boothii ex publicis actis.

ee *Arcem quoque Ruwel per præsidem obtinuit,)* In Appendice supra laudatâ, hæc ferè leguntur, Chronica vernacula & scripta, quæ extant caussam, sic exprimunt vernaculo sermone: Voort sept Wouter van Mynden/ dat mijn H. van Utrecht inder tijdt/ doemen voor Woudenberch lach/ om dienst-maende van huyse ende goede van Ruwiel/ op Wouter van M. ofte op den ghenen die't van rechte doen soude/ des hem daer over niemandt te dienen en quam/ ende het mijn H. van Utrecht alsoo verbolchde/ dat het hem met rechte ane ghewijset werdt/ ende mit rechte in dat huys/ ende inden goede/ en in al zijnen toebehoren sat voor zijn eyghen goet/ ende het Wouter ghecocht heeft teghens mijn H. van Utrecht alse sijne brieven houden etc.

ff *Anno 1354. Episcopus Zuederum præfectum in Montfort,)* Annales vernaculi & appendix MS. ad Bekam annum 1353. habent ubi hæc obsidio, ejusque caussa & exitus sic describuntur: *In profesto S. Servatii Episcopus Iohannes cum plerisque belligeris vernaculis circumvallavit Montforde, secum deferens terribilem machinam cum quâ præfatum oppidum incessanter lacessivit, propterea quia Borchgravius adhærens Dominis de Culemburgh, & Vyanen, se opposuerat suo vero Domino. Sed is caute consultus attendens vires suas contra exercitum magnanimi Antistitis nequaquam posse sufficere, pacem exquisivit, fidelita-*

rem Episcopo juravit, ac magnam gazam eidem pro forefacto contulit; & sic Episcopus satis ipsum idem Trajectum recessit. (Extant literæ Suederi vernaculo sermone scriptæ quibus profitetur omnem obedientiam Ecclesiæ Traj. anno C. 1353. ut & aliæ oppidi Montfortensis plenæ submissionis, quarum sequitur tenor.

WY Schoute/Schepene/ende gemene buere van Montfoerde/ ende anders gemeene buere wonende inden kerspel van Montfoerde maken condt allen Luden / dat wy by wille ende goetduncken ons heren Haren Swederș Borchgrave van Montfoerde in een ghedragen zijn met eenen eersamen Vader in Gode onsen rechten Lants-Heere Haren Johan van Arkel Bisschop t'Vtrecht / ende hebben hem voer ons ende voer onse nacomelinghen ghehult/gheloeft/gheseeckert/ende ghezworen/ gheloven/zekeren/ ende zweren/ende wilcoren mede op alle onse goet ende onser nacomelinghen/dat wy legghende hebben binnen den Ghestichts palen van Vtrecht / also dat wy onsen Heere den Bisschop voorschreven ende sijnen nacomelinghen Bisschoppen t'Vtrecht voertane altoes hout ende ghetrouwe wesen zullen alse goede ghestichts Lude horen rechten Lants-Heer schuldich zijn te wesen/ ende dat wy ende onse nacomelinghe ghetrouwe hulpers zullen wesen des Bisschops van Vtrecht die nu is / ende wesen sal inder tijdt teghens allen den ghenen die hem ende sijnen Ghestichte van Vtrecht deren of schaden wouden/ ende dat wy hem ende sijnen na-comelingen Bisschoppen t'Vtrecht tot alre tijdt alse wijs vermaent warden / des Ghestichts palen tusschen Rode ende Bodegraven zullen helpen houden ende beschermen / nae alle onser macht/ ende zoelen oeck sijne heerlickheydt/ende sijne Gherechten sterken/ sijne panders/ sijne boden/ ende zijns Officiaelen die haer daghe-brieve ende banne brieve brenghen / vorderen ende beschermen nae alle onser machte / zoo dat hem gheen arch en gheschie / ende dat wy ons teghens den Bisschop van Vtrecht die is / ende wesen sel inder tijdt / noch tieghens der Stadt van Vtrecht nimmermeer verzetten en zoelen / mer hem altoes te doen in allen zaecken wes wy onsen gherechten Heeren schuldich zijn te doen / ende dat wy nimmermeer daer toe helpen en zullen raeden nochte wisen/ noch daer mede wesen dat hem yemandt hoogher Gherechte onderwijnde tot Montfoerde anders dan die Bisschop van Vtrecht sijne Maerschalck of sijne ghewaerden Bode/ ende dat wy nimmermeer die Stede van Montfoerde vesten en zullen mit Mueren / mit Graften / noch in gheenre manieren / te sy by wille des Bisschops van Vtrecht ende goetduncken zijnre Stadt van Vtrecht / ende waer dat zake dat wy of onse nacomelinghen eenich van desen punten verbraken / of niet en voldaden in allen manieren alse voorschreven is / zoo verboerden wy ofte onse nae-comelinghen die dat verbraken alle onse goet dat wy binnen des Ghestichts palen voorschreven legghende hadden/ ende darentends kenden wy ons selven trouweloes ende menedich. In oorconde alle deser dinghe hebben wy Schoute/Schepene ende gemeene buere van Montfoerde onsen ghemeenen zeghel aen desen brief ghedaen / ende wy ghemene buere woonende inden Kerspel van Montfoerde ghelooven dit voor ons ende onse naecomelinghe vaste ende stade te houden onder den zeghel van Montfoerde voorghenoemt / ende om die meere oorconde ende vestenisse deser dinghe soo hebben wy Schoute/ Schepene ende ghemeene buere van Montfoerde voor-ghenoemt/ ghebeden onsen Heeren den Borch-greve van Montfoerde voor-ghenoemt desen brief mede te bezeghelen mit sijnen zeghel / Ende ick Zweder Borchgrave van Montfoerde voerschreve hebbe door bede wille des Schouten der Schepene ende der meenre buere van Montfoerde voor-ghenoemt mijnen zeghel aen desen brief gedaen tot eenen Oorconde. Deser breve sijn twe alleens sprekende / Gegeven in't Jaer ons Heeren duysent dre-hondert dre-ende-vijftich op S. Servaes dach inde Mey.

Ytē

gg *Vt in eâ civis Trajectensis præficeretur perpetuò,*] Et constat Winsemios, Rineveltios cives Trajectenses huic castro & præfecturæ præfuisse, extantque hujus rei instrumenta.

hh *Arcem verò pacis, sive Vredelandt redemit ab Augustâ,*) MS. app. *pro castro Vredelande ad plenum persolvit Margaretæ Imperatrici, quod ab antecessore suo oppignoratum fuerat, & in suam potestatem recepit pro* VII. *M. libr., quam pecuniam Floremius de Bockhorst ex parte Imperatricis accepit.*

ii *Ecclesias instaurare, & biblioth. ornam. necessariis cœpit adornare,*) De ea re sic Sifridus: *Ecclesias dirutas restauravit, restauratas libris optimis, Calicibus, aliisque pretiosis ornamentis instruxit, pretiosissimam etiam mythram cum baculo pastorali argenteo deaurato propriis expensis fieri fecit.* In MS. meo quædam etiam referuntur de brachio S. Apollinaris ab eo Ravennâ allato.

kk *Erat enim doctus admodum, & volumina ingentia composuit*) Heda infra: *In Gallis bonis literis artibusque quibus pollebat, operam dedit.* Placentius de Episcopis Leodiensibus: *In sacris atque secularibus literis non vulgariter institutus.* Chron. M. Belgicum: *Vir utique doctus scientiis tam spiritualibus, quâ secularibus.* De libris verò ab eo compositis nulla extat memoria, nisi ii lateant alicubi & cum tineis pugnent. In libro D. Gisb. Lappii notatum in margine: *Ioannes Arkelius jussit conscribi librum Pontificalem, qui continet in se septem libros: 1. De consecratione ministrorum: 2. De Ecclesiis, cœmiteriis, vasis consecratis: 3. De benedictione rerum profanarum: 4. De cœna Domini: 5. Officium defunctorum, cum Psalterio: 6. Benedictiones per totum annum omnibus Dominicis & festis, per orationes: 7. De Degradationibus.*

ll *Cui ferè omnes nobiles Episcopo fide adstricti adhæsere,*) Hos recenset Sifridus in Appendice ad Chron. Becani, in meâ tamen appendice MS. additur Ioannes de Culemborch quondam Woudenbergæ dominus, & pro Iohanne Schonouwio, Hubertus legitur.

mm *Occisis circiter octuaginta ex primoribus,*] In supplemento MS. meo: *corruerunt autem in illo certamine* lxx. *de optimis Bunschotensibus.*

nn *Erat tunc in vico Gano turris fortissima,*) Hanc alii *Snoyen tooin* appellarunt, à Snoyis nempè possessam, horum enim celebris & nobilis hic olim floruit familia, ex quibus Arnoldus cum filio vixit circa annum C. 1288, Iohannes 1290, Bernardus miles 1381. Arnoldus Eques cum fratre Theodorico, aliique dicti Snoyi de Oude-Gein, ex Wuluenis oriundi. Hic ante paucos hos annos à loci possessore, Domino Adriano Plosio Amstelio Equite illustri, partim ex veteribus fundamentis, partim noviter jactis erecta est arx Oude-Geina, amænissimo loco sita.

oo *Oppida Mudam & Wesopam,*] MS. meus supra laudatus: *Anno Domini 1356. post conversionem S. Pauli Episcopus Ioannes cum electis armigeris venit ad oppida Weesp & Muden quæ bellanti manu infra trium dierum spatium sibi victoriosè subegit;* Chron. vern. dicit quarto die vi expugnata & incensa.

pp *Præfectum Monsfortis nepotem suum tunc præsidem,*) Erat is Suederus Ultrajectensis Mareschallus [ut vocant] Castellanus de Montfort, cujus mater filia dn. de Isselstain, hujus extat fidelitatis juramentum anno 1355. Episcopo, Et ditioni Traject. præstitum: quo non obstante Sleidanum & Diclenium Satrapas cum 40. armatis ad hostes Episcopi properantes captos & sub custodiâ sua existentes dimisit, & hostibus iisdem se junxit.

qq *Passi sunt & cives Amersfordienses cladem à præfecto opp. Nardeni,*] MS. meus: *Eodem anno (1356) 14 die mens. Martii Dominus Gysbertus de Nyenrode veniens ex Neerden cum multis ac bellicosis vernaculis incendit pagum Zoest, è contra verò Marescalcus Episcopi in Eemlant Otto de Lare coadunatis sibi Amersfordiensibus animosè ipsos aggressus est, & crudele bellum exortum est, in quo primo aggressu Nienrodius lethaliter sauciatus est, ut inde super cuspides in gesâ portaretur, sed postremò Ottone Marescalco cum 36. probatis armigeris necatis Hollandi victores extiterunt.*

rr *Subsecuta pax inter Episcopum & Comitem,*) Conditiones à Sifrido Petri referuntur, ut & in Annal. Vernaculis: Vidi & originales descriptas in quibus Comes profitetur bona de Amstel, Woerden & Cuck ab Antistite clientelari posthæc beneficio se possessurum. Item ut Gunterlingi 7. exules ibidem nominati restituerentur quos etiam inde reliquos sponte Episcopus restituit.

ss *Filia Ducis de Suldenis,*] De filia Ducis Brigensis scriptores ferè conveniunt, Suidensis nescio an alius præter Hedam meminerit. Videtur autem Bregensis ducatus in Silesiâ situs ad limites Poloniæ & idem dici à Sanmarthanis fratr. Suidenic.

tt *Præsidium quod vocavit Arkelstain,*] In Zallandiâ, inter West-caspel [sic in MS. meo] & Backmer in loco silvestri ædificans castrum magnum, quod vocavit Arkelstain: alii Bathman & Wegestapel legunt. Superat & hodie in Zallandiâ castrum Arkenstain nec procul inde Bathman, & Wessepe, ut in Provinciæ istius tabulâ videre est.

uu *Erasa est arx Saersloo,*] Nunc Saetzvelt dicta, quæ possidetur à Nobili & antiquâ familiâ Rederorum in quâ vixit anno 1260. Bitterus Miles de Rede, cujus literæ & sigillum servantur in Tabulario Equitum Teutonicorum Trajecti. Extat hujus Episcopi tempore facta declaratio H. de Selwart de controversiâ Groning. quæ est talis. Pateat universis quod nos Henricus de Selwart armiger tractatus initos inter ven. viros Decanum & capitulum Ecclesiæ Tr. parte ex unâ & me H. prædictum parte ex altera, super infeudatione Iurisdictionis oppidi de Groningen, ad ipsos (ut asserunt) ab antiquo spectantis; quantum per me stetit, bona fide & legaliter persequar infra hinc & festum Pentecostis proximè venturum præstante domino feliciter terminandos. In cujus rei testimonium mei sigilli appensione feci præsentem literam roborari, Datum Trajecti, anno Domini Millesimo ccc quinquagesimo secundo, die quarto mensis Aprilis.

x *Paludem dictam Mastebroeck in Transiselanis aggeribus inclusit,)* In appendice MS. *Anno* 1364. x. *Februarij tota terra Mastebrouck magnificus Episcopus obtulit B. Martino, cum medietate decimarum; aliam verò med. decim. obtulit capitulo Davent. in honorem B. Lebuini confess.* Tota v. terra est 33. Houvarum. Heda habet jugera perperam ut puto.

yy *Sub quo primum cœptum Collegium Canon. in Oppido Leidensi,)* Collegium illud Pancratianum, vulgò Hoochlandicum, 24. Canon. erexisse his consentit Guicardin. Vernenburgium hujus successorem anno 1366. schedæ nostræ habent, post biennium quam ad Leodiensem translatus fuisset Ecclesiam Arckelius; quod & Orlerius in Leidensi descriptione; ubi diploma fundat. recitat. asserit.

zz *Instituit & ipse in Oppido Gorcum cum Ottone de Arclo,)* Id factum ut habent schedæ nostræ anno 1378, paulò ante quam moreretur. Appendix ad Bekam MS. *circa hæc tempora (annum scilicet 1378.) fundavit in Gorinchem venerabile collegium* &c. Canonicorum XIII. ex quo prodiit tandem Ioannes de Hare, Gorinchemius, qui Haganæ biblioth. Primus auctor. vide Guicard. Belgium in Gorcom.

αα *Hoc tempore puellus perfectè loquens:*] Ejusmodi prodigia in historiis passim occurrunt, ut de infante à Sergio PP. interrogato de patre, ex Surio in vitâ Anshelmi: De alio, Abbati Danieli de patre respondente ex Sophronii prato Spir. Adde Gregor. Turon. aliosque.

ββ *(Vulgariter Cormede)* In ipso diplomate, quid hoc sit verbi quodammodo explicatur; occurrit etiam in ejus & anteriorum sæculorum monumentis sæpissimè. In literis Florentii de Batenburch de bonis in Balgoye anno 1247. *in libro Cameræ fol. 25. Nullus servus vel libertus Cerocens. vel Curmedalis in Ecclesiâ nostrâ potest esse Canonicus.* Item in litteris Abb. Gerardi S. Pauli Traj. Anno 1422. Gerardi Com. Gelrens. anno 1227, in sententia Walt. de Morsenborch 1349. passim, Arnoldi Abbatis Egm. anno 1230. &c.

Iohannes Quintus Episcopus XLVIII.

Veelen & Broickhuysen hostes Episcopi.

ANno itaque lxiv. Iohannes(a) ex Vernenborch surrogatus à Romano Pontifice xlviij. constituitur Episcopus, vir mansuetus, & pacis amator, inveniens juxta ejus animum Episcopatum in oppidis & Arcibus liberum ac ditem. Passus est tamen sequenti anno magna incommoda à quibusdam Westphalis ex familiâ de (b) Veelen, & de Broickhuysen, qui in Transiselaniis per multos vicos ingentem prædam abegerunt, de quibus tamen præsentaneam sumpsit vindictam non spernendo comitatus equitatu, omnia hostium municipia ferro ignique vastans, & solo adæquans: quos etiam ad condignam compulit satisfactionem.

Amersfordenses coguntur ad obedientiam.

Episcopus capitur.

Anno lxvi. obsedit Amersfordiam, eo quod cives illius loci vendicarunt libertatem, coacti parere & pendere quicquid tenebantur. Anno verò lxviii. v. Kal. Novembris, dum Episcopus hybernaret in oppido Ghoer, per insidias hostium, vigilum incuriâ, locum noctu occupantium capitur, trucidatis aliquot ex suis, & magno ære redimitur à nonnullis, quibus Provinciæ cis-Isulanæ cum arce Vollenhoe ex hoc rursum impignorantur in maximam Ecclesiæ jacturam. Albertus quoque Dux Bavariæ instigatus per quendam Gisbertum Gunter exulem Trajectensem, & ob literas illi exhibitas, vel per ipsum exulem in odium suorum, vel per alium, cui arx (c) Vredelant pridem Comiti Hollandiæ per Iohannem Diestensem impignorata fuerat, civium bona rapi atque distrahi permisit; fuit tamen quæstio intercepta arbitrio Eduardi Ducis Geldriæ, qui filiam Alberti desponsarat, ut pecunia inscripta literæ redimeretur statuto tempore.

1371. Episcopus moritur.

Iohannes verò Episcopus cùm præfuisset annis septem, morte subitaneâ, vel uti suspicabatur, ex veneno periit, anno M ccc lxxi. ix. Kal. Iulii, absque ulla pompa funebri sepultus in Basilicâ majore.

a *Iohannes ex Vernenborch:* Ex Comitibus scilicet de Vernenburg. Est autem Vernenburg Comitatus inter Aerem & Netam fluviolos situs, ad limites Trevirorum; Castro nobilitatus antiquissimo, quod prius sui juris erat (teste Bertelio) & nulli majori subditum potestati; sed anno C. 1270. Comitibus Luxemburgensibus pro summâ 200. libb. denariorum mutuo datâ feudale effectum est; rem tum gerente Henrico Comite de Virnenburch. De nomine ejus conjecturam vide apud eundem Bertel. in historiâ Luxemb. pag. 108. est hodie Peculium Manderscheidensium Comitum. Fuerat hic 37. Monasteriensium Episcopus, post Adolphum Comitem de Marcâ de quo sic Crantz. in Metrop. lib. 9. c. 45. *Ioannes de Vernenborch qui Adolpho in Ecclesiam Monasteriensem successit, cum vix annum in ea perstitisset mox transfertur ad Ecclesiam Traj.*

b *Ex familia de Veelen & Broickhusen,*] Antiquam & potentem ap: Clivenses familiam invenio Veelensium, ex quâ circa an. 1274. Arnoldus de Veele miles testis adhibitus literis Henrici de Lecka. Nec minus potens & nobilis familia fuit Broeckhusiorum in Gelria etiam non ignota.

c *Magno ære redimitur,)* Lutrum redemptionis fuisse constat 16000. scutorum veterum; redemptionem procurantibus Jacobo de Zondenbalch, ex familiâ Lichtenbergicâ (indicante sigillo)

sigillo) Abbate S. Laurentii in Oostbroeck, Gisberto Vianensi, Zwedero Viauensi, Iacobo Zuleno Nieveltio, & Gerardo Vrenckio.

c *Cui arx Vredelant pridem Comiti Holl.*] redemta ea arx ab Augustâ Wilhelmi sorore jam erat per Arckelium, teste hoc nostro auctore supra, sed malitiâ Gunteri exulis eæ literę in manus Alberti pervenerant. Hinc discant tam privati quàm publicæ rei præfecti quam periculosum sit literas obligatorias redemptas conservare velle integras; unde etiam nos inter privatos controversias ortas vidimus inter posteros valde periculosas. Vide quæ hic noster in successore Arnoldo refert, de eadem arce.

Supersunt literæ Verneburgii Episcopi quibus pollicetur se nunquam alienaturum à dominio Traject. castrum Eembrug, nec permissurum ut damnum civitati vel civibus Trajectensibus inde inferatur, quarum cum apud me extet exemplar, ex pervetusto codice descriptum illud operæ pretium duxi, hic inserere:

WY Johan van Virnenboꝛch byder genadẽ Gods Bisschop t'Vtrecht/ maken cond allen Luyden/ dat wy in tegenwoꝛdicheydt onser Ecclesien ẽn des Raets van onse Stadt V.trecht gelooft ẽn gesvvoꝛen hebben dat wy dat huus t'Embꝛug ende sulck goet als daer toebehooꝛt nimmermeer versetten noch versellen en sullen noch yemant verlijen noch verlenen of in eeniger manieren den gestichte van Vtrecht ontferren en sullen/ ẽn wy oeck onse stadt van Vtrecht/ ẽn onse gestichte vooꝛsz. ofte ymandt daer mede ooꝛlogen en sullen/ noch gehengen naer onse machte sonder archeyt datse ymant daer mede ooꝛlogen/ wy en haddent eerst verbolghet in allen manieren alse den open bꝛief inhoudt die Bisschop Johan van Arckel onse vooꝛ-vader onser stadt van Vtrecht daer op gegeven heeft/ In oꝛconde dit besegelt mit onsen segel/ Gegeven in't jaer ons Heeren M CCC lxiiij. des donredags na Sint Martins dach inden Winter.

Hisce junguntur aliæ quibus privilegia ipsis civibus confirmantur.

ALlen etc. Doen wy Johan van Virnenboꝛch byder genaden Gods ende des stoels van Romen Bisschop t'Vtrecht te weten/ dat wy onsen lieven boꝛgeren ende de stadt van Vtrecht alle hoꝛe pꝛivilegien/ rechten/ vꝛyheden/ wilkoꝛen ẽn koeren die sy hebben/ ofte vercregen hebben van Keyseren/ van Roemsche Coningen ende van Bisschoppen t'Vtrecht onsen vooꝛ-vaderen soe wie zy gheweest zijn/ ende alle hoꝛe oude hercomen die zy van onse vooꝛ-vaderen tijden ende hoꝛe oude tijden haer gebꝛocht hebben tot desen dage toe/ confirmeren/ vast ende stade beloven te houden/ sonder enich wederwoerde ofte wercken/ mit goeden trouwen/ in ooꝛconde des bꝛiefs besegelt mit onsen zeghel/ Gegeven in't jaer ons Heeren M CCC lxiiij. op onser Vꝛouwen dach Nativitas. Ejusdem ferè tenoris aliorum Episcoporum extant literę mutatis mutandis.

Arnoldus Secundus Episcopus XLIX.

SEde jam vacante, pars elegit (a) Zuederum Wterloo majorem Præpositum, virum illiteratum, incultis moribus, Religionis ac disciplinæ Ecclesiasticæ penitus ignarum, cui & Capitulum Daventricum adhæsit: Sed major pars & sanior ipsum respuebat. Unde Urbanus Papa constituit Arnoldum Principem (b) ex stirpe clarâ de Horn, tunc in curia præsentem. Qui receptus (b 2) pridie Kal. Octobris xl1x. constituitur Episcopus, vir literatus, formâ egregius, comis atque affabilis, non detrectans arma. Hic debita ex captivitate prædecessoris contracta, persolvit, arcem Vredelant principi Apcoudio commisit eâ conditione, ut in fide Trajectensium conservaret, nec ullum ex ipsa aliquo colore injuriari permitteret, pactis (c) parum servatis. Hic mortuo Reinaldo Duce Gelriæ absque prole, (d) assumpsit sociale bellum pro seniore sorore Renaldi, quæ Comiti Clivensi nupserat, contra Wilhelmum Ducem Iuliæ ex juniore sorore natum: fuit bellum atrox & diuturnum, in quo idem Episcopus magno discrimine se suosque immiscuit, vix evadens manus hostium, nisi sui apud Tielam suppetias venissent. Fuit etiam bellum minus necessarium pro Episcopatu. Nam territorium Trajectense incendio & rapinis datum, nullum sensit commodum. Anno verò M ccc lxx111. Traject. duxêre altam fossam, à Nieuvaert ad Grotenvade, & locarunt (e) ad ripam Leccæ fluvii cataractas, sive (f) repagula bina lignea, quo aquas faciliùs aut excluderet, aut intromitteret, ubi &

Episcopus bello se immiscens non necessario, vix hostium manus evadit.

1373. *De Vaert boden.*

ubi & arcem præmunitam condidêre, quam Gildenburch nominarunt à collegiis artificum sic dictam in vico Vreeswick, ne illæ per hostes aliquando destruerentur: Concitantibus ex hoc ipsis adversum se Gisbertum Vianensem atque Dordracenses, qui in odium & servitutem ipsorum id factum suspicabantur: atque Albertum Ducem Bavariæ, & Comitem Hollandiæ commoverunt adversum Trajectenses, cum quibus ortâ discordiâ super redemptione arcis Pacis sive Vredelant. Quia Comes plus exigebat, quàm conventum fuit. Arx Coronæ, quam Cronenburch dicunt, à Trajectensibus capitur & destruitur. Oppidum Insula sive *Nullum malum solum, sed aliud ex alio pullulat.* Woerden à Trajectensibus frustra appetitur, adustis suburbiis: oppida Muden, Wesop, & multi vici coacta tributum ingens solvere, loco pecuniæ à Trajectensibus per Comitem extortæ. A quibus tum Zwederus Præfectus in Gaesbeeck ad Comitem deficiens, contra jusjurandum bellum indixit. Arx quoque Gildenburch à Comite obsessa tandem deditur, rursumque à Trajectensibus recuperatur, semper audacissimè oppugnata, & rursum ab præsidiariis validè defensa, factæque per Trajectenses multæ incursiones in Hollandiam, multæque hinc inde prædæ: tandem omnis dissensio composita ea conditione, ut Vreeswick cum assertione(g) Episcopi, & septem stolarum cederet Episcopatui.

1374. *Inundatio agris damnosa* Anno verò M. ccc. lxxiv. facta est ingens inundatio aquarum, quæ oppida ac vicos plures subruebat, sæviens per quadrimestre, ita ut per agros ac prædia navigio undique progrederetur, interruptus postea est agger fluminis Leccę, qui multo majore incommodo Hollandiam afflixit. *Leodii Iohannes de Arkel moritur 1378. in ejus locum transfertur Arnoldus Episcopus Trajectensis* Arnoldus itaque defuncto anno M. ccc. lxxvii. Iohanne de Arckel apud Leodium, cùm arcem de Putte nstain, Campensibus infestam, cui Herbernus præerat, solo æquasset, aliam verò in Territorio Trajectensi Loenresloet ad (h) deditionem coegisset, transfertur ab Urbano Sexto, cùm sedisset septem annis Trajecti (ipsis Leodiens. postulantibus) ad Ecclesiam Leodiensem.

a 2 *Pars elegit Zuederum Vterloo,*) De hac electione, & quâ ambitione ad illam progressus fuerit Zuederus, extant ap. me acta satis prolixa ex authenticis descripta, ex quibus patet, quâ viâ etiam olim grassarentur ad dignitates ecclesiarum. Chron. M. Belg. nepotem Giselb. de Vianen dicit.

b *Arnoldum Principem ex stirpe clarâ de Horn.*) Filium Wilhelmi domini de Hoorn cujus hic apposui stemmatis partem ex veris monumentis à nobili & diligenti eâ in re viro Carolo Rietwyckio, collectam:

<table>
<tr>
<td>Gerardus dominus de Horne, & Altena, post mortem fratris Wilhelmi: cujus uxor Ioanna de Gaesbeeck, ex familiâ principum Lovaniens.</td>
<td>Wilhelmus dominus de Horne Altena, Gaesbeeck, Herstal, Heze, Leende, Loen, Wadert. Prima illi uxor Oda F. Nicol. domini de Puttē & Stryen. Secunda Ermgardis, vel ut habetur in Chron. Clivensibus Gerardi à Schuren, Elisab. F. Theodorici Cl. Com.
Otto Classis Francitanæ præfectus temp. Phil. Valesiis.
Beatrix de Horne.</td>
<td>Ex priore conjugio.
Gerardus de Horne &c. ἄπαις.
Ioanna ux. Gisberti Abcoudii.
Oda ux. Iohannis Polani.
Beatrix Audegemii priorissa.
Berta Vestalis Reinsburg. 1363.
Ex posteriore.
Wilhelmus d. de Horne & Herstal cui ux. Elisabetha Arculea.
Theodor. dom. de Parwis.
Theod. Loevius d. de Moncornet, Heze, Baucigny.
Arnoldus de Horne Episcop. Traj. post Leod. 1389. x. Mart. mortuus
Elsabena ux. Henr. Diestii Burcgr. Antwerp.</td>
<td>Wilhelmus dominus de Horne &c.
Theod. Episc. Osnaburg.</td>
</tr>
</table>

b 2 *Arcem Vredelant Principi de Abcoude commisit,*) En iterum principes vocat minoris conditionis proceres, & nimis vile hoc nomen habet. De hac commissione extant monumenta, apud me conservata.

b 3 *Qui receptus pridie Kal. Octobr.*) In vetusto Cod. MS. ita scriptum invenio: *Profesto Michaelis, quâ dies erat Dominicus anni C. 1371. ingressus dominus noster Traject. civitatem, præstans ante omnia in Basilicâ ipsius civitatis juramentum, se nempe conservaturum fideliter civium jura, statuta, leges, libertates, privilegia*: idque factum prius quàm ad templum primarium procederet, vel Ecclesiæ solito more juraret. Præsentibus ibidem Coss. novi consilii Harmanno Lochorstio & Wilhelmo de Angeren: Senatoribus coll. artif. (quos overste Oudermans appellant) Iohanne Koecke, Harmanno Passaert Coss. verò veteris consilii; Godescalco Vrencke & Frederico Bole: Senatorib. Coll. artif. Woltero de Coelenberch, Wilhelmo Hugonis filio. Diploma etiam ipsis confirmatorium ex consuetudine antecessorum suorum (quod & sequentes Antistites secuti sunt) expediri fecit paulò post, die Martis, post festum D. Matthei, eâdem fere formulâ quâ supra præcedentis Episcopi expressum est.

Pactis

c *Pactis parum servatis.*] Sugillatur hic fides Abcaudii,quasi malè servata;nec mirum,quum & majorum gentium principes eo tempore fidei parum tenaces erant, ut ex pactis, promissisque initis,ruptisque satis superque patere posset, si in eâ re demonstrandâ quis operam suam collocare vellet.

d *Assumpsit sociale bellum pro seniore sorore Renaldi,*]Quattuor fuêre filiæ Reinoldo, qui primus Gelriæ Dux à Lud. Bavaro Imp. creatus anno 1339. videlicet Margareta, Mechtildis, Maria, & Isabella, quorum tertia Maria nupta Guilielmo Iuliacensi primo Duci, cujus filius Wilhelmus post mortem Reinoldi & Eduardi patruorum Gelriæ Dux est factus.

e *Locarum ad ripam Leccæ fl. cataractas,*] Hinc nempe ex Lecka deductus fluviolus, qui per urbem Trajectensem in Vechtam fluit; & magno civibus usui ac commodo fuit; quare muniendum locum putarunt cives, licet ægre id ferentibus vicinis.

f *Repagula bina lignea)* Quibus intra sæculum tertiam adstrui catharactam Magistratus curavit, ad inventum insignis Architecti Wilhelmi ab Ora Zwederi Waverení filii, quæ magis Leccam versus prominet, securioremque navibus dat transitum.

g *Assertione Episcopi & septem stolarum,*] Hunc morem Episcopis ex privilegio principum competiisse constat; eumque confirmat in diplomate, supra in Ioanne Arculeo posito, expressis verbis Carolus quartus Imp. & hoc ritu obtinuit Fredericus de Blanckenhem oppidum Hagenstein; cujus rei instrumentum adhuc habetur in archivis Collegiorum amplissimum.

h *Loenresloot ad deditionem coegisset.*] Cum enim Splinterus de Loenresloot equestri ordine & familiæ antiquitate elatus multa superbè & violenter in principe suum & vicinos perpetrasset, tandem armata manu compulsus est Antistiti se & suâ submittere, & post interventu Hornensis ad Leodiensem cathedram tum assumpti, certis conditionibus pacem cum Florentio inire compulsus, ut nempe vi ablata, restitueret & arx ejus Londerslotia Episcopis semper in posterum pateret cujus rei instrumentum apud me descriptum extat in quo singula amplissime describuntur anno 1386.

Florentius Episcopus L.

SUrrogato (a) apud Trajectum in ejus loco Florentio de Wevelichoven, accito à civitate Monasterio, cui (b) tamen Præfecti arcium atque oppidorum primâ fronte non obtemperavêre, cum Arnoldo adhuc astringerentur fide, qui vel Episcopatum sibi commendari posse sperabat, saltem voluit extorquere proventus omnes anni unius, donec Florentius post annum ferè impeditus, auxilio Ottonis de Arclo, atque Præfecti de Isselstain introduceretur mense Novembri, anno lxxix. & quinquagesimus constitueretur Episcopus, viro omni probitate conspicuus, prudentiâ, fortitudine animi ac literis juxta præditus, qui Episcopatum per prædecessorem ob Gelrium, Hollandicumque bellum rursum oneratum, debito levavit, arces munitissimas in Transiselanis Eerden post longam obsidionem permissâ defensoribus vitâ confregit, partim ferro, partimque igni: ardebat enim mense continuo. Item eos in (c) Molen atque Laghe edomans undique, ut qui agerent latrocinia. Sensit interim adversitatem: Nam orto schismate propter Urbanum Romæ, & Clementem Avinione electum, cui solus Francorum Rex adhærebat; (d) Renaldus frater Præfecti in Vianen ab hoc Clemente Episcopatum impetravit, cui & frater clam adhæsit, possidens arcem Goy. Episcopus verò detectâ fraude, quamvis grandævus obsessâ arce coegit utrumque in fidem suam jurare, atque etiam Urbani Papæ. Fecit & exhumari ossa cujusdam hæretici (e) Matthæi Lollaert, atque ante atrium Pontificale comburi, cineresque in fossas urbis dispergi. Gisbertum (f) Principem Abcoudæ, nec non (g) Henricum Præfectum Montisfortis, supremam Iurisdictionem vendicantes, quas nunquam habuêre, decimasque Ecclesiarum ac civium possessiones usurpantes: Illum sententiâ Iudicum, hunc longâ obsidione, atque interventu Arnoldi Episcopi Leodiensis, coegit hujusmodi actiones abdicare, ita ut Episcopus censeatur supremus Dominus omnium Præfecturarum ac Dominiorum (h) Provinciæ Trajectensis: (h) præter ea quæ sunt sub Ditione Ecclesiæ sancti Ioannis. (i) Splinterus quoque de Loenresloet pro commissis gravi ære plexus, factâ restitutione eorum, quæ diripuerat, in gratiam receptus est, ita ut omnium horum præsidia Episcopo semper manerent, ac aperta essent. Et pro veriore judicio quidam Iohannes Bommelanus, qui quendam Arnoldum Scharmer occiderat, à Præfecto Episcopi captus in Monteforti, Trajectum ducitur, ibique decollatur.

Florentius succedit Arnoldo Episcopo Traject. anno Chr. 1379.

Scisma Romanæ Ecclesiæ.

Episcopus supremus Dominus omnium Præfecturarum.

Exemplum Iurisdictionis supremæ.

Circa hæc (k) tempora, scilicet anno M ccc xc i i. cœptum Monasterium Carthusiensium in suburbio Trajectensi. Arx (l) Horresta impignorata recuperatur ab Episcopo. Et quidam (m) ex professione Divi Francisci sese pro Sacerdote & Episcopo gerens, & in suffraganeum Episcopi Florentii assumptus, cùm aliquandiu sacra omnia peregisset, inventus falso charactere atque literis usus, destituitur, & ferventibus aquis immergendus adjudicatur. Impositus

Falsus clericus punitur gladio.

positus verò aquis (quia clamore suo Episcopum ad pietatem commovit) statim extrahitur, & capite truncatus obtinuit sepulturam. Unde plerique consecrati ab eo, rursum fecêre se ab alio Episcopo consecrari. Cæteri verò ad sæculum reversi, uxores duxêre, actis illius omnibus irritis factis. Anno demum (n) M CCC XCIV. pridie Nonas Aprilis, quæ fuit dies Parasceve, obdormivit Florentius Episcopus in Domino, cùm præfuisset (o) annis sedecim & semi, alibi XIV. Qui quamvis invidiâ multorum potentum non caruerit, administravit tamen cuncta strenuè & prudenter, cunctas arces & oppida, Episcopatus annonâ, cæterisque necessariis fulcita, in liberâ potestate successoris dimittens, construxit & arces in oppido Duromonte (Hardenberch) atque in Umma munitissimas, alias omnes curaverat restaurari jam collapsas. Decumbenti autem in lecto ægritudinis, advenêre (p) amici, partim sanguine, partim obsequio juncti, cupientes accipere mercedem. Quibus ipse respondit sese eis jam contulisse, quæ dare statuerat, jussisque è palatio omnibus recedere, Præfecto interdixit ne ammodò intromitterentur. Designavit & thesaurum, ex quo debita persolverentur, ordinans ut residuum cederet S. Martino, à quo acceperat, & successori, ad cujus securitatem jussit omnia loca munita in fide conservari, ne quid adversitatis ex morte suâ perveniret, ut sic liberius excederet. Corpus translatum in Basilicam Trajectensem, ante summum altare sepelitur. Sub eo Ecclesia Trajectensis obtinuit à Wentselao Augusto, indultum juxta formam sequentem.

Florentius Episcopus moritur 1394.

Episcopus curat Ecclesiam, & non amicos.

Privilegium Wenselai Regis Romanorum.

WEnselaus Dei gratiâ Romanorum Rex, semper Augustus, & Bohemiæ Rex. Notum facimus tenore præsentium universis. Etsi inter claras publicæ rei curas, quibus Sacræ Regiæ Majestatis circumspecta benignitas, universorum commodis & saluti dignatur intendere, ad ea tamen, quæ statum & salubrem utilitatem venerabilium Ecclesiarum, & personarum Ecclesiasticarum prospiciunt, signanter, ut in suis juribus & libertatibus illæsæ permaneant, tanto diligentioribus studiis inclinamur, quanto per hæc illius auxilio, qui principibus dominatur, statum Regium nostrum credimus posse felicius adaugeri. Sanè venerabilium Decani & Capituli Trajectensis Ecclesiæ devotorum nostrorum pensatis incommodis, quibus per invasores & temerarios quamplurimos, ut fide dignâ relatione accepimus, in suis juribus molestari possent, & succumbere, consideratis præclaris & multiplicibus eorum meritis, constantis fidei puritate, ac innatæ (q) devotionis insignibus, quibus Divis Regibus & Imperatoribus, progenitoribus nostris & antecessoribus, ac Sacro Rom. Imperio placere studuerunt accuratius, nec desinunt indefessi ad ea solerter inniti, quæ nostri & ejusdem Imp. commodum prospiciunt & honorem, animo deliberato, non per errorem, aut improvidè, sed ex certâ scientiâ, sano Principum nostrorum & fidelium accedente consilio ipsis gratias facimus infrascriptas. Primo quod dicti venerabiles Decanus & Capitulum, qui pro tempore fuerint, possint auctoritate Regiâ Romanâ, ordinare, facere, crea-

re, creare seu instituere Judices, Balivos, Officiales seu Iustitiarios sæculares, Barones, Milites seu Clientes, unum vel plures, ipsosque destituere, & alios vel alium de novo instituere, creare & ordinare, sicut ipsis Decano & Capitulo conveniens visum fuerit vel oportunum: qui adversus invasores, perturbatores, oppressores & molestatores jurium prædictorum, rerum mobilium & immobilium ecclesiæ Trajectensis prædictæ, & Capituli & singularum personarum & beneficiatorum ejusdem, nec non adversus occupatores & frivolos detentores, redituum, fructuum, proventuum, decimarum & censuum suorum ubicunque consistentium, prætextu dignitatum, Officiorum, præbendarum & beneficiorum suorum, in dictâ Ecclesiâ consistentium, quocunque censeantur nomine, ad eos de jure seu de consuetudine quomodolibet pertinentium, per modum citationis, expandationis, arrestationis, & alias prout visum fuerit, faciant, reddant, & exhibeant, seu faciat, reddat & exhibeat, plenissimam justitiam juxta & secundum congrua & ordinaria, seu extraordinaria fori sæcularis auxilia, quibus cæteri sæculares in similibus casibus pro suis consequendis juribus potiuntur, ipsisque judicibus, Ballivis, Officialibus seu justitiariis sæcularibus, ut præmittitur instituendi, præmissa faciendi, damus præsentibus, de plenitudine Regiæ Romanæ potestatis, plenam & liberam facultatem & auctoritatem. Item cupientes ut Decanus, Capitulum, Canonici & beneficiati prædictæ Ecclesiæ juxta Ecclesiasticas libertates quoad temporalia judicia illæsi permaneant, & defensi; statuimus, concedimus & ordinamus, ut super quibuscunque querelis, quæstionibus, & causis etiam sæcularibus motis seu movendis per quoscunque seu quæcunque contra Ecclesiam, Capitulum, & singulares personas prædictas, eorumque beneficia, fructus, reditus, libertates & jura, quæcunque moveri, tractari, agitari, ventilari, finiri atque terminari debeant, coram eorundem Ecclesiæ, Capituli, & personarum spirituali judice competente, & super hoc in foro temporali seu vetito, aut sæculari nullatenus molestari: Immò per præsentes quibuscunque nostris, & Imperii sacri fidelibus, & aliorum quorumcunque sæcularibus, & temporalibus Iustitiariis, & Judicibus specialiter inhibemus, ne de hujusmodi causis, quæstionibus & querelis se quomodolibet impediant, seu contra præmissa quicquam attentare præsumant. Deinceps auditis incommodis, expensis & laboribus gravissimis, quibus Ecclesia, Capitulum, & personæ prædictæ fluctuare noscuntur, pro se suisque beneficiis, ac suorum, & eorundem beneficiorum fructibus, bonis, juribus, & libertatibus pacificè conservandis; ea-

2. Ecclesiastica persona ad forum Ecclesiasticum vocanda, & non aliò.

3. Capitulum & ejus personæ procuratorem dare possunt.

dis; eadem auctoritate statuimus & ordinamus, ut idoneus nuncius & Procurator Ecclesiæ Capituli & singularium personarum ejusdem per litteras Capituli sigillatas canonicè institutus & ordinatus, poßit & valeat nomine Ecclesiæ & Capituli prædictarum, coram quocunque Iudice, & in quocunque judicio sæculari, seu temporali comparere, experiri, petere, recipere & obtinere complementum justitiæ, ac si præsentes forent Capitulum & ipsæ personæ principales. Et ut nostræ Majestatis singularis affectio, quæ ad Ecclesiam, Capitulum & personas prædictas Regali favore protenditur, agnosci valeat perabunde, volumus, & auctoritate prædicta concedimus ex prærogativâ singulari, ut Ecclesia, Decanus, Capitulum, & omnia membra Ecclesiæ & Capituli prædictorum gaudeant & gaudere debeant deinceps in perpetuum omnibus & singulis libertatibus, gratiis & privilegiis per quoscunque Divos Romanorum Imperatores, & Reges prædecessores nostros canonicè conceßis & concedendis civibus & incolis Civitatis Trajectensis, nostris & Imperii Sacri fidelibus dilectis, quibus ipsi cives & incolæ gaudent & potiuntur, ipsorum tamen civium & incolarum privilegiis, gratiis & libertatibus semper salvis: Mandantes omnibus & singulis, Ducibus, Principibus, Comitibus, Baronibus, Militibus, Clientibus, Civitatibus, Communitatibus, popularibus, & aliis quibuscunque nostris, & ejusdem Sacri Imperii fidelibus dilectis, sub obtentu gratiæ nostræ Regiæ Majestatis, ut dictos Ecclesiam, Capitulum & singulares personas, in privilegiis, gratiis, conceßionibus, statutis & ordinationibus per Majestatem nostram Regiam elargitis tueantur, defendant & foveant, nec permittant ipsa privilegia, gratias, statuta, conceßiones & ordinationes nostræ Regiæ Majestatis infringi, seu quomodolibet violari, seu ipsos Ecclesiam, Capitulum & singulas personas contra eadem privilegia, gratias, statuta, conceßiones, & ordinationes molestari, impediri, seu quomodo libet derogari. Contrarium verò facientes præmissorum indignationem gravißimam nostræ Regiæ Majestatis se noverint incursuros, præsentium sub tenore nostræ Regiæ Majestatis sigillo testimonioque literarum. Datum Pragæ, anno Domini Millesimo trecentesimo octuagesimo secundo. XII. Kal. Maji, Regnorum nostrorum Bohemiæ anno vicesimo, (c) Romani verò sexto.

4. Confirmatio veterum privilegiorum.

1382.

a *Surrogato in ejus locum ap. Trajectum Florentio,*] Hic Florentius Canon. Coloniensis prius per Urbanum V. de Ecclesiâ Monasteriensi curam susceperat teste Crantzio Metropol. lib. 9. c. 45. *Tum enim cœpit* (inquit Crantzius) *ista translatio Pontifici frequentari, quæ ante non consuevit fieri, nisi magnis & ponderosis de causis.*

b *Cui præfecti arcium primâ fronte non obtemperavêre,*] De hâc re sic habet Geldenhaurius: *Florentius Wevelichovius post Hornensem Vltrajectinus Episcopus El. nonnihil molestiæ ab Hornensi pertulit. Volebat enim is utriusque Episcopatus opes invadere, sed id frustra attentatum est. Florentius namque vir prudens tam improbis conatibus facilè restitit.*

c Item

c *Item tos in Molen atque Laghe edomans,)* Bockenb. *Anno* (inquit) 1380, *Castella, Aerdene, Azoelene, Lagene incendit.* Azoelen etiam habet Chron. vulg. non Molen.

d *Reinaldus frater præfecti in Vianen,)* Hic Reinaldus fuit sacris initiatus; & frater Giselberti Vianensium Domini. Hæc eadem referuntur à Bockenbergio, & Sifrido: Meminêre etiam hujus Reinaldi Huterus in Geneal. Chronicon M. Belgicum, Gerbrandus & alii; verùm in catalogo episcoporum non refertur.

e *Fecit & exhumari ossa cujusdam hæretici M. Lollart,)* Lollardi hæretici emerserunt circa tempora Car. 4. Imp. & Innocentii 6. P.R. anno 1360, de quibus vide Gabrielem Prateolum in libris de vitis omnium hæreticorum, Walsingam in Ypodigmate Neustriæ pag. 558. & alios. Mos verò iste igne hæreticos puniendi invaluit paulatim quando pontifices Rom. tyrannidem in Ecclesiam promoverent, cùm primum exulio, aliisque lenioribus pœnis afficerentur. Inter prima ejus crudelitatis exempla habetur illud ap: Sulp. Severum lib. 2. Sacræ hist. ad finem de Latroniano, & Euchrocia, improbante D. Martino. vide Sigonii Com. ibidem.

f *Gisbertum Princ. de Abcoude,)* Hic cum gladio quendam confecisset, & propterea rationem reddere ejus facti juberetur: asseruit se id tanquam Antistitis Marescalcum fecisse, nec sibi præter infimam Iurisd. quicquam juris competere.

g *Henricum præfectum Montfortis,)* Burchgravii titulum non domini sumere, & infimam jurisdictionem exercere non supremam erat jussus. Videndæ reconciliationis leges interventu Arnoldi Hornensis tum Episcopi Leodicensis avunculi Odæ Polanæ conjugis ejus ipsi concessæ, quibus adde quæ Snoyus histor. lib. 9. scripta reliquit.

h *Dominiorum Provinciæ Trajectensis)* At verò in Urbe Trajectensi Episcopo nulla potestas nisi creandi prætorum: ut supra retuli.

i *Splinterus quoque de Loenresloot,)* Hic Giselberti filius ex nobili & antiquâ familiâ uxorem duxerat Elisabetham Zulenam Anholtiam, quæ ipsi filiam peperit Isabellam hæredem nuptam D. Wilhelmo Isendornio Equiti, in cujus familiam bona de Loenresloot illa transtulit, quæ tandem ad Mindenos ex Amsteliâ familiâ reliquos pervenerunt, & nunc quoque possidentur. Splinterus verò hic equestri dignitate præcellens elati animi vir suo arbitratu multa gerens, ac quo jure, quave injuriâ parùm solicitus, etiam Antistitis & vicinorum bona diripiens eo pervenerat, ut armis cogeretur majores agnoscere, vi ablata restituere, seque intra limites potestatis continere juxta leges illi à Pontifice præscriptas, quas ob prolixitatem hic omittendas censui.

k *Anno 1392. Cœptum monasterium Carthusiensium,)* à Swedero Domino de Gaesbeeck, Putten & Strijen liberaliterque ab eodem & Fratre ejus Wilhelmo Domino de Abcoude dotatur, consilio Tidemanni Grauwert ejusdem monasterii præfecti.

l *Arx Horst impignorata,)* Nempe Gisberto Vianio, qui eidem præfecerat Masium Mulardum, quâ verò occasione Episcopus Castellanum coegerit arcem reddere, tradunt annales vulgares. Fuit autem hæc arx Horst superior in agro oppidi Renensis.

m *Et quidam ex professione D. Francisci,)* Huic nomen fuit M. Iacobus de Iulia, ut Chron. magn. Belgicum: Snoyus fratrem Iacobum de Iuliaco Ord. minorum vocat & historiam satis prolixè, omnemque depositionis, vel degradationis ordinem exponit. Meminêre quoque hujus Barlandus, Gouthovius & Suffridus, Sepulturam verò obtinuit non ad D. Iacobum (ut vult Snoyus) sed in cæmiterio Iacobitarum sive Dominicanorum.

n *Anno demum 1394. prid. non. April.)* Chron. vulgare Anno 1393. obiisse vult ut & Bockenbergius & ferè reliqui scriptores.

o *Cum præfuisset annis* XVI. *& semis)* Nec hic conveniunt scriptores: Chronica Magnum Belg. & vulgare atque etiam Snoyus 13. annos 5. menses ei tribuunt: quibus Bockenbergius mensem addit: Sifridus Petri 13. tantum Noviomagus 14. Episcopatum gubernasse cum annis volunt, ego Snoyo ac Chronicis accederem.

p *Advenêre amici & sanguine juncti.)* Hæc eadem referunt Annales vulgares, Chronicon Belgicum Mag. Snoyus in hist. Holl. lib. 9. Simile quid de Pontifice quodam R. tradunt historiæ.

q *Immatæ devotionis insignibus,)* In MSS. nonnullis *immotæ* reperi.

r *Romani verò* VI.) Rex enim Romanorum ab Electoribus procurante Patre Car. IV. Imp. appellatus est pridie Id. Iunii anno C. 1367.

Sub hoc Episcopo facta est translatio Iurisdictionis & decimarum in Herberts-coop Decano & Capitulo Collegii Martiniani, cum consensu ejusdem, ut sequenti instrumento probatur:

FLorentius de Wevelichoven *Dei & Apostolicæ sedis gratiâ Episcopus Trajectensis; Universis Christi fidelibus, ad quos præsentes literæ pervenerint salutem in omnium Salvatore. Ne ea quæ geruntur in tempore successu temporis in oblivionem deveniant, expedit ea per scripturam authenticam deduci ad notitiam futurorum. Quapropter no-*

pter notum facimus in his scriptis, quia cum dilectus noster Bernardus Proeys civis Traject: certis de causis ipsum ad hoc moventibus, Jurisdictionem, decimas grossas & minutas cum censu de Herberscoep, extendentem se ab Hoesdyck usque ad aquaedictum ductum de Bisschops weteringe, *jacentem inter Jurisdictionem quondam Theodorici dicti* over de Vecht *à parte superiore, & Iurisdictionem Archidiaconi Traject. à parte inferiori; quas ab Ecclesiâ nostrâ Traject. ipse & praedecessores sui titulo feodi obtinebant, venerab. viris dominis Decano & Capitulo Ecclesiae Trajectensis, dummodo consensus noster accederet, vendiderat, pro certâ pecuniae quantitate; cumque haec ad nostram notitiam pervenissent, considerantes quod pium foret Iurisdictionem & decimas per antiquas infeodationes laicis quondam concessas ad jus & proprietatem Ecclesiae revocare, atque Ecclesiae uti tenemur, ubi possemus conditionem facere meliorem. Nos itaque receptis primo à Goeda legitima conjuge Bernardi Proeys cum manu tutoris sibi ad hoc deputati, hilari vultu, ridentibus oculis, spontaneâ & liberâ resignatione ususfructus vulgariter* Lijf-tocht, *quem habuit in bonis praedictis, & consequenter libera & spontanea resignatione à Bernardo Proeys dictorum Iurisdictionis, decimarum & census, praesentibus nostris fidelibus, videlicet Rotardo de Lanscroon, Iacobo de Groenevvoude, Henrico Witte civibus Trajectensibus; & Rodulpho de Ittersom oppidano oppidi nostri Svvollensis, per quos in nostrâ praesentiâ sententialiter definitum est, quod dd. Jurisdictio, decima & census de Herberts-coep praedictorum Bernardi & Goedae resignationes ad nostram dispositionem ita libere forent devoluti, quod D. Bernardus & Goeda nihil juris in eis retinuerint; & nos de eis liberè disponere valeremus, promissoque nobis per Bernardum praesentibus fidelibus nostris praedictis, quod omnes literas quas habet de bonis praedictis dabit Decano & Capitulo Ecclesiae nostrae Traject. praedicta quamcitò lis sive controversia quae est inter nos & ipsum super decimis dictis* Schutters-tiende *fuerit sive de jure, sive per amicabilem compositionem sedata, nec eis per literas quascunque de bonis praedictis habitas vel habendas nocebit, vel molestiam faciet per se vel alium directè vel indirectè quovis modo. Deliberatione praematurâ praehabitâ post medicum intervallum ad requisitionem ven. viri Lubberti Bolli Decani Traject. praesentibus fidelibus nostris, videlicet, Rudolpho de Isenderen Praeposito S. Petri, Arnoldo de Triche Praeposito S. Iohannis Ecclesiarum Trajectensium, Stephani de Zuylen militis, Henrico de Crieckenbeke & Rodulpho de Ittersum dd. Iurisdictio-*

risdictionem, decimas & census ob remedium animæ nostræ & præsentium nostrorum, in Ecclesiam nostram Traject. transtulimus & transferimus in his scriptis per annuli nostri traditionem cum omnibus juribus & pertinentiis suis perpetuò à Decano & Capitulo d. Ecclesiæ nostræ Traj. in augmentum præbendarum suarum, possidenda, per hoc jurisdictionem, decimas & census à laicis ab olim possessos ad jus & proprietatem Ecclesiæ revocantem. In quorum testimonium præsentes literas sigilli nostri fecimus appensione muniri. Datum & actum Trajecti, anno domini 1386. *mensis Ianuarii die* 19.

Similes ferè de his bonis extant literę Frederici de Blanckenhem anno 1404. & cum controversia inter Procisium & capitulum Traj. de his esset exorta, compromiserant in Episcopum & Magistratum Traject: quorum extat sententia arbitralis, qua Bernardo Procysio abjudicantur prædictæ decimæ & Iurisd. pro 6500. scutis veteribus 42. Placc. à Capitulo Traject. ipsi numerandis, reservato eidem Bernardo omni jure quod habet ad rubras decimas ultra Bisschops Weteringe & ad 5. campos quos colebat Henricus de Bilte.

Fredericus Episcopus LI.

Funere itaque Florentii Episcopi solenni pompâ delato Trajectum, atque humato XVIII. die sequente Albertus Dux Bavariæ, Comes Hollandiæ, item Wilhelmus Dux Gelriæ accessere Trajectum, uterque ad hoc tendens, ut pro voto eligeretur Episcopus. Cumque ille Rogerium quendam de Bronchorst, & hic Fredericum de Blanckenhem Episcopum Argentinens. civitatis, dispare sententiâ commendarent, quamvis Wilhelmus Dux Alberti filiam duxisset uxorem, Capitulum ex hoc frustrâ (a) auxilium rogavit utrumque, ut in unum convenirent: sic processum ad suffragia, uterque commendatus sub contentione eligitur. Verùm Fredericus longe majoribus votis, quem idcirco (b) Bonifacius Pontifex Rom. accepto geminæ electionis decreto, rejecto Rogerio, Ecclesiæ præfecit (c) tanquam aptiorem. Confirmatus itaque Fredericus, illicò concepit in animo accedere Trajectum, quo venit ipso die, dicato Martino patrono, comitatus Wilhelmo Duce Iuliaceno, plurimisque aliis Illustribus & Nobilibus cum magno plausu cleri ac populi exceptus, cepitque de securitate Reipublicæ secum cogitare & recuperare loca, si quæ adhuc essent alienata. Intelligens itaque damna & injurias, per quendam Bitterum de (d) Campo furioso (Raesveldt vocant) ac suis locis citra Isulam illatas, tam sub prædecessore suo, quàm etiam post illius obitum, impunè indies magis ac magis grassarentur, coadunato equitatu ac peditatu non spernendo, anno MCCCXCIV. mense Augusto potenter intrat provinciam olim Westphalorum, sive verius Occidentalium (e) Flavorum, unde Longobardos prodiisse volunt, quorum Reges sese Flavios idcircò prænominavere, modo Episcopo Monasteriensi subjectam, in parte, ubi illi de Campo furioso residebant, quorum ditiones prædationibus & incendiis etiam citra Lippiam fluvium penitus reddidit desolatas. Ita ut longo tempore vestigia extarent paucis arcibus munitis demptis. Reversus ad sua spoliis opimis exercitu onusto. Arcem præterea cum municipio Coevordia Trentanorum præsidium, pro modico ære dudum impignoratum, & per plerosque prædecessores repetitum, perscrutatis archivis, & invento pacti chirographo, cùm Præfectus illius oblatum atque mutuatum accipere recusaret, collectis viribus post longam obsidionem MCCCXCV. anno ad deditionem compulit, Duce Gelriæ ab aliis potentibus, & amicis Præfecti in subsidium solicitato frustra comminante. Quem Trajectani atque Amersfordiani terruerunt, ne pedem moveret, quo (f) medio provincia Trentanorum Ecclesiæ restituta est. Anno eodem Wilhelmo Comiti Hollandiæ assidenti mensę Regis Franciæ, fecialis (quem Heraldum vocant) laceravit mantile sibi antepositum, objiciens indignum fore, quod aliquis interesset mensæ Regię carens insignibus armorum, innuens insignia ipsius Wilhelmi apud Frisios Orientales amissa. Comes itaque erubescens, exsurrexit, & concessit in Hannoniam, ac dirigit Comitem Nivernensem internuncium ad Albertum Ducem patrem agentem in Hollandiâ, alioquin sibi offensum instigatione pravorum, & ob factiones, quæ tunc efferbuerant, denuncians opprobria sibi illata.

Bitterus à Raesveldt.

Coevordia & Trentani Episcopo redditi 1395.

Occasio belli in Frisiam ab Alberto Bavaro suscepti.

bi illata. Dux itaque in iram commotus, accivit Wilhelmum filium, ignoſcens illi quicquid in patrem commiſiſſe poterat. Et anno ſequenti xcvi. adunans (g) ingentem exercitum nobilium equitum atque peditum, inter quos erat natu ſenior Wilhelmus (h) Comes Friſiæ Orientalis, atque junior Albertus Dux Bavariæ cum Comitibus de Salms, de Sein, de Heinſberch, & Domino de Parwis ex ſuis. Ex Francis autem Comites ſancti Pauli, Namurcenſis, Præfectus de Meaulx, & primogenitus Regis (i) Carolus de Alboret: ex Anglis item Comes (k) de Stalgies, & Præfectus Cornugaliæ cum multis aliis, quos omnes cum claſſe mille quadringentorum velorum traduxit ad portum Cuneræ, ubi Friſios, qui Stellingi dicuntur intrepidè occurrentes ſtraverunt, ex quibus interiêre ſupra mille ducentos. Poſt biduum miſit partem exercitus verſus Lavicanos, qui potentes obviantes impediverunt, ne exercitus Alberti in terram deſcendere auderent, ſed captis Friſiorum navibus, retroceſſere, & paulo poſt Albertus Dux rediit in Hollandiam, diſſolvens cum gratiarum actione omnem auxiliariorum comitatum. Eodem anno Iohannes Præfectus arcis Saxi Rhenani, Rynenſtein vocant, coadunatâ manu validâ ex Brabantiâ, Leodio atque Gelriâ intrat arcem ſuam præfatam ſitam in (l) territorio oppidi Vianenſis, indicens Præfecto illius bellum, quo intellecto Trajectani miſerunt ſubſidia in Vianen, quæ in itinere paſſa fuerunt inſultum ab ipſo Iohanne, qui tamen factâ hinc inde ſtrage coactus ſe recepit in ſuam arcem, quam Trajectani illicò obſederunt, & multis machinis atque tormentis oppugnarunt. Quibus Epiſcopus ex Tranſyſulanis advolans, tulit ſuppetias, & ſe obſidentibus adjunxit cum Præfectis de Abcouda, Novi campi, id eſt, Nieveldt, & Montisfortis, Reneſſe, & Viane, qui haud ſegniter adfuêre, & (m) tandem factâ arcis deditione, & ſalvis corporibus datis, qui intus erant alias in poteſtatem Epiſcopi; qui tunc facetè ſubridens; Nunquã vidi, inquit, tot egregios longos mures unâ decipulâ captos; erant enim trecenti qui gravi ære redimebantur. Præfectus autem Coevordiæ, acceptâ deditione arcis Saxi Rhenani, & clade ſuorum, judicabat rebus ſuis extremitatem adeſſe, propter quod amicorum interventu paciſcebatur, quod ipſe quondam Præfectus conſignaret Epiſcopo chirographa, & titulos impignorationis oppidi atque arcis Coevordiæ; cui Epiſcopus perſolveret trecenta ſcuta antiqua: poſſeſſiones autem, quas Præfectus in Trentiâ habuerat, ſibi ſalvæ manerent, quo pacto diſcordes animi compoſiti ſunt.

Bellum cum Domino de Rynesſtein.

Abcouda, Nieveldt, Momfort, Reneſſe, Viane.

Pacis conditio cum Præfecto Coevardiæ.

Eodem anno xcvii. Albertus Dux memor cædis patrui Wilhelmi inultę, ut illam vindicaret, congregavit non ſpernendam manum armatam apud Enckhuſiam oppidum, quam cum Wilhelmo Duce natu majore filio, quem Præfecti de Bredenroede, Arckel, Egmonda, & nobiles Anglici comitabantur, præmiſit in Friſiam: qui applicans, fixit tentoria in Provincia dicta de Lemmers, quibus Staurienſes occurrentes, occiſis aliquot ex ſuis, ſeſe ſubdidêre victori, paucis viris exceptis, quos in fidem patris jurare compulit, & judices & Præfectos dedit. Et tunc idem Wilhelmus inſignia & arma propatrui occiſi recepit. Paulo pòſt rebellantibus Friſiis, nitentibus & Stauriam & Doccum occupare: Wilhelmus cum Iohanne fratre, qui tunc Leodienſ. electus, impiger revertitur in Friſiam apud Stauriam, ubi rurſum eos ad fidem coegit. Demum apud Hoſtweerde reliquos Friſios obviantes, in fugam convertit, Doccum obſidione liberavit, inde progreſſi ad Cuynre, reliquos in gratiam recipit. Et Groningenſes nomine patris jurarunt eidem fidem, verùm non multo poſt quam exercitus in Hollandiam reverſus eſſet, magna pars rurſum rebellavit.

Comes recuperat arma patrui ſui.

Groningẽſes jurant Alberto Duci.

Fredericus autem Epiſcopus ſolicitus circa rem Eccleſiæ, accepto, quod Groningenſes patentibus chartis & ſigillis recognoviſſent ſe ſubjectos Eccleſiæ Trajectenſi, admonuit eos, quod erga ſanctum Martinum atque ipſum eam fidem adhiberent, qualem tenerentur, & viciſſim eos clementer exciperet; cumque deſuper haberentur conventus abſque aliquo effectu, poſuit juxta oppidum duo valla, ne acceſſus ullus eis pateret ad Hollandiam aut Gelriam, cùmque nec hoc modo reſipiſcerent, obſedit cum validâ manu oppidum à latere Trentanorum anno M cccc. ubi crebri committebantur hinc inde conflictus, cum magnâ (n) pertinaciâ Grunorum, qui interdum erumpentes comminabantur inire prælium. Sed Epiſcopus nihilominus imperterritus, perſtitit aliquamdiu, poſteà impoſitis magnis præſidiis ipſis vallis, obſidionem ſolvit, & quæſtio paulo pòſt compoſita eſt.

Gruni pro Gruningenſes.

Eodem anno Iohannes (o) Præfectus in Arclo indixit Alberto Duci bellum, & niſus eſt occupare oppidum, quod vocant Antiquas aquas, ſed cives reſtitere. Demum graſſatus per territorium ad fluvium Alblas ſitum, undique prædas atque incendia exercuit. Indixit etiam Wilhelmo filio Alberti agenti in Hannoniâ bellum, quod Fecialis in præſentiâ Philippi

Iohannes Arclenſis Duci Alberto bellum facit.

Philippi Ducis Burgundiæ per epistolam denunciavit, quem jussit humaniter excipi, & posteà accumulatum muneribus, dimisit lætum, (inquiens) attulisti nuncium bonum: nam Dominum tuum denunciasti hostem nobis, jam per nos stabit, quando unquam ejus reddamur amici. Capto itaque consilio cum Philippo Duce, Wilhelmus subitò accessit patrem in Hollandiam. Protinus Albertus collecto exercitu, adjunctoque sibi Adulpho Duce Clivensi, vastat Ditionem præfecti de Arckel, tempore messis & rediit, qui provocatus ab ipso Præfecto ad conflictum, illum terga vertere coegit amissis signis: sollicitatis etiam civibus Trajectanis in auxilium sub pactis sese junxere, quod Dux nullas conditiones pacis iniret, absque consensu & scitu Trajectanorum. Item cùm Præfectus de Arclo spoliasset ecclesiam Trajectensem dominiis de Hagenstain & Haestrecht, quandocunque Episcopus cum septem stolis affirmaret arcem de Hagestain cum eâ parte Leccæ fl. ubi Territorio Trajectensi alluit, ad Ecclesiam spectare, sibi cederet, & quandocunque arx atque oppidum de Leerdam occuparetur, cùm Præfectus illa ab Ecclesiâ in feudum teneret, quod territorium similiter cederet Episcopo, & sub his conditionibus, quæ etiam archivis commissa retinentur, initum est sociale bellum. *Bellum sociale contra Arculensem.* Anno itaque M cccc II. obsidentur oppidum Goricum, atque arx in qua Præfectus erat, & fit arcis oppugnatio cum tormentis & machinis, & arx undique quassata, quæ tamen habebatur munitior totius provinciæ. 1402. Qui intus erant fortiter resistebant, & crebras eruptiones facientes, ceperunt Walravium de Bredenrode, Florentium Borsaliæ, & Iohannem electum Leodiens. filium Alberti, quod ille tulit ægerrimè; Iohannes autem nitebatur componere pacem, quæ subsecuta est pro nutu & voluntate Præfecti de Arckel, quia omnia sua retinuit, & captivos pro libito ære mulctavit. Wilhelmo Duce id molestè ferente, qui tamen paternæ ordinationi non contradixit. Præfectus verò de Arckel, qui jam felix esse potuit, factus ex prospero successu elatior, illicò scripsit Trajectanis, quod se declararent, an vellent sub pace comprehendi, alioquin haberet eos loco hostium, & hoc modo renovatur bellum. *Bellum finitum renovatur cum Trajectinis.* Trajectani circumgirantes, per territorium continuas faciebant incursiones omnia desolando; Præfecto ex adverso, ubi poterat incendiis cuncta vastando, & continuatur bellum inter Trajectanos & Vianenses socios, ac Præfectum biennio ac semi: paulo post incendit Præfectus portum dictum de Vaert de patrimonio Episcopi, quod ille indignanter tulit, quia nihil hostile gesserat contra Præfectum.

Anno M cccc IV. die XII. Decembris decessit Albertus dux Bavariæ, Hollandiæ, Zelandiæ, atque Hanoniæ Comes, qui rexerat XLVI. annis: cui successit Guilhelmus major natu Comes Frisiæ Orientalis. *1404. Albertus Dux Bavariæ & Comes Hollandiæ moritur: cui succedit filius Guilhelmus.* Anno sequenti durante adhuc bello inter Præfectum de Arckel & Vianen. Gisbertus de Isendoern erumpens ex Gorcum, occupavit & deprædatus est oppidum Woudrichem, existens ditionis Wilhelmi Ducis contra fœdus initum, qui idcircò provocatus meditabatur ipsi Præfecto de Arclo reponere vices, & concilians sibi Trajectanos sub prioribus pactis cum patre initis, cum quibus intervenit etiam Episcopus, propter crebra damna sibi per Præfectum de Arclo illata, qui omnes mutuis viribus opidum Hagenstain atque arcem, Item & aliam arcem Everstein ad mille passus vix à se distantes, quibus totius Leccæ fluvii imperium Præfectus de Arclo sibi vendicabat, fossâ inter media separantes, & valla opponentes, crates excitarunt ad transitum. *Hagenstein & Everstein arces obsidentur.* Tum Episcopus Everstein, & Dux Hagestein presserunt obsidione, prout diu in animo conceperat. ** Mir. Cod. apparent.* Nam pro insignibus unà cum plerisque Nobilibus fautoribus gestare consuevit sepem auream in collo, cum repagulo, nemine præsumente; quid id sibi vellet, quod tunc declaravit. *Bulla à collo pendens sepes aurea.* Nam exsectis & collectis undique salicibus, arcem cum oppido fortissimâ cinxit sepe, ita ut nemini pateret exitus aut ingressus. Fredericus quoque Episcopus haud impiger in suo proposito, confectis quinque cataractis, quas cum manu fossorum produxit usque vallum arcis; quo viso petentibus colloquia, qui intus erant, & frustra animum Episcopi tentantibus; fuit responsum: Sat est vobis scire voluntatem Domini Episcopi, cùm aliud non fiet: Tum sese dedidere bonis & corporibus eorum salvis, data fide, quod nunquam arma ferrent, nec consilium vel favorem præstarent adversus Episcopum aut Ecclesiam suam, aut ducem, cujus ductu omnia gerebantur. *Everstain deditur, & ab Episcopo exscinditur.* Sed quæ intus erant spectantia Præfecto, quæ eorum juramentis designare debebant, cederent cum arce Episcopo. Qui illicò jussit arcem incendi, ac funditus demoliri. Videntes autem obsessi in Hagestein, consternati animis obtulerunt similiter deditionem corporibus & bonis salvis, quod obtinere nequiverunt, sed solum salvis corporibus, & sub potestate Ducis. Et illicò oppidum expoliatum cum arce traditur igni

Hagestein incendio consumitur.

igni, & humo tenus deletur. Sic Præfectus condignas perfidiæ exolvit pœnas; fortunata erat deditio, nam paulo post reversi sunt, quæ documenta (p) proprietatis Episcopus Wilhelmo Duci ostendit, & sic uterque contentus, discessit ad sua.

Conjuges vitam monasticam eligunt.

Circa eadem tempora Iohannes minor natu (q) ex nobili familiâ de Bredenroede nupserat filiæ Principis Abcoude, quam satis invitam induxit, ut apud vicum Dorestatum sacrum assumeret velamen, ubi & votum fecit: ipse verò professus est vitam Carthusianam desperatione quâdam, uti creditur, ductus, quia patre superstite adhuc ad possessiones pro ambitioso statu ducendo pertingere nequibat. Mortuo itaque Principe Abcoude patre, dominia (jam filiâ initiatâ sacris, & sic ineptâ ad successionem) devolvebantur ad familiam de Gaesbeeck. Verùm Iohannes pœnitentiâ ductus, exuens habitum, cum parvâ manu vicum Dorestadum clàm intrat, uxorem jam Deo devotam, contra fas extrahit, sperans se cum illâ potiturum Abcoudâ. Verùm cives illicò denunciarunt Episcopo cum cursore, qui suppetias tulit: Iohannem cœpit, & aliquot ex complicibus capite plecti, & in loco profano humari fecit. Advocans autem Præfectum de Gaesbeeck, jam recuperavimus (inquit) hunc vicum Dorestatum & in potestatem nostram redegimus, & te liberavimus à Iohanne hoste tuo, Recipe rursum oppidum, & esto amodò amicus, & non ingratus; Cui ille perpetuam fidem jurejurando promisit & auxilium, quod malè (r) adimplevit, uti videbitur suo loco. Et Episcopus factâ donatione vici instituit etiam illum in arce Abcoudâ.

Sed mutata fortuna, redeunt ad priorem statum: sed prohibentur.

Abcouda cedit Domino de Gaesbeec.

Iam redeamus ad Præfectum de Arclo: hic ex filiâ Principis Iuliacensis habuit filium secum omninò discordantem propter inutile bellum, quod nolens assumpsit, & semper detestatus est, timens sinistrum eventum, postquam sese ad pacem, quam filius desiderabat, flectere nolebat, quod & sanioribus civibus ex Gorcum similiter displicebat, cum filio, qui ex lineâ maternâ magnas haberet clientelas, id solicitanti sese contra patrem confœderarunt. Edoctus pater de hoc conceptu, conscendens equum, tendit Gorcum, cui denegatur ingressus, & omne colloquium; tunc animum applicavit ad conciliandum sibi filium, quod & fecit. Cives verò Gorcumenses hoc audientes, & timentes capitibus suis imminere periculum, omnes aditus præcludebant, vigilias & custodias multiplicabant, quoniam sciebant patrem cum filio meditaturos ingressum, mittentesque nuncios ad avunculum filii Principem Iuliacensem pro defensione & suppetiis: & ille ferre recusasset, asserens se nolle intromittere, accesserunt Wilhelmum Ducem Bavariæ, & Comitem Hollandiæ: cum quo pacti sunt consignare oppida Gorcum & Leerdam in potestatem ipsius, & rursum ipse protegeret contra patrem & filium, & alios illi adhæsuros, volentes eos opprimere, & sic assecutus est Dominium in re tam desperata. Præfectus cum filio omni ope atque consilio destituti, meritam sustinentes ultionem, adhuc pertinacibus animis moliebantur recuperare deperdita, confidentes Gorcum recepto se invenire amicos, & sic quam secretissimè tentatis aliquibus civibus XIII. die Septembris, anno MCCCCVII. filius clàm mœnia conscendit, & oppido potitur, in quo invenit Walravum de Brederode, anteà patris captivum. Wilhelmus verò Comes Hollandiæ, accepto nuncio cum celeri apparatu accessit arcem, & adauxit præsidia, conscribens interim equitatum atque peditatum: advocans etiam Trajectanos & Vianenses in auxilium, qui haud segniter affuere, & illic fixit tentoria contra arcem, obsidendo oppidum. Intelligens Reinaldus Dux Gelriæ oppidum rursum esse in potestate nepotis sui, & parvâ manu jam obsideri, adunavit ingentem exercitum, & induxit Wilhelmo bellum, jam agenti in castris, & adducens secum magnos commeatus & tormenta, nisus est ferre suppetias nepoti suo, cui cives obviantes usque flumen Lingam adduxere commeatus. At Wilhelmus, movens castra, occurrit Duci Gelriæ usque sacellum situm in aggere, ibique pernoctavit imperterritus non detrectans prælium. Verùm Duce Gelriæ eâdem nocte retrocedente, Wilhelmus rursum rediit ad præsidia, & munitâ arce, revertitur in Hollandiam; filius Præfecti tradidit oppidum in potestatem Ducis Gelriæ, & sic inter cives & illos ex arce assiduæ committebantur cædes, & similiter rapinæ inter Hollandinos & Gelrios. Instabat etiam asperrima hyems, ut facilior ingressus esset in ipsam Hollandiam. Sic Gelrii semel fecere incursiones, & in territorium Heusden, cum magnâ tamen eorum clade, nec ammodo reversi sunt. At Wilhelmus Comes posuit præsidium in Dalem, juxta arcem Loevenstain, præveniens Ducem Gelriæ, qui hoc ipsum meditabatur, superveniens re nondum perfectâ, ubi acriter pugnatum extitit die cœnæ Domini Gelriis in fugam conversis, & Hollandinis inchoatum o-

Gorcum & Leerdam sedant in clientelam Ducis Wilhelmi, & Comitis Hollandiæ.

1407. Arculensis per filium occupat Gorcum,

Dux Geldriæ fert Arculensi suppetias.

Gorcum traditur Duci Geldriæ.

tum opus perficientibus. Paulo pòst factæ sunt induciæ triennales, ut etiam fieret commerciorum communicatio, demptis exulibus, qui propter Wilhelmum Ducem ex Gorcum proscripti erant, quos tamen sequerentur bona.

Bellum cum Geldro in inducias triennales abit.

Circa hæc tempora petenti Iohanni electo Leodiensi, Wilhelmus Comes frater ejus contulit novum oppidum Woerden cum territorio & illius Iurisdictione, exceptâ Antiquâ aquâ, annuens ut mansionem cum securo cubiculo similiter construere liceret, qui tunc ædificavit illam munitissimam arcem, quæ adhuc superest. Quod considerans Wilhelmus, dixit fratri, utique istud est securum cubile, sed omninò præcavendum erit, ne nobis, aut posteris reddatur perniciosum.

Arx Woerdensis ab electo Leodiensi pro cubiculo condita.

Eodem ferme tempore defecerunt (s) Leodienses à Iohanne designato eorum Episcopo, quia recusabat initiari sacris Duce Præfecto de Parwis instigante, & occasionem hanc capiente sub spe intrudendi filium suum in sedem. Trajectum tamen ad Mosam mansit in fide Iohannis, qui in eodem obsidebatur. Unde Iohannes Burgundiæ, & Antonius Brabantiæ Duces fratres cum Comite Namurcensi, & multis proceribus ad arma per Wilhelmum Comitem Hollandiæ allecti, auxilium obsesso ferre properabant. Leodienses verò intelligentes Wilhelmum cum exercitu adesse, obsidionem solvunt, occurrentes usque Tongras, ubi prælium initur anceps, & pugnatum diu hinc inde fortiter. Tandem ex latere per industriam Comitis Namurcensis irrumpitur ordo Leodiensium, qui miserabiliter perimuntur, occiso etiam Præside de Parwis eorum ductore, ferunt (t) interiisse supra XXII. mille hominum. Pugna contigit circa medium mensis Septembris. Hac autem victoriâ elati, & non contenti, Iohannes Dux inter cæteros cum Iohanne electo obequitans cadavera cæsorum jam detractis exuviis per tumulos jacentium inspecta tantâ multitudine dixisse fertur ad electum: Præstasset ne, charissime nepos, te fuisse initiatum sacris, quàm tot hominum millia propter te interiisse? Tum Leodienses supplices precantes veniam, haud obtinuêre, nisi prius viginti quatuor ex eis pro arbitrio principum traditis, qui auctores motuum credebantur (heu triste spectaculum!) ad Clivum urbis decollatis, & sic in gratiam residui ægrè recepti, triumphantes excepêre.

Leodienses à Iohanne ipsorum designato Episcopo deficiunt, instigante Domino de Parwis.

Leodienses in gratiam recepti traditis 24. rebellibus, & decollatis.

Anno M.CCCCX. finitis induciis inter Duces Wilhelmum & Reinaldum. Wilhelmus conciliavit sibi Amersfordienses, & obtinuit suos habere introitum atque egressum in oppidum, ex quo provinciæ Gelriæ magna incommoda intulit. Intercurrebatur per amicos pro pace: sed Wilhelmus nullas admisit conditiones, semper obaudiens oblatas, nisi ante omnia obtento Dominio de Arclo. Perpendentes itaque æquum fore, si in uno vellet frui voluntate suâ, saltem in alio vicissim condescenderet, & præfectum de Arcklo ex parte compensaret, sic cavebant formâ sequente. Renaldus Dux Gelriæ atque Juliaci, traderet oppidum Gorcum cum totâ ditione Dominii de Arclo Duci Wilhelmo, & induceret filium ad cedendum juri suo, & actioni etiam Dominii de Leerdam, & omni successioni devoluendæ in posterum à patre suo Præfecto, vice versâ pro hujusmodi renunciatione persolveret Wilhelmus Dux Renaldo Duci, statis terminis centena millia scutorum, & isto medio facta est amicitia inter Ducem & filium Præfecti, patre secluso, pax ista conclusa fuit in oppido Dorrestato anno XII. At Dux Renaldus reversus in Gelriam, convenit cum Præfecto de Arckel, tradens illi arcem Oyam, cum illius districtu, & quinque millia quingentos aureos ex theloneo Lobeke ad ejus vitam; filio autem consignavit Præfecturam Bornæ cum territorio adjacente, & loco istorum manerent Duci illa centena millia scutorum.

Pax inter Ducem Gelriæ & Wilhelmum Comitem Hollandiæ super Ditione Arcelensi.

Lobeke Theloneum, hodie het Tol huys prope Schenckianam Arcem nunc in Clivia.

Hoc anno pullulavit (u) in Trajecto seditio non modica instinctu illorum de Arckel, qui memores eversionis arcis Everstain; adhærentes idcirco nobilibus de Bredenroede contra illos de Gaesbeeck, longe contra antiquam amicitiam, quâ familia de Bredenroede Trajectanis semper jungebatur, & similiter seminantes discordias inter illos de Bredenroede & Montfoert eò rem deduxerunt, ut ex scintillâ modicâ erumperet maximum incendium. Nam anno XIII. Kalend. Aprilis, quum Magistratus senior atque novus ex causâ debebant congregari, conspiratores nocte præcedente subornarunt alios suæ factionis, ut in mane adessent ante fores Domus Consilii, persuadentes populo, quoscunque sibi credebant infestos, civitatem Wilhelmo Duci addixisse, & velle tradere. Magistratu itaque congregato, fit clamor publicus: Volumus civitatem in pristinâ manere libertate, invitis etiam cunctis renitentibus in contrarium, & rumor in tantum efferbuit, ut Magistratus cogeretur convocare ci-

Anno Christi 1413. Trajecti seditio.

care cives singulos, & proscribere quotquot illi nominabant, & Hermannus de Lochorst Decanus major tunc primum locum sibi vendicabat inter auctores. Proscripti sunt autem Iohannes de (x) Lichtenberch de Lanscroen, & Iohannes de Clarenborch, qui tunc dicebantur Magistri civium. Walterus Grauwert senior, Bernardus Procis Schultetus, & eorum amici omnes atque fautores amovebantur Magistratu, nemine audente contradicere, ut nullus esset patronus aut intercessor proscriptorum, qui confugientes Amersfordiam, crebris literis pulsarunt Magistratum, ut in justitiâ audirentur, offerentes in loco quolibet non suspecto sese sponte ejus custodiæ publicæ exhibituros, donec se ritè purgassent, sed in vanum laborarunt. Idipsum exposuerunt Episcopo, qui idcircò accedens Trajectum, indicto Capitulo duorum statuum Ecclesiæ scilicet & Nobilium equestrium, & exhibita querelâ ad legendum in præsentiâ Decani Majoris, Iohannis Spiegel, & aliorum unius factionis, qui assurgentes proclamarunt, non esse oportunum de similibus facere sermonem. Videntes autem proscripti se auctoritate Episcopi etiam nil profecturos, confugerunt ad Ducem Wilhelmum, qui eos in protectionem suam suscepit, & consolatus est blandè, Decanus autem cum suis complicibus, videntes se magnanimo Præsule proponente, impunè locutos, nec aliud subsequi, audaciores effecti indies magis ac magis proscribebant sibi suspectos, ita ut civitas & civibus videretur evacuari & carere negociis, quia per Hollandiam commercia nulla exercere poterant, ita ut magnum oriretur murmur. Quodam autem tempore dum Magistratus consilium iniret; & Iohannes Spiegel ad prandium iret, accidit contentio inter ejus famulum & ministrum Magistratus; qui ab illo vulneratus, concivit amicos in ultionem, qui accedentes Iohannem objecerunt sibi temerariam & insolitam violentiam, & accrescente populo idem Iohannes ad domum salutis causâ confugit, cujus foribus per vim effractis, ille exiliit per fenestram. Decanus autem hoc intelligens, suos ad arma convocans, ita premitur ab omnibus, ut propositi compos fieri nequiret, sed in loco (y) religioso cum fratre se salvaret. Eodem tamen die Decanus cum Iohanne Spiegel proscripti sunt, & extra civitatem educti cum Isbrando (z) fratre Frederici de Aa, Iohanne Masch, & aliis (aa) consciis numero xv. Reliquos verò, qui adhuc in urbe hujusmodi factionis inveniebantur præ multitudine non sunt proscripti, sed adjurati in fide & concordiâ civium permansêre, quorum tamen perfidia non cessavit, ita ut aliqui capite plecterentur. Et tunc Legati missi sunt ad Ducem Wilhelmum pro renovandâ amicitiâ: quæ inita est pro omnibus, qui Decanum & Iohannem Spiegel urbe expulerant. Et paulo post Wilhelmus Dux veniens Trajectum mutuæ lætitiæ habendæ causâ, accepit Præfectum de Arclo per amicos suos captum, & deductum ad oppidum Septem montium, sic valedicens amicis, rediit in Hollandiam, ubi illum sibi fecit præsentari, ex quo plurima secreta scrutatus, plenè intellexit, qui fuissent auctores ad tradendum eum, & servans prudenter reconditum, ignorantiam simulavit, differens in tempus oportunum. Siquidem reconciliatis Ducibus Wilhelmo & Renaldo, ut supra scribitur. Wilhelmus cum Nobilibus aliquot venit apud Ducem Renaldum pacificè in Veluam, ubi magnificè exceptus per sex dies epulis & venationibus recreabatur, ubi inter loquendum casu dixit Reinaldus Wilhelmo: nepos potes tuæ dignitati bene gratulari, quod simul jam sumus concordes, interroganti Wilhelmo causam, respondit: Nisi inter nos esset pax & amicitia, jam fores in potestate nostrâ captivus, replicanti autem Wilhelmo placidè illud fore difficile admodum factu, iterato dixit Dux Gelriæ: Nepos, ut dictis nostris fidem præbeas, potentiores (bb) tuæ ditionis ad hoc præstitissent consilium & favorem. Wilhelmus verò Dux subridens, finxit minus curare, tamen continuò secum volutabat in animo quinam esse possent, erat enim prudentissimus, & tenebat hanc conspirationem suæ captivitatis secretissimè, benè suspicans de aliquibus, qui secreta colloquia cum hostibus suis servarunt, sed simulabat se nescire donec jam omnia per Præfectum de Arckel detegerentur. Et uterque Dux se mutuò valedicentes discessere, Wilhelmo redeunte in Hollandiam: Amici verò eorum, qui auctores sceleris futuri erant, intelligentes hujusmodi rumores, accesserunt Ducem, dicentes causam hanc maximi esse ponderis, auctores verò nitebantur sese purgare, & stare juri in quolibet loco non suspecto. Et amici ita prosecuti sunt eorum causam, ut Dux Præfectis de Egmondâ ac Iselstain addiceret salvum ac tutum accessum & recessum ad comparendum statuto die, quod non fecerunt, & sic jussit causam eorum judicio discuti. Qui convicti rei, capitis damnati sunt, bonis eorum fisco adjudicatis. Tum paulo pòst misso feciali ad cives oppidi Iselstain, monuit eos deditionis, cùmque id respuerent, obsidione pressi tanno xvi. Præfecti (cc) verò Vianensis & Culenburgensis amici

Cives causa inaudita proscripti.

Offerunt se juri.

Episcopus se interponit frustra.

Comes Hollandiæ exules consolatur.

Iohannes Spiegel caput seditiosorũ.

Proscribitur cum Decano majore, & aliis 1415.

Prudentia Comitis in dissimuland. arcanis quæ cognoverat.

Colloquium Ducum in Velua.

Iselsteinum obsidetur anno Ch. 1416

Præfecti

Præfecti de Iselstain, habentes pro comperto Ducis pertinaciam, quod obsidionem non solveret, nisi oppido in potestatem suam redacto, præveniendo petierunt à Duce admitti ad colloquium. quod etiam obtinuerunt, & eò deduxerunt, ut uterque Præfectus Egmondæ atque Iselstain oppidum exirent, cum facultatibus suis intro existentibus seque absentarent ex Dominiis Ducis non intraturi ullo tempore absque ejus consensu, & Præfectus Egmondæ cederet juri ad oppidum & arcem de Iselstain sibi competenti in Ducem, qui vicissim illi & hæredibus suis perpetuis futuris temporibus penderet annuò duo millia scutorum veterum, & Wilhelmo fratri suo annuò sexcenta scuta similia, & eorum matri octingentas coronas, quamdiu ageret in humanis Et sub his conditionibus consignatur oppidum cum arce in potestatem Ducis, cui cives præstiterunt illicò fidem. Circa eadem tempora mense (dd) Novembri anni præcedentis factum est prælium ingens inter Francos & Anglicos, quos propter paucitatem dum timidos non sentirent, Franci, & sub nullâ conditione in deditionem accipere nollent, ex desperatione reddidere audaces ac victores, cæsis millibus multis Francorum ob eorum solam superbiam, cùm se de victoriâ jactarent securos Interiit maxima Nobilitas ex parte Francorum, inter quos Antonius Dux Brabantiæ, & Comes Nivernensis, & Iohannes de Bredenroede. Ex parte Anglorum (ee) periit Rhusiensis. Cujus oblatum obsequium tanquam apostatæ Rex Francorum recusavit. Meditans itaque Dux Wilhelmus se confici senio, & unicam solum habere filiam, nomine Iacobam, quam desponsaverat secundo genito Regis Franciæ, convocatis provinciarum suarum Nobilibus & primatibus, designavit eis filiam unicam hæredem sibi successuram, petens in verba ejus jurari, & auxilium adesse, quando res exposceret, qui habitâ deliberatione, addixerunt se ita facturos, & factâ sunt desuper legitima (ff) documenta, tunc Wilhelmus rediit in Hannoniam. Quo cùm appulisset, accepit nuncium de obitu primogeniti Regis Franciæ generi sui & designati Regni hæredis Quem vocatum à patre Rege Wilhelmus comitatus est donec susciperetur à Legatis. Interim quidam gratus ipsi socero accessit eundem, afferens loricam artificiosè fabrefactam, quam illicò oblectatus pulchritudine illius induit, & probatam exuit. Et paulò pòst (gg) juvenis tantæ spei (quia ferebant intinctam veneno) infectus interiit, sepultus luctu publico apud Parisios. Wilhelmus verò revertens in Hannoniam, sentiit inflationem tibiæ, quâ dolere consuevit, & factâ incisione per chirurgum, languebat donec mors subsequeretur, cùm gubernasset annis XII. Quâ auditâ, plerosque mœrore, alios lætitiâ affecit, Præfectus quoque Egmondæ applicuit ingenium recuperandi oppidi Iselstain, quod obtinuit Præfecti verò de Brederode & Monteforti festinanter tulerunt suppetias illis, qui in arce erant, interpellantes auxilium à Trajectanis, promittentes si oppidum recuperare possent, illud cum arce se demolituros. Trajectani verò affuêre impigri, & Iohannes electus Leodiensis similiter advolavit, se illis jungens cum oppidis Hollandiæ. Hæc agebantur annò XVIII. in æstate. Trajectani & Amersfordenses habentes oppidum exosum, eo quod esset exulum suorum receptaculum, multùm laborabant ad illius occupationem Illi verò qui intus erant malè muniti ad sustinendam obsidionem, petiverunt colloquia mediatore (hh) Wilhelmo de Egmondâ, ex improviso, quod cives fefellit, conditio deditionis erat; Præfectus oppidi Iselstain excederet oppidum cum suis comitibus & facultatibus, quas asportaverat secum, & exhiberetur sibi salvus conductus usque novum aggerem: Cives verò salvis corporibus starent arbitrio Comitis Iacobæ, quæ ascendens ædem Magistratus cum Iohanne electo populum credentem se in verba ipsius juraturum, ceperunt; longè præter eorum opinionem, quia pacta ignorarunt. Trajectani verò & Amersfordienses solicitantes importune obtinuerunt potestatem oppidi, quod primò incendentes, arcem ac portas & mœnia cum turribus delerunt funditus, ipso die Apostolorum Petri & Pauli.

Conditiones deditionis Iselstein oppidi & arcis.

Angli ex desperatione victores in pugna Az in curia sive Blangiana, anno Christi 1415. 8. Kal. Nov.

Iacoba filia Ducis Wilhelmi hæres Dditionum omnium unica recipitur ab Ordinibus

Compendij ait Meyerus.

Iselstenum occupatur, obsidetur & deditur certis conditionibus.

1418.

Iselstenum deletur à Trajectensibus & Amersfordiensibus.

Defuncto Wilhelmo Comite, descendit Iacoba ejus filia ex Hannoniâ in Hollandiam, & suscipitur ab omnibus oppidis in Dominam: excepto Dordraco, ubi Iohannes electus Leodiensis, tanquam administrator, paulò pòst clam admittitur, quamvis Iacoba ex consilio ipsius & Philippi Ducis Burgundiæ, matre suâ procurante nupserat, (dispensante Romano Pontifice, quia se attinebant,) Iohanni Duci Brabantiæ. Iamque factio illorum, qui Cabeliavi dicebantur rursum exsuscitatur auctoribus Præfectis de Arclo & Egmondâ. A quibus mense Septembri insequente oppidum Gorcum rursum occupatur cum auxilio necessariorum suorum: & qui in fide Iacobę erant confugerunt ad arcem, & ilicò subsidium per literas petiverunt ab amicis, præsertim à Trajectanis & Amersfordianis, qui ex tempore advolarunt. Et

Iacoba recipitur ab omnibus præterquam Dordracensibus.

Gorcum occupatur ab Arculanis.

Iacoba coadunata ex improviso manu satis validâ, navigio sese in arcem contulit; quo intellecto Trajectani atque Amersfordiani, cupientes sese jungere exercitui Iacobæ, effringentes per industriam murum, & aperientes portam oppidi respicientem ad arcem, non absque stupore hostium, qui magno milite gaudebant, & invitis illis, extensis signis per vicum sese junxerunt aliis exilientibus ex arce. Cumque Præfectus de Arckel viribus suis confisus, offerret pro sequenti die occasionem pugnæ, Iacobâ cum suis respondentibus sese pugnandi causâ venisse & velle pugnare, quando sibi placeret: confestim hinc inde acceleratur ad arma. Erat fossa ingens disjungens Trajectanos & Amersfordianos ab adversariis, & ne viderentur signa canere receptui, cum quibus erectis venêre, si fossam circumirent, animosè tranantes in hostes erupêre, junctis illis qui cum Iacobâ advenerant, & postquam diu hinc inde acriter pugnaretur, tandem mansit penes Iacobam victoria, quamvis oppidorum Hollandiæ subsidia nondum adventassent; & filius Præfecti de Arcklo cuncta per ordinem disposuisset: occubuit nihilominus cum Præfecto de Petersum, Ottone de Bueren aliisque Nobilibus & equestris ordinis; Captis Comite de Vernenburch, Alardo Præfecto de Buren cum aliis. Præfectus (ii) verò Egmondæ, Iohannes de Harlar, Theodricus de Linden, Raso de Oerdingen, & plerique alii ad numerum quadringentorum captivi Trajectanorum effecti, Trajectum ducti sunt. Ex parte Iacobæ desideratus Præfectus de Bredenroede. Ex adversariis milleni vel occisi vel submersi. Acta est hæc strages secundo Kal Decemb anno M cccc xvii. Quo die Præfectus de (kk) GutersWijck dudum ex ministerio Episcopi congregatis equestribus copiis, invasit Comitatum Tuentanum, abducens magnam prædam in arces suas: Episcopus verò novitate rei permotus, cogitabat reponere injuriam à servo illatam, & solicitantibus amicis in emendam pactum fuit, ut arx Nyenhuys cum oppido dederetur Episcopo, & in potestate suâ permaneret quinquennio: tunc enim illo transacto liceret redimere pro octonis millibus & trecentis florenis, alioquin perpetuò incorporata permanerent Episcopatui, & sic sopita fuit quæstio.

Recipitur manu forti præliante Iacoba.

Præfectus de Guterswijc invadit Comitatum Tuentanum.

Paulo post celebratis nuptiis inter Iohannem Ducem Brabantiæ & Iacobam in Hagâ Comitis, Iohannes electus Leodiensis, invitis eis, se continuit Dordraci, & multa damna Comitatui intulit, & paulo pòst oppidum Rotterodamense ob præsidii incuriam occupavit, duorum fluminum hoc modo sibi vendicans imperium in magnum præjudicium Iacobæ. At Trajectani interim subvertunt (ll) relliquias oppidi Isselstain, si quæ adhuc supererant, ne vestigia remanerent.

Iacoba celebrat nuptias cum Iohanne Duce Brabantiæ.

Anno M cccc xix. descendit Philippus Iohannis Ducis Burgundiæ filius in Hollandiam, ut discordes animos Principum componeret. Attinebat utrisque & indicto conventu apud Gorcum effecit, ut in patrem atque ipsum fieret compromissio, quorum auctoritate pax facta est Trajectanis atque ipsis Amersfordianis introclusis, quæ ipsis (mm) malè servata est, quia Egmondani secludebantur. Et quo Trajectani securius sibi consulerent, inierunt seorsum novas cum Duce Iohanne conditiones, ut cives negociarentur liberius, pendentes idcirco magnam vim pecuniæ ad summam, uti creditur, decem & octo millium aureorum. At confirmatis omnibus, invaditur statim navis onerata mercibus, applicans ex Flandriâ & palo transfigitur in aquam, captis qui intro erant. Idipsum contigit secundę navi, auctoribus Egmondanis, Iohanne electo adhuc agente Dordraci. A quo cùm frustrà peteretur restitutio, denunciatur querela oppidis Transiselanis, qui consuluerunt acrius instandum, atque solicitandum. Sic recurritur ad Iohannem Ducem Brabantiæ atque Iacobam, qui post pacem pronunciatam, Hollandiâ excesserant quinquennali administratione Iohanni Duci Bavarię electo permissâ. Favit Iacoba Trajectanis, sed omninò illi erat interdicta potestas, & Iohannes Dux venationibus & aucupiis intentus nihili ducebat quæ erant Reipublicæ, cùm alias potuisset æquari Regibus potentiâ, nedum obaudivit Trajectanos. Immò cùm evocasset aliquot cives eorum per epistolas suas, qui etiam occisi fuerant, tulit æquanimiter. Postquam autem viderent justitiam ipsis denegari, seque sperni, accesserunt Episcopum, qui deinceps in animo volutabat ad resarciendum damna suorum. Et inito (nn) fœdere cum Nobilibus suis & oppido Leiden. in cujus erat amicitiâ, & Præfecto illius ac Wilhelmo de Bredenroede, Iohanne de Haemstede, & plerisque aliis à quibus Egmondani & Gerardus de Heemskercke infestabantur: protinus indictum bellum Præfecto de Heemskerck, atque omnibus qui suæ factionis erant. Fovebat enim magnas copias proscriptorum Episcopus & immisit Leidanis quingentos milites subsidiarios, qui magnam prædam undique cogebant. Verùm ipse cum suis ac

Philippus Dux Burgundiæ pacem facit inter Iacobam & Iohannem patrium.

Egmondani turbant pacem.

Naves ex Flandria appellentes capiunt atque spoliant.

Iohannes Dux Brabantiæ juvenis non curat Rempublicam.

Trajectani spreti à Brabanto, implorant opem sui Episcopi.

Leidanis

Leidanis accesserunt oppidum Gaudam, in quo Iohannes Dux tunc erat, & suburbia ac domos usque ad portas consumpsit flammis. Et cum nullus erumpere auderet onustus spoliis & captivis rediit. Nam Iohannes Dux Bavariæ flocci pendens priora fœdera, cum Duce Brabantiæ Iacobâ, & Trajectanis inita, novas amicitias iniit cum Reynaldo Duce Gelriæ, & inter multa propter solam avaritiam pepegerunt: Quod si Præfectus Montisfortis sese ingereret prœlio, & oppidum ipsum adipiscerentur, cederet Iohanni Duci Bavariæ, & incorporaretur Hollandiæ: Amersfordia autem cederet Duci Gelriæ, & annecteretur Ducatui: Et decedente Episcopo, convenirent simul de aliquo bono successore, qui tunc cogeretur jure jurando affirmare, contra neutrum eorum, nec provincias sese aliquid attentaturum, & ad hoc mutuis viribus contenderent. Sed quia prius facta est per eos divisio patrimonii Divi Martini, quam tradita esset possessio; sic uterque defecit in vanis consiliis; quamvis Episcopum & Trajectanos multis injuriis afficientes, ad arma provocarunt invitos. Iohannes itaque jam offensus, congregatis suis, obsedit Leidim: Et arx dicta Poelgeest cessit primo transeunti: Leidani verò magnas strages intulerunt ejus exercitui continuò. Interim Reinaldus Dux juxta fœdera inter eos inita, fit hostis Episcopi atque Trajectinorum, attrahens Episcopos, Coloniensem, Monasteriensem, Ducem Montens. Comitem Morsaciorum cum (oo) Præfectis de Gaesbeeck & Culenburch in suam partem, de quibus tamen Episcopus non malè meritus erat, cui etiam fide obstringebantur. At Reinaldus tot viribus suffultus, ducit in Amersfordianos. Qui advenientibus pararunt occultas insidias, sed adversitatem passi, suis aliquot captis aut trucidatis, adjecerunt hosti audaciam. Episcopus illicò pro consolatione misit eis quingentos armatos. Dux nihilominus progrediens usque Emam fluvium tendens ad obsidionem, exercitum (pp) usque adeo numerosum adduxit, ut ab ortu usque occasum Solis occuparentur lustratione. In quos Amersfordiani ingentem (qq) torserunt machinam, bombardam vocant, & illicò factis induciis XXIV. horarum Dux cum suis movens castra, reversus est in suam Provinciam. Inter tot angustias Episcopus ac Trajectini in magnâ constantiâ perseverantes, ut omnibus incommodis obsisterent, etiam sociis Leidanis parabant ferre suppetias & commeatum, quo laborabant. Et eo magis Dux Ioannes urgebat ut sese dederent, quod & contigit propter novos (rr) motus aliquorum Amersfordianorum, persuadentium Ducem Reinaldum in oppidum recipiendum, qui hoc pacto concives eorum relaxaret. Quo comperto Episcopus, novum militem immittit, & auctores cœpit captivos, ac deinceps continuarunt Amersfordiani decurrere in Veluam. Sic dilatæ suppetiæ Leidanorum & sero missæ, qui interim sese dediderunt. Et Iohannes Dux inde movens exercitum, obsedit montem sanctæ Geertrudis, & medio tempore exspiravit quinquennalis administratio rerum sibi commissa, cum & obtinuit prorogationem ad septennium, unde Dux Brabantiæ magnam sibi omnium acquisivit indignationem, quia ignaviter Rempublicam administrabat. Interim (ss) Episcopus sollicitat Transisulana oppida ad sociale bellum, cum eo usque sese in quiete continuassent, & obtinuit, ut communi nomine Præfecto de Arckel, & cæteris inimicis Episcopi bellum indiceretur. At Trajectani anno 1420. posuerunt insidias juxta aggerem (tt) fluminis Amstellæ (jam oppidum Amstelredam vocant) emittentes aliquot prædatores ad pecora, erumpunt oppidani cum magnis viribus: alii cum prædâ simulant fugam, quos illi insequuntur. Verùm detectis ante tempus insidiis, repedant, cæsis partim, ac captis ducentis quinquaginta eorum civibus. Ex quâ clade in tantùm reliquorum civium animi consternati, ut conjectura fuerit Trajectanos sequenti adhuc die potituros oppido, si progressi fuissent, singulis in navibus salutem locantibus, & suas facultates tanquam profugi secum abducentibus. Persuaserant sibi principes hostes, urbem Trajectensem pressuros fame, cùm longe aliter contra eorum opinionem eveniret, cùm & annonæ, & aliarum rerum longè solito majore gauderent abundantiâ. Præterea Trajectani cogebant quotquot habitabant usque Harlemum ab eis & à Schonoviâ usque Dordracum etiam Goyos quotidianum pendere tributum, & erat inter (uu) eos mira concordia, etiam cum Episcopo, quo strenuiùs cuncta agebant, & vicinis terrori esse ceperant.

Iohannes Dux Bavariæ contemptâ Iacobâ nova cudit fœdera cum Duce Gelriæ.

Leida obsidetur à Bavaro.

Reinaldus Dux Geldriæ cum multis Principibus fit hostis Episcopi & Trajectinorum.

Episcopus cum populo suo in angustiis constans.

Leida deditur Bavaro ob famem.

Bellum Episcopi in Arculanos & eorum socios.

Trajectani ponunt insidias Amstelodamensibus.

Trajectum contra opinionẽ Principum annonâ abundat.

Anno verò XXI. ortum ingens apud Amstelredam incendium, quod majorem partem oppidi absumpsit. At Trajectani locarunt vallum ingens ad ostia Hemi fluv. ut excluderent naves vagantes per sinum Frisiacum vicinum quem Meridianum vocant, magno ex illo afficientes Hollandiam damno. Tum Transisulani nacti secundum ventum securè intrabant Hemum &

invitis

Insula Dordracensis ab Oceano occupata & submersa.

invitis hostibus adducebant Trajectum quicquid vellent. Eodem anno nocte quæ præcessit duodecimam Kal. Decembris territorium illud amplissimum, quod vocarunt insulam Dordracenam, sive Wiltorum, Oceano inundatum, ruptis (xx) aggeribus incuriâ Principum, uti asserunt, & infinitis mortalibus submersis horridi adhuc maris potius quàm sinus præbet spectaculum, nec per tot annos iratus Oceanus, æstum furoremque ponit ut aliquid sperare liceat, quin potius major ejus timetur sævitia, ut crebrò altius fluat illis in finibus, quàm sint domus habitantium in confinibus. Casus omni sæculo dolendus, & quamvis mortales, ob cælestem iram meritò ab armis desistere, & superna numina placare convenisset, non tamen potuerunt tot monita indurata corda emollire. Sic Trajectani impigri principio anni sequentis in Veluam undique reponunt vices, Nieukercken, Bernevelt, Putten & Vorthusen, exspoliantes atque flammis exurentes Circumvagabantur circa loca quælibet sita juxta oram sinus Frisiaci supra memorati, qui ab Oriente Veluam alluit, à Meridie Hollandiam, ab Septentrione Frisiam, ab Occidente Septentrionalem Oceanum excipiens, arcesque de (yy) Arler, & Eede demoliti sunt; Reynaldo Duce apud arcem Rosendal agente cum quadringentis equitibus, nec audente se movere.

Trajectani in Veluam ruunt.

Sinus Frisiaci descriptio.

Anno XXII. peracta messe castra metatus est Episcopus in Redichem, ubi & tentoria fixit, mittens suos circum Arnhemum oppidum, quærentes occasionem pugnæ, vicos Rosendal atque Velpam, & loca vicina consumentes igni, cumque nemo ex adversariis sese offerret, adusto Redichem, Episcopus jussit classica canere receptui. Hoc modo superbia ambitiosi utriusque Ducis dejecta, qui prius inter se partiti fuerant ditionem Ecclesiæ Traject. ut ægre jam sua tuerentur, cum uterque magnâ clade affectus fuerit. Gelrii verò, ut viderentur referre vices, transeuntes in provinciam Transisulanam, vastabant domos aliquot, quæ salutem & immunitatem pactæ fuerant à Præfecto de Gaesbeeck eorum coadjutore, non absque notâ juris bellici interrupti, brevi redeuntes ad sua. Erat annus iste infelix, & adversus Trajectanis, qui foris bello, intus fame & peste (zz) urgebantur: Nam modius tritici appendebatur quinis aureis, & pestilentia consumpsit præter fœminas & impuberes, suprà mille (α) quingentos cives. Nihilominus in vigiliâ Divi Martini (cùm (β) promiscuè Germani & Galli commessationibus & bacchanalibus indulgere solent) mense Novemb. noctu (γ) oppidum Wagening, portâ confractâ, per arietem invasêre, eripientes captivos, qui illic ex suis detinebantur, & adducentes octuaginta ex hostibus, deprædato & incenso oppido, Trajectum reversi sunt. Et circa eadem tempora Gelriis invadentibus ditionem Traject. occurrit Ludovicus Præfectus Montisfortis, & pari numero consertis manibus cepit septuaginta ex hostibus. Et caput Divi (δ) Adriani Martyris ex Monasterio insulæ Beatæ Mariæ adductum Trajectum, magnis precibus obtentum. Et pax eodem (ε) anno inter Principes renovatur & Trajectanis impositum, ut utrique Duci pro damnis illatis aliquam pecuniam exolverent, quam Dux Ioannes recepit: Reinaldus verò Dux ante solutionem (ζ) improvisè interiit in agro, dum ventrem exonerat. Iohannes Dux sequenti anno XXIII. in vigiliâ Epiphaniæ diem similiter clausit extremum. Eodem anno (η) obiit Fredericus Episcopus, septimo Idus Octobris, sanguine & meritis præclarus; cùm præfuisset annis triginta, recuperatis omnibus ferè locis anteà à patrimonio alienatis, arcibusque undique restauratis. Sepultus Trajecti in Basilicâ Divi Martini, obtinuit à Sigismundo Imperatore privilegia, quæ inferius annotantur.

Trajectani foris bello, intus fame & peste pressi fortiter agunt contra hostes.

Pax inter Trajectanos & Duces pecuniâ redempta.

Iohannes Bavarus anno 1423. obit. Item Fredericus Episcopus.

Confirmatio Sigismundi Imperatoris sub Frederico Episcopo.

IN nomine sanctæ & individuæ Trinitatis feliciter amen. Sigismundus Dei gratiâ Romanorum Rex, semper Augustus, ac Hungariæ, Dalmatiæ, Croatiæ, Rusciæ, Serviæ, Salliciæ, Lodomeriæ, Comaniæ, Bulgariæque Rex, ac Marchio Brandenburgensis, nec non Regni Bo-

gni Bohemiæ & Lutzenburgensis hæres ad perpetuam rei memoriam. Etsi Imperialis præeminentiæ generosa sublimitas erga fideles & devotos Sacri Romani Imperii, & præcipuè inclytos principes, qui ad ipsius decus & gloriam adornantur jugiter nos moneat esse sollicitos, ad honorem tamen omnipotentis Dei, cujus providentiâ nos, quanquam immeritos suæ bonitatis dignatione in apicem dignitatis Cæsareæ collocavit, erga Principes Ecclesiasticos, & ipsorum Ecclesias, & ad loca divino cultui mancipata, cordis nostri & mentis intentio ferventius inflammetur, ut illis submoveamus incommoda, profectus procuremus, & commoda, pacis ac quietis compendia ministremus, tutisque & rationabilibus eorundem Principum & Ecclesiasticarum personarum petitionibus annuamus & votis. Sanè venerabilis & illustris Fredericus de Blanckenhem Episcopus Trajectensis, Princeps & Consiliarius noster, & Sacri Imperii devotus fidelis, dilectus ad nostram accedens præsentiam personaliter nostræ Majestati cum devotâ modestiâ supplicavit, ut ipsum & Ecclesiam suam Trajectensem de omnibus & singulis Regalibus feudis, bonis, mobilibus & immobilibus, ac omnibus juribus temporalibus, quocunque nomine censeantur, à nobis & Sacro Romano Imperio dependentibus, ad ipsum & suam Ecclesiam prædictam spectantibus, investire, illaq; sibi de novo infeudare, & concedere, quæque omnia & singula privilegia, indulta, literas, libertates, gratias, observantias, bona, proprietates, & possessiones, emunitates, jura, statuta, consuetudines Iurisdictiones & concessiones sibi & Ecclesiæ suæ prædictæ, tam à Divis Imperatoribus sive Regibus Romanis, nostris prædecessoribus, & præcipuè beatæ recordationis Carolo quarto Romanorum Imperatore, Domino & genitore nostro charissimo data sive datas, concessa sive concessas, innovare & approbare, ratificare, & ex certâ nostrâ scientiâ & solitæ Imperialis celsitudinis clementiâ confirmare gratiosè dignaremur. Nos igitur ad gloriam & reverentiam Dei omnipotentis & sublimis, qui nos ad Monarchiam suæ sacro sanctæ Monarchiæ, militantibus solâ suâ misericordiâ dignatus est præficere, Ecclesias Christi & Ecclesiasticas personas singulari favore juvare desideramus, patrocinio pietatis. Quapropter præfati Fredrici Episcopi & Principis nostri virtuosam industriam, constantiam, fidei ac synceræ affectionis puritatem, quibus ipsum virtutum meritis, verbis, operibus, & exemplo clarere limpidius experimur, quoniam etiam præcedentis famæ celebri præconio de ipso fuerit vox testata, nec non puræ ipsius synceritatis affectum, quoad Imperatoriæ Majestatis honorem Modestia Imperatoris Pii.
locis

locis & temporibus oportunis omni benevolentiæ studio promptum se reddidit, hactenus sollertem, placidum & acceptum: & ut ipsum in anteà pro nostris & Sacri Imperii beneplacitis, fortiùs animemus, suis justis & rationabilibus supplicationibus annuentes, ipsum Episcopum & ejus Ecclesiam Trajectensem de omnibus & singulis regalibus feudis, bonis, mobilibus, immobilibus, ac omnibus juribus temporalibus, quocunque nomine censeantur, à nobis & sacro Romano Imperio dependentibus ad ipsum quoque Episcopum, principem nostrum & ejus Ecclesiam Trajectensem ab antiquo de jure justisque titulis spectantibus, investimus per præsentes, illaque sibi de novò infeudamus, & concedimus

Omnia Principum beneficia renovantur tanquam si de verbo ad verbum hic repetita esset

gratiosè, nec non universa & singula privilegia, indulta, literas, libertates, gratias, concessiones, emunitates, jura, statuta, consuetudines, jurisdictiones & observationes, bona, proprietates & possessiones de verbo ad verbum in omnibus eorum sententiis, punctis, clausulis, ac si ipsorum privilegiornm, jurium, jurisdictionum ac literarum, indultarum, libertatum, gratiarum, emunitatum, statutorum, consuetudinum & observantiarum, bonorum proprietatum & possessionum tenores, præsentibus essent inserti, & totaliter expressati, sibi & Ecclesiæ suæ prædicta, ut præmittitur, concessas & concessa, sive dictus Fred. Episcopus, suique prædecessores eis hactenus violentiâ præpediente usi fuerint, sive non, animo deliberato, non per errorem aut improvidè, sed sacro Principum, Comitum, & Procerum nostrorum accedentium consilio, ex certâ nostrâ scientia, ac de nostræ Imperialis potestatis plenitudine concedimus, innovamus, approbamus, laudamus, ratificamus, & præsentis scripti patrocinio sicut ritè præcesserunt, & proinde confirmamus & communimus nostris & Sacri Imperii ac aliorum juribus in aliis semper salvis.

Clausulæ obreptionem excludentes.

Nulli ergo omnino hominum liceat hanc nostræ investituræ, infeudationis, concessionis, innovationis, approbationis, laudationis, ratificationis, confirmationis, ac communitionis paginam infringere, aut ei quovis ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare præsumpserit, nostram ac Sacri Imperii indignationem ac pœnam centum librarum puri auri, (quarum medietatem Imperialis nostri ærarii sive fisci, residuam verò partem injuriam passorum usibus decernimus applicari,) se noverit irremissibiliter incursurum; præsentium sub nostræ Majestatis sigilli appensione testimonio literarum.

Pœna violati Privilegij.

Datum Novimagi Coloniensis Diœces. anno Domini Millesimo, quadringentesimo sexto decimo, die decimâ septimâ mensis Novembris, Regnorum nostrorum Hungariæ anno tricesimo, Romanorum electionis septimo, coronationis verò tertiò.

Anno 1416 die 17. No-

Ad mandatum Dñi Regis

Iohannes de Strigonio Præpositus & Vicecancellarius.

a Capitu-

a *Capitulum ex hoc frustra auxilium rogavit utrumque,*) In quodam MS. pro auxilium *anxium* inveni. Chron. Belg. sic hæc verba expressit; *Capitulares igitur Ecclesiarum propter prædictorum principum discordes supplicationes admodum perplexi.* ultimo hoc verbo quoque usus est Sifridus in Appendice ad Chron. Bekæ.

b *Quem idcirco Bonifacius P. R. Ecclesiæ Traject. præfecit,*) Bonifacius nonus ejus nominis, (quem Snoyus aliique laudant, teste Onuphrio accuratissimo rer. Rom. scriptore lib. 3. de Pontif. & Card. creatione ex Tomacellâ Gente Neapolitanâ fuit, & sedit ab anno C. 1385. ad annum 1404.

c *Tanquam aptiorem,*] A scriptoribus enim nostris laudatur. *Nam teste Snoyo fuit prudentiâ & ingenio clarus, in repub. cæterisque strenuus & solers.* Atque ut est in Chron. Belg: *Iste vir valde doctus animo magnificus, prudentiâ clarus, corpore procerus.* Porrò ut Barland: ait Episc. Traject. Catalogo: *vir litteraturâ insignis toto administrationis tempore optabili præfuit exemplo.* Unde miror eum tam malè ap: Argentoratenses audivisse, de quo sic Guilliman. de Episcopis Argent. *Fredericum ex Baronibus de Blanckenheim Pontifex Argentinam misit, & uti susciperent, tanquam legitimum imperabat. Incessit in urbem magno comitatu 20. dec. 1375. 20. annum non supergressus, sed doctrinâ & peritiâ utriusque juris commendatus, multâ ad hoc in principio humanitate & æquitate, quas tamen virtutes mox fœdissimis avaritiæ sordibus commaculavit.* Pluraque ex Winphelingo de ejus avaritiâ recenset exempla; addito hoc in Fredericum epilogo: *Poterat dulcissimâ vitâ frui, & in opulento & amœnissimo Episcopatu gloriosum atque jucundum statum traducere, si juxta nomen suum pacis amator, si Dei cultor, si Ecclesiæ suæ fidelis pastor, si humilis & devotus Dominæ nostræ capellanus fuisset.* Errat verò Guillimannus toto cœlo cum Fredericum Argentoratensem præsulatum cum Guiljelmo Trajectensi Episcopo pro Traject. permutasse tradit.

d *Injurias per quendam Bitterum de Raesvelt,*] Raesveldioru m nobilis & antiqua ap: Westphalos familia, ex quibus quidam fuit Episcopus Monasteriensis Bernhardus. Bitteri nomen in posteris quoque reperio: Vixitque nuper in Urbe nostra ex eâdem stirpe Dominus de Moerkercken tribus relictis liberis Gosuino, Wilhelmo, & Margarethâ Raesfeldiis.

e *Provinciam Westphalorum sive Occidentalium Flavorum,*) Precor,

Risum teneatis amici.

Quare non & Occidentalium pullorum? certè si ejusmodi nugis implere chartam placuerit, insignia antiquissima istius gentis (si vera ferunt) pullus fuit. Alii Occidentales advenas, id est, *Westwalen* melius dicendos putant. Longobardos autem hinc prodiisse, æquè extra metam est; licet Suevos Longobardos non procul hinc collocandos putet Goropius Francicor. l. 2: quos Paulus Diaconus ex Scandinaviâ in Germaniam venisse tradit, ac prius Winulos fuisse dictos. Strabo etiam lib. 2. in Sarm. Asiaticâ μακροπώγωνας à longâ barbâ sic dictos populos ad pontum Euxinum collocavit. At id omnem risum superat quod Longobardorum Reges dictos Flavios scribit à phalis istis sive Walis. Aliter Paul. Diaconus, qui ait, Autharim Clephanis filium, quem Longobardi communi consilio sibi Regem statuerant, ob dignitatem Flavium esse appellatum; eoque prænomine omnes qui postea fuerunt Longebardorum Reges feliciter usos esse, lib. 3. de Gestis Long. cap. 16. hinc elici posset illud prænomen Flaviorum quod in Italia Longob. Reges sibi ob dignitatem primitùs sumpserunt à Rom: Impp. translatum, quorum se in parte successores esse statuebant. Nam præter Flaviam gentem Rom. de quâ Fulvius Ursinus de familiis Rom: & Gorlæus in Thesauro Rom. numism. Sueton. in Vespasiano & alii plærique Imperatores post Constantinum eo præ nomine usi sunt.

f *Quo medio provincia Threntanorum Ecclesiæ restituta est,*) Quæ sub prioribus Episcopis variis oppignorata erat. Coevardensis verò reconciliatio cum Episcopo interventu Ducis Gelriæ facta anno 1397; cujus participes & auxiliarii fuerant Gisbert. de Bronckhorst D. de Borclo, Gisbert. de Bronckhorst, Fred. de Bronckchorst, Ioannes Homoedius, Theod. Wischius & alii, certis conditionibus dimissi, ut ex pactis initis, quæ sequuntur, patet;

In Den eersten dat alremallich hulper ende hulpere hulpe ende allen den genen die van beyden sijden ontsegghet hebben / om der saecken wille van Coevarden besoent sullen wesen op haer Leen ende goet / ende mit naemen sal Reynout van Coevarden besoent wesen alsoe dat hy behalden sal alle sijne erstale / soe waer die ghelegthen is / ende de sijne Olderen ghecocht hebben / ende niet en behooren totter Heerschap van Coevarden / ende die met sire Moeder mede gave ghecocht is. Item sullen Aernt Gutterswijc metten sijnen die in't nederlegghen Harmans van Schonenbeke / Bernt van Rhede / Willem

van Rode / Harman van Heerstel / Robert / ende andere die van bede weghen Bisschops van Utrecht ghevanghen zijn aen Gysbrechts handt van Borclo staen / alsmen die beschreven geven sal / quijt wesen / behelteliicken dat sy redelicke oirvede doen soelen. Item soo soelen Gysbrecht van Batenborch / Gerrit vanden Sande / Reynken ende Dirck van Bele / Aernt van Zeller / Guert van Ope / Henrick van Beyle ende andere die Gysbert van Borclo den Bisschop heeft ofghevanghen / quijt wesen / ende die op Rynesteyn ghevanghen waeren van Gysberts van Borclo ghesellen / mit naemen Gysbrecht van Batenborch / sullen tamelicke oirvede doen aen den Bisschop zijnen Ghestichte ende Stadt / etc.

Voort sullen Henrick van Wodingweerde ende Harman Kuijf / Jan Vierdach / Lambert vander Hoeven / ende andere Gysberts ghesellen van Borclo die op de reyse van Borclo ghevangen worden / quijt wesen / mits doende oirvede.

Alle rantsoen dat niet betaelt en is ofte verborcht / quijt zijn / dooden teghens dooden / rooff teghen rooff / brandt teghen brandt / quijt zijn / den Bisschop sal Reynolt van Coevarden verseeckeren xij. M. alde Vranckrijcksche Schilden / ende daer toe / vijf Jaeren langh vj^c. alde Schilden van hant-gelt / maeckende te samen xv. M. alde Schilden diemen hem betalen sal over v. Jaeren nae datum deses briefs / overmits hy zijn berait hebben sall op de vertichtenisse te doen / dat hy den lesten Jaere doen sal / daer mede voor hem ende zijne nacomelinghen van't Huus ende Heerschappije Coevarden met allen toe-behooren renuntierende / ende sal daer van geven zijne brieven besegelt by x. ofte xij. zijne beste maghen. Ende wolde Reinolt den vertichte niet doen soe en sal men hem des gelts niet geven / ende die brieven daer van ghemaeckt geen macht geven / maer hy sal staen op zijn voorgaende recht / als oeck den Bisschop etc.

Ghedaen in't Jaer ons Heeren 1397. den eersten Manendaghe nae den Sonnendaghe Iubilate, dat is den 14. daghe in Mey op de Velue in onsen Lande ander Yssele tegens Deventer.

g *Adunans ingentem exercitum,*] Frisicum hoc bellum plenius descripserunt Gerbrandus, Snoyus, Sifridus, Annales vulgares, & Ubbo Emmius rer. Frisicar. lib. 16. ad principium. Frossardus vol. 4. cap. 76. & seq. Meminerunt etiam Meyerus rer. Fland. lib. 14. ad annum 1396. Scriverius in historiâ Comitum Hollandiæ &c. in Alberto Bavaro in cujus elog. His versibus rem expressit;

Quid Frisiæ gentem me ter victore subactam,
Auspiciis referam, quid data jura meis?

h *Wilhelmus Comes Frisiæ Orientalis,*] Titularis nempè, nam Frisii Orientales nunquam agnoverunt Hollandiæ principes dominos, nisi quando vel vi vel factionibus domesticis coacti eò descenderent, ut eos reciperent.

i *Et primogenitus Regis Carolus de Laborett.*] Quid sibi velint hæc verba primogenitus Regis ignoro. Neque enim Carolus iste fuit Regis Galliarum filius, quare hic scribendum puto & Admiralius Regis, ut & vulgare indicat Chronicon, & Frossardus, Meyerus, Ubbo Emmius, Carolum tantum Labretum vocant, ac Comiti S. Paulli postponunt. Snoyus autem expressis verbis Carolum Admiralium Regis Franc. indigitat.

k *Comes de Stalgiis,*] In Chronico vulgari Schalies habetur ut & Snoy historiâ Hollandicâ lib. 9. in Alberto Duce; sed invenio inter Comites Angliæ sub Henrico IV. & paulo ante hæc tempora, Stafordiæ Comitem.

l *In territorio Oppidi Vianensis,*] Suffridus in Dominio de Arckel habet, pertinebat quidem arx illa ad Arkelios, & habebant Vianenses Domini minorem aliquam jurisdictionem, in pago nempe Iutphaes, ubi & hodie arx Rinesteinia agnoscitur, verùm territorium est Trajectensium; nisi, quod puto, aliud hoc fuerit castrum ultra Leccam.

m *Tandem factâ arcis deditione,*) Snoyus hanc rem ita narrat: *Obsessi tandem salvâ vitâ arbitrio Antistitis sese dediderunt, abductique sunt Trajectum captivi 300; inter quos, Ioannes de Rynestein, Gysbertus de Bronckhorst, Godardus de Elderen, &c.* cui accedit auctor Chronici Vulgaris: Atque extat ap. me fidelitatis juramentum Antistiti præstitum à Iohanne prædicto.

n *Cum magnâ pertinaciâ Grunorum,*) Bellum hoc Ubbo Emm. quoque attingit lib. histor. Frisic. 15. ac cum eo Snoyus & Gerbrandus. Quare vel unde Gruni dicti, sic Emmius de urbe Groninga: *Nomen à viridibus pratis videri potest deductum; cum quo convenerit Græcum Φυλλῖον veteribus circa hæc loca collocatum. Melius fortè Gruno vel Gryno Principe, vel conditore loci, non quidem illo Trojano, aut Indico, sed homine Frisio.* Nugantur hic Kempius, Suffridus, Hamcon, Furn. de Gruno Galonis F. Frisonis N. Videatur etiam L. Guicardinus in descriptione Belgii, & quæ ibi notantur.

o *Iohannes Præfectus de Arclo indixit Alberto D. bellum,*) Arculense hoc bellum cum Hollando & Trajectensibus prolixius prosequitur Chronicon vulgare ex Gerbrando, & Snoyus Rer. Holland. lib. 9.

p *Quæ documenta proprietatis Episcopus Duci ostendit,*) Hic sensus non constat & videntur quædam deesse: vel ita legêdum: Fortunata erat deditio, nam paulò post sunt reversi, qui documenta proprietatis Episcopi, Wilhelmo Duci ostenderunt.

q *Iohannes minor natu ex nob. fam. de Brederode,*) Totam hanc Historiam plenius describit Bockenbergius de Illustrib. Bred; in Ioanne Reinoldi fil. ex Annalib. vulgaribus, ubi videre est quam infeliciter ille monachum induerit, & infelicius illum exuerit, siquidem captus ab Antistite & dimissus, ad Gallorum Regem se recipiens, bello Asincourtiano cæsus fuit.

r *Quod malè implevit,*) Aliquoties enim Apcoudii & Gaesbecani ex eâ familiâ fidem fefellerunt, ut & paulò post de Trans-Issulanis legitur, & passim exemplis posset demonstrari. Sed tandem perfidiæ pænas dedêre, cum Iacobus Gaesbeeckius postquam filium imprudens occidisset, & inde ob factionem à Diepholdio captus, omnia sua bona Ecclesiæ Trajectensi tradere coactus fuit.

s *Eodem fermè tempore defecerunt Leodienses,*) Hanc historiam vide præterea ap. Meyerum in Flandricis, ad annos 1406. & 1408, Chronicon vulgare, Snoyum, Haræum in Anton. Burg. Brab. Duce; Chron. Mag. Belgicum, Placentium in Iohanne Bavaro Episcopo Leod., Divæum Rer. Brabant. lib. 17. Huterum Burgund. lib. 4. in Intrepido. Gaguinum in Carolo VI. & Annal. Flandr. Oudegerstii cap. 186.

t *Ferunt interiisse supra 22000. hominum,*) En quanta scriptorum varietas: Huterus ait: *E militum vulgo triginta circiter militum millia esse desiderata, præter 500. nobiles.* Meyerus, Leodios 50000. pugnatorum movisse in hostem infeliciter & 28000. cæsos. Placentius ad unum omnes cæsos ait. Divæus 50000. hominum haud procul Leodio occurrisse & ad internecionem cæsos. Gaguinus 16000. cecidisse scribit. Chronicum magnum Leodiensium peditum in exercitu fuisse 25000. equitum 700. ex iis 23000. cecidisse. Annal. vulgares ex Gerbr. 40000. Leod. occisa referunt; quibus Bockenb. accedit. Massæus Chron. lib. 19. ita habet. *Apud Hasbanium commisso prælio circiter 36. millia Leodinorum prostati sunt.* Hi omnes quantopere inter se diffident? Nec id mirum; pro partium enim studio vel augent vel minuunt numerum, ita ut rarissimè auctores in cæsorum numero concordes inveniantur. Hæc ideò annotare volui quod in patriâ historiâ similia non semel occurrant.

u *Hoc anno pullulavit in Trajecto seditio,*] Secundum Annales vulgares hæc contigerunt an. 1413. & hujus seditionis auctores, ut & hic refertur, fuerunt partium Arkelensium studiosi, quos malè habebat fædus Ultrajectensium cum Duce Bavaro, contra Arkelios initum: inter quos eminebant Harmannus Lockhorstius Decanus summus, & Ioannes Spiegelius cons. Urbis, qui civibus persuadebant civitatem Duci venditam, & magnum libertati ipsorum imminere periculum.

x *Proscripti autem sunt Iohannes de Lichtenberch de Lanscroon,*] Hic ex Lanscroniâ familiâ maternum cognomen adjunxerat, quod eo tempore non erat infrequens: maximè cum materna stirps emineret. In patriis Chronicis inter primos in exilium missos fuit Iacobus Lichtenbergius D. Petri Præpositus, ex nobili Lichtenbergiorum & olim in repub. potenti ortus familiâ; avunculus, nisi fallor, Iohannis supradicti ut ex stemmate hoc patere potest.

	Iacobus	Iacob. F.	Iacobus de	Aleidis ux. Dñ.		Iacobus	Al-
	F.Iohā-	Iacobi de	Lichtenb.	Ioannis Reneffi		Præpos.	pher-
Iohan-	nis.	Lichten-	miles 1327	militis.		S. Petri.	da ux-
nes ante		berch po-	ob. vidua	Mabelia D.d'Al-	Alfardus de	Alphar-	Iohan.
annum		stea anno	relicta D.	blas.	Lichtenb.	dus de	Ruysc.
1288.		1304.	Mechtilde.	Iohanna.	1378.	Lich-	
mortu-		occisus.	Ernestus.	Agnesa.	Iutta uxor	tenb.	
us reli-			Iac. Præp.	Iacoba.	Iohannis	1416.	
cta vi-		N. Vxor	D.Ioannis.	D. Jacobus de	Groene-	N.uxor	Iohan.
dua Eli-		Suederi	Alfardus	Lichtenb. mil.	woudii.	Rotardi	Lich-
sa.		de Bosin-	de Licht.	Alfardi F. uxor.		de Lanf-	tenb.de
		chem	mil.ux.D.	Hadewigis 1351.		croon.	Lanf-
		1288.	Iutta Vre-	Iacobus de Nien-			croon.
			sen 1346.	dael.			

y *Sed in loco religioso se cum fratre salvaret,*] Apud Canon. Regulares cum fratre suo Iacobo de Lockhorst, qui hoc anno prætor Trajectensis fuit.

z *Cum Isbrando fratre Frederici de Aa*) Legendum, *cum Frederico fratre* nempe Iohannis de Spieghel, *Isbrando de Aa* &c.

aa *Et alii conscii anno* xv.] Puto legendum *numero* xv. siquidem hæc anno 1415. facta videntur, post duos nempe annos quàm inceperat hæc factio.

bb *Potentiores tuæ ditionis ad hoc præstassent consilium*,) Caussa odii & malevolentiæ Egmondanorum in Principem fuit ea sententia, quam inter Abbatem & Iohannem Egmondanum tulit Wilhelmus Princeps Schoonhoviæ 3. Octob. 1411., & ap. Bockenbergium de dynastis Egmondanis in hoc Ioanne extat integra, quam acerbe & indignanter admodum ferebat.

cc *Præfecti verò Vianensis & Culemburgensis,*) Hi fuêre Hubertus Culemburgius, cujus mater Berta Egmondana Ioannis filia, teste Hutero, amita Iohannis & Wilhelmi Egmondanorum fratrum: Iohannes Vianius Gisberti filius, cujus mater Beatrix filia Iohannis 18. Domini Egmondæ. Annales populares & Bockenbergius addunt Jacobum Gaesbeeckium, cujus soror Iola Culemburgano nupserat.

dd *Mense Novembri anni præcedentis factum est prælium ingens inter Francos* &c.] Anno nempe 1415. feriis Crispini & Crispiniani facta est pugna Azincuriana, quæ magno Gallis constitit, quam præter Gallicos & Anglicos scriptores, describunt Meyerus Annal. Flandr. xv. Haræus rer. Brabant. Opere, in Antonio Burgundo. Divæus lib. 17. Rer. Brab. ad finem. Annales populares ex Gerbr. Massæus Chron. 19. & Chronographorum plerique.

ee *Ex parte Anglorum periit Rhusciensis,*] Quis ille nondum inveni: vocat autem apostatam, quem transfugam forte voluit dicere. Scriptores quos vidi, inter primores Angliæ cæsos neminem præter Eduardum Eboracensem ducem, & cum eo unum atque alterum nominant.

ff *Et facta sunt desuper legitima documenta,*) Dicuntur hæc conservari in tablinis Hollandiæ apud Goudam: quorum mihi olim copiam fecit vir nobilis & eruditus Franciscus Dousa Nienrodius, Domini Nortvicensis Archivorum in Batavis custodiæ præfecti filius. Horum initium propter nomina Nobilium & civitatum ibidem expressa hic ad lucem historiæ adjungo:

Wy Philippus Heer van Wassenaer / Borchgrave tot Leyden / Henrick van Wassenaer / Dirck vander Leck / Herbaren van Ysselstein / Jan van Heemsteden Heer van Benthusen / Henrik van Naltwijck Maerschalc van Hollant / Jan B. van Blois Heer van Tresloing / Melis van Mynden / Aernt van Duvenvoirde / Jan van Woude Here van Warmont / Willem van Bockhorst / Gerrit van Heemskerc Heer van Oisthusen / Barthout van Assendelft / Gerrit van Zijl / Jan van Hodenpijl / Philippus van Spangen ende Gillis van Cralingen Ridderen. Willem Eggart Heer tot Purmerende / Helmich van Doornick / Adriaen van Raephorst / Jan van Nienrode / Gerrit van Poel-geest / Philippus de Bloit / Mouwerin van der Does; Gerrit van Bennenbroeck / Dirck van Santhorst / ende Adriaen van Mathenesse knapen / ende wy Schouten / Borghe-Meesters / Schepene ende Raden der Stede van Haerlem / Delft / Leyden / Amsterdam / Goude / Rotterdam / Oudewa-

Oudewater / Schiedam / Almaer / Hoorn/ Medenblic/ Enckhusen / ende Monickendam / Doen cond / want redelicken is ende natuerlick Recht eyscht / dat een yghelick goet eerbaer Man / die Gode ende gerechtigheyt voor ooghen heeft zynen rechten ghebooren Lants-Heer / goet / ghetrouw ende onderdanich zy / die schuldich is te helpen stercken / te dienen eñ lijflick by te blyven tot allen steden eñ stonden / teghens allen / die hem aen sijne heerlickheden ende erffenisse crencken ende teghens vallen souden willen / ende wy in onse bescheydentheydt wel weten ende bekennen dat die Doorluchtighe Vorstinne onse ghenadighe Vrouwe / Vr. Jacob van Beyeren Dauphine van Vienne etc. Eenighe Dochter ende rechte Erfghename is des Hooch-gebooren Vorsten ons L. Gen. Heeren Hertoge Willems etc. Soo hebben wy wel bedacht ende volcomelicken beraden alle t'samentlick ons daerom verbonden ende verlooft met onsen vrijen wille / waert dat de Hooch-ghebooren Vorst onse ghenadighe Heere voornoemt aflijvich worde voor onse Gen: Vrouwen sijnder Dochter voorsz. sonder wettighe Soon achter hem te laten / Dat wy alsdan d'selve onse L. Gen: Vrouw Jacob van Beyeren voornoemde als Erff-dochter ende Leen-volghster ons Gen. Heere voorschreven ontfanghen ende hulden sullen tot onsen rechten ghebooren Landts Vrouwe etc.

Gegeven op onser L. vrouwen dach Assumptionis, in't Jaer ons Heeren M CCCC XV.

Bunschotenses propter fidelitatem Episcopo Florentio exhibitam, ab eodem nonnullis privilegiis donati sunt, ut hoc diploma vernaculo sermone iis datum exprimit:

Florens by der Ghenaden Godts Bisschop t'Utrecht / Doen condt allen Luden / Dat wy by goet-duncken onser Stadt van Utrecht / om menighen trouwen dienst die ons ende onsen voor-Vaderen Bisschoppen t'Utrecht ende den Ghestichte van Utrecht onse goede Lude upt onser Stadt van Bunschoten ghedaen hebben / ende noch doen zullen / ende om ene seker Summe van ghelde die zy ons betaelt hebben ende de wy voort in ons ende in onses Gestichts orbaer ghekeert hebben / alse onse Slote mede te loessenen ende de schoudt te betalen: die wy vonden op onsen Ghestichte ende van onsen voor-Vaderen ghelaten was. Soo hebben wy ghegheven ende gheven voor ons ende voor onse na-comelinghen Bisschoppen t'Utrecht onser Stadt van Bunschoten ende horen Borgheren ende horen na-comelinghen al alsulcke vryhede alse hier na beschreven staen ewelijcke te dueren. Inden eersten went wy aenghesien hebben groot verlies onser Lude / ende der Stadt voersz. van zware schattinghe diemen op hem plach te doene / alse van Maech-gelde / van Doet-slaghe ende van Leemten / zo gheve wy hem ende horen nacomelinghen dat nyemandt meer op hem gaderen noch mit Rechte winnen en mach zoe waer sy ghesetten zijn dan van elcken doet-slaghe dat after-Suster-kijnt vijff Schillinghe / ende van elcker Leemte derde-half Schillingh alsulr Paeyements alse gemeenlicken dan in onsen Ghestichte gaet / Ende daer na voort te gheven vore ende nare alsoe alse zy ghebooren zijn. Ende desghelijckx en zellen zy niet meer moghen gaderen noch met rechte winnen van horen Maghen de buten of binnen hore Stadt geseten zijn dan voerschreven is / Voert soe gheven wy hem ende horen na-comelinghen dat zy hoer onschout in onsen Lande doen moghen mit eenre hant van Doet-slaghe ende van Leemten daer sy in beclaghet werden onbesproken van ons ende van onser Heerlickheydt / sonder arghelist / Voert soe gheve wy hem ende horen nae-comelinghen dat die Borgher-meyster ende ses Schepene die aen dat Recht blijven zellen die Nywe Schepene Jaerlickx kiesen sellen op ons Heeren Hemelvaerts dach / ende ons ende onsen Nae-comelinghen of ten ghenen die wy't beveelen zellen die te presenteeren / Ende off zy eenighe Schepene

koeren die wy mit rechte of mit beſcheyde wraken moghen alſoo dicke alſſe dat ghevielе / dat ſy ander Schepene daer voer kieſen ſellen / ſonder argheyt. Voert de Schoute die wy ende onſe na-comelinghen daer zetten zellen / die zellen zy Borgherſchap geven zonder weder-ſegghen / waert dat hy gheen Borgher en ware / Maer dien Schout die ſy Borgherſchap gheven / die ſel dan zweren alſe Borghers ſchuldich zijn te doen na hore ſtat-rechte / Voort zoo gheve wy hem ende horen na-comelinghen dat ſy brugghe-ghelt moghen nemen tot eenre brugghe vanden bruggen die ſy over hoer Havene te Bunſchoten van hoers ſelfs goede ghemaket hebben tot elker reyſen alſe zy eerſte overvaren / alſe van elken waghen of kerren vier Hollantſche / van elken beeſte een Hollantſche / ende van elcker koppel-beeſte twee Schillinghe / ende daer zellen zy die brugghen over hoer Havene mede houden / Ende daer zellen wy ende onſe nacomelinghen Biſſchoppen t'Utrecht den derden penninck of hebben / ende behoudeliken onſer Eccleſien ende onſer Stadt van Utrecht alle hoers Rechts ende Vryheden / dat is te verſtaen / dat zy daer niet of gheven en zellen / Ende in kenniſſen hier of zoo hebben wy onſen zeghel aen deſen brief ghedaen / ende om die meerre orconde alle deſer voorſchreven zaken ſo hebben wy ghebeden onſer ſtat van Utrecht deſen brief mit ons te beſeghellen / ende wy Borghermeiſters / Schepene ende ghemeene Raedt der Stadt van Utrecht / want onſe lieve Heer de Biſſchop van Utrecht voorſchreven alle deſe zaken by onſen ghoetduncken ende weten ghedaen heeft alſſe voerſchreven ſtaet / ſo hebbe wy om bede wille ons liefs Heren des Biſſchops voerſchreven onſer ſtadt grote zegell mede aen deſen brieff ghedaen / In kenniſſe der waerheyt ghegheven in't Jaer ons Heeren duſent dre-hondert drie-ende tachtich des dinxdaghes na Sinte Laurens dach.

gg *Et paulo poſt juvenis tantæ ſpei infectus interiit,)* Veneno, Aurelianenſium ſcelere, infectum periiſſe tradunt vigeſimum annum nondum egreſſum, vide Meyerum lib. Annal. Fl. xv. ad annum 1417.

hh *Mediatore Wilhelmo de Egmonda ex improviſo quod cives fefellit.)* Hæc verba nec coherent commodè, nec vera ſunt. Nam Chronicum populare, & Sifridus in Appendice Becani, Interceſſore Iohanne Henſbergio tranſactum eſſe tradunt.

ii *Præfectus verò Egmondanus]* Meyerus nominat Iohannem Heterium, Henricum Homoetium inter captivos. Walravium autem Brederodium Iacobam eo prælio magno ſuo damno deſideraſſe addit. In Chronico populari plures inter cæſos atque itidem inter captos nominatim recenſentur.

kk *Præfectus de Gutterſwijck,)* Ex hac familiâ orti qui hodie Comitatum Benthemienſem poſſident.

ll *Trajectani ſubverterunt relliquias oppidi Iſelſtein,)* Id factum poſtridie omnium Sanctorum an. 1418. neque relictum quidquam præter eccleſiam Parochialem & monaſterium.

mm *Quæ ipſis malè ſervata eſt,]* Hæc ſcilicet querela non ſemel in noſtrâ hiſtoriâ occurrit; nam quo magis vicinorum potentia crevit, eo magis injuriis & damnis ipſorum ſe expoſitos noſtri ſenſerunt. Videlicet plus ſæpè vis & arma, quàm literæ & ſigilla, atque adverſariorum commoda quam fœdera, aut litteræ potuerunt: quod nec ſcriptores partes ſuas nimium interdum foventes, tacitum relinquunt.

nn *Initó fœdere cum Nobilibus ſuis & Oppido de Leiden,)* Literæ fœderis in quibus injuriæ ſupra poſitæ prolixiùs exponuntur, extant.

oo *Cum præfectis de Gaiſbeeck & Culemburch,]* Hi non jam primum ut ſupra annotatum eſt, contra fidem clientelæ, qua Antiſtitibus devincti erant; eorum hoſtibus adhæſerunt.

pp *Vſque adeò numeroſum adduxit Exercitum,)* Quod mirum, cum & ſitu loci & populi infrequentiâ invalidum illud ſit oppidum, ac vix hodie paucos dies hoſtilem vim laturum ſit.

qq *Ingentem torſerunt machinam, bombardam vocant,]* Hæc bombarda jam pridem inventa propter novitatem & inſolentiam fortean hoſti metum incuſſit. Dictæ verò ita ſunt Bombardæ, à ſono, quem edunt, à Germano quodam circa annum 1378. inventæ; & primùm uſurpatæ à Venetis cum Genuenſibus ad Foſſas Clodias confligentibus. Vide Guidonem Pancirolum lib. 2. de novis repertis, Tit. 18. & ibi ab Henr. Salmuth notata. Munſterus lib. 3. Coſmogr. ubi agit de Moguntia. ex Achille Gaſſaro ſcribit circa annum C. 1354. in uſu apud mare Danicum fuiſſe, primumque inventorem extitiſſe chimiſtam quendam nomine Bertholdum Schwartz monachum. Polyd. Verg. de Invent. rer. lib. 3. c. 18. non hominis ſed dæmonis inventum eſſe vult, & inventorem ejus ignotum eſſe aſſerit.

rr *Propter novos motus quorundam Amersford.)* Vide hæc in Chronico populari accuratius deſcripta, diviſ. 28. ſub Iacoba Principe.

ſſ *Interim Epiſcopus ſolicitat Trans-Iſulanis Oppida,)* Trans-Iſſulani otioſi plerumque ſpectatores tan-

res tan-

res tantum, nihil opis aut auxilii Ultrajectinis contra hostes suos colluctantibus conferebant.

tt *Juxta aggerem fluminis Amstellæ,*] Meminit hujus rei sed strictim Pontanus Rer. Amstelodamensium lib. 2. cap. VIII. his verbis; *Sed difficultates plurimas atque incommoda, ex eodem hoc bello eædem urbes perpessæ, & Amstelodamensium præcipuè, utpote Trajectensibus contermina: adeò ut sæpenumero sub oculos urbis variis excursionibus progressi Trajectenses civibusque aliquot viris potiti Trajectum captivos perduxerint.* Mem. & Zuerius in Theatro suo urbium Hollandiæ nuperrimè edito, ubi de Amstelodamensibus agit.

uu *Et erat inter eos mira concordia,*) Nimirum Concordiâ juxta illud Salustii, *parvæ res crescunt*: & sua satis defendebant ac tutabantur Trajectenses, cùm nullæ civium inter se dissentiones vigerent, & nobiles ac ministeriales (qui vicinis principibus addictiores plerique inveniebantur) à debitâ fide non declinarent.

xx *Ruptis aggeribus incuriâ principum, uti asserunt,*] Vide Zuerium in Dordrechto suo, Iacobum Eickium in curiosâ illâ Zuid-Hollandiæ descriptione. Vulgare Chronicon ex Gerbr. Snoyum hist. Holl. lib. 9. Haemrodium, & ad eundem Pontanum Junii Bataviam, Danica Pontani lib. 9. Exterorum etiam plures meminerunt hujus inundationis, ut Munsterus Cosmogr. lib. 3. pag. 518. sed refert in annum 1420. vel 1446. 17 Apr. Item Clemanges Epist. 132, Meyerus lib. 16. Annal. Flandriæ ad annum 1421, Crantzius Saxonic. libr. XI. capite VIII. qui XVI tantùm parochias absorptas periisse scribit, ut & ex eo, ut videtur Bernardus Mollerus in descriptione Rheni, lib. 6:

Sed & dena simul vidit delubra Deorum
Incola Dordraci Thetyos amne premi.

yy *Arler & Eede demoliti sunt,*) Sic legendum putavi cum res hæc in Veluæ acta; ubi arx Arckle, ut in priore editione habetur non comparet; sed Arler & Eede non incognita sunt.

zz *Fori bello, intus fami & peste,*) Tria hæc mala plerumque concurrunt: nam bellis agri vastantur, coloni dissipantur, indeque sequitur annonæ difficultas & hanc fames, ad quam sedandam cibi sæpe insalubres, ac insueti sumuntur, unde morbi & pestes.

α *Supra mille quingentos cives,*) Oportet satis populosam fuisse eo tempore Civitatem in quâ tot viri brevi occubuerint.

β *Cum promiscuè Germani & Galli commessationibus,*] Nempe qui habent Divum Martinum Patronum; sic enim more Ethnico divus iste celebrari solet cum musto repleti *Bacchi* mystæ sacrum faciunt.

γ *Noctu oppidum Wageningen,*) Vada intelligitur antiquorum, non ita longè Arnhemio distans. Expugnationis verò hujus meminit & Chron. populare; Ibi autem quædam adjuncta; nempè Ultrajectenses in oppido non ita magno, cepisse Henricum Hœmodium Equitem cum aliis octingentis, reliquis per muros elabentibus, & Hedæ hic magis credo, cui assentitur Snoyus.

δ *Et caput D. Adriani,*) Inter sacra κειμήλια, argento inclusum hoc olim à me visum fuit in annuis supplicationibus circumlatum. Meminit duorum Adrianorum martyrum Io: Molanus; unius Nicomediensis, cujus reliquiæ in Flandriâ ap: Gerardi Montem; alterius S. Landoaldi internuncii, qui nunc Gandavi quiescere dicitur: cujus fuerit hoc caput ignoro.

ε *Pax eodem anno inter principes,*] Nempe anno 1422. cujus extant conditiones & literæ.

ζ *Ante solutionem interiit in agro dum venirem exoneraí,*] Anno nempe 1423, ut in Chronico populari: vide & Aquilium in Chron. Gelriæ, & ibidem notata per P. Scriverium.

η *Obiit Fred. Episcopus VII, Id. Octobris,*] Ipsis Dionysii feriis, ut habent Chron. populare, & Chronicon Belg. magnum, hoc verò in Castro suo Horst. eum mortuum vult, cùm alii, utpote Snoyus: Suffridus, Bockenbergius in castro Vollenhove eum senem decessisse tradant.

Circa hæc tempora narrant Ann. Holl. divis. 26. cap. 27. captum in Lacu Purmerendæ monstrum marinum fœminæ formâ, corpore hirsutum. De quo quamvis tradant vix credibilia, Snoyus tamen lib. 9. hist. Holl. ad finem vitæ Adelberti Com. ea literis mandata refert ab iis, qui illud viderunt, sibique per manus tradiderunt. Sifridus captam marinam hanc fœminam anno 1404. dicit, Doctiss. Boxhornius anno 1430; & addit de fœminis marinis plura scripsisse Scaligerum ad Aristotelem de animalib. Vincent. Chartar. de Deorum imagin. Bern. Buttum lib. V. Monarch. Lusit. hujus fœminæ quoque meminit Vincemius in Chron. Frisiæ vernaculo, de cujus fide dubitare videtur. vide quæ Fort. Licetus adfert libro de monstrorum causis cap. 86. de marinis hominibus ad rubrum mare, quorum pelles durissimi, ut inde calciamenta conficiant ad 15. annos duratura, ubi & similia de hominibus marinis ex Ioh. Bapt. de Rhamnusiis ad navigationem Hammonis Alexandro ab Alexand. Fregosio, Betonio, & Cardano qui de hac muliere ad Edamum capta ex relatione Cornelii Amsterod. scribit mutam eam fuisse salacissimam. Superiore etiam sæculo asserunt scriptores Episcopum marinum in Poloniâ visum, & Monachi formâ monstrum in Saxoniâ natum.

Suederus Episcopus LII.

ET

Rudolphus Episcopus LIII.

Competitores Episcopatus varii.

DEfuncto Frederico Episcopo, post indicta comitia, plerique Principes commendarunt suos ut communi suffragio obtinerent. Archiepiscopus Coloniensis Walravium fratrem suum ex domo Morsaciorum; Episcopus Leodiensis Præpositum Aquensem ex domo Burensi, postea in Culemburgio interremptum; Episcopus Monasteriensis Albertum nepotem ex Comitibus Hoyensib., Dux Montensis Gerardum Clivensem, Dux Clivensis Rudolphum Diepholdium Canonicum Coloniensem & Præpositum Osnaburgensem, Collegia verò Canonicorum tot adversis petitionibus statuêre deliberandum usque in vigiliam Martini patroni sui: Ipsisque adhuc in consistorio manentibus, ecce unus ex (a) Præfectis civium, ex familiâ illorum, qui dicuntur Proiis, per impetum pulsans fores, comminatus est altâ voce Decano S. Petri, nepoti suo, inquiens, quod nisi eligeret Rudolphum Diepholdium, sciret mortem sibi intentandam: quâ impressione motum Collegium majoris Ecclesiæ exsurrexit, & eligere recusavit, cum quatuor Capitula aliarum Ecclesiarum processêre ad electionem, & per contentionem cecidêre suffragia supra tres, Rudolphum Diepholdium, Præpositum Aquarumgrani, & Swederum Culenburgensem Præpositum Trajectensem. Hic sentiens se votis longè inferiorem, transfudit sua in Rudolphum, affirmans ex conscientiâ se illo aptiorem, aut magis idoneum non scire. Unde Transisulani, qui multum favebant Rudolpho, bene contentabantur. Iam agebatur annus 24. cùm Martinus Romanus Pontifex rejectâ electione providit (b) Episcopo Spirensi de Ecclesiâ. Qui parum ad illam anhelabat, intelligens Provinciam illam plurimis subjectam factionibus. Quo comperto nonnulli Trajectani, Suederi amici, accedentes Episcopum Spirensem intervenêre, ut ille Ecclesiam Trajectensem commutaret pro Præpositurâ Trajectensi, quod Martinus approbavit, cumque istud propalaretur, orta est apud Trajectanos non modica discordia, quibusdam adhærentibus Rudolpho, aliis obedientibus decreto Romani Pontificis: Ista agebantur anno xxv. cùm Suederus Episcopus ipso die Laurentii Martyris intraret civitatem, & exules de more (c) cum novo Principe inter funiculum illum sequerentur, suboritur motus ingens, nam, rupto funiculo, aliqui trucidabantur, quorum cædem Episcopus in se assumpsit, proscriptis ex recenti plurimis, nequicquam & dira in Transisulanos imprecans, quia Rudolphum foverent, & reditus Episcopatus illum occupare permitterent: cùm illi pro innatâ barbaræ gentis duritiâ flocci penderent, nec fulmina Iovis, nec Martis arma formidantes. Pacatis itaque rebus Trajecti, Suederus accessit Amersfordiam ad sopiendum seditiones illic exsuscitatas: quo cum venisset, alios proscripsit, alii occisi sunt, alii capite plexi pro arbitrio suo, quæ omnia ex suâ auctoritate (d) fieri declarabat: Rediens Trajectum, attraxit in amicitiam collegium Macellariorum non absque magno incommodo suo: nam plurium animi propter similia sua acta alienabantur ab eo, cogitantes quomodo ab eo absolverentur. Et Rudolphus latitabat in arce Lupinâ, Wulven dicta. Quidam in dolo crediti animi persuaserunt Suedero, ut interdum apud Amersfordiam atque oppidum Rhenanum & Horestum arcem moraretur, pro conciliandis aliorum animis, quod sibi haud displicuit, ut privatus absque magno sumptu degeret. Hâc fiduciâ egressus Trajectum in fine Veris anni xxvi. tendit Amersfordiam. Et medio tempore Iohannes (e) Renes in vigiliâ Pentecostes Trajectum ingreditur cum exiguâ admodum manu, quem amici jam præstolabantur, & se illi jungunt in foro. Quibus collegium Macellariorum illicò occurrit: pugnatum acriter, sed victoria mansit penes Iohannem, tumque expellebantur omnes fautores Suederi Episcopi, & Rudolphus Diepholdius sequenti die introducitur & postulatur, & collegium Macellariorum tunc cœpit inter se diffidere. Suederus verò Episcopus confestim cupiens suis ferre opem, Trajecti non admittitur. Retrocedens A-

Electio contentiosa.

Permutatio beneficiorum à Papa permissa anno 1425.

Seditionis fructus & eventus.

Simplicitas fraudi obnoxia.

Iohannes Renessius auctor mutatæ politiæ.

Fortuna mutata, amici quoque mutant.

dens Amersfordiam, primo repellitur, ægrè tandem intromissus, ubi per internuncios conciliavit sibi Præfectum Egmondensem, patrem Arnoldi Ducis Gelriæ, Trajectanis atque Amersfordianis infensum, à quo sibi acquisivit equitatum ac peditatum ex Gelriis ad numerum quingentorum militum, quos ipsi Amersfordiani excluserunt. Illi verò fingentes se retrocedere, collocatis insidiis, & civibus admirantibus, quonam tam subitò disparuissent, sequenti die Episcopus ascenso equo, finxit se e solacii causâ exire cum puellis euntibus ad mulctrum summo mane, & in portâ permorabatur paulisper: tum milites exilientes è cannetis celeriter subintrant. Et hoc medio potitus oppido, fabricari jussit bina valla, unum juxta portam ex inventione imaginis Divæ Virginis Mariæ celebrem: aliud intra oppidum. Sic omne imperium sibi vendicans in Amersfordianos. Tum plurimæ inter eos ac Trajectanos actæ rapinæ. Paulo pòst effectæ sunt induciæ inter Trajectanos & Gelrios, seclusis illis de Emenessâ, & locatis præsidiis in vallis, Gelrii excessêre Amersfordiâ: Non longè post eorum recessum, habito levi & secreto prius inter cives susurro, illi de Emenes noctu appropinquarunt oppido ex unâ parte, fit concursus civium ad mœnia, & qui vallo ad portam præerant similiter accurrunt, & tunc ex aliâ parte supervenientes Trajectani transcendunt vallum & mœnia oppidi, tunc Gelrii confugientes ad vallum intra oppidum tanquam in matulâ conclusi coacti sunt sese dedere, quo pacto Amersfordiani rursum in pristinam libertatem restitituti sunt.

Stratagema Episcopi Suederi in Amersfordianos.

Amersfordiani stratagemate rursum liberati restituuntur.

Anno XXVII. Dux Philippus Burgundiæ sese confœderat Swedero Episcopo, & Arnoldo Duci Gelriæ, & fit hostis Trajectinorum atque Amersfordianorum, & hi tres Principes sese astrinxerant, quod unus absque alio non admitteret aliquas conditiones pacis, & ilicò Dux Philippus ducit exercitum in Amersfordianos. Quibus Trajectani noctu præmiserant suppetias trecentorum sagittariorum. Sequenti die oppugnatur oppidum per quinque horas, cùm ipse Dux nimium audax, fossis insiliret. Pugnatum hinc inde acriter, & res pendebat in ancipiti. Amersfordianis trinâ vice à mœnibus retrocedentibus, & per desperationem omnia periisse proclamantibus. Eo tamen non obstante, Trajectani cum (f) fœminis Amersfordianis restiterunt viriliter, plurimos sternentes aquâ & calce bulliente, ita ut tandem exercitus Ducis abducens, quos potuit, saucios, ab oppugnatione desisteret, propter nimiam stragem passam, cum octiduo integro cadavera è fossis & propugnaculis extraherentur, & terræ commendarentur. 1427.

Philippus Dux Burgundiæ, Suederus Episcopus & Dux Geldriæ hostes Trajectanorum &c.

Trajectani cum fœminis Amersfordiam defendunt.

Anno XXVIII. (g) immergitur ingens navis in flumine Hemâ ad impediendum introitus Trajectinorum, quam Cattam nominabant, cui Trajectani vallum opposuere. Arnoldus quoque Dux usque adeo exarsit in bella Trajectanorum, ut quamvis jam Maria prius Reinaldi Ducis, posteà uxor filii Ducis Montensis usufructuaria Comitatus Iuliacensis decederet, & jam idem Comitatus devolveretur ad Ducatum Gelriæ, negligeret arripere Dominium, & fidem à principibus exigere. Et cùm Imperator potentiam Ducis Philippi, cui Arnoldus adhærebat, tanquam anhelantis ad Imperium nimis haberet vel solicitam vel suspectam, investivit Ducem Montensem in Comitatum Iuliæ, quam actu possidebat. Condignas (h) itaque Arnoldus * favoris sui luit pœnas, etiam posteri sui usque in præsentem diem exuti sunt illo Comitatu. 1428.

Impedit ira animum ne possit cernere verum.

Exitus iræ inconsideratæ.

** Fervoris MS. Profess. Lirai, furoris.*

Eodem anno quidam (i) Rudolphus de Westkercke conscendit Vechtam flu. usque vicum Broekel cum quinque millibus Piccardorum, quibus restitit manus rusticana donec supervenirent Trajectani: fit pugna, & vertuntur Piccardi in fugam, amissis cæsisque mille ex suis, una cum Henrico de Nyenrode, captis quadringentis, ereptis octo vexillis, & in templo Divi Martini suspensis.

Picardi cæduntur & capiuntur à Trajectinis.

Eodem tempore invadunt Trajectani partem illam Gelriæ, quæ jam Betua dicitur, quibus occurrunt Noviomagenses, & conserto prælio amisso eorum primopilari, cum plurimis Nobilibus, captis etiam multis, in fugam conversi sunt: Trajectani verò cum captivis & prædâ inter revertendum undique collectâ, accesserunt Monasterium Insulæ beatæ Mariæ, vi illud occupantes, cùm petentes non admitterentur, & posteà in favillam redigentes, quia Abbas in Trajectanos ex auctoritate Romani Pontificis, quia Suederum excluserant Episcopum, excommunicationem promulgaverat, & ejus fovebat causam. Fuere multi ex clero ducti conscientiâ & metu censurarum aufugientes urbe, tanquam (k) parentes Romano Pontifici, sperantes Trajectanos debere resipiscere, furoremque deponere. Sed quia illi in solitâ perstitêre obstinaciâ, & furor protraheretur in longum (quia novennio perduravit) pœnitentiâ & egestate ducti ægrè in urbem recepti sunt, & toto illo tempore Rudolphus vi & potestate suâ,

Monasterium Insulæ D. Mariæ à Trajectanis exuritur.

Conspirationes in Trajectanos fuere inanes.

suâ, Trajectinorumque adjutorio administrationem rerum occupavit cum sumptu inæstimabili. Et fuêre interim decies octies conceptæ conspirationes, quæ caruere effectu, unde tamen propter suspicionem multi capite plexi sunt.

Quod nequit ingenium, casus facit.

Anno XXIX. egressi Trajectani, navis illius in Hemâ flu. demersæ, cum machinis & tormentis confregerunt rostrum; & degelante aëre navis per impetum glacieram fluminis circumgiratur, ignorantibus Trajectanis, qui credebant id industriâ eorum fieri, qui intus erant, cùm illi summè periclitarentur. Sic Trajectani apposuêre aliud vallum aperientes hoc medio viam commeatuum.

Suederus Episcopus Basileæ moritur destitutus per fraudem à sociis principibus, 1439.

Eodem anno celebratur pax inter Philippum & Arnoldum Duces, ac Rodolphum Episcopum & Trajectanos, postposito (l) Suedero, cui jus & actio sua solum reservabatur integra: quod illi permolestum fuit. Et videns sese humanâ ope fraudari atque destitui, concessit Basileam, ubi concilium celebrabatur, conquerens de fide utriusque Ducis non servatâ. Et post longam & inanem prosecutionem, quia jam favores deficiebant, & pro Rudolpho augebantur, ut populus furiosus ab armis retraheretur, qui nec censuras, nec interdicta metuebat non absque vitæ suæ tædio illic diem obiit cùm præfuisset annis octo, sed novem solum mensibus frueretur auctoritate suâ per magnam injuriam suam.

Trajectani pauperes reputati ab hostibus ostentant suas divitias.

Hostes quoque Hollandini & (m) Gelrii ut fit, jactantes magnalia, multas affirmabant sibi ex bello accrevisse divitias, Trajectanos contra omni penuria adfectos, & thesauris exutos, quod isti indignè ferentes, indixerunt ludos ac spectacula publica, concessâ securitate cunctis advenis, exposuerunt publicæ ostentationi continuo triduo quicquid argenteorum vasorum, & preciosæ suppellectilis supererat in triplicibus subselliis prominentibus à ponte pistorio usque alium pontem castri rubei dictum, ubi cum omnium admiratione tanta copia auri argentique visa fuit, ut crederetur Hollandiæ atque Gelriæ thesaurus collatus Trajectum.

Incendium serpit ex suburbio in ipsam urbem.

Anno XXXI. suboritur ingens incendium in suburbiis Trajectensibus, quod etiam transiliit in urbem, & regionem (n) Arenulæ consumpsit, cum Monasterio Iherusalem convicino Insulæ & Ditioni Laurentii sive pelli pariorum.

Iacoba Comes Holl. declarat Ducē Burgundię Tutorem & rectorem Ditionum suarū an. 1433

Tricesimo tertio anno Iacoba Comes (o) Hollandiæ necessitate ac metu potius quàm suâ sponte, uti ferebatur, declaravit Philippum Ducem Burgundiæ tutorem Dominiorum suorum, quem etiam Rectorem undique designavit, & in verba illius jurare fecit, servato sibi aliquorum locorum usufructu. Et hoc pacto liberabatur Franco Princeps Borssaliæ, ob nimiam potentiam Philippo suspectus: cui Iacoba clàm nupserat.

Suedero Episcopo mortuo, Rodolphus succedit.

Anno XXXIII. Suederus Episcopus decessit Basileæ, & clerus extorris elegit (p) Walravum ex Comitibus Morsatiorum, fratrem Theodrici Archiepiscopi Coloniensis, confirmatum in concilio Basiliensi, per Felicem tunc Pontificem designatum. Et inveniens Rudolphum intrusum, processit contra eum ad censuras, sedem locans in Dordraco & Aernhem.

Iacobâ defunctâ succedit Philippus Dux Burgundię.

Anno XXXVII. defuncta Iacoba devolvitur totus Principatus ad Philippum, qui illum potenter & pacificè diu gubernavit.

Wilhelmus Dorschius proscriptus & captus decollatur.

** Prof. Livrey famulo suo leg.*

Rodolphus Walravio electo quiescēte Episcopatum pacificè regit & structuris ornat.

Sequenti anno XII. Kalend. Aprilis Wilhelmus ex (q) familiâ de Dorschen, præcipuus inter proscriptos cives, Trajecti capite plectitur, favebat enim parti Suederi Episcopi, qui à Præfecto Culenburgensi directus in Hollandiam, cum viâ terrestri progredi statuisset, suasus & monitus ab illo, ut per flumen descenderet, positis insidiis præstolatus capitur à Trajectanis, cùmque jam naviculæ imponeretur, quis ait, vestrûm adeo audax fuit, qui virum nobilem & Præfectorium præsumpserit allicere ad me famulum* suum tradendum? cumque nemo responderet, subjunxit. Certè nimium audax est, propterea eum bene compensate, quia dignus est. At Rodolphus electus, ubi Walravius Morsacius parum adversaretur medio tempore placidè Rempublicam administrat, ita ut securo itinere liceret undique negociari, demptâ Coloniâ, ubi frater Walravii præsidebat, & perduravit hæc pax ab anno XXXIX. usque XLVII. & interim Rudolphus construxit aulam in arce Horrestâ, arcem quoque Lagam fundans, ædesque Episcopales Trajecti, multùm intentus communi utilitati. Sed cùm anno XLVII imponeretur Trajecti pro contractis ex bello debitis redimendis tributum prædiale (r) quod Margengelt vocant, & jam penderetur ingens vis pecunię, cœpit Rudolphus perscrutari, ubi & quomodo applicaretur, hinc cœptum inter Rodolphum ac cives fomentum discordiarum, ut contentio fieret inter (s) eum & Decanum majoris Ecclesiæ, comminantem Episcopo, ut si eâ viâ procedere vellet, consuleret sibi ut permaneret Episcopus, ipse autem bene

permane-

permaneret Decanus,& sic utrinque discessum iratis animis. Rudolphus conscendens equum indignabundus contulit se Amersfordiam atque Horrestam, revolvens semper in mente verba Decani, & permorabatur illic, perpendens quorsum res tenderet. Iam Henricus Præfectus oppidi Montisfortis dissentiebat cum Rudolpho ac Trajectanis, quem Rudolphus in gratiam capiens, & quo de Decano atque adversariis sese ulcisceretur, eundem sibi reconciliat,indulgens sibi commissum, quo patrem (t) usque ad mortem detinuisse in custodia dicebatur, mulctatus insuper ære non modico, quod multum displicuit Trajectanis meditantibus, si, quemadmodum nuper Suederum expulerant,& hunc excludere, Walravumque jam auctoritate Apostolicâ confirmatum suscipere possent. Supervenit (u) Nicolaus Cusanus Cardinalis Legatione fungens, qui primo statum Ecclesiasticum, & religiosa loca in meliorem vitam reformare tentavit, sermonem vulgarem (erat enim Mosellanus, vico Cusa oriundus) ad populum faciens intra septa S. Iohannis, sed parum profecit. Inde animum convertit ad concordandum Rudolphum cum Walravio, cum grato & amicabili medio. Monasterienses enim sive Minimigartenses, Westflavorum, quos Westphalos vocant, caput est) recusabant accipere Episcopum Morsacium casu,quo isti ad obedientiam armis reduci possent,tum Walravius cederet electioni & Episcopatui ad utilitatem Conradi Diepholdi nepotis Rudolphi ex fratre Osnaburgensis atque Daventriensis Præpositi, servato ipsi Walravio redditu annuo ex Episcopatu & decimo donario omnium obventionum Diœceseos Trajectanæ, de quo & Rudolphus participaret. Et fama erat,quod illa pæna pecuniaria indicta Henrico Præfecto Montisfortis similiter cederet Walravio. Et his pactis facta est pax, & renovata amicitia inter duos contendentes, & Walravius cessit omni juri in Rudolphum sibi competenti super Episcopatu Trajectano, & interventu Cardinalis provisum fuit Rudolpho, qui undique sibi conciliabat amicos præter Trajectanos, quibus id permolestum fuit. Anno xlix. celebratis comitiis, & jam Magistratu de more designato, cùm jam Trajectani indulgerent comessationibus & poculis, subintrat Rudolphus (x) clàm per foramen mœniũ, & illicò confregit portam urbis, introrsum tendens cum suis versus forum, quod vulgò **de plaets** vocant: ex eo fortè, quia ibidem palatium antiquitus fuerat, sicuti aliqua vestigia vidimus; vel quia placitatur ibi, uti Iurisperiti ajunt; sicuti adhuc curia servatur. Cumque jam viculum,quem Schulteti dicunt,intrasset,fit obviam turba civium. Pugnatur acriter,Rudolpho atque Henrico Præfecto Montisfortis dejectis equis, victoria tamen cessit Episcopo, ubi desiderati aliquot Nobiles cives de Lichtenberch, Prœys atque alii. Arnoldus verò de Amerongen, & Henricus Iacobi filius capti, & capite cæsi. Præfectus quoque Gaesbeeck se redemit cum oppido Durestato & arce Apcoudâ, salvo usufructu & duodenis millibus florenorum. Præfectus quoque Septem Montium dimissus sub fide, præterea multi cives magno ære mulctati atque damnati exilio, Iohannes quoque Prœys Decanus & Bernardus Prœys Scholasticus majoris Ecclesiæ proscripti, hoc itaque pacto reposuit Rudolphus Decano verba pridem prolata ab eo.

Mira inter factiones beneficiorum cauponatio.

Walravius & Rudolphus electi pacem cauponantur inter se approbante Nicolao Cusano Cardinale.

Rudolphus Episcopus noctu capit Trajectum.

Cives aliquot partim cæsi partim in exilium missi.

Anno li. captus fuit à Trajectensibus in fundo Hollandiæ supra Leccam fluvium quidam Theodericus Hagenouw, tunc missus (y) à Præposito majoris Ecclesiæ,cæsus capite ipso festo Martini. Et hyeme sequente, instinctu ipsius Præpositi vicissim capiebantur Præfectus Aggerum cum suis collegis in portu dicto **de Vaert** / qui sese magno ære redemerunt,sed de hoc ipsi Hollandini sese non intromisêre, verum ægerrimè tulerunt ipsum Theodericum in fundo eorum captum, ita ut conventus propterea indiceretur apud confinia (z) dicta **Putcup** / ubi Rudolphus Episcopus comparuit,& ex adverso Vicarius sive Præses Hollandiæ ex nobili familia de Lalaing. Cumque Præses atque Hollandini præter solitum (aa) negotium ponderarent multa comminando, id audiens Episcopus, illicò respondit, si de uno (bb) homine fonte animadversi fuerimus in fundo vestro depræhenso capite & vos sub nostrâ ditione binos aut plures sceleстos rapite, quod facile tolerabimus; Sin autem id minus vobis placuerit, prospicite incendia vestra,& nos intendemus nostris;quo audito, permiserunt illi faciliter rem componi & sopiri.

Captus de alieno Territorio discordiam inter vicinos parit.

Anno lii. exoritur (cc) ingens bellum apud Monasterium, ob sedem pridem vacantem, cùm cives cum populo Ditionis eorum ac parte Canonicorum contendissent pro Oderico filio Comitis Hoyensis, cui favebant Dux Clivensis & Ioannes Comes Hoyensis, atque alii Nobiles; ex contrario ac major & sanior pars Canonicorum elegissent Walravum filium Comitis Morsaciorum, cui adhærebant Archiepiscopus Coloniensis, Arnoldus Dux Gelriæ cum

Bellum apud Monasteriũ Westphaliæ metropolim.

aliis,

aliis. At Walravus obtinuit confirmationem à Rom. Pont. quo tempore Nicolaus Legatus, uti præmisimus, concordasset differentias inter Rudolphum & Walravum. Unde Rudolphus cum eo sociale bellum assumpsit, ut nepotem suum efficeret Episcopum, in quod omnem thesaurum atque corporis incolumitatem effudit. Effectus (dd) itaque indigens, indixit clero Trajectensi subsidia atque tributum: quod illi constanter renuerunt, quos ille interdicto comminabatur; clerus verò sibi timens, ne injuriâ afficeretur, constituit nocturnas excubias: & pullulabat hoc modo dissensio per annum. Videns Episcopus se frustra conari, nec Magistratum illi posse auxilium ferre, vehementer indoluit, quamvis Magistratus publico indicto inhibuisset, ne aliquis pro clero excubias servaret, ita ut unus ex ministris cleri deprehenderetur, nomine Martinus: quamobrem clerus cessavit à Divinis, & cùm Magistratus decrevisset illum capite plectendum, confestim adunatis amicis concurritur in Basilicâ sancti Martini: & Magistratus convocat in foro palatii per sonum campanæ quotquot poterat, & direxit tormenta contra Basilicam. Clerus verò cum suis amicis egrediens, accelerabat eos insultare in foro. Tum Wilhelmus (ee) ex Præfectis Montisfortis intercessit, occurrens clero, quem continuit in ponte Divi Martini, & accedens forum ita persuasit Magistratui, quod captivum clero restitueret, & cogeretur per sonum campanæ revocare & proclamare quicquid clero placeret, hinc initium tumultus popularis.

Ex indigentia Episcopi exactio tributi à clero: cleri in Episcopum & Magistratum factio, & initium tumultus popularis.

Anno verò lv. dum sonitus campanæ indiceretur, fit concursus populi vociferantis, volumus (ff) confringi sigillum, & destituto Magistratu, eligitur novus, & ordinata (gg) conciliabula collegiorum mechanicorum in immunitate Divi Iohannis per pulsum pelvium, hoc facto, & uti placuit, rebus pro eorum nutu ordinatis, acciverunt Præpositum majoris Ecclesiæ: quod Rudolpho Episcopo, apud arcem Horrestum agenti, mirum in modum displicuit, & videns amicos suos undique affligi, recurrit ad Philippum Burgundiæ Ducem pro Episcopatu dimittendo. Qui aures ad (hh) oblata arrigens, statim suos à secretis ad Episcopum dirigit pro conclusione capiendâ. Medio autem tempore Episcopus incidit in languorem, unde decessit in (ii) quadragesimâ anno lv. cùm præfuisset annis xxxiii. partim in magnâ turbatione, partim in quiete administrans, computando ab obitu Frederici, non autem Suederi.

Tumultus populi Trajectini.

Mors Episcopi Rudolphi, 1455.

Walravius Mursensis	Competitores ac Candidati.
Ioannes Burensis Præp. Aquisgr. Vulgare Chron. Rudulph. vocat malè.	
Albertus Hoyensis.	
Gerardus Clivensis.	
Rudolphus Diepholdius.	

a *Ecce unus ex præfectis civium ex famil. illorum de Proeis,*) Sifridus Rectorem civitatis vocat. hic fuit Bernardus Proeis, Bern. F., Arnoldi N. ex magistratu, qui sequenti anno consul existens in lecto ægrotus fuit occisus. Nescio autem an ille Decanus fuerit Petrus de Mera Decanus S. Petri anno 1418.

b *Providit Episcopo Spirensi de Ecclesia,*] Qui videtur eo tempore fuisse Rabanus ex familiâ Nobilium de Helmstat, olim Cancell. Wenceslai Ro: Regis, deinde consiliarius Ruperti Palatini ac Sigismundi Cæss. anno 1396. electus Spirensis Episcopus. Hic autem permutavit Ultrajectensem Ecclesiam cum Præpositurâ ejusdem Ecclesiæ, tractantibus rem Suederi amicis atque ita Martino P. R. approbante factus Culemburganus Antistes Ultrajectinus 52; sed invitis Trans-Issulanis, & multis quoque Ultrajectinorum, qui Rudolphum à quatuor Collegiis electum sequebantur, vide quæ in hanc rem Gerardus Noviom. tradit. Io. Nider formic. sui lib. v. c. 8. Chronic. Belg. m.

c *Et exules de more cum novo principe inter funiculum illum sequerentur,*) Is enim mos invaluerat, ut cum novo principe inaugurando, intra certum funiculum conclusi exules urbem intrarent ac ita patriæ suæ restituerentur, intercessione & indulgentiâ novi Domini. Memi. hujus moris Ioannes Nider in Formicario suo Malefic. lib. 4. adducto exemplo Rudolphi Palatini Electi Rom. Regis.

d *Quæ omnia suâ auctoritate fieri declarabat,*) In primo limine graviter impegit, utpote qui, cùm placidè & benignè regimen populi libertati assueti est inchoandum, à cœdibus & pœnis infligendis inceperit, & sibi ad firmitudinem imperii stabiliendam Lanionum amicitiam, non prudentium virorum conciliandam putaverit, proinde brevis ipsi administratio. & ad x. tantùm menses fuit; vide Sifridum in App. Becani Chronici.

e *Et medio tempore Iohannes de Renes, &c.*) In Anniversario Franciscanorum Tr.) *Anno 1426. in vigilia*

vigilia Pentecostes Dominus Iohannes de Renesse cum XII. Equis civitatem Trajectensem intravit, cum gladiis evaginatis usque ad Placeam, & tenuit victoriam cum suis, qui obiit anno 1438. in Martio.

f *Trajectani cum fœminis Amersfordianis restiterunt,)* Extant in antiqua pariter ac recentiore historia ejusmodi mulierum animosiorum facinora: quorum partem refert Clariss. Vir Iohannes Beverovicius Medicus libello singulari, quo mulierum laudes percenset.

g *Anno 1428. immergitur ingens navis in flumine* Emâ,*)* Ut scilicet ejus fluminis usus impediretur, cujus meminêre Meyerus in Annal. Flandr. & Pontanus, qui molem illam, sive navim Amstelrodami factam testatur.

h *Condignas itaque Arnoldus favoris sui luit pœnas,)* Damnosum hoc scilicet ipsi auxilium fuit, ob invidiosam Burgundi potentiam, & dum aliena appetit, sua amisit.

i *Rudolphus de Wikercke cum 5000. Picardorum,*] Hic eo tempore constitutus Hollandiæ præfectus, Dominus de Heestert & Heenfroede in Flandriâ. Picardis autem tunc ferè militibus utebantur Burgundi mercenariis.

k *Tanquam parentes Romano Pontifici,)* Adeò erant hæ partes inter se acerbatæ, ut vix inter Romanos & Reformatos hodie majus odium intercurrere possit. Videantur quæ in hanc rem scripta reliquit Pius II. in descript. Eur. cap. 36. Imò, quod fœdum dictu, extant apud me scripta adversaria illius temporis, quibus constat nonnullos etiam ex suggestu in templis adeò in excommunicatos, cæterùm eadem in religione sentientes, debacchatos, ut pronuntiare non dubitaverint, si quis excommunicatum occideret, à Deo præmium consecuturum; & Eucharistiam ab iisdem prolatam seu consecratam nihil minùs quam sacram futuram; immò potius bufonem, vel aliud venenosum animal.

l *Postposito Suedero,)* Pius Desiderium vocat cum Suederi vocabulum Italis peregrinum. Pax facta inter Principes & Ultrajectinos, nempe quo major potentia & utilitas, eò favor hominum inclinat.

m *Hollandini & Gelrii ut sit jactantes magnalia,*] Militaris hæc jactantia etiam hodie perstat, ut partes sæpe utrinque victoriam jacent, omnesque damnum, quod premit, dissimulent. Docent id tot diuturno hoc Belgarum bello, scripta. Hispanus ubique victor audit, ubi faventem habet scriptorem, & miser passim vapulat Batavus, ac succumbit. Itali, Hispani, Germani, Galli, Belgæ Hispanis subditi, fermè semper suos triumphos cantant. Interim tam potens Rex & Monarcha, (ut dici gaudet) omnes suos thesauros hoc bello consumit, florem militiæ perdit, maximis urbibus minuitur, ac dividere cum Batavis magnam Oceani partem cogitur, Et adhuc vincit Iber.

n *Suboritur ingens incendium in suburbiis Traj.)* Incendium hoc consumpsit monasteriũ Hierosolymitanum, quod eo tempore vicinum suburbano Insulensi; unde & damnum sensit mænitum illud suburbium, Iurisdictio etiam Laurentiana, sive quæ ab antiquissimâ olim familiâ Pellipariorum, vulgò Pelle-cussens denominatur. Transvolvavit & ignis in urbem ac dãnum dedit loco Arenulæ, vulgò het Sandt.

o *Iacoba C. Holl. necessitate ac metu.)* Hoc modo Burgundionum potentia crevit, quibus jus in armis; & æquitas sæpiùs in ore gladii quàm in foro justitiæ probata fuit.

p *Elegit Walravium ex Comitib. Mursiorum,)* Hic nèque legitimè electus, ab exulibus nempè, in loco indebito: neque à justo Pontifice (ut volebant) probatus in numerum pontificum Trajectensium relatus non est.

q *Wilhelmus ex familiâ de Dorschen,)* Patritia hæc fuit familia, à quâ Paludes apud Overmetios nominatæ de Dorsche Venen. In templo Mariano Ultrajecti sepulchrum est Domini Ernesti de Dorschen Can. juxta quod legitur hoc epitaphium in pariete:

Arnoldus Dorsenius Philosophus & Grammaticus percelebris hujus phani Can. tandem requiem sortitus in ævum, hic situs est, Non. Maji anno 1535.

r *Tributum prædiale quod* Mergen-gelt *vocant,*] Indictum hoc jugeribus tributum, etiam posteris temporibus multorum malorum causam præbuit; postremò etiam tempore H. Bavari, fatalis ejus dissidii, quo libertas civitatis oppressa est, occasio fuit, vide Hortensium de reb. Ultraject.

s *Inter eum & Decanum majoris Ecclesiæ,)* Is tum Iohannes Proeisius fuit, cujus familiæ potissimùm favore ad pontificatum pervenerat. Stemmatis ejus partem hic adponam cum & pòst Heda mentionem illius faciat.

Bernardus 1264.ux. filia Arn. Borre.	Arnoldus Prœis ux. Elisab. fil. Herberti de Over- de Vecht 1324.	1355. Bernardus Prœis ux. Aleidis fil. Alb.Fred. Didericus. Henricus. Swaneldis.	1382. Bernardus Prœis Domin. de Her- berscop. prætor Traj. ux. Goda de Lanscroon occisus an. 1427. consul. Traject. quo curante ele- ctus Rudolphus. 2. Uxor filia D. Jacobi Lich- tenbergii equitis.	Bernardus Prœis uxor Mabelia de Groenewoude ob. 1460. D. Ioannes Prœi- sius Can. Rotard. occisus à Diesholdiis 1449 Albertus Prœis uxor Abrahama, Arnoldi Veldeni F. Aleyd. Iudita uxor Will. Scade de Tulle ex 2. matr. Ioan. Prœis Lichtenb. occisus à Diephold. ux. Petronella Trinde,	Iacobus Prœis 1457. Prætor seq. præfectus aggerum Leccæ ux. Heilwig de Steenre. D. Ioann. Pr. De- canus summus. D. Bern. Schol. Gisberta ux. Wil- helm. Steenre. Bernardus. Arnoldus. Bern. junior. Haza uxor Huberti Pallatii.

t *Quo patrem usque ad mortem detinuisse &c.*) Simile impietatis exemplum narratur Adolphi Gelri, qui Patrem Arnoldum anno C. 1465. dolo captum in castro Burano custodiendum tradidit; nec eum dimittere, nisi vi à Burgundiæ Duce coactus, voluit; cujus pertinaciam, & infelicem tandem vitæ exitum plerique Belgarum historici scriptis suis non sine execratione tanti sceleris, retulerunt.

u *Supervenit Nicol. Cusanus Cardinalis Legationem fungens,*] Hic anno 1448. secundâ ordinatione à Nicolao V. P. R. factus Card. Presb. S. Petri ad Vincula, tit. Eudoxiæ, vocaturque ab Onuphrio Archidiaconus Leodiensis, & Apost. protonotar. ac sub Calixto dicitur Episcopus Brixiensis, hic Tuderti in Umbriâ sub Pio 2. mortuus est, anno 1464, ut refert Panvinius lib. 3. de Pontif. & Card. creatione, fuitque eruditione clarus nec inter sui sæculi viros illustres postremus. mem. hujus Crantz. metrop. XI. cap. 39. Trith. de viris illustribus & de scrip. Eccles. Bellarm. de script. Ecclesi.

x *Rudolphus clam per foramen mœnium,*) Hanc rem plenins vide narratam in Chronico populari; ubi nomina occisorum, captorumque recensentur, & Antistes vulneratus in pede refertur.

y *Tunc missus à Præposito majori &c.*] Erat is Gisbertus Bredenrodius frater Domini de Brederode & Vianen, postea electus Ultrajectinus antistes, sed minus feliciter.

z *Apud confinia dicta Putcup,*) Est is locus, nostris jam ferè ignotus Geographis, videtur autem ad limites Trajectenses & Woerdenses fuisse situs: idque indicant litteræ Domini vander Haer & Wilhelmi vander Haer vernaculæ anni 1422. his verb: Een Hof-stede aende Putcuppe ghelegen inden gerechte van Geest-dorp / inden Carspel van Woerden.

aa *Præter solitum negotium ponderarent,*] Is mos semper fuit Hollandis, maximè cùm jam potentioribus principibus niterentur, ex muscâ, ut dicitur, facere Elephantem, & exigui rem momenti, valde exaggerare, ut dissidii caussam invenirent; cujus rei plura extant indicia in patriâ historiâ.

bb *Si de uno homine sonte,*] Responsum hoc liberum atque animosum, satis magnanimitatem Antistis indicavit.

cc *Exoritur ingens bellum apud Monasterium,*) De hoc bello vide Crantzium Metropolis lib. XI, cap. 40. ubi & hic Odericus vocatur Ericus Osnaburgensis Episcopus, sed sede suâ pulsus. ego verò Ericum hunc inter Antistites non invenio, quare credo ab aliquibus nominatum tantum. Adde Sifridum in app. Chron. Bekæ & Snoyum in hist. Holland.

dd *Effectus itaque indigens indixit clero subsidia.*] En nova tumultus & dissidiorum causa, æs alienum ex non necessario bello, nihilque ad Ultrajectinos pertinente, conflatum.

ee *Wilhelmus ex præfectis de Montf.*] Fuit hic Burgravii Montfortensis frater. Snoyus Henrico de Montfort hæc tribuit; alii nomen non addunt.

ff *Volumus confringi sigillum,*) Extat instrumentum venditionis quorundam bonorum à Magistratu Collegiorum Mechanicorum, uti hic Hedâ vocat, consensu anno 1456. factæ, cui appendent 12. sigilla Collegiorum prædictorum, in quo hæc linguâ vernaculâ leguntur verba: Ende want wy alle dese puncten onverbreeckelicken ghehouden willen hebben / zoe hebben wy ghemeene Gilden van Utrecht desen brieve upt-hanghende bezeghelt met onser Gilden Zeghelen / over ons zelven ende mede over de Stadt van Utrecht / om ghebreeck deser tijdt hoirs Zeghels secreet; 't welck wy Borghemeysteren Schepenen / Rade / Overste Oudermans ende ghemeene Oudermans bekennen den ghemene onser Stadt ghebeden te hebben / ende ghebruycken der Gilden Zeghelen in deser tijdt om ghebreeck wil van onzer Stadt zeghel secreet / daermen deser ghelijcken mede te bezeghelen plach dat door nutschap onser Stadt ontwee ghesleghen is.

Ordinata

gg *Ordinata conciliabula collegiorum mechanicorum,*) Vulgari linguâ hæc plebiscita vocabantur **der Gilden Morgen-sprаecken** / Stabat enim omnis administratio civitatis penes Opificum collegia ex quibus & magistratus eligebatur, quæ hic contemptim conciliabula videtur nominare, offensus populari regimine, & suo ordini quam urbi addictior.

hh *Qui aures ad oblata arrigens,*) Burgundicæ enim domus proceres quascumque occasiones limitum extendendorum captabant; nec postea quieverunt, donec sibi subjecissent Trajectenses.

ii *Vnde decessit in quadragesimâ,*) Ex sepulcri inscriptione decessit 24. Martii, vel 9. Calend. April. Bockenbergius 4. Non. Martii eum Vollenhoviæ mortuum vult. Sifridus in castro Horst eum obiisse tradit. Noviomagus inscript. sepulcri consentit & Chron. populare Bockenbergio.

kk *Cum præfuisset annis* XXXIII.) In tempore regiminis Heda ab aliis longè abit; Bockenbergius enim eidem Episcopo 25. annos tribuit, Sifridus 23. ut Chron. pop. Barlandus, Chronicon Magnum, Noviomagus 24. an. præsulatus eum mortuum scribit. Discrimen ex eo quod quidam à tempore quo primum electus est, alii verò ab anno confirmationis annos numerent. De dissidiis duorum Episcoporum multa in Chronico Magno.

Gisbertus Episcopus LIV.

ET

David Episcopus LV.

TRansacto Pascha, & indictis conciliis pro novo pastore diligendo affuere Arnoldus Dux Gelriæ, commendans Stephanum ex Ducibus Bavariæ, promittens Trajectanis libertatem thelonei (a) per Ducatum suum, quæ eis olim à Divis Imperatoribus & Regibus concessa fuerat, & posteà vi ablata. Et Comes Nassoviæ Legatus Philippi Ducis proponebat Davidem (b) Episcopum Morinorum, filium ejus extra matrimonium susceptum, virum tamen tum doctum, tum strenuum. Verum suffragio concordiæ eligitur Gisbertus ex Præfectis de Bredenroede, Præpositus majoris: qui Romam misit pro confirmatione electionis suæ. At Philippus incitatus per Rudolphum Episcopum jam animo suo impresserat, ut aliquem acceptum efficeret Episcopum: suggerentibus nonnullis Hollandiam (c) posse periclitari, si Gisbertus promoveretur, propter magnas clientelas, quas habebat. Misit igitur cum celeritate Episcopum Atrebatensem Romam, & quamvis jam electio videretur admissa, & pecuniâ (quam (d) annatam vocant, Tributum à Christianis principibus admissum, pro tuitione fidei, & jam in longè deteriores usus conversum) solutâ. Pontifex Romanus credens sibi magna à Duce (e) Philippo posse polliceri. Siquidem ut arma in Turcas (amissâ jam Constantinopoli, ignaviâ & discordiâ Imperatorum) assumeret, trepidanti Pontifici, & labanti Christianæ Reipublicę suppetias allaturus, quod nonnulli volunt, ei addictus fuit. Nam posteà misit Philippus pro hujusmodi expeditione Antonium filium naturalem. Sub hâc spe rejectâ electione providetur Davidi de Ecclesiâ Trajectensi, multis id indignè ferentibus, etiam illis, qui Romæ erant, absque eo, quod pecunia Gisberto restitueretur, cujus procuratorem Pontifex spe fovebat inani. Nam cum denunciaret rumorem in urbe versari, quod alteri esset provisum, & sacræ concessæ, repetens idcircò pecuniam depositam, nihil aliud fertur sibi respōdisse Pontifex, nisi fili crede nobis, & non aliis, verba enim nostra faciunt fidem, uti posteà à Nicol. Episc. Atrebatensi id sæpius referente audivimus: & ipsi scimus à posterioribus frustra sollicitatam restitutionem. Sic (f) procurator mansit delusus. Rebus sic in ancipiti pendentibus, electus magna anxietate premebatur, hinc propter civile bellū ita ut Præfectum (g) Chamariorum cum militari manu accitum intromitteret, populo administrante Rempub. petulantissimè, ut fieri assolet, & omnia licitè sibi vendicante; ut scilicet tributa ordinaria abrogarentur, aut redditus pascuorum (h) publicorum, unde onera civitatis supportabuntur. Eligebant nonnunquam binos Magistratus in hebdomadâ, posteà duodecim viros tanquam Scriniarios, qui in actis referrent quicquid in Comitiis

Gisbertus Brederodius eligitur Episcopus 1455.

Artes palatii Romani.

Forma civitatis.

 Collegio-

Collegiorum mechanicorum in dies singulos proponeretur, & ex his quod utilius expedientiusque videretur, seligerent. Et si quando aliquid probassent, aut selegissent, quod plerisque minus placebat, illicò comminabantur mortem. Decreverat etiam tributum imponendum clero, confringentes Monasteriorum adyta, ut titulos & donationes possessionum bonorum viderent. Perquirentes etiam à divitibus & nobilibus civibus, unde eis fundi & possessiones provenissent: Ita ut ipso die Marci Euangelistæ, Præpositus cum militari manu, & suis necessariis ex oppidis Montisfortis & Vianâ prodiret in forum palatii; populus è diverso in forum de Neude dictum, quos Præpositus intrepidè aggreditur, torquens multos saxeos globos per bombardas (uti ajunt) in turbam, cogens auctores primò, & demum cæteros in fugam postratis plerisque per crebros ictus in terram & scrobes aquarum, & hoc modo pacata omnia. Inde supererat longè major afflictio propter Ducem Philippum, in cujus potestate erat dispositio Episcopatus: qui & coadunaverat exercitum, & Dux Clivensis descenderat in Hollandiam, ut quæstiones interciperet & componeret, multùm pro hoc insudans, cùm intra quindenam ter venisset Trajectum. Cùm interim Amersfordiani (i) ab electo defecissent propter culpam illius, quia destituisset Scultetum (ut dicunt) advocantes Adrianum de Borsalia. Præfectus quoque arcis Horesti paciscebatur cum eodem Adriano, ut sibi pecunia quâ arcem ipsam impignoraverat, restitueretur. Videns autem electus paulatim eos in quibus spem locaverat à se deficere, utile duxit concordandum cum Duce Philippo, agente adhuc Leydis. Quem accessere Præfecti Vianæ & Montisfortis, Decanus (k) major, & Iacobus Prœys præparantes media, ita ut Philippus Dux adveniret Isselstain, ubi (l) conventum est his conditionibus: Trajectani Ducem cum Davide & comitatu suo exciperent cum syncerâ amicitiâ, qui cum magno plausu populi intromissus. Electo ad Præposituram majorem accederet Præpositura sancti Donatiani Brugensis. Nam Præposituram sancti Salvatoris Trajectensis abdicavit pro nobili Wilhelmo de Montfort. Haberet præterea locum in consilio Hollandiæ sub stipendio duplici, & pro impensis quinquaginta duo millia nummûm, quos Leones vocant, exsolutos per incolas territorii Trajectensis, stuferis quindecim quolibet jugere taxato, insuper annuè quatuor millia & ducentos aureos ex proventibus Episcopatus, unde magnum sibi accrevit incommodum. Demum quisque (n) privatis suis consulebat rebus, nemo autem prospiciebat, aut aliquid petebat pro utilitate Reipublicę aut civitatis: quæ permagna potuisset consequi privilegia, si petita fuisent. Verùm omnibus interventoribus brevi post malè successit, uti videbitur in subsequentibus. Cumque omnia ista sic esent secretò conclusa, insciis Trajectanis, qui inter se murmurabant, timentes se posse circumveniri, prout contigit. Nam electus volens se falsò purgare, convocat Senatum per sonum campanæ cum populo accedens palatium: audio (inquit) amici inter vos murmura, estote securi animis, non prodii ex circumventoribus aut traditoribus: siquidem mei omnes majores ingenui, sicut & illustres, neque ex uberibus suxi maternis (habuerat enim, uti testantur, nutricem,) conservabo nomen & honorem meum usque ad mortem. Quâ consolatione auditâ, quievit populus refectus gaudio. Sequenti die per sonum campanæ promissa Duci Clivensi securitas, cum ducentis equis, qui intravit benè cum duobus millibus virorum. Posteriore die supervenit Dux Philippus potentissimus, sociatus Comitibus Carolesii, Stampis, Nivernorum, Adulpho ex Clivis, Antonio filio, Principe de Croy, Lalain, cum pluribus aliis Heroibus, exceptis hospitio in Monasterio Divæ Catharinæ.

Electus cum Duce Philippo pacem facit.

Fallenti credit Principi populus.

Anno 1456

David Episcopus 55.

Elogium Episcopi Davidis.

Ultimo die introductus David Episcopus Morinorum, cum ingenti apparatu sublimatus in sedem Cathedralem, juxta morem antiquum quinquagesimus quintus Episcopus Trajecti designatur, vir (o) utique omni honore dignus, & quàm utilis Reipubl. bonis literis ac gravissimis moribus præditus, magnanimusque ac liberalis, Religionis ac Iustitiæ cultor præcipuus: Nam Ecclesiæ jura defendit acerrimè, & ut eam restitueret in pristinam libertatem, & servitute liberaret tributariâ, quâ à civibus premebatur; cum vitæ suæ periculo certare non dubitavit, fovit (p) & docta ingenia, bonasque literas excoluit, oblectatus etiam Musicâ in tantum, ut publico ære cantorum cœtum pro oratorio suo aleret. Corruptelas & barbaricas (q) consuetudines in civitate & ditione suâ, partim per plebiscita, partim per pares cum impressionibus introductas penitus abrogavit. Nam durus & indomitus populus Frisiacis suetus uti legibus per omne nefas judicium (r) corrumpebat, testes in causis muneribus alliciens, ubi perjuriorum modica vel nulla animadversio, pares autem per miras

conten-

contentiones agebant, judicem modo & partem dictandis ferendisque sententiis gravantes, mendicata vota accumulabantur, ut qui nunquam actioni aut ventilationi causæ affuissent. Rogati à partibus, prout quælibet ad horam pronunciandæ sententiæ, plures curribus navibusque adducere poterat, eo faciebat causam suam justiorem, melioremque. Proclamabant se illius, cui favebant, esse voti, nullis meritis examinis habendi attentis, qui tunc numero præcellebat, censebatur justiorem fovere causam, adversario interdum capite aut vitâ, interdum bonis condemnato: Et hujusmodi sententiæ, præsente Præsule, rogabantur, qui assidens dictamini & iniquitatem apertè cognoscens, remedium commiseratus injuriam patientibus afferre nequibat, quod iste indignè ferens, reformare tentavit, præfiniens certum numerum eorum, qui judiciis præessent; ubi etiam contra singulos excipere licuit, & tunc alius suspicione immunis surrogatur. Quod (s) populus indigne ferens, immoderato furore instigatus, aliis occasionibus per factiosos in Episcopum exarsit, uti posteà videbitur. Quia in hoc notatus, quod plus æquo indulsit amori, & iracundiæ intemperans esset. De Prælatis aut Nobilibus, qui auctoritate aut potentiâ præstabant, suspectam continuè gerens solicitudinem, malens (t) timeri quàm amari, Gallicâ levitate non omninò carens, infimosque aliquos ad consilia sua privata admittebat; quibus fidem magnamque attribuit licentiam agendi, forsan ex eo, quia eos in extremis periculis fideles expertus fuerat, quod tamen magno illi fuit nocumento. Iam revertamur ad cœpta. Mirabantur omnes cives mirabilem Philippi providentiam ac militum disciplinam, quos per dies, quibus degit Trajecti ita continebat etiam cujuscunque essent conditionis, ut à nullo homine percipi poterat damnum cuiquam unius oboli fuisse inlatum, quamvis (u) quintiduo in urbe permansisset. Ingressus enim fuerat initio mensis Augusti, anno lvi. At rebus jam compositis, Philippus dirigit iter versus Daventriam, ut illuc filium introduceret, quam repulsus pressit obsidione per octo hebdomadas sub continuis imbribus, desideratis plerisque ex suis, tandem per compositionem omnis differentia sopita, sub his conditionibus: Davidi maneto eadem in Daventrianos potestas, quam habuêre sui prædecessores: Daventrianis privilegia prisca salva sunto. Et post hæc mansit inter Episcopum ac Daventrianos perpetua amicitia. Dum ista agerentur primogenitus Regis Francorum patris fugiens indignationem, quam justè provocarat, in ditiones Philippi se recepit, quo intellecto, & solutâ jam obsidione, Philippus in Flandriam properat, ut illum magnificè exciperet, quod & fecit, continuo quinquennio pro dignitate Regiâ alimenta, & quæque necessaria illi subministrans. Quod Carolus Rex pater intelligens, commonuisse dicitur Philippum, de filio cavendum: Enutris, inquit, lupum, (x) qui oves tuas aliquando devorabit, vero veriora prædicens. Nam sublato patre, postquam Philippus eum potenti manu & magno apparatu in regnum restituisset, ille nihil unquam majus in animo volutabat, quam quod Carolum filium illius deprimeret, aspirans ad illius dominia: cujus auctor necis fuit consilio & pecuniâ, & posteà per cruentissima bella elaboravit, ut stirpem ejus quæ ex filiâ unicâ pendebat, penitus deleret.

Corrupta ejustemporis in foro judicandi ratio.

David Episcopus reformat judicia.

Vitia Episcopi.

Laus Philippi Ducis.

Daventrienses repulso Davide, obsidentur à Duce, sed posteà in gratiam redeunt.

Ludovicus XI qui posteà Rex.

Carolus audax.

Anno lix. decessit Iacobus (y) Princeps de Gaesbeeck, Præfectus Dorestati & Apcoude, campiductor Hannoniæ hæreditarius.

Anno lxi. paratur (z) expeditio in Turcas per Pium Pontificem Romanum, cui misit auxilio Philippus Dux Antonium ex Burgundiâ filium suum naturalem, verùm Pontifex progressus Anconam, ibique diem claudens, cœpta morte suâ turbavit, infectamque reddidit expeditionem.

Pij secundi Papæ expeditio in Turcas ejus morte solvitur.

Anno lxiv. fuit validissimus ventus ipso die Matthæi Apostoli, quo infinitæ naves periêre, & solito major rerum abundantia & vilis pretii, ita ut in scriptis relictum sit modium tritici, ac totidem hordei, siliginis, avenæ, mensuram vini, caponem ac anserem uno emptos aureo quem scutum appellant vetus.

Ventus vehemens, & rerum vilitas.

Anno lxv. intravit Carolus Philippi Ducis filius Gallias cum ingenti exercitu, cui potentiores Francigenarum sese confœderarunt, verùm Ludovicus Rex antequam vires omnium adunarentur, statuit prius oppugnare Carolum, qui apud montem Henrici inter Parisios & Aurelianum victor Regem profligavit, qui sese recipit Parisios, acceptans conditionem pacis. Et tempore medio obiit Elizabeth ex Borboniâ Caroli uxor, Mariâ prole unicâ relictâ. Leodienses quoque defecerant ab eorum Episcopo. Oppidanique Dinanti in opprobrium Caroli ex pinnaculis mœnium quendam hominem suspendentes, vi expugnantur per

Caroli audacis expeditio in Gallias.

Clades Leodiensium extrema.

tur per Philippum & Carolum, & (aa) extremæ traduntur internecioni, deleto oppido funditus, & Leodienses sese dedentes, recipiuntur in gratiam.

Philippus Dux moritur. Anno 1467. ipso die Viti & Modesti moritur (bb) Philippus Dux Brugis, cùm Hollandiam partim administrasset, partim rexisset annis xl. Sepultus Divione in Sequanis, in suburbio Divionis, Monasterio Carthusiensium, Burgundiam vocant, quem Isabella conjunx sequitur, solvens debitum carnis anno lxxI.

Carolus audax hæres Philippi Ducis. Carolus Dux filius & hæres Philippi succedit in amplissima Dominia. Postquam Dux Philippus rebus Trajectanorum ac Provinciæ pro Episcopo ordinatis, in sua redisset, non cessabat Præpositus Major adhuc sibi vendicare regimen urbis, præficiens Magistratum (cc) pro nutu, quod tandem Episcopo displicuit, & concedens Amersfordiam, Horestumque, accito Anthonio fratre in auxilium, leves cœpit agere prædas, inque vicem egêre Trajectani, & pullulabat hoc modo discordia ad annum, tum Trajectani incenderunt ad suburbia Amersfordiæ molam, & cives haud impigri exusserunt Biltam, & sic sopita discordia. Recepto Episcopo cum fratre à Trajectanis honorificè, & paulo pòst Trajectani egressi ad locum dictum (dd) Voscuyl, antrum vulpium, cepêre aliquot cives Amersfordianos permittente Episcopo.

Episcopi & Præpositi majoris dissensio erumpit in bellum.

Adolphus Geldriæ Dux patrem ducit in vincula. Anno lxv. Adulphus Dux (ee) Gelriæ captivavit Arnoldum patrem, qui duxerat sororem uxoris (ff) Caroli in conjugem, quia negligenter Rempublicam neglectâ Iustitiâ administrabat. Et Iohannes Prœys Decanus major cum Iacobo fratre, atque (gg) aliis quinque Trajecto pelluntur.

Iohannes Prœys Decanus major cum fratre pellitur Trajecto.

Anno lxIx. Goeswinus (hh) suffraganeus ordinis Carmelitarum ex Xenodochio Divæ Agathæ Trajecti instituit conventum sui ordinis.

Præpositus major & Bredêrodius capiuntur. Anno lxx. mense Iunio capiuntur Præpositus (ii) major cum Præfecto de Bredenroede, ac Walravio fratre naturali, ab Episcopo. Sed Walravius ruptis carceribus posteà evasit, & familia Præpositi proscribitur, & qui exulabant sequenti die recipiuntur. Præfectus verò de Bredenroede per scripta Caroli Ducis evocatus liberatur, & brevi pòst obiit, suspicione, uti (kk) aliqui volunt, extinctus veneni. Præpositus verò detinebatur captivus ferme quadriennio, posteà relaxatur, abdicatâ præpositurâ majore, cum renunciatione pensionis quam ex Episcopatu percipiebat; & concedens Bredam oppidum ibidem finivit dies. Ferebatur & sinistra fama de causâ mortis, verùm ipse exutus amplis honoribus, solo Protonotariatus Apostolici titulo contentus, in fine permansit; condignas exolvens pœnas, uti plerique ajebant, qui Ecclesiam suam inconsultis collegiis, insciis optimatibus ac civibus dereliquerat, sibi consulens, nec aliquo habito respectu Provinciæ. Iam Episcopo tota accesserat auctoritas, ita ut cuncta ageret pro arbitrio. Scribuntur plurima, quæ veri similiter per affectionem scripta credere licet, ut fit in urbibus seditiosis juxta Poëtam:

Instabilis fortunę exemplum.

Omnis auctoritas ad Episcopum translata male agit.

Finge placere mihi, scelus esse videbitur illi.

Nam Iohannem Prœys expulit, eumque privavit Decanatu Majore, conferens illum ex voluntate, nec aliquis ausus obsistere; ferunt & privasse canonicos præbendis, & servitores in eorum loca surrogasse; filias quoque civium despondebat suis ministris, & cogebat de dote eorum ad dictamen suum responderi. Ordinavit coronam sive mensam Iudicum absque expeditione. Nam quicquid illi dictarent, poterat reclamari: & licuit (ll) Advocatis asserere, eos perperam pronunciasse pro causâ reclamationis, cum plerisque aliis ordinationibus contradicente nemine. Quæ tamen cadente Carolo (mm) etiam cessarunt. Declinabat etiam Episcopi auctoritas, ita quod ejus in populum, & populi erga ipsum affectio deinceps elanguit. Et tempore quo adhuc dominabatur, permisit oppidum (nn) Iselstain denuò cingi mœnibus, restituens eis literas privilegiorum, & pristinam libertatem, eosque extollebat. Designabat enim Trajecti quos volebat pro Magistratu. Annuit quoque, ut Hagestein traderetur (oo) Præfecto Egmondæ præter consensum collegiorum urbanorum. Alveus Rheni etiam tempore suo à portu dicto **de Vaert** usque Marsum purgatus atque effossus ad altitudinem duorum cubitorum. Contulit posteà Ecclesię majori pallia inaurata sumptuosissima cum casula & dalmaticis, præsepe etiam Domini, quod Bethleem nominavit, ex puro & solido auro. Sed cum in fine, sive senii tædio affectus, sive illorum culpâ, qui à consiliis astabant, minus placidè regebat; beneficia priora facile cessêre in oblivionem. Anno lxxIx. in principio (pp) apparuit Cometes ingens, quem secutę sunt fames, pestis, & bella continua ad plures annos.

Carolo Audace mortuo, cadit una auctoritas Episcopi.

Finis coronat opus.

Circa

Circa eadem tempora tres Status, videlicet Clerus, Nobilitas & oppidum Trajectense redemerunt usumfructum, quem Præfectus de Gaesbeeck habebat super arcibus Dorestato & Apcouda, pro decem & quatuor millibus florenorum, quas eo pacto recuperarunt Episcopatui. Defuncto (qq) autem eodem Præfecto, allegavit Anthonius frater Episcopi, se jam dudum ab illo emisse hujusmodi usumfructum & sic tertio ab eodem redemerunt pro tredecim millibus florenorum, quos Præfectus in Culenborch, qui duxerat filiam Anthonii in uxorem levavit. Ferebatur vulgo Episcopum id excogitasse, & simul participasse. *Cometam sequuntur fames, pestis atque bellum.*

Anno lxxiii. convenerunt (rr) Treveri Fredericus Imp. & Carolus Dux, quem comitatus fuit David Episcopus cum decenti familiâ. Et æstas erat ferventissima, & tanta siccitas, ut in plerisque locis terra pinguis atque uliginosa arderet, usque fundum arenæ, antequam ab aliquo extingui posset. *Fredericus Imp. & Carolus audax Treveris conveniunt.*

Eodem anno Arnoldo Duce Gelriæ defuncto, Carolus Dux subegit Ducatum Gelriæ, asserens se illum emisse, & habere confirmationem Imperatoris. Elatior itaque effectus Carolus ex prosperis undique successibus, inhibuit Trajectanis, (ss) ne uliginem (sive vænam, uti ajunt) effoderent de cætero, asserens illam esse terram alluvialem. Nec aliquis ausus fuit sese opponere, quamvis illi nullum esset Imperium aut Iurisdictio in territorio S. Martini, sed occurrebat clades civitatis Leodiensis, levi ut ferunt occasione, subversę, atque Dionanti oppidi. Versabantur itaque Trajectani in magnâ angustiâ. Tandem usi summâ prudentiâ atque consilio, obtinuêre per multas rationes, ubi per annum ab effossione cessassent, ut denuò liceret eis effodere, & potissimè per paginam quandam proprietatis Ecclesiæ S. Iohannis admodum vetustam, continentem donationem illorum locorum, de quibus vertebatur quæstio, factam ab Episcopo Conrado tanquam Principe patriæ in præsentiâ Comitis Hollandiæ, aliorumque Nobilium non contradicentium. Quod apud Carolum Ducem valuit plurimùm. Nam licet esset appetens belli, & gloriæ cupidissimus, justitiæ tamen & æquitatis prædicabatur cultor præcipuus; hoc vitio, Principibus communi, in parte notatus, ut auctoritate Cæsaris, si jus violandum, regnandi causa sit violandum. *Vliginosa terra quam vulgò Turven vocant & Feenen. Carolus occupat Gelriam. Prohibet uligines fodi. Carolus religione vincitur.*

Anno lxxvi. deficiente Lotharingiâ quam sibi bello semel subjugarat, expulso illius Duce, & amisso bino prœlio apud Helvetios in vico (tt) Moreto, & Gransona, cùm jam Nantium oppidum obsideret, Carolus occiditur (uu) quinta Ianuarii, omni fere exercitu deleto aut capto. Auctor fuit Rex Francorum, qui profugum Ducem adjuvit pecuniâ, & Argentoratos Helvetiosque in ejus auxilium concitaverat. Rexit autem Carolus annis decem, vir utique dignus imperio, & cunctis formidabilis. Volunt continuè (xx) fortunam illi arrisisse, sed cœpisse adversari, cùm tributum imponeret Ecclesiæ, quæ magnam patiebatur exactionem. Quod non ex ejus voluntate (erat enim magnanimus) sed ex quorundam instinctu & sinistrâ informatione (Suspicio erat de Iohanne Leone & Anthonio Anneron, à consiliis) processisse ajebant. Invisum enim erat & inauditum, quod extorserunt à piis locis. Et quidam Iohannes (yy) Boshusen superveniens non minore rigore usus fuisse dicitur in exigendo. Is enim spolians quoddam cœnobium Canonicorum regularium, arripiendo vasa argentea atque divina ornamenta: Hæc facio, inquit, ex autoritate Domini mei. Et digito ostendens imaginem Christi crucifixi infixam parieti: En, inquit, vester Dominus, hic vos adjuvet, unde (zz) creditum est, quod paulò pòst Carolus bis sinistrè pugnaverit, & in tertio prælio ceciderit, auctoresque temporis successu malè interiisse. Succedit Maria filia Caroli in amplissima Dominia, quæ statim obligationes & chyrographa rescidit, tributa etiam nondum levata remittens, quo cleri & populi favorem sibi conciliaret xxvii. Hollandiæ Comes, quæ nupsit Maximiliano filio Imp. Frederici, posteà etiam in Imperio succedenti, ex quo genuit tres proles, Margaretam, Philippum, Franciscum in (1) cunabulis defunctum. *Carolus ad Nanceum occiditur in prælio, Anno 1476. Maria filia Caroli 27. Comes Holl.*

Anno lxxviii. expulerunt Amersfordiani amicos omnes Episcopi, jungentes se Trajectanis. *Cum fortuna mutantur amici.*

Anno lxxxi. mense Augusto fit apud Trajectum ingens commotio, propulsis etiam Episcopi amicis, manente potestate rerum apud Præfectum Montisfortis ex aliquali negligentiâ Episcopi. Cui cùm pacis conditiones sæpius proponerentur, quas acceptasse crederetur, sequenti die rejiciebantur. Tum Præfecti Egmondæ, atque Iselstain cum eorum clientelis, indicentes bellum Trajectanis per chartæ affixionem ad portas urbis, summo mane illicò magnam prædam pecudum armentorumque egêre, præbentes stimulos ad belli futuri incendium. Et sequenti die adduxerunt Episcopum usque Biltam (Initium est suburbii): cui persuasêre, à *Motus Trajectensium contra Iselstein, & Egmondæ Præfectos.*

 civibus

civibus eum debere suscipi in civitatem, Præfectumque Montisfortis expelli, cùm jam Trajectani exercerent incendia prope Iselstain. Quo intellecto, Episcopus retrocessit Dorestatum, & quisque exasperabat alium magis ac magis ad bellum. Et sequentis quoque anni principio expugnarunt Trajectani arces, Ham, Nyenroy, & Emam, & flammis consumpserunt. Arces verò Hermelen atque Haer per deditionem in eorum venêre fidem. Et cùm jam bellum inter Hollandinos ac Trajectanos videretur suscitatum, Iudocus Præfectus de Lalain, ac Præses Hollandiæ cum vice Comite Antverpiensi nisi sunt (2)oppugnare vallum Trajectanorum apud portum dictum **de Vaert**, circum quod se communierunt tanquam obsessuri illud. Supervenientes autem Trajectani, profligarunt eos, dimissis signis & tentoriis, & instrumentis ac machinis bellicis plurimis, cæsis plerisque atque captis: quorum pars sub fide dimissa, illius posteà fuere immemores: postea occupatur oppidum **Neerden**, atque exspoliatur à Trajectanis: qui acceptis decem & quatuor millibus florenorum, illud restituêre: & per Legatos impetrarunt à Duce Clivensi sub magnâ spe, multisque promittentibus, ut filium suum Engelbertum adolescentem XVIII. annorum adducerent Trajectum: qui appulit in vigiliâ natalis Dominici an lxxxi. Trajectum, & deinceps res Trajectanorum minus prosperè successere, amissis post triduum in conflictu quingentis (3) civibus, & supra trecentos captis: quos præsidia collocata in Neerden straverunt in locis uliginosis, gelu jam concretis, in paludibus prope Westbroec 26. Decemb. anno MCCCCLXXXI.

Arces à Trajectanis captæ.

Bellum cum Hollandis.

Neerda capitur & spoliatur à Trajectanis.

Res Trajectensium minus prosperæ.

Sequenti (4) deinde anno recepere Trajectani Vianam, Vincentio Cygniea arcis, sive Suanenburch, Præfecto curante, & præter fidem turpiter expilante, & accepto multo ære postea exeunte. Mense autem Aprili Præses Hollandiæ expugnat arcem Vronenstain in Iutfaes, & tradit flammis, progrediens autem ad portum Rheni, vallum acquirit, pecuniâ (5) corrupto Præfecto valli Iohanne Alpheno exule Hollandiæ qui tradidit, & indulgentiam redeundi in Comitatum promeruit, antea pro homine perfido habitus, qui etiam præ tristitiâ postmodum interiit.

Exempla proditorum infelicia.

Eodem anno lxxxii. Præfectus in (6) Naeldewijck occupat Cornu sive Angulum oppidum, Horen dictum, in extremis Frisiæ Occidentalis oris situm, captis plurimis, quod Præses Hollandiæ cum præfecto Egmondæ paulo pòst per vim expugnando recuperat, & deprædationi exponit, interfectis trecentis civibus.

Hornæ urbis clades.

Anno lxxxiii. Trajectani cum quatuor millibus peditum Clivensium aggressi sunt Iselstain oppidum, sed nihil profecere propter necessitudines pristinas, quas milites cum illis de Iselstain habebant, ut lupus lupum non mordeat, sicuti est in proverbiis.

Oppugnatio Iselstaini inanis.

Eodem anno indicitur conventus sive Capitulum Trajecti, principe Clivensi absente: & cùm Magistratus cum Domino de Montfoort & deputatis V. Ecclesiarum intrasset, obserantur fores extrinsecus, ita ut non pateret exitus: & pars militum exiverat urbem ad secandum ligna pro munitionibus. Obsidebatur etiam oppidum Montisfortis. Tum plebs universa se conglobans, credens etiam pacem posse consequi, introduxerunt Episcopum sero intra X. & XI. horas & Magistratu amoto atque in vincula conjecto, crearunt novum. Intromittebantur etiam clàm milites noctu per centenarios, cumque jam numerus adauctus esset, cœpere milites atque Hollandini petulanter agere, & comminari populo, sese non abcessuros, nisi urbe (7) prius datâ prædæ; jactitantes eam potestati suæ commissam, ita ut civibus non permitterentur custodiæ ac vigiliæ urbis, vel corporum. Unde mirum in modum ingemuere. Interdictâ etiam eis conversatione & transitu per Hollandiam, nisi sub manu Episcopi, quam servorum more precio coemebant. Cumque istud ad dies duodecim sic continuaretur nocte Nativitatis Dominicæ supervenit Henricus (8) ex Nievelt, sive Novo campo, (9) transcendens mœnia retro vicum dictum **die Louwerg**: & suis confringentibus portam, cum viris quadringentis progressus est versus forum palatii, ubi sub ancipiti pugnatum, Henrico binies repulso, sed tertiò obtinuere sui forum occiso eo per tormentum aut jaculum. Et Episcopus capiebatur, & plerique cum eo ducti Amersfordiam, & tunc levabatur obsidio Montisfortis, Hollandique (10) retrocessêre. Prius tamen quam Henricus intrasset, uti alii affirmant, Episcopus progressus in forum manu propriâ ceperat Præfectum Montisfortis, comminatus Wilhelmo Præposito sancti Salvatoris ejusdem familiæ similiter carceres, vel quod eum aliquando castigaret. Sed præfectus propter ingressum Henrici, dimissus ab Episcopo, rogatur ut saluti ejus consulat. Henricus enim juraverat in cædem ipsius, & lætaliter saucius ingruente morte exclamavit: prosequamini victoriam ò socii, quæ est in manibus vestris, nec

Tumultus iterum Trajecti.

Henricus à Nyvelt occupat transcensis mœnibus Trajectum, & occumbit.

ego

ego sim vobis curæ. Sic uni furore accenso, quærenti hastâ transfigere Episcopum, præfectus sese objecit, Episcopum protegens, cui addixerat securitatem, ne timeret de vitâ Episcopus. Nihilominus capitur XII. Maji horâ I. à prandio, cum multis aliis, & infami (11) curru quo fimus evehitur, ducitur Amersfordiam. At Hollandini vel factio tunc dominans eorum, qui vocabantur Cabelliavi, qui inconsulto principe bellum assumpsêre, magnis pollicitationibus illum inducunt, ut eorum sumptibus obsideret Trajectum: ut puta pollicentes sedecim millia florenorum singulis mensibus, quod ex restanti debito deducendo, & totidem pro stipendio; præterea militem necessarium cum aliis necessariis: vel quod princeps militem & necessaria administraret, ipsi pro hoc numerarent quolibet mense octuaginta millia florenorum. Et cum hoc tela, machinas, tormenta, pulveres & cætera id genus. His allectus (12) Maximilianus nocte præcedente festum Nativitatis Iohannis Baptistæ locat obsidionem ante Trajectum, continuans hebdomadas undecim. Iam quarta (13) erat obsidio, quam Trajectani sustinuêre. Impendebatur ingens labor pro urbe potiundâ. At cives validè se protegebant. Suburbium Insula dictum **Waert** / oppugnatum binies, antequam hostes illo potirentur, quos tamen cives erumpentes ejecêre, abripientes machinas, & incendentes machinas, & incendentes illas, rediere in urbem, quia difficulter defendi poterat, & sic cessit arbitrio obsidentium. Paulo pòst in festo Margarethæ XXIII. Iulii concessus fuit à Duce salvus conductus filio Ducis Clivensis, ipsi Præfecto Montisfortis. Magistro civium, & cuidam (14) Bernardo Scoel conscio doli, uti ferebatur. Et cùm appropinquarent ad Ducem, jam salvus conductus exspiraverat: quod Præfectis Montisfortis ex certis indiciis ab amicis præsentiens, retrofugit in urbem, & interea, quod alii essent intra exercitum, credentibus Trajectanis quod de pace tractaretur, illicò hostes ex improviso aggrediuntur urbem, & acriter eam, frustra tamen oppugnant, cæsis plurimis, inter quos Comes Soranus cum plerisque interiit. Et paulo pòst Iudocus (15) Hollandiæ Præses, multum infestus Trajectanis, saxo tormenti jaculatus, occubuit. Tum cœptum tractari [16] de pace, auctore Archiepiscopo Iuvaniensi, Salizburgam vocant. Conditiones ferebantur esse, quod Trajectani restituerent signa atque vexilla, cum machinis atque tormentis erepta circa portum Rheni, quem dicunt **de Waert.** Redditus biennales civibus debitos Hollandinis remitterent, Ducem atque Episcopum supplices veniam precarentur, Exules sive proscripti propter Episcopum reciperentur, præstaturi juramentum de non offendendo; quod tamen isti non adimplerunt. Dux quoque cum Germanico exercitu, tanquam victor urbem, effracta idcirco parte mœnium, intraret, seclusis Gallis: Quod Hollandinis minus placuit, utputa anhelantibus ad urbis excidium, & quo ad id facilius perveniretur, suggessêre Principi sese Gallis exoluturos stipendia; sed pecuniam non absque magno discrimine posse efferri, petentes, ut intromitterentur. Quibus cùm Princeps annuisset, intromissis (17) Gallis, nulla fiebat solutio, à quibus tunc plus solito premebatur pro satisfactione. Unde indignanti & sciscitanti causam dilationis, responderunt Hollandini sese omni ære exhaustos. Nihilominus, si ipsi in duobus punctis complacere vellet, ut scilicet Iohannes Præfectus Egmondæ, Hollandiç Præses, & Fredericus Præfectus Saxi Isulani urbis Trajectensis gubernator constituerentur, solutionem, licet perdifficilem, invenirent. Quibus Dux, ut liberaretur à molestiis adhuc complacuit. Attamen satisfactio non fiebat, & eo magis timebatur de seditione ad expilandum cives: quæ etiam progressum habuisset, Germanicis atque Gallis inter se digladiantibus. Verùm præses Hollandiæ cum fratre adjunctis sibi Germanicis ac civibus restiterunt, ejicientes Gallos extra urbem, Ita ut Hollandini voti manserint impotes, & urbs salva maneret. Nam Dux ipse post triduum rediit in Brabantiam.

Episcopus capitur, & plaustro impositus defertur Amersfordiam.

Trajectum obsidetur.

Tenduntur insidiæ.

Conditiones pacis.

Cùm autem perdifficile sit justas & veras bellorum occasiones ex famâ vel hominum relatu colligere, propter affectiones singulorum sua justificantium. Quo apparentiora fidei adminicula pro origine hujus belli pateant, partem censuræ per Sixtum Pont. Rom. promulgatæ hic inseruimus:

Sixtus Papa censura Trajectanis.

Sixtus (18) Episcopus Servus servorum Dei, ad futuram rei memoriam. Exigit protervorum plectenda rebellio, ut ii, qui susceptam à se concordiam violando, literis, provisionibus, & mandatis Apostolicis

Delicta sunt punienda.

postolicis insistere contemnunt, Illisque temeritate propriâ obviare non expavent, excessuum suorum pœnas sentiant, ne impunitas ipsorum cæteris tribuat audaciam delinquendi, sed castigatione debitâ eos sequente ad cor tandem redeuntes, viis obliquis relictis, per semitas incedant justitiæ & æquitatis. Dudum siquidem Ecclesiâ Trajectensi Pastoris

Episcopi & Papa fratres inter se.

solacio destitutâ, felicis recordationis Calixtus Papa tertius, prædecessor noster, de personâ venerabilis fratris nostri David de Burgundiâ, Episcopi Trajectensis, eidem Ecclesiæ sic tunc vacanti de fratrum suorum consilio Apostolicâ auctoritate providit, ipsumq; illi præfecit in Episcopum & Pastorem, curam & administrationem ejusdem Ecclesiæ sibi in spiritualibus & temporalibus plenariè committendo, prout plenius continetur in ejusdem prædecessoris desuper confectis literis. Qua-

Calixtus tertius Papa Davidem constituit Episcopum Trajectensem.

rum vigore idem David tam ipsius Ecclesiæ, quàm ejus ratione in spiritualibus & temporalibus ei subjectarum Civitatis, Diœcesis ac Patriæ Trajectensis, omniumque jurium & pertinentium Episcopatus Trajectensis possessionem seu quasi pacificam extitit assecutus, quam ex tunc per viginti quinque annos, seu circa in pace ac tranquillitate tenuit,

David Episcopatus possessionem nactus.

gubernavit & conservavit. Postmodum verò cùm orta fuisset differentiarum materia, inter præfatum Episcopum ex unâ, & Burgimagistros ac Consules & Proconsules, nec non Officiales dictæ civitatis, ac quasdam eis adhærentes Ecclesiasticas personas, certarumque Ecclesiarum Capitula, litisconsortes, de & super relegationibus nonnullarum

Quædam Ecclesiasticæ personæ relegatæ, querelas ad curiã Romanam detulerunt.

Ecclesiasticarum personarum per dictos Burgimagistros & litisconsortes adhærentes, hujusmodi propriâ temeritate factis, ac nonnullis censuris contra eos per præfatum Episcopum latis & fulminatis, rebusque aliis in actis causæ & causarum desuper latius deductis, & illorum occasione ex unâ & aliâ partibus coram diversis judicibus tam in Romanâ Curiâ, quàm extra eam: Nos tunc attendentes hujusmodi differentias gravia generare scandala, ac volentes ut nostro conveniebat Pastorali officio, fomites ac radices scandalorum penitus evellere, ac quietem, pacem, & unionem inter partes ipsas statuere, venerabilibus fra-

Quas Papa audiri à Cardinalibus jussit, & terminari.

tribus nostris Albanensi & Tusculanensi Episcopis sanctæ Romanæ Ecclesiæ Cardinalibus vivæ vocis oraculo dedimus in mandatis, ut dictarum partium procuratores & negociatores tunc in dictâ Curiâ residentes, & propterea ad eandem destinatos, plenè audirent, ac auditis hinc inde propositis, juribusque partium intellectis, differentias & controversias quaslibet inter easdem partes, vel concordiâ, vel judicio terminarent. Qui Cardinales partibus prædictis exinde ad plenum audi-

tis, &

tis, & relatione nobis per eos in nostro secreto consistorio facta, tandem de nostro & reliquorum fratrum nostrorum sanctæ Romanæ Ecclesiæ Cardinalium mandato, quandam honestam & discretam indixerunt concordiam, quæ per utramque partem approbata & suscepta, & pro majori ejus parte adimpleta extitit. Successivè autem existimantes partes prædictas bonâ pace frui, & inter se quietam ducere vitam, non sine magnâ animi perturbatione intelleximus, quod sedulo fœderis inimico Sathanâ instigante præfati Burgimagistri, Consules, Proconsules, etiam Scabini, Rectores, Capitanei, & nonnulli alii perditionis filii, in dictâ civitate & oppido de Amersfordiâ patriæ & Diœcesis prædictarum degentes, ac discordias & bella potiùs quàm pacem & quietem affectantes post diruptionem ac devastationem nonnullorum castrorum, quæ ad præfatum Episcopum ratione dictæ suæ Ecclesiæ pleno jure pertinent & spectant, eundem Episcopum etiam in Dominio, Jurisdictione, & temporalitate suis turbare, molestare & vexare, ac illis eum spoliare temeritate propriâ non expaverunt. Præmissis denique non contenti, in messem Christi manus mittentes immundas, & jurisdictionem ac facultatem privandi, & eligendi Episcopos sibi usurpare præsumentes, dilectum filium Engelbertum (19) de Clivis adolescentem, & nondum vicesimum suæ ætatis annum agentem, loco præfati Episcopi in dictam civitatem de facto intromiserunt. Qui Engelbertus palatium, domum & curiam Episcopalem exinde hostiliter occupavit, & quod non parum detestabile est à præfatis Burgimagistris, Consulibus, Proconsulibus, Rectoribus, Scabinis, & aliis Officialibus ac civibus Trajectensibus & Amersfordiensibus in ipsâ civitate residentibus: fidelitatis juramentum, obedientiam & reverentiam tanquam eorum vero Domino & Episcopo sibi præstari & exhiberi fecit, quemadmodum ei similiter de facto præstarunt & exhibuerunt, dictumque Engelbertum, publicum Episcopi hostem civitati & oppido prædictis, contra voluntatem ejusdem Episcopi præfecerunt ac impediverunt, & impediunt, quo minus præfatus Episcopus suâ possessione pacifica Ecclesiæ & civitatis ac oppidi de Amersfordiâ prædictorum pacificè uti & gaudere, illorumque regimen & administrationem in spiritualibus & temporalibus habere & exercere valeat atque possit. Perjurii reatum ac in talia committentes sacris Canonibus latas sententias, censuras & pœnas damnabiliter incurrentes in animarum suarum grave periculum, nostraque ac sedis Apostolicæ auctoritatis contemptum & vilipendium, præfatique Episcopi præjudicium maximum & dispendium,

Discordia Trajectinorum sententiâ papali terminata & accepta à partibus.

Pace factâ non obstante quidam Trajectani & Amersfordienses Episcopum in possessione rerum suarum turbarunt, & Engelbertum Ducis Clivensis filium fecerunt Episcopum.

nec

nec non perniciosum exemplum & scandalum plurimorum. Nos igitur cupientes, ut æquum est, tot & tantis scandalis obviare, ac statui & indemnitati ipsius Episcopi, prout nostro incumbit officio, quantum cum Deo possumus, congruis remediis providere, motu proprio, non ad ejusdem Episcopi, vel alicujus alterius pro eo nobis super hoc oblatæ petitionis instantiam, sed de nostrâ merâ liberalitate, ac ex certâ scientiâ, æquitate & justitiâ id nobis suadentibus, præfatos Engelbertum, Burgimagistros, Consules, Proconsules, etiam superiores Audermannos, Scabinos, Consiliarios, Capitaneos & Rectores, Officialesq; ac cives civitatis & oppidi prædictorum, omnesq; alios & singulos eis, vel alicui ipsorum etiam quoad præmissa adhærētes, ac præfatū Episcopū, ut præfertur, impedientes, molestantes & perturbātes, detentores quoq; & occupatores, nec non intrusos, & intrudendos, ac ipsis vel eorum alicui auxilium, consilium vel favorem quomodolibet publicè aut occultè, directè vel indirectè, quovis quæsito colore præstantes, cujuscunque Ecclesiasticæ vel mundanæ dignitatis, excellentiæ, status, gradus, ordinis, Nobilitatis, praeminentiæ, seu conditionis fuerint, quocunque etiam nomine censeantur, quorum omnium nomina & cognomina, & qualitates ac si singulariter specificarentur, & designarentur præsentibus, pro sufficienter expressis haberi volumus, sub virtute sanctæ obedientiæ, & pœnis infrascriptis, quas contra facientes, & eorum quemlibet ipso facto incurrere volumus auctoritate Apostolicâ, tenore præsentium, appellatione quacunque ex certâ nostrâ scientiâ remotâ, & sublatâ, ac quibusvis aliis sententiis, censuris & pœnis à jure vel prædecessoribus nostris etiam à nobis contra talia facientes quomodolibet latis, nihilominus in suo robore permansuris, monemus & requirimus, ac eorum cuilibet districtius præcipiendo mandamus, quatenus Engelbertus & quilibet prædictorum infra sex dierum spacium, post habitam de præsentibus notitiam computandorum, quorum duos pro primo, duos pro secundo, & reliquos duos dies pro tertio, nec non peremptorio termino ac Canonicâ monitione eis assignamus, ut à singulis impedimentis, molestationibus, intrusionibus, & occupationibus prædictis, ac aliis quibuscunque turbationibus penitus & omnino desistant, ac præfato Episcopo seu ejus procuratori per Engelbertum, & alios prædictos monitos respectivè captis, detentis, occupatis, subtractis atque ablatis mobilibus & immobilibus bonis ac rebus, nec non fructibus, redditibus, provenibus, juribus, jurisdictionibus, emolumentis, & obventionibus universis cujuscunque sint speciei omni excu-

Nota clausulas motu proprio, &c.

sation

sationе & exceptione appellationeque, semotis integrè & cum effectu absque diminutione & dilatione aliquâ satisfaciant; illaque ei tradant, restituant, & aßignent, ac ab aliis quantum in eis fuerit, tradi, restitui & aßignari faciant & procurent, dictumque Episcopum, seu pro eo procuratorem suum, civitatis, oppidi, palatii, domus Episcopalis ac jurium, Iurisdictionum & pertinentium, bonorumque omnium spiritualium & temporalium corporalem, realem & actualem possessionem continuare; illâque eum pacificè & absque impedimento aliquo gaudere permittant liberè: Burgimagistri quoque & superiores Audermanni, Scabini, Consiliarii, Capitanei, Rectores civesque & incolæ civitatis ac oppidi prædictorum, vasalli etiam ac coloni, laboratores, censuarii, reddituarii & alii subditi tam Ecclesiastici, quàm seculares, prout ad eos, & eorum quemlibet respectivè pertinentium, ipsi Episcopo, seu ejus legitimo procuratori ac officialibus & ministris per eum deputatis, & nulli alteri, prout tenentur, pareant & obediant, respondeant & favorabiliter intendant; fautores verò & consultores ipsius Engelberti, sibique & illi quomodolibet in præmißis vel aliquo eorum adhærentes, à præstatione auxilii, consilii & favoris, omnique adhæsione & sequelâ omninò cessent, ac deinceps à similibus abstineant, alioquin in omnes & eorum singulos, tam Ecclesiasticos, quàm seculares, per nos in genere vel in specie, ut Monitorium 2. præfertur, nominatos, qui infra sex dies ex tunc immediatè sequentes monitionibus, & mandatis nostris hujusmodi cum effectu non paruerint, vel quo minus pareatur, fecerint, suaserint, seu alias directè vel indirectè, palam aut occultè, quovis quæsito colore occasionem vel causam dederint lapsis sex diebus eisdem ex nunc, prout ex tunc, ac viceversa, si Archiepiscopali, Episcopali, aut superiori dignitate Ecclesiastica præditi fuerint, interdicti ab ingreßu Ecclesiæ: Si verò alii inferiores Ecclesiastici, vel etiam sæculares cujuscunque Ecclesiasticæ vel mundanæ dignitatis, excellentiæ, status, gradus, ordinis vel conditionis extiterint, excommunicationis & anathematis sententias auctoritate, motu & scientiâ prædictis, earundem præsentium tenore ferimus & promulgamus in his scriptis: à quibus sententiis ab alio, quàm Romano Pontifice, vel ab eo speciali ad id auctoritate suffulto, præterquam in mortis articulo constituti, nequeat absolutionis beneficium obtinere. Et si, quod absit, Engelbertus aliique moniti prædicti Monitorium sic tunc interdicti, excõmunicati, & anathematizati, easdem interdicti, 3. excommunicationis & anathematis sententias, per alios tres dictos

sex dies immediate sequentes animo sustinuerint indurato, similiter ex nunc, prout tunc, pari motu, scientiâ & auctoritate civitatem &
Monitorium 4. oppidum prædicta, ac Ecclesias, monasteria, & quavis alia loca, ad quæ eosdem monitos sic interdictos, excommunicatos, & anathematizatos forsan declinare contigerit, etiam ecclesiastico supponimus interdicto, quamdiu ibidem steterint, aut stare permissi fuerint, & per duos dies, post eorum aut alterius ipsorum exinde recessum strictissimè observandum, ita ut eo durante nullis diebus præterquam in festivitatibus & casibus à jure permissis, & in illis duntaxat clausis januis, ac excommunicatis & interdictis exclusis submissâ voce ex Apostolico quovis privilegio, etiam ordinibus, locis vel personis concesso, Missæ, & alia divina officia valeant celebrari.
Monitorium 5. Eosdemque interdictos, excommunicatos, anathematizatos interdictum hujusmodi non observantes, si Archiepiscopali, Episcopali, vel alia majori Ecclesiastica dignitate præfulgeant, à divinis ac suarum Ecclesiarum regiminibus & administrationibus suspendimus. Engelbertum verò & alios inferiores à prædictis Ecclesiasticos, & etiam sæculares quoscunque, sic tunc excommunicatos & anathematizatos, canonicatibus & præbendis ac dignitatibus, personatibus, administrationibus, vel officiis, Monasteriis quoque, Prioratibus, Præposituris, & Præceptoriis, cæterisque beneficiis Ecclesiasticis, sæcularibus & regularibus, ac quibuslibet Iurisdictionibus, Magistratibus, praeminentiis, feudis, juribus, privilegiis, honoribus, & mundanis reputationibus quibuscunque, quæ eos obtinere contigerit, auctoritate, motu & scientiâ similibus privamus, ac ad illa & alia similia imposterum obtinenda, nec non ad testandum, & quoslibet alios legitimos actus faciendum inhabilitamus, privatosque, & inhabilitatos esse censemus & declaramus eo ipso. Si verò interdicti, suspensi, excommunicati & anathematizati, privati & inhabilitati nolentes in semitis Iustitiæ dirigere gressus suos, & ad cor reverti & veniam petere, & pœnitentiam salutarem a-
Monitorium 6. gere de commissis sub hujusmodi interdicti, suspens. excommunicatio-
* Inhibitionis. nis, anathematis, privationis & * inhabilationis, censuris, & pœnis protervâ obstinatione per alios tres dies extunc immediatè sequentes permanere non expaverint, similiter ex nunc, prout ex tunc lapsis posterioribus diebus prædictis, eos aggravatione & reaggravatione censurarum & pœnarum prædictarum ligamus & innodamus, ligatosque & irretitos ac innodatos esse decernimus ipso facto; Mandantes singulis Cathedralium, etiam Metropolitanorum

vel

vel collegiatarum, ac aliarum Ecclesiarum, nec non Monasteriorum Prælatis, Capitulis, Conventibus, Canonicis, Rectoribus & personis aliis Ecclesiasticis, etiam religiosis, in vim sanctæ obedientiæ, ut quotiens super hoc pro parte dicti Domini Episcopi fuerint requisiti, seu quivis eorum fuerit requisitus, in eorum Ecclesiis, Dominicis, & aliis festivis diebus, dum inibi major populi multitudo convenerit ad divina pulsatis (20) campanis, & accensis candelis, ac postmodum in terram projectis, & extinctis, erectoque crucis vexillo, cum trinâ lapidum projectione, & aliis in similibus de jure observari solitis Ecclesiasticis ceremoniis, interdictos, suspensos, excommunicatos, anathematizatos, privatos, inhabilitatos, aggravatos & reaggrauatos publicè denuncient, ac ut tales jubeant & mandent ab aliis omnibus arctius evitari, omni appellatione & exceptione cessantibus. Injungentes quoque omnibus aliis Christi fidelibus, ut illos evitent, & eis cuncta necessaria denegent, donec corde contriti, spiritum assumentes sanioris consilii ab hujusmodi perturbationibus, inquietationibus, molestationibus, detentionibus, ac civitatis, oppidi, & bonorum prædictorum occupationibus, adhæsionibus, favoribus, auxiliis & consiliis penitus & omnino cessaverint. Eidemque episcopo de per eos subtractis & ablatis ac occupatis integrè satisfecerint: civitatem quoque & oppidum prædicta, eorumque liberam & expeditam possessionem restituerint, nec non ab interdicti, suspensionis, excommunicationis, & anathematizationis, ac aliis censuris prædictis absolutionem, relaxationem integramque reconciliationis gratiam à nobis & sede prædictâ, satisfactione præviâ, meruerint obtinere.

Anno lxxxiv. nocte præcedente festum Agnetis Fredericus Præfectus rupis Isulanæ adjuvantibus exulibus occupat Amersfordiam, machinis & aliis bonis illam spolians, & magno exacto ære pacatus recessit. Quo tempore (21) ordo Divæ Brigidæ Trajecti instituitur ex religiosis fœminis, solutæ tamen vitæ, quas Beginas vocant, a velo capitis quo involvi consueverunt sic dictæ. Similiter constructum sequenti anno lxxxv. celebre (22) Xenodochium pupillorum atque orphanorum magno ære Everhardi Zoudenbalchi Thesaurarii ecclesiæ majoris. Post discessum verò Ducis Maximiliani, postpositis initæ pacis conditionibus omnia Trajecti ceperunt esse turbida. Nam cives hinc inde, passim noctu quieti ac sopori deditι, capiebantur (23) & ducebantur ad Dorestatum arcem: ubi ingenti auro sese redimere cogebantur Episcopo, uti fama erat, participante de commodo. Tum consuluerunt Magistratus Præfectum rupis Isulanæ, quomodo plebs retineri & reduci posset ad obedientiam, & concluserunt (24) portam civitatis muniendam fore, quod & Hollandinis prius consultis placuit, qui etiam ingentem pecuniam in hoc opus erogarunt. Tum cœptum vallum & fossis circumductum, & impositum præsidium militare, quo & machinæ & bellica instrumenta, quotquot erant, mittebantur. Et paulo post indicto conventu populi declarabatur; civitatem alieno ære ad summam lxxxii. milliũ aureorum esse gravatam, & pro illorum redemptione impositũ tributũ prædiale, quolibet jugere ad octavã partem aurei taxato ad bienniũ; & qui prædiis carerent, exolverent centesimam. Transacto autem biennio cùm cives à debito se crederent liberos, compertum est eos in centum millibus obligari. Quisque enim per rapi-

Fredericus Iselstenius occupat Amersfordiã.

Beginæ Divæ Brigidæ à velo capitis sic dictæ.

Portà Trajecti munitur ex consilio Iselstenii & Hollandorum.

Iugatio instituta pro redimendo ære alieno.

nam privato commodo intendebat absque aliquo respectu boni publici, Episcopo ista permittente. Præsciebat enim licet porta esset munita, cives minimè passuros, ut ab hostibus gubernarentur.

Episcopus arce Woerdensi & Rotterodamo captis, revertitur Trajectum.

Anno lxxxix. cum anno præcedente Præfectus Montisfortis in nocte protho-martyris Stephani occupasset arcem Woerdam, & frater Præfecti de Bredenroede invasisset aggerem Rotte fluminis, sive oppidum Rotterdamum, Episcopus reversus est Trajectum, certis de causis. Et rumor popularis erat, jam portam rursus debere aperiri, ac continuabatur magis ac magis indies, quod nec Episcopo, nec Magistratui placuit, accitisque ex singulis collegiis artificum binis viris, ut mentem eorum perscrutaretur, & rem poneret in dilationem, illicò concurrunt supra quingentos, non vocati. Ita ut Episcopus cum Magistratu animis consternerentur, malentes portam remanere munitam, quàm apertam. Ad pacandum ergo tumultuantium animos, persuasit Episcopus se petiturum Vicum Dorestatum, & intra paucos dies rediturum & curaturum, ut porta dederetur per amicitiam, libenter enim sese absentasset, sed non concedebatur. Cùm autem Episcopus hoc considerasset, misit qui postularent à præsidio tradi portam. Quod denegabatur: sciebant enim, qui vallum tuebantur, vires omnes bellicas, item & pulveres in porta consistere, & machinas in ipsorum custodiâ. Quæ tamen per industriam mirabilem fuere à civibus recuperatæ, renitente præsidio. Et cùm frustrà expectarent suppetias, propter obstacula & impedimenta viarum tandem salvis bonis & Præfecto Rupis Isulanæ suis machinis, sese dedidêre. Iam vallo præsidiis vacuo illicò fossę obstructæ, & munimenta cum vallo diruta, jam idem Præfectus validam (26) coadunaverat manum ad ferendum subsidia, sed quia ventus contrariebatur, & itinera terrestria erant invia, præpediebatur in cœptis quasi superis faventibus. Tum octo ex primoribus sub fide renunciatæ vindictæ, educti extra civitatem, & portæ turres ac mœnia diruta, instaurata. Paulo post Episcopus rediit Dorestatum, & continuè meditabatur in animo, quomodo proscriptos posset reducere.

Porta Trajecti munita à præsidio deditur civibus.

Amstelredamum, Abcouda & Vredelant recipiuntur. Monsfortium deditur & inter partes pax constituitur.

Anno xc. Episcopus recuperavit à civibus aggeris fl. Amstellæ, Amstelrodamam vocant, arces Abcoudam, & terram pacis, Vredelant dictam, quas ab initio belli occupatas tenebant. Alii tamen volunt sub pactis deditas, nè oppido Montiforti per Ducem Saxoniæ atque Hollandinos, multosque Nobiles, paulo pòst gravi obsidione cincto, mitterentur suppetiæ, sicuti apparuit, licet Episcopus manum militarem penes se haberet Trajecti, securitati consulens urbis, ne aliquid attentaretur: Civibus autem se validè defendentibus, plurimisque ab utrâque parte in oppugnationibus cæsis, tandem fit (27) pax. Per conditiones deditur oppidum cum arce, & posteà restituitur Præfecto. Sed arx atque oppidum Woerda rediit in potestatem Hollandinorum, & sic discessum ab armis.

Bellum à creditore illatum Episcopatui, & præcipuè Transisulanis.

Eodem anno Præfectus de Wisch adjunctis sibi pluribus ex numero Nobilium prædonum indixit subditis patrimonii Divi Martini, præcipuè Trans-Isulanis bellum. In causâ erat, quod Rudolphus Episcopus ab ejus genitore magnam pecuniam sumpsisset mutuò, de quo nullum habebatur documentum, afflixit tamen provinciales plurimùm. Daventriani autem multùm indignati, qui illum nullis rationibus flectere poterant, obsederunt arcem ferinam Wildenburch dictam, & magna illi intulerunt damna, nemoribus, sylvisque succisis, & tandem componitur quæstio, contra mentem tamen ipsius Præfecti.

Thomas Bazinus Archiepiscopus Cęsariensis.

Anno xci. decessit Trajecti Thomas Bazinus Archiepiscopus Cæsariensis, sepultus in choro templi Divi Iohannis, vir nobilis, ex Galliis provinciâ Armoricâ oriundus, magnæ prudentiæ, & in Sacris litteris apprimè eruditus. Iam offert se occasio aliquid de eo differendi. Hic erat primò Episcopus (28) & Dux Lexoviensis, civitatis Armoricæ. (Ideò Armorici (29) quasi ante mare, aræ enim ante, Marini Morici (30) teste Eutropio dicti) Carolo septimo ejus nominis Gallorum Regi, percharus, & idcircò Ludovico ejus filio (qui omnes, quos genitor (31) observaverat, summè odiebat) infensus, sive quod prudentiæ suæ, sive potentiæ gentilium suorum Baziniorum invidebat, falsò suspicans illum Anglis ac Burgundionibus favere. Ac primum aulâ ejecit, demum Regno expulit, & tyrannico animo, uti erat, facultatibus & Ecclesiâ spoliavit, atque in ejus vicem successivè tres (32) Pseudo-episcopos intrusit: persequens jam pulsum, ne abstractus securusq; viveret, quocunq; locorum sese diverteret, ita ut primum apud Lovaniũ, posteà (33) Treviros, demùm Traject. ad Rhenum exilium sibi deligeret; Et quod longè crudelius est, non contentus hujusmodi furore, partim minis, partim

Pellitur aula, Ecclesia & regno Franciæ in exiliũ à Ludovico XI. Rege.

pollici-

pollicitationibus falsis illum coëgit, ut Ecclesiæ renunciaret, servato modico censu arbitrario pro alimentatione. Hoc tamen non contigit, nisi postquam divina ultio fuisset subsecuta. Nam uti affirmant etiam testes hujus rei superstites, ex tribus Pseudo-episcopis unus sibi mortem conscivit, dejiciens se in puteum: alter similiter dedecorosè finivit vitam; tertius item subitaneò periit. His ferus Rex territus, ut aliquis cum justo titulo Ecclesiam acquireret, excogitavit fieri renunciationem: quo apparerent damna & injuriæ reparatæ.

Bazinus itaque diu solicitatus, tandem duxit cedendum furori & importunitati, renunciavitque Ecclesiæ illi, à Sixto Romano Pontifice translatus ad sedem Cæsariensem Archiepiscopalem, reservato annuo censu è Luxoviensi: residuum dierum apud Trajectum in pace finiens. Et quamvis posteà à Carolo Rege, Ludovico patre Rege defuncto, potestas redeundi illi offerretur, perstitit in priore conditione, ne non contentus incertis fluctibus fortunæ sese ammodo subjiceret.

Trajecti moritur, à Sixto Papa translatus ad Archiepiscopalem Ecclesiam Cæsariensem.

Circa eadem tempora Comes Burensis, quem superius Præfectum Rupis Isulanæ nominavimus, cum Præfectis de Hoemoedt, Bronchorst, Batenburch, Benthem, Wisch & Welp, sive eorum clientelis adunavit validam manum apud Wageningen. Filius quoque ipsius Comitis Florentius nomine, contraxit aliam manum apud Iselstain, sive rupem Isulanam. Et cum gemino exercitu in vigiliâ Paschatis civibus nihil tale suspicantibus, contenderunt ad civitatem Trajectensem, pater ad portam, quæ dicitur Albarum Dominarum, filius ad aliam, quæ dicitur vici telonaris, quam & sui occuparunt, & erectis signis cum tubis & vasis bellicis progressi sunt tanquam jam urbe potiti. Verùm ut varii sunt fortunæ eventus à perexiguâ turmâ civium concurrente profligati, terga vertere coacti sunt, fugâ in portam & alibi quærentes salutem. Ex quibus aliqui occisi, aliqui evestigiò (34) membratim divisi, & supra mœnia suspensi. Pater autem intelligens adversum filii successum: non enim quadrarunt de tempore: mœstus retrocessit.

Expeditio Comitis Burani in urbem Trajectensem repulsa.

Eodem anno creatur (35) Trajecti perpetuus Magistratus, duodecim præfecti Consulum quos Scabinos vocabant, XXIV. Consules, & XL. viri plebei, tali ordine, quod decedente aliquo Præfecto, in ejus locum unus ex Consulibus, & in hujus locum alius ex plebeis surrogaretur, & rursum decedente plebeio alter ex popularibus, neque liceret fratribus fratrumve filiis eisdem sedere subselliis. Quisque ex istis præsideret ad vitam, cum aliis utilibus conditionibus. Verum parum stetit hæc ordinatio, plerisque eam infringentibus, ita ut intra biennium rursum fieret abrogatio, & auctoritate Episcopi pristinus modus reciperetur eligendi.

Perpetuus Magistratus creatur Trajecti.

Anno XCII. erexerat Præfectus in (36) Culenburch furcam in vico Honswijck, præsumens ad se pertinere jus gladii. Verùm episcopus cum Trajectinis & cæteris oppidis illam dejecerunt. Quod Præfectus quàm ægrè tulit, & post multas quæstiones causa submissa fuit arbitrio Præfecti Montisfortis, & Philippi Burgundi fratris episcopi, quem & ipsum posteà episcopum vidimus Trajectens. Hi comperto, quod Episcopi Trajectenses utile dominium, non autem jus gladii illi concessissent, imposuere silentium ei, ita quod Præfectus dolens se intentasse litem, destitit à cæptis. Quod solum & unicum (37) egregium facinus affirmant Episcopum toto tempore regiminis sui reliquisse memoriæ.

Ius gladii abjudicatur Culenburgico.

Unicum Episcopi egregium facinus.

Anno XCIII. compositis rebus in Flandriâ, Comes (38) Burensis gregariam militum manum, qui illic militaverant, adduxit secum in Gelriam, verùm re minus prosperè gestâ, cùm Carolus Dux Gelriæ, qui proximo anno liberatus è captivitate, Ducatum receperat, illi occurreret, declinavit signa in Trajectanos animo recuperandi portam Divæ Catharinæ semel amissam, cùm tamen modico ære paulo post differentia intercipi & componi potuisset. Nam in Episcopum erat compromissum, quem tamen præcipuum Comitis suspicabantur amicum: verùm culpa impingebatur negligentiæ Præfectorum consularium, causam non prosequentium. Inferebat quoque Comes provinciæ magnam cladem incendio & rapinis, occupans suburbium, quod Insulam dicunt. Timentes cives majora incommoda, quia multos habebat in urbe fautores, nec validi erant ad resistendum soli ut urbis saluti intendentes, ut pericula hujusmodi averterentur, fit concordia; eâ lege, quod Comiti exsolverentur viginti (39) quinque millia aureorum, & cadavera suspensa supra mœnia deponerentur, & sic retrocessit. Tum tamen non modica suborta quæstio super promisso ære coadunando; tandem ingens tributum singulis aratris impositum,

Burani Comitis expeditio in Trajectum altera, quâ prior ignominia abolitur.

Singulis avatris tributum impositum. de quo Episcopus nec non alii Principes ex nobilibus & Magistratu, ut consentirent allecti participasse divulgabantur.

Bredenroedii querela submissa Iudicio. Iam & Præfectus de Bredenroede suas intendebat querelas propter priorem jacturam per illum de Suanenburch in occupatione & spoliatione oppidi Vianensis illatam. Verùm considerans minus pro voto Præfecti Culenburgensis negotium successisse, & quod sibi non tantus favor esset apud Episcopum & alios cives Trajectanos protinus cessans a comminationibus quæstionem sententiæ judicum submisit.

Stantibus his turbationibus, Sanctimoniales (40) ut se periculis subtraherent, relinquentes locum Iherusalem, commigrarunt ex suburbio in civitatem, in hospitium *Nyenrode* dictum.

Mira aëris & subita mutatio. Anno XCVI. mense Februario suboritur ingens gelu, triduo solùm perdurans, quo Rhenus spacio XXIV. horarum solidatus se meabilem reddidit, quarto die rursum solvitur, & subsequitur inaudita aquarum inundatio, quæ à Coloniâ usque mare omnes Rheno adjacentes provincias perfudit, effractis aggeribus. *Inundatio maris ingẽs.* Et sequenti anno mense Ianuario major aquæ inflatio, etiam altissimos transcendens aggeres, Fresiam, provincias Rhenanas, & Flandriam vastans, innumerabilemque hominum ac pecorum multitudinem absorbens, abstinuit tamen à territorio Trajectanorum. *Annonæ copia.* Et anno præcedenti fuit ingens annonæ abundantia.

David Episcopus moritur. Anno eodem XCVI. 16. Aprilis Episcopus David cùm præfuisset annis XXXIX. mensibus 9. decessit parum laudatus à plerisque, quod minus utilis fuisset, nimio senio confractus more pueri se regi permitteret a vilibus hominibus tantæ instabilitatis, ut quod uno die agendum decreverat, sequente die mutaret, & provinciales idcirco, præsertim Transisulanos magnis sumptibus & laboribus sæpius frustraretur, continuâ vexatus podagrâ. Alii tamen id sibi laudis attribuunt, quod oppida, arces, & omnem Ditionem sancto Martino libera, & absque onere, & thesaurum post se reliquit meliorem, verùm parum commodi afferentem, cùm frater ejus arcem Dorestatum, in quo decessit, in potestatem suam haberet, neque illam, nisi sub gravi pacto dimitteret. Contulit etiam Ecclesiis sumptuosa ornamenta, & Majori præsepe ex solido auro magni ponderis. Cudit & (41) monetam utique legalem, quæ adhuc in precio habetur. Cætera præmissa sunt. Sepultus in ecclesiâ oppidi Wijck, juxta Dorestatum, sive quod statutum erat cum tempore, solenni pompâ illum deferre Trajectum, quæ subitò parari nequivit, prout Legatis ecclesiarum missis pro cadavere visum fuit, sive quia in ingrato solo quiescere recusaret, quoniam inter ipsum & Trajectanos frigida erat amicitia: utrumque incertum est.

a *Libertatem telonii per Ducatum suum,*) Vide diploma Fred. secundi Imp. anno 1220. concessum principibus Ecclesiasticis supra in Ottone secundo de Lippiâ à me exhibitum, & speciale illud quod ibi sequitur, quo prohibetur Gerardo Gelriæ Comiti, ne teloneum statuat in ditione suâ in præjudicium Episcopi Trajectensis, cum adjunctis ad eam rem.

b *Davidem Episc. Mormorum,*) De hoc Davide consule Scevolam & Ludovicum Sanmarthanos fratres lib. 8. historiæ genealogicæ Regiæ domus Franciæ.

c *Hollandiam posse periclitari si Gisbertus promoveretur,*) Bredenrodii enim à primæ stirpis Hollandiæ Comitibus oriundi feruntur, eademque insignia in clypeis pingunt, aliqua tantùm differentiâ diminutionem indicante, Lambeau vocant armorum periti. Unde, cùm Reinoldus Bredenrodiæ Dominus ductâ uxore Marchanâ, integra, ut ajunt, arma Hollandiæ prætulisset, indignationem Caroli V. Imp: incurrit, ac si Comitatui inhiasset, ut in archivis Hollandicis conspici potest, & testantur Hu-terus in Austriacis, Haræus in Carolo V. Imp: Adde librum privilegior. Amsterodamensium fol. III. 144.

d *Pecunia quam annatam vocant, &c.)* Annatæ quid sint, hic Heda exprimere videtur; sed clarius & verius Platina in Bonifacio IX. his verbis: *Annatarum usum beneficiis Ecclesiasticis primus imposuit, hac conditione, ut qui beneficium consequeretur, dimidium annui proventus, fisco Apostolico solveret.* Vide quæ Balæus lib. 6. de vitis Pontif. Rom. & quæ Lydius in glossis ad Clemangem annotavit.

e *Pontifex credens sibi magna à Philippo polliceri,*] Pontifex non æquitatem, non veritatem, non quietem Episcopatus inspiciens, tantum utilitatem & commodum proprium secutus, magis politicè, quam Christianè in hac re egit, quod in eo etiam Heda non tam liberè quam verè reprehendit. vide etiam Snoyum lib. X. historiæ Hollandicę.

f *Sic Procurator mansit delusus,*] En perfidiam & iniquitatem Pontificis, non tantum ludibrio habentis legitimè electum, sed eundem quoque pecuniâ emungentis falsis promissis; ac re non succedente repetentem ridentis scurriliter. Snoyus pro confirmanda electione Urbanum 4000. Ducatorum recepisse per trapezitas, ait, sed errat in nomine Urbani, vide de toto hoc negotio Chron. Holl. ac

Holl. ac Zelandiæ Gallicum Francisci Petiti lib.4.pag.& 412. seq.

g *Itaque Præfectum Chamariorum,*] Quis ille, nisi dominum de Bredenrode fratrem suum significet, tanquam Kenemariorum præfectum, non video, ut qui fratri Electo contra tumultuantem plebem opem tulit, ejusque conventicula dissipavit, ut ex Chronico populari,& aliis ejus temporis scriptoribus, apertum est.

h *Aut redditus pascuorum publicorum,*) Videtur verbum, *venderentur*, vel simile desiderari. Et extant apud me literæ anni 1456. firmatæ sigillis 12. collegiorum opificum, quia tunc civitatis sigillum consuetum erat confractum, ut in Rudolpho supra annotatum est, quibus indicat Magistratus se vendidisse Harmanno Santheno Gerardi filio certâ pecuniâ publicis commodis impensâ, decimas quasdam ex publico prato reliquas &c.

i *Interim cum Amersfordiani ab Electo defecissent,*) Potentiorem scilicet amplectentes, Iuris aut æquitatis immò & fidei parum memores. Causam defectionis Heda innuit quod nempe destituisset eorum Sculterum; quæ frivola sanè, nec ratione caruit.

k *Decanus major,*) Is Iohannes Proëys Iacobi frater qui anno. C. 1438. decanus electus à Diepholdio Episcopo eo munere privatus anno 1449. erat, Eodem autem mortuo, pristinam dignitatem recuperaverat.

l *Vbi conventum est his conditionibus,*) Supersunt hujus concordiæ literæ, sed quâ fide ea sit servata sequentia satis superque indicant.

m *Pro Nobili Wilhelmo de Montfoort*] Filius hic Ludovici Montfortii Fratris Iohannis Burchgravii, ex Beatrice Gaverena, qui fratrem habuit Dominum Iohannem Montfortium equitem Accoy & Hazerwoude dominum, vixit autem in hâc præpositurâ ad annum C. 1514. quo successorem habuit Adrianum Florentium, postea Pontificem Rom. De hac resignatione aliter sentiunt Chron. vulgare Holl. & ex eo Petitus, Huterus rer: Bur. lib. 4. Fr. Haræus in Philippo Bono. Sifridus Append. ad Bekam. Chron. Belg. Mag. Electum nempe retinuisse Præposituram Oudemunsteranam.

n *Demum quisque privatis suis consulebat rebus,*] Vetus hæc querela, quæ nondum cessat, jurene an injuriâ, rerum periti judicare possunt.

o *Vir utique omni honore dignus,*) Hic plenis velis auctor noster in laudes Davidis fertur, sub Burgundionum nempe dominatu vivens, ut & plerique scriptores alii: Sed ejus vitia Bockenbergius non tacuit, & res ab ipso gestæ, quarum memoria publicis monimentis conservatur satis loquuntur.

p *Fovit & doctos ingenia,*] Sifridus Petri in Appendice ad Chron. Bekæ: *Sacerdotes ac studiosos liberaliter fovit.* Bockenbergius, *Laudatus ob pietatem, & in doctos viros liberalitatem præcipuam*, Noviomagus: *Studiosorum doctorumque virorum Mecœnas liberalissimus.*

q *Barbaricas consuetudines abrogavit,*] Ius enim Gallicum & Burgundicum primus introduxit, multâque ex antiquitate reliqua mutavit.

r *Iudicium corrumpebat, &c.*) Hic Heda gravius in judicandi mores ejus temporis invehitur, quàm par est, & si fortè corruptelis forum tunc patuit, minus tamen diuturna erat litium prosecutio, quæ nunc vix finem inveniunt, & infinitis exceptionibus, dilationibus, sycophantiis, ambagibus dominos suos exercent.

s *Quod populus indignè ferens,*] Nempe inveteratæ consuetudines magnam vim in animis hominum possident, & à semel imbibitis moribus discedere velle, injuriæ vicem sustinet.

t *Malens timeri quàm amari,*) Contrarium bono principi & utilius & salubrius est; à tyranno verò auditur illud: *Oderint dum metuant.*

u *Quintiduo in urbe mansit,*] Pro quinque diebus (Snoyus, Chron. populare; alii octo dies Burdum in urbe hæsisse volunt) sic Decendium & Octiduum alio loco pro decem & octo diebus.

x *Enutris, inquit, lupum qui oves tuas devorabit,*) Memorabile ingratitudinis exemplum Lud. XI. ejus nominis Francorum Regis, cujus non unus scriptorum meminit; videantur Snoyus lib. 12. hist. Hollandicæ, Gaguinus in Ludovico XI. Meyerus Flandr. lib. 16. ad annum 1456, Huterus Rerum Burg. lib. 4. in Philippo Bono, & alii.

y *Iacobus Princeps de Gaesbeeck,*] Baro de Gaesbeeck; dominus de Wijck, Abcoude, Putten & Stryen; Senescalcus hereditarius Hannoniæ, ultimus suæ stirpis.

z *Anno 1461. Paratur expeditio in Turcas,*] De hac expeditione præter scriptores Pontificum Rom. meminerunt Meyerus, Huterus, Haræus in Philippo Bono, Gaguinus ad finem Caroli VII. Franc. Regis, Bonfinius Rerum Hungaricarum Dec. 3. lib. 8, Chron. magn. Belgicum. Rubeus hist. Ravenn. libro 7, Io: Gobelinus de rebus gestis Pii II. P. R. libro 12. ad finem, M. Ant. Sabellicus Rapsodiæ hist. Ennead. x. lib. 6. Idem hist. Venetæ Dec. 3. lib. 8. Petrus Iustinianus historiæ Venetæ libro 8, Paul. Æmylius hist. Franc. libro 10, & alii infiniti.

aa *Extremæ traduntur internecioni,*) Haudquaquam id factum si verum est, respondet cognomento Boni: ut nec quod Leodiensibus vi obtruserit Episcopum minorennem, quod Iacobam Bavaram sanguine sibi junctam spoliaverit bonis, quod Davidem fil. nat: vi in Episcopatum Trajectensem contra legitimè electum Bredenrodium intruserit, & quod Ioannam virginem à suis captam Anglis vendiderit. Verùm ad Dinantenses quod attinet, Gaguinus diruisse quidem illum oppidum, sed incolas in exilium egisse tradit, vide quæ de destructione Dinanti Chron. Belg. magnum, Meyerus in Flandri-

Flandricis, Sifridus Petri in Ludovico Borbonio Episcopo Leod. scribunt.

bb *Moritur dux Brugis,)* Annus mortis fuit 1467. 16. Kalend. Iulii vel 17. Iunii ut scribit Snoyus lib. x. hist. Holl. circa finem, sed die Vito & Modesto, ut hic noster, sacro, id est, 15. Iulii. De anno omnes, quos vidi, concordes sunt; in die discrepant: quidam prid. Id Novembris, alii 17. Kal. Augusti, plures iique certiores 15. die Iunii Philippum obiisse tradunt, inter quos Oliverius de la Marche, qui tunc in ejus familiâ vivebat, quem sequuntur auctor Chron. vulg. Holl. & Tilletus, nonnulli in sequentem diem rejiciunt.

cc *Praeficiens Magistratum pro nutu,)* Ut supra dictum populo Trajectino libera à longo tempore potestas fuit constituendi sibi magistratum: proinde neque Pontifici, neque ulli alteri id competebat. Sed forte cum plures in urbe Praepositus sibi haberet addictos, eisdem suos ille commendare potuit. Eligendi autem per fabas (quod **bonen** dicebant) ratio valde erat obscura & incerta, ne scilicet ibi ambitus locum habere posset.

dd *Ad locum dictum Voscuyl,)* Non procul Amersfordiâ, **achter berch**/ ut vocant, qui videtur dedisse nomen familiae Traject. ex quâ prodière Henricus Lub. F. anno 1407. in scriptis relatus, Henricus alius anno 1437., Everardus Vosculius anno 1450.: item Petrus qui anno 1452. interfuit contractui matrimonii Rudolphi de Baern cum Aleyde filia Domini de Schoonauwen, D. Harmannus Vosculen anno 1454. Elisabetha vestalis Servatiana, ab iis quoque videntur in urbe aedes de Voscuyl nominatae. Invenio item quatuor houvas in Voscuyl, in Iurisdictione Rhenensi sitas, anno 1383.

ee *Adulphus Dux Geldriae captivavit Arnol. patrem,]* Hoc titulo nondum dignus patre vivente, illustre in hoc Adulpho Egmondano impietatis exemplum, quod etiam tristis illius exitus probavit, simile extat in Wilhelmo Bavaro qui matrem Hollandia, Zelandia, & Frisia spoliavit.

ff *Qui duxerat sororem uxoris Caroli,)* Burgundi nempe, Aquilius in Chronico Gelr. *Adolphus, capto Patre, anno 1465. duxit Catharinam Borboniensem, cujus soror Carolo Duci Burgundiae tradita fuerat.* Tesmakerus hanc Margaretam nominat, contra mentem omnium quos vidi scriptorum, qui uno ore Catharinam appellant. Caroli primi ejus nominis Bourbonii Ducis, & Agnetis Burgundae (ut habent SanMarthani fratres) filiam. Vide Pontanum in Gelricis, Huterum in Burgundicis, Meyerum in Flandricis, quaeque Cominaeus & Lipsius memoriae tradiderunt.

gg *Cum aliis quinque.]* In MSS. nominantur Iohannes Arnoldi, Bernardus Proeys Iacobi F. Bernardus Proeys filius Alberti, Bernardus Proeys F. Scholastici Traj. Iohannes Schinckel, Henricus de Abcouda, Gisbertus Taetz de Zulen, & D. Rudolphus Proeys fil. Iacobi Can. Traj. At hi sunt numero octo.

hh *Goeswinus Suffraganeus ord. Carmel.)* Invenio in meis schedis Gooswinum dictum Haex, Carmelitam Vicarium Episcopi Trajectensis, qui obiit anno C. 1475. ultima die Martii, ut patet ex ejus Epitaphio, quod extat in choro templi Catharíniani, quo in loco monasterium sui Ordinis hominibus construere inceperat.

ii *Capiuntur Praepositus major cum Praefecto de Bredenrode,)* En principis promissa & simulatae blanditiae, nempe *Latet alta mente repostum*
Iudicium &c.
Vindictaeque cupiditas jam excocta suo se tempore prodit: nec unquam deest malevolo animo suspicionis praetextus, aut quiescit aemulationis persuasio Εἷς κοίρανος ἔστω. *Omnisque potestas impatiens consortis*: Nec una cathedra duos patitur Episcopos.

kk *Suspicione veneni,]* Bockenberg: Ex vino corrupto laesâ valetudine eum contraxisse morbum scribit.

ll *Et licuit Advocatis asserere eos perperam pronunciasse,]* Hic notat Appellationis modum, antea incognitum, à Davide introductum, cum antea sine provocatione sententiae à judicibus proferrentur.

mm *Quae cadente Carolo etiam cessarunt,)* In MSS. quibusdam adduntur sequentia verba an. 1477. juxta literas Davidis Episcopi, datas 25. Iulii.

nn *Permisit Oppidum Iselstain cingi moenib.]* Tempore enim Iacobae Bavarae, ut supra traditum est, eaque permittente, erat omnino destructum ab Ultrajectensibus, qui summo illud odio habebant, propter vicinitatem, & quod ex eo plurimùm damni fuissent passi; dominis Iselsteinensibus addictioribus Hollandis, non obstante quod in solo Trajectensi situm esset.

oo *Ut Hagestein traderetur praef. Egmond. praeter consensum Collegiorum urbanorum,]* Hagestein in territorio Trajectensi situm, peculium erat primùm dominorum de Goy, inde Arkeliorum, qui cum Episcopos contemnerent, nec Hollandiae Comites revererentur, causam dedère confoederationis inter eosdem ineundae, & bellum Arkeliis inferendi, in quo alacres & promptos se praebuêre cives Trajectenses; quare cautum fuit Civitati ut Hagestein & vicina oppidula ex Arkeliorum manibus extorta, penitus demolirentur, nec ullo tempore restaurarentur; quà de re extant literae Alberti & Wilhelmi Comitum, in haec verba:

AElbrecht byder G. G. Palsgrave opten Rijn/ Hertoge in Beyeren/ Grave te Henegouwen/ Hollant etc. Ende Willem van Beyeren Grave van Oisterbant/

vant/doen cond dat wy ghelooft hebben ende geloven by desen / voor ons ende onsen nacomeren / der Stadt Utrecht / alse waer dat saecke dat wy ende onse vrinden wonnen eenich van Haghensteyn / Eversteyn ofte Leerdamme / datmen dan die rechter voort neder legghen soude / ende nimmer weder op timmeren/noch te laten timmeren op de steden nochte op geen steden inden selven Lande / nochte in den selven Lande nimmermeer Tollen te leggen / ende de Bisschop ende dat Gestichte van Utrecht sellen hebben ende behouden die Heerlickheden hooch ende leech vander Leede / ende soe wanneer den Bisschop van Utrecht die nu is / ofte naemaels wesen sal inder tijt houden wille met seven stoilen dat de heerlickheyt vanden Lande te Hagestein die nu ter tijdt den Heere van Arckel besit / ende de Heerlickheydt vanden Lande van Haest-recht hooghe ende leeghe den Ghestichte van Utrecht toe-behoort / soo wes sy daer van houden / dat sellen wy ende onse naecomelinghen hem rustelicken laten behouden etc.

Ghegeven inden Haghe op Sint Jans avondt te mid-somer anno 1402.

Quod verò ab Episcopo territorium Hagesteinense traditum sit Egmondano; indicat liber Feudorum Trajectensium, qui illud postea vendidit Collegiis Cann. S. Martini & Salvatoris, juxta instrumenta venditionis & approbationis Frederici Badensis Episcopi Traj. quorum apud me extant exemplaria, pretio (ut ex apocha constat) 3400. librar. Holl. Ad rei totius elucidationem partem literarum venditionis adjungo, ut sequitur.

JOhan Grave tot Egmont Heer tot Baer etc. Stadt-houder Generael van Hollant/ Zeelant ende Vrieslandt/doen cond etc. Alsoe die E: Vader David van Bourgongnen in Gode Bisschop t'Utrecht by believe/ toestant ende consent die drie Staten des Neder-Stichts van Utrecht ons ende onsen Leenvolghers / overmits seeckere diensten ende weldaet wy dat Gestichte ende 't ghemeen Landt van Utrecht bewesen ende ghedaen hadden / ghegunt / ghegeven ende beleent heeft voor hem ende zijne nae-comelinghen Bisschoppen t'Utrecht/dat Landt van Hagesteyn mit allen zijnen toe-behooren/ dagheliren Gherechte/Renten/ ende op-comelinghen/ ende daer toe de commissie der hoogher Heerlickheydt aldaer te houden van hem ende sijne ghenaden na-comelinghen Bisschoppen van Utrecht / in allen manieren datmen Ghestichts Lenen mit recht schuldich is te houden / ghelijck die brieven ende verlijdingen ons daer of gegeven in't Jaer ons Heeren 1484. op den 16. Meert dat breder inhouden. Soo ist dat wy omme sonderlinghe merckelicke redenen ons daer toe porende vercocht hebben om een seekere somme van penninghen die ons den lesten metten eersten wel betaelt zijn/ dat voornoemde Landt van Haghesteyn mit allen zijn toe-behooren / ghelijck wy t'selve te Leen ghehouden ende ghebruyckt hebben etc. den Eerweerdighen HH. Deecknenen ende Capittelen de Kercken ten Doem en S. Salvatoris t'Utrecht/ ende of-staen gheheel ende all voor ons ende onsen Leen-volgheren tot behoef der voor-ghenoemde Heeren ende haren Kercken etc. Bidden ende begeeren daeromme oetmoedelicken den Eerweerdighen Vader in Gode/ Hooch-ghebooren grootmoghende Vorst Feederick gheboren Marck-grave van Baden / Bisschop t'Utrecht dese mijne vercoopinghe te willen gratificeren ende believen / etc. Orcond onsen Zeghel hier onder doen hanghen / opten 4. dach in augusto / anno 1510.

pp *Anno 1472. Apparuit cometes ingens*) Meminit hujus Chronicon vulgare; & plerisque olim persuasum Cometas malorum instantium esse indices; unde Lucanus vocat

—— Crinemque timendi

Sideris & terris mutantem regna Cometem.

Vide singularem eâ de re libellum Ambrosii Magyri, etiamsi Ericius puteanus eam persuasionem ex animis mortalium evellere conatus sit libb. 2. editis.

Depositio

qq *Defuncto eodem præfecto*) Nempe de Gaesbeec: satis igitur carè empta castra illa, improbitate potentiorum; quinquies enim fuêrunt redempta: ut Heda infra in Fred. Badensi ad principium indicat.

rr *Anno LXXIII. Convenerunt Treviri Freder. Imp. & Car.*,) Meminit hujus congressus Barlandus in Carolo Burgundo; & plenius describit illum Huterus lib. v. Burgund. in Carolo pugnace, ex epistola Rudolphi Agricolæ: nec præterit Meyerus 17. Annal. Flandr. Locrius etiam & Haræus attingunt.

ss *Inhibuit Trajectanis ne Venam effoderent.*) In limitibus Goylandiæ & Mydrecht jacentem, ubi sæpius inter Hollandos & Trajectinos disceptatum fuit quod consultationes eâ de controversiâ habitæ docent. De his quoque paludibus, quas vulgus venas appellat, extat diploma, supra in notis expressum, Conradi Episcopi, in quo de terrâ palustri in Everikesdorpe, Mydrecht, Furs, & Quadraginta houvis agit, præsente etiam Theodorico Hollandiæ Comite & inter testes laudato, ut paulò post ab hoc auctore narratur.

tt *In vico Moreto & Gransona*,) Munsterus oppidula nominat Gransen & Murtam, & primum à Burgundo apud Gransen (Gransoniam vocat Barlandus) prælium pugnatum tradit, alterum apud Murtam.

uu *Carolus occiditur quinta Ianuar.*) Nonis Ianuarii anno 1477. tradit Huterus, & cum eo Bockenbergius, Haræus, Locrius, Chronic Hollandiæ. Cominæus, Io. Nauclerus, Paraleipomena ad Chronic. Vrsperg. Vb. Emmius & plerique scriptores. Meyerus autem Flandr. rer. lib. ult. prid. Epiphaniæ cæsum anno 1476. scribit: cui videtur adstipulari Barlandus in vitâ Car. Audacis; cujus hæc sunt verba. *Annus ille quo Dux tam nobilis ante Nancium cæsus est fuit, h. sal.* 1476. ita colligit Sabellicus. Alii duos adjiciût, rursus alii quinq; subtrahunt annos. Varietatem hâc demiror in re adhuc recenti, cû Sabellico vulgus côsentit. *consentiunt natu grandes, quorum memoria res accidit.* Ipse etiam Oliverius de la Marche, qui Duci adfuit hoc bello, necis Caroli septuagesimum sextum annum præfert. Verùm hanc discrepantiam ex diversâ ratione annum inchoandi oriri puto; cum quidam annum à Ianuario, alii autem à Martio incipiant. atque ita fit ut his Ianuarius inter postremos menses habeatur, qui illis sit primus.

xx *Volunt continuè illi fortunam arrisisse*,] Semper elatio ac superbia præcedit casum, quod infinitis exemplis doceri posset, nisi quotidiè nimis quàm multa se oculis nostris offerrent.

yy *Iohannes Bosbusen superveniens &c.*) Gravissimæ hujus exactionis contra clerum & monachos institutæ facit mentionem Chronicon Holl. vernaculum divis. 30. capp. 189. 191. Boshusius autem à Gouthouvio in tab. geneal. Nob. Hollandiæ sic depingitur. Dominus Iohannes Boshusius Florentii F. eques, promus condus & à consiliis interioribus Ducis Caroli Burgundi, vir strenuus & militaris, qui navali bello contra Comitem Warvicensem Anglum præfuit, & Duci in obsidione Nussensi adfuit, dicebaturque vulgò **metten witten Valck.**

zz *Vnde creditum quod paulò post &c.*] Hæc de sacrilegis, persuasio in animis hominum, non tunc primùm nata, sed olim etiam apud Ethnicos firmata fuit. Nam Gallo-Græci cùm templum Apollinis spoliassent, deleti sunt Persæ, cum Græcorum phana diruissent, ab eisdem devicti & fugati sunt. Pompejus magnus postquam sacrum thesaurum ex templo Ierosolimitano abstulisset, minus faventem habuisse deinceps fortunam dicitur: & similia passim exempla occurrunt.

1 *Franciscum in cunabulis defunctum*,) post hæc verba in MSS. quibusdam leguntur sequentia hic omissa. *Eodem anno occupavit præfectus Monfortensis Trajectum*, quæ verba incommodè posita, nec vera sunt: Nam cùm Episcopus multa quotidie contra libertates & privilegia mutaret, & Magistratuum ac civium jura violaret; & propterea ad eum querelæ nequicquam delatæ fuissent, Trajectenses Monfortium sibi præfectum & capitaneum elegerunt, remotis judicibus præter morem introductis. Atque inde primum dissidium ac post bellum cû Antistite exortum, ut in Chronico Holland. divis. 31. cap. 5. satis exprimitur. Etsi Hedà Episcopo addictior hic interdum à vero deflectat; & Basinus olim Lexoviensis in Gallia Episcopus à Ludovico XI. Rege pulsus (cujus fragmentum historicum MSS. de hoc Davidis & Trajectensium dissidio; mihi à Cl. aliquoties supra nominato M. Gisberto Lappio à Waveren IC. communicatum fuit) nimio partium studio Burgundis patronis suis pignoratus plura in favorem Episcopi non absque convitiis in Trajectenses tradat.

2 *Nisi sunt oppugnare vallum Traject.*) Hanc expeditionem Hollandorum, ducibus Iudoco Laleinio & Iohanne Ranstio susceptam, cladem quoque ipsis à Trajectensibus illatam, describit Snoyus libro 12. hist. Holl. nec obliviscitur Chron. Hollandicum. Numerus cæsorum exiguus fuit in summâ confusione fugientium, nam Annales lx. in fugâ cæsos tradunt, plures submersos addunt schedæ à Nobili viro, rerum patriæ suæ perquam studioso D. Adriano Winsemio Toparchâ in Hoencoop & Hemstede olim mihi traditæ, ex cujus monimentis, si Deus ipsi in hæc tempora vitam prorogasset, multa ad has notas conferre potuissem, quæ cum ipso nunc sepulta jacent. In iis reperio 220. captos inter quos plures ex ditioribus Hollandiæ; Annal. c. tantùm referunt; habeo & exemplar literarum de hâc clade & captivitate suâ à Phœbo Dousa Leidensi ex carcere ad suos scriptarum. *Omnia quoque bellica instrumenta & signa oppidorum* (ut scribit Snoyus) *in potestatem hostium pervenerunt.* De lignis solenniter suspensis sic patriâ linguâ loquuntur schedæ supra nominatæ; **De wimpelen werden met Processie op Sint Martins avont inde Bury-kerck ghebracht upt Keyserrijck / ende gehangen boven onse L. Vrou ter Noot / daer waren de Borch-grebe / Heer Vincent van Swanen-**

Swanenburch/ H. Sweder van Montfoort/ H. Willem van Wachtendonc/ H. Dirck van Zuylen vander Haer/ Hendrick van Nievelt / Jan van Lanſcroon/ Bernt van Everdingen Borgermeeſteren/ Harman van Zijl/Bertolomeus Coe-voet/ ende elck Overſte hadde zijn ſilvere covel aen etc.

3 *Amiſſis 500. civibus & ſupra 300 captis,*) Snoyus lib. 12. ſuæ hiſtoriæ, numerum cæſorum millenario auget inter quos Bernardum de Everdingen & Stephanum de Zuylen nominat. Chron. Holl. cum Hedâ facit. Schedæ MSS. 600. habent, omnemque rem accuratè narrant ſeqq verbis: Op Sint Stevens dach tooch die Stadthouder met zijn Capiteynen ende ontrent de vijf duyſent Ruyteren ende Knechten / ende branden Weſtbroeck / het heyr in 3. deelen deylende/ waer van het gheruchte binnen Utrecht comende werden de Ban-clock gelupt/ende de Borgeren ende Ruyteren liepen na de Weſt-broeck ſonder Ordinantie/ ende by het Dorp comende verſamelden haer/en wilden de Hollanderen aentaſtē/ meenende daer met een heyr te zijn/ dan als ſy op't Veen quamen ſaghen de andere twee heeren / wanneer Aernt Ruyſch riep/ weerom/ dat volck is ons te groot/ waer op Vincent van Swanenborch ſeyde / laet ons blijven ſtaen/ want vlieden wy / ſoo zijn wy alle doot ofte ghevangen / maer zijn ſeggen mochte niet baten/ de Borghers gaven hun op de vlucht / doe de Ruyters dat ſaghen / liepen ſy mede na Utrecht/ 't welck ſiende de Hollanderen vervolchde ſy de vluchtige ende ſloeghenſe doodt/ tot aen Schulpen / ende daer blevender veele / die ten deele by de Lollers ende Jacobijnen in Weſtbroeck werden begraven / ſommighe worden binnen Utrecht op de Noyde ghebracht/ ende daer van hare vrinden/Vrouwen ende Kinderen ghehaelt om ter eerden te brenghen / ſulckx dat wel ontrent de 600. ghetelt worden / ende daer werter ontrent 50. ghevanghen etc. Daer bleven doen verſlagen Bernt van Everdingen Overſte Borge-meeſter/ Aernt Ruyſch Borger-meeſter/ Steven van Zuylen Overſte Ouder-man / Jacob Sloper / Aernt van Amerongen/ Claes van Zijl / Matheus de Craen/ Willem van Roijen. Baſinus etiam circiter 1500. peremptos ſcribit. R. Agricolæ verò, qui circa hæc tempora vivebat, in Epiſtolâ ad fratrem Ioannem hæc ſunt verba: *De Trajectenſibus ingentia mendacia fuère hic peracceptarum & illatarum cladium: nunc poſt omnia fuit hic tabellarius Ducis Clivenſis, qui dixit, in eo tumultu, de quo ſcio te audiviſſe, quum tot occiſi dicerentur, non plus ducentos quinquaginta, captos vel cæſos: reliqua omnia ficta eſſe.*

4 *Sequenti anno recepêre Trajectani Vianam Vincentio, &c.*] Bockenbergius in Walravio II. Brederodio, ſcribit Giſberto Beeſdio procurante, Vincentium Suanſburgium viribus Ultrajectenſium adjutum, oppidum atque arcem Vianenſem expugnaſſe, divitum ædes diripuiſſe, arcemque expilaſſe maximaque damna omni territorio intuliſſe. Et Walravium tandem poſt 4. menſes Vincentio ut exiret ſummam 6000. flor. Rhenenſium, illi ab Ultrajectinis debitam, traditâ eorum ſyngraphâ, ſoluiſſe. Baſinus, ſuo more, cum hanc rem narraſſet dominum loci 3000. flor. oppidum atque arcem redemiſſe tradit. In ſchedis ſupradictis res plenius deſcribitur.

5 *Antea pro homine perfido habitus,*] Huic, (ut patet ex Elencho feudorum S. Pauli) fuit uxor ex Nieveldiis Sulenis Iuſta Bartholomei filia, Arnoldi Reneſſii vidua qui tam honorabiles nuptias proditorio hoc ſcelere contaminare: & beneficium præfecturæ ſibi collatum tam improbè rependere veritus non fuerit; Heda hoc uno folio bis taxat Hollandicam fidem venit, primò eorum qui pugnâ Vreſvicana capti & ſub fide dimiſſi, ejus immemores reperti ſunt: & inde hujus perfidi transfugæ & proditoris, quem tamen Chronici vulgaris auctor excuſare videtur.

6 *Præfectus in Naeldewijck occupat,*&c. Hanc rem Snoyus ad finem libri 12. enarrat plenius, nec tacet crudelitatem Laleinii ac Egmondani in recuperando oppido Hornenſi adhibitam. Quem verò hic noſter præfectum in Naeldwijck vocat, is fuit Adrianus de Naeldwijck, ex eâ quidem familiâ, non tamen loci ejus dominus: Chronicon Hornenſe fratrem facit domini Naeldviceni, equeſtri dignitate conſpicuum: Chronicon vernaculum Hollandicum Henrici Domini de Naeldwijck, fratrem nominat. Bockenb. de Dinaſtis Egmondanis in Iohanne III. ubi de Horna oppido capto agit, capita Hamatorum Adrianum & Henricum Naeldvicenos fratres dicit. vide Geneal. apud Gouthovium.

7 *Niſi urbe prius data præda,*) Rem totam, ſed fuſius narrant ſchedæ ſupra dictæ. Baſinus quoque, ſed ſolito more convitia in Magiſtratum evomens.

8 *Henricus de Nievelt transſcendens mœnia,*] Hic Nobiliſſima Zulenorum familiâ natus, matre Odâ Montfortiâ proximè Burchgravium Montfortenſem attingebat, quem paulò ante ab Epiſcopo captum conſtabat. Id factum, ut tradit Baſinus, feriâ quartâ, quæ erat 7. Maji anno domini 1483. de nocte circa horam ſecundam poſt mediam noctem.

9 *Suis confringentibus portam,*) Fortè Inſulenſem, proximam vico Laurentiano, vel potius Pelliparioꝛum, qui vernaculè de Lauwers ofte Vellen-bereyders vocantur. Baſinus, Irruentes (inquit) Henricus de Nievelt & ſatellites quos de terrâ Clivenſi & Amersfordiâ ſecum adduxerat, neminem qui pro defenſione ſtaret in mænibus invenerunt, unde facile admotis ſcalis ad muros, obſiſtente nullo tranſcendere muros potuerunt. E quibus cum modicus numerus intra civitatem deſcendiſſet, fertur quod parvulam portam ſeu oſtium per quod præparatores coriorum ad foſſam civitatis & aquam exire conſueverant, aperuerint, & per hujuſmodi foramen ſeu oſtium turbam ſociorum ſuorum intromiſerint.

10 Hollan-

10 *Hollandini retrocessêre,)* In MSS. codd. Hedæ sequuntur hæc verba: *Eodem die Magistratus cum Burchgravio de Montfoort illos, quos 21. Aprilis in vincula conjecerant, ex portâ S. Catharinæ (custodiendis captivis tunc destinata) liberavit. Et Dom. Engelbertus de Clivis, comitatus centum armatis Amersfordianis, civitatem Trajectensem intravit.*

11 *Infami curru, quo fimus evehitur,]* Teutonicè **een mist-wagen** dicitur, quo Episcopus captivus Amersfortiam ducitur. Nimìs ignominiosè id quidem, sed quid aliud ab hostibus irritatis cæde Ducis sui, & quos ante in se factis suis concitaverat, expectaret? Quin & Basinus Episcopo summè addictus in hæc verba, postquam ejus & suorum captivitatem pluribus retulisset, erupit: *Unde, ut verum fateamur, pensatis rerum circumstantiis, hi qui irruptionem fecerunt, civili victoria valde clementer usi fuisse videntur: nec sanguinarii fuerunt, ut ad cædes usque eorum, præsertim quos se exosos maximè habuisse sciebant, procederent, imò nec ad domorum nisi paucarum direptionem* &c. Rod. Agricola rem paucis attingit in Epistola ad fratrem his verbis: *De Episcopo David, ut captus sit, pridem audivisti scio. Conventus publicus est Amersfordiæ omnium oppidorum Diœcesis: miserunt nostri hodie mane duos illuc Assuerum Eater & Garmodum Allema, qui à reliquis oppidis Diœcesis enixissimè ut id facerent, rogabantur. Credo David Episcopatu cessurum. Dux Clivensis & Maxemilianus iisdem Legatos suos ad componendas res suas Buscumducem miserunt: cito pax erit, quantum video, aut in atrocius quàm unquam bellum res erumpet.*

12 *His allectus Maximilianus,)* Obsidetur Ultrajectum instigatione Factionis Asellanæ, nihil non offerentis, ut principem eò inducerent, ac civitate potirentur. Sed Basinus palpum ubique obtrudens Davidi, omninò omittit machinationes Hollandorum ab Heda paulo antè expressas; & *Maximilianus pissimo pontifici* (verba ejus sunt) *compatiens, collecto valido exercitu, circiter ad 2000. equitum & x aut xii. millia peditum ipsam civitatem obsidione cinxit, non quidem ex omni parte, sed ex eâ maximè unde obsessis annonæ subsidia, vel succursus solatia provenire potuissent,* &c.

13 *Iam quarta erat obsidio quam Traj. sustinuêre,]* Prima enim est facta à Danis & Normannis, à quibus non tantùm obsessa, sed & destructa est urbs; altera à Theodorico VI, ut volunt, Hollandiæ Comite, tempore Heriberti Episcopi: Tertia à Guilielmo IV. Holl. Com. sub Arkelio Antistite. Quarta hæc à Maximiliano Austriæ Duce sub Episcopo Davide.

14 *Et cuidam Bernardo Scoel conscio doli,]* En nova perfidiæ Hollandicæ sive verius Asellanicæ factionis materies, quod dicerent serius advenisse pacificatores, induciis expirantibus: Populare Chronicon apertius rem narrat, ac deliberato ante consilio insidias structas detegit. Basinus verò tacet. Nihil enim obstante Saluo-conductu (ut vocant) vel securitatis diplomate Engelbertus Clivensis & alii Montfortium (qui de insidiis monitus se subduxerat) expectantes custodiæ mancipati sunt, non sine tanti Principis infamiâ, aut nominis labe, factiosorum illorum culpâ, relictâ.

15 *Iodocus Hollandiæ Præses multùm infestus Traject.]* Scilicet Laleinius Hannoniensis, hic cum tormentum majus (ut habent Annal. Holl.) in colle molendini erigi curaret, à duobus civibus simul collimantibus sclopeto ita vulneratus est, ut altero post die de vitâ excederet, & perfidiæ pœnas civibus daret. Locus ubi is vulnus acceperat cruce lapideâ notatus, quæ, me puero, non ita procul Portâ Albanâ spectabatur. Dies obitus ejus notatur prid. Nonas Augusti 1483. Chron. Holl. sequentem diem indicat, postridie quàm vulnus acceperat.

16 *Tum cœptum tractari de pace auct. Archiepiscopo Iuvaniensi,]* Annona tum deficere incipiebat, & cives continuis vigiliis armorumque exercitiis lassabantur; cum archipræsule autem rem tractabant Wilhelmus Arenburgius & Vincentius Swanenburgius. Basinus hanc rem cap. 8. libri sui 6. ita exequitur: *Advenerant tunc ex Austriâ ad Principem à patre suo legatus Ven. Prælatus Archiepiscopus Strigoniensis in regno Hungariæ & cum hoc Archiepiscopus Saltzburgensis. Qui cum rogatu Legatorum civitatis pacis se sponderet futurum mediatorem, certo sibi honorario expromisso, apud benignissimum principem non difficulter pacem civitati, certis legibus, obtinuit. Duravit autem obsidio paulum ultra duos menses, & facta est ipsius civitatis deditio dominicâ primâ mensis Sept. quæ tunc erat ejusdem mensis sexta dies.* De hac obsidione Chronicon Vernaculum, Snoyus, Gerardus de Roo, Huterus, Haræus, Pontanus, videndi.

17 *Intromissis Gallis nulla fiebat solutio,]* Quæ hic narrantur, satis superque indicant vatinianum Asellanorum in Trajectenses odium; & quàm parum Princeps Max. promissorum suorum fuerit memor, quem Hollandi factionis ejus asseclæ ductabant quò vellent.

18 *Sixtus Episcopus, &c.)* Hic fuit ejus nominis quartus P.R. qui obiit anno C.1484. Idibus Augusti, ut auctor est Onuphr. Panuinus, quando Baptista Zeno Venetus Episcopus Vicentinus erat Card. Episcopus Tusculanus, & Ioannes Balves Gallus Episcopus Andegavensis dicebatur Card. Episcopus Albanensis, quibus fortè Pontifex causam Trajectensium discutiendam, ut hoc ipso instrumento patet, tradiderat.

19 *Engelbertum de Clivis,)* Hunc Ioannis primi Ducis Cliviæ filium postea Neversii, Auxerræ, Rhetellii & Estampii Comitem dicit Huterus in lib. Genealogico & à Lud. XII. Francor. Rege primum Neversii Ducem factum. Tesmakerus eundem quoque Comitem Nivernensem vocat meminit ejus etiam Pontanus in Geldricis & ante eum Snoyus MSS. lib. 12. hist. Holland.

20 *Pulsatis campanis & accensis candelis,]* Excommunicationis ritus & formulas ad terrorem incutiendum excogitatas hic exprimit, vide Decret. part. 2. caus. xi. quæst. 3. n. 103. ubi modus & forma excommunicationis describitur his verbis. *Debent xii. sacerdotes Episcopum circumstare, & lucernas ardentes in manibus tenere: quas in conclusione anathematis projicere debent in terram, & conculcare pedibus, deinde Epistola per parœcias mittatur, continens excommunicatorum nomina, & causam excommunicationis,* vide Platinam in Gregorio VII.

Quo

21 *Quo tempore ordo Divæ Bigidæ Trajecti,)* Eo in loco, ubi antea anno 1378. fundatum hospitale S. Mariæ ad Vineam in valle veteri, vulgo **de oude delle** / sic enim tractus ille urbis, qui inter portas Telonariam & Albam intermedius, vocabatur: Constabat autem illud cœnobium ex viris & mulieribus, quorum ordo initium tum non multò ante ceperat. Fuêre duæ ejus nominis, prior Scotica, virgo quæ ante mille plures annos vixit, & cujus Beda, Sigibertus, Marianus, Ado, meminerunt & Martyrologium Romanum. Posterior verò vidua fuit Suetica quæ sub Gregorio XI. Papa Romæ anno 1373. ætat. 70. vivere desiit, cujus Revelationes typis Expressæ leguntur; hujus vitam descripserunt Surius & Jacob. Episcopus Lincolniensis, & Usuardi additiones & ad eas Molanus meminerunt: Vide de institut. hujus Ordinis Panorm. Abbatis Consilium 8.

22 *Celebre Xenodochium pupillorum,)* Illud initium habuit, ut hic sequitur, ab Everhardo Soudenbalchio ex antiquissimâ & notissimâ Civitatis familiâ à 450. annis celebri famâ cognitâ oriundo, Præposito Trajectensi ad Mosam; qui etiam ædes illas magnificas ex vivo lapide in vico tenebroso suis reliquit hæredibus, atque insuper dominia de Urck & Emeloort, insulas in lacu Australi magno nominatissimas.

23 *Capiebantur & ducebantur ad Dorestatum,)* His factis se non præsulem aut pastorem, sed Lupum ostendit; qui dissipabat & vexabat oves non protegebat. Sed præcipui malorum instinctores & fabricatores fuêre Egmondani Isselsteinenses, quibus altâ mente repostum incendium oppidi sui olim à Trajectensibus, permittente Iacobâ Bavarâ Hollandiæ Comitissa, factum.

24 *Concluserunt portam civitatis muniendam,]* nempe Catharinianam, quam arcis in morem munitam tenuerunt Hollandi, Davide connivente: De hac re ita loquitur Snoyus: *Quæ porta in arcis speciem communita, haud sine tyrannide, Trajectinis aliquot annis dominabatur.*

25 *Compertum est eos in cm. obligari,]* En regimen Episcopi jam restituti; qui malis usus consiliariis, antea in subditorum odium meritò incurrerat, & nunc famam suam prostituere posteritati videtur, utpote tyrannum agens non principem.

26 *Præfectus validam coadunaverat manum,]* De recuperatione portæ Catarinianæ ab Ultrajectensibus, qui impatienter Hollandorum dominatum ferebant, anno 1489, ut habet Chron. Holland. factâ sic Snoyus: *Trajectini tempus venisse rati, quo se rursus in libertatem vindicarent, portam D. Catharinæ pulso in suam deditionem redegerunt, aut saltem à Præside arcu (ut plerique volunt) aliquot nummis redemere:* Postrema hæc verba videntur parum convenire iis, quæ Heda & Chronicon Holl. scribit. Sifridus in Appendice ad Bekæ Chron: *Eodem anno* (nempe 1490.) *Trajectenses portam S. Catharinæ, quam Hollandi Asellati 7. continuis annis jam præsidio suo tenuerant, armatâ manu recuperaverunt.*

27 *Tandem fit pax,]* Intercessione Comitum Nassavii & Chimayensis ut Chron. vulgare Holl. Snoyus, & Sifridus Petri tradunt. At Snoyus Comitem de Thorel nepotem Maxemiliani in oppugnatione oppidi cæsum scribit: cum ejusdem nominis Comes in obsidione Trajectensi occisus dicatur.

28 *Thomas Bazinus Archiepiscopus]* Is Caleto oriundus 90. Lexoviorum Episcopus & Comes; Galliâ exul, Ultrajecti, ubi erat Davidi Vicarius, mortuus est: Hujus meminêre Meyerus rer. Flandricarum lib. 17, ad annum 1472, Gaguinus lib. 10. histor. Franc. circa princ. Andreas Dessellus in fastis Academicis Lovan. Gerardus Vossius de histor. Latinis lib. 3. cap. 8. Extat hodieque ejus in templo D. Ioan. Bapt. ante chorum, hoc Epitaphium:

Rothomago natus, à stirpe Basin nominatus
Thomas, Ecclesiæ qui pridem Lexoviensi
Præsul statutus, ac depost sorte minante,
Omnia quæ versat, præclaro Cæsariensi
Præfectus titulo, cogor ab hoc tumulo.
Sarcophagum cernens & me pia mente recensens,
Cæli sine morâ pro me Dominum precor ora.

Obiit anno à Nat. Domini 1491.
3. *die Decembris.*

Atque ita fallitur Gaguinus qui eum Iuris interpretationem in schola Lovaniensi, quod ad vixit, professum scripsit.

28 *Episcopus & Dux Lexoviensis civitatis Armoricæ.*] Lexovium hodie Lisieux, Normanniæ civitas Episcopatu celebris; cujus meminit Andreas Quercetanus in antiq: Urbium & Oppidor. Franciæ, lib. VII, cap. V, P. Merula Cosmogr. libro 3. in descript. Normanniæ.

29 *Armorici quasi ante mare,*) Merula libro supra Laudato: *Olim Armorica (cujus vocis latiorem fuisse notionem innuit Plinius lib. 4. Nat. histor. cap. 17.) fuit appellata, præcipuè quâ ad mare vergit, ubi nunc inferior est Britannia: Armor enim veteribus Britannis nihil aliud, quam ad Mare vel supra mare, ut etiam docet cum Lelando doctissimus vir G. Camdenus*, &c. vide Cæsarem, Hirtium, Ausonium, Ortelii Thesaurum Geograph.

30 *Marini morici teste Eutropio,*) Eutropius lib. 9. in Diocletiano meminit quidem Armoricæ sed nominis interpretationem non addit, in MS. Heda Mirop., ita legitur hic locus, *Murici Marini*: fortè legendum, Morici id est Marini.

31 *Qui omnes quos genitor,*] Id de eo etiam testantur Gaguinus, Meyerus, Serrius, alii & P. Æmylius lib. XI. hist. in Ludovico XI. Expressis his verbis: *Aulicos Patris in nullo honore gratiâve habuit. Toto fermè Regno Magistratus, Præfecturas, Munerum functiones in quibus aliquid dignitatis commodivè foret, repudiatis veteribus novis hominibus demandabat*, & in Compendio Regum Franciæ, Gallicè à Tilleto edito, in vita Lud. XI. videtur is ejus rei pœnituisse, ut verba sonant; *Il conseilla à son fils le Dauphin, qu'il ne changeast point ses anciens Officiers, amis familiers & serviteurs, & luy mesmes s'en estoit bien fort mal trouvé.* Atque id plerumque fieri videmus, etiam nostro tempore. Omnes qui Philippo III. Hispaniarum Regi in oculis fuerant, Philippus ejus filius à se amovit; & vel quæsitis vel oblatis causis, functionibus depulit: cujus quoque consilii tempestatem Larmiæ Marchio Patri ejus intimus sensit, & simul aulæ inconstantiam expertus est.

32 *Successivè tres pseudo-Episcopos intrusit,*) Nactus enim est Episcopatum Anton. Raguir qui anno 1482. vitâ functus est, reliquos vide apud Ioannem de Chenu de Episcopis Galliæ, & Claudium Roberti in Galliâ Christianâ.

33 *Postea N. demum Tr.*] Hic etiam in Miropiano Codice Lacunam reperi ut & in aliis MSS. quam supplendam voce *Treviros* me docuit Meyerus, qui Basinum Treviris fuisse, cum solemni admodum pompâ ibidem Imp: Fredericus & Dux Carolus Burgundus congrederentur.

34 *Aliqui evestigio membratim divisi,*) Quæ pœna proditorum; & fortè, vel ex urbe, vel ex principatu Trajectensi inter eos fuerunt, qui non indicto de more bello, proditorum & latronum ritu clam civitatem invaserant.

35 *Eodem anno creatur Traj. perpetuus Magistratus.*) Quod etiam ante plures annos tentatum, nam in templo Iacobæo tale legitur Epitaph: In't Jaer ons Heeren M CCC XC na sint Victoers sterf Her Dirck van Schoorenberch Erf schepen van Utrecht was. b. v. d. 3. sed nullo successu.

36 *Erexerat præfectus in Culemburch furcam,*) Aliquoties jam ante judicatum fuerat, nemini in territorio Traject. competere jus gladii, præterquam Capitulo D. Ioannis; Idque testati sunt prælati, nobiles Ministeriales tempore Guidonis Episcopi, & Gaesbekius professus est, ac de Montfortio & Loenreflotio intercessores pronuntiarunt. Hanc tamen litem Florentius primus Comes Culenburganus ex familia Pallantiorum nostro tempore resuscitavit, sed frustra; donec illud jus ab ejus filio proceribus nostris satis carè est venditum. Eaque emptio mysterio (ut creditum fuit) non caruit.

37 *Quod solum & unicum egregium,*] Hinc æstimare quivis potest, quid de Davidis regimine plerique semirent: quicquid illi, qui palpum principibus obtrudere solent, scriptum de eo reliquerint, omnia bona, prava, justa injusta superiorum juxta ponderantes.

38 *Comes Burensis &c.*) Is ex Egmondanis Isselsteini quoque dominus, qui quod Luscus esset à vulgo Trajectensium schele Gijs dicebatur, cum tamen Fredericus ei nomen esset, summus eorum inimicus, ut sępiùs factis ostendit, hic cùm insidiæ urbi à filio intentatæ malè successissent, existimans eum cæsum exclamasse fertur, *adieu* Floorken mijn soon.

39 *Exsolverentur 25000 aureorum,*] Snoyus numerum non exprimit, anno autem 1493. Frederico Fratri de Egmont, primo Buræ Comiti promissa fuêre ab Ordd. Traj. 13000. flor. Rhen. juxta literas inde confectas quoniam tamen aliquoties DD. de Egmont fit in hac hist. mentio, hanc stemmatis partem adjungendam putavi.

- Ioannes Egmondæ Domin. ex Guida Amstelia Isselsteine domina procreavit
  - Arnoldum Egmondæ & Isselsteinens. Dominum, qui ex Ioã Leiningani Comit. filia.
    - Ioannem Egmondæ Domini, qui ducta Maria Arckelia genuit
      - Arnoldum Gelriæ Ducem &c.
      - Guiliel: Egm. & Isselst. dominum cui uxor Walburgis Frid. C. Meursę filia, unde
        - Ioannes primus Egmõdæ C., maritus Magd. Frider. Co: Werdenb. fil: ex quâ
          - Maxemil.
          - Gulielm.
          - Ioã. secũdus Egmõdæ C.
            - Carolus.
            - L'Amoralius Com. Egm. Princeps Gaveræ.
              - Philippus
              - L'amoral.
              - Carolus.
          - Georg. Ep. Traject.
          - Philip.
        - Fredericus D. Iselstein prim. Buræ Com. cui ex Aleyde Culenburgana
          - Florent. Buræ Comes, uxor Margareta Cornelii Bergæ March. F. unde
            - Maximilianus Egmondanus Buræ Comes 4. Isselst. Lerd. dinasta. Eq. aur. Vell. ux. Franc. Langia
              - Anna hæres unica nupta Guilielmo Nassovio Aurangiæ Principi.
    - Guilielmus SL.

40 Sancti-

40 *Sanctimoniales ut se periculis subtraherent,*) Erat enim tunc incendio deformatum earum Monasterium; & militum quoque petulantiæ obnoxium, quare sibi compararunt novum juxta Vicum Gaesbecanum, qui nunc ab eodem monasterio, Hierosolimitanus vocatur.

41 *Cudit & monetam utique Legalem,*] Minorem tamen flor. Rhenensi, etiamsi apud ignotos pro tali expenderetur multorum damno: Unde & Præfectis monetæ in Oppido Rhenensi, vel Durestadio habitantibus, multum ea attulit compendii, quorum inde posteritas ditata, majorem ad Statum pervenisse dicitur.

Fredericus Badensis Episcopus LVI.

MEnse Majo sequente indictis Comitiis Philippus frater (a) Ducis Clivensis, Chori Episcopus Trajectensis ab Episcopo Monasteriensi, Duce Iuliacensi, nec non Comite de Benthem. Ex adverso Fredericus ex Marchionibus Badensibus Thesaurarius Coloniensis per Comitem Nassoviæ & alios Nobiles nomine Maximiliani Augusti, & Philippi ejus filii commendantur. Verùm Fredericus prævaluit, rejecto Philippo, nec unquam tot concordia suffragia visa in electione alicujus Episcopi Trajectensis, quæ ultra numerum octuagenarium ascendebant. Acclamatur itaque omnium voto Episcopus lvi. die festo Servatii, & festo Lamberti receptus cum magno applausu. Comitabantur eum Archiepiscopus Treverorum patruus, Marchio Badensis frater, & multi Comites & Nobiles cum magno equitatu. Tum elaboratum, ut arx Dorestatum recuperaretur ex manibus Philippi fratris defuncti Episcopi: Qui ingente pecuniâ acceptâ cessit. Hæc fuit quinta redemptio hujus arcis, quæ provinciæ multo plus dispendii quàm commodi attulit. Nam Præfectus de Gaesbeeck sub Rudolpho Episcopo illam vendidit servato usufructu, cui paulo pòst renunciavit pro xiv. M. aureorum. Tertio soluta fuere Anthonio Burgundo in utilitatem Præfecti Culenburgensis xiii. aureorum M. Quarto redempta fuit à Comite Burensi, qui illam tempore belli Trajectensis obtinuerat; Ex quo conjici potest, quam magno constitit hæc arx Provinciæ. Fredericus itaque Episcopus paternum genus ex domo Badensi, maternum verò Austriâ, hoc est, Frederici Imperatoris sorore ducens, vir omni virtute præditus, nisi quod sacris se rarò immiscuit, affabilis, benignus, & comis, magnificus in armis, ac splendidâ mensâ, provinciam tutandam in animo statuit, & illico gregarios milites, qui circum Trajectum vagabantur, terruit, atque abscedere coëgit; discordiam inter Comitem Burensem & Ecclesias atque Trajectanos composuit: non parum odii sibi ex hoc contrahens, quia favorabilius pro Comite, quàm aliis agere suspicabatur; unde posteà magni mali cepit fomentum.

Competitores Episcopatus duo.

Arx Dorostatensis quintum redimitur.

Elogium Episcopi.

Anno xcviii. Præfectus de Wisch antiquæ cladis suæ non immemor, gregariam (b) militum manum duxit in provinciam Transisulanam, cui Episcopus adjutorio Ducis Gelriæ statuit occurrendum. Tum egregium actum facinus per quendam Magistrum equitum dictum Bel (c) Gelrium, qui assumptis lx. duntaxat comitibus in hostes prorumpens, cœpit centum quinquaginta pedites. Paulo pòst Episcopus ac Dux appropinquarunt in hostem, ut oppugnarent: verùm peditatus se reddidit involuntarium recusans subire pugnam, nisi captivi relaxarentur, non absque eorum dedecore. Dux verò accensus ira, hortatur Episcopum, ut cum equitatu iuvaderent hostem quod & factum est. Duce ipso inter primipilares constituto. Unde cæsi, sparsi & fugati hostes, & usque ad mœnia Clivensia persecuti: Episcopus transfixis ex suis lxx. equis, paucis tamen viris desideratis, quos ceperat, jussit tanquam in latrones gladio animadverti, exercitum suum soluto stipendio dissolvens. Verùm superstites ex gregariis & Clivensibus, quod salutem penes ipsum invenerant, & Gelriæ Duci quod Episcopum juverat, has reddidere (d) vices, sunt qui & Episcopum notant alicujus ingratitudinis in Ducem Gelriæ pro beneficio accepto. Nam Dux Clivensis recolligens dispersos milites, duxit in Gelrium, & paulo pòst Gelrius eosdem sibi conciliatos duxit in Clivens. mutuis incendiis ac rapinis sese afficientes.

Expeditio Episcopi adversus præfectum de Wisch.

Demum anno xcix. idem Dux Clivensis pacatis rebus cum Duce Gelriæ, eosdem milites recuperans, duxit in Trajectanos ob propria debita contracta, dum fratrem ipsius postulassent;

Expeditio Ducis Clivensis in Trajectanos & Episcopū,

lassent. Episcopus id præsentiens misit ad Ducem, ut animum illius scrutaretur: cui respondit, se præter singularem amicitiam nihil habere commune cum eo vel suis. Verùm Trajectanos & Amersfordianos querebatur magno ære atque injuriâ sibi obnoxios. Rogans ut illos induceret ad reparationem. Trajectani verò atque Amersfordiani offerebant refusionem duplam se intra quadriennium exsoluturos, aut responsuros in judicio nobiliumve arbitrio. Dux autem obaudiens, & actionem graviorem irreparabilemque faciens, finem armis quærere statuit. Rhenanum oppidum per milites invadens. Qui tunc Episcopo fecialem cum scriptis direxerunt, hujus ut fertur sententiæ. Nos tres campiductores (designatis nominibus) tibi Episcopo Trajectensi, omnibusque tuis auxiliaribus auctoritate Ducis Clivensis indicimus bellum, propter debita per Davidem Episcopum, Trajectanos & Amersfordianos contracta; cùm tamen hujusmodi debita, non per Davidem, sed adversum illum contracta fuissent. Episcopus Fredericus, rem indignanter ferens, militem conscripsit, oppidum magnâ pecuniâ ab invasoribus redemit, eosque sacramento sibi in stipendium addictos in Provinciam Clivensem deduxit. Gennepum oppidum vi capiens, & circumquaque grassans, injuriam illatam vindicavit. Dux autem per nuncios sese visus est excusare, proponens submissionem in Philippum Austrium, Archiepiscopum Coloniensem, Ducem Iuliæ, aut tria oppida Transisulana, totidemque ex suis, & finaliter in fratrem ipsius Episcopi Marchionem Badensem. Episcopus autem provocatus conditiones omnes respuit, donec ex parte se suosque ultus esset, tum quæstio intercepta & sopita mansit.

Bellum à Clivensi indicitur Episcopo.

Episcopus redempto Rheno oppido ab invasoribus eos ducit in Cliviam, & Gennepum capit.

Episcopus nisi ultus, pacem non facit.

Orta posteà differentia inter Philippum Archiducem Austriæ, & Carolum Ducem Gelriæ præcipue super arce Oya & limitibus, quam uterque sibi vendicabat. Tandem conventum fuit illam sequestrandam in manibus ipsius Episcopi. Qui eam recusavit assumere inconsultis Ecclesiis, nobilibus & populo. Tandem sub magnis pollicitationibus, indemnitatis oblationibus, diu sollicitatus, quod utraque pars contribueret portionem justam pro præsidio constituendo, neque vi, neque dolo instarent, ad illam occupandam, & si secus contingeret Episcopo nihil imputarent, sed eum excusatum haberi debere, satis invitus illius custodiam assumpsit. Cumque multo tempore curam illius servasset suo ære, neutro illorum juxta promissum, licet sæpius ad hoc implorato, aliquid solvente, & fidem addictam frustrà non servari conquereretur; cupiens ab hujusmodi onere absolvi: Cornelius præfectus Septem-montium (Sevenbergam vocant) permissu (uti creditur) Philippi Archiducis, seu instigatione civium Silvæ-ducis (Buscumducis dicunt) cui arx infesta esse solebat, per industriam illam occupat, quam illicò demolitur. Unde inter Ducem Gelriæ & Episcopum magna discordiarum fomenta orta sunt, quæ ad vitam Episcopi perdurarunt, nec destitit Episcopum omni conatu persequi, licet in culpâ non esset. Nam arcem Kuynram, à flumine sive æstuario sic dictam, hujus occasione occupavit, quam recuperatam rursum invadere tentavit: impeditus per cives Campenses, qui auctores deprehensos cum armis capite mulctarunt. Nam antiquam Aulam, sive oppidum Aldensalam, cum Dieperhemâ vi expugnavit, quas Episcopus, validâ equitum ac peditum manu adjutorio Transisulanorum contractâ, obsidendo & expugnando recuperavit, armaque in ipsum Ducatum convertens circa Zutphaniam atque Arnhemiam, ipso Duce inspectante, incendia ac rapinas exercens, arcem munitissimam Woldam sive Saltum occupans vastat. Tandem interventu Trajectensium, qui solito more huic bello abstinuerunt, quæstio omnis intercepta per inducias, & concordia subsecuta. Conceptus etiam ex hoc tempore rancor inter Cives Provincialesque & Episcopum. Passus fuit idem Episcopus & aliud grave incommodum propter (e) petulantiam Groeningensium, sive Grunorum, qui divitiis affluentes cepere in locis vicinis dilatare imperium, multos vicos & agros provinciæ Frisiæ, contra omnem æquitatem sibi usurpantes, subjectos sub duro jugo, & barbaris legibus servire cogentes, quas longum esset enarrare. Unde sese cunctis reddidere exosos. Accidit interim, quod Albertus Dux Saxoniæ, Vicarius Imp. Maximiliani, Frisiis inter se discordantibus, per alteram factionem solicitatus atque adjutus modicis præliis illam subjugaret. Et quo eam jure queat possidere, oblectatus affluentiâ provinciæ, cum Philippo Austrio, magno ære in tuendis dominiis, illo puero, per Episcopum tanquam tutorem effuso, & idcircò sibi obligato, pepigit actionem ratione Comitatus Hollandiæ illi competentem in remittendo debita contracta, atque restituendo certa oppida, & loca in pignus tradita in se transferre. Factus hoc modo se-

Quæstio inter Archiducem Austriæ, & Ducem Geldriæ ob arcem Oyam.

Episcopus invitus sequester arcis Oyæ.

Arx Oya occupata à Brabanto, causam dat discordiæ inter Geldrum & Episcopum.

Interventu Trajectensium controversia inter Geldrum & Episcopum solvitur.

Groningenses sive Gruni petulantes in Episcopum & vicinos Frisios.

curior, applicuit animum ad distracta atque alienata à Frisiis recuperanda præcipuè territorium per Grunos violenter occupatum. Nam oppidum ad Ecclesiam Trajectensem ab antiquo competere, sicuti satis ex præcedentibus constat, Frisia æque sicuti Comiti competebat. Verùm Grunis pertinaciter Alberto Duci renitentibus, & magnis incommodis usque ad obsidionem affectis, cùm res eorum in angusto collocaretur, implorantibus ab Episcopo (cui quantum libet obediunt) suppetias: Præfectum Iustitiæ auctoritate Episcopi & Ecclesiæ sub modico penso per modum recognitionis sibi constitui permittunt, alias juris proprii. Dum conventus idcirco apud Hattemum oppidum inter Episcopum & illos indictus fuisset, eisque oblatum subsidium, modo contenti forent his, quæ ratione Ecclesiæ tueri possent, & se illis abdicarent, quæ juris essent Frisiaci, atque id ægerrimè ferrent, Wilhelmo quodam sacerdote primæ parrochię viro magnanimo, atque in magno honore apud eos habito, respondente, sese omnes malle lætanter colla submittere ferro, quàm possessis renunciarent. Sic dimissis atque cum indignatione retrocedentes ab Episcopo defecerunt, multo astu ab oppressione Alberti Ducis sese liberantes. Nam eorum instinctu, uti credebatur, Henricus filius Alberti graviter per Frisios rebellantes obsidebatur. Ad cujus liberationem pater descendens, tandem in expeditione, magno animi tædio, decessit. Filius nihilominus amicorum fretus potentiâ, & provinciâ in deditionem suam redactâ, acrius Grunos urgere cœpit. Qui Comitem cis Emam flu. qui Frisiæ Orientalis sibi titulum vendicat, Præfectum militię illius, uti ferebatur, tunc agentem, magnâ spe dominandi, atque præmiis sollicitatum in defensorem primò, demum Gelrium acciverunt, oppidum utrique dedentes, & valla pro coertione majoreque securitate construi patientes. At quo Gelrius suam ac Grunorum causam faceret meliorem, publicè per literas ad Status Trajectenses testatus est, se necessario adductum, ut hoc faceret, quo se atque illos à majore periculo liberaret, Episcopum incusans. Nam documenta publica se habere, per quæ satis constabat, Episcopum nisum oppidum Grunorum perpetuo ab ecclesiâ Trajectensi alienare, atque in potestatem majoris Principis tradere. Super quæ Episcopus palam testatus fuit, id se minimè cogitasse, sed conquestum Cæsari Maximiliano de defectione Grunorum ab Ecclesiâ Trajectensi, uti jactitabant, ipsius auctoritate, ut liberi deinceps essent, quod sibi permolestum esset tolerare. Et nisi ob reverentiam Majestatis suæ sub spe restitutionis omitteret, non permitteret eos inultos, sed cogeret ad deditionem. Hæc & similia ex exemplaribus literarum nobis ostensis constare poterant. Sic antiquus rancor inter Episcopum & Gelrium crebrò repullulavit, arx præterea Coevordia cum oppido ipsius per defectionem Præfecti illius Grunis uti credebatur authoribus, amissa rursum viribus Episcopi recuperata fuit. Qui tot cladibus affectus, jam viribus deficiens, & ex tibiâ laborans, cùm provinciam utramque cis & ultra Isulam externo milite opprimi cerneret, nec potentiæ illorum obsistere valeret, omni ære in defensionem profuso, pertæsus regiminis proposuit officio Episcopali renunciare, ex eo potissimùm, ut se de Trajectanis atque Provincialibus vindicaret, quos sibi infensos reddiderat, eo quod omnia sine auctoritate collegiorum ipsisque inconsultis agebat, exteros solum in consilio & administratione rerum admittens, raro aut nunquam se sacris immiscens, accessit quod multos sibi sanguine junctos, propter potentiam & factionem contrariam suspectos habebant. Unde cum esset magnanimus Trajectum venire rogatus, contempsit, insidias metuens. Auxit hanc suspicionem quod legationem ex Statibus Trajectanorum ad Vicum Dorestatum conscripserat; in quâ erant Præfectus Montisfortis cum principe (f) Gaesbeeck, atque Prælatis & Nobilibus, ex quorum numero eramus electi, & cùm propter aëris inclementiam eodem die instante vespere statutum fuisset in sequentem diem differre iter, ut in aurorâ currus ascenderemus. Ecce nocte intermediâ superingruit ingens militum vis; jussu Florentii Præfecti Saxi Isulani, uti ferebatur, ex inopinato, ut urbem occuparent, oportunitatem maximam nacti, propter ingens gelu, quo omnia erant pervia. Et verisimile erat urbem potuisse capi, cùm scilicet minimè suspicaretur, nisi Gelrii equites eis fuissent impedimento. Properabant enim per Veluam, qui illos à tergo aggredientes, currus machinis, tormentis ac scalis onustos ruptis funibus invadendo moram fecere progressus; Trajectanos interim celeri nuncio præmonentes. Illicò concurritur ad arma sine tumultu, & nox vincitur laternis ac luminaribus ante singulas ædes suspensis, nemo segnis, nemo impiger inventus, sed acriùs quisque incitabatur propter conatus inopinatos. Tandem pulsu campanę significatur bo-

Gruningensium ab Episcopo defectio.

Gruningenses sumunt sui defensorem primò Comitem Emdanum, deinde Ducem Geldrię.

Coevordia amittitur & recuperatur.

Inter Episcopum & Provinciam simultas.

Auctor noster inter legatos Episcopi.

Trajectensium ad defensionem strenuitas.

tur hostes appropinquare, qui sentientes insidias detectas, incendia per territorium ac prædas agunt in subjectos Episcopi: demum faciunt stationes juxta urbem, civium animos tentantes. Cœnobium Carthusianorum invadunt, suburbia juxta ventorum cursum flammis adurendo, quo illæ facilius in urbem pervolarent, sed superis faventibus & conscriptis, & intromissis equitibus aliquot Gelriis, quibus civium animi confortabantur, & metus omnis deponebatur, tandem illi cùm undique grassati essent, omni spe frustrati, moventes, castra fixerunt pridem in portu Rheni, dicto de Vaert/ quem in recessu igni etiam consumarunt, magnam crudelitatem in captivos exercentes, hoc facinus intorquebatur in caput Episcopi, tanquam conscii, nec admittebat populus excusationem ejus, licet ejus subjecti non paucis damnis fuissent affecti, quin legatio ipsa eo auctore debuisset intercipi unde adversus omnium animus: nam Trajectani cùm pro tantâ injuriâ repellendâ statuissent oppidum Saxi Isulani premere obsidione, querelis per provincias domus Burgundiæ ad oppida litteris de tantâ violentiâ expositis, monetam inconsulto Episcopo sub imagine Divi Martini, cum insignibus Ducis Gelriæ cudi fecerunt, ipsumque precibus & stipendio in adjutorium allicuerunt, voto tamen frustrati. Post arctam & diuturnam obsidionem dissolventes suppetiis pro ipso Florentio coadunatis jam imminentibus retrocessère. Margareta Maximiliani Augusti filia, cui administratio provinciarum Caroli Principis & nepotis commissa fuit quæstionem intercipiente & dissidentes concordante. Dum hæc agerentur, pulchrum accidit stratagema, oppidum Vicopastoris, alias Harderwick ad sinum meridionalem Frisiorum in Velua situm occupabatur præsidio Burgundionum, quod à Præfectis istorum militum, quos ad portum Rheni declinasse narravimus, per literas solicitabatur, ut ex parte se illis jungerent, egebant enim equitatu: interceptus fuit nuncius, & Trajectani atque Gelrii qui illis auxilio venerant, de hoc edocti, servato nuncio, literas per alium misère, spondente nihil imminere periculi, & jam ocius ascensis equis, exeuntes in Gelriorum, per insidias latitantium, concidere manus. Illi evestigio explorati statum oppidi, quod vacaret milite illud, confluentes invasere. Amissum paulo post Tiela oppidum, quod in manu etiam erat Burgundiorum, credebatur enim conniventibus Burgundionibus hæc expeditio cogitata. Sic Trajectani sub nomine Gelriorum has reddidere vices per indirectum. Hoc modo Burgundionibus plus damni, & Gelriis lucri accessit, quàm ipsis Trajectanis. Et quo commodiùs Fredericus se abdicaret Episcopatu, consilio cujusdam Hermanni Hagen, cui nimium fidei tribuerat, usus est; is enim dudum in Galliis sub Philippo (g) fratre Ducis Clivensis Heduorum Episcopo, atque N. Principe (h) Saxi Corvini, sive Ravenstaino stipendia meritus, permisit sibi suadere, quod medio Regis Gallorum Trajectensem cum Mediomatricensi, sive Metensis ecclesiæ Episcopatu commutare posset: quam mirum in modum tanquam tranquilliorem in administrando affectabat: qui in eadem urbe aliquando enutritus, insuper & annuo stipendio à Rege ipso donaretur, Nec displicuit Frederico proposita conditio, quin Hermanno clàm secretissimis suis negocium peragendum committeret. Ille haud segniter intentus, quo & sibi consuleret, (erat enim usque ad publicam (i) notam avarus) simulat se privatis de causis ire in Gallias, pulcherrimis suffultus equis properat apud Regem Lugdunum, exponit commissa. Episcopus interim conscendit in Germaniam superiorem, asserens se voto Divæ Annæ astrictum & visendi fratrem, quo communicatio secretior & commodior in abstracto fieret. At Rex faciles fertur præbuisse aures, quo magis auctoritatem suam in inferiorem Germaniam dilataret. Nam hoc medio credebatur filius Ducis Lothariorum, nepos ex sorore Gelrii, ad Trajectensem pro ecclesiâ Metensi quam tenebat, posse pervenire. Verùm Maximilianus per amicos rescivit conatus Episcopi, & quid in Galliis tractabatur, unde irâ accensus, terruit Episcopum à ceptis desistere, nec decere ipsum sanguinis sui cum extero Principe in præjudicium Romani Imperii similia concipere, nec contentus, quo huic periculo obviaret, induxit partim suasionibus, partim minis ut Episcopatui ad ejus & Caroli nepotis nominationem sub annuo censu renunciaret. Quod cùm à Statubus (uti ajunt) quos hoc celaverat, intelligeretur, obtulerunt illi ex bonis Episcopalibus sufficientem alimentationem ad ejus vitam subministrare, & quod de successore suffragiis & votis collegiorum deligendo condescenderet, nec sponsam suam Ecclesiam desolatam relinqueret, aut prædę exponeret, tantumque effecère, ut Episcopus licet simularet cuncta, pœnitentiâ ductus, si potuisset, propositum mutasset. Sed de fide datâ per Legatos sæpius impulsus atque monitus, non nisi re conclusâ & perfectâ Status edocuit de successore, quos eatenus inani spe suspensos detinuerat. Is erat Philippus Burgundus, frater Davidis

Quæstio sopita auctoritate Margaritæ filiæ Imperatoris Maximiliani.

Stratagema egregium.

Tiela oppidum capitur.

Episcopus Ecclesiam cum Metensi commutare nititur apud Regem Galliæ.

Maximilianus & Carolus obstant conatibus Episcopi.

Intercedunt & deprecantur Ordines.

Davidis Episcopi ex patre, quod plerosque reddidit stupidos, alii vehementer indignari, alii favere visi, juxta privatam singulorum affectionem, Gelrio id non minus ægrè ferente. Philippus enim à puero nunquam institutus ad professionem Ecclesiasticam, plus se armis quàm literis exercuerat, ducemque in bello terrâ marique agens, diu Præfectus classis, quem Admiraldum dicunt, fuerat; cujus mores atque anteacta vita multis cognita, eo plerosque reddidêre admirabundiores. Verùm cùm illi, qui potissimum visi sunt indignari, persensissent jactam aleam: & Maximilianus atque Carolus proni essent ad complacendum futuræ publicæ utilitati: quo Philippus quietius in sede collocaretur, atque idcircò legatio destinaretur Bruxellas cum certis conditionibus paciscendis, cui & nos intereramus benignè auditi atque excepti. Interim, quo super bono publico tractaretur, omissa (k) causâ publicâ, contulerunt se ad Philippum in Zelandiâ sive maritimâ provinciâ constitutum cum celeritate, privatis suis rebus consulentes, & sic effectum fuit, quod publicis commodis postpositis, ubi prius de bello formidabatur, ipse in arcem Dorestati admitteretur, atque à Trajectanis magnâ pompâ exciperetur, multis proceribus comitatus, applaudentibus Transisulanis, contradicente nemine. Cœpit populus magnam expectationem in primo ingressu de illo, cùm se comem exhiberet cunctis, quem Rom. Pont. magno prosequebatur favore, contuitu Maximiliani atque Caroli, qui proprio ære, quæcunque necessaria crederentur, circa ejus promotionem perfici jussêrunt. Creditus est veterem exuisse hominem. Nam sacris se quam primùm curavit initiari, assumens personam religiosam magna spondere visus. Sed longè secus, quàm sperabatur, evenit, sive malo fato, sive incuriâ aut pravo consilio Episcopi nam primo ingressu arce Laga atque Oldensala in Transisulanis per Præfectos illarum hostibus traditæ, & de bello cum Gelriis ingens terror. Arces tamen præsentiâ ejus recuperatæ, & discordia cum Gelriis sopita. Iam Fredericus nudatus Episcopatu, nudans thesauro arcem Dorestatum, acceptaque uti ferebatur, ingente pecuniâ, abscedens Lyram oppidum Brabantiæ, senio ac continua valetudine laborans, paulo (l) post annum, diem clausit extremum, cùm præsedisset (m) annis circiter viginti. Absque mærore publico obiit anno 1516. corpus ejus à nepotibus translatum in territorium avitum, quod Baden dicunt, olim Thermarum Antonianarum nomen ferens, ne in urbe ingratâ Trajectensium sepeliretur. Fuit haud dubiè Princeps cordatus, specimen alti sanguinis, unde erat, præ se ferens: Nam provocatus, etiam impare fortunâ intrepidus arma non detrectavit assumere, in rebelles acer, clemens in victos, suapte naturâ humanus atque affabilis, aulicos ac famulitium etiam infimum decenti vestitu, ac Germanico more abundè opipareque enutriens, ita ut plures paropsides onustæ cibo extra arcem ad uxores concubinasque multorum deferebantur indies, quam sub Philippo successore præpararentur in arce pro omnibus, licet ille non spernendam servaret mensam. Cumque ab amicis Frederico persuaderetur, quia res angusta angebat, ut hujusmodi inutiles impensæ minuerentur, respondebat majores suos consuevisse vestire ministros, atque eorum replere ventres, non loculos, à quorum observatione degenerare nolebat. Prætereà sicuti mos est omnibus Germanis, auri atque æris percupidus ultra quam conveniebat Principi, quod alias turpe censetur, oblectabatur tractare & dignoscere nummos peregrinos, & qui aliqua ambiebant nacti opportunitatem sollus ejus præsentiæ, ac pecuniâ muniti facilè nonnunquam fiebant voti compotes, inconsultis & ignorantibus illis, qui adhærebant lateri à consilio, & in hoc gaudebat quando clàm illis aliquid suis posset recondere. Legationes atque prælatos magnificè excipiebat, venerabatur clerum, & quotiens aliquis ex causâ ad Dorestatum confluebat, illum excipiebat mensa, vel infirmitate præpeditus cibo ac vino honorabat in hospitiis, ordinatis nobilibus, qui vices suas in excipiendo implerent; amabat pacem se aversantem, etiam Ecclesiæ suæ non spernenda ornamenta pro sacris mysteriis obeundis contulit, & majora donasset, nisi suorum suasu fuisset immutatus. Reliquit tamen (n) quinque Ecclesiis pro æternâ memoriâ legatum. De cujus parentela ita scribit Pius Pont. Maximus in suâ Europâ; *In Marchionatu Badensi, Princeps Iacobus Iustitiæ ac prudentiæ fama inter Germanos clarissimus, cùm sibi ad humanam felicitatem solàm litteraturæ peritiam abesse videret, quos ex conjuge legitimâ liberos sustulit ediscere, litteras compulit, inter quos diviso patrimonio, cum Carolo primogenito singularis industriæ juveni sororem Imperatoris matrimonio collocasset, plenus annis haud invitus è vitâ decessit.*

Sub eo contigere (n) aliqua prodigia: nam plerisque in locis etiam Trajecti visæ cruces è cœlo pluere, Cometes præsagus mortis Philippi Regis Castellæ Maximiliani Augusti filii; cecidere grandines insolitæ, prodierunt & ante non visæ aviculæ in illis provinciis, disparis coloris

Episcopus successorem Philippum Burgundum Davidis fratrem nominat.

Privatum publico præpositum.

Ex milite Episcopus religiosus.

Laus Episcopi.

Apophthegma Germanicum.

Prodigia sub Episcopo.

coloris in capite, & corpore tanquam cucullatæ sive capitiatæ, uti ferunt, quando erigebant plumas, quæ tanto ardore in aêre inter se interdum certabant, ut occæcatæ furore simul decidentes per magnos greges manibus vulgi apprehenderentur vivæ. Fuere & insolitæ aquarum inundationes inflato Rheno, aliisque fluminibus, plerisque locis juxta Oceanum submersis, ac gelu insolitum & continuum multos mortales extinguens, qui fluxu sanguinis per nares concreti frigore per publica itinera defecêre. In Ecclesiâ oppidi Purmerani nocte Nativitatis Christi orta fulgurum atque tonitruorum tempestate, aviculę aliquot supervolantes alis suis exstinxere luminaria, cum magno terrore ac clamore populi, & idipsum continuabatur certo cursu in aliis locis vicinis. Evomuit & mare ingentia Cete diversis in locis, quorum aliqua visa longitudinis vicenum & quinque cubitorum. Etiam vivus in ore Rheni, quo mare influit, visus (o) piscis instar colliculi, sive domus magnitudine, nautis longo tempore terrorem incutiens, qui cum alto æstu adductus, & profundam voraginem nactus, retrocedentibus aquis, illic mansit conclusus, donec per magnam inundationem liberatus, dispareret. Fuit interdum paratâ classe cum machinis a diversi generis tormentis impetitus, sed hoc comperto, cautè se novit abscondere in profundum, alias se ostendens visibilem: erat uti præmissum est, immanis, brevi tamen corpore, non oblongo, sed vasto, & perquam eminenti dorso nodoso, croceo, lateribus ceruleis ac viridibus distinctis lineis, ventre subalbido, tergo lanuginoso, capite vix prominente, sed foramine magno in fronte, per quod instar fumarii evaporantis fumum ac flammas, nonnunquam sursum emittebat liquorem fætidissimum, ita ut aliqui piscatores sive metu visi monstri, sive fætore infecti, interiisse ferantur. Venti etiam præter solitum impetuosissimi flarunt, quæ omnia, sicuti reipsâ compertum fuit, provinciis malum omen portendebant, quæ continuis bellis, cædibus, flammis & rapinis quassabantur intersæviente pestilentiâ. Sub hoc etiam Frederico revelatæ multorum Sanctorum in Ecclesiâ sancti Iohannis reliquiæ, uti ipse suis affirmat scriptis, quæ idcircò hic inseruimus pro memoriâ posteritatis. Ecclesiam autem ipsam in honorem omnipotentis Dei, ejusque matris Virginis, Iohannis Baptistæ, cognominique ejus Euangelistę, Andreę, Laurentii, ac Catharinæ, Martyrum accepimus consecratam.

Monstrosus quasi piscis.

Episcopi scripta.

Fredericus Marchio de Baden, Dei & Apostolicæ sedis gratiâ Episcopus Trajectensis, universis & singulis utriusque sexus Christi fidelibus, ad quos præsentes nostræ literæ pervenerint salutem & synceram in Domino charitatem: Magno piæ devotionis affectu accepimus; Quod recolendæ memoriæ, Reverendissimus in Christo pater Dominus Bernoldus vicesimus Episcopus Trajectensis prædecessor noster (prout in historiarum annalibus legitur) ad omnipotentis Dei, ejusque præcelsæ genitricis semper Virginis Mariæ, omniumque Sanctorum laudem & gloriam, atque felicem suæ recordationis memoriam, inter alia sua laudabilia pietatis & virtutum opera, tres in civitate nostrâ Trajectensi magnificis impensis fundavit Ecclesias, unam in Divi Petri Apostolorum Principis honorem; aliam quoque beati Iohannis Baptistæ præcursoris Domini titulo insignivit. Tertiam verò Conventualem in sancti Pauli Apostoli Doctoris gentium memoriam sempiternam erexit: Singulas variis donis, privilegiis, & libertatibus exornavit, quique in dictâ Ecclesiâ sancti Iohannis corpora sanctorum Cypriani & Iustinæ devotè recondidit, ubi hodierno tempore ineffabili venerantur honore. Postmodum verò dilecti nobis in Christo Decanus & Capi-

Reliquiæ quas Bernoldus Episcopus apud S. Iohannem deposuit.

Reliquiæ SS. Cypriani & Iustinæ.

& Capitulum dictæ Ecclesiæ nostræ sancti Iohannis, divinâ inspiratione moti, chorum jam dictæ Ecclesiæ nostræ ipsis ad reparandum & (p) intertenendum derelictæ, (quæ jam à suæ primævæ fundationis origine, & felici transitu ad Deum dicti Domini Bernoldi Episcopi & fundatoris ultra quadringentos & quinquaginta annos erecta steterat) ob nimiam vetustatem ac ruinam prope minantem, non absque magnis impensis, Dei ejus sanctissimi præcursoris confisi adjutorio ampliare, & de novo erigere incipientes (cujus nos fundamenti primum lapidem per venerabilem Dominum (q) Hermannum de Lochorst, Decanum Ecclesiæ nostræ sancti Salvatoris Trajectensis, nostrum in spiritualibus generalem Vicarium collocari fecimus) & Deo dante, dicti Domini opus incœptum sagaci studio debito effectui mancipare intendentes, nunc die vicesimâ secundâ mensis Maji, sicuti veridicorum relatu didicimus, summum altare dicti chori ex necessitate operis per eorum laboratores & artifices ad alium congruentem locum transferre satagentes, in concavitate altaris quandam plumbeam cistulam inclusam invenerunt, sed ipsam ob venerandam ejus antiquitatem attingere verentes, per Reverendum Patrem Dominum, Dominum Iacobum Ridder, eâdem gratiâ Episcopum Ebronensem, in Pontificalibus Vicarium nostrum, adhibitis ad hoc ceremoniis & solennitatibus consuetis, in sacrarium decenter collocari curarunt, minimè tamen tunc dictam cistulam aperientes, sed alterâ die per dictum Reverendum Patrem Dominum Episcopum Ebronensem, in veneraudi ac Nobilium & spectabilium virorum Domini Iacobi de Appelteren, Decani Ecclesiæ nostræ Trajectensis, Henrici de Appelteren Domini de Persichem, Gerardi Domini de Oyen, Henrici de Ghendt, Iohannis de Rheno de Iutphaes, olim Burgimagistrorum civitatis nostræ Trajectensis, & aliorum plurimorum testium fide dignorum, & Notarii dictæ Ecclesiæ sancti Iohannis ad hoc vocatorum præsentiis allatam aperiri fecerunt, invenientes, deposito dictæ cistulæ plumbeo cooperculo, aliam cistulam sive capsulam ligneam sericis ornatam ac vitro tectam: Quo iterum remoto, in medio dictæ capsulæ repertus fuit lapis oblongus Porphyreticus, cum quatuor schedulis pergamenicis, antiquissimis characteribus latinis accuratissimè conscriptis; & sub dicto lapide jacuit pars panni serici purpurei ferè coloris: sub quibus panno & schedulis jacuerunt certæ reliquiæ. Verùm, propter supervenientem occupationem dicti Reverendi Patris Domini Episcopi, præfatam cistulam plumbeam cum dictâ capsulâ ligneâ rursum ad sacrarium & locum congruentem reponi fecerunt, earundem

Cistula plumbea inventa in altaris cavo.

Capsula lignea ornata sericis & vitro tecta, inserta plumbea cistula.

rundem visitationem ad tempus magis oportunum differentes; hodiè verò videlicet decimâ octavâ mensis Iunii, die Dominicâ, *in octavis sanctæ & individuæ Trinitatis, horâ quartâ post vesperas, vel quasi Pontificatus sanctissimi in Christo Patris, ac* Domini *nostri* Domini *Leonis divinâ providentiâ Papæ decimi anno secundo, in venerandorum & celeberrimorum, venerabilium & præstantissimorum dominorum, dicti domini Hermanni de Lochorst Vicarii nostri, Adriani de Trajecto Præpositi Salvatoris Trajectensis, & religiosorum patrum Cornelii de Snekis Vicarii generalis congregationum Hollandiæ, & Iacobi Calckar prioris conventus Trajectensis ordinis Prædicatorum Sacræ Theologiæ Professoris, Theodrici Houvvagen beatæ Mariæ Antvverpiensis Ecclesiarum Canonici, Francisci de Hulst consiliarii in altâ curiâ Principis Castellæ, ac Everardi de Coddenoert in Curiâ Trajectensi causarum Advocati Iurisconsultorum; & aliorum virorum Ecclesiasticorum testium fidedignorum, nec nō dicti Notarii præsentis dictam cistulam plumbeam in mensâ ad hoc deputatâ reverenter in sacristiâ dictæ Ecclesiæ repositam denuo per dictum Reverendum Patrem dominum Episcopum Ebronensem aperientes, & dictas schedulas debitè visitantes, & publicè ibidem lectas hujusmodi sub tenore.*

Tenor primæ schedulæ.

Reliquiarum in cistis repertarum recensio.

Reliquiæ sanctæ Mariæ Matris Domini, *de sepulchro & de sindone* Domini, *de petra super quam* Dominus *sedit, Reliquiæ sancti Petri Apostoli, sancti Iacobi fratris domini, sancti Philippi Apostoli, sanctorum Martyrum Stephani protomartyris, S. Laurentii, Bonifacii, Anastasii & sanctorum confessorum Martini Episcopi, Hilarii, Heriberti & Sanctarum virginum Margaretæ, Affræ Martyris,* XI M, *Virginum.*

Tenor secundæ schedulę.

Et Sanctorum confessorum Martini Episcopi, Benedicti Abbatis, sancti Hilarii Episcopi, Sancti Nicolai, Liberii, de cruce Domini, *de vestimento sanctæ Mariæ, sancti Amandi, de Spongiâ, de sepulchro sancti Ioseph, aliarumque Martyrum* XI M *Virg.*

Tenor tertiæ schedulæ.

Reliquiæ sanctæ Mariæ matris Domini, *de sindone* Domini, *de petra su-*

tra super quam Dominus *sedit, & sancti Petri Apostoli, sancti Iacobi Apostoli fratris* Domini*, S. Philippi Apostoli, sancti Bartholomei Apostoli, & Sanctorum Martyrum Stephani Protomartyris, S. Laurentii Martyris, S. Georgii Martyris, sancti Pancratii Martyris, S. Bonifacii Martyris, S. Alexandri Martyris, S. Stephani Papæ & Martyris, S. Ipoliti Martyris, S. Blasii Martyris, S. Tiburtii Martyris, S. Sixti Martyris, S. Urbani Martyris, S. Gorgonii Martyris, S. Quirini Martyris, S. Venantii Martyris, S. Anastasii Martyris, S. Egnatii Martyris, sancti Sebastiani Martyris, sancti Amani Martyris.*

Tenor quartæ schedulæ.

De *cruce* Domini*, de vestimento* Domini*, de vestimento sanctæ Mariæ, Bartolomei Apostoli, de columna* Domini*, & sanctorum Martyrum Pancratii, Georgii, Alexandri, & sancti Stephani Papæ & Martyris, & sanctorum Confessorum Nicolai Episcopi, Liberii &* SS.*Virginum Agathæ, Margaretæ, Julianæ. Quibus schedulis debite perlectis & reliquiis in dictâ capsulâ existentibus inspectis, idem Reverendus pater* Dominus *Episcopus Ebronensis dictarum reliquiarum visitator, de dictorum nostri Vicarii, & in Theologiâ ac in jure doctorum consilio, easdem reliquias extra loca, in quibus à senioribus & venerandis patribus reverenter olim collocatæ fuerant segregatæ, abstulit, sed easdem more aliarum reliquiarum venerari & coli censuit, de nostræ auctoritatis ordinariæ licentiâ speciali. Quæ omnia & singula universitati vestræ insinuamus, notificamus & intimamus, dignum arbitrantes, ut dicta nostra Ecclesia sancti Iohannis, quæ tam honorificè à dicto* Domino *Bernoldo Episcopo, prædecessore nostro, longis jam retroactis temporibus constructa & dotata dinoscitur, ac ipse* Deus*, qui in sanctis suis gloriosus est, honoretur, ad corpora sanctorum Cypriani &* I*ustinæ, & reliquiæ nunc, ut præmittitur, in dicto altari adinventæ, juxta præfatarum schedularum tenorem, debitis frequententur obsequiis. Omnibus verè pœnitentibus, confessis & contritis, qui ad usum fabricæ dicti novi chori, seu ad ornamenta dictarum reliquiarũ, quoquomodo manus porrexerint adjutrices, quotiescunque & quandocunque hoc fecerint, de omnipotentis* Dei *misericordiâ, ac beatorum Petri & Pauli Apostolorum ejus, ac beati Martini patroni omniumque* Sanctorum *meritis & intercessionibus confisi suffragiis qua-*

giis qua-

giis quadraginta dies indulgentiarum de injunctis eis pœnitentiis misericorditer in Domino relaxamus. Datum sub nostro subsigillo ad causas præsentibus appenso, anno à Nativitate Domini Millesimo quingentesimo quinto decimo, die verò decimâ octavâ mensis Iunii. Iohannes de Wael Notarius de mandato subscripsit.

Et hic apparuit, quod potentiores in petendo prævalere soleant. Maximiliani enim multo plus quam reliquorum preces valuerunt.

a *Philippus frater Ducis Clivensis,*] Philippi hujus Badensis æmuli pauci scriptores meminerunt: sed concordibus Canonicor. Trajectensium suffragiis electum scribunt Fredericum Badensem Caroli Marchionis ex sorore Friderici 3. Imp. filium; In mon. Traject. invenitur quidem Philippus Clivus Chori-Episcop. & Huterus in Geneal. tab: Clivensium Theodoricum ab aliis Philippum vocatum Archiepiscopum Remensem fratrem Engelberti nominat: Verùm quod Tesmakerus scribit quod mortuo Davide Engelbertus Clivus votis Cleri & populi Electus in Episcopatu Trajectensi eidem successisset, nisi Maximilianus Freder. Badensem nepotem suum intrusisset, id ab alio nemine, quod sciam, traditum est.

b *Gregariam militum manum,*) Hæc magna Legio, vulgò **de groote garde** dicta fuit 4000. militum constans, scilicet mercenaria manus quæ stipendium offerentibus operam dabat, nulli certo Principi addicta: Huic similis illa quæ nigra legio dicebatur, cujus meminit Ubbo Emmius hist: Frisl. lib. 45. his verbis: *Benthemius pro Saxone Frisiis præfectus ex his & aliis copiis milite veterano validis in diœcesi Vltrajectina coire jussis, Legionem confecit capitum* 4400, *Lixarum mille, quæ Legio nigra vulgo dicta fuit*: Sifridus quoque Magnam Guardiam appellat in Appendice ad Bekam, vide Huteri Austriaca lib: 7, Verharium in Carolo Austriaco, qui postea Imp: ejus nominis V. dictus.

c *Dictum Bel Gelrium,*) *Gelrium*, non est in quibusdam MSS. unde *Belgrinum* vel Pelgrinum legendum putabam, non improbante Doct. Scriverio. Sed cum hæc à diligentiss. viro I. Pontano Hist. Geldr. lib. 7. descripta viderem, ejusdem verba etiam hic exprimere volui: *Memorabile est* (ait) *Gelrum quempiam Equitum Magistrum cui Bellio nomen (Furmerii editionem videtur secutus) assumptis secum* 60. *comitibus in hostem prorupisse, ac* 150. *suæ fecisse potestatis &c.*

d *Has reddidêre vices,*) Obscura est narratio, nec video admodum quo hæc verba referenda sunt: nisi id velit Heda, superstites Legionarios Duci Clivensi, cujus beneficio servati erant, sacramento se in Gelrum & Trajectensem auctorasse quo vindictam ab eisdem de superiore clade caperent, ac ita vices redderent. Ea quæ hîc sunt tradita, & sequuntur, habentur ferè in Chron. Holl. vernaculo, Sifrido Petri ad Bekæ Chron. Isaac. Pontano in Gelr. hist. Tesmakero in hist. Clivicâ.

e *Propter petulantiam Gruningensium,*) Bella Groeningensium, & eorum contra Episcopum rebellionem præter Chron. populare Holl., & Sifridum in Badensi, prolixius prosequitur Emmius rer. Frisicarum lib. 44. & seq.

f *Cum Principe Gaesbeeck,*) Nescio quis hic Princeps Gaesbeeckius. Nam postremus ejus stirpis ex Abcaudiis jam decesserat anno C. 1459. qui post se prolem legitimam non reliquerat, & ex pacto, ut se redimeret à captivitate, omnia feudalia bona in terra Trajectensi jacentia, Ecclesiæ cesserat Traject. videndum itaque an ille ex aliâ stirpe, pars enim istius dinastiæ seu Baronatus (ut vocant) ad Hornanos, pars ad Nassovios, alia ad alios pertinuit.

g *Philippo fratre Ducis Clivensis Episcopo Heduorum,*) Nescio an is, qui Hutero & Theodoricus vocatur, de quo supra quædam in notis, & Heda ad initium vitæ hujus Episcopi: Hunc & Ambianensem & Nivernensem Antistitem fuisse volunt quidam scriptores, quin & Rhemensem Archiflaminem, quem tamen in Elencho horum Archiepiscoporum non invenio.

h *Atque N. principe Saxi Corvini,*) Adolpho à Ravenstein, vel ejus filio Philippo ex stemmate Markano & Clivensium ducibus.

i *Erat enim usque ad publicam notam avarus,*) Nihil in consiliario principis pernitiosius avaritiâ, quod ex iis, quæ hic narrata sunt, quoque apparet; nam multa Frederico incommoda ex ea peste evenerunt.

k *Omissâ causâ publicâ,*) Hæc vetus querela est, ut supra in Davide Episcopo idem Heda lamentatur, his verbis: *Demùm quisque privatis suis consulebat rebus, nemo autem prospiciebat, aut aliquid petebat pro utilitate Reipublicæ aut Civitatis, quæ permagna potuissent consequi privilegia, si petita fuissent.*

l *Paullo post annum,*) Caulæus paraphrastes Snoyi tres cum menses tantùm supervixisse refert: certè parum superfuisse constat, utpote sive tædio, sive senio, sive alio morbo consumptum.

m *Cum præsedisset annis circiter* 20,] Geldenhaurius Neomagus ait: cum XXI. *annis ditionem suam gubernasset*, Bockenbergius Hedæ calculum sequitur, annus mortis 1516. creditur, etiamsi sint qui annum C. 1517. præferunt.

n *Sub eo contigere aliqua prodigia,* De prodigiis hujus anni tacent nostri historici: Gouthovius tamen ad finem hujus captum circa Roterodamum piscem magis monstrosum quam magnum refert. Ce-

fert. Cete in littoribus Hollandicis sæpius visa & capta, etiam nostro tempore constat. De avibus autem inter se pugnantibus, aliis quoque scriptoribus dictum est: videntur hic non unius temporis aut loci mira in unum ab Heda contracta. Cornelius Gemma de divinis naturæ characterismis ex Frytschio narrat, anno 1494. Graculos & picas ad aliquot hinc inde miliarium spatia confligentes, belli ostentum præbuisse; vide ejusdem lib. 1, cap. 8. ubi & plura de Cometis pag. 196. & seq. lib. 2. cap. 2.

o *Visus piscis instar colliculi &c.*) Nostra ætate plures ejusmodi apparuerunt in littoribus Oceani, & capti sunt, quorum formæ & magnitudines ære expressæ & descriptæ spectantur: vide Gemmam libro supra laudato, ubi multa de præsagiis & prædictionibus, quomodo iis uti debeamus, & quatenus illæ licitę.

p *Intertenendum*] A Gallico entretenir, id est, conservare. In gloss. Barbaricis non invenio.

q *D. Hermannum de Lochorst,*) Hic filius Wilhelmi de Lochorst, patruum magnum habuit D. Hermannum de Lochorst Decanum summi Collegii Trajecti, & Can. Leodiensem qui anno 1438. obierat, & sororem D. Ermgardim Abbatissam Servatianam anno 1520 mortuam. Ipse autem decessit anno 1527. ex nobili & antiquissimâ familia oriundus, cujus hodierno die supersunt relliquiæ.

Philippus Episcopus LVII.

JAm Philippus quinquagesimus septimus in ordine Episcopus, rerum sicuti præmittitur, administratione fungebatur, fundamentum primum jactans in cupiditate, Prælatos, Clerum, atque (a) doctos in parvo precio habens, sed illos, qui adulari, aut spem quæstus proponere sive exercere per fas & nefas noverant, magno prosequebatur favore, quibus & magnam fidem attribuit, nimis credulus, in audiendo alios perdifficilis, patiebatur tamen se vinci ratione, sed citiùs quàm par erat devinci ab auriculariis. Primum Ecclesiarum libertates ac Iurisdictiones Archidiaconorum infringere ac usurpare tentavit, pro argumento capiens, quod de jure communi omnia deberentur Episcopo; non contentus his, quæ prædecessores Episcopi possedere, suasu pravi consilii, cùm ipse similia non calleret, quibus in tantùm detulit, ut licet vellet omnia scire videri, & ægrè ferret quod aliquis causam latinè verbo vel in scriptis defendens, illam vulgari, aut nota illi lingua, quo rem caperet, referret, inpromptus respondere ad objecta, dicebat, se cum suis apud Trajectum communicaturum. Hoc modo absolvit plerosque, cumque multa de Romano Pontifice sibi promitteret, (egerat enim Legâtum Romæ sub Iulio in præstandâ obedientiâ nomine Caroli Principis) nedum abolitionem aliquorum, quod in sæculo deguerat, sed adoptionem ad dignitatem Episcopalem (quam certis (b) indiciis diu ambierat, licet omninò spernere nec appetere plerisque persuaderet) cum potestate visitandi exempta monasteria impetravit, imponens nova officiis onera pro majore quæstu, subsidia in adventu novi Præsulis solvi solita nedum diminuit, sed adauxit, pauperum atque aliorum querelis de gravamine obauditis, non sine displicentiâ proborum, qui familiaritate illius fruebantur. Instigatio tamen improborum aliquorum hominum, quorum præcipua erat auctoritas, prævaluit in tantùm, ut licet admonitus fuisset à Præfecto Montisfortis, atque aliis in publicâ mensâ, antequam rerum poteretur, quod illis non crederet, sed ab eis tanquam infidis mercatoribus se absolveret, prout dicebat in animo statuisse, mutato tamen consilio, sive quod illi in sententiam ejus noverant condescendere, sive quod secreta per eos scrutaretur, tantum attribuit fidei, quod orta inter cives Campenses & Swollenses, oppida tum opulenta, tum ampla, ex petulantiâ potius, quàm justâ occasione, discordia super theloneo quodam ac navigatione Isalæ fluminis, sive Aquæ nigræ, & Status Trajectani, prospicientes futura sociorum pericula unà cum Episcopo Legatos mitterent ad intercipiendum scintillas bellorum, illique perorassent caussam omnis controversiæ submittendam Episcopo & Statibus pro æquitate discutiendam, & idcircò ad tempus cessandum ab hostilitate; suggestione tamen mercatorum hujusmodi (uti ajunt) persuasum fuit Episcopo, permitteret utrosque inter se digladiari, qui minus sibi obedirent, viresque illorum hoc modo collidenda, ex hoc nedum sibi obedientiam, sed magnę mulctæ atque opum affluentiam certò expectandam, non verentes proponere securam spem centum millium aureorum. Et sic impediebatur, quominus querela hæc per Status discuteretur, utrisque populis nihilominus finem anhelantibus, & ad amicitiam pronis. Cumque persentirent sub ludibrio quodam rem suspendi atque protelari rursum

Mores Episcopi parum Episcopales.

Transisulanorum Status miser culpâ Episcopi.

concursum ad arma, rapinas, cædes, incendia. Et dum Episcopus jam edoctus de majore discrimine, & rem præter votum succedere, discordias restinguere niteretur, rejicitur, nec per arma etiam socialia Burgundionum, nec ære, nec auctoritate furorem sedare potuit, quin omnia hinc inde ad extrema dissidia tenderent, territorio Transisulano mutuis viribus hostiliter exciso, captis atque spoliatis oppidis, nobilibus per dolum abductis atque deletis, nec ullâ ex parte temperatum à sanguine aut crudelitate, ita ut brevi ex florentissimâ Provinciâ, (quod dolendum est) desertam undique prospiceres, sollicitatis exteris Dominis in defensores, quo majores strages commissæ sunt. Quem errorem Episcopus ipse posteà coram nobis in Dordraco atque Haga-Comitis existentibus, illorum instinctu contigisse palàm confessus est, dum excusare niteretur hanc rebellionem, & ad Gelrium defectionem, quam contigisse erubescat, quia improsperè ac negligenter magnum aliunde æs alienum contractum circa tuitionem provinciæ dissipaverat, commessationibus magis indulgens, quàm armis; ita ut status provinciæ tenderet ad desperationem, & magnâ ex parte usque ad obitum ejus in servitutem exterorum Principum permanserit, nondum ex omni parte liberata: in tantùm, ut omni dominio atque commodo Transisulano spoliatus, territorio Trajectano contentus esse cogeretur, modo in Zelandiam, modo in Flandriam confugiens, quo longius abesset incommodis, & cladi suorum. Hujus tam (c) pravi consilii auctores partim antè, partim post obitum ejus humanis excessere. Trajectani nihilominus in tranquillitate sibi paruerunt, quorum plerique de casu Transisulanorum, uti natura est, factiosorum, lætari, alii commisereri notabantur. At Episcopus actorum pœnitens, & serò de remedio cogitans, auxiliis destitutus, carens viribus, & exhausto ærario, & debitis plurimis contractis involutus, in magnâ versabatur angustiâ, nec unde afflictis rebus opitularetur modum habuit. Nam Burgundi ob rem malè gestam retraxere manum, amici, qui magnas opes in ejus beneficium consumpsere, aversabantur, miles involuntarius ob tardata stipendia promerita, minabatur defectionem, quæ Philippus assiduo gemitu alto recondens pectore spem vultu duxit simulandam, si forsan mitior fortunæ aura quandoque afflaret, per convivia, ludos ac pocula tempus ducens, quo tantorum oblivisceretur, sed quis resistet inclementiæ fati? Cùm ex Senatu & optimatibus Trajectanis aliqui salutandi forsan causâ confluxissent Dorestatum, & vocati ab Episcopo interessent epulis, illeque post aliqua suspiria dolores intrinsecus aperuisset excusando culpam, quæ per aliquos non sine magnâ suâ injuriâ in ipsum retorqueretur, tandem sepositis omnibus curis, ut animum exhilararet, cœptum undique magnos exhaurire crateras, ita ut communis esset lætitia, communis, ut ita dicam, ebrietas, & alter ex alterius simicis gestibus jocundaretur. Sequente mane Episcopus in hortum deambulans, aperto, uti solebat pectore, sub aura frigida sentiit dolorem pectoris, qui de horâ in horam adaugebatur, ita ut incertum esset de suspicione pleuresis, an febris pestilentiæ, & sera quæsita remedia: convocato è Trajecto medico, nec quicquam sperante, die tertia subsequente quæsivit Eucharistiam, & post aliqua ex voluntate ordinata, animam prius Deo reconciliatam atque commissam exhalavit, non sine stupore atque tristitiâ multorum. Credebatur enim, si supervixisset, cum tempore incommoda omnia superaturus: Nam magnis innitebatur clientelis, quæ tamen in arduis distrahebantur, & in fine ipsum non dereliquissent. Corpus ejus licet à collegio Trajectano per nuncios exposceretur in Ecclesiâ Dorestati impositum sepulturæ Davidis fratris. Tertius (d) per ordinem Episcoporum, qui extra Trajectum sunt tumulati. Statuerat quidem Nicolaus Lavennus Præpositus Leydanus, ac Canonicus Ecclesiæ Trajectensis, quem David à puero choraule enutriverat, videns Philippum fratrem id minus curare, eo consulto funus ob devotionem Trajectum suo ære solemni pompâ deferre, inhibitus ab illo, ne tentaret, tanquam ipse bene sciret, quando opportunius illum esset translaturus. Et jam uterque quiescit carens honore funerali; Ex hoc tamen conjiciebatur Philippum jam dudum in animo concepisse Episcopatum. Causam evectionis ipsius Nicolai inter tristia libet inserere. Cùm David præesset Episcopus Ecclesiæ Morinorum, ille puerum choraulem agebat, quem Episcopus die sacro, quem cinerum dicunt, ex sede retro aram vidit edentem tibiam pulli, accivit puerum, scrutatur, gnarus quid commedat? ille constāter fatetur subrubescens, non quod carnem ederet innocenter, sed quod jejuniū violaret. At Episcopus interrogat, quare die præcedēte non consumpsisset? respondet intrepidè, heri inquit undiq; cōmessabamur, & devoravimus carnes ad saturitatem, at cum similia gaudia nobis raro contingant, qui ut plurimum quotidianâ premimur fame; sic satur reservavi mihi partem, ut hanc

Redundat in Episcopū culpa.

Episcopus sub die frigido pectus apertum gerit, & in morbum incidit ac moritur.

Nicolaus Lavennus choraules.

ut hanc diem in fame temperarem. Episcopus hoc faceto & industrio responso pueri oblectatus, illiusque simplici innocentiâ, cepit eum in curam suam, jussitque eum bonis moribus institui, omniumque periculorum suorum dum esset Episcopus Trajectanæ Ecclesiæ expertus comitem non ingratum, qui mortuum jure sepulchri honorare desiderabat. Erat Philippus staturâ mediocri, vultu persimilis Philippo Duci genitori, capillis ac ciliis nigris, latis humeris, lato pectore, cruribus ad decorem gracilibus, corpore bene complexo, ætatis 59. anno, qui diu supervivere potuisset cursu naturali, nisi adversa forsan dies ejus abbreviassent, pulcher in armis, oblectatus pulchris equis, nec minus, permittente ætate, consortio puellari, cantu ac fidibus, picturæ ac (e) lineamentis per ocium operam dans, utrumque callebat, & de sculpturis optimè judicabat; pronus ad iram atque vindictam, malens timeri quàm amari, juxta meticulosus, parum deditus (f) religioni, & minus observans cleri, desiderabat tamen justitiam, si barbarici ritus permisissent. Præstabat industriâ naturali & magnâ experientiâ rerum. Cum Philippo Rege Hispanias ac Gallias, & filiâ ejus desponsatâ Christierno Regi Daniæ istius regna lustrarat; Romæ & in Britanniâ functus legationibus; in bellis parum fortunatus: statuerat magna in animo, nisi inopinata mors intercepisset. Hiccine eventus rerum ut clarissima facta plerumque obscuro fine terminentur. Ejus contuitu Leo Papa x. concessit provinciæ Trajectensi (g) indultum, ne ad primam citationem evocarentur. De Maximiliano atque Carolo Augg. multa polliceri potuisset, nisi per ignaviam Trajectanorum omissa fuisset prosecutio. Sub eo intensissimus fuit (h) ardor in vere, ita ut equites in armis, sed passim per vicos viri, mulieres ac pueri, item pecora interirent siti, & continuabatur multis mensibus, inauditum anteà. Cœpta etiam (i) pullulari nefandissima perfidia Lutheranorum, quæ ferè totum orbem brevi tempore contaminavit, omni hæresi perniciosior, dissolvens sacra Euangelia, Sacram Scripturam, sacras leges, sustollens religionem atque omnem obedientiam, cum tamen sua prætextu Euangeliorum tutari velint, pejora quàm Gothi, Turci aut Tartari in Romani Imperii extinctionem, & regnorum subversionem excogitarunt, in Christiani nominis odium machinantes tanto fuco ac dulci veneno, ut etiam constantia pectora mutent, magnoque adscribendum miraculo, de tantâ omnis sexus facilitate, qui instar simiæ, quæ allecta caligulis, quas ex arboribus conspicit homines induere, idipsum effingendo, uti ferunt, irretita decipitur, sic etiam postpositis patrum ritibus, qui feliciter vixerunt, & beatius obierunt, tam faciliter novæ fraudi sese obcœcatos innectunt. Primùm in religiosos ac sacras virgines, demum in Ecclesiasticos & universum clerum sævientes, etiam Deum ipsum contemnere, & immaculatæ ejus genitrici detrahere, sacras imagines elidere studuerunt, Principibus sæculi tolerantibus, & magnâ ex parte applaudentibus, donec in seipsos dente exasperari, heu nimis tardè, conspexissent, qui ut saluti propriæ consulerent, non zelo Dei, non religionis aut pietatis motu arma sumpsere, sed ut sua conservarent impulsi, ingenti conflato exercitu per summa discrimina certare nutu Dei spreto supra centies (k) sexagies hominum millia victores trucidarunt. Perseverat nihilominus detestabilis conspiratio, & instar hidræ Herculeæ multiplicatur, viresque licet devicta & prostata Antæo more resumit néc terretur exemplo, nec revocatur rationibus, & sub ancipiti pendet exitus, nisi divina clementia cooperetur in causam suam. At Frisii (l) sub signis Ducis Gelriæ militantes principio Episcopatus Philippi, cum manu validâ gregariâ, ductore quodam Selbachio, transgressi sinum, oppidum Medenblick invasere, Ecclesiam cum illo incendentes, demum Alckmariam occuparunt aliquamdiu, & impunè transeuntes in Gelriam, expugnarunt Asprenam oppidum nulli ætati, nulli sexui parcentes, neque à sacerdotibus abstinuerunt, loca sacra usque ad summa altaria humano sanguine defœdantes. Relatum fuit multos inter illos (m) fuisse Iudæos hanc præcipuè crudelitatem exercentes cum Christiano militi hoc minus liceret, Nam virgines amplexas infulas, quibus sacerdos indutus Eucharistiam in manu tenens, & feroces animos ad misericordiam exhortabatur ob reverentiam ante pedes illius constat occisas, & earum sanguine sacras vestes commaculatas. Horret mens humana enormia facinora narrare, quæ illic contigerunt, nec tamen impunè, cùm paulo post ab aliis Principibus commotis ob tantam tyrannidem magna ex parte trucidati auctores, atq; deleti sunt. Præfuit (n) autem Ecclesiæ Philippus annis circiter novem, Sepultus Dorestadii apud fratrem suum Davidem.

Forma Philippi Episcopi.

Indultum Trajectanis à Leone decimo Papa Rom. ne ad primam citationem evocentur.

Auctoris simplex ignorantia.

Tumultus rusticorum.

Frisii sinu maris transmisso Medenblicum incendunt, Alcmariam occupant, Asprenam in Geldria oppugnant.

Commentum vanissimum de Iudæis.

a *Doctos in parvo precio habuit,*) Meliùs de Philippo sentit Gerardus Noviomagus, qui singularem de ejus vitâ libellum edidit, ex quo plurima Sifridus in Appendice: Barlandus quoque in ejus elogio, *post initam* (inquit) *dignitatem, multa fecit laudabilia*: alii non spontè sed Maximiliani ac Caroli arbitrio coactum iniisse Episcopatum, cum prius ætatem excusasset, tradunt. Sed cum liber Noviomagi integer extet Tom. 3. Scriptorum Germ. Freheri, eo lectorem cupidum amando.

b *Quam certis indiciis diu ambierat,*) Privatim videtur Heda offensus Philippo, cùm alias à plerisque scriptoribus laudetur.

c *Hujus tam pravi consilii auctores,*) In consiliarios principis plurimum invehitur; ita tamen, ut facilitatem Episcopi, adulatoribus nimium tribuentis, ubique damnet.

d *Tertius per ordinem Episcoporum qui extra Trajectum &c.*) Continuato nempe proximo ordine, ut primus David, secundus Fredericus, ipse Philippus sit tertius. Plures verò jam ante Antistites extra civitatem tumulati erant, ut ex historia ipsa apertum est. Nam Bonifacius sive Winfridus 2. Episcopus apud Fuldenses quiescit: Alfricus Episcopatu à Nordmannis pulsus alio in loco sepulturam invenit, ut etiam Ludgerus, Hungerus, atque alii à civitate exules.

e *Picturis ac lineamentis per ocium operam dans,*) Ejus artis non tantùm amans, sed etiam callens, exemplo magnorum Principum. Sic olim Hadrianus & Antonin. Impp: & præcedenti sæculo Rodulphus 2. Imp. non solum ea arte delectati fuerunt, sed etiam manu interdum pinxerunt. Erat proinde Philippo gratissimus Mabusius excellens per ea tempora pictor, cujus adhuc extant opera ipsius jussu confecta in arce Dorestati, quæ inde ad ædes Traject. in quibus hodie consessus Ordd. Patriæ, translata. Vide præter Noviomagum supra laudatum, etiam Sifridum Petri ad Appendicem Chronici Becani.

f *Parum deditus religioni, & minus observans cleri,*] Teste Noviomago, de puriore religione non malè videbatur sentire, & multa suo tempore se emendaturum profitebatur.

g *Ne ad primam citationem evocarentur,*] Indultum Leonis de non evocando, ad sacras, credo, res spectat: Extat etenim diploma Guilielmi Regis Rom: de non evocandis civibus Trajectensibus olim anno 1252. concessum.

h *Intensissimus fuit ardor in vere,*] Res rara & insolita in hisce frigidioribus provinciis, in quibus frigus quam ardor nocet magis.

i *Perfidia Lutheranorum,*) Loquitur Heda more sui temporis, tanquam cœcus de coloribus judicans, & præjudicio communi nimium indulgens. Quæ verò sequuntur de Rusticorum tumultu & seditionibus eorum, ea iniquè Luthero adscribit, aut ob eundem Reformatam culpat religionem; cùm tam Lutherus, quàm omnes purioris fidei professores, nihil magis quam ejusmodi fanaticorum hominum factiones damnare soleant.

k *Supra* clx. *hominum millia trucidarunt,*) Plures exasperati Nobilium in ipsos tyrannide, arma etiam Dominos, ac Principes, tam profanos quam Ecclesiasticos sumpsêre. Verùm Muntzerus, quò seditionem suam palliaret, religionem miscuit, malo exemplo, & satis severè in ipsis punito.

l *Frisii sub signis Ducis Gelriæ,*] Hæc quoque Snoyus, vel Caulæus ejus paraphrastes (cum nihil eorum in MS. meo Snoyo habeatur) prosequitur, & cum eo Fr. Haræus in Carolo Austriaco Brabantiæ Duce ad annum 1517, ubi etiam crudelis Asperanorum expugnatio. Vide I. Isaaci Pontani Gelricam historiam lib. xi. ad annum 1517. ubi Duces horum nominantur primarii, Iohannes Golsteinius & Iohannes Selbachius.

m *Multos inter illos fuisse Iudæos &c.*) Ex vulgi rumoribus hæc dicta, quasi non similia etiam hoc tempore in bello ab effrenatis militibus patrata: sanè ut longinquiora omittam, testes erunt Zutphania, Nerda, Oudewatera, & non ita nuper Magdeburgum, ubi nihil non crudelitatis & turpitudinis admissum fuit.

n *Præfuit annis circiter novem,*) In MSS. M. G. Lappii (qui olim Decani vander Burchii fuit) & in Miropiano est: *Præfuit autem Philip. Ecclesiæ annis sex, mensibus* xi. *diebus* xiv. *obiit Dorestati anno* M v^c xxiv. vii *die April. ætatis anno* lix. quibus convenit Noviomagus. Sifridus & Bockenbergius viii. ei annos regiminis tribuunt. Diversitas ex ignoratione temporis cessionis *Badensis* videtur orta. Diem obitus Huterus statuit 4. Aprilis, Hortensium secutus; Ubbo Emmius 6. in eo magis etiam deceptus quod corpus ejus more majorum Ultrajecti in æde primariâ sepultum scribit.

Henricus Episcopus LVIII.

EO mortuo indictis consiliis ad vi. diem Mensis Maji ut rebus afflictis celerius occurreretur, fusæ magnæ preces, diuque præmeditatum quis utilis idoneusque inveniretur. Multorum judicio insedit de Germaniâ superiore, quæ principibus & nobilitate pollet, aliquem quærendum, & minimè ex ditione Principum Burgundiæ, cum illi moribus Germanicis se minus conformarent, qui gaudent libertate, Gallicam servitutem omnibus exposam sectantes, sine fide, sine fœdere oppressionem vicinorum meditâtes, & id in odium Philippi

Mores diversi populorum.

lippi, contra alii in odium Frederici respuere Germanos, tanquam superbos, solâ ostentatione & verbis potentiam habentes, indigos æris nervi belli, & idcircò avaros ac onerosos provincialibus, nunquam satiabiles, despicientes cæteros, cæteri utrosque secludere tanquam inhabiles ad Rempublicam bene administrandam, satis in ore populi vivente Frederico, quod à superiore illo Germano deficiente, nollent regi. Idipsum sub Philippo crebro vulgatum de Burgundionibus, cogitandum de tertio, cujus potestas non esset suspecta, nec mores infesti, & vita cognita; sub quo sine timore aut sollicitudine, sub pace & tranquillitate vivere liceret. Dum ista agitarentur, à Burgundis Cardinalis Leodiensis, ab Archiepiscopo Coloniensi, Duce Clivensi, Comite Palatino, Henricus frater ejus coadjutor Ecclesiæ Wangionum, Wormaciam dicunt, Præpositus Aquensis, à Comite Provinciæ Hassorum, (Lantgravium dicunt,) Bichelius Decanus Coloniensis; ab aliis Episcopus Monasteriensis frater Coloniensis Archiepiscopi. At Gelriorum Princeps optionem proposuit, sive filium Ducis Lotharingorum nepotem, sive alium ex Ducibus Luneburgensibus, vel quod ex gremio majoris Ecclesiæ aliquis notus eligeretur. Inter tot commendatos non modica suborta anxietas, multorum vota concurrebant, in Cardinalem Leodiensem, quia opulentus lapsis rebus succurrere posset, & magnis clientelis fulcitus in summâ æstimatione apud Rom. Pont. atque Cæsarem habitus: aliis contra severitatem & potentiam illius formidantibus, & quod Cardinalis esset tribus jam Episcopatibus præpositus, quo minus ad desolatam Ecclesiam intenderet: frater Comitis Palatini præsentiâ incognitus, solâ famâ ex aliquorum relatu notus, & licet ex nobilissimâ domo oriundus, tamen superessent septem fratres, ut minus sufficere videretur tanto oneri, occupatis aut impignoratis ferè totius Provinciæ munitionibus. Propositum de Episcopo Monasteriensi multis placuit, quia provinciam cum Transisulanis jam oppressis haberet conterminam, valens facilè conscribere equitatus, & cum parvo labore ferre subsidia; obstabat juramentum, quo Ecclesiæ suæ astringeretur, & quod aliam acceptare inconsultis suis proceribus nequiret, qui omninò obstabant: allegebatur etiam quod Duci Gelriæ esset infensus. De Bichelio Lotharingo, sive Luneburgensi rarus sermo, quia in hoc forsan displiceretur Burgundis, non defuêre ex Ecclesiis, qui in animo volutabant aliquem ex gremio eligendum, cùm & nobiles & docti, & juxta ætatem bonisque moribus præditi haberentur, & plerisque Ecclesiis utilius consultum fuisset in promovendo mediocris conditionis, quam potentes aut illustres; ita ut aliqui de semetipsis spem concipere, ambire, & in vota sua alios sollicitare non formidarent, quod cùm ex rumore à populo rescitum esset, parum abfuit, quin ad motus & arma concurreretur. Nam suspicio erat, quod eo modo aliquis potentior Episcopatum posteà esset consecuturus. Cecidere itaque suffragia in Cardinalem Leodiensem, ac fratrem Comitis Palatini sub incerto auspicio, & plurimis votis, cumque à scrutatoribus denunciaretur alterum prævalere multitudine, ne electio fieret per contentionem, & provincia jam exhausta, cædibus ac rapinis iterato exponeretur, accessere vota minora, & declaratus Henricus Dux Bavariæ, ac Comes Palatinus Episcopus absens quinquagesimus octavus in ordine, vir certè non minus virtutibus ac moribus, quàm sanguine illustris.

Germani & Burgundi ad regendum æque inepti.

De competitoribus varia judicia.

Henricus Dux Bavariæ, & Comes Palatinus communibus suffragiis declaratur Episcopus 58.

Hucusq; Guilhelmus Heda Historiam suam contexuit.

Henricus Philippi Palatini Rheni & Electoris Fil. ex Margareta Ludovici Bavariæ ducis filia, natus 1487. *Febr.* 15. *ex Canonico fit Episcopus Spirensis anno* 1523. *& anno seq. Ultrajectensis, & tandem Frisingensis. Obiit* 1552. 3. *Junii.*

In Pasquillis ævi superioris vocatur den blauwen Bisschop/ *eadem ratione qua floreni blavii id est, Bavarici à Thoma Campensi in Chronico sanctæ Agnetis appellantur, quod à Bavaris principibus primum cudi cœperint, qui blavias tessellas in scuto ferunt.*

DESCRIPTIO ULTRAIECTINÆ

Regionis quæ Bataviæ finitima est, per

GERARDUM LISTRIUM RHENENSEM MEDICUM,

Ad Philippum Burgundum Episcopum ULTRAJECTINUM.

Extat hæc descriptio plenior fol. 376. partis 3. poëtarum Belgicorum anno 1614. Francofurti editorum.

Sed ne ceu vilem, & te indignam principe sponsam
Abjicias, quales gremio complexa sit urbes
Et quales fluvios animo metire sagaci.
Oppida belligerâ Germania prædita pube
Plura tenet, quæ vel possis componere magnis
Vrbibus Italiæ si munimenta situsque
Attendas, si divitias cœlumque beatum
Expendas, sed qui tam crebra beataque servet,
Angulus, haud aliis Germanis extat in oris.
Scilicet ut Cycladas ventosus circuit Argon
Distantes inter sese discrimine parvo
Sic & turrigeras amplectitur angulus urbes
Exiguus multas, inter quas emicat una
Metropolis, sicut Solis conjunctus anhelo
Vltrajectum *Phosphoros obscuros inter rutilare videtur.*
Asteras, Eridanus Italos ut deprimit amnes
Vt Carolus proceres post se videt ire minores
Innumeros, cui Belga ferox, Hispanus & acer,
Cui Siculus servit, nec non Campana juventus.
Aspice quàm celsos ad sydera fulgida muros
Tollat, & aëreas niveo de marmore turres.
Non Babylonicas quas vafra Semyramis arces
Coctilibus muris lentoque bitumine cinxit
Metropolim hanc superasse putem, sic ædibus altis
Exornata cluit, sic est redimita deorum
Delubris, cœlum sic est sortita beatum,
Sic Rheno alluitur, sic Oceanitide lympha
Perfruitur, sic & circundatur ubere campo.
Verum ut sint aliis forte hæc communia paucis
Vrbibus, asteribus quorum pomœria faustis
Sunt signata, quibus candentia licia nerunt
Concordes stabili fatorum numine Parcæ,
Illa quidem inficias nemo certe iverit esse
Propria Trajecto, quod quæ collegia tanta
Tantis divitiis & cultis moribus aucta
Post Romam urbs habeat, temerè haud reperitur in orbe.
Quare Trajectum Romam vocitare minorem
Est solenne viris, qui septem collibus urbis
Lectis Trajectum commigravere decorum.
Quodque magis niveas matronas atque venustas
Non sit quæ teneat, quamvis se Cypria tellus
Iactet alumnarum prægrata munere formæ.
Quamvis Hermione se tollat in æthera Cadmi
Vrbs Amphionia testudine condita, quamvis
Sparta suas cristas Ledeum tollat ob ovum.
Sed quicunque parat Trajecto advolvere honorem
Laudibus, is dentem certat candore nivali
Albavisse Indum, succo loliginis atro.
Verum ut sub rapidi nihil est curvamine cœli
Parte quod ex omni perfectum vivat agatque,
Sic sunt nevorum quædam vestigia, corpus
Tam bene compositum malè quæ decuisse videntur
Tempore quæ partim, quæ partim principe tali
Tollentur rapidisque notis volvenda dabuntur.
Salve Trajectum ter fœlix terque beatum
Attalico censu, concinnis ædibus atque
Sidereis formis, juvenum quoque robore duro,
Ingenio facili, cœloque situque salubri.
Salve, protentis & Episcopon excipe palmis,
Et corpus conjunge animæ capitique decoro,
Et sine vesano proceres confligere Marte
Externos, æquis votis æquoque favore.
Ocia fœlicem sic te dulcissima pacis
Servabunt, celso sic vertice sidera tangens.
Quæ post Trajectum possit tenuisse secundas
Ambiguum est. Nam tres urbes quas Issula radit,
Ancipiti inter se Mavorte potissima quæ sit
Concertant, ætate tamen Daventria Zwollam
Littoreosque premit Campos, & honore sedendi.
Hoc tribus urbibus est commune, quod emporiis sint
Percelebres, quod Trajecti sint æmulæ amœnis
Ædibus & plateis & pulchro gurgite Rheni.
Quòd sint pacificæ, quod sese fœdere aheno
Astricti adjuvent, quòd relligionis amore
Exuperent cunctos, quod simplicitate fideque
Germanos veros agitent, quòd denique tales
Quæque Senatores habeat, fortissima quales
Vidit Roma duces, cum regem Marte Molossum

Contu-

Contudit & victum Latios dimittere fines
Compulit ac Adriam rursus transire sonorum.
Sed sicut longè doctæ dicuntur Athenæ.
Argolicas urbes olim superasse Minervæ
Muneribus, sic Swolla premit Tritonidos arte
Pubicolaque schola, quascunque bicornis inundat
Vrbes aëreas Rhœnus dum deserit Alpes
Et ferit arctoam non uno gurgite Thetim,
Nedum finitimas post se videt ire minores
Illinc Barbaries ultra glaciale profundum
Exulat expulsa, ac illic Grajus Latiusque
Sermo viget, nec non quo Verpus fatur apella.
Verum ut Palladio se jactat munere Swolla
Oppidulum Rhœnense pium, sic præstat amœnò
Cœlo, sicque situ se tollit ad athera blando.
Quippe quod in celso constructum vertice collis
Frondosi, Rhœnum subter se cernit euntem.
Vorticibus tremulis, strepitantem murmure raucò.
Hic si quando libet cervos agitare fugaces
Fulmineum vel aprum cornu transfigere durò
Auribus excipies vocum discrimina mille,
Avia quas arbusta cient volucresque canoræ
Capripedes cernes Satyros, Dryadesque fugaces,
Dum cursu certant agili prævertere Panes,
Agrestes nymphas latè nemus omne movere.
Oppidulum quamvis istud non sit populosum,
Attamen exigui cives ut montibus altis
Nutriti, sunt montani genus acre virorum.
Germanis nullis vivunt virtute secundi
Bellica & ingenii non cedunt dotibus ullis.
Sic opibus quod deest supplet virtus geniusque.
Amorsfordianam jam quis rogo laudibus urbem
Extulerit dignis; opibus censuque beatam
Mygdonio, sed Martigena celsaque juventà
Præcipue claram. Quis Vucam carmine dignò
Impositam Rhœni ripis describere posset?
Ergo diœcesim tam claris urbibus atque
Fortibus ornatam, munitam robore tanto,
Porrectis ulnis, Princeps cape summe vicissim.

F I N I S.



CONTINVATIO
SUFFRIDI PETRI

Ad res Vltrajectinas quæ desiit supra ad Becam, Fol. 191.

Wilhelmus Enckevortanus Episc. 59.

Sedit annis fermè septem.



OST resignationem Henrici de Bavaria, Pontifex Clemens Septimus anno 1529. Episcopatum Ultrajectensem authoritate suâ contulit venerabili Viro ac Domino VVilhelmo Enckenvortano *Brabanto: hunc Onuphrius Panvinius alicubi Trajectensem vocat, fortè propter Pontificem Hadrianum Sextum, qui Trajectensis fuit. Huic enim admodum familiarem ac charum fuisse ex eo satis constat, quod ipse, postquam in Pontificalem sedem exaltatus esset, ei non solùm Episcopatum suum Dertusensem in Hispania, sed etiam Galerum Cardinalitium contulerit. Hic enim est ille VVilhelmus Enckenvortanus Dertusensis Episcopus, quem anno Christi 1523. Pontificatus sui anno secundo die Iovis, 4. Idus Septembris Romæ P. P. Hadrianus VI. unica sua ordinatione fecit unicum Cardinalem Presbyterum SS. Iohannis & Pauli: Quanquam autem in electione Clementis Septimi, qui Hadriano Sexto mortuo successit, ipse non adfuerit, videtur tamen illi nec ignotus fuisse, nec ingratus, qui illum Episcopatu Trajectensi decorum voluerit. Hic igitur Præsul per procuratorem suum Ultrajecti cathedratus fuit Episcopus ordine quinquagesimus nonus, sedemque habitationis suæ toto tempore Romæ retinuit, ubi etiam mortuus est mense Iunio anno 1536. postquam Episcopatum per procuratores administrasset annis fermè septem: Onuphrius enim defunctum scribit anno undecimo Clementis Septimi, hoc est, anno Christi 1534. & sepultum Romę in Ecclesia S. Mariæ de anima: ex quo nascitur error * totius biennii in calculo temporis: nos communem popularium Chronicorum traditionem hîc secuti, ad sequentis Præsulis initium extendemus hujus finem, quo series annorum servari possit.

De Mirrelo in Campinia.

Hoc titulo P. Iovius ei inscripsit vitam Adriani VI. Papę

1563.

1534.

* *Ipse Dñs Egmōdanus manu sua notavit.* XXIV. Decemb. in vigilia natalis Domini acceptavi ad laudem domini Episcopatum Trajectensem, Mechliniæ an. 1534 *In Breviario suo: quod vidi apud magnif. V. Corn: Boonium Scabinum.*

Carolus Austriacus præfuit annis 49.

ANno 1506 successit Patri † Carolus Austriacus Hispaniarum Princeps, &c. & numeratus est Comes Hollandię, Zelandię, ac Dominus Frisiæ ordine vicesimus nonus: & quoniam is tum temporis non nisi sex annos natus fuit, consensu votisque primorum illi fratrique ejus ac sororibus generalis Tutor postulatus ac præfectus est ipsius avus Maximilianus Rom. Imperator, Archidux Austriæ, &c. Apud hunc igitur Carolus Austriacus ad puberem usque ætatem potissimum educatus fuit. Anno autem 1514. Carolus Austriacus in omnibus civitatibus Hollandiæ Comes inauguratus est mense Iunio. Anno 1515. Georgius Dux Saxoniæ: Alberti filius cum consensu fratis sui Henrici Dominium Frisiæ transtulit in manus Caroli Austriaci: cujus nomine mox Leovardiæ consentientibus patriæ Ordinibus ad S. Vitum in Portu veteri Calend Iulii inauguratus est excellentissimis Princeps Florentius Egmondanus Isselstenius, Aggeris S. Martini, * &c. D. Toparcha generalis Hollandiæ, Zelandiæ ac Frisię: Qui consequenter ut reliqua laudabiliter à Duce Saxoniæ instituta ampliavit, ita & supremam quoque Curiam Senatorum numero auxit, novisque in hunc ordinem allectis, tres duntaxt ex illo Saxonico Senatu reservavit, scilicet D. M. Bernardum Buchonem ab Aita, & D. Hesselum à Martena, & D. Renichum à Camminga.

† Philippo Austriaco de quo supra fol 156.

* *Hutterus fol. 322. in Carolo Austriaco, & Pierius VVinsemius in Carolo V. potestate Frisię.*

Anno Domini. minga. Quod horum fides ac diligentia Carolo Austriaco peculiariter à Duce Saxoniæ commendata esset: Ac mihi quidem rem penitius consideranti videtur Carolus Quintus de industria cùm in omnibus suis Provinciis, tum in iis præcipuè, quas ipse acquisivit, velut in Frisia, in Geldria, in Transisulania, in Ditione Ultrajectina, Toparchas potentissimos, ac rei militaris peritissimos, tum Consiliarios prudentissimos atque integerrimos constituisse: Videbat enim Princeps singulari prudentiâ præditus, hac ratione futurum, non solùm ut Provinciales ipsi melius in officio continerentur, si armis hostis externus arceretur, legibus domestica tranquillitas conservaretur, verum etiam, ut & finitimæ nationes paulatim repressa feritate mitigarentur, si partim exemplo doctæ, partim consuetudine emollitæ depræhenderent Burgundiacæ Domus politiam sua longè esse præstantiorem. Itaque primum Toparcham sive Præfectum Frisiæ Carolus Austriacus esse voluit, hunc ipsum, qui ejus nomine inauguratus fuit Florentium Egmondanum: Hic autem quantus fuerit, ignorare non possunt, qui hujus ætatis Historicos, vel à primo saltem limine salutarunt: Egmondano successit ex natione Austriaca oriundus rei bellicæ gloria non inferior D. Wilhelmus Roggendorffius, qui successorem habuit illustrissimum virum Dn. Georgium Schenck à Tautenburch parentem Reverendissimi Archiepiscopi Ultrajectini præsentis, qui rerum pro defensione Frisiæ gestarum amplitudine præcedentes facilè superavit: Hunc defunctum excepit bellicosissimus item Princeps Maximilianus, Comes de Buren, cui mortuo suffectus est, virtute bellica præstantissimus Iohannes Comes * Arenbergius, Arenbergio miles item egregius Carolus Comes Megensis, Megensi strenuus inprimis Ægidius Barlamontius. Barlamontio demũ diversis ac multis bellis exercitissimus Gaspar à Robles Baro Billæus suffectus est. Qui quidem omnes ac singuli, quales, quantique extiterint, quantaque cura ac diligentia Frisiam tutati sint, ut publicis scribentium monumentis, ita etiam viventium testimoniis adhuc abundè constat: Et verò ut armatæ, sic etiam togatæ militiæ coryphæos eadem Domus Burgundiaca Frisiæ gubernandæ præfecit. Apparet id in Senatus supremi reformatione, cùm ejus numerum in justum ordinem redigeret, non præsente modo M. Buchone, sed eo etiam in Hagensem Curiam translato: Primus in Frisia Senatus Cæsarei Præses ordinatus est M. Gregorius Bertolphus Lovaniensis, quem ob singularem prudentiam ac rerum usum, quem ille sibi Bruxellæ publicis privatisque causis actitandis plurium annorum spatio comparaverat, Carolus Quintus hoc loco dignum judicavit: qui quidem tametsi vix anno integro supervixerit, jucundissimam tamen illic sui memoriam omnibus reliquit, cujus defuncti filiam D. Iustinam posteà uxorem duxit clarissimus vir ac Dominus D. Ioachimus Hopperus Frisius, Eques Auratus, & Regię Majestatis in Hispania Sigilli custos, & per Belgicas ejusdem Majestatis Provincias Cancellarius. Bertolpho defuncto suffectus est M. Iacobus Stavelius insignis & ipse politiæ conservator, cui successit, omnibus merito suo suspiciendus M. Everardus Nicolai: hic enim ut parentem habuit eruditione, prudentiâ, integritate singularem, ita & ipse ob adauctas in se has dotes apud Carolum Quintum majori authoritate fuit, ac proinde ad plures etiam dignitates ab eo gradatim evectus est: utpote qui primũ ex Hagensi consistorio vocatus, Consiliarius in Frisia, & hinc Senator Mechliniæ, indeque Præses Frisiæ, posteaqne Secreti concilii Senatot Bruxellæ, ac postremò Magni consilii Mechlinię Præses creatus fuit: Everardo Bruxellas vocato, successit Doctor Hippolytus Persinus, cujus & ipsius integritatem testatur in melius ac majus gradatim facta promotio, qui primùm ex Hagensi consistorio Præses Frisiæ, & inde Præses Ditionis Ultrajectinæ factus est: pro meliori enim habendum cuique id est, quod liberâ voluntate ipse alteri præponit: Hippolyto Ultrajectum avocato successit M. Carolus de Nitzen, cujus non minus, quàm prædecessoris sui virtutem augendis dignitatibus Carolus Quintus, ut & filius ejus Hispaniarum Rex Philippus approbatam voluit, hic enim primùm ex consistorio Hagensi, Fisci advocatus in Frisia, & hinc iterum Senatus Regii in Frisia Præses cõstitutus, & Equestris ordinis insignibus donatus fuit. Nitzeno defuncto successit clarissimus, prudẽtissimusq; vir ac D. Doctor Igramus ab Achlen, ejusdem Senatus Consiliarius, electus in Præsidem exemplo memorabili ac novo: nam postquam Nitzenus diem suum obiisset Regia Majest. Ampliss. Clarissimoq; viro Segero, Domino Groesbekio, Reverendiss. Episcopi Leodiensis fratri, qui tunc Frisię Vice-præfectùs erat, mandavit, ut per Scrutinium à singulis Consiliariis jurejurando antea exacto exquireret, quem quisque ex collegis ad vacantem functionem maximè idoneum judicaret, quo facto, cum suffragia hunc nominassent, Rex qui ante annos decem ob singularem

Vide P. Winsemii Carolum.

** Casus 1558. ut infra narratur.*

larem ejus prudentiam atque fidem aliis tunc experimentis exploratam hujus Senatus Consiliarium fecerat, eundem Præsidem porrò jam cupidissimè fecit. Planè igitur hic dubites, utrum magis suspiciendum dicas, Regémne de omnibus Consiliariis hujusce Curiæ eam habuisse opinionem, ut singulos Præsidentiæ fastigio dignos judicaverit, an verò hunc reliquorum talium judicio unum omnibus esse prælatum. Utrumque certè cum cæterorum omnium, tum hujus in primis integritatem singularem arguit, quam & omnis ordinis Provinciales etiam calculo suo comprobarunt: Quorum votis nihil optabilius fuit, quam hunc Præsidem videre Frisiæ: Ut autem in Toparchis & Præsidibus, ita etiam in Fisci advocatis, quos alibi Provinciæ tutores, in Frisia Procuratores generales usitatè vocant, eadem Domus Burgundiaca prudentiam suam studiosè declaravit, cùm tales hactenus ordinaverit, qui inter severitatem ac lenitatem via media ingressi, neque contemptum Majestati, neque odium conflarent, & bonis solatio, malis terrori essent: In horum numero primus fuit M. Carolus de Nitzen, idem ille, qui posteà Curiæ Præses ibidem fuit: qui quanta integritate se in eo officio gesserit, ex prædictis æstimari potest. Huic secundo loco successit incomparabili integritate vir ac Dominus M. Iulius à Geel, ob singularem suam in tractandis negociis civilibus dexteritatem ex præcipuis ejusdem Curiæ advocatis electus & assumtus qui ita sese gessit, ut forensem praxin, cujus peritissimus fuit, ad honorem Majestatis, & salutem Provinciæ contulisse, etiam ab improbis judicatus sit. Tertio loco hic suffectus est clarissimus, prudentissimusque vir ac D. Doctor Iohannes Carolus Antverpiensis, qui cùm ad expoliendam singularem suam tum reliquarum disciplinarum, tum V. I. cognitionem in amplissimo apud Mechliniam Senatu decennio integro causarum patronum ageret, ac variis ejusdem Senatus suffragiis ad Septenos dignitatis gradus postularetur, Regiæ Majestati in primis visus est idoneus, qui huic functioni præficeretur, quam & tanto moderamine hactenus administrat, ut & Majestati Regiæ, & subditis ejus, temporibus his quantumlibet turbulentis, officium suum abundè probet. De reliquis hujus Amplissimi Ordinis Consiliariis hic texere catalogum, instituti nostri ratio non patitur, quibus ne id quidem propositũ fuit, ut horum ipsorũ, de quibus diximus, universas dotes ad amussim hoc loco recenseremus, quod peculiari opere, si vita suppetat, facturi sumus, quod de omnibus Toparchis, Præsidibus, & Consiliariis Curiæ Frisicæ meditamur: Nunc enim id operam solummodò dedimus, ut vel exili saltem horum nomenclatura proposita Lector ex conditione Frisiæ conjecturam faciat de reliquis Provinciis, quas Ditioni suæ Carolus Quintus aggregavit, quanta scilicet curâ Domus Burgundiaca prospexerit, ut & publicæ & privatæ tranquillitatis idoneos administros his præficeret. Porrò autem anno 1517. circa festum visitationis Mariæ Carolus Austriacus in Hispaniam profectus est, ubi insequenti anno Rex Arragoniæ, Legionis & Castellæ, & mox utriusque Siciliæ coronatus est, mortuo Rege Ferdinando ejus avo materno. Anno autem 1519. prid. Idus Ianuarii mortuus est Imperator Maximilianus primus, Caroli Austriaci avus paternus. Cui eodem anno Calendis Augusti Carolus suffectus est, dictusque, est Carolus Quintus, imperavitque anno 38. mensibus sex, diebus viginti septem. Eodem anno M. Bernardus Bucho ab Aita à Carolo Quinto in Palatio Hagiensi Collegio Canonicorum Decanus præfectus, & in summam Hollandiæ Curiam Senator ascitus est. Anno 1522. Carolus Quintus ad sedandas Principum discordias in Hispaniam rursus profectus est. Anno 1525. Carolus Quintus duxit in uxorem Dn. Isabellam Emanuelis Regis Portugalliæ filiam: Anno 1527. mensis Maji, die septima Vallidoleti in Hispania natus est Carolo Quinto filius primogenitus, qui nominatus est Philippus, hodieque patri superstes ditiones hæreditarias clementissimè gubernat. Anno 1528. mensis Decembris, die tertia concessit in fata clarissimus vir Dominus M. Bernardus Bucho ab Aita, anno ætatis suæ sexagesimo tertio, sepeliturque in Haga Comitis, vir merito suo plurimum laudandus: utpote, qui rebus adhuc in Frisia novis annos quindecim continuos Ducibus Saxoniæ, Alberto, Henrico, atque Georgio, deinde & Carolo Quinto per annos quatuor ibidem, & in Hollandia demum per annos novem fidem diligentiamque suam in suprema Curia Senator probavit. Rebus in Frisia oppido turbatis, partiumque discordia ac bello implicitis maxima sæpe pericula prudentia suâ fortiter à Patria avertit. Leovardiam obsidione Geldrorum pressam in fide retinuit, multisque legationibus honestissimis ad Maximilianum Imperatorem, Regesque Francorum & Anglorum functus est: Utque in summa dignitate constitutus, rebus affluentibus innatam liberalitatem suam præstare ex animi senten-

Anno Domini.

Nota conditum Suffridi qui non videtur prodiisse.

1519.

In Epitaphio Granatæ legitur XL.

1522.

1525.

1527.

1528.

De quo vide plura supra

Sepultus Hagæ epitaphio decoratus, ac altero honorario in Frisia, quæ sunt penes LAPPIUM.

Anno Domini.

sententia potuit, munificus in primis extitit in Antistites orthodoxæ Religionis, & libera-
lium Artium studiosos. In quos affatim collata beneficia non modo fundationum monumen-
ta publica, sed & vivorum testimonia hactenus declarant. Eodem anno natus est Carolo
Quinto filius secundo genitus, vocatusque est Maximilianus, qui infans periit. Anno 1530.
1530. Carolus Quintus in inferiorem Germaniam reversus est adducta secum sorore sua. D. Ma-
1531. ria Ludovici Ungarici vidua. Anno 1531. D. Ferdinandus Austriacus Caroli Quinti
frater, Rex Romanorum electus est. Eodem anno Maria Ungarica Caroli Quinti soror
1532. ordinata est Gubernatrix harum inferiorum Provinciarum: Anno 1532. Carolus Quintus
in Germaniam profectus est, & effugatis ex Austria Turcis, in Hispaniam profectus est.
1535. Hinc anno 1535. in Aphricam trajecit, ac Tunetum cepit. Anno 1536. Gruningani se Ca-
1539. rolo Quinto submiserunt. Anno 1539. secunda die Maji mortua est Imperatrix Domina
Isabella Caroli Quinti uxor. Eodem anno Carolus Quintus ex Hispania terrestri itinere per
Galliam reversus est: & in principio anni 1540. Gandavi castrum præsidiarium ædificavit.
1545. Anno 1545. mensis Iunii, die 9. ex Domina Maria Dn. Iohannis Portugalliæ Regis filia Phi-
lippo Caroli Quinti filio nascitur filius primogenitus, qui vocatus est Carolus: & tertio à
1546. partu die puerpera hæc defuncta est. Anno 1546. Carolus Quintus Ultrajecti celebravit so-
lennitatem aurei Velleris†, ubi tunc temporis multi Nobiles militari decore, ut olim vocaba-
tur, ut nunc dicimus, Equestri dignitate donati sunt. Ex Frisia D. Sixtus à Dekema, & D.
Petrus à Dekema ejusdem Majestatis in suprema Frisiæ Curia Consiliarii, itemque Præses
Curiæ Trajectinæ D. Doctor Hector ab Hoxvier, & D. Aesgo ab Hoxvier frater ejus, cum
aliis aliquot ordini Equestri adscripti sunt. Eodem hoc anno & sequenti Carolus Q. bellum
Germanicum confecit. Anno 1548. Maximilianus Ferdinandi filius, qui nunc Imperator est,
Mariam Caroli Quinti patrui sui filiam uxorem duxit: Sequenti anno Philippus Austriacus
Hispaniarum Princeps &c. Caroli Quinti filius relicto in Hispania filio, patris sui jussu in
Brabantiã* venit, anno ætatis suæ vicesimo secundo. Anno 1554. Philippus Austriacus His-
paniarum Princeps duxit secundam uxorem Reginam Angliæ Mariam, Henrici Octavi ex
Catharina Arragana filiam. Anno 1555. Carolus Quintus Philippo Austriaco Hispaniarum
Principi filio suo hæreditariarũ suarum in Belgio Provinciarum gubernacula tradidit: post-
quam ipse eas post obitum parentis sui moderatus esset, partim per vicarios suos, partim per
semetipsum annis quadraginta novem.

† Vide Catalogum horũ Equitum apud Lud. Guicciardinum Belgiographum fol. 85. editionis gallicæ, anno 1609.

** Extat Ioannis Christophori Stellæ Calveti itinerarium Philippi Hispanicum, anno 1552 in fol. apud Nutiũ editum.*

Georgius Egmondanus Episcop. LX.

sedit annis XXIII.

Anno igitur 1536. postquam de obitu Episcopi Wilhelmi constitisset excellentissimus vir Dominus Georgius Egmondanus Iohannis Comitis Egmondani filius, postquam legitimè electus, & per Pontificem confirmatus esset, cum ingenti Principum ac Nobilium comitatu Ultrajectum venit, ibidemque in sexagesimum Episcopum inauthoratus est: Hic Præsul in magna tranquillitate Episcopatum toto vitæ suæ curriculo administravit cum Ecclesiæ profectu non mediocri: nam cùm externorum hostium incursionibus non infestaretur, quos Domus Burgundiacæ defensio facilè arcebat, ipse* insignem eruditionem, quam singulari pietate condiverat, toto pectore ad ornandam Ecclesiam Christi contulit: non solùm enim solennia ista pietatis opera, preces, jejunia, eleemosynas & consimilia subditis suis exemplo præstabat, sed & reliqua Ecclesiæ officia ipse subibat, ut & sacrificiis præsens interesset ac præesset, & ordinationes clericorum atque etiam examinationes per se faceret, ne qui ad sacerdotalem dignitatem inidonei fortè irreperent indigni.† Mortuus est hic Præsul 26. Septembris anno 1559. postquam Episcopatum administrasset annis XXIII.

Philip-

** Insigne præconium D. Egmondano tribuit Fr. Ioannes Royardus Ord. Minorum 1541. in dedicatione sua Homiliarum in Euangelia dominicalia. Ejus denique eruditionem cum pietate egregiè commendat Gerardus Moringus dedicatoria epistola commentariorum in Ecclesiasten.*

† In Abbatia S. Amandi cujus erat administrator: Cor tumulatum Vltrajecti cum honorario cenotaphio.

Anno Domini.

Philippus Hispaniarum Princeps XXX.

EOdem igitur anno 1555. Philippus Hispaniarum Princeps Archidux Austriæ, &c. 1555.
Caroli Q. Filius Hollandiæ, Zelandiæ Comes, & Frisiæ Dominus inauguratus est
ordine tricesimus. Anno 1556. Carolus Quintus unà cum sororibus Elionora at- 1556.
que Maria in Hispaniam profectus est: Anno 1557. Hispaniarum Princeps provocatus bel-
lum suscepit adversus Henricum Galliarum Regem. Anno 1558. mensis Februarii, 24. die 1558.
Carolus Quintus Imp. Imperium Electoribus Francoforti per Legatos resignavit, atque eo-
rum consilio in Ferdinandum fratrem transtulit, qui decimo octavo die Martii eodem anno
Francoforti Cæsar creatus est, ejus nominis primus, qui imperavit annis quinque: Carolus
autem Quintus eodem anno 1558. mensis Septemb. 21. die obiit in Hispanica Betica apud 1558.
S. Iustum. Ibidem etiam eodem anno sorores ejus Elionora atq; Maria defunctæ sunt. Anno
1559. pax inter Philippum Hispaniarum Principem, & Henricum Galliarum Regem com- 1559.
posita fuit: ac Philippus defuncta jam antea Regina Angliæ secunda uxore sua, tertiam duxit
uxorem, Dominam Elizabetham filiam natu maximã, ejusdem Henrici Galliarum Regis, qui
decimo die Iulii fortuito vulnere in hastiludiis sauciatus interiit. Eodem anno Philippus Hi-
spaniarum Princeps ad coronam Hispaniarum accipiendã iter adornavit, ac Margaritam Au-
striacam Ducissam Parmensem suam sororem ex Italia vocatam universalem omnium hære-
ditariarum in Belgio Provinciarum gubernatricem constituit, nihilominus interim & singu-
larum quoque Provinciarum particulares Gubernatores constituit. Eodem igitur anno 25.
Augusti ex Zelandia versus Hispaniam navigavit, in quam appulit octavo die Septembris in-
sequentis. Eodem anno etiam authoritate Pontificis Pauli Quarti, ut sectis gliscentibus obsi-
sti possit commodiùs, in suis hisce Ditionibus Belgicis novos aliquot Episcopatus erexit. De
quibus in Episcoporum linea commodior dicendi locus fuit Anno 1560. mensis Ian. die 28
in Hispaniam appulit Elizabetha Philippi Hispaniarum Regis sponsa, qua Regali magnifi-
centiâ excepta nuptiæ consequenter celebratæ sunt. Anno 1562. mensis Novembris, 24. die
Maximilianus Ferdinandi filius præsente patre renunciatus est Rex Romanorum Francofor-
ti, & 30. die ejusdem mensis ibidem porrò in Regem coronatus est. Anno 1564. in festo 1564.
S. Iacobi, hoc est, 25 Iulii obiit Ferdinandus Imperator. Anno 1566. mensis Augusti, die vi- 1566.
cesima Antverpiæ, & deinceps consequenter pluribus in locis per Belgium sunt ex templis
ejectę statuæ, unde magni motus, magnæque calamitates insecutæ sunt, quibus hactenus hæ
Provinciæ gravissimè affliguntur. Anno 1567. mense Augusto in Brabantiam ex Hispaniâ 1567.
missus * venit D. Ferdinandus Dux Albanus, cui resignata gubernatione cessit Margarita Au-
striaca †, quæ Parmam se recepit ad maritum suum. Anno 1568. mensis Maji, die 24. D.
Iohannes Comes Arenbergius, Frisiæ Toparcha adversus Ludovicum Comitem de Nassou-
wen temerè cõmisso prælio prope Heiligerledam interfectus est, quo & Adolphus de Nas-
souwen Ludovici frater interemptus est. Insequentis autem Iulii 21. die D. Ferdinandus
Dux Albanus, &c. prædictum Comitem Nassovium in Reiderlãdia prope Iemmingas com-
misso prælio fugavit, exercitumque ejus profligavit. Hoc anno Carolus Hispaniarum Prin-
ceps Philippi Regis ex prima uxore unicus filius vita defunctus est. Eodem anno defuncta
est & uxor tertia ejusdem Philippi Clementissimi Regis nostri, filia Henrici octavi Gallia-
rum Regis, quæ moriens marito suo reliquit superstites filias duas. Anno 1571. Philippus
Hispaniarum Rex quartam duxit uxorem D. Austriacam ac Bohemicam, Maximiliani II. Im-
peratoris, & Isabellæ sororis suæ filiam. Quod matrimonium pacis ac tranquillitatis publi-
cæ ratione Pontifex admisit: est enim Philippus Annæ idem & avunculus, qui maritus. An-
no 1572. passim in his regionibus Belgicis Philippo Hispaniarum Regi subjectis de integro
publici motus exorti sunt, occupavitque Montes Hannoniæ Ludovicus Comes Nassovius:
unde & paulo pòst Albano superveniẽte facta deditione recessit: occupata est etiam à Prin-
cipe Arauziorum Gulielmo Nassovio Mechlinia, & superveniente Albano mox direpta.
Multæque urbes in multis Provinciis deinceps captæ atque receptæ sunt. Multæ adhuc

(.·.) 3 tumul-

P. VVinsemius lib. 1. in Philippo fol. 73.

Extat de his Episcopatibus liber Arnoldi Havensii.

** Viglius Zwichemus in vita sua, quam Lappius MS. adservat, ait; Principio quidem cum potestate Capitanii generalis, relicta ducisse administratione in iis quæ militiã non concernebant. Verum illa intelligens cum consorte imperii diu cõcordiam cõstare non posse, licentia à Regia Majestate obtenta sub initium Calend. Ianuarii in Italiam abiit, Ducique Albano plenam potestatem regendi has Provincias, ita rege jubente, reliquit.*

† *Videatur & clarus Vir P. VVinsemius lib. 2. in Philippo Austrio potestate Frisiæ, fol. 200. & 202.*

tumultuantur, plures trepidant, de quibus cum pluribus locis dicere superfluum sit, nos quantum satis erit, ad Chronicon Ducum Brabantiæ de his commodius dicturi sumus, cùm non ad Comitatum Hollandiæ solùm ac Diœcesin Ultrajectinam, sed etiam ad Ducatum Brabantiæ, sicut & ad reliquas Provincias Belgicas, quæ Regi nostro parent, attineant. Et quanquam præcipuum sanè belli pondus in Hollandiam atque Zelandiam progressu temporis inclinaverit, tamen cum interclusis itineribus, interdictisque commerciis, neque consiliorum, neque dictorum, neque factorum veritatem liquidò possimus expiscari, consultiùs putamus jam de rebus his agere silentium, quàm commemorandis qualibuscumque vulgi rumoribus Lectorem destinere. Anno 1573. mense Decembri in Brabantiam venit Dn.
1573. Ludovicus de Requesens, &c. missus à Philippo Hispaniarum Rege, ad gubernandas hasce Belgicas Provincias. Cui proinde mox gubernatione resignata, Dux Albanus cessit, & in Hispaniam se recepit. Anno 1574. quod alibi paulò citius, alibi non multo seriùs pro-
1574. mulgatum fuit, Lovanii 14. Iunii publicatum est diploma generalis veniæ, quo Rex Catholicus declarat se subditos omnes (paucis tantùm aliquot nominatim exceptis) cujuscumque tandem rebellionis rei fuerint, in gratiam recipere, & in pristinam famam pristinaque bona restituere, ea tantùm conditione, ut intra tres menses à Diplomatis publicatione revertantur, & fidem dent, in posterum se nec adversus Majestatem Regiam denuò rebellaturos, nec adversus Ecclesiam Romanam rursus insurrecturos: Adeo quidem, ut & condemnatis & proscriptis bona immobilia quamvis jam confiscata, eadem lege restituturum se promittat, si quidem hi se in exilio catholicè vixisse probare queant.

Fredericus Schenck à Tautenburch Episcopus LXI.

DEfuncto Georgio Egmondano electus est anno 1561. in festo B. Brichi, hoc est, 13. Novembris in Ultrajectinam cathedram cum omnium Ordinum singulari exultatione collocatus est sexagesimus primus Episcopus, & Archiepiscopus post S. Wilbrordum secundus, qui ejusdem Ecclesiæ ad S. Petrum Præpositus erat, excellentissimus Baro à Tautenburch Dn. Fridericus Schenck: qui quidem ut majorum suorum imaginibus & rebus à patre D. Georgio Schenck Frisiæ quondam Toparcha gestis illustrissimus, ita etiam propriis virtutibus clarissimus est: hic enim cum naturali humanitati atque prudentiæ suæ parem divinarum atque humanarum rerum cognitionem indefatigabili *studio addidisset, ita ad Episcopalem cathedram accessit, ut qui ad omnia munia Episcopo digna egregiè paratus esset: Itaque ab ipso statim initio in hunc usque diem gregem suum non modo externis pietatis operibus sustentat, assiduâ suâ præsentiâ confortat, verumetiam doctissimis concionibus erudit, probatissimis exemplis exuscitat ad cultum Ecclesiasticæ civilisque justitiæ: Quod quidem utrumque quo & vivens in pluribus cum fructu præstet, & post mortem nihilo minus indesinenter agat, scriptis editis non modo Theologicis hæreses confutat, sed & Iuridicis abusus fori purgat, utrobique autem veram erga Deum pietatem, erga proximum charitatem docet: de quo mihi propterea parcius hic dicendum est, quod & in †vivis adbuc ipse sit, & ex scriptis ipsius, quæ tum Theologica, tum Iuridica omnium manibus teruntur: longè pleniùs virtus ejus & eruditio cognosci possit, quàm ex scriptis meis quantumlibet prolixis: Porrò autem non multo post obitum superioris Præsulis Georgii Egmondani anno Christi 1559. Episcopatus Trajectensis, qui S. Willibrordi tempore Archiepiscopatus fuit, & ab eo tempore porrò isto honore caruit, ut Beca tradit, ad primitivum suum fastigium reductus est, occasione gliscentium sectarum: qua de re cùm jam anteà in genere scripserit eximius Dominus Magister noster, Sacræ pag. in hac Academia Professor, & Apostolicus ac Regius librorum censor D. Doctor Iohannes Molanus Lovaniensis nos verbis ejus huc translatis quam tum instituto nostro conveniet dicturi sumus. Philippus enim Hispaniarum Rex Sectis obviam venire cupiens, cùm antea in Belgio non nisi quinque Cathedrales essent Ecclesiæ, Atrebati videlicet, Cameraci, Leodii, Tornaci, Ultra-

** Schenckii Divinarum atque humanarum rerū cognitionem prædicant Enchiridion veri præsulis secundum Apostolicam traditionem excusum apud Mich. Hillenium anno 1525. aliaque scripta ejus à Val. And. Desselio in Bibliotheca enumerata.*

† Excessit è vivis anno 1580. sepultus juxta ostium sacristiæ ecclesiæ Metropolitanæ.

Anno Domini. — **Diploma Pauli IV. Multiplicatis Episcopatus Belgii exlat. Lib. 1. Donationum Belgicarum, cap. CXLV. apud Piæ mem. Decanum Mireum.* — 1561. — **Verborch, familia Lovaniens.*

Ultrajecti, consensu & authoritate Pontificis *Pauli Quarti, auxit & commodiùs divisit Diœceses Belgii, quatenus Ditionis suæ erat: erexit enim in eo tres Archiepiscopatus sive Metropoles, Mechliniam, Cameracum & Ultrajectum, & tredecim Cathedrales sedes, quas trium Metropolitanarum suffraganeas esse voluit: Mechliniensem novam Metropolitanam novis Episcopatibus præesse voluit, Antverpiensi, Gandavensi, Brugensi, Iprensi, Buscoducensi, Ruremundensi, Cameracensi Metropolitanæ subjecit Atrebatum, Tornacum, antiquas Episcopales Sedes, ex novis verò Audomarum, & Namurcum: Leodiensem Ecclesiam, detractis iis quæ suæ Ditionis erant, reliquit subjectam Agrippinæ Coloniæ Archiepiscopo: Trajectensi Archiepiscopali novas attribuit sedes Episcopales, Harlemensem, Daventriensem, Leovardiensem, Gruningensem, & Middelburgensem. De cæteris igitur Episcopis novis, qui Ultrajectensi Archiepiscopo subjecti non sunt, hic dicere nihil est necesse: de his autem singulatim eo ordine dicturi sumus, quo quisque eorum in Cathedram suam collocatus est, ut Chronologiæ nobis constet ratio. Anno igitur Domini 1561. authoritate Pontificia ac Regia Middelburgensem in Zelandia cathedram primus Episcopus ascendit D. Nicolaus de * Castro: Erat autem hoc loco jam antea collegium Canonicorum quatuordecim, & unius Decani, institutum ad S. Petrum anno Domini 1311: ab Hollandiæ Comite VVilhelmo ejus nominis tertio, ut ex Beca discimus: Quare ad solutionem Sedis Episcopalis hic tantum Præmonstratensis ordinis Abbatia, quæ ibidem est, in dotem Episcopo assignata fuit: Erat autem hic Præsul natione Brabantus, patria Lovaniensis: qui proinde summam studiorum opportunitatem nactus ingenii sui nervos ad optima quæque intendit. Ideoque non modo humanioribus literis egregiè imbutus, sed & Sacrosanctæ Theologiæ Licentia donatus, Magistrales ac Scholasticos actus publicè privatimque in hac Academia cum fructu auditorum, & sui nominis laude frequens præstitit: Hinc mox Collegii Buslidiani, in quo publici trium linguarum Professores agunt Præses ordinatus, & non multo pòst ad S. Mariam Ultrajecti Canonicus, ac deinde Regiæ Majestatis Commissarius ad hæreses per Hollandiam extirpandas, ac postremò Episcopus Middelburgi constitutus fuit: ut, qui in minoribus functionibus vicissim fidelis repertus, & per inter medias gradatim evectus erat, ad summum cùm pervenisset, summa ope jam sibi adnitendum intelligeret, ad propugnandum Christi gregem. Quo quidem in negocio cùm ille suæ vocationi per annos duodecim abundè satisfecisset, mensis Maji 17. die anno 1573. Middelburgi obdormivit in Domino, ibidemque in Ecclesia sua Cathedrali magno cum omnium mœrore sepultus est: Fuit hic Antistes vir in primis pius & humanus, singulari prudentiâ præditus, ab omni fastu ac superbia prorsus alienus, constans in proposito, ingenio vivido, judicio acri, comis, & affabilis, adjuncta interim decenti gravitate, frugalitatis, castitatis, ac munditiei amantissimus. Et cùm talis esset, repperit illic materiam virtutis exercendæ satis uberem toto tempore, quo cathedram istam obtinuit: Nam cùm initia in hujusmodi negociis ubique satis infausta sint, hac præsertim tempestate, tum anno statim sexagesimo sexto, uti toto ferè Belgio, ita etiam illic publici motus unionem Religionis distraxerunt. Et hi ipsi, cùm utcunque jam sopiti viderentur anno 1572. in deterius recrudescentes, plus negocii, plus periculi exhibuerint. Utrobique ergo magno spiritu præsto fuit Episcopus, ut declararet se non mercenarium, verum pastorem esse: Et cum nunquam non concionibus publicis, privatisque monitis omnes ac singulos ad orthodoxæ Religionis cultum exuscitaret, tum priori illo tumultu tanta dexteritate eos tractavit, qui vel authores, vel adjutores præsentis motus videbantur, ut & nocerent levius, & nocere citius desisterent. Posteriori verò motu cùm civitas diuturna, eademque arctissima obsidione premeretur, quam diu quidem ipse superfuit, assiduis suis hortationibus cives in fide Regiæ Majestatis continuit, quos movere obsecrareque nunquam destitit, ut quamvis potius famem, quamvis nuditatem, quamvis denique mortem potius subirent, quàm Religionem Catholicam desererent, fidemq; Regi datam fallerent: cumq; amici non deessent, qui hortarentur ipsum, ut se periculo subduceret, quoniam circumfrementibus armis fructum porrò facturus non videretur, respondit se eo ipso magis induci ad manendũ, quod fructum sibi jam maximum facturus esse videretur: Nam si occumbendum foret, paratam esse coronam martyris, si vita suppeteret, se plures in viam reducturum: Deo soli rerum eventum in manu esse, se in utrumque esse paratum: cumque præsens flagitium pastor faciat, si oves deserat, sibi exemplum placere Divi Augustini, qui Vandalis Hipponem

Anno Domini. oppugnantibus in Sede mansit, quo facto obedientiam suam Deo, fidem Imperatori probavit, & præsentiâ suâ subditos in officio continuit, qui fuga ejus fortasse fracti defecissent, cùm autem per assiduos labores atque curas attenuata valetudine corpusculum subeuntibus morbis elanguesceret, & in spiritu præsentiret, sibi extremæ resolutionis imminere diem, ne qua inter Monasterii & Collegii confratres ob administrationem rerum se mortuo possit oriri contentio, ipse cum utriusque membri pleno consensu vicarium sibi substituit præstantissimum virum Dominum M. Iohannem à Strien S. pag. Licentiatum, ut is Episcopi vicem gerat, donec Regia Majestas huic Sedi de alio pastore providerit. Cujus ordinationem suo diplomate Rex confirmavit: quanquam igitur idem Dominus M. Iohannes à Strien gravatim & non alio affectu, quam pio erga defunctum Præsulem amore hoc onus in se receperit, tamen quam diu alium Episcopum Rex non constituerit, ille hanc Sedem ut vicarius summâ diligentia atque fide administrat, nullis curis, nullis laboribus parcens, quo commodis Ecclesiæ subserviat. Eodem anno 1561. primus in Harlemensem Episcopum consecratus, & in Ecclesiæ cathedram sequenti anno collocatus est venerabilis in Christo Pater ac Dominus Nicolaus de nova terra, qui Reverendissimi Episcopi Georgii Egmondani in Ultrajectina Sede Suffraganeus per annos multos fuerat, huic in dotem assignata fuit Abbatia Egmondana, Capitulum verò Canonicorum sedis hujus designatum fuit ex Monasterio de Heylo Canonicorum Regularium prope Alcmariam, & ex Capitulo Canonicorum in Geervliet, quod Capitulum Harlemum istinc translatum est anno 1571. per successorem prædicti Domini Nicolai, D Godefridum à Mierlo: relicta tamen ibi Parochia cum sufficienti proventu, unde honestè sustentetur. Hic autem Præsul cùm decem annos Sedem suam administrasset, in adversam valetudinem incidit, qua cum & diu admodum & periculosè laboraret, ratus se oneri imparem, Episcopatu cessit. Cui anno 1571. D. Godefridus à Mirloo suffectus est, de quo eo loco proinde dicturi sumus. Anno 1568. Gruninganæ Ecclesiæ cathedram primus Episcopus accepit incomparabilis vir ac Dominus Iohannes Knijff: cujus quidem Ecclesiæ Diœcesi non modò civitas Agerque Gruninganus, sed etiam Drentiæ & Westerwoldiæ tota Ditio subjecta est. Capitulo, Canonicorum novem, sustentando: (nam Episcopus ipse decimus est) conventus Ezensis ordinis S. Augustini, & Vitteviramensis cum suis proventibus deputati sunt: Episcopo seorsum in dotem attributus est cum reditibus suis conventus Advardiensis, ordinis Cisterciensis prope Gruningam: Est autem hic Præsul Patria Ultrajectinus, ex antiqua & patritia Knijffiorum familia oriundus. Qui quidem cùm in patria primùm literis humanioribus liberaliter eruditus Theologię studium Lovanii fœliciter absolvisset, Ibidem ordinem fratrum minorũ de observantia ingressus ac professus est: Cumque ex mandato Antistitum suorum prædicationis officium diversis in locis magna cum gratia sedulo obivisset, rogatu Reverendissimi D. Archiepiscopi Bremensis Christophori primogeniti Brunsvicensis, & aliorum Principum Legatum ad Sedem Apostolicam egit, & à Pontifice Iulio tertio honorificè exceptus, & ob Legationem ritè gestam in Prædicatorem generalem assumptus est: Quo munere fideliter perfunctus tandem anno 1561. ad votum Philippi Catholici Regis Hispaniarum à Pontifice Paulo Quarto primus Gruningensium Episcopus designatus, & elapso biennio Mechlinæ ab Illustrissimo ac Reverendissimo Cardinali Granvellano consecratus, & prædicto tandem anno 1568. pridie S. Francisci, qui dies Dominica erat, Gruningæ in Episcopalem cathedram introductus est, clero universo ac Senatu urbis magnaque Nobilium frequentia eum ad Ecclesiam S. Martini solenniter deducente, in qua tum Sedem Episcopalem constituit, electis novem Canonicis, viris, omnibus tum probitate vitæ laudatis, tum etiam requisitæ eruditionis titulo insignitis: Quibus quidem ita peractis id quod Episcopali curæ erat relliquum, diligenter hactenus adnititur præstare, ut intra limites Diœcesis suæ ecclesias pastoribus, pastores eruditione ac virtute instruat ornetque, Archidiaconus sive Præpositus hujus cathedræ primus electus & constitutus fuit præstantissimus vir ac Dominus D. Iohannes Eelst, ejusdem ecclesiæ Pastor primarius, qui ut majorum suorum imaginibus, ita etiam utriusque Iuris Doctoratu insignis, tum concionibus publicis, tum privatis Disputationibus negocium orthodoxæ fidei in ea Ecclesia per multos annos strenuè egit, atque hactenus etiam agit: Decanus hujus Cathedræ primus ordinatus fuit nobilissimus, doctissimusq; vir ac Dominus Radingius Koenincx, pastor itidem ejusdem Ecclesię, & verbi Divini præco in primis diligens, qui per multos annos illic Religionem Catholicam adversus ingruentes hæreses strenuè tutatus

Sepultus Ultrajecti ad S. Servatium 1580.

1568.

tutatus est. Anno 1570. Leovardiensis Ecclesiæ cathedram Episcopalem primus ascendit incomparabilis vir ac Dominus Cunerus Petri, natione Zelandus, Patria Brouwershavensis: qui cùm maximam ætatis suæ partem Lovanii egisset, in studiis cùm sacrarum linguarum & aliarum artium, tum in primis Theologiæ diligentissimè versatus est: In qua proinde Doctoratus laurèam consecutus inter Magistros nostros Sacram Scripturam utriusque Testamenti publicè professus, Pastor etiam Ecclesiæ ad S. Petrum constitutus; populum concionibus assiduis erudivit, per multos annos non minus interim scriptis editis adversus illuviem sectarum pugnans. Hic cùm anno 1570. mensis Ianuarii 21. die Lovanium reliquisset, primo die insequentis Februarii, hoc est, pridiè Purificationis Mariæ Leovardiam veniens, ex Arce præsidiaria Cleto universo Dominoque Segero Groesbekio Dn Iohannis Comitis Arenbergii Vice-præfecto, Senatuque Regio & urbis Magistratu, ac magna tum Nobilium, tum plebeiorum caterva comitante ad Ecclesiam S Viti cum processione deductus est, in qua postridiè Sacrum celebravit: eoque peracto, utriusque tum Ecclesiastici, tum politici ordinis Primores honesto ac læto convivio excepit: consequenter autem ejusdem mensis Februarii, 26. die Statuta Tridentini concilii promulgavit, & ecclesiam quoque & altaria ad S. Vitum ubi cathedram suam constituit, reconciliavit: Adjuncti sunt Episcopo è suprema Curia Commissarii tres, D. M. Antonius del' Vaille, D. Doctor Petrus à Fritema Senatores, & Dn. Doctor Iohannes Carolus Advocatus fisci, qui authoritate Regia eum in officii functionem, & subsidii possessionem introducerent, qui simulatque in sacrarium convenissent, Antonius del' Vaille habita Oratione Episcopum commendavit, eique à Curia præsidium, ab omnibus obedientiam deberi asseruit. Cui Iohannes Carolus præsidium Regis nomine promisit in omnibus, quæ neque Iurisdictionem, neque privilegia Regiæ Majestatis læsura essent. Itaque horum præsidio tertia die sequentis Martii accepit possessionem Barræ conventus, sive Bergomensis Monasterii, & paulo pòst Præposituræ etiam Bolsuardiensis, quæ Episcopo in dotem assignata sunt: Ejusdem porrò Martii die quinta Monasterii Mariengardensis possessionem accepit, ex quo Capitulum erexit, Canonicorum decem: ipso etiam Episcopo in hunc numerum computato: Quorum quidem Canonicorum tres Theologi, tres Iureconsulti, tres Nobiles, graduati tamen ut nunc loquimur, ex originali institutione esse debent, qui deinceps successuri sunt defunctis monachis istis, qui habitu monastico liberati ex conventus istius monachis primi Canonici sunt constituti. His sex Canonicos adjecit, in eorum subsidia totidem de potioribus præbendis ad S. Vitum in Canonicatus transformatis, ita ut in hoc Capitulo una cum Episcopo sexdecim sint Canonici: qui ipsa Dominica *Lætare Hierusalem* in quadragesima ante summum sacrum per Reverendum D. Laurentium Metzium Buscoducensem Episcopum sunt in canonicatus possessionem introducti, atque in residentiam admissi: Die porrò 25. sequentis Aprilis apud Prædicatores prima Synodus est celebrata, quæ præsentibus omnibus ferè totius Provinciæ Ecclesiasticis solennis fuit ac celebris, & triduo absoluta est, recepto Concilio Tridentino, & Statutis pro ratione temporis tunc editis: Adjuncti autem sunt de integrò ex Curia Commissarii duo, Dn. Doctor Petrus à Fritema scilicet, ac Dominus M. Focco ex Rommarts, qui & hæc ipsa Statuta Synodi pro patriæ utilitate cum Episcopo, & Archidiacono Domino Dominico Bendixio conciperent, & Episcopum Regiæ Majestatis nomine in aliis Frisiæ oppidis solenniter introduci ac recipi curarent, quod illi decimo tertio die sequentis Iulii fideliter exorsi sine intermissione sunt executi: quibus ita peractis, Episcopus quod restabat, reliquas Ecclesias totius Frisiæ, una cum supradictis Commissariis & Archidiacono visitavit, & in baptizandis atque confirmandis parvulis, in restituendis, erigendis, & confortandis omnibus, nullam curam, nullam diligentiam, nullum laborem prætermisit. Sunt autem ejus Diœcesi subjectæ omnes Ecclesiæ, quæ tribus Occidentalis Frisiæ partibus, scilicet Oestergou, Westergou, & Septem Territoriis, sive, ut nunc vocamus Septem Sylvis, terminantur: Archidiaconus porrò sive Præpositus hujus Capituli primus ordinatus est Venerabilis vir ac Dn. Dominicus Bendixius, Pastor tum temporis ad S. Vitum. Hic anno 1546. sacris initiatus, cum administratis diversorum pagorum Ecclesiis gradatim ascendisset, anno 1556. parochus urbis Snecanæ à Magistratu constitutus est, ubi cùm novem annos ac sex menses Ecclesiæ præfuisset, Leovardiam vocatus perpetuus Vicarius ad S. Vitum, & anno 1567. porro ibidem Pastor à Magistratu urbis, accedente tum Comitis Arenbergii, tum Senatus Regii suffragio electus & confirmatus est, ubi hactenus resedit. Hic se strenuum

Anno Domini.

Anno Domini. suum Athletam adversus hæreses præstitit: non modò concionibus publicis, sed etiam disputationibus privatis, ad quas quo paratior accederet, inchoatam olim utcunque Græcæ & Hebraicæ linguæ cognitionem assiduis vigiliis sibi excolendam duxit. Et cùm in Græcis quidem literis Sneeæ virum doctissimum collegam in Pastoratu suum Dominum Gellium Elostanum, qui posteà Bolsvardiensis Ecclesiæ pastor factus est, ducem nactus esset, in Hebraicis planè ipse sibi Mercurius esse coactus est. Hoc igitur subsidio comparato, non modo viva voce, qua plurimùm valet, sed etiam scriptis, quæ multa jam absolvit, multa cudit, multa meditatur, fidem catholicam strenuè propugnat, operamque suam Ecclesiæ & Episcopo indefessam præstat: Ejusdemque porrò Capituli Decanus primus ordinatus est venerabilis vir ac Dominus Ivo Iohannis, itidem Pastor ejusdem ecclesiæ ad S.Vitum, vir in primis eruditus, pius ac modestus, qui & ecclesiæ semper fidelis, ita & Capitulo suo, & Episcopo, & universo denique populo charissimus est. Eodem porrò anno Domini 1570. Daventriensem cathedram primus Episcopus accepit vir multis nominibus suspiciendus D. Ægidius de Monte, natione Brabantus ordinis minorum S.Francisci de observantia: Qui cùm ob singularem eruditionem, pietatem, & eloquentiam in conventibus Ordinis sui, Lovanii, Mechliniæ, & alibi Guardianus constitutus tum integritate doctrinæ, tum puritate vitę, suæ professioni abundè satisfecisse judicatus esset, Minister provincialis Ordinis sui effectus est, ex qua functione porrò ad hanc dignitatem Pontificia ac Regia authoritate promotus est: Fuerat autem jam anteà Daventriæ collegium Canonicorum perquam vetus, ubi & Episcopi Ultrajectini quondam sedem suam habere solent, temporibus præsertim periculosis, ut ex Beca patet: quare, sicut in Ecclesia Middelburgensi, ita etiam Daventrię Episcopali duntaxat dote opus fuit ad cathedram erigendam, in quam Rex assignavit conventum Regularium *Bor-Clooster* prope Zwollas. Anno 1571. postquam ob adversam valetudinem D. Nicolaus de nova terra Episcopatu cessisset, ut supra dictum est, secundus Harlemensium Episcopus inauthoratus est, vir præstantissimus D. Godefridus à Mirloo. Hic in Mirloo Kempiniæ non incelebri pago natus, cùm alibi, tùm Lovanii studiorum gratià versatus est, in qua Academia S. Theologiæ studio operam dedit: Cùmque in conventu Prædicatorum apud Buscum Ducis ordinem S.Dominici professus aliquot annos dignè se gessisset, Prior est electus conventus Prædicatorii apud Ultrajectum, ubi & ob eruditam ac piam ejus eloquentiam à sacris concionibus Reverendissimo Episcopo Georgio ex Comitibus Egmonda constituitur. Nec minus interim ob dexteritatem atque prudentiam sui Ordinis Provincialis Minister, sive visitator ordinatus est, quâ dignitate in decimum tertium annum functus, ad Harlemensem Cathedram vocatus est, ad quam introductus fuit anno supradicto Dominica prima in septuagesima. Qui anno 1572. postquam Harlemum à Calvinianis circa festum Nativitatis Iohannis Baptistæ occupatum esset, usque ad 13. diem mensis Iulii anni sequentis 1573. quo die coacti per extremam famem Duci Albano se permiserunt, fugâ se servavit, & mansit in Abbatia & Monasterio præclaro Cisteriensis Ordinis juxta Bruxelas, cui à Camera B. Virginis Mariæ nomen est.

Beca fol. 40. Meda fol. 71.

1573.

Finis Appendicis in Chronicon Becæ.

Benigne Lector, ne pagina hæc vacaret, visum fuit LAPPIO ex fasciculo suo epistolarum ac monumentorum ADRIANI Papę sexti, qui Civitatis Ultrajectinæ unicus Phœnix exstitit, epistolam sequentem de morte ejus depromere & hic subjicere, ab hac historia non omninò alienam. Lege & Luge Lector.

Venerabilibus ac egregiis Viris & Dominis Decano & Capitulo Ecclesiæ sanctæ Mariæ Trajectensis præceptoribus & Confratribus honorãdissimis & charissimis.



POST debitam Commendationem Colendissimi Domini & Confratres charissimi, quod literis D. vestrarum in caussis Ecclesiæ nostræ mihi redditis prius ad unguem non responderim in causa fuit tristis acerbaque jactura Reip. Christianæ. Die exaltationis vivificæ. ✠. Adrianus Papa VI. Patriæ nostræ pater unicunque decus nescio quo morbo extinctus est. nam pridie nonas Augusti (quo die Romæ festum Sanctæ Mariæ ad nives celebratur Optimus Patrum pater, religionis publicæque Lætitiæ causa (nam eo die publicata fuit pax & concordia inter Principes & potentatus Italiæ illius sollicitudine procurata) ex palacio ad Sanctam Mariam majorem cum cœtu Cardineo proficiscens æstuantibus caloribus quos semper antea formidaverat, submoratus ibidem per noctem ac diem celebrem in hortis & vinea Card. Sanctæ Crucis Convivium dominis Cardinalibus dantis, ecce ad Palatium reversus seu nimio æstu laboreque fatigatus sive infesto esu aut potu refectus incidit in morbum & quidem latentem principio ac remissum mox apertum, & graviorem, attonitis subitò cunctis advolant medici duo Hispani & duo Latini ægroto patri affuturi, adventu primo auxium & æstuantem recreant, ingravescente morbo cura & sollitudine. Verum sive medicamentis sive vi morbi occulta conficiente vires ita dejectus est ut nullis excitari fomentis potuerit, nihil à Cubiculariis (& nocturnis vigiliis circa patronum emaceratis ac ferme collapsis) prætermissum est, & quod indolendum magis est Urbs tota sollicita de ejus salute fuit præter avaros quibus nocuit justi Sanctique PONT. reformatio, multi amicorum famulorumque votis sese damnavere, conquisita undique remedia & pleraque ultro allata. Sed frustra implores medicos aut remedia quæras, ubi mors imminet, paulatim extenuatus ad ultimam recesserat maciem, & ipse labi se frigescere sentiebat, quanquam medici non desperabant si natura paululum potuisset attolli. Vocem paululum amisit priusquam moreretur. Dum loqui potuit afflictum & miserabile fuit audire quo pondere, quibus argumentis amicos consolabatur. ut diceret velle excedere eum vita non cogi. Mortuus est post horam primã pomeridianam sumptis ante meridiem rite ecclesiasticis Sacramentis. Sicut vixit pacificè, morosè, devotè & sanctè ita obiit. Moriens testamento edixit, donavit & legavit (consensu Collegii desuper requisito) familiæ suæ antiquę descriptæ bona sua mobilia ante Papatum acquisita ex Hispaniis ad Urbem Romam asportata, asserens illis esse sobrie provisum juxta modum laborum & periculorum, seque noluisse abuti bonis ecclesiæ seu

Præsentata in Professo xi M. Virginum & die sequenti in capitulo lectæ anno 1523.

Sacerdo-

Sacerdotiis ad eos ditandum, exemplum dans successoribus, &c. Insuper commisit Reverendissimo Cardinali Enckevoert nescio an pluribus dispositionem omnium bonorum mobilium & Immobilium per eum relictorum Trajecti & Lovanii ad pios usus & præsertim pro alimentatione pauperum affinium ac dotibus pro salute animæ suæ, &c. Interrogatus de sepultura & humatione sæpius, parum respondit, vetuit tamen pompam & magnificentiam sepulchri juxta Anaxagoram Philosophum dicentem, sepulchra esse divitiarum testimonia, non mortis honestamenta, mortuisque nullam esse jacturam minorem quam sepulchri, undique se aperientibus viis ad superos seu Inferos. Pollicetur tamen Dominus Car.lis Enckevoert propriis impensis (& non Immerito) circa monumentum docens expensas mille ducatorum. Postquam nuntiata est mors per Urbem & loca vicina efferrique funus, statim clausæ omnes fores, concursum undique ad funus est, mæstitia publica urbis visa est, magnus luctus optimorum virorum, movebant clarissimæ Virtutes, modestia multa in ore, multa in verbis, tum dignitas quanta desiderari ad gratiā posset. Corpus procerum & erectum cum gracilitate non Indecora, facies candida & viva plena dignitatis, gratiæ & Majestatis. Verecundia tanta ut omnem corruptorum Improbitatem deterreret. Vita libera non licentiosa. Consilium multum ac ponderis ut responsa Delphica docti appellarent. Oratio desiderata non tarda, eloquentia cum opus esset, prætereа contracta & modica. Imperium in Hispaniis summa cum Integritate gestum absque superbia, absque avaritia aut crudelitate summo moderamine, in severitate benignitas, in benignitate severitas laudabatur. Devotus fœmineus sexus ingemiscere, fortunæ accusare acerbitatem audiebatur, sacros pedes castasque manus adorare & osculari videbantur omnes. Verumtamen Car[les]. Mercatores avari & mendaces officiarii quorum solita lucra reformatione æquissimi Pastoris cessaverant & id genus hominum novarum rerum studiosum æquo animo quæ à Diis Immortalibus seu mortalibus aguntur accipere patique ac vitæ hujus imbecillitatem & fortunæ impetus patientius ferre & suā ut in prosperis secundisq; rebus sic in adversis dignitatem servare visi sunt, ne debilitari aut frangi fortunæ ictibus videantur. Quamobrem acerbitatem & calamitatem istam Reip. Christianæ patientia potius quam lachrymis prosequuntur, rem tenetis. Hodie ceptæ sunt exequiæ, humatus est in sacello Divi Andreæ. Inter duos pios tenet medium pientissimus. Monumenti superior pars talem tenet scripturam. Hic nihil sibi infelicius in Vita duxit quam quod Imperaret. in Inferiore verò parte est album, epitaphium desiderans.* Primo etiam die affixa fuere funeri hæc carmina.

Cita Mors Adriani.

Hinc Mors tam cita quod mores & tempora nostra
Prava nimis. Talem non meruere Virum.
O Mors. O Tempora.

In causa & negocio ecclesiæ nostræ inceptis per Dominum Antonium de Amerongen signata est supplicatio & facta minuta, quas habeo penes me, allaturus mecum. Quibus visis D. vestræ consultare poterunt super expeditione bullæ quæ omni tempore fieri poterit. In causa verò Unionis cum novo Pontifice forsan melius obtinebimus Intentum, quia ibitur indubiè in antiquam silvam stabula alta ferarum. Adrianus fuisset difficillimus. In negocio autem Thesaurariæ & Canonicatus adoravi Domino Petro de Mael cubiculariorum facile principi fuisse provisum. Sed, an ad usum de Gaesbeeck patebit in processu. Si itaque ex testamento omnia istic relicta, sint piis usibus applicanda minus lædemus quemquam (meo judicio) fructus hujus anni Ecclesiæ nostræ applicando, Immo & motu proprio apud Cardinalem Enckevoert curare proposui etiam importunè & inverecundè fructus anni XXII. Pro fabrica nostra quod satis turpe esset non annuere attenta summa tot annorum fructuum ab ecclesia receptorum. Quare si fructus illi penes Dominum Henricum Beyer adhuc extiterint, peti poterunt ne facile distrahantur, quæ omnia vestræ prudentiæ committo. Hiis Valeant dilectiones vestræ mihi semper præcepturæ. Romæ XXII. Septemb. anno &c. XXIII.

E. D. Vestrarum

Humilis servitor & confrater minimus,
WILHELMUS de LOCHORST.

* Cui inscribi posset illud Tranquilli Molossi Casalensis.

Quod bonus & recti custos, quod pacis amator,
Correctorque aulæ luxuriantis eras;
Scilicet hac una caussa vir Sancte peristi,
Vixisses annos Nestoris improbior.

INDEX

Rerum ac vocum memorabilium, in Historia Episcoporum Ultrajectensium

WILHELMI HEDAE,

& Notar. Arnol. Buchelij ad Hedam.

p. Principium, m. Medium, f. Paginæ finem denotat.

Candide Lector.

POtuissem in hoc conficiendo indice multò minore defungi labore. Cæterùm cùm multa passim memoratu digna in annotationibus sparsim dicantur, plurima etiam ab Heda obscurè & confusè; itaque hoc operam dedi, tum ne quid præterirem, tum ut quæ sparsim memorantur, atque ad personam, aut rem unam pertinent, distinctè unoque simul intuitu cognosceres, adeoque brevis Historiolę vicem tibi hic Index alicubi præstare posset. Hoc verò notandum literas S. P. numeris quibusdam præfixas denotare paginas in Continuatione Suffridi Petri, quæ Hedæ ad calcem est annexa. Tu laboribus nostris fruere, fave, & ave.

I. L.

A



Amstero-

Privi-

Con-

D

E

F

Violatâ

Gilden-

Herman-

N

Nobiles

R

S

Sacer-

Ejus-

VVin-

FINIS.



Errata, ante lectionem Auctoris corrigenda.

Studioso Lectori.

QUandoquidem incuriâ operarum pluscula irrepserunt errata; alicubi etiam numeri paginarum malè sunt notati; aut literæ annotationum indices omisſę, aut perperam expressæ: itaque è re studiosi lectoris erit, ut antequam ad lectionem Auctoris, aut usum indicis accedat, errores tollat.

Numeri paginarum corrigendi pag. 14. ubi summâ paginâ pro 20. scribe 14. Sic pag. 33. pro 23. pone 33. Ac paginis duabus sequentib. ubi idem numerus repetitur, differentiæ causâ, adde hanc notam; * veluti à nobis in indice est factum. Pariter in pag. 34. 36. 44. 46. 47. 72. 80. 82. 83. 129. 135. 136. 141. 142. 159. 160. 222. 223. 252. 260. 275. 292. numeris vitiosis sublatis, lector meliores substituere dignabitur.

POrro in vita Auctoris versu penult, pro *exemplariys*, lege exemplaribus. pag. 2. vers. 2. *memor itaque* lege, memoriæque. Ibid. in marg. *c.* 32. lege. c. 3. v. 20. *saxea*, l. *saxeæ*. p. 3. v. quarto a fine, *pari* l. pati. v. tertio a fine *uti* l. utique. v. 2. a fine, pro *quæis* quævis, pro *prabet*, præbet. p. 4. v. 28. *Kalendas*, Kalendis. v. 36. *Agrippina*. l. Agrippinæ. p. 5. v. 39. *ita est*, l. sita est, v. 44. *Rhenatos*, l. Rhenanos, p. 6. v. 15. *Tenechteris* l. Tenchteris. p. 9 v. 8. *Lucam*, l. *Lucani*, p. 10. v. 29. *Romani* l. Romanis. p. 11. v. 27. *Stemina* l. stemma. p. 18. v. 10. dele particulam *tam*. v. 11. *dit*, l. die. p. 19. v. 18. *dublum*, l. dubium. v. 21. *inveniunt*, l. invenitur. p. 21. v. 36. *damnatus*, l. domus. p. 23. v. 36. *missatum*, l. missarum, p. 26. v. 15. *instincto*, l. intincto, p. 27. l. 1. *vir*. l. viri. p. 34. v. 29. dele ista priora verba, *secundum alios D. cc. lij*. p. 37. v. 38. *Bekanæ*, l. Bekanus, p. 39. v. 26. *nobis*, l. a nobis, p. 40. v. 9. *paxa*, l. papa. p. 40. v. 24. dele prius *du*, p. 42. v. 30. *Weelmorhoutius*, l. Welmerhout ius, p. 44. v. 2. *desinimus*, l. desinimus, v. 24. *prospicio*, l. propitio. Ibid. *teloneis*, l. telonium. p. 45. v. 26. *Resp*. l. Reipub. p. 46. v. 30. *nona*, l. novæ, p. 47. v. 29. *Aufreaum*, l. Aut fredum, p. 52. v. 16. *juste calculi*, l. justo calculo. p. 53. v. 9. *infra*, l. intra. p. 55. v. 27. & 28. *Lugnum*, l. Lugdunum, s' Lugidunum. p. 62. v. 50. *dina*, l. digna. p. 67. v. 31. *regenique*, l. regnique. p. 68. v. 31. *Holilant*, l. Holtlant. p. 71. v. 44. *Cataclymi*, l. Cataclysmi. p. 72. v. 13. *nunc*, l. nunc nunc. p. 73. v. 6. *scripta*, l. scripto. p. 76. v. 3. a. fine *Imminebat enim Rex, &c.* l. Innuebat enim Rex prudentissimus obitu suo totius populi casum, &c. p. 77. v. 14. *rabibusque*, l. rabidusque, p. 82. v. 30. *immunitatis*, l. immunitates. p. 90. v. 32. *Egmondensem*, l. Egmondense, v. 37. *quadrata*, l. quadratæ. p. 92. v. 46. *haret*, l. hæret. p. 93. v. 39. pro litera (b) pone (h) p. 94. v. 7. *infra*, l. intra. Ibidem in fine, in margine, *iradendi*, l. tradendi. p. 95. v. 1. ante ista verba, *cum ramo & cesp*. intersere (i) p. 104. v. 28. in margine pro v, scribe y. p. 106. v. 34. *omnia*, l. omni. p. 108. v. 12. *rebelliones*, l. rebellione, v. 25. *Oceanici*, l. Oceani, v. 49. *abrogatur*, l. abrogaretur, p. 109. v. 10. *epostulata*, l. postulata, v. 20. (u) scribe (o) v. 34. præpone literam (q) vers. penult. ante *Heritgerius* Abbas præpone (r) p. 113. v. 3. *&*, l est, 116. v. 12. *opprimeat*, l. opprimat. v. 21. *quod*, l. quæ. p. 117. v. 59. *Imperator*, l. Imperatorem. p. 118. v. 36. ante vocem *inhumatur* intersere (b) v. 43. *infra reg. cæl. palatio*, l. intra reg. cæl. palatia. p. 122. v. 8. *vos*, l. nos, p. 128. v. 25. *posse quot*, l. posset quò, Ibid in marg. *Henricus v.* l. iv. p. 135. v. 35. *Westfringia*, l. Westfrisia, p. 143. v. 9. *hosce*, l. hoste, 147. v. 38. ante hæc verba, sub eodem tempore, intersere (i) p. 148. v. 9. *celebraturas*, l. celebraturus, v. 18. *sed*, l. sedi, p. 149. *adstitus*, l. adscitus, v. 41. *ablulta*, l. ablata. p. 158. v. 17. *Illam*, l. Istam, p. 159. v. 32. *quo*, l. a quo p. 160. v. 6. *omni*, l. omnis. p. 167. v. 14. pro litera (p) scribe (f) p. 169. v. 17. *salli*, l. falli, v. 40. ante Conradi regis, intersere (v. 2.) p. 174. v. 1. *Potentia*, l. Pænitentia. p. 177. v. 6. ante hac verba Gerardũ comitem, præpone (b) p. 185. v. 16. *prædictiorum*, l. prædictorum. p. 192. v. 21. *sosorius*, l. sororius, p. 193. v. 33. *(m)* pone (n) v. 36. Ante verba hac *in nomine*, pone, literam (o) v. penult. *inole veram*, l. inoleverant. p. 195. v. 20. *Sigum*, l. Signum, p. 200. *& partis utriusque*, l. & partes utrinque. p. 205. v. 4. *Pontificium*. l. Pontificem. p. 206. v. 36. pro (*k*) pone (l) p. 213. v. 37. ante verba, *Episcopatus renuntiavit*, intersere (c) p. 214. v. 7. pio xxviij. scribe xxxviij. p. 215. v. 7. a fine, post 34. intersere *annos*. p. 223. v. 4. a fine *sigillum*, l. sigilla, p. 225. v. 3. a fine, *mancipio*, l. mancipia, p. 231. v. 3. ante verbum nitebatur, præpone (p) p. 238. v. 21. *hac tempore*, l. tempora, v. 5. a. fine *inunda*, l. inundat. p. 239. v. 16. *latonis*, l. latomis, 24[illegible]. lin. 4. a fine *consentinot*, l. consentiunt, v. 24. *emendam*, l. amendam. 1. mulctam, p. 243. v. 28. pro (*k*) substitue (l) p. 245. v. 3. *precatio*, l. precariò, v. 9. *propitiam fortunam*, l. propitia fortuna, 263. v. 22. *prætorum*, l. prætorem. 264. l. 5. a fine, *medicum*, l. modicum, p. 267. v. 8. post verba *in auxilium*, intersere, qui, p. 268. v. 29. *& ille*, l. & cum ille, p. 271. v. 12. dele *non*, p. 289. v. 16. *jacent*, l. jactent. p. 291. v. penult, a fine *redditus*, l. reditus. p. 292. v. 24. ante hac verba, pro *nobili Wilhelmo*, intersere (m) p. 303. v. ultimo ante verba *compertum est*, præpone notam (25) p. 310. v. 38. sic distingue, *spoliassent, deleti sunt. Persæ cum &* p. 317. v. 13. *demissis*, l. dimissi. 318. v. 7. *consumarunt*, l. consumpserunt. p. 325. v. 4. a fine, *collidenda*, l. collidendas, 326. v. 6. a fine *puerum*, l. puer. p. 328. v. 34. *arma etiam dom*. l. arma contra dom. v. 10. a fine, *cessionis*, l. sessionis. p. 330. columna 1. v. 23. & 24. sic distingue *videtur Asteras*, columna 2. v. 33. *tangens*, l. tanges.

In Appendice Suffridi Petri, pag. 6. v. 37. *Iuridic[illegible]*, l. Iuridici, v. 3. a fine *quam tum*, l. quantum, p. 10. v. 10. *docens*, l. decens, p. 12. v. 42. *adoravi*, l. odoravi.

LAMBERTI HORTENSII

Montfortii Secessionum civilium

ULTRAIECTINARUM,

Et bellorum ab anno XXIV. *supra* M. CCCCC.

Vsque ad Translationem Episcopatus ad Burgundos,

LIBRI SEPTEM

Marginalibus notis illustrati.



ULTRAIECTI,

Sumptibus IOANNIS à DOORN Bibliopolæ,

ANNO cIↄ Iↄ c XLII.

URBIS ULTRAIECTINÆ ELOGIUM.

LIPSIUS 1585. dedicatoria centuriæ I[a]. Epiſtolarum ſelectarum. *Splendet antiqua, potens, amœna, veſtra Urbs inter Belgicæ primas: & vos in ea, per Prudentiam & Virtutem. Quæ diffuſa inter vicinos: Imò jam etiam longinquos, & rara, opinor, in Europa gens, ad quam non penetraverit fama aliqua de Utroq;.*

Adrianus vander Burch, *Graphiarius Curiæ Vltrajectinæ*, in Hortulo ſuccinctarum precum. *Illud inter alia ſingulare & præcipuum habet urbs veſtra quod eo in ſolo ſita & locata ſit, à quo digreſſis unius tantum diei ſpacio, ad unum ex ſexaginta muratis (quæ circumjacent) oppidis, non curru vel equo vehi tantum ſed & pedeſtri itinere contendere ac pervenire liberum ſit.*

LAMBER-

LAMBERTI HORTENSII MONTFORTII IN OPUS HISTORIARVM AD COSS. *Et Senatum inclytum Urbis* ULTRAIECTINÆ, *PRÆFATIO.*

Consulatum anni cIↄ Iↄ XLVI. gerebant Æmilius Wten-Enghe & Cæsarius de Coninck.



NTER scriptores vetus celebratur dictum, Respub. ac Democratias haud perinde à plebeis atque civitatum principibus, quique omnibus honoribus præstent, pessimè labefactari. Nam hi non solùm authoritate pollentes, quam perpetua dominatione sibi conciliarunt, vulgò sunt formidabiles: verumetiam opibus, & amicorum præsidiis fulti, quò libido impellit, tyrannidis via grassantur. Etenim cum nemo supplicii metu vel obsistere, vel alium ad vindicandam armis prædæ in medio relictam Rempub. communem impellere audeat, malunt turpiter unius, aut certè paucorum imperio regi, quàm periculosè armis pro patriæ libertate decertare. Hinc accidit, quòd urbes olim nonnullæ, cum potentiorum rempub. administrantium impotentem dominationem suspectam haberent, priusquàm tyrannis stabiliri potuisset, solum exilii causa vertere consociatis animis eos compulerunt. *Ostracismus.* Laudatum exemplum postea in deterius tractum fuit. Quos enim vel gloria rerum gestarum inter suos conspicuos fecisset, vel quibus virtus claritudinem aliquam domi forisve parasset (quia socordibus & inertibus ea invisa est) ingrati adversus patriæ conservatores urbibus pellere occœperunt. Et profectò Invidia gloriæ comes semper est, & alumna rerum fœlicium: atque veluti ignis, summa petit. Quid aliud Aristden ostracismo in exilium egit, quàm cognomentum Iusti? quod ambitiosa civitas, & moribus corrupta, æquis auribus ferre non poterat. Quid Themistoclem evertit? nonne gloria virtute parta, quam Athenienses ferre nequibant? Eadem invidia Cymonem, Milciadem, Clisthenem, aliosque rerum gestarum gloria claros duces, per speciem metus (quia plurimum ob nominum claritudinem, & præclarorum facinorum me-

moriam parare posse videbantur) exules fecit. Romana exempla, vel quòd multa, vel quòd domesticis notiora sint, prætereo. Et tamen utcunque ista habent, plebis tamen quamvis insanientis, aut stupentis potius, haud perinde vitio, atque summorum hominum insolentia, magnæ respub. eversæ sunt. Nam cum vim & tyrannidis stabiliendæ cupiditatem certatim avertere conarentur, judicio perperam & rectè factorum confuso, optimos quosque fortunis excusserunt. Versabatur ante oculos, quibus artibus delusa plebe fustibus armatos corynephoros ad corporis sui custodiam Pisistratus consequutus, frustra reclamante Solone, tyrannidem invaserat. Terrebantur exemplis Dionysiorum & Agathoclis apud Siculos, temporibus quamvis discretorum: Phalaridis & Polycratis apud Samios: qui claras non solum urbes, sed florentissima etiam opibus regna deleverant: Et dominandi cupido summos etiam viros ab honesto & recto transversos agit: eosque maximè, qui summum magistratum gerentes, ad patriæ servitutem in potestate perseverant: quibus nihil difficilius est, quàm libidinem imperandi semel indutam deponere. Quare Pop. Rom. ex levi affectati regni suspicione ultimo humanorum supplicio principes suos affecit. Sp. Melius, quòd frumentaria largitione popularem favorem emeruerat, in affectati regni fidem apertam venit: quapropter ab Hala interfectus fuit. Ex simili suspicione in Manlium quendam perduellionis accersitum anquisiverunt. Tanta fuit semper liberis civitatibus democratiæ tuendæ innata pertinacia. Cæterum monarchiáne an democratia sit potior, disputari solet. Ego autem utrum affirmem, non habeo. Apparet mortalibus nihil esse periculosius, quàm unius hominis libidini salutem & fortunas multorum submittere. Hic licet sit optimus, ut cum laudatissimis principibus conferri queat, in luxu tamen, rerum affluentia, ac licentia impunè quælibet perpetrandi corruptus, stulta persuasione principem supra leges esse, paulatim tyrannicum spiritum haurit: fitque non minus vicinis, quàm suis, perniciosus. Et quod omnium atrocissimum est, optimis quibusque ut pestis & exitium, formidabilis est. Nam quid æquè principes, atque alienam virtutem oderunt? Iam flagitia, in quæ stimulantibus pravis cupiditatibus ruunt, quid attinet commemorare? Quid cædes amicorum,

rum,in quos familiariter admoniti, aut per calumniam offensi, rabie plusquàm beluina sæviunt? Quid facultatum direptiones ob quamlibet quæsitam occasionem? quid stupra? quid adulteria? quid bonorum exilia? tributa perpetua,& ea quidem non ferenda? Horum autem nihil in ea repub. ubi multitudo dominatur, rectis viris potest evenire: quippe ubi juris & æquitatis ratio, arctissimo communis reipub. vinculo habetur. Contrà, si reputes democratiam,profectò ea dominatio multo illaudatior videri poterit. Quid enim populari dominatione turbulentius? quid multitudine incondita imperitius? cum ea nihil aliud sit, quàm belua multorum capitum? ubi sæpius id quod iniquum, quàm quod æquum sit, superantibus imperitorum per tumultum sententiis, magno reipub. & malo & damno decernitur, frustra reclamantibus iis qui cæteris prudentia præstare videntur. Vnde apparet, monarchiam democratia tolerabiliorem esse. Ea enim quæ princeps sancit, recto judicio constituuntur: cum plebis vesanæ ingenium sit, rectè juxtà & perperam gerenda confundere. Non bona, inquit poëta, multorum dominatio est: uni imperium defertor. Violenta scilicet res, & vecors, plebs est. At quanto liberalius,quanto laudatius habetur(quando omnino alicujus imperio parendum sit) sceptro unius, quàm dissolutę multitudinis freno regi?Maximè si ille in amicis habeat,non quibuscum suavissimè vivat, sed sanctè, sed laudatè remp. gubernet? si leges cōdat æquas pariter & utiles,si optimis quibusq; honores mãdet,detq; operã ne quis lædatur? sed & qui optimi principis munus esse arbitretur,magis affectibus magis voluptatibus,quàm civibus imperare? Enimvero quis cordatus non malit in ea repub. censeri, in qua, si bonus sit, nomen aliquod gerat, quàm obscurus cum incondita multitudine sursum deorsum agitari? quæ hoc æquior existimanda sit, quo est facilius unius imperio, quàm multorum decretis parére, eosve colere. Hi ad annuum imperium subvecti, antea privati,rerumque ignari,priusquam jura & publicas leges dedicerint, magistratu suo defunguntur. Ad hæc,dum alius alium attentus observat,magnam reipub.negociorũ partem negligunt.Iam per ambitionem divina humanaq; omnia miscētur. Cum habetur senatus,plus temporis rixando,altercando, & disceptando, quàm consultando absumitur. Præ-

Homeri lib.2. Iliados.

tereo inimicitias, factiones, invidiam, quibus tranquillitatem publicam certatim potentiæ avidi perturbãt. Ab aliis, quibus in imperium ſuccedunt, quiq; ipſis poſtea ſufficientur, res malè geri, taciti apud animos ſuos precantur: adeò aliena fœlicitate ægreſcentes, privatæ gloriæ cauſſa reipub. ſunt peſtilẽtes. Adde quòd adminiſtrent aliena: legant ſæpenumero in concilium ad regni everſionem maximè temerarios quoſque. Et coluntur in primis, non qui prudentia, ſed qui eloquentiæ viribus maximè polleant. Contra, omnia in principe diverſa videas. Hic etſi natura imbecillior eſt, uſu tamen & peritia rerũ illis melior habetur. Negligit nihil: quandoquidem omnia & ad ſe pertinere, & à ſe geri debere, accuratè expendit. Non eſt, cujus eminentiæ invideat: unum id ſedulò agens, ut quàm optimè imperet. Nullum huic conventus habendi tempus aut locus indicitur, ad conſultandum: noctes dieſq; ipſe præſens diſceptationibus de repub. intereſt. Vnum atq; eundem benevolum animum per omnem vitam adverſus ſuos gerit, quos perinde atque ſuum peculium curat. Deligit ex univerſis prudentia conſultiſſimos: eoſque in primis honoribus cumulat, qui laudatiſſimè ſe gerunt. Verum ego altius proceſſi, quàm inſtitutum fuit. Sed democratię forma minimè hac tempeſtate exoptanda videtur. Quia neque ejus rectoribus ſuus habetur honos: neque populus inteſtinam fœlicitatem agnoſcit: neque ocium paratũ ferre poteſt. Vt alias urbes mittam, Vltrajectum noſtra memoria has ob cauſas veterem reipub. formam exuta, in principis jus & imperium unius redacta eſt. Vrbs hac quam diu populari dominatione adminiſtrabatur, incredibile dictu eſt, quam nullam quietem, aut ab inteſtinis motibus domi, aut ab externis armis foris aliquot ſeculis habuit. Ipſe autem populus clariſſimarũ olim urbium exemplo, aut rectores ſuos per tumultum in exilium agere, aut cum epiſcopis certamina ſerere: donec ad poſtremum noſtra tempeſtate per armatam ſeceſſionem pulſis iis, qui multos annos variè rempub. geſſerant, variis bellorum caſibus jactatus, ſub Burgundorum imperium, reſtitans conſerta manũ ſit attractus. Hoc igitur opus viſum eſt nomine vigilantiſſimorum Coſſ. & inclyti Senatus urbis Vltrajecti in lucem emittere, ut apud omnem poſteritatem regni ac ditionis veſtræ monumẽtum extet, quanta rebus humanis eveniat viciſſitudo & mutatio. Nunc quam veriſsimè potero, rem aggredior.

Calamitas Vltrajectina ex democratia.

Prior hujus hiſtoriæ editio facta eſt 1546. Mẽſe Ianuario ex officina Ioannis Oporini, Baſileæ.

THEO.

THEODORI DOUSÆ NORDOVICIS, J. F.


Domini in Berckensteyn, Collegii Nobilitatis, Provinciæ VLTRAIECTINÆ Adsessoris

Allocutio super BECA, HÆDA & HORTENSIO *recusis,*

AD MAGNIFICVM VIRVM

GISBERTUM LAPPIUM à VVaveren,

PATRITIUM ULTRAIECTINUM.




Rctôo veluti positæ sub sidere gentes,
Queis sua detorquens abscondit lumina Titan
Ad tempus, donec tenebris & nocte fugata,
Ut solem adspexêre novum, faciemq; rubentem
Procumbunt genibus flexis & numen adorant;
Et Phaëthontiaci venerantur munera currus:
Historicæ sic lumen opis, geniumque renascens
Post ecclipsatas tam longo tempore luces
Quis non suspiciat, quis non veneretur, ametque,
Auctoresque boni tanti non tollat in astra?
Numquid Cimmeriis patriæ involuenda tenebris
Res foret, acta patrum condensa nocte laterent?
Scriptorum ni cura vigens & fida nepoti
Consuleret, lethenque fugans arceret inîquam.
Postgenitis hinc BECA *favens, hinc* HEDA *superstes.*
(Quos semel adscriptos Libitinæ censibus Orcus,
Hauserat, æternis damnandos sorte tenebris;
Quæ manus ob patriam pugnando funere clausit
Extremumque diemque & terras ore momordit.
Quique sui memores alios fecere merendo.)
Hos illi raptos tenebris Orcoque redemptos
Bis vetuêre mori, geminoque occumbere fato,
Bella recensentes nostrorum ritè atavorum.
Cæsareasque manus ad Cleri commoda promptas;
Multaque præterea Regum monumenta Ducumque.
Talia BUCHELIUS *cura satagente ministrat*
Illustratque notis doctis, Scholiisque decorat.

Impo-

Imposita at gemino postquam manus ultima coepto,
Heu moritur, moriensque suo commendat Achati
LAMBERTUM, *historico sudantem gnaviter Horto:*
Hancque sibi Spartam sumat rogat, occupat, urget.
Utque notis decoret, crisimque exerceat acrem:
Qui nunc auspiciis vestris se latior effert,
O genii ingeniique potens cultissime LAPPI.
Hic quinquennaleis turbas quibus inclita mitra
Conciderat, post quingentos quam creverat annos.
Pontificis Bavari indignantis pandit ἀγῶνα,
Nobilium ac plebis civilia bella recensens.
Haud secus ac fulgens fatali sidere quondam
Concidit impulsus natali sede Colossus
Solis, opus Carete tuum, geniique potentis.
Sic Clero nimium felici rapta corona,
Raptus honos nec non gladii jus, summa potestas:
Et venit in praxim sententia dia Maronis
Scilicet, Hæc mea sunt, veteres migrate coloni.
Tunc cælo latè Imperium Iovis extulit ales;
Carole cui (PLVS VLTRA) *tuum successit, & ipsis*
Sole coloratis victoria cessit ab Indis.
Tum piper, & quicquid Ganges depromit odorum;
Quicquid Arabs, Seresve metit, vel cælifer Atlas,
Ut quondam Glaucus Diomedi cessit, & aurum.
AEsonidæ fulvum vellus, Medææ. Gigantes.
Aurea Cæsareo cesserunt regna metallo.

LAMBER-



LAMBERTI HORTENSII RERVM VLTRAIECTINARVM

LIBER PRIMVS.



CIVILIUM secessionum urbis Ultrajecti commentarios scripturus, & bellorum, quæ populus Ultrajectinus à decessu Philippi Burgundionis Episcopi ad translationem, ad Hollandorum Brabantorumque principem Episcopatus gessit: operę precium fecero, si quã fieri potest brevissimè, prius de urbis ipsius origine, de situ, de populi moribus, religionis initiis, variâ denique populi fortunâ, quę è tenuibus rebus, ad quantos opum luxus religio crevit, altius aliquantò repetam. Res in primis memorabilis: & quæ memoriæ prodatur, digna. Nam Itali quidam docti, & ingenio clari homines, sed rerum nostrarum, locorumque parum gnari, Ultrajectinorum res describere aggressi, errore Trajecti ad Mosam, hujus non solum res, sed & Episcopos, cum Ultrajectinorum permiscentes, altissimis nostras tenebris involuerunt: ita ut regionum imperitis, è nominis similitudine proclivis pronusque fuerit lapsus. Simul quòd nemo hactenus extitit qui de iis separatim librum scripsit, ex quo domestica, perinde ut externa, nostris cognoscere licuit: adeò ut tabularum Imperatorum & regum magis, vitarumque vetustissimorum Episcoporum fide nobis sit nitendum, quàm scriptorum testimonio. Quanquam non inficior, Tacitum & Ammianum, & præter hos, alios quosdam, ad vetustatem aliquod momentum adducere: sed quantulum hoc est? Simul ut constet, quantum ea quondam cùm temporis celebritate, tum Imperatorum postea nominibus, inter inferæ Germaniæ florentissimas urbes claruit. Tum ut animadverso præsentis & priscæ illius civitatis statu, quanta eveniat rebus humanis vicissitudo, cognoscatur. Sed cum ipsa res per se adeò obscura sit, ut non solum difficile, verũ etiam periculosum operæprecium facias, ibi judicium certũ interponere ubi inter autores non tam variatur, quàm quòd parum explorati invenias: merebor propius in his fidem, quam illi: non modò apud nostros, sed etiam apud exteros: quod pleraq; mihi, quàm illis, regionis hujus, urbisq; in primis loca notiora fuere. Urbs Ultrajectum ad ostium Rheni in ripa sita est. Rhenum autem ipsum, olim longè aliis alveis, quàm hodie, in Oceanum descendisse constat: id quod vadi partim vestigia, partim regionum quarundam vetusta monumenta, nomenclaturæq; palàm arguunt. Initio enim non Leccæ ripis mare intrabat, sed ad Dorestatum anfractuoso cursu in diversum abiens, Ultrajectũ alluebat. Inde reflexo, in occidentem amne, Woerdam & Leidam, Hollandorum nunc oppida, sinuoso divortio præterlabens, ad Catvicam vetustã Cattorum coloniã in Oceanum vasto gurgite fundebatur. Manet Catvicæ, ad Rhenum etiamnum hodie incolume suum nomen. Argumenta extant istarũ rerũ non obscura. Nam unde ab Ameronga Ultrajectũ iter vertit, videre est adhuc pascua, quæ flumine intumescẽte, inter eminẽtiores aggeres perfundũtur, quibus tũ amnis excursus prohibebatur: ut adhuc fundũ celeberrimi amnis agnoscas. Rivulo autem, qui nunc per eandem regionem, tenuibus ripis Ultrajectum cursu petit, veteris Rheni appellatio manet: perinde ut, ubi se inde reflectens, ad ipsum Oceanũ usq;, secum vetus nomen trahit. Quod autem ostiũ ad urbem fecit, mercibus secundo Rheno importãdis evehẽdisq; celebre, manifesta extant vestigia. Portæ, qua urbem intrabat ad meridiem, à telonio publicanorũ, à quibus merces accidebãtur, durat suum vocabulũ. In septentrionali urbis regione ad D. Ioannis ædem, ubi forũ cupediarũ nũc est, vetustæ stationis nomẽ, atq; ostii extat, quod patrii sermone **Rijntkens haven** dicitur: ubi ante aliquot ãnos, in effossis veterũ ædificiorũ funda-

Civilium secessionum **het consrots-spel.**

Authoris intentio.

Quos inter Raphael Volaterranus Geographiæ libro VII. fol. 78.

VRBS VLTRAIECTVM ad ostium Rheni sita.

Fallitur Hortensius cum X. fere millibus à veteri ostio absit neque illa de **Rijntkens havẽ** *vel ut alii* **Rijnkens haven**, *quidquam ad ista faciunt, portum enim habuisse & telonium nõ nego. Sed ostium Rheni est ubi fluvius iste in Oceanum se mergit.*

fundamentis, putria navium tabulata, anchoræ, remi, navaliaque omne genus inventa fuere. Argumento quoque est tota ea regio, ubi ædes divo Martino tutelari dedicata est, quæ duodecim cubitos, à reliqua in dorso, ad piscarium forum, planitie eminentior, navalis stationis speciem monstrat. Nostra autem memoria, cum in eodem cœmeterio contra septentrionales primariæ ædis fores, Decanus Ludolphus, minantia vetustate ædium suarum ædificia à fundamentis restaurare vellet, terramque, quàm prius fuisset, altius moliretur, repertus lembus, vi- sendæ antiquitatis urceolis fictilibus oneratus, spectantibus admirationi fuit. Secundum divi Iacobi templum ab arenoso reflui fluminis vado, appellationem locus quoq; servat, het sant. Cæterum, qua nostra tempestate DorestatumBatavodurum, Culenburgam, Viennam, Schoenhoviam præterfluens, vasto alveo contra insulam Dordracenam mare ingreditur, olim modicus admodū tenui aquâ rivulus è Rheno emanabat, unde Germanico idiomate, infra Wikam, ab emanando Lecca incipit appellari, verùm temporum injuria, ipsius Rheni faucibus defecta- tis, ejusq; ostia, arenæ aggere ad Catvicam præcluso, viam violenta strage per Leccam in mare cum nominis jactura fecit. De civitatis autem origine tam diversa produntur, ut difficile sit, in tanta vetustatis caligine, aliquid pro vero astruere. Tradam ea quæ ex tablinis Ultraj. basilicæ accepi. Sunt, qui à gigantibus eam conditam, habitatamq; ferant. Nonnullis placet, sub Nerone principe cœpisse, nomenq; illi Antoninam factum, ab Antonio quodam, qui ejus tyrannidem fugiens, hanc exilii sedem delegerit. Sed cùm apud scriptores hujus Antonii nusquam omnino, vel tenuis (quod sciam) mentio sit, pro vano & fabuloso repudiandum duco. Quanquā non ignoro L. Antonii cujusdam Germaniæ, sed superioris præsidis, Sextum Aurelium, in vita Domitiani meminisse. Apud omnes tamen constat, ab initio eam Antoninam fuisse appellatam. Vero igitur propius est, ab Antonio Trimviro, qui Cæsaris omnibus, in Galliis & Germania expeditionibus interfuit, urbi nomen datum, qui oppida & arces alias etiam sui nominis condiderit. Ipsum tamen locum, cùm ob soli ubertatem, reiq; frumentariæ copiam, tum propter situm, ad merces in Oceani insulas & Celticam secundo Rheno pervehendas, jam sub Iulii Cæsaris in Germaniam Trajectum, inter Barbaros verisimile est mercatu celebrem fuisse. Unde Cattis & Wiltis magno inter se longoq; bello de loci imperio decertantibus, cum ad extremum illis in Oceani littus pulsis, Wilti obtinerent, præsidium Wiltenburgum in ripa ulteriori, colle edito (nostra tempestate fundamentorum rudera adhuc videmus) posuerunt. Sed Romani, devicta præliis ultrò citroq; Germania, cum multas passim munitiones contra rebellionem suprà & infrà in ripa Rheni ad ejus tutelam locassent, hîc quoque statim adversus barbarorum vim, in ipso penè fluminis alveo munitissimum præsidium, ubi nunc Paulinianorum sodalium cœnobium est, extruxerunt. ei regioni urbis, & ponti in quem excurrit, nomen à civibus Romanis adhuc durat. Tum autem & alii, qui huic ad septentrionem proximus, & viæ, à castris præsidiariorum militum, qui ad omnem vim arci tuendæ ibi depositi fuerant, remanet vocabulum. Mansit urbi nomen Antonina diu integrū. Sed ut nihil in rebus humanis est perpetuum, nomen postea mutatum est: sed quo casu, aut quo authore, video parum inter hujus urbis antiquitatis investigatores bene convenire, usus Trajectū obtinuit. Beda gallica lingua sic appellatam esse prodit. Invenio apud Ammianum in Iuliano Utricesium: quæ vox ad Germanicam appellationem propius alludit. Nec desunt qui opinentur, ab Ulpio Trajano ductū nomen: quem constat tum Germaniæ præfuisse, cum absens Romæ à Nerva adoptaretur. Restituit enim barbarorum clade labefactatas aliquot ultra Iselam civitates, condiditque sui nominis in ejusdem ripa arces aliquot: qua conjectura existimant factum, quòd priori nomine exoleto, Ulptrajectum nuncuparit. Longè autem diversa est eorum sententia qui pro vero affirmare contendunt, à Wiltis qui Slavorū opibus & virtute freti, urbē (structo in ulteriori ripa præsidio) invasere, Wiltrajectū nomen factū. Sed & Gerardus Noviomagus, tum clarus tum disertus Batavicarum rerum scriptor, in vetustissimis codicibus ante annos sexcentos exaratis, Viltrajectum se scriptum reperisse tradit: tum autem & Ultrajectum. Qua equidem appellatione ego deinceps vel hoc nomine libentius sum usurus, quòd à re ita vocatam existimem. Nam quum ostium Rheni mercatorum frequentia esset nobile, compendio in Gallias & objectas Oceani insulas, prono alveo inde solventibus trajectus cursusque patebat: qui postea in Leccæ ripam miliare ab urbe submotus, pristinum vocabulum & usum retinet. Ceterum cum ex Cæsaris divisione, amnis Rhenus Gallias à Germania disterminaret, ita ut ulterior leva ripa Gallicæ, dextera citerior Germanicæ ditionis jurisque esset, in confesso est hodie (nam per id tempus duobus tantū brachiis in Oceanum effundebatur) nec Isela omnino, aut certe obscurus rivulus erat: ut mirer cur quidā ausint hunc & scripto & pictura regnorū disterminatorem consti-

Decanus Ludolphus. Is ex Veniis Campensibus fuit: cujus ædes nunc ad Rysenburgii dominum spectant & occupát partē Aquilonarem vici Dominici ad ipsum cœmiterium, defunctus est hac vita 1508.

Anno D. CCC. LX.

De Antonio conjecturam non admittit Cl. Vir Ad. Buchelius in notis ad Hedam & Bekam: quos vide.

Ultrajecti soli ubertas.

Trecht Teutonicè, Libro XVIII. ad quem Locū Iunius in Batavia fol. 128. disceurrit docetque cum posterioribus Ammiani editionibus irrepsisse TRICESIMÆ quod verbum Lindembrogius & Boxhornius V. Cll. retinuerunt in suis editionibus.

constituere, Rhenum inter Wahalim & Iselam labentem, usq; ad Oceanum utramq; gentem distinguere: tametsi suos Germani jam olim limites transgressi, magnam Galliæ partem Rheno finitimam occuparunt. Itaque Ultraj. in Germanico solo ab initio conditum fuit. Quòd autem scriptores inter se digladientur, ultrò ad Gallorumne an Phrisiorum jus spectaret, equidem nihil miror. Galli enim militari gloria clari, cum transito Rheno armis omnia adorirentur, civitates ad continendum sub imperio victos opportunas, præsidiis firmabant. Harũ Ultraject. præcipua fuit, tum in ora ultima imperii Gallorum citra amnem (ut nunc) discriminatorem sita. Transit autem in Gallorum imperium sub Valentiniano Imperatore, qui Viltos, Saxones & Sclavos, omnia Oceani litora fœdis populationibus vastantes, jamque inde eruptionem meditantes in Francorum finibus oppressit, & insigni affecit clade. Mansit sub Gallorum imperio tamdiu, donec omnem earum regionum jurisditionem Dagobertus anno D.lxxv. (si rectè tempora digeruntur) Willibrordo. loci Episcopo donaret. Enimvero incredibile dictu est, quantis barbarorum cladibus aliis super alias cum herbescente paulatim fide deinceps fuit afflicta, sed à nullis gravius quàm à Ratbodo Phrisiorum rege: quem mox paulo hinc ejectum Pipinus Caroli Magni pater in Phrisiam se recipere compulit. Ex his liquere opinor, initio inter secundæ Germaniç urbes opulentas hanc celeberrimam viguisse: neque Gallorum, neque Phrisiorum imperio paruisse: sed quasi togatam, Romana usam libertate, suis legibus vixisse. Togæ vestigium in Coss. & duobus senatorum primoribus ad annum usque vigesimum nonum, supra mille quingentos, nostra ætate perduravit. Mercatus celebritas itaq; effecit, cur barbarorum incursibus prædæ exposita, à Gallorum regibus defenderetur. Quo tempore usque adeò ejus florentissimæ opes fractæ fuerunt & accisæ, ut certamen cum Agripina Colonia de metropoleos dignitate jureque susceptum mittere cogeretur. Iam verò Ecclesia ipsa è tenuibus principiis, unde paulatim ad incredibilem splendorem ac luxum pervenit, ortum duxit, ut sunt res humanç. Urbe enim tota Willibrordi, ejusq; ex Anglia comitum institutione ad fidem ducta, Dagobertus Clotharii filius, Francorum rex, qui mutato prioris vitæ instituto, pietate clarus, & ad superstitionem usque religiosus fuit, ædiculam divo Thomç condidit, anno D LXXVII. quam reges posteri ditissimis rerum possessionibus paulatim cumularunt. Invenio his duos annos subtractos apud Marcellinum in vita Suitberti. Illis potius accesserim qui tradunt, ante Dagobertum locum episcopalem fuisse, simulq; religionem Christianam iisdem temporibus cœpisse quibus Gallorum reges fidei initiarentur. Argumento esse Clotharii patris Dagoberti, & Theodeberti regum, in eam ecclesiam profusam munificentiam: cujus mentio in Bonifacii vita extat. Quæ cum ita sint, fuit igitur Agrippinensi & temporibus prior, & dignitate antiquior. Iidem produnt, contra barbarorum vim, præsidiũ Wiltemburgum cujus suprà à nobis mentio facta est) à Dagoberto conditum esse. Sed cum nomẽ sit à Wiltis, qui aliquandiu castello posito, ea loca occuparant, vero similius propiusque videtur, Dagobertum id validius multò fossa ac vallo, relicto pristino nomine, munivisse. Thomç jam sacello paulò post à Phrisiis diruto, Willibrordus in proximo xx. inde passus, Oratorium crucis condidit: primusq; Episcopus à Sergio Pontifice Romano declaratus est: nomenque Clemens illi factum. Mox Ratbodo rege à Pipino inde in Phrisiam exturbato, collegium divo Martino in eo loco institutum est, ubi paulò antè Thomæ sacellum, incendio absumptum barbari demoliti fuerant. Exornavit id mortuo patre statim Carolus cognomento Magnus, cõtulitq; eò dona magnifica. Et ut à barbarorum incursu Episcopus tutus foret; regia veterum regum (quod Vetus Palatium tum nuncupabatur) ei dedit. Addidit immodica liberalitate, & magnificẽtia planè regia, opes magnas, quas posteriores reges provinciis, decimis, tributis, portoriis & donis opulentissimis supra modum etiam cumularunt: tantum abest, ut ecclesiæ aliquid detraxerint, cum Henrici, Conradi, Othones Imperatores, tabulis eorum donationes etiã ratas esse jusserint. Tradita enim sunt earum regionum dominia unde barbaros & tyrannos expulerant: ut ea Ecclesia brevi tempore regum opes penè æquarit. At Episcopi homines diu pietate & vitæ innocentia insignes, cùm rebus divinis magis, quàm profanarum rerum administrationi vacantes, negligentius sua tuerentur, undique alii alia loca, ut quæque oportuna erant, occupare. Hinc postea Brabantorum, Hollandorum, Gelrorum principes, Comitem item à Benthem, Cuick & Goer pulsos fuisse tradunt, cum anno 1021. Adelboldo Episcopo, coram Henrico tertio Imperatore, in præsidio Tulpiaco, religione se adstrinxerint, se pro jurisdictionibus mancipio acceptis, Præsuli Ultrajectino clientes in posterum in fide permansuros. De moribus autem & institutis eorum qui initio ecclesiæ rebus gubernandæ præficiebantur, quid attinet dicere? Tanta erat Collegii Crucis, ob integritatis ac sanctimoniæ apud exteros

Ultrajectum in Germanico solo.

Manifestus anachronismus.

Ultrajecti Episcopis donatur.

Ultrajectũ Urbs togata.

Tempore Pipini castrum fuit non civitas.

populos existimationem celebritas, ut non solum inde nostræ ecclesiæ Episcopi renunciarentur, sed finitimi etiam hinc exirent, à quibus res administrarentur. Bonifac. ordine secundus, & Gregor. in catalogo tertius ad Moguntinensem regendam lecti fuerunt. Albricus ad § Coloniens. Ioannes ex Herculanorum principibus, in postremis ad Leodinæ gubernaculum emigravit. Hæc nō obscura argumenta efficiunt, ut inducar subscribere iis qui scriptum reliquêre, usq; ad exitū Bonifacii, qui incidebat in annum DCCLV. metropoliticū nomen hic eminuisse: sed Bonifacio cum quinquaginta collegis, & duobus, pro fide, in pago Dockheimo à Phrisiis cæso, cùm urbs ipsa iisdem temporibus fœdè à Nortmannis & Danis vastata jaceret, Ultrajectini illud Coloniensibus detulere. Crevit inter hæc ecclesiastica res magnis successibus, cum barbari paulatim posita ferocia mitescentes, ad fidem, abdicato idolorū cultu, desciscerent. Iuvit hos successus haud parum, Episcoporum pietas & insignis eruditio, ut ea tempora ferebāt, usq; ad annum VIII. supra M. Quo tempore iterum Nortmanni, quasi ecnephias subitò erumpentes, sub decessum Ausfridi, in ordine XVIII. primùm Tylam, mox sequenti anno Ultrajectum ingenti mortalium clade & incendio devestarunt: cujus opes sæpe antea afflixerant sub Willibrordo, deinde post mortem Bonifacii, rursum Alfrico Episcopo, qui in serie nonus est. Quibus temporib. multæ etiam Germanici Galliciq; nominis clarissimæ urbes unà excidio sunt deletę. Iacuit post hanc procellam barbaricam per aliquot annos civitas, muris solo æquatis, ruinisq; deformis, donec *Ratbodus XIV. Episc. de migrando Daventriam, consilium agitaret. Erat Ratbodus vir regū imaginibus clarus, miraculis simul & fatidico spiritu magnus, Græcarum Latinarumque literarum juxtà eruditus. Arguunt id ipsius Sylvę utroque genere scriptæ, quæ adhuc extant. At Danis civitate profligatis, Ultraject. Daventriâ rediit. Ratbodo è rebus humanis sublato, Baldericus Clivensis ob egregia in populum Ultraj. merita, Pius cognomento appellatus, vir excelsi ingenii, tum literis tum belli artibus ex æquo mirabilis, ♀ muro rursum urbem cingere est aggressus, anno DCCCXC. Hac eâdem Nortmannicâ irruptione cum multos annos in Hollādiâ, omnis generis mortalium, fœda fuga, agri & urbes vastæ incultæq; jacuissent, ejus comitatus, Caroli Calvi § beneficio quidem, verùm cum insigni ecclesiæ Ultrajectinę detrimento, cœpit. Initium ejus in annum LXIII. supra DCCC. incidisse produnt scriptores, Hungero undecimo præsule, anno quod ecclesia condita fuerat, CCL. aut circiter. Interim creverunt ejus res (uti dicere cœpi) ad id tempus usque in ocio, incredibili luxu, & quidem regum, Imperatorumq; egregia liberalitate, quamdiu ab episcopis religiosis & doctis regebatur. Verùm ubi pro innocentia impostura, pro gloriæ contemptu ambitio, pro eruditione inscitia, pro humanitate superbia, pro frugalitate luxuria, pro liberalitate avaritia, pro continentia libido irrepsêre, omnia in pejus labi, bona à finitimis principibus occupari, bella moveri, omnia deniq; sacra profanaq; commisceri. In hac autem opū luxuriante affluentia, primi illi ecclesiæ moderatores, homines sancti ac pii, moderatè se tenere, eas expendere in usus quos Deo gratos arbitrarentur, templa ædificare, cœnobia condere, opima sacerdotia facere, ædes vetustate, vel structuræ tenuitate collapsas, sarcire: ipsi non solum monasticā religionem fortunis suis vehere ac juvare, sed ornatum etiā induere. Siquidem Ausfridus, in vico § Turino virginum collegium, in Sacro monte ad mille passus ab Amorsortia Benedictinorum cœnobium condidit: cujus religionis vestitum ipse quoque sumpsit. Id ipsum exemplum postea sequutus est Godebaldus; Bernulphus divo ∠ Paulo ædem in urbe, translatis eò è monte Sacro Benedictinorum opibus, posuit. Divo item Petro, & aliud Ioanni Canonicorum collegia. Medius autem inter hos Adelboldus, divo Martino tutelari ædiculâ veteri dirutâ, novam basilicam refecit. Conradus Suevus in palustri loco divæ Virgini intra mœnia, Canonicorum contubernium. Godebaldus *extra muros urbis ad ortum, monachorum virginumque cœnobia in paludib. constituit: qui Carcer Ordinis, propter severam professionem vulgò appellatus fuit. Idem Middelburgi regularium sodalitium. Deferbuit hic ardor intra pauca annorum lustra, ut solent optima queque, simul & ea, quæ speciem pietatis præ se ferunt, in deterius sensim degenerare. Nam ubi armis sua tueri sunt coacti, jam non delubra amplius erigere, verùm sacrorum curâ abjectâ, arces, castella, præsidia in hostes condere adorti sunt. Godefridus Rhenanus Montfortiam & Vuoerdam contra Hollandos, Horestam in Gelros, Vollenhoam in Phrisios excitavit. Conradus Suevus ad Hollandorum vim retundendam, Iselmondanum pręsidium collocavit. Nec defuerunt, qui excultissimis etiam monumentis ipsam urbem exornarunt. Alii alia, ut quisque fuit belli quàm pacis amantior, maximè ad res ab injuria finitimorum armis vindicandas fecerunt. Excitarat jam dudum fatale penè dissidium inter episcopos Vltrajectinos & Hollandiæ principes, illa regnorum Galliæ ac Germaniæ per

A secun

§ *Dubito de Hortensii sententia; maximè eo argumento, quod Vltrajecti ad S. Salvatorem sit sepultus: rem explicitam facient Ven. ac magnifici D. AEgidij Gelenij Canonici ad S. Andream historię Coloniensis ingentia volumina, quæ exspectamus, propediem evulganda.*

* *Ratbodus Episcopus Trajecto Daventriā sedē transfert.*

♀ *Vltrajectum muris denuò circundatum A. 890.*

§ *Simplicis videatur Heda & post eum Douza.*

§ *Thoren ad Mosam.*

∠ *Hodie Locus Provincialis Curiæ.*

* *Extra, tum in suburbanis erat.*

secundas Iudithæ nuptias divisio. Etenim cum veteres Reges & Imperatores ditissima rerum dominia in Hollandia (priusquã regnari ibi cœptum esset) & Phrisia, quorum reges funditus armis delerant, & Oceani insulis, unde tyrannos pepulerant, barbarorum crebris cladibus deserta, nullis designata limitibus ac pomœriis, Episcopis pro desudatis in messe verbi laboribus donassent: ubi Calvi jussu, pacatis rebus, in ea insulæ parte quæ Holtlandia appellabatur, comites consedere, hi statim angustias regni ampliare, limites propagare, virtute atque arte Ecclesiæ opes, insulas, arces, ut quæque maximè erant opportuna, occupare, bello Phrisiam sui juris facere, multis secundis prœliis egregium nomen, summamq; gloriam sibi parare. Horum fortunam post Carolum Calvum, reges Gallorum contra Episcopos tueri, Imperatores vicissim majorum donationes confirmare, Ecclesiæ Iura & opes defendere, denique certatim sua potiora haberi velle. Hinc odium inter utrunque populum seminatum, bellumq; perpetuum fuit: quod immortale futurum prospexerat Adelboldus XIX. in serie Episcoporum. Huic cum à Theodorico IV. Hollandorum Principe, rerum ablatarum prætextu, sive quod eo authore Phrisii defecisse dicerentur, arma essent illata, prœlio superatum, Isselmondæ tres annos captum tenuit. Eum omni spe alioqui ad Episcopatũ reditus incisa dejerare ad extremum compulit, nec se, nec posteritatem ullum in Hollandiam, nullum in Phrisiam jus usurpaturos. Confectæ inde sunt tabulæ. Itaq; hoc fœdere pace cõfirmata, restitutus fuit Adelboldus. Dissidentib. itaq; inter se regibus, Ultraj. ditio, vicino hosti, tot victoriis magis magisq; indies ferocienti, prædæ relicta fuit. Ablata oppida, sylvę, insulæ, paludes, & ad urbis muros quidem jam Hollandorum limites propagabantur, nisi cardines paludum ad Gojolandiam constituissent, quos accolę idiomate vernaculo Leeuwen-pael vocant, qui finis utriusq; regni esset. At Adelboldinę cladis posteri Episcopi memores, quisque pro se occasionem amissa recipiendi quærere, occupata recuperare, tantumq; postremò reliquum sibi tenere, quantum ferro vindicare potuerunt. Quo factum, ut dum hinc pro Velavia à Gelro adempta, inde cum Hollandis, pro ditionis latissimis possessionib. & dominio sine fine certamen est, populus Ultraj. mitigatus otio, pacisq; antè desuetudine bellorum assuetus, his rationibus, posteà armis militiaq; longa animis efferatus, à bellis quiescere non valuerit: indies factus ferocior, cum foris bellũ nullum haberet, intestina discordia in sese mutuò ferrum vertere cœpit. Senatus cum equestri nobilitate, aut religione certamina serere: homines potentes, factiosi domi, foris nobilitatis & imaginum magnifici ostentatores: fastuosi, luxui voluptatiq; addicti: aliud promptum in lingua, aliud clausum in pectore habere. quo quidem nomine etiam apud exteros semper malè audivere. magnis motibus factionum Episc. creare, principum exterorum commendationes contemnere, rarò concordibus animis Episc creare, at multo rarius cum lecto bene convenire. Aucta in tantum crevit nobilitatis potentia, ut non solum armis medio foro, ponteq; Romano & Castrensi decernentes invicem urbe pellerent, verum etiam cum hostibus justo prælio in planitie congrederentur. Fuerunt, qui cognatorum opibus adjuti, diluculo occultis muri aditibus perfractis, urbem ingressi, in vico Prætorio cum Episcopo conflixère: & quidem fœliciter. Tradunt quidam scriptores, Cæsarem Guiljel. Othonis Episc. nepotem ex fratre, cùm incautius insidiarũ securus obequitaret, jactu saxi deorsum è sublimi fenestra petitũ. Episcopis portas claudere, cum aliis apertam simultatem exercere, illis bellum facere, alios captos intra muros in privatis ædibus tenere, bello persequi, prælium inire. Processit tandem eò principũ contemptus, ut sordidi homines privato odio Episc. ferro exceperint. cum sociis civitatibus controversiam habere: eas, si pax esset, in bellorum periculorumq; societatem trahere: illæ contrà Ultrajectinum populum exosum habere. Senatus, si quando nullum bellum foris esset, religionis libertate ægrescentes, eam vectigalibus, publicisq; onerib. oppugnarunt. Suffragiis primũ clero liberis, in comitiis Pontificiis, postquam ambitione & largationibus exterorum principum corrumpi cœpere, magnis motibus Reipub. intercedere conati, sacra, profanaque omnia miscuerunt: certum aliquem dictare, quem renunciari postularent: sagati in comitia Canonicorum sodaliũ descendere. Itaq; dum neutris alteri cedunt, Burgundi armorum terrore Episcopos jã obtrusere: sed quàm auspicatè, vix est qui ignoret. Philippus enim eos à Diepholdii decessu, Davidem filium, Brederodio Archidiacono abrepto, ductu Caroli recipere cõpulit. Illius tamen potentiã quantũ veriti fuerunt, vel illud arguit, quòd Davidem posteà intra muros oppressum captumq; factio Amorfortiam relegarit: quanquam haud impunè. Nam Maximil. Imp: gravi obsidione pressos, relegatum revocare paulò mox coegit. Fredericus Badensis Marchio post hunc Episcopus, nihilo fœlicius obscuris factionibus aliquandiu fatigatus, cum videret se inter sacrum & saxum, medium versari, Davidis exemplo territus, simul

Hæc narratio à vero deviare videtur, tũ quod principiũ illa institutio lõgè sit posterior, tum etiam quod Hollãdię nomen Comit. post sæculũ atq; alterum natum sit. Causa hujus dissidij longè alia. nec hæc narratio proba. vide D. Buchelij notas ad Bekæ & Hedę Chr.

Ultraj. ad bellũ quando efferati.

Rodẽburgerbrugh. Male, Castrensi, sed Hortensi, Gardebrugh.

 ut rei-

ut reipublicæ quieti consuleret, homo placido modestoque ingenio, pacis tranquillitatisque amator, dignitatem in Philippum Davidis fratrem, per id tempus maris præfectum rejecit. Sed ne hic quidem, quamvis pollentissimis aulæ Burgundicæ opibus & amicorum potentia fultus, omnibus placuit: vir pacis bellique artibus juxtà insignis. Bellum enim quod Transiselani intestinum cum Carolo Gelrorum Duce, & Suollanis gerebant, cum neque componere, ut cupiebat, neque Daventriensibus ipse per tenues familiares opes auxilium ferre, neque discordiam dirimere valeret, nec spei quicquam ab aula Burgundica expectandum videret, simul quòd frustra Ultrajectinorum opem expectaret, curis animique ægritudine fractus, in gravem valetudinem medio belli ardore incidit, ac paulo pòst, pridie nonas Apriles à rebus humanis excessit, anno XXIV. supra M CCCCC. Porrò quæ Pius de hujus populi moribus scribit, affectibus magis quàm veritati tribuenda duco: quamobrem non operæ est ea persequi. Hæc igitur quasi præfatus quàm potui paucissimis, ad institutum opus accingor.

Pius II. Pont. Max. in Europa cap. 56.

Morte Philippi vulgata, illicò Gelrus peditum cohortem in Ultrajectinorum fines misit ad intercipiendum Hollandos qui navigio Ultrajectum contenderent: obseditque eam Rheni ripam, quæ inter Ganum & Iutfasium in trajectu media est. Attulit illa urbi haud mediocrem terrorem, vel eo graviorem, quo erat ob Transiselanorum dubias res immaturior. Auxit præterea hanc consternationem metus, ne novi præsulis creatione armorum motus non solum non remitteret, verùm intenderetur magis in dies ac magis, nisi Gelri nominis aliquis renunciaretur: ingens bellum cis Iselam se quoque habituros. Huc accedebat Burgundionum formidabilis potentiæ recordatio, à quibus Philippum nuper contracto magno exercitu, reluctantes diu recipere compulsi fuerant. Habebant & per hos dies selectissimas peditum copias duce Guilielmo Turco, à quo Philippus graviter affici cœpisset, conscriptas, circum Schoenhoviam in castris: quarum accessu nuperrimi motus memoria oborta multo majorem trepidationem attulit. Dies habendorum comitiorum extemplo indicitur, in ante nonas Majas: ad quem, qui ab urbe tum temporis Canonici aberant, suffragiorum causa à suis quisque collegiis revocarentur. In consules jam multo major quàm antea cura reip. incubuit: his à senatu mandatum est (quando Gelrum & Burgundos utrinque in armis esse allatum fuerat) uti operam darent, ne quid detrimenti Respub. caperet. Excubiæ circa Forum Palatinum statim duplicantur: vigilibus nocturnis in mœnibus, Quinqueviris vicos regionesque urbis nocte explorantibus, numerus augetur. Stationes etiam circa portas è senatoribus haberi. Senatusconsultum inde addito edicto publicatum est, ut quisque, si signo ad arma conclamaretur, cum telo ad designatum tribus suæ locum, sub ductum magistrorum adessent: ut diversoria peregrinorum hospitum nomina sub noctem ad Quæstorem urbis scripto deferrent: dicta mulcta iis qui edicto non paruissent. In hoc Reipubl. statu, legati cum una peditum cohorte, Burgundionum Ultrajectum venêre: Episcopus Panormitanus, & Princeps Verianus, missi ab Erardo Arenburgensi, Leodinorum tum Episcopo. Et quia interregnum breve erat, priusquam plures competitores supervenirent, senatus ecclesiasticus brevi his audiendis datus est. Postquam autem in curiam intromissis dicendi potestas à primario Decano facta est, Panormitanus homo prudentia cum pari eruditione conjuncta clarus, hujusmodi orationem habuit:

1524. Gelrus Ultrajectinos invadit.

Oratio Legatorum Erardi à Marcâ Episcopi Leodiensis.

SI eadem temporũ ratio & fides nunc foret quæ aliquando fuit, longè profectò alacrior ad dicendum in consiliũ hoc prodirem: nec legatus ad Episcopatum petendum, armatus ad eam urbem venirem, cui cum Carolo Quinto Ro. Imperatore, Hollandorum Burgundionumque principe omnia pacata essent ac tuta. Hoc ludibrium Deusne aliquis an fortuna obtulerit, ut insolens ea sagorum species vestros mihi animos alienaret, satis certum apud animum meum constare non potest: ergo incusandum id magis à nobis est, quàm prohibendum. Lætor tamen amplissimi vestri ordinis senatum mihi datum, ut legationis hujus consiliũ

utcunque affecti cognoscatis. Sed quid sibi vult hac armorum facies? Quid legatus? nullo (quod sciam) exemplo, cum sago ad urbem, cum qua fœderis perpetui necessitudo penè nobis hactenus fuit? Priusquam Bruxella proficisceremur, ex composito pramißi speculatores exploratum, num iter à grassatoribus tutum esset, (formidinem & metum dudum rumor fecerat) pavidè referunt, Gelrum exercitu tumultuario contracto, omnia itinera circa Ultrajectum locis ad peditum insidias aptis, insidere. Optarim mentem illi datam à Deo esse, ut ipse se intra septa sua contineret, & religionem sequutus, ab infestando aliena desisteret. Ibi viatores Hollandi nominis, nullo vel ætatis vel sexus, nullo conditionis discrimine interceptos abducit: abductos in carceribus, dum se redimant, supprimit. Hac ille in aliena, & vestra adeò terra audet: loco nimirum, in quo sciat vos nullas stationes copiarum inopia ad tutandum ditionis oras habere: ut hinc exterorum principum legatos excludat, exclusosque excipiat. Itaque arma nobis magis ad corporum custodiam necessaria, quàm honesta aut decora, non ad inferendam, sed repellendam Gelri vim fuêre. An aliunde homini vestra patientia abutenti hujus licentiæ fiduciam evenisse arbitrari par est, quàm ex morte Philippi Episcopi, excelsi viri & virtutis singularis comperta? Quo quidem vivò ne publicam quidem pacem prior turbasset, tantum abest ut grassatorem in vestram terram immissurus esset. Sed quò rapior? Proinde antequam ad consilii præsentis rationem perveniam, à vobis contenderim, ne advertere tantisper gravemini, dum legationis nostræ occasionem exponam: hoc est, de Philippi Episcopi decessu. Etenim non constituò satis, nobisne lugenda ejus mors magis sit, an vobis publicitus dolenda: certè utrisque acerba est & præmatura. Enimverò, si (ut vetustißimus ille Græcorum vates inquit) bonus vicinus res præclara est: contrà malus, pestis abominanda: quæ in exitium vicinorum nata sit, non potest non dolor noster justus esse: qui non solum bonum vicinum, verum & amicum, ex clarißimo Burgundionum sanguine prognatum amismus. Amisimus & cum illo omnia ea commoda, quibus regna affinia se fœlicia venditare solent. pacem foris, pacis proventus omnes domi, nisi divinitus subitò lux melioris fortunæ exoriatur. Vester luctus autem vel hoc nomine justior est, quòd ejusmodi episcopum vobis fato sublatum amisistis, qui Reipubl. bello utilis, domi ornamento extitit: nisi quod fatis imputanda sit, Transisselanæ controversiæ fortuna: ad quam tranquillandam amicorum opibus haud dubiè adjutus, se totum vertisset, nisi præmatura morte

morte vos in rei expectationem erectos subitò destituisset. Cum itaque & nostra referat, qualem gubernaculo rerum vestrarum principem præficiatis, par est ut vestris consiliis benè precemur: votisque omnibus ea, quòd fieri potest, manibus pedibusq; juvemus: ut Hollandorum res, non minus quàm vestræ domi forisque mutua concordia latæ, insigniter florere pergant. Hoc enim pacto urbes, regna, pagi, opidò opulescunt, & ad summam rerum luxuriam perveniunt. Contrà, quid ferox princeps, alieni cupidus efficiat, qui neque ipse pacem, neque finitimorum tranquillitatem ferat, cui id obscurum est? Malorum Lernam miscet, exhaurit suos, vicinos bellis lacessit: semper est, quod moveat, quo ocium turbet. Ex quibus utrinque ad postremum, & victor & victus nihil præter regnorum excidium, & vastationes funestis cladibus insignes referant. Quare rectè monet vetus illud verbum, Aliquid mali propter vicinum malum. Constat clarissimas civitates nimis invicem vicinas, cum neutra alterius ferociæ cederet, mutuis bellis subversas. Quorsum hæc tam multa? eo nempe, ut ad id aliquando, quod proprium orationis hujus institutum est, perveniam. Comitiorum dies à vobis dictus est, quo suffragiorum sortibus creetis aliquem, cui summus Episcopatus splendor munusque demandetur, qui ecclesiæ utilis sit, & cum vicinis principibus amicitiam colat. Et credere consentaneum est, vestrum neminem esse in hoc amplissimo cœtu, cui non sit eadem consilii ratio, eademque sententia. Quo magis annitendum est, ut affectibus alieni, & odio vacui maximè, cum judicio calculos mittatis. Si Episcopatum petere sanctum est & honestum (ut est) Erardus Arenburgus Leodinorum præsul, vir ter maximus, Episcopus Ultrajectinus à vobis designari cupit. Vereor autem, ne si excelsum hominem suis coloribus quasi in tabula descriptum proposuero, & quidem quàm potest modestissimè, turpiter illum buccinari dicar: & arbitror minimè multos esse, quibus ejus eximia amplitudo vel fando non sit audita. Virtus ipsa tametsi per se sufficit, ut tibicine non egeat: excellentia tamen ejus vel dignitas, quamvis laudibus illius major non sit, vecta tamen in amorem sui stimulis occultis auditores accendit & rapit. Si stemma requiras, summorum principum imagines si non superat, certè æquat: si natalium illustrem splendorem, nulli superiorum Episcoporum inferior est: si amicorum potentiam & opes, quibus imperia magna conservantur, hujus illustris familiæ apud suos prima nobilitas, præterquàm quòd claros heroes, & inprimis Montfortios contingat, pollentissimis viribus clara etiam potensque habetur. Frustra aliquis

Vicinus bonus Vicino bono, summa est jucunditas.

liquis his bonis se venditet, cum resp. armis ab hoste sit vendicanda, nisi argentaria opulentia privatim suppetat: nervi enim rerum agendarum sunt, si vis offeratur. Erardo nemo opulentior, nemo cui plus repositarum pecuniarum sit, ut regum quemlibet, si necesse sit, bello gerendo possit extrahere. Ecquis meminit huic bellum illatum fuisse? Arguit admirabilem Episcopi opulentiam liberalitas profusa in excolenda lautissimis monumentis urbe: arguit religionis tuendæ & exornandarum ædium ardor. Possem hic immodicus esse, si singulas animi dotes ordine enumerarem: studium tuendæ patriæ, pietatem in omnes, candorem, affectum paternum in suos, clementiæ specimen: denique summa omnia quæ in Episcopo desideres. Verùm cum cumulatè, si nihil aliud, eum galerus vehat Cardinalitius (quo non nisi religionis columina à Pontifice Rom. donari soleant) vel me sobrio commendatore, celsitudo viri quanta sit, satis liquere arbitror. Quamobrem si hunc tantum hominem legeritis, reputate vobiscum, ut duos potentissimos principes vobis demerebimini. Arenburgorum gentem illustrem, & Burgundionum necessitudinem, quorum amicitia & favor vel eo impensius vobis emerendus est, quo mutuis commerciis ob conjuncta regnorum pomœria magis opus sit, propriusque ipsi vobis immineant. Et ne gratis Episcopus jussus dicatur, perpetuum ocium, & fœdus cum Hollandorum principe ultrò offert. & quidem ut appareant promissa, efficiet. Bellum quod adhuc Transiselanis integrum cum Gelrorum Duce ardet, intra annuum intervallum compositum dabit: Modica hæc sunt præ iis quæ amplius promittit: agros, prædia, tributa, portoria, & quæ dominia rerum ultra Iselam adempta (quæ difficile est & periculosum armis restituere) in hostium jus transivêre, nullo publico, sed suo sumptu, fidem facit, se ecclesiæ recuperaturum, ut est opum dives. Ad reliquam autem ejus magnificentiam hoc adjiciendum ratus sum, quibus immortalibus operibus plæraque Leodii loca collapsionibus deformata refecit, multaque adeò nova ex pario lapide miracula extruxit: eodem splendore, & fortassis etiam insigniori, urbem vestram excolet. At mussant aliqui, quos tacitus timor incessit, ne hoc studio per Burgundiones agatur, ut Episcopatus ad se translati aliquando imperio potiantur: quo multis retro seculis falsò vobis insidiatos calumniantur. Aliqui metuunt, ut vobis authoribus renunciatus præsul, ipse summæ rerum praeesse poterit: proinde aut legati, qui Episcopi vices gerat, imperium tolerandum esse (id quod vobis insolens foret & novum) aut collegam asciscendum, qui gubernaculo admoveatur: ita-

que futurum, ut pro uno duos patiamini. Illud autem metuentibus possem cum Gelrorum legatis facetè respondere, Quid si cœlum ruat? qui in rebus tutissimis, ubi planè nihil est periculi, stultè timent: quasi vero ullo seculo in Hollandorum concilio ea de re disceptatum foret: aut hodie etiam disputetur, ut id consilii aliàs notum fuerit, quanto quàm nunc ad id consequendum potiores occasiones olim fuerunt: quanto tempora aptiora, Episcopi magis idonei: & quidem locis ad extundendum vi, quod isti fingunt, se arte amissuros magis oportunis. Cum portam Catharinianam urbis præsidis tenerent principes Hollandici nominis, si quid stetisset, quid per gratias prohibuerat? A Badio oblatum religiose recusavimus. Philippus quovis fortassis impelli potuisset, si huc Burgundionum consilia spectassent. Majorum nostrorum res, quæ varia utrinque fortuna fuerunt (ut sunt principum offensæ faciles) quorsum attinet movere? Sed donemus id agi, quod isti volunt: donemus & si quid gravius addi potest. At quanto Leodinus Episcopatus situ, ad propagandos tuendosque terminos opportunior: qui neque nominis celebritate, neque opum luxu ulli cedat: quid istud laborat? De collega verò asciscendo aut sufficiendo vicario, commentum est ac somnium: quasi verò eum assiduò præstò intra muros esse oporteat, ac non tantum juris ex aliquanto intervallo, quantum præsens, & in conspectu civium obversans, dare possit. Semper enim habendus aliquis è more est, qui summæ rerum sacrarum in ecclesiasticis operationibus præsit: quare nihil necesse est de collega aut vicario persuasionem vanam induere. Quod si collibitum esset tempus dicendo hic extrahere, possem commemorare aliquot, qui utrique ecclesiæ cum summa gloria præfuere. verùm hi vobis notiores sunt, quàm ut sit opus. Itaque Erardum Leodinorum Cardinalem hominem excellentem sincerè commendamus, quia vobis utilis erit. hoc præsertim tempore: quo ob asperas Transiselanorum res, quibus ad ultimum propè discrimen ventum est, tantus vir desideretur, qui pacem faciat, & ablata recuperet, quanti queat. Confido fore, ne quem hujus viri pœniteat, indiesque vobis charior sit futurus, & vos rursum à nobis, ut amicis populi Ultraject. omnia æqua in posterum impetretis.

Et in hanc quidem sententiam ille multa & magnifica verba fecit. Legatis benignè responsum: commendationem illam gratam esse, & eo quidem gratiorem, quo Burgundionum amicitia populi Ultraject. ad sarciendam concordiam & pacem ultra Iselam magis necessaria esset: non addubitare se, quin omnium suffragia in Leodinum inclinarent. Paucis post diebus legati Caroli Gelrorum Ducis Ultrajectum veniunt. His quoque senatus sodalitiorum Ecclesiasticorum solenni more indictus, in curia petentibus datur. Paucis hi legatione relata, Episcopatum uni è tribus his poposcerunt: Francisco Ducis Lunenburgensis filio, aut Erar-

do Leo-

do Leodinorum episcopo, aut alicui è Basilicæ primariæ Canonicorum collegio. Addita sunt splendida promissa, si per inita suffragia horum aliquis Episcopus crearetur. Quicquid præsidiorum, terrarum, oppidorum, Ecclesiæ, belli jure ademptum teneret, universum veteribus injuriis exoletis redditum iri. Privatum cum Transiselanis dissidium, ad publicum ecclesiæ negocium non pertinere: & ut pertineret, haud gravatè, quicquid esset vel odii vel simultatis, se positurum. Inde fides principis & beneficia in pop. Ultraject. cùm aliàs, tum bello Iselsteinensi commemorata, cùm in nullo auxilii spes, præterquàm in eo verteretur, legatis de propenso in Ultraject. Ecclesiam animo, & rerum promissarum magnitudine, gratiæ actæ. Benemerita in rempubl. liquere, Episcopatum autem ab incerto comitiorum eventu pendere; proinde in eum sortem inclinaturam, cui Deus dederit. Secundum hos postremi Colonia supervenerunt. Hujus legationis princeps fuit Comes à Rennenburgo: ab his commendatur Henricus Palatinus è Bavarorum ducibus, Collega Ecclesiæ Vormatiensis, Archidiaconus Aquensis, Canonicus Coloniensis. Dici non potest, quanto plausu omnium penè ordinum hujus commendatio fuit excepta: sive quòd domestica & trivialis nobilitas contemptui ferè haberi soleat, ut ex claritudine generis exotica, potentiam opesque vulgò metiantur: sive quòd fenestram ad occasionem alios excludendi sibi apertam viderent, quo reciperetur is, quo nullæ unquam injuriæ in Ultrajectinos profectæ essent. Sed ad Bavari plausibile nomen, accessit & præcipua Comitis apud plerosque consulares gratia & authoritas, qui Burgundos & Gelros ex æquo impugnabant. Inter populares Gelrum facilè insectando invisum facere: injuriam in Transiselanos socios exaggerando vociferari, non amicitiam, non restitutionem ablatorum, non pacata, sed hostilia eum promittere, utcunque dissimularet. Veterum certaminum item memoriam cum Hollandis refricare, novas insidias & artes eorum verisimiles comminisci, adeò ut aversis alienatisque ab utrisque populi animis, si res senatorii plebeiive suffragii fuisset, jam omnium consensu Palatinus præsul renunciatus foret. Leodinum, ut ipsis inutilem abnuere: quod cum utrunque episcopatum pari cura administrare nequiret, futurum, ut per collegam Burgundi sanguinis, via Hollandis ad spem Imperii cum perpetuæ totius ditionis servitutis jugo panderetur. Tetigit hominum animos ferocium quarundam denunciationum memoria, certamen de paludibus bellum magnum, immortale odium per iniquè asserta ecclesiæ bona, portæ Catharinianæ injuria, memorabilis in Vigilia Paschatis proditio: postremò, quicquid unquam contumeliarum ab Hollandorum principibus acceptum esset, id tunc vulgò inter civitatis primores moveri. Exaggerabant hoc vetus odium recentia flagitia militum, quos legati adductos, à designatoribus mansionariis per hospitia suburbana distribuendos curarant. Hi per ebrietatem efferatiores, multa convitia impotenter in Ultrajectinos jacere, insolenter Imperatoris opes spirare, à Burgundis subigi posse ad suscipiendum quemcunque obtruderent, arma minari, Philippi exemplum ferociter exprobare. Accedebant ad hanc effreniem verborum petulantiam & facta juxtà flagitiosa, quæ potus violentia exagitati licenter designabant: in cupas cervisiarias pedibus insultare, iis diffractis potum in solum effundere, vitreas domorum fenestras postibus convellere, his moribus odium magis magisque suis augere. Neque Gelrus quidem melius audivit. Censuerunt legationem ejus, ob insignem adversus Swollanos perfidiam, rejiciendam esse: speciosa verba, & promissa magnifica eò spectare, ut pari fraudulentia cum Ultraject. ageret, qua cum illis egisset: nec pacem, aut rerum ablatarum restitutionem, sed armorum potius societatem in quam traherentur, expectandam esse. Quæ autem commemoraret merita, non pro meritis habenda, quæ precio emerentur. In id enim bellum quicquid impensarum factum esset, se fecisse: Duci liberaliter adeò suum persolutum stipendium, ut adhuc ab eo bello rempubl. ære alieno laborantem haberent: nusquam ad id exemplum principes defuturos, qui eandem fidem ac societatem secum ad bellum gerendum ineant. Sed ne societatem quidem id nuncupari posse, quod magno redimatur: nec meritum aut beneficium commemorando eum amplificare debere, qui pro militari opera, stipendium inautoratus fecisset. Talia plebs inter se tota urbe gregatim collecta ferebant. Itaque tota civitate in Palatinum conversa, religioni, quæ plus aliquanto sapere, quàm hominum vulgus, aut ii, qui affectibus ducti transversum abirent, consultando videbatur: Leodinus vel hoc nomine placuit, quòd per immensas opes, amissa facilè ac tutò recuperare valeret: simul ut per illum utrosque sibi grato & opportuno, nec minus reipub. utili obsequio demererentur. Hæc dissensio eò paulatim processit, ut Consulares multitudine insanientis vulgi, nisi apertè vim denunciarent,

Merita contendentiū ad vacantem Ecclesiam Trajectinam expendū tur.

ciarent, in Palatinum, quem senatus posceret, renunciarent: identidem occinentes, penes illos suffragiorum quidem jus esse, se verò penes urbis portas claudendi aperiendique potestatem fore. Hac animorum ferocia, timor ingens incessit collegiorum sodalitia: sed nullos æquè atque eos, quos pecuniæ plus quàm vitæ periculum sollicitos habebat. Horum pars aliqua, veriti, ne si quid plebis consiliis adversarentur, prædæ direptionique forent, aurum, inauratàque vasa silentio noctis in terra defodere, aut penes civem amicum occultè deponere. Tum demum compertum est, quàm parum spei in incertum suffragiorum eventum collocandum sit, cum populus armatus adversus summam potestatem jus usurpantes, ita jubeant, ut illi fiant dicanturque authores, ubi non plus juris relinquitur, quàm multitudini videtur. In confesso certè est, plerosque partim metu, partim tranquillitatis retinendæ causa, suffragiis commutatis, plus obsequutos plebi fuisse, quàm ex æquo & bono reipublicæ incolumitati consuluisse. Intervenit his populi in Palatinum consentientis clamoribus, triduò quàm comitiorum dies adesset, malum, quod non modicum pavorem urbi intulit. Gelrus cum instructis copiis transito Rheno Burgundionum castra in vico Termeida opprimit. Capti multi, inter quos tribunus militum Guilielmus Turcus fuit: impedimenta omnia adempta. Aderat inter hæc comitiis dictus dies, quo ad creandum conveniretur. Vetus consuetudo tenuerat, ne comitiali die conventus in civitate agerentur, ne senatus item legitimus haberetur: si qui exteri principes, aut principum legati intra muros per id tempus essent, ad eum diem urbe excederent, quo ex concepti jurisjurandi formula, liberæ ac rectę extra metum & gratiam suffragiorum sortes ferrentur. Contrà nunc omnia acciderunt. Legatis trium principum candidatorum in civitate in futurum comitiorum incertumque eventum hærentibus, senatus per Coss. manc repentè edictus, religioni ingentem terrorem fecit. Consules tum erant Ernestus Amerongus & Henricus Verborchius. Portæ clausæ tenentur: constituitur consentientibus sententiis omnium, non ante senatum dimitti, quàm accepissent, quis Episcopus designatus esset. Lictores armati curiam circumstabant: huc plebs cum telo, quòd trepida res novarum rerum cupidis obvium obtulerat, tota civitate officinis & tabernis relictis confluxit. Ibi percontantur, quæ sit senatus sententia: eundem Palatinum se postulare vociferantes: ignotum laudibus vehere, Gelrum Burgundumque paribus convitiis insectari, bellum se habituros præsens, si in alterutrum illorum suffragia inclinarent. In basilica Martini major fremitus vulgi in expectationem erecti audiri: globatim sese colligere. Secunda diei hora erat, cum religio adhuc in comitio sententiis variantes, nondum inter sese convenissent. Senatus qui in curia sedebat, ægre ferens mora se extrahi, frequenti hominum è plebe manu septus, cum Amorfortiorum legatis, consule præeunte, curiam egressus, in comitium decurrit. Trepidè fores, quasi è cardinibus eas vellent convellere, quatientibus respondetur, intus neminem è prisco instituto, quoad ferrentur suffragia, intromissum iri: si vim facerent, ferre decretum esse, utcunque cederet. Ubi aliquandiu clausis foribus, paribus animorum spiritibus disputatum esset, ad extremum multis blandimentis à consulibus datis, impetratum est ægrè, ut tres, aut ad summum quatuor intrò admitterentur, qui populi postulatum, senatus nomine exponerent. Quod quidem etsi præter veterem comitiorum rationem esset, in præsenti tamen senatui obviam eundum hac in re vel eam ob causam duxerunt, ut quod licuit, iram cupiditatemque eorum compescerent: simul ut materiam, superbiam religionis (quod juris consuetudinisque haberetur) calumniandi in posterum, è medio submoverent. Godefridus Vordius cum paucis intromissus, postquam in concionem venit, ex senatus verbis, quod è republica videretur, benigniter contendit, ut propter sociorum ultra Iselam res afflictas, planeque diutino bello factas, bonum aliquem virum crearent, qui ecclesiæ utilis, suis amicorumque opibus pollens, amissa, æreque alieno gravata recuperare posset: ipsam non solum urbem, sed totam ditionem superam & inferam, authoritate & armis (si res dubiæ poscerent) ab injuria & libidine cùm aliorum, tum finitimorum principum tutaretur. Responsum ab Archidiacono principis ædis, eò collegia sodalitiorum convenisse, ut summa animorum concordia, ejusmodi virum renunciatum senatui populoque traderent, qui pace & bello ex usu ecclesiæ foret. vel senatu ocioso, & ab armorum strepitu, animisque quieto. Hoc dicto Vordius ira accensus, magna spiritus ferocia, Haud satis (inquit) vobis liquet, quantum vobis Reipub. salus curæ est, neque ocium verò suppetit, id nunc disceptare: id unum interim sedulò date operam, ut ne quem alium renuncietis, quàm Palatinum, nisi gravius quidquam animarum fumos experiri malitis: memores etiam atque etiam perinde, ut vobis potestas designandi est, quem

Gelrus Burgundiones opprimit.

Godofredi Voordii responsum animosum.

quem videtur, penes nos portarum custodiam esse. Concitatus ita è concione sese abripiens, cum reliqua utriusque senatus parte in curiam rediit. Nec diu quidem hîc commorati, iterum cum plebis colluvione, multo graviori fremitu, apertaque vociferatione comitia repetunt: sed frustrà magna vi fores diu verberantibus neque apertum, neque responsum datum est. Doluit haud mediocriter senatui superba (ut ipsi interpretabantur) exclusio: sed in præsenti dissimulantes ægritudinem, à vi temperarunt. Regressi inde in proximam Basilicam, ubi tota urbe plebs collecta, in novarum rerum expectatione m erecta stabat: multa ibi apud inconditam multitudinem de superbia & supercilio Canonicorum questi, indignitatem rei, quòd intromissi non essent, sed ne respondere quidem dignati fuissent, dolorem egregiè exaggerando amplificarunt: ex composito videri eos ad quartam horam usque suffragando totum diem eximere: ut ita senatum & populum tædio moræ domos quemque dispersum, facilius ludificarentur. Quin rectà consociatis animis, ferro dictatum, quem senatus, quem populus jubeat, in comitium vaderent? Sequitur illicò ex omni multitudine vox consentiens, in procinctu stante, vadendam esse. Accepisset ibi mehercule respub. triste vulnus, nisi Comes à Renneburgo præsenti authoritate & oratione luculenta furentium animos leniendo castigandoque à vi prohibuisset. Erat per eam tempestatem Archidiaconus primariæ ædis Philibertus Naturellus, è Burgundia oriundus, prudentia singulari & comitate eximia: ob id in Hollandorum concilium non infimi subsellii lectus, homo ad pacem & concordiam conciliandam natus, ætate grandis. Author hic omnibus fuit, itumque in sententiam est, ut sortes charta à juratis scribis exciperentur: ipse cognitoribus duobus, ac totidem scribis adjunctis, penes quos fides constaret, hac ratione dein eas recognosceret, ut qui candidatorum suffragiorum numero aliis duobus foret superior, hic Episcopus declararetur. Dati sunt Archidiacono Decanus Servatoris, & Decanus D. Petri. Hi scribis adhibitis, catalogoque suffragiorum in suas classes digesto, Leodino duobus calculis Palatinum superiorem invenere. Et ad hunc quidem modum Henricus Palatinus, Episcopus Ultrajectinus creatus fuit. In quo Principe, hoc mihi fatale fuisse videtur, ut quemadmodum per tumultum & arma Episcopatum sortitus fuit, armis deinceps per omnes fabulæ suæ partes jactatus, tragica specie catastrophen clauderet. Vox totius concilii consentiens deinde sequuta, ratum Palatino Episcopatus nomen firmumque fecit. Mox Naturellus silentii fidem ab omnibus conceptis juramenti verbis pactus, ne comitiorum ratio in vulgus propalaretur, indicem in conspectu omnium combussit: eo pacto cavere posse ratus, ne deleta suffragiorum nomina, cui fraudi essent: sed ut mitigatis plebi animis, quod numinis nutu votorum compotes fuissent, discordia ita sopiretur, si in reliquos candidatos lati calculi in obscuro permanerent. Et profuisset consilium ad publicam pacem sarciendam, nisi inter se ipsi mutua simultate & odio laborantes, malum quod bene opprimi poterat, dimisso statim concilio, exaggerare perrexissent. Erant in Canonicorum sodalitiis homines quidam ad factiones alendas fato penè quodam nati, amicorum Gelri nominis, sanguine illustres: alii item, quos contra avita in Burgundos officia, inter suos, adversus illorum potentiam publicè satis commendabant. Hiperinde ut è plebe homines, suam quique factionem pertinaciter annixi defendere, antea sese armis sæpe è publico fugarant: vim ex composito invicem, contempto senatu fecerant. Nulla hi perjurii conscientia icti, nullo religionis nomine moniti, postridie in omnibus conviviis, in circulis res comitiorum invulgavere: prodere in quem cujusque suffragia inclinassent, invicem linguis procacibus convitiando insectari ac proscindere, utrique utrorumque principum potentiam opesque extenuare, pro se quisque alios vituperare. Iacobus Apelternus Decanus primarius diviso cœtu, sub hæc loco editiori, qui choro junctus hæret, conscenso, Henricum Palatinum è Bavarorum ducibus Episcopum ad populum pronunciavit. Populus effusa lætitia ad eam vocem gestiens, illico acclamavit, quod fœlix faustumque sit populo Ultrajectino. Inde solenni sacrorum cæremonia, Deo pæan decantatus, gratiæque actæ, quòd comitiorum eventus bene auspicateque cessisset. Postero die Collegiorum Sodalitia iterum coguntur: ubi de legatione ad novum Episcopum Coloniam mittenda actum. Legati dicti, Decanus primarius, Chorepiscopus, Decanus ædis D. Petri, D. Gerardus Sukerodius. His additi notarii duo. Legati brevi ex urbe profecti Coloniam pervenerunt. Principi adeptum honorem gratulati magnificè excipiuntur. Adduntur dona visendę magnificentię, singulis pateræ inauratę singulæ, pro nominis cujusque dignitate graves. Diebus aliquot largiter comessando ibi absumptis, multa de publico

Palatinus Leodino duobus votis superior.

ditionis utriusque statu, sed inter omnia de bello Transiselano cum Gelrorum Duce colloquuntur: docentque universam ditionem magno ipsius teneri desiderio, atque adeo vel ob id eum impensius desiderari, quod Gelrus, ob repulsam intractam infestius bellum in socias civitates ultra Iselam nunc redintegrare crederetur: spem certam esse, id per eum dirimi posse: & in gratiam novi principis quidvis se ab eo impetraturos, si ipsius præsens authoritas adsit. Verum ad inaugurationem maturato opus esse, rem dilationem haud pati: alioqui si segnius se ad iter pararet, futurum ut castellorum ac præsidiorum quod reliquum adhuc in Transiselanis esset, id universum amitterent. Ultrajecti quoque humilem obscuramque multitudinem impotenter fremere, quòd sociis non feratur auxilium: bellum tantum Gelro movendum vociferari: haud existimantes, quantum malorum sibi exoptent, ubi liceat ab armorum strepitu esse tutis. Iam inter populares suos per hunc proximum comitiorum eventum factiones quoque exoriri, aliud ex alio malum nasci. Contendere itaque se, ut mora omni præcisa, quàm fieri posset ocyssime accederet. His legatorum verbis respondit Palatinus, se id operam daturum, ut quamprimum rebus domi dispositis ad fœdus faciendum, capessendumque Episcopatum, & quidem cum prima æstate adproperaret. Confidere (quia nullo suo consilio bellum conflatum esset) se utrosque firma pace consociaturum: maximè si huc gratia Ultrajectinorum, & preces hominum Gelri nominis accederent. Legati brevi pòst domum redeunt. Erat autem per id tempus respub. in eo statu, ut paulatim scintillæ quædam discordiæ inter factiones per Palatini Episcopatum orirentur. Ii qui à Gelro stabant, nullum conviciorum genus in Episcopum non torquere. Iacobæ heroinæ stirpem scilicet revixisse: accitum item è supera Germania strigosum caput ad saginam. Denique immodicum esse inter pocula, in cœnis, in extenuandis principum Germaniæ opibus. Nec defuerunt adversus hos calumniatores, pertinaces novo principi defensores, qui festivo joco illorum sycophantias sic eluderent: Ejusmodi caput placere, à quo ova tam visenda (legatorum inaurata pocula significantes) ponerentur. Illi virum ut stolidum ac bardum vituperare: hi contrà magnificè virtutes ejus prædicare, humanitatem, candorem & gratiam apud populares vehendo amplificare: postremò simultatis hic materia inter principes senatus, & Gelrii nominis factiosos homines nata est, quæ rempub. sensim gravius ad exitium usque postea exercuit. Quicquid fando de Bavarorum Ducum vitiis auditum esset, hoc non sine fucato commento egregiè exaggerando, identidem occlamare, & quasi vates infœlices omnia infausta inauspicataque denunciare. In hac animorum contentione & vario certamine quatuor plus menses labuntur. Itaque legati, ad eum diem quo Ultrajecti expectabatur princeps, è Transiselanis venerunt. Miserunt eò & inferæ ditionis civitates, qui novo Episcopo adventum gratularentur. Ingressus brevi pòst urbem cum eo armorum apparatu, quo principibus mos est intrare, quando regna & imperia primis inaugurationibus suscipiunt, in curiam, veterum Episcoporum ritu armatus, ubi vetus & novus senatus coactus erat, descendit. Ibi post honorificam gratulationem senatui populoque Ultrajectino è more conceptis verbis juravit, se patriæ patrem pro se præstaturum, defensorem ditionis, amissa ablataque vindicaturum: hostes ditionis, suos duceret: fortunis suis & armis ad propagandos fines, & Ecclesiæ opes constabiliendas augendasque operam daret. Omnibus hic cæremoniis inaugurationis ex consuetudine perpetratis, in Civicum templum deductus, mox armis ibi positis, & veste talari, & stola indutus, in Tutelaris D. Basilicam solenni pompa abducitur: tantò dignitate conspectior, quantò turba equestrium hominum, senatorii item ordinis, & religionis cum plebe prosequentium augustior. Hinc in curiam magnam concessit: ubi prolatum in medium, libertatis ac privilegiorum ditionis diploma, in trium ordinum consessu more majorum, ratum sanctumque esse jussit: obsignatumque interposito juramento, confirmavit. Post paululum moræ inde in ædem principem D. Martini Tutelaris deductus, in sedem D. Willibrordi collocatur. Laudibus Deo pro pastore sospite dato decantatis, turba procerum omnis ordinis prosequentium venerabilis, in ædes Pontificias se recepit. Et hæ quidem priscæ Episcopos Ultrajectinos inaugurandi cæremoniæ fuerunt, cum soli utramque jurisditionem pari cura bello ac pace tuerentur. Illud autem non abs re fuerit addere, non plus juris eos intra civitatum muros habuisse, quàm populi beneficio concederetur. Prætorem constituebant, qui judicum decuriis præsideret, & in capitalibus suppliciis sententias rogaret. At possessione verò jurisdictionis profanæ amissa, is ordinatus constitutusque est reipublicæ status, quem hodie habemus quidem, at longè diversum ab illo quem ea tem-

Apparatum describit P. à Beeck in Aquisgrano c. 2. fol. 32. unde Ultrajectum venit

ea tempestate tenebamus. Nec diu pòst religioni à præsule, ingenti apparatu vereque pontificali, *Lautia in æde Servatoris præbita est. Dies inde legationibus cùm aliarum civitatum, tum Transiselanorum audiendis constituitur. Post honorificam hic gratulationem graves querimonias superæ ditionis deferunt, quàm atroci bello fessi, confectique à Philippi morte, à Gelro vicino hoste de integro petantur: ut undique obsessi, penè detectis ac mœnibus dimicantes, eum urbe ægre abstinere cogant: adeò in portis, propemodum se inter omnia inimica & infesta medios castra videre. Iselam interclusum præsidiis, arces sibi ad defendendos se ab hoste opportunas, jam omnes amissas, bellum diuturnitate grave ærarium jam exhausisse, ut diutius id trahere nequirent: fuisse nonnullam spem in Philippo, si fata eum diutius superstitem reliquissent. Nunc Transiselanarum civitatum animos in novum intentos principem, ab eo vel præsentem sibi opem polliceri, vel ipsum ad fœdus faciendum, redimendamque quanticunque pacem, pro se annixurum. Episcopus tametsi legatorum precibus & miserabili fortuna motus, suis auxilium ferre cuperet, periculi bellorum magnitudine territus, ad pacem faciendam, quàm ad arma animo inclinatior erat. De fœdere autem sperari nonnihil poterat, sed cum eo grandiori pecunia opus esset, quàm ut unus solvendo sufficeret: & ipse tum temporis æris inopia per sumptus magnitudinem in inaugurationem facti premebatur, censuit ad maturandum negocium, rem ad tres ordines referendam esse: sibi animum laborum oneribus æquatum fore, si ipsorum consilio adjuvaretur. Agitur paucis inter hæc diebus ordinum senatus: huc quoque civitates sociæ inferę ditionis coguntur: ibi Episcopus in frequenti concione advocata, manu silentio indicto. Si per fata fieri potuisset, ut lætius Episcopatus exordium (inquit) sortitus essem, nihil profectò esset necesse ordines ampliss. ad vos de communis ditionis difficultate maxima hodie referre. Tanta enim cura, tanta solicitudo mihi patriæ conservandæ per vos cum nupera inauguratione injecta est, ut molis in humeros sumptę tantum non pœniteat. Itaque ergo initio statim unicè mihi studio habendum duxi, concordiam sarcire, ubi dissidium est: pacem facere & fœdus jungere, si aut bellum uspiam sit, aut animorum certamen: ut in reliquum, ditionis statum domi & & foris cum laude administrem. Vereor autem (quia de impensis faciendis, non autem de sumptibus circumcidendis agetur) ut perinde oratio mea ad animos vestros mihi in posterum conciliandos componatur, atque si de re plausibiliori verba facerem. Atque utinam vel fata vel humana consilia dedissent, ut his supersedere liceret, & proinde omnibus suprà infràque pacatis lætius omen de me caperetur. De bello loquor, quod socię civitates ultra Iselam grave habent & longum cum Gelrorum principe, & indies post paululum spatii violentius redintegratur. Id autem quibus authoribus & unde ortū sit, quibusve initiis cœperit, haud libet percontari: constat enim. Finis autem quis sit futurus, in incerto fortunę casu positum est. Quartus jam fermè annus agitur, quòd A te nescio qua fatali Transiselanorum concordia bello intestino perturbari cœpit, atq; ita perturbari, ut discissa nulla ratione sarciri posse videatur. Numinis tamen beneficio evenit, ne domestica illa lues infestius excluso hoste prorepserit, & animis consociatis adversus eum bellum geratur, gestū est communiter, gestum est ipsorum impensis, absque civitatum inferæ ditionis sumptu. Exhausto ad fæces ærario, opulentiores qui oneri ferendo sunt, pro se quisque ad oppida, uxorem, liberos, divina denique & humana ab hoste defendenda contulerunt. Multi item voluntarii ex robore juventutis pietate in patriam suis impensis militarunt, ne aliunde externa auxilia implorantes, quenquam in belli societatem attraherent. Ancipiti fortuna belligeratum est. Sæpe exercitu in hostium agrum inducto, prosperè cum illorum insigni clade res maximas gesserunt: sæpe rursum instandi studio insequendique in insidias tracti, cum magna strage multis suorum amissis, retro in oppida compulsi sunt. Pons super Iselam factus, igni ab hoste subjecto conflagravit. Utcunque per multum tempus bellorum casibus variis ad hunc modum acti fuerunt, subinde tamen majoribus animis quàm viri mole ea repararunt, donec castellis penè omnibus amissis, & aliquot oppidis per proditionem perditis, cum undique præsidiis hostium obsidione conclusi tenerentur, ad ultimum, subsidium à Philippo peterent. Et spes ingens quidem in eo erat (uti accepi) nisi quorundam non sana consilia sequutus, privatæ fortunæ augendæ magis, quàm rei Transiselanæ tuendæ memor, transversum abivisset: vir cætera egregius, qui pacis bellique artibus (si fortuna tulisset) & gloria quemlibet superiorum æquare potuisset. Neq; verò propterea ad hostem sociorum defectio sequuta est, verùm rectius consilium amplexi, maluerunt in fide & societate, extrema omnia

*Gerardus Geldenhaurius in epist. ad Ioh. Paludanū Rhetorem Lov. de ingressu Philippi meminit etiam cœnæ Pontificiæ in templo S. Salvatoris.

Belli finis incertus.

fortiter sustinendo, permanere, quàm versis velis fidem violare, eoque inclinare à suis deserti, prætenues virium reliquias, quò fortuna victoriam traduxit. Bellum etiam externum, intestinum, illo gravius malum, in quantum discrimen pecuniæ inopia Daventriam penè adduxit? cum militum stipendia poscentium tumultu prædæ direptionique staret, jamque ad justam dimicationem medio foro perventum esset, ni numinis ope ex improviso præsens consilium apparuisset. His igitur cum nihil fermè reliquum sit præter infœlices animas, & mœnia tectaque hostium machinis deformata, reputate mecum, quo consilio susceptum tanta animorum pertinacia bellum continuetur: id enim operæprecium est cognoscere; & magni quidem refert. Et haud scio, an illis ad pacem faciendam occasiones defuerunt (ob infidam & infirmam societatem, eam nunquam recipere placuit) certè studio se ulciscendi magis quàm prædæ, iisdem bellum quibus susceptum est animis, quamvis fortuna dispari, traxerunt. Pro aris ipsis bellum est haud perinde suis atque communibus. Etenim si fabula ea consentanea est, qua Menenium Agrippam Pop. Rom. in secessione in sacrum montem, patribus reconciliasse, & animos eorum flexisse legimus, profectò bellum sociis illatum, vim Transiselanis obortam, abactas prædas, castella adempta, vastationes agrorum, portas, flumina, saltus, sacra profanáque obsideri, tecta ipsa quati: & quicquid injuriarum populo Transiselano infertur, ad universos pertinere existimandum. Membrum aliquod, quantumvis pusillum si corpori pereat: si pes vulnus accipiat, non conseruntur ociosæ manus, non os, non oculi, non cor, non ulla denique corporis pars stertit, quin alia condoleat, alia mederi opemque ferre annitatur: alioqui futurum, ut omnia simul tabo corrupta membra, cum illo vitioso, brevi conficerentur, ac pœnas non lati auxilii luerent. Episcopum me, ut caput utriusque ditionis esse jussistis: atque utinam eum præstare possem, quem is apex postulet. Tot oppida, tot arces, labori ministerioque mutuo à majoribus tradita quasi per manus accepimus: & ea membra & viscera non tuemur, sed committimus amputari, committimus ab hoste finitimo discerpi: & eo quidem hoste, qui per cuniculos internecionem vestram molitur. Enimverò id spectat unum, ut dissipatis attritisque diutino bello Transiselanis, quos opportunos habet, vos posterius alios post alios adoriatur. Quid enim facilius? Utinam vanus habeat, & falleret vaticinium, atque illa non insigni utriusque jurisdictionis calamitate indies periclitaremur. Audio omnia ferè ab eo præsidiis teneri, præter Daventriam, Swollam, Campos, tres præcipuas illius ditionis civitates, ut quartam ejus partem, reliquis amissis, vix integram habeamus. Tenet ille uberrimos Episcopatus & Ecclesię vestræ proventus; tenet terram frugum copia scaturientem, pascua, sylvas, aquas. Hæc ego omnia repetenda esse censeo. De via solum recuperandi, res in consilium venit. Scio vos à bello abhorrere, ut par est, nec ego vobis author ero pacis quam habemus turbandæ: non enim is sum, qui post Philippi Episcopatum, & tot annorum quietem, in pacatis rebus bellum quæram. Rationem itaque ineundam censeo, ut ære redimantur ea quæ bello ablata sunt, priusquam gravius deintegro in socios comparetur. Legati mittantur, qui de concordia & pace cum Gelro agant. At de ratione pecuniaria movebitur disceptatio, unde argentum conquiratur. Equidem quantum ad me, utinam pecuniæ copia suppeteret, non recusarem meis impensis vel quanticunque adempta recuperare, & fœdere sempiterno pacem Transiselanis firmare. Decernenda in hunc usum à vobis pecunia est, & ea quidem conficienda, quantum potest: ut utrinque ab armis discedatur. Scio amplissimis his ordinibus insuetum id videri: neque dubium est, quin secum ita cogitent, novum esse, neque fando ullo seculo auditum, onera ditioni imponi: Davidi semisses singulos in jugera petenti olim negatum fuisse: hominum memoria non constare, nuper inauguratum Episcopum novo statim vectigali suos onerare occœpisse. Reputate hic mecum, qualis apud majores vestra fuit Resp. qualis ditio, qualemque per manus traditam accepistis: & vicissim præsentis tempestatis conditionem ac statum cum veteri collatum, videte num eadem sit: videte num ullo seculo ita fuerit divulsa, ut hodie est, cur hoc proponere esset necessarium. Illis, sive pax fuit, sive bellum habuerunt, agri, oppida, sylvę, amnes, pascua, omnia fermè incolumia denique mansere. Nobis autem, quia usu venit ut magis id quod necessitas cogit, quam quid consuevit, & ère ditionis sit, quàm ad exemplum allegandum facere videatur, capessamus: reputare par est, primùm quid deceat, deinde ut vestrę existimationi ad posteros consulatis: apud quos perinde audietis, ut nunc res vestras vel fortiter tuemini, vel per ignaviam & socordiam dilabi patimini: latas olim & opulentas, nec angustas & prętenues. Et ad pręsentis tempestatis gratiā haud minus

Episcopi consideratio de bello Trāsisulaniæ à Geldro illato.

minus laborandum, ut pietas in patriam, in socios vestros juxtà clara habeatur, & neglecti officii turpitudo evitetur. Itaque ponite ante oculos miseram eorum fortunam, quam deprecari facilius est, quàm evitare, cui nos in meliori constitutos consilio & re opitulari decet. Veniat in mentem innatæ omnibus mortalibus erga communem patriam, erga religionem charitatis: reputate efferentem nunc se magnam vestram fœlicitatem, & illorum res vicissim adversas, olim tamen dissimiles, ita (ut incerta casuũ sunt omnia) in quo illi nunc discrimine versentur, vos in par periculum aliquando præcipitari posse: memores casuum humanorum, fortunæ ludibrium, sive numinis vim potius suo arbitrio omnia regere ac moderari. Quo magis enitendum vobis est, ut afflictis illorum rebus auxilium feratur: id quod pium erit, & ecclesiæ juxtà utile. Hoc exemplo discant alii mortales, vi fortunæ in præceps abeuntium supplicum misereri. Sin aliud consilium vobis magis placet, nimisque illa quæ dixi gravia videntur, quæ communi negocio plus conductura arbitremini, quum ocium erit novo ordinum conventu separatim disceptatote. Sic antistes Ultrajectinus. Postridie iterum conventus ordinum habetur, in quo postquam diu, aliis aliter censentibus, sententiis est variatum, ne omnino in suspicionem lati auxilii arrepti, in belli societatem traherentur, decreta sunt principi quinquaginta aureorum milia ad pacem populo Transiselano redimendam. Facta pace, non antè Gelro de ea pecunia numeraretur, quàm deductis præsidiis, amissa ecclesię restituta forent. Et quo negocium maturaretur, quia dilationem non patiebatur, haud prius ab agendis ordinibus desisteretur, quàm pecunia, minimâ inferæ ditionis jacturâ conquisita foret. Huc contribueret, quicquid ecclesiastici profanique nominis esset, omnis ordinis ac loci homines. Hæc quo rata essent, principi tabulæ datæ sunt septimo Idus Octobris. Et quia id nunquam antea factum fuerat, opportuna malevolis calumniandi materia oblata fuit: Episcopum novo more, nullo exemplo sibi emptum: miseram Ultrajectinorum sortem, cum alibi nobiles homines Episcopatus non sine largitionibus candidati petere soleant, se verò contrà, Episcopum precio redemisse. Inter hæc Dorestatum abiit, vetus Batavodurorum præsidium. Tametsi, quod ab initio venabatur, nunc consequutus erat; haud modicè tamen de pecunia contrahenda solicitus, brevi ordines & civitatum legatos ad se accersit, ut via iniretur, qua minimo ditionis onere illa conquireretur. Disceptatum hîc est omnium primùm ingenti animorum certamine, aliis in alios onus rejicientibus, quisque se à contributione immunem contra tabularum, quas dederant, fidem pro se asserere annitebantur: publica tamen sollicitudo omnibus, nullo tranquillitatis incommodo summam conficiendi inerat. Equestres universum onus in domorum rusticarum, aut focorum urbicorum censum depellere: hos contrà tueri acriter homines senatorii: identidem occlamantes, ut (quando jugerum numerus in expedito esset) agrarius census ageretur, quo plebs extremæ classis & operæ solæ immunes essent. Erant qui magna vi annitebantur, ut in homines Ecclesiastici nominis urgeretur. Reversi itaque legati Ultrajectum, rem ad frequens ordinum consilium referunt: ubi consimili pertinacia certatim sententiæ sunt defensæ. Senatus civium jus tueri, nobilitas quæ procul ab urbe in agris villas suas habitabant, sibi consulere, ne quid largirentur: religio equestrium partes juvare: in quam ad postremum utrinque magno studio summam universam avertere sunt adorti. E diverso, hi religionis nomine nixi, libertatem suam vindicare, jura impigrè ab utrorumque injuria asserere. Mediis his diebus præsul Amorfortię è more inauguratur Idibus Octobris. oppidum ingressus, statim curiam conscendit, ubi reipub. jura & libertatem more majorum tabulis rata esse jussit, juravitque sancta ea se habiturum, tutaturumque quoad ejus fieri liceret, aucturum etiam cum daretur. Senatus rursum suam observantiam nulla juramenti religione spopondere. In præsentis rei fidem princeps ordine senatorius data dextra in hospitium deducitur. Et ut specimen aliquod benevolentiæ erga novum principem daretur, duo visendæ magnitudinis inaurata pocula sub cœnam illi sunt donata. Aliquot hîc inde diebus commoratus, Amorfortiis pro humanitate gratiis actis, Dorestatum rediit. Mox paulò Sesti pulsu campanæ inauguratur. Est autem Sestum vicus vetustissimus totius ditionis inferæ, miliare ab Ultrajecto ad ortum. Veteres cæremoniæ novorum Episcoporum tenuerant, postquam in sedem Episcopatus collocati essent (quia in urbibus nullum imperium nullumque jus habebant, præter jus dicendi prætorem, ut dictum est) ut jurisditioni suburbanæ inaugurarentur. Sesti motu campanæ ejus imperium inire consueverant. Unde ad bella iturorum principum, arma, dato per agros signo, plebs rustica sequi cogebatur. Atq; id sibi voluisse quidem Sestanã inaugurationem

Quadraginta millia aureorũ decreta pro pace Transisulaniæ redimenda.

Præsul Amorsfordiæ inauguratur.

Seist. vicus, olim Sethna.

tionem accepi. Cæterum operæprecium est, quàm potest paucissimis, hîc perstringere mores & studia ordinum, maximè autem eorum, penes quos eâ tempestate Reip. administratio erat, antequàm cœptam narrationem quanta difficultate milium quinquaginta promissorum summa contracta sit, unde mox ingentes seditiones sunt exortæ, persequar. Utile in primis, nec minus necessarium scitu, quo perspicuum sit, unde postea tanta totius ditionis calamitas, & quasi ex tenui rivo ingens inundatio profecta sit. Nullus itaq; habendorum conventuum sex plus menses finis fuit nec solum in medium consultando, disceptandoq; de ratione contribuendi nihil rati decretū est, sed indies incertiora, indies iniquiora proposita magnū certamen inter ordines, veteri factione & simultate recrudescente, pepererunt. Senatus cum plebe in apertum fremitum effusus, negare se ad largiendum teneri, quod abundè sat vectigalibus, aliisque oneribus, ut non magis, gravarentur: penes religionem, opes copiasque universas esse & luxum, penes hos villas, agros, pomaria, fundos, sylvas, aquas, à plebe parvo empta, & quidem per fraudem possideri: eam ab illis nexam tota urbe teneri: hos deliciis & voluptatibus suarum rerum prodigos turpiter diffluere. Vilem contrà humilemque multitudinem operarum, rerum familiarium inopia, & annonæ caritate, jam triennium fame confici: adeoque vix operibus manuariis atràm uxoribus ac liberis famen posse depellere: nocte his in muris, in vigiliarum nocturnarum stationibus excubandum: illos omnia contrà habere: dies totos & noctes perpetuas perpotando continuare: ignavos ociososque ventres ad fruges tantum consumendas & vinum perdendum strenuos, in multam lucem stertere: crapula perpetua crudos, vixdum posse vel citra vacillationem decorè incedere, vel pedibus consistere. Petulantibus denique convitiis fœda memoratu mussitare. Principes senatus per id tempus erant tres homines gentilitiis familiis potentes, Everardus Soudenbalchus, Godefridus Vordius, Henrici filius, & Godefridus Rodenburgus, consilio & prudentia non solum domi, sed foris etiam apud exteras nationes de fama illustres, authoritate in tantum apud suos pollentes, ut nec in senatum operarum comitiis quisquam legeretur, nec Coss. renunciarentur, nisi quos ipsi juberent: nec decretum, nisi his censentibus, in senatu ullum fieret. Soudenbalchi verò in resp. tantus erat nominis splendor ob eximiam sapientiam, cum pari tum eloquentia tum severitate in criminibus capitalibus puniendis conjunctam, ut principibus finitimis modò non esset formidabilis. Quamdiu is rexit rempub. nunquam ausus fuit quisquam ad res novas cōsurgere. Mutare volentes aut corrigere urbis statum, sat habuit eos, tanquam tranquillitatis publicæ turbatores ita notasse, ne in posterum temerè in senatum legerentur. Maximas sæpe seditiones dubiis tempestatibus sua præsentia & blandimentis composuit, ut pollebat authoritate. Bello enim Iselsteinensi, cum soluta obsidione, externa equitum peditumque auxilia domum reducta, improbis clamoribus ante curiam stipendia poscentes omnia miscerent, huncque unum tum latitantem (nam per impensas in bellum factas, æris inopia respub. laborabat) ad supplicium deposcerent. Is fortè trepidis nunciis amicorum monitus, ut sibi consuleret, in eum solum militarem furorem exardere: Libet (inquit) experiri hanc rabiem, utcunque cedat. Dehortantibus cum lachrymis amicis, ne se in præsens discrimen, ubi nihil opus esset, temerè conjiceret: Ibo obviam (inquit) frementi armatorum multitudini, periculum facturus, plus'ne inanes minarum militis fumi valeant, an ego dicendo: non enim committam patriam mihi charissimam id sua ruina luere, quod meo unius capite expiari potest. Inter hæc domo sese abripiens, postquam ad curiam venit, sedatis clamoribus fit repentè silentium. Ibi ille exorsus, multa primùm graviter de quorundam improbitate queri, quos tanquam seditionis concitatores, cæsos potius quàm superstites oportet. Multis blandimentis militi datis, & spe persolvendi stipendii facta, in hospitia quisque sua mitigati abivere. Itaque hi, quos dixi, suprà quàm memorari potest, cùm amicorum, tum popularium hominum è plebe, factione semper potentes, perpetuum certamen cum pleraque nobilitate & religione habuere. Cum autem illi, quisque in suo ordine ita censerentur, ut neque religio, neque equestres, magistratus legibus tenerentur: hi in utrosque par jus & imperium cum cive usurpare laborantes, nulla in re alteris concedere volebant. Severè tueri leges, delicta acriter corrigere, in civem ob leve admissum capitis judicio animadvertere, metu magis populum quàm amore sub imperio & in officio continere. Qua ex re facilè erat plebem novis subinde vectigalibus, ne opibus nimis luxuriarent onerare. Poterant ista quidem odium verius, quàm amorem consciscere: sed erat quo se plebi rursum commendabant. Si belli materia à finitimis in populum Ultrajectinum quæsita esset, ea prudentia ac consilio discussa, in ocio

Sacerdotum luxus.

Principes Senatus per id tempus Everh. Soudenbalchus, Go. Vordius, God. Rodenburgus.

ocio rempublicā conſervabant. Et quià obſcurum vulgus fato neſcio quo hominibus religioſi nominis ferè infeſtum eſt,hi diſſimulatis prudenter privatis affectibus,publicum negocium prætexentes (quia plebi gratum ſciebant) illos in publici oneris ſocietatem ad cerviſiarium vectigal urgere, optimatum factionem impugnare. Tanta ars excellentibus ingeniis inerat, tantum prudentiæ, qua civem regerent, & metu eum pariter & amore ſub legibus conſtringerent. Quod ſi poſteris rempub. Ultrajectinam vel his moribus conſtitutam tradidiſſent, vel ipſi paululum de ſeveritate remittere voluiſſent, poterant cum clariſſ. urbium rectoribus extra controverſiam conferri. Patriæ amor nimius, faſtus ac contemptus ab inimicis vocabatur: pro ſeveris crudeles, pro libertatis aſſertoribus domini, pro legum vindicibus tyranni appellari: inter cives clari, apud equeſtres & religionem, ſuperbi haberi. Contrà, optimatum factio, quorum illi parentes, & propinquos, ſed ſenatu authore, urbe pepulerant, quorūdam è plebe profligatæ audaciæ præſidiis muniti, nullum ſegnitiei locum intermittebant, quo ſe ſuoſque opportunitatem nacti, inſigniter ulciſcerentur. Metu plebis tamen nihil infœliciter tentare audebant, quamvis clientelis & amicorum opibus ſepti, aliquam ſpem in armis & manibus habere videbantur. Itaque hos facinoroſos, quos dixi, conſularibus, partim ob ignominiam publicè acceptam, partim tædio diuturnæ tranquillitatis infeſtos cœnis, largitionibus, pollicitationibus amplis conſciſcendo, ad res aliquando novandas animare, ſe adjutores daturi, cœperant. Similitudo ingeniorum contrahit celeriter factioſos. Fortè tunc ita res inciderat (quia per decretam pecuniam pertinaci animorum certamine ſe quiſque à contribuendo immunem volebat) ut anſa turbandi omnia daretur: optimates, ne prætoritarum injuriarum gratuita inſolentia eſſet, crebra cum plebejis illis conſilia agitare aggrediūtur: his ob oculos deformē ipſorum ſervitutē ſtatuunt: mancipia eos verius eſſe, quàm cives: ludibrium principibus civitatis & materiam, in quam pro libidine ſuam illi exercerent tyrannidem: ſanguiſugos ſuppliciorum à cive exactores: civi quàm hoſti ſemper inclementiores extitiſſe. Ubi per eorum peculatum, inexplebilemque avaritiam ærarium exhauſtum eſſet, illicò quæri aliquem inſontem, quem captata occaſione, ad vivum degluberent. Ne id quidem ſatis eſſe, niſi indies rerum vectigalia & precia creſcerent, quò plebe per inopiam oppreſſa, dominationem ſuam ſtabiliant. Si ipſi nunc viri ſint nomine Ultrajectino digni, ſe indignam eam contumeliam nunc tandem aliquando prohibeant, neque ferant ſe diutius piacula publica haberi. Penes illos omnes honores, dignitates eſſe, magiſtratus inter ſe homines novos partiri, è ſenatu movere, allegere quos libitum eſſet. Dudum ſummos viros & primæ nobilitatis in exilium egiſſe: alios indies bonis multare, ut ſoli dominantes, nullo metu mores civitatis pro libidine conſtituant. Nunc etiam periculum eſſe, ne quinquaginta milia tandem in plebem illorum artibus inclinentur, quamvis per ſpeciem patrocinii eorum partes tueri appareant. Quod ſi ſecum nunc ad novandas res conſurgant, promittere ſe non tantum vectigalium immunitatem, verumetiam rempub. ab omnibus penſionum oneribus liberam: & opportunos quidem injuriis illos eſſe, ſi humile vulgus libertatis pariter ac commodorū præmiis ad arma ſolicitetur, conſularibus à nuperrima ſeditione frumentaria etiamdum abunde infeſtum. Auxilii ſpem nullam illis, niſi in paucis compotoribus eſſe: ſe contrà omnia habere, quibus opus ad eam rem foret: arma, opes, amicorum, clientelas, virtutem, ſocios homines eccleſiaſtici nominis. Se ductores & eventus participes fore. Hæc & id genus alia, eodem ſpectantia ſeditioſa nobilitas apud facinoroſos, quos dixi, ingentia pariter de ſe pollicendo, jactitant: crevitque paulatim inteſtinum malum per decreta novo principi quinquaginta milia. Cæterum tum temporis cœpere homines quidam è plebe antea ignobiles & obſcuri, quorundam Canonicorum res novas inceptantium conſuetudine, vulgo innoteſcere, quos paulatim ſua audacia clariores fecit: ſed maturitas temporis expectanda erat. Interim hi alios atque alios ſui loci & ordinis aſciſcendo, nocturnos conventus facere primum cœperunt. Et quum aliud malum malo ſuperveniret, publicè à Conſulibus comitia popoſcere: ne diutius tempus altercationibus magis quàm conſiliis de redigendis milibus abſumeretur, ut habendorum conventuum finis aliquando fieret. Moverunt inter hæc operæ veterem querimoniam de relevandis vectigalibus, maximè duobus numis tollendis, ſed incaſſum. Et quò impotentius fremerent, & comitia poſcerent, eò acrius principes ſenatus conatibus eorum obnitebantur, vincula minari & carceres: ac ni deſiſterent, inventuros infortunium. Efferavit indies magis agitatos plebis ſpiritus inſolens ſuperbumque illorum reſponſum, quàm domuit erexitque multitudinem in ſpem remiſſioris licentię. Nunc ad inſtitutam narrationem redeo.

Vulgus fato quodam odit clerum.

Ingeniorum ſimilitudine factioſos contrahi.

Tenebat per id tempus Gelrus in Transiſelanis Genemudam & Lagam. Has de integro, quaſi bellum reparaturus, vallo & foſſis validius firmabat. Ademerat Epiſcopo Enſchedam oppidum, Diepenheimam, Coeverdam Druentonum munitiſſimum præſidium. Rechteram in Swollanos opportunam. Novo armorum apparatu Transiſelani territi, iterum legatos Ultrajectum ad maturandum negocium de pace redimenda mittunt. Variantibus in ordinum conventu aliquandiu ſententiis, placuit ad poſtremum, quatuor milia aureorum, quantum poſſet, ex domorum ruſticarum recenſu contrahi: ut dimidium in Calend. Novembres, reliquum in octa. Calend. Ianu. ſolveretur. Fuerunt tamen nonnulli Ultrajectini Amorſortiiq; nominis, quibus apertè iniquus hic cenſus videbatur: qui cenſerent, ut ad ejus pecuniæ dimidium, aut ut minimum, ejus quadrantem, fundorum domini nullo diſcrimine ordinis tenerentur: iniquum eſſe, univerſum onus in agrarios homines imponi. Huc cum ab aliquanta eorum parte, quibus ſaniora judicia erant, diſcederetur, religio, hac ſententia diſcuſſa, priorem obtinuit, ut agraria ædificia cenſerentur. Cenſa ſunt illicò. ſed quo pecunia minor erat, eò in redigendo minus eſt laboratum, brevique ad præſtitutum diem confecta eſt. Proficiſcitur, dum iſta geruntur, Epiſcopus, inaugurationis ergo in ſuperam ditionem. Concilium ibi ad diſceptandum de regni ejus ſtatu indicitur. Conveniunt frequentes. Et quia terror publicè omnibus injectus erat nuncio, Gelrum omnia expedire, quibus ad bellum opus eſſet, ſimul quia pecunia nondum confecta erat, placuit ſtatim, priuſquam hoſtilia is moliretur, legatos ad illum mitti, ad exorandum induciarum ſpacium, & diem indicendum, quo de fœdere & pace facienda convenirent. Rebus itaque omnibus hic utcunque ad tempus compoſitis, per Amorſortiam (ubi propter ſerum diei pernoctavit) Doreſtatum circa anni principium, reditum maturavit. Inſtabant Ultrajecti comitia conſularia, quæ urbi terrorem magnoſque motus allatura videbantur. Nam præter cauſam cœptam inter factioſos adverſus ſenatus principes moveri, alia circa hos dies opportunè exorta illis invidiam auxit. Vetus conſuetudo tenuerat, ut menſem ſub comitiorum diem, feſtis diebus homines ſenatorii convenirent, conſultaturi quoſnam potiſſimùm quæſtores in ſequentem annum deſignarent (nam is magiſtratus, ut alii, annuus erat.) Ab initio enim non niſi ſummi viri, quibus fama integra propter peculatus probrum eſſet, creari ſolebant. Qui mos quamdiu in republica illabefactatus fuit, minus licentię eſſe, multum authoritatis ſenatui vigere, nihil exiſtimationem dignitatis conſularis imminui. Poſtquam autem ambitio, avaritia, factiones facinoroſorum hominum præſidiis circumſeptæ civitatem exercere cœperunt, quæſturas, quas optimi quique ob perpetuas curas & miſerias fugiebant, homines ſordidi, qui laudatam famam pecuniæ poſthabebant, ambientes, conſulares ſecum præcipites traxere. Iis enim, quibus dixi, diebus convenire eos ſolitos, penes quos jus dicendi quæſtores futurum erat, à candidatis competitoribus prebenſari, ad ſympoſia convocari, cœnis magnificis excipi, muneribus etiam occultè corrumpi: nulla famæ, nulla pecuniæ ratio haberi: denique nihil illi pendere, qui via ad eum magiſtratum obtinendum graſſarentur. Horum ut quiſque profuſiſſimè liberalis eſſet, quantumvis vel ære alieno gravatus, vel ad magiſtratum ipſum ineptus, ita maximè illos ſibi obnoxios ad dignitatem obtinendam habuere. Hoc ipſi dedecus joco vernaculo, fabas macerare nuncupabant. Ad hunc ambitum itaque immodicum conſtringendum plebs tota intenta erat. Sed quamdiu quieta reſpub. ſub dominatione Soudenbalchiana metu magis quàm amore in officio continebatur, eam ſugillare quidem, ſed inviti tolerare: nec corrigere audere, priuſquàm illo ex oculis emoto, ad ſeceſſionem armatam concurreretur. Clàm iſtas voces criminando muſſabat nobilitas: jactare autem palàm, nemo auſus erat. Principium anni vigeſimi quinti agebatur. Epiſcopus interim magna cura de reliquis XLVI: milibus anxius, Ultrajectum venit: ordinibus conventum indicit: ad eos de reſidua pecunia, & rebus ſociarum civitatum ultra Iſelam à ſe inſpectis refert. Cæterum, utrum pecuniæ obtinendæ magis, an pacis maturandæ ſtudio rem tantopere urſit, pro vero nihil auſim affirmare. In tabulis principi datis, clarè expreſſum erat, tum demum eam conquiſitum iri, ubi pacem inter Gelrum & populum Tranſiſelanum feciſſet: in qua etiam infera ditio continebatur. At hic inter ordines nulli in mentem venit percontari, quî res Tranſiſelanæ haberent, quibuſve conditionibus pax facta eſſet: nulli item, qui cenſuit dilatione ad eam rem opus eſſe, aut deliberandum amplius. Sed principium & extremum hujus conſilii juxtà fuit: malum initium ſimilis exitus ſequutus eſt: præceps enim & immaturum in re tumultuaria decretum pop. Ultraject. & utrique ditioni cataſtrophes pluſquàm tragicæ exemplum peperit, Decretum in præſenti com-

Quæſtura quibus data apud Ultrajectinos.

Iocus vernaculus, Fabas macerare.

M. DC. XXV.

munibus

munibus omnium suffragiis est, ut primo die ratio conquirendi pecuniam iniretur. Conventum deinde est frequenter, multique dies altercando exempti: aliis aliam viam magno certamine, magis ex privato usu, quàm reipub. commodo approbantibus: relatisque crebrò in concilium sententiis, eò tandem vecordiæ res processit, ut convitiis & sycophantiis disputando, totos dies eximerent. Defatigati ad ultimum habendis incidendisque conventibus huc omnium sententiæ consensere, ut indiceretur dies, ad quem quisque quod optimum, & è re omnium videretur, referret: inde ex plurimorum sententiis, una aliqua deligeretur, quæ ad conficienda milia minimum incommodi ditioni esset allatura. Hîc nulli fraudi foret libera sententiæ ratio, quæ scripto exhiberetur. Dies consilii indictus, à frequentibus ordinibus observatur: eum & nobilitas longè ab urbe in agris habitantes servarunt: cura enim ingens omnibus, diversas sententias conciliandi sedebat. Exhibuit religio, suo quæque sodalitio in abaco (sic ipsi vocant) scripto sententiam: inde equester ordo: in postremis senatus & civitatum legati. Singulorum ibi recitata judicia (quia toto cœlo dissidebant) sacra profanaq; citius mixtura, quàm conciliari posse apparebant; maximè autem cum pertinaci quæque visu à suis authoribus defenderentur. E religione sodalitiorum, sententię Basilicæ D. Martini, Petri, Ioannis, cum pleraque nobilitatis equestris parte huc consociatis animis consensere, ut pagi & præturæ omnes suburbanæ, palustres, aruales, compascui insularesque fundi æquabili æstimatione ad contribuendum tenerentur. Hi neminem excipiebant: exprimebantur enim mortales utriusque nominis religiosi & profani: urbanos item & quantum hominum ruri agros coleret. In horum sententia comprehensa quoque erat plebs urbana, secundum fortunarum ex mercimoniis æstimationem. Quæ quidem (quia nullum mortalium excepit) quamvis æquissima esset, eam tamen principis atque ordinum arbitrio stare placuit. Et licet per omnia sibi haud constaret, præcipua tamen ejus capita conveniebant. Restabant è religioso nomine, collegia Servatoris & divæ Virginis. Hi cum hominibus ordinis senatorii & reliqua nobilitate, in longè diversa ratione ac sententia fuere: cui & accesserunt Amorfortii, Vicani & Rhenani, ut agrarius census ageretur: antiquitus ita fieri consuevisse affirmantes, quoties grandis pecunia publicè decreta esset. Ad hanc largitionem agrariam tenerentur omnis ordinis mortales, intra extraque urbes, præter infimæ classis humilem vilemque multitudinem: unde vulgo illa gratior fuit & magis popularis, quòd in divites à pauperibus hoc oneris inclinaretur, & proinde locupletioribus infesta, peperit novam in reliquum altercationem. Ad hunc modum rixando extracto die, ita dimittitur concilium, ut in proximum conventum domi quisque suæ reputaret secum, utra sententia ditioni utilior foret. Videbatur autem ea sententia obtentura, quæ non tam numero suffragiorum, quàm quæ celebrioribus authorum nominibus vicisset. Instabant inter hæc comitia, quibus operæ in suum quæque comitium per viatores cogi consuevere. Multi ad id tempus qui timerent, ne gliscens certamen, & factio adversus Soudenbalchum armata, civitatem in grave discrimen ac dimicationem aliquam traheret, alii aliò dilapsi, in pacatum urbe fugerant. Senatus, horum fuga cognita, absentum rationem habuit: edicto cavit (vetus is semper mos fuerat) ne quis comitiorum die ab urbe abesset: pœna exilium erat. Legibus nemo solvi poterat, nisi quos gravis valetudo lecto fixos palàm detineret. Habentur interim comitia, sed omnium spe quietius, non tam charitate civium, quàm metu, & præsentium senatus principum authoritate. Renunciati Coss. Godfridus Rodemburgus & Gerardus Semmius. Tribuni primarii creati, Matthæus Blockius & Theodoricus Ægidius Lanius. Quæstores, Theodoricus Montanus, & Theodoricus Wolfius nominati. Horum aliquam partem, magis consentientis multitudinis jussu, quàm pro fortuna & loco, ad avertendam tumultuandi licentiam, emerendumque favorem popularem Everhardus Soudenbalchus creari passus fuerat. Verùm ubi fatum dominatur, frustra ibi ars, frustra consilium & prudentia res humanas moderatur. In magnis ad id tempus usque bellorum & intestini tumultus tempestatibus ille versatus, egregiè consularia munia obiverat, ut domi eum sua prudentia venerabilem, foris admirabilem fecisset. Hoc verò subrepens negocium sensim, quamcunque viam ingrederetur, neque consilio, neque ratione regere valuit. Equestres homines ab initio (sive id acciderat ob antiquam nobilitatem, sive ob sua in patriam merita, sive vi, sive per aliorum negligentiam) ad nullam contributionem, neque agrariam, neque ad censum domorum rusticarum tenebantur: ut in vetustis rationibus, & publicis tabulis perscriptum adhuc videre licet. Quoniam autem nunc sententiis dissidentes, ex tabularum tenore se quoque contributuros advertebant, cùm in omnibus

Operæ de Gilden.

omnibus aliis agrariis collationibus semper in residuis perscripti quidem, tum autem in censu domorum rusticarum nusquam liberi reputati essent, at nunquam contribuissent. Hac autem cura equestribus injecta, ne si in hanc sententiam vasissent, ipsi in fraudem per imprudentiam inciderent: huic animis consociatis, ad suum jus tuendum obstitêre. Atque hanc potissimùm ob causam eos Everbardus Soudenbalchus acerrimè impugnavit, quod illi censum in civitates, in operas dilatarent: veritus, ne si plebs ad pecuniarum repositarum & fortunatum æstimationem compulsa esset, res ad seditionem armatam erumperet. Ea igitur sententia ut discuteretur, senatui veteri ac novo author fuit, ut diversam de agraria collatione, in invidiam inimicorum vindicarent. Contrà, illi vociferari, si conferrent, locum injuriæ dari: semel violatam libertatem, ansam in posterum ad servitutem datum iri. Proinde honestè se de libertatis suæ jure contendere. Aliam jactabant causam, præter secessionis metum, cur longè infestissimè inimicorum conatus Soudenbalchus impugnaret. Proventuum ex ærario, & possessionum, atque ædificiorum intra urbem apprimè dives erat: si id obtinuissent illi quod urgebant, is in memorabili damno futurus erat. Consul ex bonorum consilio senatum cogit, postulat senatusconsultum fieri, quo plebis partes adversus potentiam optimatum tueretur. Interrogatis ordine sententiis, fit hujusmodi senatusconsultum. Quoniam autem constat Remp. Ultraj. ære alieno oneratam, quod & civi & externo singulis annis penditur: magnis item impensis gravari indies, quæ in publica ædificia sarcienda fiunt, quibus nocturnæ vigiliæ, quibus diurnæ portarum custodiæ conserventur: ut mittantur ingentes sumptus, qui in machinas bellicas, in impedimenta, in pulverem tormentarium indies parandum fiunt. Tum autem quia mercimonia frigent, nec plebi quæstus ullus est, præut olim fuit, ut ad fæces penè sit redacta. Proinde senatus novus & vetus in ea intentus, quæ ex usu reipub. sint, ut decreta Episcopo pecunia, quàm minimo potest detrimento ditionis conquiratur: decernit eam pecuniam ex collatione agraria redigendam, & quidem in ditione infera, è more, ut in grandibus id genus tributis fieri adsolet. Huc quoque ut simul conferant cives opulentiores, & qui in numero aliquo oneri ferendo sint, haud aliter, atque ii, quorum omnes fortunæ in agris, in pascuis sitæ sunt. Huic senatusconsulto nemo intercedito. Videri porterat hic finis totius controversiæ esse positus, sed cum religio, & equester ordo, plus quàm honestum erat, ac æquum, apud principem valerent (ex hujus ordinis primoribus, in intimo is consilio habebat) factum brevi, cur ipse parum sani consilii documento, & rempubl. & se funditus vastarit. Cùm enim ad pecuniam, quàm ad publicam quietem attentior esset, indignè ferens, spe ejus consequendæ se per tot perpetuos menses extrahi, dubiumque eventum metuens, magno clarissimi nominis sui dedecore jussit id ratum esse, quicquid equestres cum altera religionis parte nuper censuissent. Ad diversam verò & ad senatum, quibus illa sedebat sententia ad pacem concordiamq; fortasse potior, literas stomachi plenas è suorum consilio dedit, acerrimè expostulãs, eo nomine, quod ex composito ab iis extraheretur, ac ludubrio haberetur. Summa literarũ hæc erat, id darent operã, ut aut desisterent adversæ factionis sententię adversari, ac in eam concordes vaderent, aut quisq; sui periculi admoneretur: se maiestatis imminutæ memorem fore. Lectæ literę in senatu, recitatæque sunt sodalitio ejusdem sententiæ religioso: sed tantum abfuit ut hinc impetratum sit aliquid, ut etiam obfirmatiores postea suam sententiam tueri sint aggressi. Hi separatim habito conventu, legatos communi sociarum civitatum & senatus Vltraject. suoque nomine (periculum illi metuebant) ad principem mittunt, qui literarum ad senatum, præsentibus earum authoribus, quæ principis nomine scriptę allatæque essent, se suosque & causam suam defenderent. Etenim constabat à quibus illæ profectę fuerant. Admissi ad principem legati, multa perspicuè de iis quæ rerum perperam harum ignaro persuasa fuerant, disseruere. Inde proposito quasi in tabula ob oculos periculo ac detrimento, quod ex diversa sententia, in speciem plausibili, si eam ingrederetur, suppullularet: tantum intestinum incendium erupturũ, ut neque consilio id, neque viribus humanis restingui posset. Eò se vehementer mirari, cur potiore sententia & via tuta rejecta, diversam, & eam quidem reipublicę ac ditioni perniciosam, adde & exitiabilem sequi jussisset. In hujusmodi perplexis negociis, nudè ac simpliciter, nullo fuco rem agi oportere: ne malum consilium, ex affectibus privatis natum, immedicabile vulnus, cui frustrà post mederi annitaris, faciat. Alterius factionis autem sententiam, de industria confusam, nihil habere certi, nihil firmi, quo niteretur. Exprimere illam quidem ad contributionem eam quinque collegia, cœnobia, & homines in universum equestres, oppida, vicos, præturas. At ita generatim hęc

proposita

proposita, obscura omnia, dubia & incerta promittunt, neque id disertè ponunt, quod præcipuum est, hoc est, capita ex fortunarum cujusque vel amplitudine vel tenuitate, sed ne classium ullam æstimationem quidem aut censum faciunt, quo ad summam contrahendam compendio perveniri posset: futurum proinde, ut per eam omnia sacra & profana miscerentur. Sed ne tum quidem eum id consequuturum, quod nunc post paululum moræ facilimè obtineret ea via, quam duo collegia, senatus Ultrajectinus, & tres sociæ civitates censuissent: quamvis id segnius procederet, mora opus esse. E consuetudine ditionis esse, & juxta recentium tabularum fidem, neminem hic exceptum iri. Illos autem diversæ factionis quosdam, hoc est nobilitatem, fraude in suo censu ludere: scilicet ut in residua perscripti censi dicerentur, re autem liberi forent, ut solebant. Suam utilem cum ex æquo omnibus, tum civitatibus esse sententiam, & minus tumultus invecturam, & nul anr aliam ob causam se tueri eam. Sin altera magis cordi esset, petere se certiores fieri, quid ad concilium referrent. Ad ea paucis Episcopus: Ignarus (inquit) sum patrii moris, nec id mirum: quippè hospes dudum in hunc Episcopatum perveni: non difficile ergo fuit falsa persuasione quemlibet me ludificari. Ita mihi à quibusdam persuasum est, at rem ipsam tam perspicuè nunquam audivi disputari. Quare rem propius deintegro deliberandam, reliquum est ut in consilium mittam. Legati Ultrajectum reversi, responsum retulerunt. Ordinum hæc inter se altercatio non jam continuit se intra curiam, sed in factiones divulsa, totam rempub. bifariam discidit. Plebs hactenus spectaculo certaminis intenta, malis artibus à factione interim corrumpi cœpit. Senatorii bonorum præsidio muniti, naviter suas partes contrà tuentur: & ut quisque concordiæ amantissimus, rempub. salvam magis, quàm labefactatam videre malebat, ita ad conjurationem facinorosorum opprimendam diligentissimè suam fidem persolvebat. At plebs famelica, ad quamlibet auram mobilis, non intellecta suorum pro se cura, capita factionis è religione & nobilitate, unde quæstum faciebant, sequuta, ad novas res animos applicuerunt. Cum autem illi, quod de censu molirentur, adversus senatum diffiderent se posse obtinere, plebem pessimis artibus consciscendo, aliam rationem ad eos impugnandos ineunt. Hanc (ut secum stent) ab illis alienare adoriuntur: quippe quæ clamoribus plus, quàm ipsi consilio effectura videretur. Itaque hos sportulis invitant, manibus prehensant, honores ultrò deferunt, jubent crebro se invisere; denique inter familiares habere, alios, quibus res lautiores domi, & fortuna splendidior esset, rectis cœnis excipere, prodiga liberalitate sæpe habere, mussare, capita conglomerare, manibus ac nutibus in templis, in foro rem, de qua controversia esset, exponere, conglobatim in publico de ea disputare. His esse admirationi, horum plausu vehi: denique id unum agere, ut Everardo Soudenbalcho, & Godefrido Vordio civitate pulsis, & remp. & contributionem ad arbitrium constituerent. Intermissa igitur ad tempus de militibus redigendis, altercatione, toti in hoc erant, ut conciliata invidia illos in perpetuum exules facerent. Prætextus ergo in speciem plausibilis excogitandus erat. Fuit per eam tempestatem respub non ferendis vectigalibus cervisiariis gravata, ad quæ levanda proximis annis, incredibili dictu est, quantum laboratum fuerat. Plebis postulatis obstiterant Soudenbalchus & Vordius. Binos numos æris oneri demi efflagitarant, sed frustra. Tantum autem laxamenti cum exorare non valerent, & ferox præterea responsum indignitatem exaggeraret, minus æquum animum in eos gessere. Hac actione nobilitas juxtà, cum parte procerum (ut dictum) Ecclesiasticorum, per allectos & sibi obnoxios facilè inconditam multitudinem ad exposcenda extraordinaria comitia sibi dari perpellunt, apertè exules nobiles revocari postulant: aut si ista negarentur, aliqua saltem vectigalium parte relevarentur. Negatum id quoque animo obfirmato est. (non enim fugiebat eos quid per inimicos agitabatur.) Si ad comitia perventum esset, aliud ex alio malum prospexerant exoriturum, relevanda vectigalia, exules revocandos, acta annorum aliquot rescindenda, rationum ærarii recognitionem, comitiorum denique habendorum licentiam, in effrenem secedendi rabiem evasuram, excidio ac subversioni reipub. fore. Soudenbalchus cernens inimicorum gratiam indies apud plebeios crescere, regionatim tota urbe globatim cœtus haberi, maximè autem feriis, cum à manuariis opificiis vacarent, reputansque identidem, in quantam calamitatem civitatem conjiceret, si plebem votorum compotem fecisset: ipse autem neque inimicorum potentia terreri, neque bonorum precibus flecti valuit, ut tantulum concederet. Tantum vel unius authoritate in rempub. pollebat. Rodenburgus consul publicè perduellionis pœnam minatur, qui ad res novas consurgerent. Accidebant hæc circa xv. Calend. Majas. Satis autem constat, Soudenbal-

Plebis motus unde.

In Majo 1525.

denbalchum pensitatis suis & inimicorum viribus armis medio foro cum illis contendere paratum fuisse, nisi urbem à cæde servare, quàm eam in ancipitis pugnæ eventum ponere, maluisset. Sed ubi diu secum ancipitem pugnæ eventum expendisset, si ad dimicandum armis inimicis suis obviam processisset, ut victor esset, multo sanguine eam victoriam sibi staturam: sin quid adversi cecidisset, quantum malorum sibi atq; suis immineret. Hæc identidem revolvens, cedam urbe potius, inquit, quàm patriam hanc luce mihi chariorem, in certamen præsens & dimicationem conjiciam: ut eum, quem jam trigesimum propè annum in oculis suis ferunt (quæ res vel ipsa satietate minus verendum me fecit) absentem suo malo desiderent aliquando: id quod futurum est, si urbe excessero. Feratur magistro orbata navis sursum, deorsum tempestatis arbitrio, dum mihi ingratos cives meos, meritas stulticiæ suæ pœnas dantes, in tuto spectare liceat. His curis intervenit ecclesiastes, domesticè illi familiaris (Simoni ei nomen erat) hic eum obtestatur per communis patriæ salutem, per omnia quæ haberet charissima, ne de fuga omnino cogitaret. Eo enim urbem egresso, extemplo in dissolutam rabiem populum exarsurum: rempub. in medio relictam, prædæ ac direptioni futuram. Veniret in mentem, quantum periculum senatui, quantum amicis, quantum omnibus bonis instaret, cum eo præsente, à rebus novandis & inimici & operæ certò essent parsuræ, quantumvis improbè nunc vociferarentur: gloriæ immortali fore, remp. servasse, ignominiæ autem, eam turpi fuga deseruisse. Patriam ei chariorem esse debere, quàm ut eam quorundam malevolorum insidiæ posthaberet. Nullis ille his, aliisve eodem spectantibus verbis permotus, ea omnia se scire respondit, patriam charam, amicos, adde & liberos: sed pigere ingratitudinis illius, quam toties conservasset, & ex hostium manibus extortam consilio magis quàm armis tutatus esset. Si se pulso & aliis revocatis, respub. melius constitueretur, fore quod gauderet: sin omnia secessionibus & armis miscerentur, ex ingratitudinis pœna gaudium, quamvis parum honestum, at meritum tamen item se capturum. Nono Calen. Majas operarum præfecti cum aliquanta multitudine tota urbe collecti Soudenbalchum adeunt. Hi expositis blandè plebis postulatis, petunt senatusconsultum de restituendis exulibus, acto senatu fieri: aliud item de relevandis vectigalibus. Ea si negentur, operas poscere habendorum comitiorum facultatem sibi dari: plebem ni impetrata hæc referantur, invito senatu, ipsoque adeò spreto, cum telis armatam secessuram, diutius compesci retinerique non posse. Ad ea ille, Me vel suasore, vel impulsore hostes reipub. à senatu judicati non revocabuntur, revocent eos qui volent: at ubi per Albanam portam intrasse eos nuncio acceperim, per adversam exilii causa solum vertam. Nec vectigalia levabuntur me quidem authore: intercessi hactenus, quo minus bini numi æris cupæ sint detracti. Secedite, currite ad arma, per me liberum vobis erit, quando omnino sic stat sententia: non enim adversus ingratam & beneficiorum immemorem multitudinem sua sponte ad excidium properantem, arma induam, quando per me patriæ factum est satis. Sed quia fato quodam in exitium vestrum clausis oculis ruitis, cedam urbe, cedam patria, cedam inimicis, erit quum multos novæ reipub. pertæsos mei absentis desiderium tenebit, meque revocatum volent, sed frustrà. His e concione indignabundus domum abreptus, circa crepusculum paulò quàm portæ clauderentur, obnupto capite, ne agnosceretur], cum Godefrido Vordio Henrici filio, ex urbe abiit. Postero die, illorum fuga cognita, senatum ingens terror, optimates & pleramque religiosi nominis factionem incredibile gaudium cepit: publicè denique, quasi urbe magna servitute liberata, omnibus lætitia est injecta. Consul pro magno negocio habens, ne in his diversis animorum affectibus, quid detrimenti respub. caperet, portas clausas teneri jubet: senatum utrumque illico non legitimum in sextam horam trepidè indicit. Ad quem tumultuosè convocatum tumultuosius de exulibus revocandis refertur, qua de re senatusconsultum ad motus maturè comprimendos fieret. Negantibus nonnullis senatusconsultum dici posse, ad quod metu armorum adigerentur, Consul tempori cedendum censuit, & ad seditionem prohibendam morem optimatibus gerendum esse. Aliis hoc magis placebat, edicto cavendum capitis periculo, & bonorum publicatione, ne quis novarum rerum author in civitate foret: dandum Quinqueviris capitalibus negocium, ut unum aut alterum ex seditionis concitatoribus arreptum in vincula ducerent, haud dubiè quieturos reliquos. Dum in curia ad hunc modum tumultuosè disceptando magis quàm consultando horas aliquot eximunt, homines è plebe factioni nobilium dudum consociata, relictis tabernis & officinis, in Basilica Martini in eventum erecti stabant, quiduis exoptantes, quàm pacati aliquid: dum quis adjutor aut dux adesset. Fortè ibi

Simon Martini vice-pastor alterius portionis Ecclesiæ civilis Trajectēsis.

Soudenbalchi fortitudo.

ibi tum aderat aulæ pontificiæ præfectus Iacobus Mindenus haud ita pridem à principe Dorestato Ultrajectum ad res civitatis inspiciendas sopiendasque missus: hic non tam perinde se disceptatorem inter nobiles partim inimicitias præbuerat, quàm suorum & popularium & cognatorum partes sequutus, illas auxerat magis etiam. Hic (ut globo armatæ è plebe multitudinis & equestrium septus stabat) agite, inquit, quid si illi consultando totum hunc diem eximentes, nos in serum diei extrahant, an censent nos supplices, ut amici, ut parentes, ut cognati nostri ab exilio reportentur, illis ad curiam adfuturos? cœpta res est, signum ad arma dator, invadamus forum Palatinum, priusquam illi nos occupent, vosque me ducem sequimini. Neque vanus fuit hortator. Illi è templo in curiam pontificiam sequuntur. Nec diutius ibi Mindenus commoratus, quàm se ad pugnam raptim armarit, in forum stipatus agmine armatorum omnis ordinis citato impetu irrumpit. Inde misso qui ad arma signum moveret, tota urbe cum telis, ut quæque obvia erant, concurritur, tabernæ officinæque cum fragore clausę terrorem auxere. Matronarum ac puerorum justus clamor & concursus in ædes sacras, passim religionem, cui sacrorum cura demandata est, abruptis omnibus, templis excivit. Senatus qui adhuc mœstus in curia consultabundus sedebat, dubii abiréne an manere vellet, ad signum datum excitus, alii aliâ occultis viis domos suas dilabuntur. Multi quibus populare erat ingenium, quique in neutram partem inclinati, concordię conciliandæ authores semper fuissent, ut positis utrinque inimicitiis, exulibus reditus in civitatem concederetur, plebi se immiscuerunt. Consul Godefridus Rodenburgus trepidè per posticam curiæ elapsus, dum lictoribus cinctus domum properat, forte in medium tumultum incidit. Hunc per plebis confertam multitudinem modico intervallo, casu obvius Michael Pistor, homo extremæ audaciæ & facinorosus ira inflammatus, ut vidit, Hic est, inquit, ille vir, qui Soudenbalcho & Vordio authoribus summo loco natos viros, nostros amicos urbe pepulit, & extorres fecit, quique in suo consulatu nunquam civium sanguine expleri potest. Hic ille est, qui de mea multatitia pecunia, quam nihil commerito expressit, jampridem ædiculam Virgineam posuit: nunc dii injuriarum vindices injuriam ultrò adeste. Consul Pistorium stricta spatha in se vadentem modico intervallo intuitus, fuga se, neglectis consularibus insignibus, in proximas Antonii Beflandii ædes abripit: ibi pavore attonitus, comitiali ictus morbo in vestigia humi concidit. Cæterum post paulo frigida suffusus, ubi ad se rediit, bono animo esse jubetur: nihil esse, quod ipse periculum vereatur, penes quem haud perinde magna culpa esset, ac vulgo diceretur. Vt esset, quod ad ipsum injuriarum à plebe abolitionem esse jussam. Æquo solum animo ferendum esse, quod eo die cum universo senatu se magistratu abdicare cogeretur. Atque ibi custodiri jussus, non ad vim aut ad pœnam, sed ut à nefariorum licentia rabieque defenderetur. Populus jam tota urbe in Palatinum convenerat, partim metu plebis magis, quàm ad factionis partes confirmandas: partim lætitia, ob urbem à superba illorum dominatione liberatam: sed multo plures extremi subsellii, quos vel inopiæ, vel æris alieni vis domi urgebat, spe magis & consilio diripiendi aliorum domos, quàm ad opes partium adversarum juvandas. Consentiens interim in hac prima seditione omnium clamor erat & fremitus in profugos, quod maledictis ac conviciis prosequebantur: sed nulli impotentius quàm ii, quos paulò suprà dixi è plebe, omnium primos cœnis ac sportulis huc aliquot antè mensibus invitatos, quibus lingua ex æquo prompta erat, & manus ad pugnam haud segnes. Horum principes ductores erant, Michael Pistorius (ab opere quæstuario sic dictus) Henricus* fusor æramentarius, Alphardus navicularius, Henricus Spicardus, Gerardus Rhodius carpentarius, Sloï fratres scriniarii, Iodocus Eikius argentarius, Fredericus Hackius, Petrus Coppius: multi præter hos alii, homines sordidi, è textrinis, tonstrinis, fabrariis tabernis, è pecuariis carnariis & porcilibus exciti, antea obscuri, & vulgo de nomine vix cogniti, quos hæc prima sed tio, & deinceps aliæ sequentes, egregiè nobilitarunt. Abrogato itaque consulibus magistratu, interregnum ad hunc diem fuit. Cæterum habuit eo die respublica interreges, homines utriusque ordinis, religiosi & equestris, magno postea ipsorum detrimento, & cum populi sugillatione acerba, D. Æmilium Niveldium, Gerardi Niveldii exulis filium: D. Marcum Wesium, D. Hadrianum Rhenessium: Canonicos basilicę D. Martini: D. Stephanum Ruemelerum, ad D. Ioann. & Iacob. Mindenũ, aulę Pontificiæ præfectũ. Postquã hi se interreges, populo in præsenti connivente, dixerunt, armati extemplò curiã cõscendunt, Ibi Mindenus gravem ac vehementem

Seditio Ultrajectinorum & ad arma concursus.

Ædicula Virginis Mariæ ponitur ex mulcta Michaelis Egberti Pistoris.

* *Vander Borch.*

mentem orationem ad populum, eò tota civitate congregatum habuit. Quoniam autem hujus viri mentionem fecimus, locus postulare videtur, ut pauca (quia deinde tribus insequentibus annis res maximæ in republica ab eo gestæ sunt) de loco, ingenio, & moribus ejus disseramus. Genus huic fuit ex nobili Sulenorum & Amstelorum familia, materno genere Gerardi Niveldii exulis nepos: vir præter acre ingenium & sublime, ad res maximas gerendas natus, si honestior materia quæsita esset: virtus summa, authoritas cùm apud populares suos, tum apud principem. nec temerè inceptavit facinus, quod non cesserit illi ex sententia, consilio juxtà ac manu promptus: eloquentia, qualem homini literarum rudi contingere posse, vix credere par est: valido corpore & procero, egregieque compacto: membris teretibus, colore subnigro, superciliis subductis exporrectisque, vox erat neque omninò acuta, neque prorsus obscura, sed clara, cum virili gravitate conjuncta. homo inimicorum suorum impugnator acerrimus. ad ea accedebat summus honos apud principem, & gratia. vir absolutus, nisi ad suam factionem constabiliendam à præclaris dotibus paululum degenerasset. Cæterum, quoniam de ejus eloquentia memini. libet hic orationem adscribere, quam eo die ad populum armatus, è sublimi curia, medius inter interreges habuit. Ea autem fuit hujusmodi. Scio vobis insolens videri cives, quod huc armatus ad dicendum conscenderim, cum nostra memoria à nemine constet id factitatum esse: & proinde tacitos varia suspicari, quasi hic armorum terror vel ad rempubl. vel ad vos pertineat: quippe quem ut amicorum opibus potentem, fortassis vobis fingere possitis formidabilem. Sed longè alia mea est sententia, mihi credite, longè aliud consilium. Sæpe equidem optavi ad vos de reipubl. nostræ statu verba facere, in qua multa mihi & corrigenda & obliteranda visa fuere: at non licuit per eos, penes quos hactenus vestræ dignitates, vestri honores, tribunatus, quæsturæ, consulatus, vestra munera fuerunt: in quibus ipsis re ipsa nunc comprobastis multa esse, quæ in universum omnibus displiceant. Etenim tanto consensu hodierno die secedere cœpistis (quod fœlix faustumque sit) & vobis authoribus quidem & ducibus, quanto per metum magis quàm per ignaviam, illos, si non regni affectatores, insolentes certè civitatis vestræ principes pro libidine regnare passi estis: quos tamdiu ferre oportuit, quamdiu vis omnis penes illos fuit: nec dominationis pertæsis, quod displiceret, prohibere licuit. Gratulator itaque mihi, hanc opportunitatem per vos mihi datam, pauca de communi republ. hodie vobiscum disserendi. Nolite existimare, imò fingere vobis eundem à me terrorem, quo illi vestros animos domini semper oppressere: alia nunc longè ratio est cives. Rempubl. vobis ademptam, libertatem expressam hodie restituimus. Dicam igitur primum de iis, quorum partim mutanda, partim exolescenda vestro judicio videbuntur. Deinde quæ ad rempubl. deintegro constituendam facient: ita ut vos sciscatis, Nos verò authores simus. Postremò quæ ad me: & hæc omnia quidem paucis. Etenim si verum est, quod vulgò sæpè dici audivi, Tales ferè esse civium mores, quales ipsi sint principes & rerum publicarum gubernatores, minime mehercle vestra secessio vituperanda videtur. Quis enim non fœda dedecora, quibus nomen Ultrajectinum, quibus patria, quibus sacra, uxores, liberi apud exteras nationes infamantur, maturè vel sublata, vel emendata certè cupiat, priusquàm ea contagione omnes corrupti, nihil sani in toto corpore relinquant? Fuit ea olim magnis & excellentibus rebuspub. licentia laudi data, si quando plebs per contumeliam à primoribus oppressa, vel publici mores depravati summè essent, quod libertatis prius, si non experta dulcedine, certè fando audita, ad pestes eas è medio tollendas, à patribus secederent: & censores, qui probris castigandis, qui vitiis notandis præessent: sibi crearent: notatos ob flagitium, aut mores sordidos, aut vitium aliquod, è senatu submoverent, aliosque allegerent. Rectè illi quidem, mea sententia. Nam insolentia quæ ex imperandi libidine nascitur, nisi à plebe retusa esset, imperia, quæ ejus erant, per vim invasissent: & quod publicum erat, in privatum dominandi jus vertissent. Exemplorum ingens vis in historiis extat. Idem ne vobis accideret, & tempestivè & prudenter, nobis impulsoribus cavistis: quos ego diu ac vehementer miratus sui, Soudenbalchi & Vordii superbam dominationem tot annos tolerare potuisse, quibus tantum in vos exercere licuit, quantum libuit. ut tantum non servitutis jugum vobis injecerint. Non possum mihi temperare cives, quin ea quæ oculis, quæ animo meo doleant, dicam palàm. Annon per illos vobis flumina, maria, itinera, mercatus interclusi fuerunt? nam dum non contenti sunt domi vos oppressos metu tenere, etiam Hollandis eundem terrorem, per fastum & contemptum facere student: vos, vestrǫque merces pro vectigalibus & porto-

Iohannes Mindenus, ejusque res gestæ.

Civium mores à majoribus formari.

Plebis secessio apud plures laudi datacur? Censores olim ad quid constituti.

portoriis, à quibus Comitum beneficio estis immunes, superioribus annis occupatæ publicè fuerunt. Profectò sic est, Principum stultam libidinem plebs insons semper luit, cùm ipsis, quod sibi accersunt malum, suo jumento rectius luendum foret, quàm iis à quibus omnis culpa abest. Quod si fieret, vel minor honorum cupido, rarior ambitio esset, & moderatius illi se gererent, quàm gerunt: minus invidiæ, plus autem gloriæ sibi & charitatis apud populum conciliarent. Nunc autem videte, quantum malorum agmen ab his vobis sit profectum: quæ tametsi me tacente ipsi satis tenetis, commemorando tamen fient nobiliora ac illustriora, & eorum simul memoria recentior. Bellum illud magnum ad quod paucorum venit memoria, ex quàm parvis initiis in quantum incendium perrupit? Sed per Deum immortalem, per quos tandem? Nonne per horum parentes? At veteribus omissis, veniam ad recentiora. Bellum Iselsteinense, cujus memoria est non solum recens, sed vomicam deformem vestræ etiam reipub. immedicabilem reliquit, unde initium turbandi omnia duxit? An non ex privata horum libidine? His, his inquam, omnia illa accepta ferenda sunt, quæ inde ad vos accesserunt, incendia suburbana, extra quatuor urbis portas, tot civium in obsidione fœda laniena, tot viduas factas, liberos parentibus orbatos. His debetur nupera seditiosa frumentaria, ex annonæ caritate orta: his imputandum æs illud alienum, eodem bello conflatum, quo adhuc rempub. gravatam habemus: quod utinam aliquando nullo publicæ tranquillitatis turbandæ incommodo dissolvere liceat, & in libera civitate, omni onere levatos in libertatis dulcedine vivere: cujus quidem rei spes nulla affulsit, quamdiu omnis vis penes primores illos fuit. Studiò hic omitto, quanta dedecora nominis Ultrajectini fuere, quàm turpiter reip. munera, honores, quæsturas, non dico quibus visum fuit, largiti sunt, sed quasi prædas vendiderunt. Quot rectis cœnis, quot compotationibus ea venalia habuerunt? ut quisque largiebatur profusissimè in medium, ita erat emptor optimus. His artibus & similibus, sub speciosis nominum suorum umbris, fures aluerunt quàmplurimos, & homines opicos ac propudiosos, non ad amplissimos tantum honores, verumetiam luculentam fortunam provexere. Hi propolas cùm aliarum rerum, tum frumentariæ ditarunt: penes hos annonæ precia augendi facultas fuit: constituendi, quos libitum esset, publicanos: decimandi frumentum, arrodendi vectigal piscarium, decidendi denique omne penu & annonam. Adeò ipsis hactenus impunè hæc fuere, ut si quis ea vel reprehendere, vel contrà mutire esset ausus, illi apertæ inimicitiæ indicerentur. Vectigalia autem illa ingentia, quò sunt collocata? nonne vel eorum oscitantia direpta, vel auxilio turpiter decocta perierunt? cum alioqui rempub. locupletissimam & ærarium dives hodie habuissemus. Itaque peculatus gratuitus fuit. Quo motu abhinc biennio, ob precii annonæ frumentariæ magnitudinem, ad arma prosiluistis? An non ex composito ad inediam vos compulerant, cùm vix precibus propolæ frumentum venum pecunia, è cumeris & granariis producerent? Arguit id planissimè eorum consilio factum supplicium civis, quem prætextu alterius criminis minus speciosi paulo pòst arreptum, sed insontem, percusserunt. Constabat enim eum, muliebri habitu inter primos seditionis concitatores, multitudinem ad expugnandam domum Doienburganam exhortatum fuisse. Homunculi quanti fuistis? Trita vox est, magno constare, quod precibus ematur: at multò pluris redimitur, quod & precibus & pecunia comparatur. Poterant edicto, quantum frumenti tota urbe erat, precio tolerabili è tabulatis venum extrusisse. Sed eorum facta & dicta juxtà comprobarunt, voluisse vos strigosos, famelicos, inopes sub imperio continere, ne saturitate ebrii frenum ferociores excuteretis. Fastus & amentiæ plena illa vox fuit, quam aliquando ab Everardo jactari auditum fuit: Si omnium fortunæ civium æquè lautæ forent, neminem eorum præ ferocia ingenia edomare posse. Taceo cædes civium, taceo exilia nobilium hominum, & multa tragicæ tyrannidis exempla, quæ commemorare piget. Iam me hujus vitæ tædet, quoties misera vestra conditio mihi in mentem venit: rempub. ab iis oppressam, qui conservatores, qui custodes esse deberent: ab iis hostilia perpeti, qui sacra & profana tuerentur: domus hospites, non expilatores essent: ab iis religionem, equestres, plebem, principum finitimorum odio propinari, quorum opera vestræ res florerent, quosque pacis ac fœderis conciliatores fœcialesque haberetis. Circumspicite, amabo, vicinos vestros, quàm æquo, quàm benevolo in vos sint animo. Hinc Gelrus per hos vestris sociis ultra Iselam infestus est. Illinc Burgundiones, quem animum adversus vos gerunt, loquuntur rebus ipsis. Nam aliquot annos reditus vestros injecta manu publicè, non alieno, sed suo nomine possident: Nimirum declarantes, se omnem vobis fœlici-

Invectiva in Soudenbalchiū & Vordium.

Opum æqualitas quam perniciosa.

fœlicitatem ex animo precari. Certamen non nuper ortum de paludibus, & identidem motum, non dubium scilicet amicitię argumentum est: præsertim quoties eas non ad urbis vestrę mœnia, verùm sub ipsa turri Martiniana se propediem effossuros minitantur: & facerent, si diuturnior Soudenbalchi esset dominatio. Atque horum populorum ac principum gratia præclaris illis viris debetur: id quod nusquam illi tacitum habent. Nunc autem, quia hesterno crepusculo urbe furtim dilapsi, rempublicam à metu sui liberatam vobis reliquerunt, cavendum etiam atque etiam, ne id juris in vos, quod amisere, aliquando reduces recuperent: lex adversus illos feratur hujusmodi, ut Everardus Soudenbalchus, Godefridus Vordius Henrici filius, Godefridus Rodenburgus, in perpetuum exules quinque miliaria quaqua versum ab urbe esse jubeantur: si quis aut contrà ierit, de iis retuleritve, aut se his defensorem dederit, eandem pœnam in se paratam sciat. Sed de illis satis. Cæterum quantum ad rempubl. attinet, sic decrevi, ut prima ratio, si non in totum sustollendi, certè levandi oneris cervisiarii habeatur. Placet binos æris demptum iri: & si dii propitii vitam mihi sospitent, spes est, brevi futurum, ut omni onere relevemini. Et quo id celerius fiat, præter consuetum vectigal civis aliquandiu in cupam binos æris: qui publicis verò hospitiis coctam venalem habent, trinos pendent. Iam ut æs alienum bello Isselsteinensi conflatum dissolvatur, dispungantur rationes, lata & accepta recognoscantur: quæstores qui abhinc retro ad annum undecimum ærario præfecti fuerunt, ad calculum vocentur, rationes cum syngraphis acceptorum & expensorum referant: publicani item, quos illi ob enormem vectigalium licitationem relevaverunt, rationes ad ærarium referant. Illos autem qui è gradu equestri per id tempus ærario præfuerunt, lubentes paratosque dabo ad vicenos quinos rescribendnm, quos pro laboribus ab ordinibus decretos, accepere. Creentur singuli ex operis, à quibus illæ recognoscantnr: à quibus peculatus postulati, populi judicio publicè damnentur, multenturve: eaque pecunia quæ inde redigetur, æs alienum dissolvatur: exulibus cujuscunque loci ac nominis reditus in civitatem decernatur. obærati item & nexi, quique ob vim grassatores solum verterunt, revocentur, præter parricidas, quas pestes ac probra à republica procul abesse convenit. Religio supra legitimum numerum, ex æquo vobiscum stipendium ad ærarium pendet: sic enim comparati sumus, ut non solum in parte reipub. prosimus, verumetiam eam brevi redemptam, & ab omni servitute liberatam, posteris nostris per manus tradamus. Et ne ærarium amplius pensionibus novis obnoxium reddatur, cavendum erit in reliquum: neve in capita usurarię pensiones è republ. assignentur, neque civi, neque peregrino. Dolus ut absit & fraus omnis, signum quo tabulę id genus obsignari soleant, in oculis operarum comminuitor. Cras primo mane, operæ in suum quæque comitium, ad novos magistratus, qui è repub. erunt, creandos conveniant. Ex equestri ordine nemo in senatum, ex lege legitor: nec jus fasque sit inde ad plebem, ut magistratum aliquando gerat, aliquem transire. Iam ut ab hostium judicatorum metu securi sitis, excubię in muris, custodiæ accuratæ in portis, & præsidia noctu in turribus disponuntor: clavium cura penes duos primariarum operarum senatores, & sedecim novos tribunos, qui creentur, esto: ad hos ut sub occasum solis deferantur, curanto. Huc qui cooptabuntur, enixè dabunt operam, ne ad alienum, unde periculum reipub. fit, divertant. Consules enim, in quorum tutela asservati solitę essent, suspectam suam fidem reliquêre. Annonę non minor ratio habenda est. Placet igitur, ne in reliquum vel pistor, vel coctor cervisiarius, ex aliis operis, quàm suis, in senatum legatur: neve adeò omnino quidem in alienis profiteatur. Statim quàm magistratus creatus erit (stat enim, civitatem à perniciosis vitiis, quæ vobis dormientibus irrepserunt, quantum dabitur, repurgare) novi senatores, quæstores dicent, homines nulla ambitione infames, nec probri unquam notatos. A rebus novandis deinceps in universum quisque abstineto, ne cum domi forisque pacem habemus, intestina tumultuandi licentia, res nostrę aliò dilabantur. Criminum cognitio senatui defertor: prætor & senatus (veluti consuevit fieri) juri dicundo, controversiisque finiendis præesto: quæstiones rerum capitalium & anquirendi jus penes suum magistratum permaneto. Moribus civitatis præclarè constitutis, dabitur opera, ut concors Resp. senatui plebique sit, quò opes vestræ domi floreant, & quæstum operæ faciant maximum: foris fama clara nomen Ultrajectinum vehat. Ad ordines consociandos & immortali fœdere jungendos, annitetur religiosum nomen: juvabit equestris nobilitas: laborabit senatus: dabunt denique operam, quantum bonorum tota civitate hominū est, aderuntq; armati ad senatus authoritatem tuendam, quocunq; vocētur.

Porrò

Porrò autem, quod ad publicanos, tribunorum judicio id stabit. Superest una difficultas, quæ maximos motus peperit: ea est, quæ via sit potissimum ineunda, ad residua quadraginta sex milia conflanda. Firmam interim spem concipio, intercessoribus è medio sublatis, rationem inventum iri, qua sine magno certamine contrahantur. Cætera quæ ad remp. pertinent, ad novum magistratum deferentur. Quorum exemplum, ne quis leges ignoret, ante curiam in tabula scriptum suffigetur. Et hæc quidem satis mihi de repub. dicta videntur. De me autem, ne multa commemorando & admonendo vos majorum meorum beneficiorum, ego pro iis gratiam repetere videar, id solum dicam, Quando nulla mea in rempub. merita extant, aut certè tenuia, (ingentia de me erubesco polliceri) opto à Deo Opt. Max. materiam mihi dari aliquando, qua ubertim vos liceat demereri: quod quo segnius continget, plenius hoc emerendũ erit, & cumulatius. Adjuvabit hunc meũ animũ, adniteturq; eódem, quantũ hominũ nobilium intra muros, quantum ruri procul ab urbe degit. hodie enim per vos redditi ipsis sui parentes sunt: amici, cognati, per vos ab exilio revocati, quo beneficio nullũ antiquius, nullum majus in se posse conferri ducunt. Nec unquam aliud antè facinus æquius à vobis perpetratum esse judicant, quàm hodie perpetrastis, quòd eodem judicio inimicos damnastis, quo illi olim nostrum genus per summam injuriam pepulere. Sed longè pulchrius est, quod iidem, velint nolint, nostros incolumes in civitatem vestris humeris claro deorum hominumque plausu reportatos audire cogantur: quod fœlix faustumque nobis & reipublicæ sit, precor. Postquàm ille dicendi finem fecit, cum armatis collegis in Palatinum forum abiit Plebs effusa lætitia, ob partam libertatem gestiens, absentes inter se certatim superbiæ criminari, eorumque tyrannidem maledictis insectari. Exaggerabat iis odium recens rumor, Vordium superiori nocte Dorestati cum Episcopo colloquia serere visum fuisse, eumque monere, ut Ultrajectum maturaret, operas ad seditionem spectare, easque de eo excludendo acturas. Plerique credebant, hunc rumorem à Mindeno in inimicorum invidiam sparsum. Postridie habita sunt comitia à meridie, quod anteà nunquam factum fuerat, cum mane ad creandum convenire solerent. Sed inter arma leges antiquantur: ubi, non quid æquum, quid decorum, quid gloriosum, quid è consuetudine sit, sed quid cæca libido dictat, pro utili ac honesto habetur. Creati Coss. Fredericus Regius & Adamus Diemenus: quorum hic eloquentia clarus, unus in repub. maximos motus sedare valebat, nisi nomen, quam par erat, popularius fuisset. Novi senatus nomina in catalogum missa, Mindeno cognoscenda illico traduntur: à quo quasi censore, qui videbantur vel submoti, vel allecti sunt, ut à suis partibus vel inimicorum eos stare suspicio fuit. Populi jussu plebiscitum factum, ut exules per literas revocarentur: quod illico factum. Operæ in suum quæque comitium, sub vesperum iterum armati convocantur: metu, ut apparebat, ne exulum pulsorum amici, ad res novas consurgerent. Crepusculo diei Stephanus Sulenus, Æmilius Mindenus, Iacobi frater, Gerardus Niveldius, exules urbem intrant. Rediit & Borrius Amerongus, qui à temporibus Magni belli, annos propè quadraginta factionis invidia civitate pulsus, perpetuo exilio populi judicio damnatus fuerat. His omnium gratulatione occursum est: acceptisque in urbem, luxuriosa lætitia per totam noctem in curia Hasenburgana comessando publicè epulis indultum: ignes in palatio totaque civitate regionatim accensi, insolentem quidem, sed brevem lætitiam arguere. Nec minus à plebe tota illa nox perpotando, cantuque strependo in lucem absumpta est. Huic publico gaudio, circa medium noctis princeps cum duabus turmis equitum urbem ingressus, supervenit, incertum quo consilio. Scio fuisse, qui suspicabantur, ob id eum in urbem maturasse, quòd tum veteri senatu magistratu abire jusso, ac novo ex Mindeni arbitrio, creato, speraret, quantum milium reliquum esset; facilè potiturum: maximè si multitudinis consensus eò accederet. Nec deerant qui contenderent, seditionis fama motum, Ultrajectum properasse, ut præsens sua authoritate licentiam tumultuandi coerceret. Sive hæc causa igitur fuit, sive illa subiti ejus in urbem adventus, cum tædis ardentibus ac funalibus ad portam illi occursum, deductusque à novis ipse consulibus & nobilitate equestri est cum magna gratulatione in aulam Pontificiam. Hic de reipub. statu paucis collocuti (ne rerum actarum & præsentis concordię ignarus esset) domos quisque suas, ut hora intempestæ noctis postulabat, discesserunt.

De plaeis

Bellum quid primum habent.

Quod Basinus descripsit.

LAMBERTI HORTENSII RERUM ULTRAJECTINARUM, LIBER SECUNDUS.

1525. in Majo.



EXTO Calendas Majas, postridie quàm novus senatus creatus esset, rebus omnibus ex populi factionisque sententia (ut apparebat) compositis, principem ille convivio, luxu magnifico apparato, in ædibus Palatinis excepit; fuitque is dies propter illius hilaritatem, tota civitate festus ac celebris. Nec minus gaudium publicum privata hilaritate celebratum: plebs enim regionatim ad symposia convenit, productaque ea est in serum diei comessatio. Verum brevis illa immodica lætitia, & non diuturna inter plebem & factionem, cujus impulsu ad intestinam vesaniam exarserat, concordia fuit. Etenim libertatis dulcedine multitudini ostentata, cœpit plebs in omnem licentiam per æqua & iniqua grassandi sibi viam aperire, nullis consiliorum habenis retineri, nullis blandimentis ut ab armis discederet, induci: non principis majestate, non senatus authoritate, non religionis reverentia ab effrenata nefariorum incœptorum rabie compesci potuit. Processit autem paulatim eo usque debacchandi impotentia, ut contempto senatu, cerdones, textores, pelliones in consules, in nobilitatem pro libidine convicia impunè jacerent, contumelias dicerent, dictarent quid decerni placeret. Senatûs plebi invisus esse, nec ullus postea legitimus habitus sed indies ferè indici cœpit. Fecerat in oratione sua ad populum mentionem tenuiter Iacobus Mindenus, de religione, par vectigal cum populo cervisiarium pensura, donec rempub. ab omnibus pensionum non ferendarum oneribus liberatam haberent. Iusserat & quæstorum ad annum retro undecimum, rationes ad ærarium referri, eorumque accepta & expensa recognosci. Plebs legum latarum non immemor, ac tota cùm in libertatem, tum occasionem perturbandi omnia intenta, spretis cleri promissis in speciem præclaris, tabulas obsignatás in promissorum fidem poposcerunt. At religio', homines callidi, advertentes quantum servitutis jugum se maneret, si tabulis datis illorum libidini fidem suam obnoxiam fecissent, habendis conventibus ludificando operas aliquot dierum hebdomadas extraxerunt. Accessit & alia contentio ad hoc religionis negocium, quæ nobilitatem cum plebeiis quibusdam commisit. Indignabantur plebeii quæstores, & ædiles, equestrium opera fieri, quod nunc demum post tot annorum spacium ad referendum postularentur: in primis autem illi, quorum rationes vel parum integrè relatę fuerant, vel quibus syngraphæ relatorum expensorumque temporis intercapedine per negligentiam deperierant. In nobili quodam jurgio casu altercatio cum ad convicia usque exarsisset, ac quidam è quæstoribus plebeiis denunciasset ærarios coactores, qui trium ordinum nomine per id tempus ærario præfecti fuissent, reos peculatus se acturum, ut omnes illi proinde Pari lege ad collationem acceptorum & expensorum apud novos tribunos plebis tenerentur; Lubbertus *Walanus, qui ex equestri ordine eam præfecturam aliquando gesserat, Quantum ad rationum mearum subducendarum dispunctionem attinet (inquit) nihil laboro, ut etiam paratum me offeram ad stipendium xxv. renumerandum. Hinc novum motum negocium utriusque nominis hominibus, qui è tribus ordinibus ærarii præfecturam gesserant, ut pari lege cum urbis quæstoribus ad referendum tenerentur. Contrà, illi obfirmatè contendere, nullis populi legibus se teneri, frequentes conventus adversus plebem agere. Mentionem item injecerat Mindenus, dudum restituendæ ab oneribus, libertatis, redimendæque reip. Destinarunt itaque tribuni, jussu plebis, præter pensiones publicas & usurariam pecuniam quæ quotannis ex ærario pendebantur, agros compascuos pignori pro usura oppositos, nonnullos pro tertia parte datos, bonaque prædia, quæ per Coss. quæstores, & pleramque nobilitatem & primores procerum ecclesiasticorum reipub. (ut credebatur) tantum non adempta, in aliorum possessionem & jus fiduciarium transissent, multatitia pecunia, quam immensam fore credebant, in universum redimere, ac populo restituere. Et hæ quidem causę novi tumultus paulo pòst fuere, cur secundùm per secessionem in coemeterium

Plebis insolentia ostentata dulcedine libertatis.

* De Wael van Vronestein.

mœterium D. Ioannis se armati effuderint. Sed dum hæc plebs ex composito adornat, Episcopus qui tunc præsens in urbe aderat, nihil prius habuit, quàm suum negocium persequi. Apparebat autem minus laboris ad promissum consequendum restare, quàm minorem quatuor milium summam pridem nactus esset. Pulsis enim consularibus quorum intercessionibus via ad reliquum pecuniæ conficiendum maximè præclusa fuerat, cum novum senatum, equestrem ordinem, & bonam religionis partem consentientes haberet, è manibus prædam vix elabi posse arbitrabatur: nec plebis intercessionem magnopere timebat, quippe quam approbando legem de exulibus novis latam nullo sibi negocio conciliaret. Itaque mox quam in civitatem venit, rem de integro ad ordines retulit: apud quos multa questus est de lento eorum consilio, de mora ac pecuniæ dilatione, qua ingens periculum sociis Transiselanis à Gelro ingrueret, qui se promissis sine effectu vanis extrahi, ludibrioque haberi passim querere-tur. His relatis statim Dorestatum, relicta ad horrendam tempestatem repub. abiit. Itaque conventui dies quarto Calen. Majas extemplò indictus. acciti eò sunt Amorfortiorum aliarumque civitatum legati. Ibi orsus principis legatus, gravi oratione in eos invectus est, per quos stetisset, quo minus tot conventibus actis, quid in Episcopi tam arduo negocio promotum esset. Nunc illis ejectis, petere se, ex collegiorum equestrium senatusque sententiis rationem decerni, qua pecunia expediretur. Duo vero collegia, quæ nuper à reliquorum sententiis cum senatu dissensissent, induci posse ut in aliorum judicia pedibus discederent. Rogatæ inde ordine à Decano primariæ Basilicę sententiæ, concordes huc suffragatæ sunt, ut religionis & equestrium census teneretur. soli Amorfortii suam sententiam vindicantes, in agrario censu, qui è veteri ditionis consuetudine esset, perstitêre: identidem clamantes, ne quid novaretur: alterum censum inusitatum juxtà, & ditioni perniciosum fore. Verùm his frustra aliquandiu reclamantibus, ac domum amplius deliberatum abire jussis, ad postremum hujusmodi fit decretum: Quando multis superioribus conventibus de quadraginta sex milibus conficiendis consultando, intercessionibus quorundam, qui à diversa sententia deduci non potuerunt, frustra est laboratum, adeò ut rebus in magnum discrimen adductis, princeps se per ludibrium extrahi existimarit: sic enim lenta consilia ferè interpellationibus malevolorum disturbari solent. Placuit igitur ordinibus (ne plurium dierum contentione extrahatur, neve res ad disquisitionem populi deducatur) in hanc formam decretum de assignatis milibus fieri. Census quadraginta sex milium imperabitur pagis, vicis, præturis: huc contribuent utriusque nominis mortales, qui eò spectant. Conferentur autem ad eum diem, qui censui condicetur secundum æstimationem bonorum æquabilem, ex cujusque tenuitate opumque magnitudine: sive eæ sitæ sint in pascuis, in arvis, paludibus, sive insulis, alluvionibus, & quidem ordinum principisque arbitratu. Iam qui rem pecuariam, quique pasturam boariam exercent intra extraque urbem, agrarii item & agricolæ intus forisve agentes, molæ, vectigalia utriusque nominis, ex fundorum rationibus, & in quibus nullum est ædificium, juxta eorum precia. Tenebuntur huc quoque municipia, exceptis iis qui ob fortunæ tenuitatem, in quatuor suburbiis, & ruri habitantes, in nullo numero censentur: quos à contributione immunes esse placet, si his neque pascua sint, neque insulæ, neque paludes, aut ullum denique possessionis genus. Civitatum sociarum rectores, cives quique suos & municipes censento: tum autem qui pecuariam exercent, simul in eos qui solvere graventur, jus exequuntor, ac cum ipsis lege agunto quoad imperatum exolverint. Ad hanc contributionem possessor in bessem, fundi verò dominus in quadrantem tenetor, possessor persolvito, dominus fundi (cum videbitur) decidito. Huic censui agundo præsunto viri graves ac cordati, quos Antistes censores, unà cum ordinibus dicet: penes quos justa ratio eos censendi, qui huc contribuent, esto. Literæ statim Amorfortiam ad senatum datæ, quibus postulatum est ab ordinibus, ut ubi diu satis deliberatum esset, aliquando statuerent aliquid certi, atque ad quintum nonas Majas rescriberent, quid sententiæ esset. Responsum nulla mora ab his per literas est, quæ in ordinum conventu recitatæ in hanc sententiam fuere. Quod proximo civitatum atque ordinum conventu per legatos respondimus, animis parum æquis fuit acceptum, aut certè parum bene intellectum: cum antè nobis pulchrè cum ordinibus ea de re convenisset, idem ne nunc quoque accidat, periculum est. Quare nihil esse ducimus, quamobrem, quod semel placuit, id integrum identidem referamus. Sed quia id ipsum quod superiori conventu decrevistis, vel nobis frustra reclamantibus, persequi vobis consilium est: ne nunc quidem à prima sententia discedimus, quam mutare turpe, & ditioni inutile foret. Interim, quando omnino

Cœmiterium D. Ioannis vulgus Campum sanctis adpellat ut scribit fol. 36. Henr. Bommelius qui hos ipsos populares motus descripsit.

Decretum ordinum de quadraginta sex millibus conficiendis pro Trãsisulaniæ salute.

omninò sic censere constitutum est, petimus qualemcunque censum juxta tabularum fidem actum ad nos dari: fortassis lecta perspectaque census ratione, respondebitur, quod neque principi neque ordinibus fuerit ingratum. Postquam autem Ultrajectini nihil certi consilii consultando ad hunc modum ex Amorfortiis extundere quiverunt, privatim publiceque in universum omnibus placuit, vectigal quàmprimum in præturas, vicos, pagos Amisianos Amorfortianæ ditionis, ejusque suburbia ex cujusque fortuna & opulentiæ modo constituere, ejusque exemplum Amorfortiam ad senatum mittere. His quod præsagiverant, brevi accidit. Nam cum penes illos censendi jus absque Amorfortiis liberum esset, in proclivi erat divinare, qua æquitate, pro sua libidine, censum in Amisianam ditionem constituturi forent. Ejus exemplum itaque intra paucos dies ad senatum ab ordinibus datur. Operæpretium hic facturus videor, si ordine catalogum pagorum Amisianorum ut quisque census fuit recenseam, ut appareat uter populus alteri hac in parte iniquior fuit: simul qui certatim suis magis quam aliorum commodis consuluerunt. Sed cum crebra in recensendo singulatim pagos census iteratio nimis odiosa foret, sed & barbara nomina durius asperiusque sonantia pleraque à Romana inflexione abhorreant, satis duxi, summatim censum Amorfortianæ ditioni impositum, quem ad senatum miserunt, recensere. Urbanæ jurisditioni impositi quadringenti quinquaginta: reliqua suburbana Amisiana ditio censa tredecim milibus aureorum & quingentis. Lectus recitatusque in senatu hic census haud mediocriter eos offendit. Primum quòd justo major, & quàm pro ditionis cum aliis duabus præfecturis collatæ, angustia & copia grandior existimaretur: deinde quia aliarum præfecturarum, ipsiusque urbis Ultrajectinæ census eadem opera transmissus non esset, (quæ res fraudis suspicionem fecit) unde ratio æquè an iniquè, rectè an perperam censarum regionum affirmari potuisset. Refragatum itaque (ut antea) huic ab universo ordine & populo est. Episcopus, ut hæc constitutio tributaria per Amorfortios procederet, vehementer solicitus, pro magno duxit negocio, eos benignitate ac comitate adoriendo, blandimentis sibi conciliare, si fortè ea via ab obfirmata sententia agi valuissent; libellorum magistrum, & Hadrianum Rhedium ab intimo consilio, equitem nobilem ex illustri Rhediorum in Transiselanis familia, ad senatum legat. His mandat, ut omnia benigna lautaque in posterum affirmando, illos obtestarentur, ut vel in principis gratiam ordinum sententiæ accederent: quando nunc aliquando pecuniæ conficiendæ ratio inventa esset, gratuitas omnes præteritas ipsis intercessiones fore: censum ipsis ipsorumque ditioni constitutum, si parum æquus videretur, per principem levatum iri. Cum his mandatis legati Amorfortiam proficiscuntur. Postridie quàm civitatem intrarunt, uterque senatus illis datus est. Ubi relatis iis, quæ in mandatis habebant, è curia per viatorem in hospitium descendere, ibique responsum ab senatu paululum expectare jubentur. Post paululum moræ per Consules, & tres senatores (ut ei genti mos est) legatis in hospitio sic responsum est, Scirent senatui censionem Amisianæ ditionis dudum ab Ultrajecto acceptam, nullo pacto probari, quando nec modus in ea habitus esset, nec æqui ratio. Ad hæc ne mentionem quidem reliquarum præfecturarum ullam fieri, ex quarum æstimatione, se suamque ditionem censam oportuisset. Decrevisse his justis de causis, simulac aliarum præfecturarum inferæ ditionis nova censio deintegro in lucem ab ordinibus emitteretur, tum demum se effecturos, ne officium, ne fidem populi Amorfortii in se Episcopus desideraret. Vix paucas inde horas legati ab hoc responso in hospitio commorati, civitate Dorestatum consiliorum dubii se abripuerunt. Æger princeps animi, nec immeritò, ob elapsam rursum è manibus pecuniam, nihil æquè verebatur, quàm seditionem novam oborituram, si res in plebis, quæ huc tota intenta spectabat, disquisitionem raperetur. Neque res quidem periculo caruit. Nam quoties ad consultandam rem ad ordinibus conveniretur, voces passim à sordidissimis quibusque è colluvie hujusmodi tractari audiebantur, frustrà eos conventibus habendis indies se discruciare: nec nisi per operas tandem fore, ut pecunia expediretur: nihil præsentis consilii in purpuratis similis esse: plebem nunc sapere cœpisse: secessione proinde iterum opus esse. Acuebant ad hæc plebis animos lanii pecuariique homines, quorum copiæ & opes in pascendis pecoribus universæ essent, nec aliunde quæstū facerent, subulci, (sic vulgò dicebantur) quibus majorem in modum ordinum censio perniciosa erat futura. His doloribus paulatim pullulantibus, novi bubulciq; Tribuni plebis ex operis tunc primū creati, plebis jussu, controversiam de vectigalibus cervisiariis ex æquo cum populo pendendis, religioni (ut in primo tumultu promissum erat) seriò movere, tabulas inde poscere: rati hac occasione (quia illos pertinaciter id recu-

Per Rhediū Amorfortii rogātur Ordinū sententiæ accedere.

id recusaturos constabat) fore, ut per tumultum, & votorum compotes fierent, & ordinibus potestatem constituendi contributionem ex sua libidine, vi armata extorquerent. Et exasperabantur multo vehementius animi, quod nec ad rationes quæstorias, nec tribunitias ordinum, per equestres & religionem via pateret. Et hæc præcipua tum animorum irritatio fuit. Decanus primarius, homo præter dignitatis nomen, & equestrem inter Sicambros familiam, ab omnibus literis, cultuque disciplinarum prorsus alienus, religiosum arbitratus, suo assensu religionem in servitutem à plebe compelli, protestatus apud suos se non concedere populo, neque quoad viveret, ut jus libertasque sua imminueretur concessurum, ex urbe ad Carolum Gelrorum Ducem finitimum profugit. In cujus non longè pòst è reb. humanis sublati locum D. Æmilius Niveldius, Gerardi Niveldii exulis filius, armis magis factionis, quàm sodalium suorum suffragiis suffectus est. Religio, cum terror undique instaret, & vis, per speciem petendi consilii principem Dorestato per literas occultò sub supplicationum ferias in urbem evocat: rata fore, ut ejus præsentiam plebeii veriti, ab armis prohiberentur: & tumultus irritatus, priusquam in gravius certamen accenderetur, principio conquiesceret. Sed nihilo obfirmatius plebs suam viam progrediebatur. Ordines indies consultationem de promissis milibus integram referre: clerus antistitem in hunc turbatæ urbis statum evocatum, observare, ut se à plebis injuria oboriente tueretur: neu committeret ex fide superiori anno religiose data, ecclesiasticam libertatem per vim opprimi: memor, quorum suffragiis ad amplissimum munus cooptatus esset. Contra plebs, per novos tribunos instare, religionis in priori motu promissa de vectigali in cupas singulas æqualiter cum populo persolvendo identidem occinere: ad id principem sibi adjutorem se petere: ut aliquando eam remp. quæ tot annos æri alieno solvendo non esset, liberam degravatamque redderent. Illorum fumos & verba, in speciem blanda, se diutius ferre non posse, mero ludibrio extrahi. Si princeps plebem adjutarit, ut tabularum à religione compotes fierent, spondere invicem, se pecuniam brevi omnem conquisitam ei tradituros. Multis denique probris religiosum nomen lacerarunt. Et ad vim haud dubiè res spectabat, ni mos ipsis gereretur. Animi inter hos medius princeps ægritudinem dissimulans, cupiebat quidem latum Ecclesiastico negocio auxilium: haud dubiè perpendens, si id desereret, quanta vastitas ei ab impendente tempestate immineret: sed cum adverteret nullam conficiendę pecuniæ spem vel in religione esse, vel in nobilitate affulgere, segnius tamen plebis iras mollire cœpit: paulumque ab æquo declinare visus est. Ne Respub. quid detrimenti acciperet, tentata plebs per consules acriter est, si tumultus opprimi potuisset, sed frustra. Dies ad conveniendum ecclesiastico ordini & equestri edictus tumultuosè est, ut in universum semel statuerent, num fidem de tributo cum populo ex æquo pendendo assignare vellent, nec ne. Decretum à religione hic est, quando plebs liberum arbitrium onerandi, levandique quos vellent, sibi permisère, pergerent ex composito agere quod videretur: sese vim extremam pati malle, quàm sub jugum voluntarios se missuros. Nec difficile ipsis fore, ut armati inermes, multitudine superiores, paucos opprimerent. Proinde pro se quisque id conniteretur, quod bonum faustumque reip. esse judicaret. Iuratum inde est in hæc verba: Prædę se, direptionique plebi totius esse malle, quàm ut tabulis signatis servitutis fidem testarentur: mollirent illi, acuerentve (ut videretur) iras. Responsum atrox ad plebem perlatum, eam mora ferocem, dolore iraque longè ferociorem fecit. Communiter secessionem parant. Tangebat animos eorum hostiles jam tum spiritus gerentium recens nuperrimæ seditionis memoria. Illius libertatis dulcedine etiam capti, decimo calend. Iunii pridie ascensus Dominici, statim cum ingenti totius civitatis terrore, paulò sub noctem, nihil Antistitis præsentiam conspectumque veriti, in cœmeterium D. Ioannis armati secedunt. Hic castris positis, primò statim congressu sacramento interposito in tribunorum verba conjuratum, ab armis non prius discessuros, quàm à religione & equestribus id quod spontè concedere abnuerent, armis expressissent. Fuit itaque hic secundę seditionis obtentus adumbratus. Cæterum mentes cum oculis colluviei eò deditę revera erant (nec ipsi tum clam id habebant) ut universum religiosum nomen, cui imminebant, hostiliter diriperent. In prætereuntes passim voces jactari, postero die in illorum mensis cultros suos (quando lautius splendidiusque ibi coctum constaret quàm domi) invocatos se stricturos. Noctem illam totam pervigiles, metu ne à principe immisso equitatu per insidias & peditum cohorte, tumultuariè è familiaribus hominum religiosi equestrisque nominis contracta, opprimerentur, stationibus armatis ad crates circumquaque dispositis, traxerunt.

Iacobus de Appeltern, Obiit 1526. 27. May.

Niveldius tandem cessit & admissus est Ioannes vāder Voorst Dominus de Loonbeeck 1529.

In Iunio 1525. Secunda secessio armata.

Legum

Legum omnium ac pœnarum metu abjecto, in eam rabiem exarsere, ut horrendis clamoribus & dictu fœdis conviciis in sacra profanaque, nulla religione territi debaccharentur. Nullum locum, tempus nullum, aut ordinem, sanctum venerabilemve habere. Ædium cœmeterio junctarum ostia trepidè pulsare, pedibus insultare, tantum non vi diffringere: minimè gratum spectaculum exhibere. Franciscanis è more preces antelucanas Deo à noctis conticinio cantantibus mugitu plusquam taurino collecti consociatique (quia cœnobium cœmeterio D. Ioannis ad meridiem adjacet) quam maximo poterant obrudere: nulli ultro citroque domum eundi potestas dati. Et in hoc aliisque tumultibus nulli impotentius vociferabantur, quam plebs convenarum, operæ quibus lucrum semper, quæstusque maximus à religione fuisset: quorum ventres famelicos, quoties in horum domos, per speciem negotii se conjecissent, indies fermè expleverant: ignavum vulgus, quibus ora linguæque ad bellandum maledicendumque promptæ, manus vero imbelles ac languidæ, animi tumidi erant. Mane ad jentaculum tumultuarium ægrè digredientibus hora ad conveniendum nona, capitis bonorumque publicationis periculo rursum edicitur. Tentatur interim per tribunos & bonos ad avertendam vim religio. Perstatur obfirmatè in sententia. Fortè tum ita incidit (quia ascensu Dominico is dies solennis erat) ut supplicationis circa cœmeterium Basilicæ D. Martini celebris pompa in id momentum ceciderit, quo tota urbe operæ in cœmeterium rursum convenirent. Iamque è turri Martiniana processerat obsecratio, cum ex adverso fabrorum operæ è foro scrutario, instructa quasi ad dimicandum acie se erigentes religioni insignibus suis velatæ, signa sua procul ex adverso ostenderent. Inde Palatinum forum versus in lævam flectentes, tympanis ac confuso boatu, vasorum æreorum fragori cantuique obtonare, nullamque atrocis spectaculi speciem prætermittere. Collecti in cœmeterio, in quo sub nonam diei horam adesse jussi fuerant, à tribunis extemplò in concionem convocantur. Ibi seditiosi homines per se satis lymphatæ plebi pilis terræ fixis stanti indignationem, religionem criminando augere: nunc postquam convenere, non elanguescendum ignavia, verùm armis arcendam esse contumeliam & dedecus nominis Ultrajectini, quo per Canonicorum superbiam afficerentur. Quin (quando omnes adessent) rectà vaderent domos illorum occupaturi, dum id quod jussi essent, volentes paratique darent. Satis se per ludibrium extractos. Sequuta inde consentiens multitudinis vox, arma expedienda, disponendam instruendamque aciem, moram auferendam. Interim dum se in aciem collocant, & cornua ex tormentariis utrinque ab læva dextraque raptim ad procedendum redigunt, quidam è cœtu dilapsus in ædem D. Martini, spiritum à cursu anhelus vix trahens, trepidè nunciat Antistiti (nam is in supplicatione aderat) plebem armatam instructa acie in procinctu stare, ægerrimeque à paucis, pilis ac bipennibus objectis, intra cratem meridionalem contineri: quam si transirent, infestas omnes domos Canonicorum illico reddituram, aut armis vim pellendam esse: alterutrum futurum, nisi ipse medium sese ingerens, eorum furori quàm ocyssimè obviam procederet: ac blandimentis animi mitigati, in conditiones, ejus authoritate ducerentur. Nuncio in ædem ancipitis rei ad principem perlato (quia jam commodè obsecratio perpetrata erat) sacris relictis, toto templo fit fuga. Religio abjectis stolis, domos quisque suas, thesauris factis infectisque maturè prospectum tumultuose inde se abripit. Nec continuit se terror intra tectum, sed momento totam peruasit urbem. Acceptaque eo die fuisset insignis clades, nisi Episcopus aurea epomide humeris raptim abjecta, plebi, quæ magnis utrinque clamoribus haud sine pugnæ specie intra cratem transitu arcebatur, occurrere matutasset. Ibi silentio manu indicto, multitudinem in coronam collectam rogat, ecquid volentes non humano more tantos tumultus cierent? jubet proloqui quid peterent: offert se medium, si cum religione in conditiones concessuri, pacem fœdusque facere vellent: aut si nondum satis deliberatum esset, ratione temporis habita, rem in posterum diem totam differrent, ac domos suas facesserent. Vix hæc princeps eloquutus fuit. ibi mille simul vocibus certatim aliud alii criminabantur: insolentiam religionis ludificari magnificis pollicitationibus: insuper id eos agere inter se, ut quantum pecuniarum residuum esset, in plebem urgeretur. Diutius haud passuros, ut illi tempus altercando tererent: inventam propemodum viam, qua xxv. milia confecta darentur: de reliquis xxi. milibus fore, ut nihil laboraretur, & quidem nullo reip. detrimento. Itaque dilationem frustra quæri, nec plebem moram in posterum diem pati: nec tempus conditionibus ineundis destinari. Perseveratum denique in ferocia est: additâ præterea minę, nisi in vestigio illi in populi verba jurarent, ac libenter quidem jam darent ultrò, quod

Vulgi ingenium.

quod armis exprimeretur: magno eis cunctationem eam constaturam. Recens ira, ad hæc odium non perinde grave ac nuperum stimulabat, quod paulo antè in prima seditione armati consensa curia, suo jure leges, quas videbatur, tulissent: suoque arbitratu injussu populi jussissent, scivissentque. Hæc & alia multa præterea dissonis clamoribus vociferantis plebis verba interrumpens doctor Wolfgangus Abstemius, Antistitis in intimo consilio vir primarius & eruditus, in hanc sententiam verba fecit.

Legi sæpenumero cives, apud historiarum scriptores, graves secessiones, seditionesque atroces, alias aliis de causis ortas: quarum aliqua populos ad justa arma excivere. Nam pleraque vel à patrum superbia, insolentique dominatione, vel avaritia, vel honorum cupiditate, vel aliis pessimis artibus nata fuerunt. Quæ ut è medio tollerentur, vi opus fuit. creati itaque tribuni, per quos & leges & rogationes, adeoque ipsi ab injuria nobilitatis assererentur. Enimvero vestra seditio ista, justáne sit, an contra, in præsentia nihil disputo: neque enim dum satis constitui. nam dum alios alias prætexere audio causas, nihil perspicio, quod vel vituperare, vel comprobare temerè audeam. Si in equestres, à quibus nulla prius injuria vobis facta est, arma hæc sumpta sunt, non possum mehercle hoc vestrum consilium (dicam liberè) probare. Est enim iniquum, & Ultrajectino nomini dedecorosum, publica turbata pace, in eos sæviendi materiam quærere, quorum virtute res vestræ nituntur, & clara foris habentur: nec ulla re mala commeriti sunt, ut lædantur. Sin adversus religionem, id quod obtendi intelligo, hæc tempestas agitatur, quò adjutores ad communis reipub: restitutionem vobis opem ferant, quod agitis, sedulò agite: hoc est, cum Resp. æri alieno solvendo non sit, eam levate, levatam & integram, sartam tectamque conservate. Via autem, qua id præstetur, non placet. Sed ea omissa, id solum dicam cives: aliam vos longè ingredi oportet, qua ad præstitutum scopum perveniatur. nam hac profectò vos, vestramque rempub. eversum citius, quàm restauratum ibitis: id ipsum præterea quod incolume mansit ac salvum, amissuri: nisi fortè exempla fallunt, quæ vobis documento fuerint, ut maturè patriæ communi omnium parenti consulatis. Intestinum malum, externum fermè suscipere solet. Ad id veniam, quod proprium hujus vestri consilii est, quemadmodum sine theatro ignominiæ quod poscitis, obtineatis, nempè ut religio vobiscum ex æquo ad communia onera ferenda inducatur. Illud tamen prius dicam, non par esse, ut tantas tragœdias hodie cieatis, quòd illi pertinaciter suum jus, suamque libertatem tueantur. Nemo prohibetur beneficium majorum manibus & pedibus defendere. Nam cum natura omnes nascamur liberi, natura consentaneum

Wolfgangi Abstemij Oratio ad cives Ultrajectinos.

Beneficium majorum defendendum.

Animalium in retinenda libertate solertia.

taneum est, quod nemo velit servitutis pallium induere. Sed ne vos quidem non pro viribus obluctaremini, si quicquid privilegiorum à majoribus per manus traditum accepistis, id vel imminuere, vel totum oppugnare quis aggrederetur. Videmus, quantum animantium brutorum est, ut caveam, ut casses, ut retia posita fugiunt: ut unguibus, alis, rostris, dentibus, armis à natura datis, enixè liberum evagandi jus defendunt: mori citius, si detur, parata, quàm ut naturæ beneficium relinquant. Hæc eò cives dici existimate, non ut religioni mercenarius patronus antè instructus oratione præparata patrocinatum adveniam: sed ut intelligatis, non perinde superbiæ eos traducendos, quod suam ipsorum libertatem vindicent: atque facinorosi quidam vociferatores, qui vobis huc authores fuere, vosque ad exitium vestrum extimulant, non minus improbè quàm impudenter clamant. Antiquam isti viam religionem criminandi oppugnandique ingressi, non primùm jam probris eam lacerant. Necessitatem obtenditis, quæ nonnunquam ab æquo paulum abire cogit, nedum de jure aliquid remittere: Quod quidem si ita est, non refello. At illi metuunt, ne à vobis ea ipsa necessitas in fraudem avertatur: atque utinam falsò ominentur. Difficile est onera injicere: at multo difficilius semel injecta tolluntur. Cum autem mecum reputo cives, quòd nemo sibi uni nascatur, verùm patriæ etiam, cui secundum Deum & parentes plurimum debemus: certum est, vobis hic non adversari: propterea quòd ea quæ huc conferuntur, utiliter ponantur, etiam cum aliquanto privati juris detrimento: Id persuasi quidam, privatam salutem publicæ cum immortali gloria posthabere, quam summum jus nimis exactè persequi maluerunt. Si apud Romanos olim bello Punico secundo, postquam ærarium post multas clades alias super alias acceptas, exhaustum esset, matronæ muliebrem mundum, torques, armillas, annulos, vasa argentea in curiam magno certamine, ut bellũ repararetur, contulere; quid Christianæ pietati conveniat, quid religioni, quid viris, rerum non rudibus in leviore negocio satis perspicuum est. Si igitur æstimationem principi permittitis jubendi, quod è rep. maximè ducat esse, fidem dat, hodie se sine intercessione cujusquam vobis facturum satis: flexurum religionem, tabulas de omnibus iis quæ postulatis traditurum. Quæ petitis, scripto per tribunos exhibete: eaq; vestro arbitratu obtinebitis.

Ingenti animorum consensu à frequenti multitudine dicenti est acclamatum. Læta plebs magnificis Abstemii pollicitationibus, imperant extemplò religioni intra extraque quatuor civitates viginti quinque milia, condicto die Dorestati Episcopo pernumeranda: caventque, ne de iis milibus res ad ordines relatio fieret. Tametsi hic Abstemium multa fictè loquutum haud

haud dubiè constabat, quo deliniendo mitigandoque feroces spiritus, immane consilium averteret, & multa benigna verba tabulasque dando ad tempus ipsis mos gereretur. Sensit enim ea moveri cœpta, quæ omnibus permistis, civitatem in grave discrimen conjecissent: unde censuit, ne initium calamitatis Ultrajectinæ ab obstinatia religionis ortum diceretur: & ultrò offerendum, quod cùm insigni rerum suarum jactura mox fuissent amissuri. Fuerunt tamen quidam è religioso ordine, homines factiosi, majorum imaginibus magis quàm suis virtutibus clari: quorum arbitratu si res stetissent, omnia turbari potius, quàm plusculum concordiæ, tranquillitatisque sarciendæ causa ipsorum juri decedere contigisset. Ab his palàm princeps sugillabatur perjurii, quòd tabulas de milibus decretis, quas jurejurando ordibus affirmarat, nunc antiquaret. In illis inter cætera positum erat, ut cùm ditionem, tum religionem sartam & tectam in sua libertate, & ab injuria tueretur. Super hæc, apertè solenne inaugurationis juramentum contra veterum Episcoporum exemplum violarèt. Et quum in priori seditione, à plebe multa iniqua, contra operas & hospitia extra civitatum muros sibi proposita discussisset, sub cultro nunc religionem relictam plebis libidini deglubendam ultrò traderet: nec memor beneficii accepti, gratiam hìc reponeret. Plebs in armis interim perseverare, pavorem religioni, ni pareat, minimè grato armorum spectaculo augere. Rogationes, quas Tribuni plebis eo die ad populum tulere, quasque in tabulas relatas principi & religioni extorserunt, operæ precium est referre. Earum autem hæc forma fuit:

QUANDO ad eam tempestatem usque, per multas bellorum difficultates rempublicam obaratam, gravibusque pressam vectigalibus habuimus, ea ut relevetur, & quod fieri potest, redimatur, anniti stat sententia. Quod ut fæliciter auspicateque cadat, creavimus ex operarum omnium corpore singulos tribunos, per quos jussimus scivimusque hæc rata esse. Religio omnis, cujuscunque ea sit vel nominis vel professionis, æquali lege cum populo ad stipendium de potu omne genus tenetor. Quod ad quadraginta sex milia, quæ principi residua sunt, ad hunc modum imperatum esto: quindecim milia utriusque sexus cœnobia intra quatuor civitates inferæ ditionis conficiunto: decem milia, quæ extra has in agris posita sunt, pendunto. Reliqua unum & viginti milia ab ordinibus in justa rusticorum ædificia ita conjiciuntor, ut fundorum domini in quadrantem teneantur. Hanc autem pecuniam imperatam (quia dilationem non patitur) redigunto: dies condicitor. In hac contributione cum Brigidensibus Ultrajectinis excipientur monachorum mendicabula. Ne quis religiosi nominis deinceps publicè privatimve, palàm occultove, fundum, agrum, domum, intra extràve urbem precio emito. Si quis contrà ierit, in damno rei emptæ esto, agro fundòve empto multator. Si quando per legatos cum vicinis principibus agendum erit, aut ad concilium indictum conveniendum, haud longius ab domo, quàm in Putcupam & Spicart campum (Hollandiæ & Ultrajectinæ ditionis ii cardines sunt) suis cujusque ordinis impensis exciti legati proficiscuntor. Et ut Rhenus ac Vechta urbicæ annonæ habiliores sint, eos vetustate & negligentia ordinum oblimatos, fossorio opere extemplò illi desiccanto: à trajectu Leccæ ad Marso-

In Provincia Vltrajectina duo erant Monasteria Brigittani ordinis, alterum ad Vineam in veteri valle 1484. in urbe extructum: Alterum Conventus S. Mariæ castri in Soest fundatum à Iacobo Domino de Gaesbeeck. Putcupa. Spicart campus.

*rum usque vicum suprà infraq; ad eum modum accuratè amnes repurganto. Cura horum amnium à limo, uluâ & ruderibus conservandorum sedecemviris demandator. Totidem scapha alveorum curatoribus decernuntor, cum ea pecunia quæ singulis annis in eum ipsum usum ærario infertur. Rationes ab anno undecimo ad ærarium referuntor, eaque exactissimè dispunguntor, quarum summa cum ad decies centena millia excurrat, ea pecunia resp. & agri vectigales, publici oppositi, fiduciaque dati redimuntor. His rationibus nemo cognitor præficitor, qui eam quæsturam gessit, ærariusve coactor extitit. Rationes de Leccæ, Hinderdamique aggeribus, de acceptis in domos rusticas & jugera vectigalibus pecuniis, de authoramentis militaribus, illi referunto. Molitoribus suum extra quatuor urbis portas jus pristinum integrum servator. Controversia de aggere Ioannis *Benigni, de insula Brederodiana in Lecca flumine finitor, & quidem intra mensem. Huc princeps ipse, ut exequi detur, adjutor esto. Hæc tabulis signatis trium ordinum rata firmaque esse jubemus. In appendice transmissa additum erat à principe, edicto se cauturum, ne homines ex agris annonam rerum venalium vel distraherent, vel aliquò conveherent ad distrahendum, nisi in unam aliquam quatuor civitatum: neve propolæ deinceps nundinarum diebus, ante duodecimam diei horam palàm clamve mercarentur: qui contra eam legem facere oppressus esset, is merce empta multaretur.*

* Forte Benningi.

Huc itaque rerum ad hunc modum vix paucis dierum hebdomadis post primam seditionem decursum est, ut quæ vellet plebs, scribere permissum sit: eaque omnia ut justa bonaque Episcopus cum religione & senatu confirmare tabulis juberetur. Palàm itaque plebis acta tabulis ad hanc formam collegiorum sodalitia affirmarunt. Populum ab sese contendisse, ut ad remp. pecunia usuraria obæratam, relevandam pari jure secum vectigal de vino omne genus, & cocto potu tantisper penderent, donec eam redemissent. Nunquam in populi præjudicium empturos, conducturosve contra ejus jussum. Itaque spondere se, eorum imperata volentes lubentesque facturos, quemadmodum in tabulis à principe datis expressum esset: idque suis tabulis affirmare, testarique. Iisdem totidemque penè verbis jus fidemque suam cœnobiorum præfecti obstrinxerunt. Ad ultimum, senatus ista populi scita jussaque in hæc verba approbavit. Iubere, ne qui convenę in operarum albos prius reciperentur, profiterenturve, quàm publicè à senatu civitate donati, declarati ascriptique essent. In quo profiteri si qui vellent, senos aureos penderent: & si in quibus aliis nomina habere expeterent, pro dimidia precii parte licere. Ut populus deinceps singulis annis proximo Purificationis feriis festo die comitia creandis rationum exequendarum tribunis haberet: his nemo intercederet. ne quos exules jam inde faceret senatus, neminem exilio multaret, verùm ut crimina legibus punirentur, multæ delictis pares irrogarentur, aut ob noxam pecuniam solverent. Quinos levis æris vectigal cervisiarium pariter cum populo religio in cupam penderet: qui venderent semiocto, supra consuetos binos æris, idque præsenti fide. Ne ærarium ullis amplius usurariæ pecunię tabulis gravaretur: cum ne nunc quidem ære alieno solvendo esset: sed sigillum coram populo comminueretur. Everardus Soudenbalchus, Godefridus Vordius, Henrici filius, Godefridus Rodenburgus, indicto exilio extorres essent. Tum qui horum

rum

rum factionem sequuti, absentes tuerentur, in perpetuum ut probri notati, è senatu submoti forent. Ne rationes intermitterentur: iisque cognoscendis, tribuni ad id lecti præficerentur. Pistores, coctoresque nisi in suis operis sortitò, ne in senatum legerentur. Dictis statim duobus senatoribus primariis, tres quæstores senatorum suffragiis renunciarentur. Ius civi & peregrino privatim coquendi potum cerealem esset: idem binis ternisve aut pluribus consociatis ita liceret, si inde reipub. suum vectigal daretur: religioni vero id non permissum foret. Molare tributum in perpetuum sublatum esset. Cœnobiis opera manuaria intra muros, urbisque immunitatem interdicerentur. Plebiscitum senatusconsulto octavo Calen. Iunias est approbatum. Mittuntur eodem die è principis consilio Amorfortiam legati, qui de iis referrent, quæ pop. Ultrajectinus de uno & viginti milibus in cœnobia decrevisset: peterentque à senatu, ut huc quoque suis suffragiis accederent. Non ægrè huic postulationi à veteri novoque senatu & populo assensum est: quòd ea æstimatio nullo publico ditionis detrimento censeretur. Contulerunt intra muros mille ducentos, reliqua viginti quinque millia, quoniam in certum censum nondum relata, ordines de integro contra populum exercere cœpere, occasionem mox plebi ad tertiam secessionem præbuerunt. Pristina illi pertinacia prius decretum asserere adorti, principem eò perpulerunt, ut id quod initio de integra summa placuisset, nunc de parte dimidia juberet: hoc est, ut in villas, pagos, præturas residua verterentur. Eam contrà æstimationem populus rejiciens, in domos rusticas imperare connititur. Ingenti itaque utrisque certamine apud Episcopum sua tuentibus (quia nupera injuria & vis facta ægrè adhuc erat) ad ultimum in populi invidiam religio obtinuit: initaque æstimatio, & mox invulgata est. Mittitur extemplò Amorfortiam viator cum edicto: ut ita quemadmodum censuisset religio Ultrajectina, ad populum ferretur. Referentibus Coss. fit tumultuarium senatusconsultum, ut literæ ad principem darentur in hanc sententiam: Literæ tuæ, illustrissime Princeps, in senatu lectæ, vehementer nos perculere: quòd absque vestro assensu ea æstimatio imperaretur. Re itaque in consultationem maturam missa, visum est senatui & populo, eam censionem non esse per Amisianos pagos evulgandam: quia perniciem insignem esset allatura. Itaque quià è reditionis non est, stat eò non discedere. Ad has literas princeps: Facilius ipsis esse frustra consultando ludere, quàm se de sententia deduci posse, quæ ordinibus stetisset. Quoniam autem omnino pecunia opus esset; constitutum esse id tenere, quod eorum refractariis sententiis impediri non posset. Proinde haud magni referre, in verba discederentne, an intercedere conarentur. Irritati animi ad pertinaciam magis sunt, feroci responso & contemptu, quàm inclinati: quos non fugit, quibus authoribus sic contemptim respondisset. Tenuit tamen Amorfortiorum intercessio Episcopum dubium aliquandiu, exequereturne decretam æstimationem, exclusis illis, contemptisque, an rem integram referret. Eorum enim injussu nihil Amisianæ ditioni imperari poterat, & tumultum novum in civitate Episcopus metuebat. Ut urbem igitur ab armis pacatam quietamque retineret, indixit conventui diem. Proponuntur eadem de pagis censendis. Impugnantur acerrimè ab Amorfortiis, donec huc altercando decursum est, ut mutata priori sententia, in diversam Amorfortiorum ad unum omnes pedibus vaderent, fieretque decretum hujusmodi: » VT domorum Rusticarum census ita ageretur, ut in bonos justosque focos septeni aurei imponerentur: idque principis arbitrio vel ratum esset, vel rescinderetur. » Scio quosdam fuisse, quibus persuasum erat, ordines in fraudem Amorfortiorum ad faciendam ipsis majorem invidiam, calculos suos mutasse, (quia hactenus ordinum consensum & principis postulata repudiarant) & ob id ad Episcopi arbitrium, quem sciebant priorem censum sartum tectumque habiturum, hoc relatum fuisse. Legati extemplò Dorestatum mittuntur, qui ordinum decretum Antistiti exponerent: nihil moræ restare, quin residua pecunia in numerato foret, si ipsius placitum assensusque solum adderetur. Responsum ab Antistite est, se (quia res ex composito geri videbatur) agnoscere jam animorum inconstantium levitatem: quibus id quod dudum placuisset, nunc sententiis in diversam partem mutatis, displiceret. Sat diu verbis speciosis, nunc hoc, modò illud promittentium, se ludibrio habitum: eoque ita se apud animum suum constituisse, quod nuper ordinibus bonum & utile consilium visum fuisset, id quemadmodum ipse tum affirmarat, ita nunc quoque idem ratum haberi velle. Eadem ratione cras ab hac sententia in priorem animis desultoriis per se relabi licere. Irent, referrentque, desisterent ab ea re amplius consultanda: nisi fortassis nupera adeò seditio parum ipsis documento adhuc esset, quantum mali & infortunii secum traheret veheretq; mora, & inutilis

Vetus querela.

temporis extractio. Addidit & causas alias, quamobrem ita sederet. Per domorum rusticarum recensum, ad residuam summam non posse perveniri. Ut maximè inde redigeretur, moram dilationemque (quam res non pateretur) is advehere. Ad ultimum dignationi suæ nomen in omnem auram mobile offecturum. Capita ordinum Vltrajectinorum, quæ tacita stabant, & sentiebant cum principe, audita relatione, variis curis distorquebantur: eaque de causa Amorfortii continuò ad conventum rursum accersuntur. Servant diem, mittiturque Nicolaus, Gerardi filius: additus alius senator est. Vrbem ingressi, in curiam senatoriam à Coss. mox accersuntur. Insolens id legatis visum, quòd ibi ordinum conventus nunquam agi soleret. Mox in basilicam Martini progressi, (in hujus curiam convenire, mos tenuit) nullam frequentiam nobilitatis, nullam legatorum aliarum civitatum offendunt: subsistentesque paulisper hîc, fraude ac dolo se huc extractos palàm metuunt. Transeunt in curiam basilicæ magnam, nullum mortalem ne hîc quidem inveniunt. Inde postquam in senatum processerunt, ibi consul rem altius orsus, ad postremum huc orationem deduxit: Antistitem, cujus arbitrio proximo conventu negocium censionis permissum fuerat, à priori consilio dimoveri non posse: nec induci, ut id quod tùm decretum esset, suo assensu confirmaret. Per cunctatur, ecquid ipsis istud rei placeret? Omnino oportere principi fieri satis, ac proinde concordia opus esse, ne diutius inter ordines certaretur. Quin illud non dubium esse, secum Antistitem eos sibi amicum quàm inimicum malle: infestum habituros, nisi ejus postulato hic obsecundarent. Interim non inficiari, alteram illam viam, quam ipsi hactenus tutati, nunc obtinuissent, videri potiorem: & ad conficiendum quod desudaretur, expeditiorem non solum senatui, sed etiam aliquantæ plebis parti. Quo minus autem consilium ipsi suum detegerent, metum in causa esse. Cùm alia multa, tum hoc inprimis tranquillitatis retinendæ studio se dissimulare: utile arbitrantes, sic utroque vento navigando medium cursum tutò tenere. Atque hæc adeò unica causa est, quamobrem (inquit) Episcopus tam infestè instat ad cogendum vos in suam sententiam: ut id plebs conspicata, abjecta retinendi spe, religionem equestresque suffragia sua fineret obtinere. Ad ea legatus Amorfortius. Quoniam ignari quid nobis proponeretur, & nihil instructi huc venimus, responsum præparatum habere non potuimus, privatim autem neq; suffragari neq; refragari permissum. Si tamen seriò cupido est cognoscere, utrum magis è re ditionis arbitremur, certiores fieri poteritis, si domum regressi, id referamus. Quanquam vero quorsum attinet istud quærere, quòd semper palàm asseruimus, quò vos quoque proximo conventu traducti discessistis? nisi fortè censetis, quia princeps hoc repudiat, nos in ejus gratiam, utilitatem publicam detrimento posthabituros: qua in re senatum consulendum duco. Constabat Amorfortium fictè eam ob rem loquutum, quia in tot verborum operosis ambagibus clarè consulis mentem, quorsum tenderet, quidve peteret, explorare non quibat. Dum inde in templum Civicum transeunt, à plebis primoribus, qui ex composito ad id cum aliquanta ex incondito vulgo multitudine huc se collegerant, excipiuntur: circumdati medio globo interrogantur, ecquid novi asportarent, quid rerum in curia egissent, quid postulatum à senatu, contrà quid ab ipsis responsum esset: num in ea ipsi persisterent sententia, in qua pop. Ultrajectinus constanter perseveraret, ut in domorum rústicarum tecta recensus ediceretur? ut in justos bonosque focos septeni aurei vectigales æstimarentur, idque minimo ditionis detrimento? Se prorsus fugere, quid parturiret Antistes: ita occulta eum consilia agitare. Ibi Nicolaus ordine exponit, quo consilio exciti venissent, ut dolo eò accersiti, in senatum per lictorem adesse jussi essent, quid à consule interrogatus, ipse ex tempore & impræmeditatus vicissim respondisset. Addidit postremò hanc coronidem, Senatum populumque Amorfortium ita decrevisse, semper consulturos quæ in rem ditionis essent, utcunque alii ima summis commiscerent. Redeintegrant memoriam equestris gratiæ apud principem: quem illi, quò voluissent, impulerant, impellerentque, obtrito populo indies ad quod lubitum esset: ideo obtinere non ex publico, sed privato bono ac commodo, quæ viderentur. Contrà civitatum populique saluberrima consilia, adeoque ipsius senatus (indignum relatu) tanquam inutilia discuti. Hæc legati verba cum ingenti vulgi circumfusi assensu acciperentur, cœtus certatim utrunque apprehensis dextris, in populi gratiam, priusquam urbe excederent, rapere: orare, ne gravantur secum in ædem Ioannis congredi, ubi eadem de re plenius apertiusque audire liberet. Eò vadentes sequitur ingens vis hominum è plebe tumultuose collecta. Erat inter hos Gerardus Canisius Trib. rationem cognoscendarum: is, legatis mirantibus quid sibi hic cōcursus vel-

Buurkerck qui est Mariæ de Civibus antiquitus dictum.

ſiis vellet, ac ſubinde reſtitantibus metu, ne vis oboriretur: & reliqua multitudine in concionis modum ad excipiendum conglomerata: Nihil eſt quod vim metuas (Caniſius inquit) conſul, quòd ad audiendum, frequentiam collectam, eâque te cingi cernas. Ita nobis ſemper perſuaſum fuit, neque temere diverſum inducemus, Amorfortios ita affectos, ut quoad liceat, graviori damno ſint Ultrajectinum populum, omnemque ditionem prohibituri. Studia autem religionis & nobilium id urgent, ut reſidua milia in vicos: populus contrà, ut in focos ruſticos conſtituantur. Illi, quò victoriam nobis in hoc certamine, & manubrium è manibus noſtris extorqueant, in omnibus conciliabulis paſſim affirmant, vos è veſtra ſententia, quam nobiſcum ad hoc uſque temporis defendiſtis, deſciviſſe. quod quoniam perſuaderi non poſſumus obteſtor te ut dicas, utram adhuc tuemini, & inconſtantiæ ſuſpicionem nobis eximas. Nec aliter (inquit Amorfortius) ſenatus unquam cenſuit, nec cenſebit, maximè ſi audierit vos quoque huc accedere. Conſule hæc vixdum eloquuto, ingens conſentientis coronæ vox extollitur, Auditiſne Senatum Amorfortium à nobis ſtare, & nobiſcum ſentire? quouſque tandem horum ſuperbiam pertæſi, non ferendam inſolentiam iſtam cives perferemus? nunquamne nos, quòd tot menſes per ludibrium extrahimur, ut meminerint, ulciſcemur? Multas diras peſteſque in caput religionis execrati, Amorfortiis gratias agunt. Concurſum eſſet eo die tota urbe per hujus multudinis clamores in cœmeterium ad arma, niſi Tribuni interventu, occaſione ſecedendi in aliud tempus oſtentata, à motu prohibiti fuiſſent. Fuerat autem Gerardus* Caniſius multis annis ob ſeditioſum ingenium, Soudenbalchorum, Vordiorum, aliorumque conſularium judicio damnatus, ne eraſo in operis nomine deinceps in ſenatum legeretur. nec publicis muneribus fungeretur, quam ignominiam adeò is ægrè tulerat. nam perpetua valetudine etiam conflictabatur, ut domi per multos annos inimicis & reipub. iratus ſe continens, hominum conſuetudine careret: nec unquam, quod ſciretur, in publicum prodiret. Multis hoc tempore à damnatione annis pòſt, pulſis iis à quibus notatus fuerat, popularis auræ præſidio fretus, in publicum primùm erepſit. Erat autem facie à perpetuo languore triſti, vultu pallido & macilento, cute laxa, lento impeditioreque inceſſu, præ ſe ferens Trophonianum aliquem. Et ea facies inſignem ignominiæ veteris memoriam, in exulum invidiam, eorumque qui tunc quoque rempublicam gerebant, populo fecit. Mox in ſecunda ſeditione plebs eum in medium extractum, tribunatu ærario, quò ſua ſponte ferebatur, fungi coëgit. Iam inde ad conſulatum per impotentiam exercendæ poteſtatis in nobilitatem & religionem viam parans, incredibile dictu, quàm plebi charus brevi fuit. Tum primùm vulgò clamare, indigniſſimam huic injuriam ab inimicis factam: eoque notatum, quòd rectam viam progrediens, illorum peculatum liberè damnare, accuſareque auſus eſſet: magnoque reipub. id damno fuiſſe, quòd per tot annos tanti viri neque conſilio, neque auxilio civitas uſa eſſet. Inimicitiæ quo nobiliores extiterant, eo ignominiam acceptam acerbiorem contemptus ſuus fecerat: premebatque dolorem, injuriam ſuo tempore, cum ſe offerret occaſio, ulturus. Domum Amorfortiorum legatis reverſis, cogitur ad accipiendam eorum relationem ſenatus. Ea audita, fit ſenatuſconſultum in hæc extemplò verba.

* Iuriſc.

Quoniam autem principi à duobus ordinibus ita perſuaſum eſt, ut ea cenſio conſtituatur, quæ inſigne detrimentum ditioni ſit illatura, & quidem contra proximum omnium ordinum decretum: Senatum populumque Amorfortium adjutore populo Ultrajectino, eam pertinaciter tenere, quam ab initio tutati eſſent, & poſtremo conventu, ut utilem omnes ordines approbaſſent juſſiſſentque.

Senatuſconſultum Ultrajectum miſſum eſt: ne amplius fruſtra concilia fierent, ſcriptore ipſi ad diſcedendum pedibus ſollicitarentur. Animadverſo populi tota urbe fremitu, religio equeſtreſque diffiſi diutius populo ſe, Amorfortiiſque poſſe obſiſtere, cura tutandi ſuum negocium in totum abjecta, epiſcopo authores fuere, ut quod civitatibus & pop. Ultraject placuiſſet, id teneretur: ſatius arbitrati cum gratia ultrò tradere, quod cum invidia brevi per tumultum amiſſuri eſſent. Literæ itaque XIII. Cal. Aug. à principe Amorfortiam mittuntur; quæ in ſenatu recitatæ in hanc ſententiam ſunt.

Multis ordinum precibus fagitatus, tandem assensi, ut in domorum rusticarum ædificia tributa constituantur. Dedi itaque negocium Bernhardo Utenenge à consiliis viro equestri, ut quantum posset, vicorum, pagorumque primores ex agris in urbem ad recensionem evocet. Censeo, ut vos quoque ad constitutionem istam Ultrajectum legatos vestros mittatis, quorum consilio atque judicio interposito, ea æquissimè haberi possit.

Legati missi Arnoldus Dolrerus, & Henricus Cornelii filius, quæstor. Idem fecerunt Rhenani & Wicani. In magna ordinum curia recensioni locus destinatur: hic tribuni rationum cum ordinibus quod nunquam antè factum fuerat, conjuncti fuerunt: fraudem illorum veriti fortasse, ne per gratiam & odium, quæ in tali negocio plurimum valere solent, parum æquitatis ratio haberetur. Apud hos in hunc modum recensus actus. Ex vicis leguntur terni fide commendati, & ætate venerabiles, qui jurati, suum quisque in ternas classes distinctum referrent, exhiberentque. Itaque horum alii post alios admissi, locupletiores qui primam classem tenebant, primum: inde mediocres, secundę classis rusticam plebem: postremo loco, prætenues ac proletarios scripto tradiderunt. Ternis his adjuncti, sui quibusque ecclesiastæ & prætores, qui juramento premuntur: neminem, quod scirent, in indicibus relatis, ab sese per oblivionem prætermissum esse. Actus autem census in hanc formam.

Census togendi ratio.

*In justam domum, in præfectura Horestana, septeni aurei constituantur. In infera verò, quæ sub Frederico *Hammone est, versus Hollandiam, quòd homines agrarii ibi ob rem pecuariam, pastionemq́ opulentiores sint, noveni aurei: totidem in justam domum, quæ sub Amisiana præfectura est, imponantur.*

* Woten Dam.

Itaque Horesta recensuit focos septingentos quinquaginta quinque, & quadrantem: confeceruntque supra quinque milia, ducentos octuaginta septem aureos & quadrantem. Hammo domos dedit, quinque supra mille quingentas, & dodrantem contuleruntque ex tredecim milia quingentos quadraginta quinque, & plus paulò. Amisiani foci justi ac boni, qui quingenti nonaginta erant & viginti quinque, redegerunt supra quinque milia, trecentos sedecim, & quadrantem. Ob istam impositionem q..dem tributariæ pecuniæ tot conciliis frustra actis, resp. Ultrajectina magnos hos motus intestinos sensit, & utranque ditionem in externum postea bellum grave & ingens traxit. Per quos verò homines, eò rerum res sint dilapsæ, ex iis liquere non obscurè opinor, quæ hucusque à nobis memorata sunt. Et ignarus princeps, imprudensque patriæ consuetudinis, & nimium speciosis quorundam apud se persuasionibus credulus, si cum judicio, quod ageretur, pensitasset, potuisset aliquam malorum partem à republica avertisse. Hæc reputanti, duę præsertim pestes has tempestates excitasse mihi videntur; pertinax privata tuendi commoda studium: & in Antistite simplicitas, minusque, quàm pro persona quam sustinebat, callidum sagaxque ingenium. Quod quidem propius considerantibus, quos ab intimo consilio domi habebat, & quibus solis utebatur, non magni fuit negocii res, illi persuadere, quàm id, quod à duobus ordinibus probaretur, tutum foret & compendiosum: populi contra & civitatum sententiam difficultatem habituram fuisse non mediocrem: sed ne summam quidem posse confici. Hoc obtentu homines versuti, principem parum astutum pro arbitrio versantes, animos corruptos facilè palliarunt, & illum totum suum fecerunt. Sententias civitatum, præcipuè Amorfortiorum, pro commodo bonoque suo domi interpretari: pericula, difficultatesque inde exorituras exaggerare: ipsos criminari: & quod constantiæ erat, pertinaciam appellare: quod prudentię, rebellionem. Denique, cum obtinere quod molirentur, se posse desperarent, invidiam & odium, supra quàm dici potest, magnum facere: noctes & dies insidias tendere. Difficultate constituendi ad

hunc

hanc quidem modum pop. & civitatum nisu tandem expedita, stato die pecunia. verùm cum frigida gratia Dorestati persolvitur. Per moram & odiosam dilationem gratiam amisit: quæ alioqui initio statim numerata, duplicem inire potuisset. Fuit & alio nominè minus accepta, quòd per eam resp. in gravissimos motus, & malum intestinum penè immedicabile conjecta esset: quod quorsum adhuc evaderet, in incerto eventu positum esset. Et quia id humano consilio regi posse diffideret, curis & angoribus tacitè discruciabatur indies magis atque magis. Brevi itaque pòst Antistes quam pecuniam accepit, ad Transiselanos, ea pacem redemturus proficiscitur (in quem usum ab ordinibus decreta fuerat initiò) tum autem oppida & castella, quæ suprà dixi ab Duce capta bello Transiselano, militum præsidiis munita fuisse. Cum autem nullas certas pacis conditiones antea pàctas cum Gelro haberet, & difficulter res componeretur, utrinque ita convenit, ut Trevirorum Antistitis ut disceptatoris arbitrio pax & fœdus sancienda starent: eaque ita fierent jurejurando religiose addito, ut neutri injuriarum unquam memores, conditiones ab altero expressas pollucrent. Expectantibus diu, Gelrorum Transiselanorumque concioni supervenere Trevirensis principis legati, longè ab domo exciti. Apud hos graves querelæ utrinque deferri: certatim suas causas tueri, transferreque: ut ægrè gratia coire posse videretur. Disceptatores inter utrosque diti, nihil prius duxerunt, quàm (nè disceptando multi dies eximerentur) ea cura obnixè teneri, ut pax fieret: néve prius discederetur, quàm ea composita, Transiselanis Gelro in gratiam reconciliatis, rataque esset. Pacis autem factæ ad ultimum hæ conditiones fuerunt: Gelrus ex oppidis & castellis præsidia (Groninga exciperetur, & Couerdę præsidium) deduceret. in posterum jus nullum in agros, oppida, castella Transiselanę ditionis usurparet: transfugæ traderentur, captivique utrinque restituerentur: injuriæ abolerentur, ut ne memoria quidem earum extaret. Exules in fortunas rutas, cæsasque, & eas quidem integras restituerentur, neutri quicquam novarent. In reliquum à dicacitate & conviciis temperaretur. Legibus in eum ageretur, quicunque principis majestatem vel læderet, vel imminueret. Quòd ad populum verò Transiselanum & Antistitem attineret, is Carolo Duci triginta quinque aureorum milia adnumeraret: nec prius hæ conditiones pactę ratæque haberentur, quàm aurum pensum foret. Haud elanguescendum moratus Ultrajectinus, præsenti fide dissolvit expressam summam. Exequuntur inter hæc utrinque recens fœdus, eoque celeriùs, quo magis certatim ab altero materiam belli exortam volebant videri. Deducuntur hinc præsidia, recipiuntur inde exules, admissorum injuriarumque oblivio publicè edicitur, bona multatis redduntur. Compositis adhunc modum Transiselanorum rebus, episcopo omisso Dorestatum reditu, in Germaniam superiorem, tanquam longa gravique tempestate per novem ferè menses continuos jactatus, ac periculis defunctus, portum terramque tandem tenuisset, ociosus rerum Vltrajectinarum, iter avertit: cum tanquam navis gubernatore spoliata, longè majoribus turbinibus respub. sursum deorsum agi quatique inciperet. Redintegrata igitur est per Tribunos, ante paucos menses mota rationum referendarum causa adversus optimates, & plærosque Canonici nominis homines, qui tribunatum ærarium ordinum ad annum retrò (ut suprà à nobis memoratum est) undecimum, quique ædilitatem è populo in repub. per idem tempus gessissent. Ingentem animorum his consternationem fecit Tribunorum rationum ex victoria ferocitas: eamque haud mediocriter auxit principis absentia. His plebis jussu ita stabat: quæ justo liberalius è dignitate urbis Ultrajectinæ in exterorum principum legatos, aut proceres peregrinos profusa essent, tertia, dimidiave eorum parte ibi multarentur. Syngraphæ temporum spacio aut corruptæ, aut hominum incuria perditæ, ipsis fraudi, damnoque forent. Qui solvendo non essent præsenti fide, citra dierum productionem, eorum bona publicata sub hasta venirent: ipsi ad plebis arbitrium in tutissimam custodiam conderentur. Et quia consilium hoc si processisset, multis bonis mortalibus præsentem inopiam allaturum erat (nam nullę rationes ipsis ex animo respondebant) illi pro viribus obstare plebis Tribunis: religionis partes tueri è plebe, primę seditionis concitatores: quorum principes erant, Henricus fusor æramentarius, & Michael pistor. Iam itaque non solum certamen se continuit amplius inter plebem, & superiorum annorum Tribunos ærarios, quæstores, ędilesque: sed populum bifariam divulsum inter se commisit. Senatus nec intercessit, nec assensus est. Nam videbat, si apertè hanc plebis causam impugnare adortus esset, multo majorem tumultuandi rabiem, quàm antea experti fuerant, vel hinc imminere, quòd palàm tabulas in proxima seditione datas violare, pactaque rescindere arguerentur. In illis enim disertè positum erat, ut

Pacis inter Geldrenses & Vltrajectinos conditiones.

 rationes

rationes ab anno undecimo ad ærarium referrentur, eæque exactissimè dispungerentur: qua pecunia agri fiduciarii, vectigales, publici, oppositique & resp. redimeretur, atque illi populo restituerentur. Quamvis autem intercedere illi cuperent quo ab graviore motu urbem tutarentur, animos ipsis tandem ademit plebis metus, & commune periculum, ne in peculatus suspicionem manifestiorem venirent qua plus quàm far erat, plerique premebantur Lecti ex operis singuli Tribuni, non ex nominis dignitate, locive, sed ut quisque erat audacia atque improbitate facinorosissimus, ita maximè idoneus ad id munus plebis judicio habitus fuit: carpentarii, fullones, cerdones, pictores, coriarii Et hujus quidem tam præclari Tribunorum collegii caput erat Gerardus Canisius. Hi formidabiles non solum equestribus & religioni, sed senatui & Coss. esse: his in os minari (cum res posceret) abdicationem, magistratus, exilia, carceres, si suis conatibus obsisterent, penes hos jus potestasque haberi conventus indicendi, quoties visum esset: hi primoribus diem capitis dicere, multam imperare, in vincula (quum videretur) ire jubere. Impunè habebant in Coss. conviciis petulanter ludere, peculatus reos in jurgiis agere: nec aliis nominibus vulgo, quàm ærarii expilatores appellare: invito senatu cum populo agere. Atque iste quidem reip corruptissimæ status in causa fuit, cur illi (de quibus modò dixi) primę secessionis authores animos suos à plebe ad senatum & ordines tuendos averterant. His, præterquam quòd grassationes nocturnæ, cædes, pugnæ, interdiu, & manifesta vis displicerent, metus haud modicus injectus erat, ne brevi plebs ad omnem auram mobilis, præsentem remp. pertæsi, eos quos ante tres menses pepulerant, in ordinum invidiam revocarent. quare ipsi quoque in capitis fortunarumque omnium periculum (quod certò futurum erat) præcipitarentur. Fuit itaque his unicè id studio, ut calculorum negocium, in quo toti illi erant jamque nonnullos etiam mulctarant, importunis expostulationibus atque certamine acri disturbarentur: quò suos, quos hactenus armis defenderant, rationum periculo eximerent, eoque nomine illis gratificarentur. Contrà ædiles, & quęstores, quorum calculi, cum insigni fortunarum calamitate expuncti erant, ad plebem provocare: vociferantes, indignum facinus patrari, atque insignem se injuriam accipere, si se mulctatis, equestres & homines è religione, flagitiis perditi, peculatus, omissa calculorum cura, absolverentur. id enim palàm eorum furtum arguere, quòd cum initio paratos se ad referendum obtulissent, nunc quando serò rem agi vident, obstare ne ex lata lege rationes procedant. E diverso ordinum ac senatus factionem tutantes, identidem clamare, sat turbarum motum in republica esse, in ea ad diocœsis eversionem his rationibus ali incendium, quod initio haud prospectum perpensumque fuisset. Itaque maturè omnium bonorum studiis, ut extingueretur, occurrendum, priusquàm civitatem perditam desperatamque haberent. Crevit interim odium mutuum, crevit impunè quælibet perpetrandi licentia: parant utrique alteris, locis ac temporibus maximè opportunis insidias. Henricus vitriarius erat, plebis inceptionum, consiliorumque acerrimus vindex, ingenio alioqui minimè malo: cui ex opere manuario fortuna sic satis munda suppetebat. Obvium fortè circa hos dies crepusculo habebat Cornelium Weimannum, hominem virtute & audacia singulari, quod cicatrices in straba adversa fronte arguebant. Multos hic annos in variis bellis inter milites ob virtutem honores gesserat. tandem cum longam militiam pertæsus, ad opus quæstuarium se recepisset, in civili tumultu Niveldorum factionem ab initio sequutus, in ea fideliter permanserat: quam unà & nobilitatem & religionem & senatum fortiter à plebis injuria cum suis defendebat. Henricus cum casu, atrociter se salutantem obvium nihil benigniter, non sine dicacitate, in oculorum straborum vitium jocans resalutasset, Weimannus dicto citius, suam viam vadentem, gladio raptim stricto insequens, ad pugnam provocat. Alter (ut inermis à compotatione domum contendebat) nudum ferrum ponè caput intuitus, in fugam se quantum potest, conjicit. Sequitur haud figniter fugientem Weinmannus: & assequutus quidem erat in fuga, nisi ægrè in domum altero dilapso, vicinorum concursu à limine prohibitus fuisset. Distulit nihilo pertinacius clausis foribus ante ædes, de via ignaviam alteri exprobrans, & molliciem increpans, jecit multa in eum probra: longum amentemque appellans, qui in lingua & pedibus audaciam præ se ferret, cæterum cervino pectore. Haud diu conviciorum impatiens, cunctatur Henricus: corripit spatham prælongam, in provocantem impetum facturus, & quidem in medium pro silverat, nisi uxoris ululantis precibus flexus, abjecto ferro, ne pugnam detractare videretur, de limine ferociter exultanti occurrisset, Weinmanne (inquit) tibi qui nunc per largiorem potationem parum apud te, ignaviam, molliciem, fugacitatemque insolenter mihi

Weyman occiditur.

ter mihi objicias, cedam in præsenti, cedam impotentiæ animi tui, ne si quid, quod te dignum est, tibi accideret, per ebrietatem tuam, parum gloriæ à me, qui tibi impar sim, referas. Næ tu cras haud impune insultaveris faxo: ac tum si vir es, virtutem in dextra, non in ore maledico fac ostendas: tum tibi diem præstituo, qui arguet, uter nostrum vir sit melior. Postero die Henricus, recenti ira stimulante, ad demendam ignominiam pridianam accensus, arma capit. Casu ita evenit, ut Weimannus D. Stephanum Niveldium Teutonici ordinis magistrum è basilica Martini honoris causa (cujus frequens conviva ob factionis societatem erat) domum sub tempus meridianum deduceret. Hoc ille procul conspicatus, properè ex intervallo sequitur. Iamque pontem Martinianum malorum securi transierant: Vltriarius in conspectum utriusque eminens, Heus tu, ait, Teutonicorum magister, absiste tantisper dum cum isto, quod velim, colloquar. Nunc me ab hesterno dedecore vindicaturus, te Weimanne ad pugnam nunc provoco. Nulla mora, utrinque infestè concurritur: ac Cornelius dum semispatha Germanica digladiando, ictum spathæ oblongæ à vertice venientem exire laborat, per cerebrum medium, per dentes diverberatur. defluente in scapulam læva capitis parte, in terram ruit: feretroque inde moribundus domum ablatus, sub vesperum decessit. Hic quidem turbatæ civitatis status senatum vehementer sollicitum habebat, ut sceleratorum civium retusa audacia, per bonos resp. geretur: itaque de ratione occultè consultari cœptum. Fredericus Regius Cos. senatum prid. Cal. Aug. convocat tumultuose. Non latuit seditiosum vulgus, quid ordines consultando parturirent, quove consilio senatus ediceretur, tota urbe regionatim sese colligunt. Tribuni rationum circa curiam obversantur in eventum intenti, si quid gravius in se, aut durius in plebem, aut citra rogationem ad populum à senatu decerneretur, promulgareturve. Lictoribus fores clausas diligenter adversus vim Tribunitiam custodire jussis, Consul gravissima oratione de perdita calamitosaque rep. usus est. Verborum autem ejus hæc summa erat: Nisi senatus ad vindicandam remp. sibi adesse vellet, in animo se habere, illam deserere, eoque die magistratu abire. Certum esse, si opem sibi, consociata animorum concordia ferant, armis cum seditioso cive medio foro decertare: ac de principibus motuum arreptis, ut reliqui deinceps quiescerent, supplicium sumere. Ioannes Vordius senator primarius, qui ob populare ingenium plebi mirum in modum charus erat, homo pacis quàm turbarum amantior, advertens rem arduam, & quàm apparebat, periculosiorem agitari, per speciem pulveris tormentarii expediendi (vim plebis veritus, credo) è curia in portam Catharinianam abiit. Fit interea hujusmodi senatusconsultum. *Consul Fridericus de Coninck.*

Ut senatus frequens armatus, Coss. cum vexillo & lictoribus præeuntibus, in forum ad terrorem plebi faciendum irrumperet: eoque edicto, ad signum, quod ad arma daretur, boni omnes senatui præsidio contra seditionis concitatores adesse juberentur. *Vltrajectini Senatus facinus fortissimum.*

Mos vetus tenuerat lege, ne vexillum evolutum in foro à consule erigeretur, nisi ad bellum in hostem iturus sex hebdomadas in obsidione ac castris perduraret. Id tunc expediri tumultuose jussum, tantum non in miserabilem cladem universum ordinem conjecit. Convocatur interim consueto signo in concionem populus, ad placitum senatus audiendum. Edicitur, uti ii, qui remp. incolumem, qui senatus authoritatem sartam tectam conservari cuperent, ii voluntarii in armis cum telis, statim quum ad arma conclamaretur, in Palatino foro adessent. Concione vix dum domum dimissa (erat prima hora diei) consul frequenti senatu stipatus, præeunte cum vexillo lectore, forum Palatinum invadit. Hic quoquò versum tormentis quasi in hostem undique irrupturum dispositis, ad arma conclamare jubet. Pavor ingens & trepidatio animos tota urbe corripit: & tabernæ cum fragore clausæ, mistusque ululantium matronarum clamor metum augent. Concurritur tumultuose sine discrimine in forum. Plebs multitudine superior, nihil inimicorum vim, nihil senatus authoritatem formidans, cum passis signis medio globo se immiscet. Clamor ingens & fremitus certatim aliorum in alios vociferantium, expostulantiumque confusus, ibi exaudiri. Illa dudum senatui infesta, per hanc adversum se conspirationem multo magis efferata, convitiis altercando adeò in eos sæviit, ut parum abfuerit, quin ad manus res pervenisset. Exprobrarunt illis ingratitudinem, animosque benefi-

beneficiorum quæ à plebe accepissent, immemores: se super hæc omnia ab iisdem laniena destinari, quòd rationes ex rogatione Tribunitia, quam princeps ratam esse jussisset, exequi pergerent. Novos sibi pro duobus, multos carnifices se creavisse, quos defensores suos hactenus rati essent. Toleratu facilius exulum imperium fuisse, qui nunquam in plebem isto pacto arma induissent. Non clam esse, quorum consilio atque impulsu hoc facinus ausi, cædem civi pararent: at non ita illos evasuros. Multa præterea de fastu & superbia senatus inde pro se quisque impotenter simul & imperite queruntur: multa, quæ contra veterem civitatis morem insolenter facerent. Horrendum spectaculum, & atrocioris consilii simulachrum, si ex sententia id processisset: quod postea compertum, spiritus præferoces, multò impotentiores in quæstorios homines fecit. Dum hic magnis clamoribus plebs medio foro cum senatu expostulat, cœtus alius è vulgo inconditus, incertum quo casu collecta, huc contendit, Hadrianum Rhenanum, Everardi Soudenbalchi ex sorore nepotem, falsò insimulatum conjurationis crimine, captum trahens. Hi audito ex aliquanto intervallo suorum in palatio mugitu, rati vim oboriri, misso in proximam domum captivo, cum suis se conjungunt. Consules consilii ancipites, cum neque in armis, neque in bonorum paucitate ullam spem auxilii viderent: neque viam ex tempore dimittendæ concionis comminisci valerent: tum autem nihil quod ad crebras percontationes, cur populo ad arma conclamassent, verisimile subitò responderent (nam pavor ac metus ingens animos mentesque ipsis ademerant) pavidi in Hasenburgum se subducunt. Incidit ibi fortè in animum è re in speciem plausibili celeriter commentum, cujus prætextu parum prudens consilium palliarent. Diemenus consul manu silentio indicto, ex editiori fenestra, Vestrum (inquit) nemo sic inducat in animum, quasi in se senatus arma moverit, aut signum prolato in forum vexillo dederit, cum eadem discrimina vobiscum adire, nobis stet omnino sententia. Placuit de vestra fide periculum facere, falsa injecta trepidatione, quid sperandum nobis auxilii sit, si præsens discrimen ad arma raptim præcipitanda postulet. Quod quidem propius adest cives, quam credere vos reor. Soudenbalchianæ reliquiæ occultè nova consilia agitant, aluntque inter se conjurationem: alios magnis muneribus corruptos, nonnullos amplissimarum dignitatum atque honorum præmiis ostentatis allicientes, de exulibus vestris reportandis consilia agitant. Cum his ferro dimicandum nobis est. Vos qui opes Soudenbalchianas tueri parati adestis, hinc ad curiæ senatoriæ opistodomum secedite. Edicto consulari nemo paruit. Commentum enim extemporarium ad dispergendam multitudinem, seque mala suspicione levandos excogitatum, non solum non acuit exulibus, eorumque in civitate factioni odium plebis (quando palàm vanum ac futile arguebatur esse, eos novis rebus studere) verum crevit per id multo magis magistratui apud illam invidia. Compositus tamen in præsenti tumultus est. Cæterum priusquam advesperasceret, sparsum in vulgus fuit futili quarundam linguarum intemperantia, quid mane in senatu auctum decretumque esset, quale Senatusconsultum factum, quam quisque interrogatus sententiam dixisset. Vix efferatæ plebis rabies eo die contineri per Tribunos potuit, quo minus ad cædem senatus discurreretur. Postero die Calendis Aug. Tribunorum jussu populus armatus in cœmeterium convenit. Variæ ibi certatim senatum criminantium voces audiri, tyrannos, patricidas, perjuros, sanguisugos, carnifices, perfidos, & si quid his atrocius est, eos appellare, per illos rationes impediri, de quibus per Tribunos exequendis sancitam dudum legem, eamque promulgatam, tabulis suis ratam esse jussissent. nunc etiam de cæde miserorum civium eos consulere, ut soli dominentur in repub. eamque, ut hactenus facere impunè fuit, dilapidare pergant. deposcere se latrones illos, & ad supplicium dedendos potius, quàm ipsis salvis, plebs tyrannicę libidini vitam expositam omnibus momentis habeat. Auxit eam efferatam rabiem vox cujusdam excepta, eaque statim evulgata, Senatum cogitare de principe è Germania occultè revocando, ut Tribuni rationum, qui eas quàm tranquillitati utile esset, exactius persequerentur, arrepti ultimo supplicio afficerentur. Hæc aliaque eodem spectantia Tribunorum concionantium, dicendoque atrociter exaggerantium verba, adeò circumfusam multitudinem acerbarunt, ut parum abesset, quin extrema rerum humanarum in senatum statuissent. Mitigata per Tribunos pleb. violentia, eodem die habita sunt comitia. Abeuntibus magistratu illis, novus senatus creatur. Tertiùm à Calendis Febr. eodem anno renunciantur Coss. Gerardus Canisius, Ioannes Vordius: quorum posterior, quod nulli antea obtigerat, eodem anno Tribunus fuerat, supremus senator, & consul. De illo verò suprà memini: qui plebi eo fuit charior, quo impotentius Tribunatum adversus quæ-

Diemenus alter Consul

Augusto mense tertia secessio.

sus quæstores omnium ordinum, & ædilitios in rationibus recognoscendis exercuit: homo acer & vehemens, cæterum auræ popularis amantior studiosiorque captator, quàm dignitati honestum erat: varius, & ad omnem ventum, ut se vindicaret solum, mobilis. Habuit hunc exitum Regii & Diemeni consulatus, qui in prima tribus antè mensibus secessione omnium operarum suffragiis, magno ordinum plausu Coss declarati fuerant: & iidem brevi operis tam invisi facti, ut qui maximè. Plebeiam gratiam, quam principio tumultus civilis tantopere morabantur, qua potui perspicuitate & compendio commemoravi: quam illis Princeps verò pòst retulit, ultimo libro narrabitur. Nec multò fœliciorem catastrophen sui consulatus Canisius habuit. nam quibus eum auspiciis iniit, iisdem abiit. Popularium igitur suorum jam beneficio ad consulatum provectus, Tribunorum vi adjutus, acerrimè quæstorios equestres & ecclesiasticum nomen vexare cœpit. Nec tantum eorum rationes exactissimè jussit recognoscere, sed diem peculatus dicere, multam irrogare, sed omnium primum iis, qui è plebe ædilitatem gessissent. In Godefridii Vordii exulis rationibus, & diversis consulatibus, cum ingens pecuniæ vis vel turpiter profusa, vel sublecta deprehenderetur, absenti dictus dies est ad populum in cœmeterio. Damnatur populi judicio, & indicta quidem causa, ut usuraria quæ publicè illi pendebatur pecunia in ærarium illata, ædes statim ejus diruerentur. Consociatis omnium animis, eò sub signis concurritur. Domum primùm hostiliter prædæ datam diripiunt, fenestrasque visendę elegantiæ vitreas excutiunt. His patratis, nondum exaturati, ulterius sævire. Ianuas postibus ac cardinibus convellere, projecturas coronarum & loricas disjicere: tectis conscensis, imbrices diffringere: suggrundia comminuere: à fundamentis domum totam denique demolituri, nisi Cos. Canisii jussu, ab incœpto consilio destitissent: ut postridie in publicum redigerentur, atque inde redacta pecunia ærario inferretur. Pari inde animorum ferocia in alias nonnullas domos sævitum est. Biduo pòst Vordii bona hastæ subjiciuntur: domum ejus licitatur & emit consul. Acceptum id vulgo ita perinde fuit, tanquàm infesto atque inimico animo in exulis invidiam hoc factitasset, ut esset quod absenti doleret, atque ipse ejus domum possidere diceretur, per quem aliquot antè annis ignominia publicè notatus fuerat. Egregia vindicta se ultus, si secundo vento rectum cursum tenere potuisset. Eo consilio patrasse vel hoc solùm arguebat, quòd cum præsenti hic opus fide esset, nec solvendo ad se redimendum foret, coactus fuit paludes suas extemplò & domum luculentam, quam ad id temporis usque inhabitarat, divendere. Longè alia ratio fuit eorum, qui credebant eum exuli reconciliatum: atque occultè per literas & internuncios rogatum fuisse, ut quantivis potius sibi addici, quàm vel dirui, vel alienari pateretur. Quocunque consilio mercatus fuit: tabulas à populo accepit quibus cavebatur, ne cui mortalium unquàm in posterum, sed ne exuli quidem reduci, aut ejus hæredibus jus in eum fundum ac domum foret. Itaque ei emancipata legitimè à populo est. Turbas domesticas externus timor superveniens, statim excepit. Pridie nonas, militum copiæ Cæsaris stipendio inauthoratæ, è Brabantia in Brederodianam ditionem (quæ pars est inferioris Bataviæ) irruptionem fecere. Rumor Ultrajectum allatus, omnia eos ad trajiciendum apparare, ordines solicitos habuit, ut à citeriore ripa arcerentur. Et difficilè erat à trajectu eos prohibere, nisi sociæ civitates ad id quoque auxilia misissent: consiliorum ambigui diu, neque vim contra Cæsarianas copias audere parare, neque libenter committere, ut suos agros populatum Leccam transirent: postquam multiplici metu intra muros distinetentur. Sed ne firmi quidem quicquam auxilii videre, quod externis copiis objicerent: cum rempub. haberent male concordem, princeps domo abesset, veteres simultates cum Hollandis nondum exoletę, exulum absentium insidiæ. Quod si transirent, periculum fore, ne impetu repentino ad mœnia facto opprimerentur: id quod proclive factu, rep. tam seditiosa ac bifariam divisa videbatur. ubi mutuo odio accensum intestinum bellum effecit, ut neutri alteris tutò crederent. Transitu Rheni externum itaque militem prohibitum, præfecti tota ditione rurestres ad oct. Id. Aug. in armis esse jubent. Edicto non parenti, multa publicatio bonorum, & capitis supplicium fuit. Superis designata statio est ad Tasslicam (locus est inter ostium Leccæ & Tuvalim pagum) inferis verò in Leccæ ostio condictus locus. Amisiani ad Holam convenire jussi. Præstituto die in his locis, rusticorum à suis quibusque præfectis recensus actus est. In Leccæ ostium ex Ultrajecto auxilia cum levioribus tormentis mittuntur. Venere & ex Amorfortia. Dividitur hæc civitas in tres regiones: in Longam viam, Curvam, & Bruelam. Ad bellum principi auxilia missuri, sortitum è patrio more conveniunt,

Vindicta quam suavis

Amorfortiæ civitatis situs & dispositio.

niunt, quæ in armis esse debeat: ut una in hostem missa, reliquæ duæ civitati præsidio maneant. Si quis autem militiam horreat, ita ab onere absolvitur, ut suffecto in locum stipendium solvat. Sub sortitione igitur Curva via auxilio ducta, reliquæ per capita cornutos singulos in exeuntium impensas contribuerunt. Pontonibus itaque suprà infraque in citeriorem Leccę oppositum aggerem subductis, haud magno opere peditem, ne vadum transgrederentur, terruerunt. Supervenit huic terrori controversia è Burgundica aula de portoriis, & nominatim de paludibus, earumque limitibus & jure renovata. Has ex jure manu consertum vocarunt: de quibus multis antè annis inter utrunque populum vindiciarum jure sæpe agitatum fuerat. Usuraria pecunia omnis ex deposito, quæ publicè quotannis ab Hollandorum quibusdam civitatibus Vltrajectini nominis hominibus pendebatur, injecta manu asserta est. Proventus item agrorum tota ditione Burgundica. quantum item fundorum in Iselsteinensi agro possident, per Florentium comitem Burensem: non alio prætextu vindicationis, quàm quòd nulla judiciorum forma statim de paludum possessionibus non cessissent. Satisdare ad hæc pro præde litis jussi, ne paludes de quibus jurgium erat, fodiendo minuerent. Agitur ordinum conventus super vindiciarum lite. Huc acciti Amorfortii præter alias civitates diœcesis inferæ, sunt: quòd his in memoratis paludibus præcipuæ ferè possessiones essent: ut jure tabulisque quas haberent, in medium prolatis, ad refutandos consultando adversarios simul adessent. Confecta est quasi in rem præsentem in plano, ad regionis situm & cardines oculis subjiciendos, paludum ac finitimorum locorum descriptio. Verùm cum nec demonstratio hæc quicquam, nec tot annorum possessio obtineret, nec illæ è manu injecta ex jure dimitterentur, injuriam acceptam pati necessarium magis, quàm æquum, tum propter intestinam pestem, tum ob principis absentis diutinam expectationem, esse duxerunt. Sugillabantur interim Tribuni rationum ab adversariis, ob iniquum judicium in multis irrogandis, iis quos ipsi peculatus convictos apertè judicarant. Hanc igitur reprehensionem ut in ordinum rationibus recognoscendis fugerent, poposcere collegas sibi ex utriusque nominis hominibus dari, sed quorum existimatio & fama semper integra fuisset. Alleguntur ex religione Ioannes Realis, Fredericus Regius, Regii Consulis frater, Lichtenbergus, Henricus Montfortius. Additi his ex equestribus aliqui. Cura his delegatur, ut ad aliorum exemplum pari severitate agrarios calculos, Leccanos, molares, Hinderdami, & id genus alios dispungerent. Horum præcipua ferè ratio fuit, ut quemadmodum pridem Vordii peculatus damnati ædes & bona publicassent, sic Soudenbalchium multandi ansas omni moto lapide exquirerent. Verum ubi adversus eum quanta maxima potuit & industria & acumine diu desudatum esset, nec momentum ullum quod dignum operæprecium diceretur, in acceptis & expensis offenderent: callidum, vafrumque hominem eum & versutum clamare, qui prudenter ad aliorum flagitia connivens, ipse laudatam abstinentiam in suis consulatibus præstitisset. Restabat extrema anchora tentanda. Anno undecimo suprà millesimum quingentesimum, ordines legem tulerant:

Heda fol. 310.

Ne qua pecunia usuraria ex ordinum ærario pro numerata haberetur, nisi rationes principis Montfortiorum, & duorum qui ex ordinibus huc dicti essent, manu subnotatæ antè fuissent: ut illi quibus is magistratus deinceps demandaretur, eum integra fide & è re ordinum gererent.

Id aliquot annos initiò metu legis magis quàm religione diligenter observatum fuerat. Postquam autem compertum esse cœpit, eam tribunorum ærariorum inertia ac indiligentia exolescere, simul & frigidè rationes cognosci, eas ex libidine illorum confici, legem pro antiquata haberi, securi omnia pro bono suo & commodo illi curatores agere cœpere. Cæterum ii qui ad rationum recognitionem ab ordinibus hac tempestate creati fuerunt, nullam nisi juxta legem, subscriptam affirmarunt: multaruntque plerosque cum fortunarum memorabili calamitate, quorum relati calculi olim ita expuncti non fuissent. Anno undecimo Gerardus Soudenbalchius Canonicus, Everhardi Cos. frater, ab ordinibus, rationibus agrariis Hinderdami, Leccæ, molaribus præfectus fuerat. Harum autem unam XVI. aut XX. milium,

verùm quo consilio, pro comperto non habeo dicere, suppresserat. Sperabant quidem ex religioso nomine cum pleraque nobilitatis factione, illam ob id in acta relatam à Coss. tum haud fuisse, ne in manifestam peculatus suspicionem frater pervenisset. Rati itaque quod verisimile erat, propterea editam non fuisse, quod ex lege subscripta non esset: proinde nulli dubium, quin quindecim annorum spacio intercidisset. quare magnam jam occasionem universam gentem perpendi animo conceperunt. Superstes in urbe erat frater hujus mortui Henricus Soudenbalchus Canonicus, vir eximia prudentia & candore venerandus: penes quem Gerardus moriens, & Consul solum vertens, acta sua & rationes reliquerant. Et in hoc negocio ne mortuis quidem parcebatur. Henricus citatur, ut demortui primùm, inde exulis fratris rationes relatas edaret. Nihil ille cunctatus, extemplò eas exhibuit. Tribuni, ubi recognitis acceptis & expensis, præter expectationem & spem, illam hypographem herois Montfortii aliorumque in calce additam viderunt, obstupefacti; & quasi attoniti re insperata, utrunque absolvunt. Cœpit per hæc plebs subodorari, totum contra exules factionis negocium calumniis agi. quare jussit Tribu. eadem æquitate aliorum (quæ factio diversa erat) rationes ad legem resecare, ne cavillis ludi se, neu minis ab incepto terreri, neu largitionibus transversos agi paterentur. Non tulit factio, penes plebem de se victoriam fore: quam ut ei præriperent, novas consultando res inter se occultè agitarunt. Ager publicus quondam ad occiduam urbis partem, qua Hollandiam spectat, populo Ultrajectino fuerat: à paludosa effossaque regione nomen sortitus, vulgari vocabulo Humilia pascua dicebantur. *De Lege Weyde.* Hæc anno trigesimo supra millesimum & quadringentesimum, cum æris inopia, per bella resp. laboraret, jussu populi partim onerata, partim alienata erant: sed quibus conditionibus, quia parum constabat, à Tribunis rationum ad populum circa hos dies relatum fuit, ut tabulę possessorum inspicerentur. Apparebat enim ex pensionibus usurariis, quæ in jugera testandi causa ordinibus quotannis pendebantur, in fiduciariam mancipationem à majoribus tradita fuisse. Iam cum solvendo æri alieno resp. esse videbatur; quia ager ille tertia parte precii alienatus erat, aut etiam minoris, plebs cum habere, restituique, quàm tantulam pecuniam, qua redimi posset, malebat. Contrà, senes quidam ætate confecti, à majoribus suis se accepisse affirmabant, initio mancupio datum fuisse. Sed decem annis post, cum ob eundem in civitate magni motus orirentur (nam plebem agrum alienasse sera pœnitudo cœperat) velletque populus possessores per seditionem ad remancipandum ob id adigere, quòd in venditione, cum probè æstimaretur, plus dimidio precio se defraudatos clamitarent: negabant legitimam emptionem appellari posse: maximè quum intra decennium pernumeratam pecuniam cum usura justa emptores recuperassent. Audiens igitur plebs, aliàs propter hosce publicos agros seditione tumultuatum in urbe fuisse, multo jam acrius in id incubuerunt, ut quod olim tentatum parum fœliciter esset, id nunc conficeretur: & rescripta pecunia, pascua juris rursum populi Ultrajectini fierent. Metus interim sensibus injectus fuit, ne materia injuriæ præbita, ipsi ad eam plebi authores essent: nam vulgi consilium in possessorum fraudem spectabat, ludibrium haud illepidum ad eam placandam, compescendamque seditionem hujusmodi excogitarunt. Sic è rep. videretur, & æquum, pascua olim publica postliminio restituere, possessores ad se accersi cum tabulis juberent: iisque inspectis, novas, si videretur, de redimendo confectas, per vetera foramina immitterent. Prudens commentum ad iniquos hominum conatus eludendum. Putabat enim plebs hoc pactò pulchrè sibi cautum iri, si integris veteribus novæ non separatim, sed cum illis commisse traderentur: cum hoc illi agerent eo consilio, ut possessori cum libitum esset, antiquis inviolatis, incorruptisque, novas proscindendi potestas foret. Per hanc speciem cavendi, mutandique emptionem utrisque satisfactum. Antiquis ilico novæ immittuntur. Nonnullas pro præsentis pecunię copia, non gravatim ferentibus dominia, redimunt, abolentque. nam ex publicatis exulis ædibus pecuniæ aliquantum, & ex mulctis nonnihil redactum fuerat. In magnam itaque spem eriguntur, universa pascua brevi ad hoc exemplum publica se rursum facturos. Itaque ad hunc quidem modum pleraque factio plebem ludificata est. Circa hos dies mittuntur ex urbe duæ cohortes, quæ insulam Leccæ, quam Brederodius princeps virgultis consitam sui juris, contra ostium Rheni fecerat, vi perfoderent, eamque agmini amnis perviam sulcis in longum ductis facerent. Aliæ, quæ Ioannis Benigni Amsterodami aggerem disjicerent. Paulò sub hos dies episcopus ex Heidelberga reversus, ubi remp. spe turbatiorem offendit, nec inimicitias inter plebem & optimates, nisi rationes procederent, cõponi posse vidit, è Dorestato Batavo- *Forte Beningnh.*

 durum

durorum Ultrajectum venit. Nobilitas nihil moræ consilio, quod inter se principe absente
1525. occultè agitarant, tribuendum rata, de fœdere cum plebe ineundo proponunt. Refertur res ad rationum tribunos: non abnuunt ne illi quidem, concordiæ semper (ut ipsi dicebant) studiosi. Convenit igitur inter utrosque, ut penes Episcopum concipiendi fœderis jus & facultas esset, quodque ipse pronunciaret, id utrisque sacrosanctum haberetur: adeò ut ne ipsis quidem concordibus, inde quicquam vel mutare, vel addere liceret. Rediit paucis inde diebus, dissimulato consilio, Dorestatum. Itaque operis cautum est tabulis in sempiternam reconciliationem à principe. quarum tenorem de verbo penè ad verbum, quod fieri potuit, quàm diligentissimè adscripsi Tabularum autem, quibus populus authore senatu, principis arbitrium ratum esse voluit, ante quàm in civitatem rediit, hæc forma fuit.

Senatus populusque Ultrajectinus præsentium tabularum fide testificamur, quicquid dissidii ac controversiæ inter religionem & profanum nomen, quicquid inter nobilitatem & plebeios, & civem & convenam intra muros urbis, nemine excepto, hactenus efferbuit, id universum principis nostri Henrici Palatini præsulis Ultrajectinorum arbitrii esse jussimus: placentque eæ leges, quas ad concordiam pacemque omnem urbis justam & bonam est dicturus. Has autem quascunque fœderis conditiones jusserit, sic affirmamus, assensu consociato eorum, quorum retulerint, si sine sanguine, labefactationeque fortunarum in præsenti & olim fiant: si nemo alterius causa atrocius lædatur: ut in reconciliationis legibus amplius pronunciabitur. Nos vicissim religione obstringimus, hisque tabulis religiosius devincimus, eas ita nos exequuturos, ut nihil tam magnum sit futurum, quod impedire possit. Id autem in reconciliationis legibus inprimis exprimi volumus, ut rationes ab anno undecimo ad vigesimum quintum usque, sicut cœptæ, & quidem nullius injuria, servata legitima judicii forma, exigantur. Ad hæc, fidem nostram obstringimus, quòd senatui, ut par est & æquum, parebimus, utque semper facere consuevimus. Quod si quis contrà ierit, adversus hunc cum principe, Coss. & senatu arma induemus: quæstionibusque habitis, ut fœderis violati damnatum supplicio mulctabimus. Contendimus itaque à principe, ut quàm primum ad nos in civitatem se, his consiliis finem facturus recipiat. Nec est quòd metuat à nobis novi quid: nihil enim ab eo vel iniqui, vel absurdi postulabimus: nihil incœptabimus, quod ad tranquillitatem concordiamque perturbandam faciat. Ista ut sincerè scripta arguantur, nos Operæ binos senatores nostros exoravimus, & quorundam inopia, alios, quosque in suis operis, qui hæc communi omnium nomine subscriptione testentur. Id quod libentes volentesque ad operarum preces nos fecimus. Anno vicesimo quinto supra millesimum quingentesimum, decimo tertio Cal. Septemb.

Hæc

Hac plebis voluntate perspecta, Princeps cursu propere Ultrajectum contendit. Urgent cum religione optimates, ut sarciendæ concordiæ causa, quascunque vellet fœderis conditiones conciperet, & ad eas jurejurando affirmandas in hoc ardore utrosque adigeret, antequàm pœnitudine varii plebis animi ab eo consilio averterentur. Episcopus nihil gravatè populi postulatum suscepit: & quidem eo libentius, quod cùm nihil ultra se ad concordiam facere posse videret, haud dubiam spem ex studiis omnium ordinum colligeret, haud difficulter hac ratione eos conventuros. Edidit paucis diebus fœderis leges ingenti animorum plausu, & lætitia publica, in hæc verba.

HEnricus Palatinus. Ab initio Episcopatus mei, huc animus semper spectavit, ut pacem domi forisque haberem: & adniter indies, incumbamque in id, dum vivam, ut ditionem ocio & tranquillitate florentem conservem: maximè vero, ne illa per tumultum & discordiam, præcipuas rerumpublicarum pestes, ullum malum parturiant. Etenim quoties mecum reputo calamitatem, quoties cædes & miserias diversas, quæ ex discordia nascuntur: & contrà, quanta commoda, qui proventus, fructus, emolumenta, quæ mutua benevolentia & animorum conjunctio, quæ fœlicitas reipub. ex concordia pullulet, nihil antiquius, nihil prius duco, quàm intestinum malum ab urbe nostra propulsare. Atque utinam id integrum mihì fuisset. Vidi discordiam reipub. vidi certamina, motus magnos, vidi conjurationes ordinum inter se: quarum ardor animum meum incredibili angore discruciavit. Iam ne hoc malum ulterius serpat, grassetur ve, verùm ut consilio maturè obteratur, stat huic contentioni remedio obviam ire: bellum intestinum componere, & animos partium consociare: Sed ista quo tranquillius transigi liceat, in disquisitionem populi prius venire jussi. Operas separatim rogavi, ut quantum suæ controversiæ esset, meo arbitrio dirimendum remitteretur. Haud gravatè id factitarunt, & quidem mea summopere id desiderantis, contendentisque causa, quo injuriarum memoria omnium aboleatur. Reconciliationis leges dandas, quascunque videtur, mihi permiserunt. Addiderunt & tabulas, suo jussu, & singulis senatoribus fideliter subscriptas: quibus fœderis pacisque leges omnes, quas dabo, justas & bonas sibi fore confirmarunt. Porrò quod ad diversam factionem hominum religiosi equestrisque nominis, quorum ista ex æquo referunt, (quando id ipsum ab iis contendimus) haud minus ardenter, quicquid fœderis erit, in nostrum arbitrium pedibus concesserunt. Simili ratione datis dextris (quæ utile & necessarium esset) religiose, quicquid in fœdere exprimetur, se persequuturos, spopondere. Quoniam igitur utrinque huc conventum est, ut meo arbitrio sempiternum fœdus coeat, conditiones disceptationes inter fa-

Concordia bona.

ctiones (quod è dignitate nostra fuit) commentatus sum. pro testimoniis dixerunt ii, quos huc pressi: rem ipsam quanta maxima diligentiâ licuit, propius cognovi. Comperi quantum seditionum, tumultuum, dissidiorum in republica arsit, eorum omnium fontes è variis causis, occasionibus, calumniis, erroribus scaturivisse. Inde initia orta invicem criminandi: inde certamina, injurias, inde mutua odia emanasse: arma ad corporum & fortunarum custodiam sumpta: neminem alteri tutò se credidisse: denique lævas suspiciones ex tenuibus rebus natas omnia sacra & profana miscuisse. Ut ista componantur, actarum omnium injuriarum memoria exolescat. Positis igitur simultatibus & spirituum ferocia, amotoque certamine ut partes reconcilientur, utque urbs Ultrajectina ab internecino exitio defendatur, fœderis sempiterni leges in hanc formam concepi. Omnium autem primum placet, memoriam certaminum poni: dissidia, simultates, & odia, quæ inter homines omnis nominis, in nostra repub. exarserunt, tum autem inter eos quibus nomen aliquod in partibus per ea tempora fuit, cum omnia seditionibus colliderentur, prorsus aboleri, sempiternaque in posterum oblivione obrui ac sepeliri: & quidem iis de causis popularibus, quas paulo ante memoravi. Nemo labefactato, vel re, vel dicto nomen alterius, fortunasve: sed præterita admissa condonantor. Certamina acta per has occasiones exorta, è pectoribus, animisque eraduntor. Quicquid nostræ urbis hominum est, cujuscunque ætatis, de transactis è mala conscientia, indignationem meam in posterum aut pœnam formidare desinito. In universum admissorum omnium venia, impunitasque esto. Quantum civium est, deinceps Coss. & senatui pareto, & (ut bonorum civium est, consuevitque fieri) sponte deferat. Quin adversus hos nihil novi & præter quam decet, movetor. Nulla omnino comitia privatim, nulli cœtus occulti, nisi publico senatus consensu & authoritate, habentor: ut par est, & è more fieri assolet. Si usu eveniat, quem operarum conventum haberi: is non nisi loco designato & nutu senatus habetor. Calculi ab undecimo anno, ad præsentem usque continuantor. Quin & rationum Tribunos, nihil præter rationes jam deinceps publicè curare placet: sine in iis toti recognoscendis, conficiendisque. Adsunto illi, quorum est exequi. Hic vis omnis publica, privataque abesto. Disceptationum publicarum ditionis & controversiarum cognitio penes senatum permaneto. Tribuni nullum jus, facultatemque, quicquam inquirendi ultra impositam Provinciam usurpanto. Secundum

ista

ista edico, ne quis cujuscunque loci aut nominis sit, quive à partibus steterunt (ut paulò antè dictum est) cum adversario novum certamen capessat, injuriamvé faciat: sed pacem & amicitiam consociatis animis colat: pertinax concordia in congressu familiari & mutuis commerciis adseratur. A dicacitate, conviciis, contumeliis, in totum abstineatur. Si cui injuriarum actio adversus quem oriatur, in jus vocatio esto. Lege agito: diem dicito: de jure & injuria disceptato. judicio contendito: nec aliter. Qui advorsum ierit, ac secus fecerit, quàm in his legibus expressum est: quive unam aliquam ejus partem violaverit: quive ad cupidinem novarum rerum consurrexerit, idque adeò senatui suboleverit, stat nullo partium discrimine, hunc ipsum ut fœderis ac pacis violatorem, publicatis bonis extremo humanorum supplicio afficere. Ad id studia necessariorum nostrorum præsens auxilium ferent: ad hoc Coss. Tribuni, ordo senatorius, & consensus bonorum omnium arma induent: ut mihi privata fide interposita religiose receperunt, ubicunque extra, intrave muros ejusmodi opprimatur. Sin voluntarius populus haud segniter, è fœderis conditionibus, insigni cum laude sua ipsorum, suum officium faciat, (ut non addubito eos facturos) faxo vicissim, ut in nostram dignationem & fidem receptos pergam tueri. Talem adversus eos affectum induam, qualem est principis erga suos in rem omnium declarare. Affirmavi autem hoc fœdus, libero meo arbitrio permissum, tabulis signo nostro obsignatis, XIII. Cal. Septembr.

Episcopus fœderis leges signatis tabulis expressas, ad hanc formam operis dedit. Et videbatur facile pax, tranquillitasque hac via coitura: quòd præcipuum omnium seditionum irritatarum consilium de rationibus continuandis in his sanctionibus, ad plebis nutum perspicuè expressum esset. Tribuni rationum per hæc plebis toties expertæ inconstantiam veriti credo, principi suam fidem adversus novarum rerum concitatores obstrinxerunt. Accessit huc quoque pertinax nobilitatis consensus: huc religionis acre studium, & senatus, ad restituendam rempub. & legum vim. Princeps fœdus promulgaturus, populum in curiam suam basilicæ D. Martini & Servatoris hærentem, in concionem advocat: ubi Iacobus Mindenus de fenestra præsuli sinister, hujusmodi orationem ad conciliandos varios plebis animos compositam habuit. Quem diem sæpenumero votis, à Deo Opt. Max. videre desideravi, Cives, is hodie lætus mihi, vobis item (ut spero) candidus ac faustus, reipublicæ verò universæ annua gratulatione atque obsecrationibus festus illuxit. Is enim est, qui mihi ex animo ægritudinem sustulit: ditionem publico gaudio perfudit: urbem ab horribili seditionis fragore, serenitate inducta, tranquillavit. Quoties conspexi vos (forsitan justis de causis armatos, per templa, vias, cœmeteria, forum, comitia pervagari, tacitus apud animum meum depoposci ad supplicium eos, qui vestros animos pessimis artibus sollicitatos ad arma perpellebant. Quibus discursibus & tumultu insano, ne ipsi quidem res vestras domi haud modicè fractas diffitemini: confessis enim periculum factum est. Itaque simul atque principis libero arbitrio pacis ac concordiæ leges sanciendas ultrò permiseritis, metu omni dempto, nusquam circumspectans pavidus, sed quasi post longam jactationem procellis & turbinibus elapsus, visa procul terrâ alacrior, non possum non ad vos de salute parta verba facere. Confido vos non oscitanter adversuros animos, ubi intellexeritis ve- *Verba Mindeni ad populum.*

 stram

stram fœlicitatem. Dicam autem quo potero compendio, exuberante lætitia nimium perfusus, quanto non modò metu eversionis, sed occidionis (dicam liberè) vos, vestrasque conjuges & liberos prudentissimo consilio liberavistis. Majores nostri cum utrinque hinc ab Hollandis, inde à Gelris vicinis principibus bellis incesserentur (non enim diutius licuit quietis esse, quam illis bonum visum fuit) nihil prius contra vim habuerunt, quàm hosti benevolentia, quod fieri posset, occurrere. Erant autem haud omnino bellorum rudes: quamobrem multis prælis clarum nomen adepti fuerunt, & tamen quietem tumultui, pacem atque ocium bello anteposuerunt: ut principes vel bellorum, vel pacis artibus illustres essent. Quod si ea via nihil promoveretur, & hostis obsidione pressis, scalas & machinas muris admoveret: tum virtutem in dextera ostendere, egregiè pro aris & focis pugnare, strages edere, concordes pectora hostibus pro muris objicere. Conspicuos eos vicinis populis concordia faciebat. Etenim eâ tenues respub. à parvis initiis ad summa imperia sæpe crevere: ut contrà, urbes opibus florentes & amplissimarum rerum splendore, intestina discordia ruunt. Norant illi hæc: quapropter nobis ditissimam ditionem his artibus partam & propagatam tradiderunt, atque utinam acceptam per manus consimili gloria posteris nostris relinqueremus. Sed is demum maximus hosti terror est, id validissimum præsidium, in quod tanquam in cotem novacula, illiditur. Quàm angustis terminis circumscriptam, quàm pauperem rempub. initio habuimus, quis omnium est qui ignoret? ditionis pomœria quàm contracta? & paucos intra annos Imperatorum & regum munificentia, imò vestra concordia quàm vasta, quàm lata accepistis? quorum vix quartam hodie portionem, & tamen opulentam satis possidemus. Revolvite mecum annales rerum Vltrajectinarum: in conspectu ponite, quibus majorum nostrorum artibus ecclesiæ vestræ res auctę sint: quantis difficultatibus, sed summa ordinum concordia ab externis principibus defensæ. Adelboldus cum diu bellum detractasset, dubium ejus eventum veritus, coactus penè tandem cum Theodorico tertio ejus nominis Hollandorum Comite in pugnam descendit: sed infœliciter. nam prælio superatus, captusque ab eo in Hollandiam abductus fuit. Neque verò una aut altera adversa pugna opes nostræ accisæ fuere. Nativum id virtutis decus est, ut eo se violentius erigat, quo lacessitur magis. In tantam amplitudinem capto Adelboldo, brevi res urbis creverunt, ut ipsi potentissimis principibus essemus formidabiles: & aliis etiam suppetias tulerimus. Mox Conradus cum ejus nominis quinto Theodorico prælio congressus fuit (bellum præsuli indictum constabat, quod Godefrido Lotharingiæ duci contra eum cohortes armatas auxilio misisset) hic res Comiti impuberi ademptæ, cùm per nostrum Antistitem redditæ essent, pax facile sarta est: nam hosti formidabilior erat, quàm contemptibilior. Quantum bellum cum Herberto gessit ejusdem nominis sextus Comes? Civitatem hic etiamnum religiosam principiis bellorum, cum sex menses arcta obsidione ad Saguntinam penè famem usque pressisset: diffidens eam se ad deditionem posse compellere, omnia apparare cœpit, quibus ad expugnationem opus esset. Stabant scalæ jam muris admotæ, arietes, machinæ expeditę, acies instructæ, signum expectantes: cum Episcopus Pontificali ornatu, comitante religione, repente apertis portis intrepidus copiis in procinctu stantibus obviam procederet, Comitem diis manibus devotum fulmine percussurus. Princeps Hollandus Antistitis venerando habitu attonitus, inermem se ad ejus pedes provoluit: ac suppliciter veniam petenti, his legibus injuria condonata est, ut soluta obsidione cum exercitu è ditione Ultrajectina discederet: restitutis rebus, nunquam populo Ultrajectino arma inferret. Taceo quanta virtute insignem à Guilielmo quinto Hollandorum principe acceptam contumeliam, paulo pòst reducto exercitu victore abolevere nostri. Prætereo clades barbaricas, quibus cum civitas non semel ab Hunis, Danis, Nortmannis, Phrysiis perinde deleta esset, atque à Græcis olim Troja, ab Alexandro Thebæ, ab Annibale Saguntus, à Mumio Corinthus, Alba à Tullo: tamen concordes id annixi fuere, ut & ampliorem & splendidiorem ditionem pararent: paratam ad nos transmitterent. Vndicarunt egregia sua virtute ab hostium injuria Imperatorum profusa ac prodiga in vos monumenta: quæ quidem hodie jus vestrum exivissent, nisi concors majorum virtus dextrâ & ferro retinuisset. Eadem cives, quibus artibus incolumia illi conservarunt, iisdem & nobis defendenda sunt. Talem igitur rempub. si in ocio certatim foveritis, nullus hostis exoriri poterit tam gravis, qui eam obterat. Sin Ate aliqua in partes vos divellat, gloriam & fœlicitatem vestram, per inferam Germaniam conspicuam, quæ hactenus incolumes mansêre, perditum ibitis. Libet oculis exponere deformem discordiæ pestem, non ob aliud,

Benevolentia hosti occurrendum nonnunquã.

Concordię bona.

Discordia florentissimarum rerũ pestis.

Adelboldi Episcopi bellum cum Hollandis.

Virtus pressa se erigit.

Herberti Episcopi authoritas & magnanimitas.

quam ut ea urbe propulsata, & memoria quorundam temporum tacta, fœdus pacemque fa-
ctam sanctè deinceps colatis. Monstrum est, quo terra nullum procreat fœdius, nullum de-
testabilius. Parentes concitat in liberos, quos nullum fœdus domesticum quamvis arctum
satis potest adjungere. Germanos inter se committit: nihil pensi habet, quid misceat, dum
omnia transversa agat. Omnia in civitatibus, ingeniis nativis præclara invertit, ne cœtus
hominum, qui ad societatem colendam convenerunt, possint in unius populi corpus coalesce-
re. Dominatio multorum exitiabilis est, inquit poëta: at hæc per speciem juvandæ reipub.
omnes ad dominandum extimulat, ut quot sint capita, tot rectores habeantur: & dum simul
dominari laborant, fit, ut nullus omnino sit magistratus: citra cujus authoritatem & impe-
rium nulla regna, nullæ civitates conservantur: sed legibus dissoluta immanium beluarum
more omnia feruntur, aguntu rque. Ibi cædes, latrocinia perpetrari necesse est: ibi undique
insidias strui, dolos necti, pro libidine omnia geri: quando metus, quo ista prohiberentur, ab-
est. Nunc non disputo de lucro è mercimoniis, & quæstu: quæ per deos immortales quanta
forent, ubi neque legibus viveretur, neque vis, neque flagitia suppliciis cohercerentur? No-
mades plaustris degentes fuisse legimus, qui incertis sedibus, nullis legibus ferarum more
semper vagabantur. Vtrum igitur magis è Repub. sit ducendum, authoritati, imperioq; magi-
stratus concordi repub. parêre, an nihil sani sapere, ultimo exitio per seditionem paratos, æ-
stimationem vobis permitto. Redeo ad id unde digressus sum. Cum igitur in magna glo-
ria & opibus semper res Vltrajectina per concordiæ vinculum esset, simul & militari gloria
floreret, operæpretium est cognoscere, ut vires nostræ in sese aliquando per dissidium inte-
stinum ruerint: hostibus prædę, ditioni calamitati atque vastationi extiterint. Possem ex-
terna alioqui, possem item remotiora exempla domestica commemorare: verùm ea attin-
gam solum, quæ vel vestræ adhuc memoriæ, vel parentum hærent: quo perspicuum sit, ini-
tium turbandi omnia atque miscendi, ab intestino malo ortum. Tragici mali exemplum fuit
Lichtenbergensis factio, quæ ut à parvis initiis cœpit, sic urbem & Hollandos in atrox bel-
lum conjecit. Adjutus ad facinus perpetrandum opibus Suederi Montfortii, Huberti Tia-
nensis, & Ioannis Linschotiorum præfecti, dolo ac fraude minimè Ultrajectinâ Iacobus Lich-
tenbergensis captum Episcopum Gulielmum domi suę tenuit. Conspiratur à rusticorum
multitudine: undique factioni dolus, insidiæque nectuntur. Collegit interea se ex agris ju-
venum robur, cum jam annum fermè in custodia proconsulis fuisset: atque alii aliis viis ur-
bem instantes, in domum Lichtenbergi impetu facto, principem liberarunt. Sequitur bel-
lum ab exule Episcopo indictum: & paratur communiter utrinque. Occurrit Iacobus Lich-
tenbergus principi in Hooch Wœrda, fit acerrimum prælium magna utriusque clade: cadit
per adversum pectus transfixus Episcopus. monumentum cædis adhuc extat. Excepit inte-
stinum malum externum statim bellum grave & ingens: quo, cæso Archidiacono Guielmo
* è Comitibus Hornensibus, & pleraque nobilitate, capitur Guido Episcopus. Nec conti-
nuit se pestis, nullis quantumvis fœdis cladibus exaturata. oritur sub hæc intra urbem iterum
seditio: qua ex composito, ab adversa factione vi exuscitata, trucidatur Iacobus Lichtenber-
gus, cum aliquanta suorum parte: & quidem contra fœdus. At hoc recentius est, cum Sou-
denbalchiana gens duce Henrico Montfortio ad dimicandum instructa è Palatio descenderet:
acerriméque inter Castrensem & Romanum pontem cum inimicis dimicans, magna clade
affectos eos per adversam portam expelleret. Timor sublatus, exacta factione, videbatur:
sed jacta ad bella solum erat alea. Comprehensus Montfortiorum heros ab Episcopo, in cu-
stodia paulo pòst tenetur. Mox inde amicorum fide & Montfortiorum civium virtute sep-
tus Henricus Niveldius, urbem armatus noctu cum parva manu ex Amorfortia profectus in-
trat, captum vinculis eximit, ipsum Antistitem ultimo supplicio affecturus, nisi inter pug-
nandum in prætorio vico ictu globi in vulnus corruisset. An non hic fortuna, imò fatum do-
minabatur? Captum Davidem, varietatis rerum humanarum parum memorem, Amorfor-
tiam relegant. Et præclarè cum nostra repub. actum videbatur, cum capto turbarum au-
thore, (ut tum ferebant) bonis restituta esset. Adfuit brevi supplicii exactor Maximilianus
rex, qui vos obsidione longa cinctos, ad ultimum ad quaslibet pacis leges compulit. Tradi-
tur Friderico Egmondano custodienda adversus rebellionem porta Catharliniana, machinis
vestris seclusis, fossa munita. Vilissima mancipia in ditione Burgundionum, sub sacrificulo
Episcopo eratis. Capitalis dies dicebatur ei, qui per imprudentiam vocem inclementiorem
adversus tyrannidem effutivisset. Mitto alia, quæ non operæ est referre, ex domestica dis-

Dominatio multorum exitialis.

Guilhelmus Machliniensis Episcop. Vltraj. à Iacobo Lichtenbergio captus, ab Harmanno Fresio capite adversæ partis liberatur.

hęc factio sub Arkelio Antistite, nondū extincta sed iterum à Gunterlingis resuscitata fuit.

** E Satrapis: non sunt enim eo tempore Hornenses Comites.*

Schoutensteech.

David Episcopus captus.

Maximilianus Dux Austriæ Vltrajectinos oppugnat.

cordia tamen nata omnia. At recuperata porta, frustra (quia rempub. consociabant) Egmondanus alias atque alias insidias, proditiones, & dolos postea urbi nexuit. Ex turbido itaque cœlo in serenam lucem vos hodie maturè evasistis: at disperеam, nisi multis argumentis similes tempestates exorituras brevi, fuisset colligere, si perrexisset ista vestra rabies amplius convalescere. Æternas nostræ reipub. opes, si in percusso fœdere perseveremus. nam dissidia & factiones sunt venena, eaque (ut quidam disertè dixit) una opulentis civitatibus labes reperta est, citra quam imperia forent immortalia. Præclara sententia, quam ô dii immortales, utinam omnes saperemus. Sed illuc revertar. Nonne spectaculo estis theatro finitimarum regionum? nonne taciti in sinu rident vestram ingruentem eversionem? Exules vestros ad cœlum vehunt, quorum prudentia clamant, semper cautum, ne intestinis seditionibus sit tumultuatum: nunc rempub. magistro atque clavo orbatam sursum deorsum jactari. Hæ illorum voces passim audiuntur: & vix audeo apertis verbis argumenta proloqui, quibus auguror eos hoc agere, ut intestinus furor vobis externum bellum gignat. Vtinam Iani essetis omnes. Quid sibi vult aliud, quòd vos ad insueta vectigalia in mercatibus adigere annituntur? Quid, quòd civem retinent? quòd merces vestras bonaque publicè possident? Quid, quòd agros, paludes, usurarios redditus in omnibus locis manu consertum vocant? Quid, quòd sponsionem recusant? Nimirum perspiciunt callidi homines, omnia æqua & iniqua non solum vobis inter vos diffidentibus extorqueri posse, (quid enim facilus?) verumetiam opportunitatem dari, ut eadem via de urbis possessione judicio contendant, vel armis: scilicet ut vobis unà cum sacris & profanis potiantur. An non huc dementiæ properastis? Nota vox Philippi cognomento Boni est, cum de paludibus contenderetur: futurum, ut eas non in cardinibus regnorum, sed sub turri (proh superi) Martiniana effoderet. Creditis tum, ubi in eorum ditionem concessistis, spem finiendi mali adfuturam? Imò duplicabitur: nihil enim dulcedine libertatis gustata, servitute durius. Atque hæc denunciavit vobis civilis discordia. Sed maturè resipuistis: quæ res affirmat mihi, claram æternamque rempub. ad posteros, formidolosam vicinis principibus fore. Itaquæ lætor, vosmet secedendi libertatem vobis ademisse: & quòd datis dextris fidem perpetuæ concordię sanxistis, id utile erit ditioni, & cum immortali gloria conjunctum. Ad hunc quidem modum Mindenus: simul tabulas sanciti fœderis è gremio extractas, resolutasque ostendit, ac tribunis tradidit. Postero die mane Tribuni rationum in curiam coguntur, ubi datis dextris coram Episcopo concordiæ fœderisque vinculum sanxerunt. Adacti sunt super hæc jurejurando, subscriptis tabulis affirmare, se senatui adjutores adversus seditionis concitatores, & fœderis violatores in curia Pontificia (qui locus ibi omnis ordinis mortalibus designatus est) adfuturos; pœnam de novarum rerum authoribus sine mora sumerent. In Episcopi verba juratum est. Vicissim princeps fidem Trib. suam adstrinxit, nunquàm se rempub. deserturum. Brevi quàm hæc in urbe confecta sunt, Wicam Batavodurorum in arcem se recepit.

Dissidia civitatum labes.

Philippi Boni vox insolens.

Servitus quando durissima.

LAM-

LAMBERTI HORTENSII RERVM VLTRAIECTINARVM

Liber Tertius.

PAX interim per aliquot menses, mitigatâ his artibus discordiâ, domi forisque fuit. Sed quamvis per recens ictum fœdus, quantum discordiæ fuerat, compositum videbatur, feroces quorundam spiritus, ocio per diutinam comitia habendi licentiam, desueti, haud tamen quieverunt. Advertebant hoc consilium, quod in pacis leges concessum esset ab optimatibus & religione ex industria deludatum fuisse, non tam publicæ utilitatis gratia, quàm ut lupato plebi injecto, soli ipsi dominarentur. Paulatim igitur dolere cœpit, jugum induisse. Oriuntur interim acerbæ simultates, eoque indigniores, quo ægrius erat, sub legibus & magistratus imperio vivendum esse: ex composito se lusos ab iis, quos haud ita pridem ipsi in senatum legissent: in se non solum illos, verumetiam omnes ordines conjurasse: auctam, non diminutam servitutem: tolerabiliorem Soudenbalchianam dominationem fuisse, quàm horum tyrannidem: denique de iis revocandis, quos nuper exules esse jusserant, consilia agitare: quocunque modo fœdus factum distinere. Contrà illi pauci quidem, sed manibus prompti, & vigentes corporibus, quos antè dixi à prima secessione, nobilium & religionis factionem semper tutatos, negare id citra dimicationem futurum. In hac autem animorum dissensione, & irarum certamine, utrique alteris huc insidiantur, ut in discrimen violatę pacis mutuò se conjicerent. Et nusquam deest hortator ad præbendam materiam inimicis. Fortè crepusculo diei ita accidit, ut præter spem quaterni repleti vino ac cibo, in publico ab utraque factione sibi obviarent. A religionis & optimatum partibus erant Michaël pistor, Gerardus Noviomagus cultrarius, Cornelius Hackius, Harmannus Oestromus: plebeii, Gosuinus Amorsortius pictor, Arnoldus & Ioannes Sandanus germani, Wolterus Damiæus: cum quibus post paululum se conjunxit Gualterus, Theodorici filius, audacia & virtute pares, & principes partium. Primo statim occursu neutri alteris de via cedunt: neutri pedem referunt: pro comi salutatione, convicia utrimque magnis clamoribus jactantur. Res inde ad manus venit, pugnaturque acerrimè. Plebeii ad postremum Damiæo & Ioanne Sandano vulneratis, postquàm aliorum impetum diutius se ferre posse desperarunt, & violenta impressione jam loco pulsi, emotique essent, faciunt fugam. Alii, ne in fuga contractis auxiliis ferocius pugnam iterum lacesserent, palantes sursum deorsum insequuntur. Nec antè insequendi finis fuit, quàm in domos quisque suas compulsi essent. Concordiæ ac pacis fœdere per istam dimicationem violato, cura senatum incessit: nec fœdifragos plebeios metu plebis, cui invisi ob concordiæ conditiones esse cœperant, arripere ausi fuerunt. Addidit facinorosis audaciam Consulis favor, qui ex composito religioni & optimatibus infestus erat. Itaque certatim indies vires confirmare: invicem perjurii arcessere: rupti fœderis criminari. Utrisque erant sui ad capitis diem dicendum, & ad vadandum instigatores: eratque ingens certamen non solum de pugna lacessita, sed etiam utri priores convicia dixissent. Neutri, ad tuendum factionis suæ nomen, & demendam ignominiam, vadimonium detrectant. Pistor cum suis in portam Cathariniauam prior se recepit. Pictor in carcerem posterior, quod Macellum appellatur, voluntarius vadit. Senatus plebem metuens, literas dat ad Episcopum, qui per hos dies in Transiselanis erat, de authoribus violatæ concordiæ, ut reditum, quantum posset, Ultrajectum, priusquàm malum gliscens se reciperet, maturaret. Princeps per literas ilico in vinculis illos asservari in suum adventum mandat: constituens, ubi inde reversus esset, tormentis de facinoris authoribus quæstiones habere, capitisque in eos animadvertere. Responsum atrox principis relatum, haud secretò apud senatum hæsit, pervulgatumque statim tota urbe est: verum capitis vadatos nihil planè conterruit. Et profectò sequuta fuisset animadversio severior, quàm tempora & reipub. status postulabat, si principis adventus statim à patrato facinore eos recenti ira oppressisset. At partes vehementer è patrati sceleris conscientia pro suis solliciti, tametsi certamine magno ab sese crimen prius

Inquieta civitatis ingenia.

prius provocatæ pugnę averterent) ne reverso Episcopo, qui in horas expectabatur, in gravius discrimen deducerentur, contemptis icti fœderis legibus, spreto ordinum consensu, & authoritate, cum telo tumultuose tota urbe in cœmeterium divi Ioannis quartùm secedunt. D.ssonis invidem ibi criminantium clamoribus, tuentiumque suos disceptatur: diuque in ira & odio perseveratum, ne indicta causa pendentes rei damnarentur: sed arte agendo, dum ira justa principis vetustate exolesceret, huc à consentiente omni multitudine itum est: ut vadati utrique è publicis custodiis ita sua fide domos suas dimitterentur, ut comperendinatis vadimonium sistendi differretur. Atque hac in re perspicuè apparebat, animos plebis per sanctum fœdus irritatos magis quàm fractos fuisse, redditosque multo quàm antea ferociores. Michaël pistor accepto populi jussu cum suo sodalitio prior ac libens è porta abiit. Plebeii primum aliquandiu in adserenda vadatione perseverarunt, abnueruntque carcere exire. Precibus ad postremum suorum inducti, protestantur, se inde non supplicii metu conterritos, nec conscientia violatæ pacis ictos, sed jussu populi abire: nec ut sordidatos reos vadimonium deserere, sed eòdem reversuros, causamque in vinculis dicturos, cum à principe juberentur, & ad antestandum citarentur. Et in hoc quidem statu res erant Ultrajectinorum: Transmontanis inter hæc Amorfortiis, tametsi domi res essent quietæ; per vicinam tamen pestem concesso ocio ex sententia frui non licuit. Erat Amorfortium nomen ob agrariæ pecuniæ constitutionem apud principem non solum invidiosum, verumetiam ominosum. Exaggerabatur indies ejus odium calumniis aliis atque aliis, quarum nimis credulus princeps postea ipse sibi pœnarum exactor fuit. Ingeniorum loci, & cordati populi ignarus, infestissime eos odisse cœpit. Legationes illorum aliquandiu admittere noluit, animumque jamdudum ad vindictam adjecit. Oppidum itaque sæpe insidiis aggresso, frustra incœptum fuit. Tantum apud prudentem Episcopum valuerunt paucorum consilia, & privata per id temporis invidia. Edixit præfecto arcis Amisianę, & prætoribus ejus ditionis, ut in Amorfortiorum agrorum cultores agrarios vectigal constituerent, dissimulans interim suo id jussu fieri. Concurrunt totis agris coloni properè in civitatem, quasi amentes: querimonias suas ad dominos fundorum, quid in se immeritos à prætoribus paganis tentaretur, deferunt. Cogitur senatus tumultuose, dant literas illico ad rusticarum jurisditionum prætores, in primis autem ad Præfectum præsidii, in hæc verba.

Secessio quarta.

Aliquid mali propter vicinum malum.

Viderent etiam atque etiam, quam rem agitarent: per novam hanc, pecuniam colonis suis imperandi formam, sibi vim fieri, jura libertatemque pop. Amorfortii violari. Non commissuros se agros juris Amorfortii vectigales ipsorum aut cujusquam libidini fore.

Præfectus rem illico ad Antistitem defert, cum exaggeratione querimoniarum: id quod proclive illi erat apud nominis Amorfortii jamdudum apertum penè hostem. Criminationes autem omnes ferè ex vano erant. His calumniis Episcopus multo in illos magis accensus fuit: visaque res indignationis plena, quæ sibi & prætoribus in posterum insigni damno foret. Scripsit ex suorum consilio literas ad Amorfortium senatum, quæ lectæ in hanc ferè sunt sententiam. Populum Amorfortium indies apud se ab hominibus utriusque nominis religiosi & profani de vi criminari: qua cognosceret suam jurisditionem non modicè lædi, & majestatem imminui: se tamen haud ita temere induci, ut delatoribus quibuslibet fidem suam accommodaret. Agerent itaque de legatis ad se mittendis, per quos se, de iis quæ objici possent, purgarent. Condixit item diem, ad quem legatis audiendis sese daturus esset. Legati mittuntur, Nicolaus Gerardi filius, & Petrus Hardefeltius. Hi Amorfortia profecti ad Cal. Novemb. Dorestatum venere. Acciti in prætorium interius (ubi Episcopus cum nobilitate primaria ab intimis consiliis sedebat) nihil benigniter illis (uti antè consueverat) suum adventum princeps gratulatur, sed torvo obtutu perinde atque hostes intromissos recipit. Dexter Iacobus Mindenus assedit, lævus libellorum magister, quem vulgo Cancellarium appellant. Inde utrinque Fredericus Seldenackerus, Gysbertus Hardenbrochus, Hadrianus Rhedius, præterque hos unus & item alter. Ibi Mindenus vehementis vir ingenii, & reliquis non paulo facundior, (ut sæpe antè dictum est) oratione præparata acerrime in Amorfortios invehitur: ut

tur: ut si hostilia moliti fuissent, nihil quicquam acerbius addere potuisset. Telam omnium eorum, quibus principis majestatem in speciem imminuisse visi fuerant, ordine à principio ad finem contexere exorditur: ea elevans, exaggeransque, quantum dicendo valet. Primum omnium objecit, haud diu esse, quod Susatenos aliquos è principis jurisditione per lictorem intra muros retinuissent, ob nihil aliud, quàm quod ad constitutum inter suos vectigal (quemadmodum in aliis pagis factitatum fuerat) ibi contribuissent: quamobrem retentis grandem multam edixissent. Quam quidem contumeliam, quod ipsi jus multandi eos qui extra urbes agerent, usurpassent, principi haudquaquam ferendam esse, sed ære pensandam, perinde ac si res abstulissent. In literis haud ita pridem à senatu ad Episcopum datis, ejus nomen perspicuè à scriba læsum: quasi per vim, nullo jure Amorfortiani prædii colonum nuper arripuisset. His acceptis legati ad colloquendum pariter & deliberandum paulisper, quid ad ea præmeditatè responderent, pace principis, egrediuntur. Post paulò intro reversi, disertè objecta refutarunt: expurgantes in primis senatum, qui semper illius majestatem, quod licuit, à factione asseruisset, nedum hic imminueret. Accepta expurgatione legatorum, perrexit Mindenus (uti incœperat) historiam criminationum pertexere. Super hæc quotidie eos plebem rure in civitatem extractam, ad sistendum cogere: diem apud judicem urbanum dicere; indicta causa statim damnare, mulctareque, ut libitum esset. Quoniam ista superbè ad lacessendum principi stomachum patrata constaret, justè eum in illos hostilem spiritum induere, qui hostium speciem præberent: certum esse, non tolerare diutius se pro delectamento haberi. His moribus damnum insigne dari. Municipiorum numerum (inquit) indies augetis magno principis dispendio, ne in eos jus præfecto præsidii Amisiani imperiumve sit. Vult igitur, ea de causa numerum eorum pariter & nomina in indicem relata cognoscere. His delatis quid expetat, poscatve videbitis. Colonis vestris maximè sub Luesdana prætura prohibuistis, ne diebus judiciorum à prætore pro imperio ad constituendum judicium venire jussi, pareant, præter consuetudinem, quæ haud nuper ibi recepta est. ut ex Ioanne Fonckio prætore loci, & cive Amorfortio pridem accepi: & querimonias suas de vobis detulit. Accedit ad ægram principis mentem & hoc. ex illius mandato prætor Luesdanus constitutionem vectigalem nuper cum in sua provincia collecturus esset, edicto cavistis publicè, ne ad eum, sed vestrum quæstorem episcopo pernumeranda deferretur. Aqua & igni super hæc Ioannem Fonckium interdicere voluistis, quòd quosdam agrarios fundi Amorfortii colonos Ultrajectum ad forum ecclesiasticum in jus ob id vocarit, quòd pensionem è liberalitate ultronea in singulos annos ei dari solitam, non pependissent: nam ea se redimunt, ne diebus operosis juri dicundo adesse teneantur. Paululum in senatu addubitatum fuit, num hac de causa urbe pelleretur. Insignis contumelia fuit, quòd per vos stetit, quo minus licuit Episcopi Vicario extremum juris adversus Euangelicos fratres Ioannitas persequi: à quo eos defendistis. Postremò, quid hoc aliud est, quàm oblatum auxilium iis qui principi oppedunt? maximè, cum Arnoldus Dolrerius Consul obstaret, ne viator in Hœchlandios missus cum iis jure ageret, qui imperatam pecuniam nondum solverant: iisque multatitium pignus auferret. Objecit præter hæc nonnulla alia perlevis momenti in speciem admissa: ut ad hunc modum captatis occasionibus Amorfortios percelleret, resque in suburbana eorum ditione novo more pro libidine novaret. Ad ea legati modestè, quantum ex tempore impræmeditatis facultas suggessit. Effectum id interim est, ut actiones, & criminationum capita scripto traderentur. Regressi Amorfortiam, rem ad senatum referunt. Nec operosum sanè fuit, calumnias verius, quàm criminationes, omnia perperam interpretantium diluere, & earum aliquas accusando exaggeratas, molliori interpretatione lenire. Scripto itaque Episcopo ad singula respondetur, verùm serius aliquanto. nam paulo quam literæ Dorestatum adferrentur, populo Wicano clam, Transiselanos petiverat cum modico equitatu. Incidit hoc iter circa Cal. Novembres. Obnupto capite, ignotoque habitu per Amorfortiam, (ne proditus Gelro opportunus foret) profectus, sequenti nocte in Scura pro populariter nobili nomine divertit. Paululum ibi somno ac cibo potuque recreatus, sub lucem conscenso equo, circa medium diei celeriter Daventriam pervenit. Quatriduo post dux Wolfgangus Episcopi frater, cum reliquo equitatu eum sequutus est. Hæsit in Transiselanis inde usque ad Cal. Martias insequentis anni, qui vigesimus sextus erat supra M.D. Unde iterum in superam Germaniam abiit, nemine itineris certiore facto, penes quem in tanta inferæ ditionis rerum varietate, cura reipub. esset: cum superiores principes regni fines & septa egressuri, soleant in ordinum conventu, quem

Mindeni Oratio Invectiva contra Amorfortios.

1526. Episcopus redit in Germaniam. Pontanus lib. xi fol. 716.

quem haberent, curam & pontificias vices ipsis deferre, ne negocia obeunda & rerum administratio desereretur. Quapropter variè id à male feriatis hominibus acceptum fuit, aliis aliorum occultum abitum interpretantibus. Mansit in Germania à Cal. Martiis menses plus sex. cum in tantum iterum Ultrajecti fax seditionis se reciperet, ut metus esset, ne intestina rabies bellum externum excieret: tametsi plus irarum quàm injuriarum esset. Pulso igitur legum plebs ac suppliciorum metu, comperendinatos fœderis violatores religione absolvit: ferox populus ocii desuetudine omnem lapidem movet, ut per occasionem summa imis commutaret. At religio obsequendo omnia facere, quæ ad pacem retinendam adjuvarent, blandimentis mitigare, speciosis verbis extrahere, rationes ex pacto exequi: quo princeps redux utcunque pacatum civitatis statum inveniret. Canisio principio anni Cal. Feb. prorogatus est Consulatus præter morem. Ioannes Vordius, quia continuari abnuit, magistratu abiit: cui sufficitur Ioannes Walanus. Multi tribunorum se magistratu abdicarunt. Hoc anno Amorfortiæ Coss. facti, Nicolaus Ioannis filius, & Everardus Donsilerus. His temporibus principi ab Roma suus confirmatur Episcopatus: ad quem usque diem à Philippi obitu Consul primarius in civitate jus proprætor dixerat, ac vices imperatorias in hoc magistratu obierat. Traditum fuit (ut accepi) id privilegii Ultrajectinis à Cæsare Wenceslao. Idem factum Amorfortiæ, è consuetudine magis ab Episcopis longa serie affirmata, quàm privilegio. Redit inter hæc Dorestatum è Germania præsul quinto Cal. Novemb. Ibi haud diu commoratus, ad septimum Idus Nov. (quia aliis super alias literis accersebatur) Ultrajectum cum ingenti ordinum lætitia & effusa gratulatione venit. Aliquot ibi diebus gratulando, comessandoque magis, quàm ordinandæ reipub. cura absumptis, in gravem & periculosam valetudinem incidit. Descendens ad animum quàm parum tutum & odiosum foret, ibi decumbere, ubi ab armis & fremitu nulla quies erat, tertio Idus Novemb. Dorestratum se recepit. Quam variè de ejus morbo repentino per eam tempestatem suspiciones jactabantur, non operæ est referre. multi certè huc trahebantur, ut crederent veneni potione languorem obortum: quod quia parum efficax erat, & minus præsens, valetudinem adversam & morbum diuturniorem fecisse. Equidem nihil habeo quod pro comperto ausim affirmare. Ultrajecto discedens duos Vicarios reliquit, Iacobum Mindenum & Ernestum Amerongum: penes quos omnium momento caussarum esse jussit: summa item potestas sciscendi, edicendi, promulgandi, delicta corrigendi foret. In universum his demandatum, ut obeuntes per omnia principis vices, viderent ne quid detrimenti respub. caperet. Toti hi in remp. intenti, nusquàm ex urbe discedunt, si eam authoritate magis & clementia, quàm imperio, ab armis, & in armorum desuetudine continerent. Stimularunt eorum animos quoque gloriæ studium, & apud posteros laudis amor, si pacis & concordiæ artibus remp. restituere valuissent. Paulo sub hæc, quæ aliquot menses quieverat controversia de paludibus, deque utriusque regionis cardinibus ab Holl. iterata est. Quoniam autem ea quæ ad hanc disceptationem pertinent, haud perinde multis nota sunt: operæprecium videtur excedere paululum ad veteris hujus certaminis causam (quia frequenter nobis de eo mentio fuit) enarrandam: ne cum rebus, memoria disceptationis tam memorabilis ad posteros aboleat. Anno septuagesimo primo & secundo supra M. CCCC. in aula Burgundica assentatores quidam erant (quod genus hominibus omnium ferè principum aulæ sunt refertæ) qui gratiam apud Carolum Ducem inituri (qui à rerum gestarum magnitudine Magnus cognomento fuit dictus) illi persuaserant, interiores paludes Goylandici juris, aut certè dubiæ possessionis esse. Speciose dictum magis, quàm verè. Persuasum fuit haud difficulter, quippe bellicoso principi, bello & gloriæ & ad amplificandum Burgundorum imperium nato. Eas mox ex jure manu consertum vocat. (nihil de hoc certamine ferè antiquius) Disceptatur inter ipsum & Davidem de jure finium, magna vi. Ille studio recuperandi amissas paludes, ut persuasus erat: hic vindicandi tuendique cura, quæ suæ ditionis per tot annorum possessionem essent. Ad postremum, ut certaminis aliquando finis foret, uterque arbitrium ejusdem regni & linguæ consultissimis viris, & libellorum magistro tanquam primario arbitrii disceptatori defert. Apud hos cum Provincialis Curator Ducis nomine, de regnorum terminis, argumentis ac testimoniis certare contenderet, nihil comperti de terminatione paludum affirmare valuit. Contrà David Episcopus cum ordinibus ditionis, limites suos naviter, tabularum fide, quas ab Imperatoribus, ipsisque Hollandorum Comitibus de cardinibus habebant, nixus, defendere. Adducti ad hæc octuaginta è capularibus locorum testes. Prolata item sunt & acta haud pauca, quæ de eadem

Anno 1526 In Febr. Cõsules Knyff & Iohannes de Wael.

Videatur illud diploma apud Hedam in Florentio Episc. 252.

De limitibus juxta Goylandiam.

Assentatores in aulis principum frequentes.

de eadem controversia extabant: allegata possessio: producti in rem præsentem. Curator provincialis advertens futurum, ut arbitri in consilium mitterentur, jamque censerent, conterritus, ad demendum principi dedecus, in eam verecundiam adductus est, ut arbitrariam sententiæ pronunciationem persequi desisteret, & studio per suam negligentiam obliterari pateretur. Iam inde semper Episcopi & ordines Ultrajectini in pristina possessione quievere: & in tot seculorum serie, nullo infestatore pacati fuerunt. Itaque anno vicesimosexto (ut cœptum est narrari) ea lis de jure finium denuò edicto adversus præsulem edito à Burgundionibus renovatur. Ex ordinibus mittuntur Emnessam cis aggerem legati: eò evocantur & Amorfortii, cum quibusdam civibus, quibus in iis regionibus fundi erant, in rem præsentem: simul adessent in notandis utriusque regionis cardinibus. Huc adhibuerunt Ultrajectini paludum locorumque Amisianæ ditionis in plano descriptionem, quæ posteris temporibus in nostrum jus concessit. Hæc ita parata erat, ut in ea paludum ordo contineretur. In radice montis, Amorfortia ad ortum. Ultrajectum ad occasum cum finitimis agris sic depositum erat, ut hinc Vechta amnis, illinc Amisium in mare se effundens, interiora vicorum, paludum, oppidorumque utriusque nominis duobus quasi brachiis complecteretur. Discurrebant lineæ discriminatrices cardinum, quibus regiones distinguebantur. fossa item pone Emnessam citeriorem in turri Martinianæ directè opposita, cardo utriusque ditionis. Hujus autem chartæ ope adjuti, cardines, quos plebs incola rusticorum antiqua appellatione Leuvepalum nominat; & Raiam, ad vetustum soli jus vindicandum accuratè notarunt. Principum ad disceptandum de regnorum limitibus conventus Schœnhoviæ inter hæc habetur acciti huc sunt quoque Ultrajectinorum ordines: & nihil aliud hic quam disputatum est ad altercationes usque, de Ultrajectinorum injuria, contumelia, & insolentia: quod longè ditissimam partem palustris soli Goylandorum regioni ablatam; tot secula nullo jure possedissent. Reposcere itaque se, præter ipsius fundi jus, aliquot seculorum fœnus, quod in immensam & intolerabilem auri vim excrevisset. Ordine jus finium validis argumentis tueri, tabularum testimonia, annorum supra præscriptum, possessionem: arbitrii desertionem (qua vel sola in fraudem incidere adversarii potuissent) producere. Adhibita est & illa chorographia in re quasi præsenti, de qua paulo antè dictum est. Adduxerunt veterem & hodie adhuc durantem distinctorum in iis regionibus terminorum nomenclaturam. Quæ argumenta liquidò limites arguerent, & controversiam omnem exemissent. Redeunt ordinum legati rebus interea infectis domum. Ad hunc modum cum diu certatum esset, eò denique deducta res est à Burgundis, ut proponeretur de deferendo ad sequestrum certamine: interea tantisper à fodiendis paludibus desisteretur. dum constituta disceptatio finita esset. Paucis pòst diebus Margarita regnorum præses literas ad ordines Ultrajectinos dat: quæ in concione extemplò recitatæ in hanc sententiam sunt. Quoniam in conventu Schœnhoviano nuper ita convenisset; ne paludes Goylandicæ effoderentur; ni sequestrata re litem confectam haberent: Scirent itaque, eas se manu consertum iterum vocare. Responsum ab ordinibus, sibi non liquere, ubi homines Ultrajectinæ ditionis, fodiendo alienum fundum, jus Goylandorum usurpassent: certè in confessione omnium mortalium esse hactenus intra diœcesis limites, suas paludes, quarum jus, sine ullo cum quoquam certamine, penes se hactenus fuisset, se fodisse: neque commissuros se hanc causam sua inertia ita obliteratam ad posteros cum perpetuo ipsorum certamine, & suo immortali dedecore transmitti. De sequestro verò non liquere in conventu quicquam decretum fuisse: nisi quod ægris animis hac lege discessum esset, ut domos reversi, rem integram ad suos referrent. Cum autem neque scribendi, neque infestandi finem facerent, ordines per viatorem ad summum imperii judicium provocationem fecere. Res quo minus expectata erat, eo doluit Hollandis magis. Provocationem tamen haud recusarunt: cum mallent alioqui certamen intra ditionis septa componi. Literas mox paulo Florentius dat ad Basilicæ primariæ Decanum, expostulationum & stomachi plenas: provocationes id genus in Burgundionum regionibus inusitatas: cum lites, si quæ cum finitimis populis coorirentur de jure injuriave, intrà eas dissecari consuevisent. Per hanc provocationem, contra morem majorum adversus Cæsarem factam, ejus majestatem imminui: ansam hinc vindictæ nasci posse, & concitari aliquam tempestatem. Hinc manus injectiones, hinc publicas bonorum & usurarum possessiones exorituras. Itaque ex amicis Imperatori inimici fierent. Proinde antequam illius iram in se vertant, si rebus suis bene consultum cuperent, rem integram ad arbitros deferrent,

Raia Hollandicæ.

ferrent, sequestrosve ponerent. Sedato paululum pavore inter hæc, nova injuria ab Hollandis proficiscitur. Viatores duo, qui ad provocandum missi erant, Mechliniæ contra jus gentium violantur: arrepti in carcerem ducuntur. Tertiùm, mox quàm hæc agerentur, & paulo pòst quartùm cum edicto literæ mittuntur, ut à fodiendo desisteretur. Simul denunciatur, ut Iselæ vadosum fundum, & Rheni oblimatum alveum effossionibus perpurgarent. Mota lis simul damni infecti, ad id farciendum, quod Amsterodami, per Hinderdamum, vi fluminis illorum negligentia fractum pridem acceperant. Indignantibus Ultrajectinis importunè omnia ista simul moveri, cum nuper in conventu Schoenhoviano placuisset, novam disceptationem Iselsteinæ de iis rebus constituendam esse: interea de iis supersedendum. Quare ad singula per literas responderunt. Deinde remissius omnia Burgundi agentes, causam paludum negligere occœperunt: dimittuntur interim viatores domum è carcere. Externam inquietationem intestina procella suscepit. Mediis his temporibus, quibus foris ab Hollandis exercebantur, domi sic satis placida ac quieta omnia fuerant. In concordiæ legibus expressum erat, ut summa cura Tribuni rationes continuarent: & multati quidem jam multi erant. Iamque cœperant religiosorum & equestrium rationes dispungere. Hi obscuram atque humilem multitudinem blandimentis ludificando, causas quærere cœperunt, ne in fortunarum naufragium, & sempiternum nominis dedecus (id quod videbatur futurum) venirent. Pro se quisque annititur, ut quacunque via posset fieri, rationes abrumperentur. Mindenus ut cognatos periculo, quod ingruebat, eximeret, contra pactum persequendi calculos, plebi se opposuit. Nihil plebs ægrius unquam tot superioribus seditionibus tulerat, atque hoc factum: quod ab eo rationes nunc impedirentur, à quo earum dispunctio primum agitata esset: quique adeò nuper in pactis concordiæ principi & populo autor extiterat, ut procederent: quique vindex earum datus esset: indignum visum tolerari. Tribuni, quia contra fœdus rationes abolere nitebatur, rem pari jure atque æquitate indictis comitiis ad populum ferre volunt, vel invitis urbis præfectis. Spectabant huc, enim, ut contracta in comitium tota urbe plebe, ulciscendi se studio magis quàm rationum, (quanquàm harum quoque) in inimicorum invidiam exulibus reditus decerneretur. Iacobus Mindenus alter præfectorum solicitudine injecta, octavo Idus Decemb. Tribunos rationum sub Hasenburgum convocat, (ipsum autem locum testitudine lateritia ad specus modum concameratum, Ultrajectini Papcameram dicunt.) Ibi multa de exactis tumultibus, deque variis populi studiis & fortuna & reipub. statu proximo biennio exposuit: qui seditio seditionem serit, & quæ inde incommoda domi ac foris fuissent sequuta. Ac nisi pacis tenaces essent, futurum ut brevi gravior vis externa civitatem adoriretur. Verùm quòd ipse accingi diceretur ad impediendam eam rem, cujus affirmandæ dudum se authorem obtulisset; & plebem ob id fremere. Quoniam autem posterior dies priorum magister esset, nunc clarius se perspicere, quantum malorum agmen secum rationes traherent: contrà se consultorem, adeoque bonis omnibus ad id adjutorem fore, ut amicitiam & pacem colerent, & cupidinem omnem à certamine inutili averfarentur. Proinde de continuandis calculis supersedendum. Multa id genus delinimenta in speciem utilia dedit. Ad ea Tribuni. posse quidem illas mitti, nisi nupera juramenti religio obstaret: & allaturum id momentum aliquod ad placidiorem reipub. statum. Sed quia plebs tota huic spectaculo intenta, in dies faces subderet, ut fastigium rei aliquando imponeretur: si nondum jurisjurandi religione exoluti rationes intermitterent, æternum dedecus suis nominibus inusturos. Adde & periculum commune, quod inde à plebe cùm sibi & senatui, tum religioni & optimatibus immineret. Expertos se nimium, quantum furor popularis valeret: malle præfectos, adeoque ipsum antistitem sibi inimicum, quàm plebem ad tragicam calamitatem extimulasse. Feroci Tribunorum responso exagitatus præfectus, Agite dum (inquit) quoniam ita fieri necesse est, cum subsilio, omnia mea moventur mecum. Simul ægrescenti animo inde se in curiam abripuit. Euntem sequuti mox Tribuni, postulant habendorum comitiorum potestatem populo dari. Negat ille se facturum. Plebs auditis iis quæ ordines molirentur, ab iis confertis capitibus in se conjurari, Consulis Canisii animum explorant, nam is totus plebis erat) quid in re dubia, si ad novas res consurgerent, ab eo sibi expectandum foret. Quia autem & hunc morum optimatum jamdudum pigere cœperat, occultè eos hortando ad arma, ne sinerent rationes per socordiam exolescere, per omnia se dissimulaturum promittit. Nocturnos cœtus domi suæ habere, viam inire ad se ulciscendum:

Mindeni ferox, responsum.

denique

denique palàm cum præfectis de comitiis habendis expostulare. illi armis se intercessuros minari, si contra fœderis fidem ad res novas consurgerent. Mandat inter hæc consuli (quando fremitus & clamor indies cresceret) ut in unum aut alterum arreptum animadverteret, quo reliqui quiescerent. Consul modò hoc, nunc illud causans tergiversando, eos extrahit. Addit illud quoque religioni periculosum fore, si tali occasione ad armatam secessionem concurreretur. Itaque sexto Idus Decemb. (qui dies Conceptioni D. Virginis solemnis habetur ad vesperum, homines in proceres nobilium conjurati, cum ingenti urbis terrore in cœtum coivere. Ubi multa secretò de non ferenda servitute, & perfidia tum procerum ecclesiasticorum, tum equestrium, questi essent, ira doloreque perciti, datis dextris conjurant, eo die ante noctis concubium, victoriam se præfectis, quam nimis insolenter adversus plebem exercerent, extorsuros. Designant ad cædem & direptionem è factione utriusque nominis. Tum demum parta victoria, de revocandis exulibus, de restituenda pristino splendori repub. se acturos esse. Postquàm datis ordine dextris religione se mutuò obstrinxere, mittunt internuncium, clàm præfectis tota urbe, in primis autem in inferam civitatis partem, ad homines factionis plebeiæ, quorum virtus sæpe antea in dubiis rebus enituerat: ut paulo post diei crepusculum, circa primam facem, armati in supera parte adessent: stare, nobilitatem & religionem nihil opinantes opprimere. Ipsi interim in ponte fullonum, molem è trabibus transversim rudibus aggestis, contra inimicorum impetum, erigere raptim aggrediuntur. Serum autem diei illune erat, & nox tota, quo periculosius erat consilium, quod incœptabatur. Et ut undique tuti forent, dextra lævaque & à tergo viarum angustias, scamnis & sedilibus objectis præcludunt: ut circumquaque tuti forent, si qua vis insperata aliqua immineret. Dispositi passim in stationibus cum armorum omni genere, qui, ne munimenta irruptione adversariorum disjicerentur, prohiberent. Ipsum vero robur plebis in fronte ad trabium cumulatarum molem collocatur. Validum præsidium, unde memorabilem cladem edere potuissent, si diei aut plenilunii beneficio prospectus in adversos pontes datus esset. Tessera erat, ut accepto adversæ factionis adventu, signo in proximis templis ad arma conclamaretur: ad quod & ii qui nondum adessent, ex insidiis alios ferirent: & alii per stationes distributi, ad tuendum se, & fortiter pugnandum intenti essent. Præfecti urbis contrà, adversa plebis vi, per tenebras, Consules primum, quorum alter (ut dixi) apertè conjurationis suspectus erat, in curiam pontificiam celeriter convocant: rati haud segniter agendum esse, priusquam plebis robur tota civitate contractum invalesceret. Contrahitur huc & nobilitas, & proceres nominis ecclesiastici. Voluntarii quoque è plebe pauci illi quidem (de quibus sæpe antè à nobis memoratum est) sed audacissimi, in armis adsunt. Horrenda facies, cum funalibus in curiam per tenebras undique concurrentium: & armorum strepitus horrorem augebant. Nobilitas cum parte plebis, quamvis longè aliis numero impares, ducum tamen virtute nixi, nihil gravatè cum incondita absque principe multitudine dimicationem capessunt. Præfecti ubi videre suorum animos ultimæ pugnæ instructos, nullam moram interponendam arbitrati, suos trifariam partiuntur. Religio curiæ præsidio relinquitur. Quantum verò plebis & nobilium hominum erat, ita divisere, ut ipsi cum robore suorum à fronte, plebis opera adorirentur: reliqui dextra lævaque, per novam viam, & aliam ad Teutones desultoriam, magnis clàmoribus subitò in ipso pugnæ ardore, illos aggrederentur. Dantur tesseræ è more militari, ut Iacobus Mindenus præfectorum alter, cum parte plus dimidia dextrum fluminis latus: Suederus Sulenus, vir nobilis, & belli artibus clarus, sinistrum tueretur. Mindenus paucis suos pro tempore exhortatur, ne pauci multitudine imbelli deterrerentur. Noctis tenebrosæ beneficio, minus periculi à globis tormentariis, qui in incertum nullo prospectu mitterentur, adesse. Deinde ipsam cumulatarum trabium molem, plus sibi quàm plebi opportunam: quam ne magnæ quidem operæ esset disjicere. Veniret in mentem pietatis erga patriam, cum quanta gloria pro liberis & uxoribus, pro aris & focis apud posteros, adversus civem perniciosum, qui bonorum omnium fortunis immineret, jam decertaturi essent. Illos sine duce vulgus iners nunciato suo adventu, illico fugam facturos. Se principe duce, præeunte sagato senatu, optimatum præsidio septos, patriæ communis salutem asserturos. Denique eam noctem pacem & ocium domesticum haud dubiæ æternum parturam. Dum præfectus in hunc modum suos in procinctu stans ad pugnam animat, Pistori & fusori æramentario, domum Teutonicorum exeuntibus, duo plebeii, Gerardus Niger, & Laurentius Godefridi filius, dudum Ædilis, & haud ita pridem Trib. ration. dum superam urbis partem incauti petunt, in ipso propè limine

1526. VI. Decemb. Inter seditiosos & factiosos certamen.

Mindenus Ernestus de Amerongen.

Nieuwstraet.

Anno 1346 in litteris ad S. Paule dicta nova platea.

In litteris de anno 1346. vocatur Sprinckwijck. Vide & Buchelius fol. 251. ad Hedam.

limine occurrunt. Agnitos extemplò per umbram (quamvis alioqui haud facile esset) dedendos deposcunt. Negat *Niger id citra pugnam ac sanguinem fore, ac priusquàm hastam expediret, Michaël telum in adversum pectus arcu, quem ad id tensum, paratumque habebat, torsit. Et trajecerat adversum inimicum, ni ex composito ad armorum omne genus thorace & triplici villo foraminibus consertis texto, ac loricatio nulli telo penetrabili, pectus poplite tenus munivisset. vi tamen sagittæ humi corruit. Capti ambo in vincula ducuntur. Inde primæ facis silentio in manipulos ita, ut dictum est, distributi undique plebis opera invadunt. Conclamatur ad Sanctorum Gertrudis & Nicolai ad arma. Primo impetu, clamore oppugnantium terror multo maximæ parti eorum iniicitur, qui luxu diffluentes, lingua quàm re promptiores erant. Hi per vado proximas domos dilabentes, occultis viarum diverticulis & anfractibus inde sese abripiunt. Reliqui in statione permanentes, acriter opera defendunt. Sed in hoc conflictu nullius æquè virtus, ex optimatibus, insignis fuit, atque Iacobi Mindeni. Primus enim in summam molem desultoria levitate connixus, pugnam lacessivit. Sequuntur hunc alii, ita ut quisque laudis ac gloriæ cupidus maximè erat. Clamor ingens oritur, nec minus inardescit cominus pugna. Plebs ferociter hos propugnaculis deturbare, nihil loci segniciei relinquere. Pars, quibus id negotii datum fuerat, per trabium juncturas ac rimas, inimicos ad strepitum quemlibet quamtumvis levem sphæris eminus ferire. Fuit ea dimicatio utrinque hoc vehementior, quo ira atque odio magis res gerebatur. Stetit diu anceps pugna, priusquàm se victoria inclinaret: tantaque ferocia oppugnantium defendentiumque opera pugnabatur, ut insigni clade victoribus & victis luci ea conflictatio stetisset. Mindenus ter hasta loco submotus tantum non in terram concidit. Tum demum dolore & gloriæ cupiditate pariter, iraque accensus, cum globo suorum iterum in summum evadit. restituitur pugna omni telorum genere, multo quàm antea infestius: ita ut loco plebs aliquantum optimatum tandem virtute submoveretur. Cæterum antesignani postquàm & latera & terga, suorum præsidiis nudata præter spem animadvertêre, in fugam abeunt. Et quia per densissimas tenebras palantes tota urbe in vestigio victoribus periculosum erat persequi, adversam trabium molem extemplò disjicere aggrediuntur. Elabuntur interim muros seditionis à plebe principes, quos metus supplicii ex mali conscientia stimulabat. Nonnulli, quos vel grandior ætas retardabat, vel pavor retinebat, aliquandiu latuerunt, dum muliebri habitu, aut ignoto cultu, quo portarum custodes facile erat eludere, urbe paulo pòst excederent. Sed multo plures fuere, qui noctis beneficio incogniti, de quibus nulla unquam suspicio fuerat, postridie in tabernis, suis opificiis operam navare visi, in posterum victores latuerunt. Scio fuisse quosdam, qui ancipiti pugnæ eventu territi, in armis domi, utrò se inclinaret victoria, intenti stabant. Hi auditio suorum casu, oppessulatis statim foribus, ne & se proderent, luminibus extinctis, in penetralioribus ædium suarum partibus se continuerunt. Vtcunque itaque hujus nocturni prælii fortuna cecidit: victoribus tamen, quam victis, perniciosior, magisque cruenta pugna fuit. Cecidit in vulnus globo trajectus Suederus Sulenus, vir ex antiqua Suleorum, gente, nobilis: & Quirinus Ridderus, crassus pictor, adolescens adhuc imberbis, & nec dum ad militiæ munus, & stipendium faciendum aptus. A plebe unus desideratus est; qui nodo præacutis clavis gravi, per caput & cerebrum percussus periit. Præfecti inde in curiam regressi, suorum virtutem laudarunt. Mox (ne disturbata palansque multitudo iterum se in cœtum conglobaret) victores manipulatim urbem cum tympanis, alii aliis viis pervagando, reliquum noctis consumpserunt: abutentes nimis impotenter adversus victos, insolenterque victoria; principum plebeiæ factionis ædibus vitreas fenestras excutiunt: in fores violenter insiliunt, eas quasi diffracturi quatiunt. Ad postremum, nullam ferociæ hostilis speciem prætermittunt. Mane Dorestatum Mindenus ad præsulem de fuso nocturna dimicatione cive seditioso, literas dat: simul de iis, quos conclusos in carcere habebat: si valetudinis ratio permitteret, Vltrajectum, ut de reis consilium præsens capi posset, quamprimum adveniret. Habetur eo die senatus, ad quem præfecti de habendis quæstionibus, de seditionis concitatoribus referunt. Multa hic in eum ordinem graviter simul & acerbè ab illis dicta sunt, quod ejus somnolentia seditiosorum civium audacia indies magis ac magis confirmaretur: quam nisi ipsi sua virtute superiori nocte, cum tristi suorum clade, oppressissent, jam religio, jam senatus, jam optimates, & quantum bonorum hominum esset, cædi direptionique dati forent. At multo impotentius invecti sunt in Consulis Canisii perfidiam, qui conjurationis conscius, cœtus nocturnos fla-

De Swart ab Oldensalia.

Desultoria levitas Iacobi Mindeni in capessenda pugna.

Pugna civilis in urbe Vltrajectinâ

nos fla-

nos flagitiosorum civium in interiori ædium suarum parte habuisset: cum illis, contra duos ordines, & aliquantam senatus partem, quæ suspecta plebi erat, conjurasset. Arguisse id eum superiori nocte, cum nisi pudor, ne proderetur, obstitisset, neque in curiam pontificiam venisset, neque ad frangendum illorum furorem, quenquam ad arma convocasset. Hinc illum in vultu pallorem fuisse, hinc trepidationem, cum præter spem, subitò domo excitus, in curiam, ubi ordines congregati erant, adesse juberetur. Visos sæpe seditionis coryphæos, cùm aliàs, tum intra quatriduum, illos & illos (quos nominatim ibi perstringebat) pòst serum diei domum ejus intrantes, conticinio furtim rursum egressos: quos interdiu, ne se indicaret, ne nutu quidem obvios dignatus fuisset. Consul ad ea vehementi oratione usus, primùm se expurgavit: inde ostendit, occasionem & caussam seditionis, ab ipsa nobilitate & præfectorum injuria primum ortam, qui contra concordię dudum sancitas leges, rationes optimatum & religionis impedivisent. Iustis de causis à plebe, cum se ludibrio haberi viderent, comitia postulata. Itaque ad vesperam usque dicendo totum diem exemerunt. Postero die iterum per præfectos senatus cogitur: fueruntque tum senatui authores hujusmodi senatusconsulti faciendi.

Qui in supera urbis parte in armis fuissent, in perpetuum exules essent. ne vir, mulierve, eorum quem hospitio exciperet, capitis periculo. latentes proderent sub occasum solis. Indicibus sua præmia forent. De reis, qui in vinculis erant, quæstiones haberentur.

Indicio nemo proditur. Magna civium multitudo, alii aliò exulatum abiverùnt. Intervenit è Dorestato inter hæc, ordinum consilio, rempub. in meliorem formam constituturus pręsul, invalidus atque æger. Senatui publica sollicitudo & cura incessit, ne securi periculorum, per proditionem ab exulibus opprimerentur. Itaque duplicant in muris nocturnas vigiliarum stationes, excubias item pomœria nocte obequitantes, & portarum custodias. Interea de reis quæstione in carcere habita, confessio exprimitur, plebem metu ne arriperentur alii post alios, ob improbius diem habendorum comitiorum postulatum, ad arma nocturno tumultu excitam fuisse. Nec ad cædem aut direptionem, ut maxime in eo conflictu fuisset superior, rationem consiliorum spectasse, ut ipsi fingerent, verùm rationes continuari voluisse. Præfecti veriti ne per moram quid interveniret, quo è vinculis eximerentur, capitis anquirendos condemnant. Nec alius ferè dies tristiorem rerum faciem, toto illo triennio, quo intestina discordia laboratum fuerat, habuit. Auxit horrorem armatorum equitum, à quibus è curia pontificia ad supplicium in Palatinum forum contra incertam vim deducebantur, apparatus. Et ne usquam Tragici spectaculi specimen deesset, pars equitatus jussa, tota urbe, ne qua vis à plebe cooriretur, viarum ambages sursum deorsum obequitare. In hos omnibus passim regionibus ab imbecilli fœminarum puerorumque genere convitia voces mordaces jaciebantur: irudines, ac sanguisugas gangrænas appellare: fore nunc, ut civium sanguine, quem ardenter tam diu sitivissent, aliquando explerentur. Clamor ululatusque omnibus urbis regionibus audiebatur: sed multo continentius in forum confluentium mulierum agmen, vocesque miserabiles edentium, tandem movit præfectos, excivitque miseratione circumfusis in coronam equitibus lachrymas. Mindenus, interim dum lictor reos ad supplicium parat, reputans secum, quanta se & stirpem suam invidia ex civium pœna ad posteros maneret, simul commiseratione ictus, verso calcaribus equo. Reducantur isti (inquit) in carcerem: hodie superstites adhuc sunto. Niger inde supplex veniam publicè à senatu consecutus, in quadriennium exul esse jubetur. Laurentius verò, quoniam Tribunatum rationum superioribus reipublicæ tempestatibus gessisset; eumque impotentius adversus pleramque nobilitatem exercuisset, quàm vel ocio quietique reipublicæ conduxerat, vel illis gratum fuerat, in vinculis ad graviores quæstiones asservatur. Existimabat præsul, ut verisimile, occulta consilia, quæ vulgus latuissent, se tormentis ab eo expressurum. Et in hunc quidem modum, victrix factio plebeiam potentiam armis fregit: cum tertius annus ageretur, quo semina discordiæ intestinæ primum jaci cœperant. Verùm justéne an injuste ad seditiones faces hac via extinguendas grassata fuerit, non obscurè judicari potest, certè jus inde

Mindenus jubet capitis Parci.

æquum stetit, qui plus armis valuit. Sed quantum ea victoria, & dominatione, ex illa, parta ad otium & securitatem promotum fuit, deinceps narrabitur. Exulum numerus tot pene hostes fecit, quot cives intra muros essent: quorum multo maxima pars ab extortibus, ob communem injuriam, taciti stabant. Duplicatus igitur fuit metus factioni: ut & civem ad imperata faciendum domi invitum continerent, & urbem seque ab exulum insidiis, quibus opportuni erant, accuratè tuerentur. Præsul ob ingravescentem indies morbum, non diu in urbe moratus, cum captivo * Dorestatum Batavodurum navigio brevi se recepit. Navigantem fœminarum manus suppliciter tendentium caterva, atque cum lachrymis obtestantium reum vinculis eximendum, ad ducentos ab urbe passus prosequitur: quantum vellet auri paciscere-tur, in numerato fore. Nihil Episcopus pecuniam moratus, cùm torvo immotoque vultu cursum navigationis aversus silentio teneret: Illæ spe potiundi captivi abjecta, mœstæ domum retro abivere. Detentus inde Tribunus in carcere Dorestati fuit, annum plus minus: nec post horrendos cruciatus, vita propemodum desperata, nisi grandi multatus pecunia, liber è vinculis evasit. Secundum hæc respub. ab intestinis seditionibus quievit quidem, sed eas externum malum illico, domestico propè par, excepit. Exules enim, partim elapsi metu legis, partim decreto pulsi, cum alii aliò exulatum proficiscerentur, à vicinis oppidis obvia humanitate suscipiebantur: sive id odio nominis Ultrajectini, sive in factionis invidiam facerent: sive humanorum casuum memores, supplicum misereret: aliquot certè eos ad rerum pub suarum communionem benignè invitabant. Ægrè id habuit factionem: quòd cum ex angustiis suæ ditionis fugatos, in propinquo (unde propius periculum erat) cervicibus suis omnibus penè horis imminentes ante oculos cernere cogerentur, ad extrema oceani littora profligare nequivissent. Ad has urbes, ut literas det, principem inducunt, expostulatrices, quòd seditiosos homines & fœdifragos, hostes à senatu dudum judicatos, publica fide intra muros suos versari paterentur, à quibus sibi & urbi Ultrajecto quotidie insidias parari, constans fama esset. Hac injuria se provocatum, posse ad justa arma induendum temerè perpelli. Ad ea responsum apertè ac simpliciter. Liberas suas esse civitates, easque omnibus iis patêre, cum quibus nullum publicè odium lisve intercederet: præsertim verò supplicibus, quos vel fortunæ iniquitas, vel aliquis casus, solum vertere compelleret. Memores casuum humanorum, supplicum didicisse misereri. Quoniam autem cum nullo publicè privatimve odium exercerent, longę paci assuetos, in ocio se neque bellum neque simultatem quærere. Bellum restitantibus oblatum, quibus possent animis, quamvis viribus impares, se propulsaturos. Neque id se sine exemplo facere. vetus esse, & nusquam non gentium usurpatum: profugis sordidatis, exulibus, & ob infortunium pulsis, civitatem quo receptum habeant, suppliciter petentibus, publica fide dari. Quantum vero ad discrimen, quod sibi ab exulibus comminisceretur, sic persuasum haberet: non esse tam se barbaros, & ab omni cultu disciplinaque humana alienos, quin oppida religione imbuta, & legibus identidem ut armis munita incolerent: ubi non ex cupiditate, nullo pœnæ metu, sed sub magistratibus & legibus viveretur: tantum abesse, ut asyla sine discrimine hominum sentinæ, in perniciem finitimarum civitatum patescerent. Hæc aliaque id genus episcopo Ultrajectino à propinquis oppidis responsa sunt. Ad nullos autem infestius, quàm ad Amorsfortios scripsit, odio magis gentis inolito, quàm ex merito. Adversus hos gravissimum erat, quod querebatur, inde latrunculorum more exules, Ultrajectinis infestos per montem evagari: à quibus tametsi vis abesset, metu tamen infortunii, nonnulli iter facientes, viam flectere cogerentur. Ad ea senatus: Non occultum nobis est, quam male per quosdam multis hominibus apud te audimus: quos quoniam innocentia jam non potest tueri, olim certè & tuebitur, & fides commendabit, ubi cœperit quorundam impostura & offuciæ interlucescere. Exules, non inficiamur, nostris portis esse receptos. Aufer calumniam: nemo, cui pectus dextrum inest, in tuam invidiam, communibus mœnibus à nobis eos donatos interpretabitur. Quod quidem, quamobrem factitaremus, nulla causa est: nec præbita ansa, cur fidem & obsequium nostrum labefactaremus: cum ultro semper effusa humanitate (quod licuit) tuæ majestati nos conciliaverimus. Cum autem irritato his consiliis odio, apertum sit, quid inde oriri posset: vesanum foret, si paucorum exulum, & quidem obscurorum ex incondita plebe hominum causa, nos in certamen, ubi quietis esse liceat, aliquod conjiceremus. Quid dementius, quàm scorpionum catulos in sinu educare? Itaque ejusmodi conquiri jussi sunt, qui facinorum, quæ abs te objiciuntur, rei judicarentur. inventus est nemo: ut miremur, quid sibi hoc novum accusandi genus velit, ac quorsum spectet. Sunt quidem (non inficiamur) sed pauci, qui

* Laurentio Godefrido Tribuno factionum.

qui nuper ex Ultrajecto huc profecti, civium numero sunt ascripti, adeò obscuri, ut vixdum vicinis suis de nomine noti sint. His in senatum vocatis, recitavimus tuas literas, ut se vel purgarent, vel sontes publicè confiterentur: ut eos illico damnatos in vincula duci jussissemus. Expurgarunt se: in primis autem de fœdere, adversus quod fecisse coargue entur. Neque veniam sibi dari petunt, quod arma contra inimicos sumpserint: sed quia ea justis ac piis de caussis induissent, non abnuunt sisti judicio, (modo incorruptus detur judex) adeoque principi suo, cui id quod gesserunt, adversus quemlibet, à quo criminationibus oppugnentur, pium æquumque sint probaturi. Et ista quidem ad ea sufficiant quæ de exulibus. Cæterum de evagatione, quia vanius est quàm ut refutetur, non operæ pretiũ est respondere. Illud autem haud parvum momentum ad pacem & concordiam foret, si maturè prospicias, ne è civilibus armis, & scintillante intestino bello, clarum incendium oriatur: potius, quàm ad propinquas alias, & tuæ ditionis civitates, motu novarum rerum, perturbandas convertas: à quo consilio quorundam animi non abhorrere videntur. His enim haud satis est, ditionis metropolim bifariam laceratam terroribus & discordiis implesse, nisi se deinde ad propinqua oppida divexanda accingant: ferendum, si authorum capitibus id malum, ad ultimum expiari posset, ipsique concitatores deposcerentur. Nunc cum tua & tuarum civitatum referat magni, pacéne pergamus frui, an ocium nostrum seditiosis consultationibus discindatur, memor esse debes, in quem finem exibit. Ex similibus principiis cœpit Davidis tragœdia, ab hominibus id genus, ex eadem urbe: libet rei nondum obliteratæ, memoriam tibi renovare, maximè cum adeò vetustate non sit obruta, ut multorum adhuc in oculis penè obversetur. Illa, quàm è tenuibus simultatibus procemium suum habuit, & exitum quàm tristem? Hinc ejus captivitas, inde bellum, & obsidio, quæ belli finem fecit, ipso bello graviorem. Ad consimilem modum Fredericus Badius Episcopatu excidit, quo, cum aliud ex alio bellum derivaretur, dolore animi, quod suis opem ferre nequiret, contabescens, ultrò se abdicavit. Transiselanum nimis atrox bellum, è paucorum, hortantium ut initio traheretur, avaritia conflatum, non solum oppida & arces à nostra ditione alienavit, verùm & Philippum mœrore, quòd ad ferendum auxilium non satis virium esset, confecit. Aliena, princeps, cum hæc edita exempla teneas, non possumus dissimulare, quin te moneamus, ut ea tempestivè in tuum usum vertas. Indic tuarum civitatum conventum, in quo partium caussæ ac controversiæ disceptentur. Id si feceris, Amorfortiorum pronos, ad reconciliandum factiones, animos non desiderabis: nisi graviora, quàm illi passi sint, ipsi brevi pati velis. Responsum ab Episcopo est XVI. Cal. Februar. Neque pondus, neque momentum ea adferunt, quæ à vobis de exulibus scribuntur: ludificationes sunt enim, & cavilli, quibus elabantur, de judice deligendo, apud quem caussam dicant, & facta tueantur. Volo, ex edicti formula oppido pellantur. non edicturus, nisi & certis sermonibus, & testimoniis, cum telis nocturno tumultu eos deprehensos, & fugá mox ablatos per tenebras, pro comperto haberem. Quibus non conjecturis, sed argumentis, sontes esse convincuntur. Præterea sunt, qui per libellos non ita dudum, fide ultro citroque commeandi data, quam ad expurgandum se de iis quæ objicerentur, eaque refellenda, exorarant, vadimonium deseruerunt. Hinc conjectantibus rem ipsam, quàm nihil firmę defensionis adferant, perspicuum esse arbitror. Si rem mihi gratam, vobis verò utilem facere velitis, exules, renunciata fide, civitate interdicitote. Ad ea incunctanter senatus Amorfortius. Tot verbis, quibus ad exules pellendos hortaris, nondum nobis liquet, quos velis. Si nominatim perstringantur, ut de reis certum indicium sit, (quando nec ferrum, nec rotæ nobis desunt) possent extremo humanorum supplicio multari. Ultrajecti factio omnia interim pro arbitrio administrabat. Iura alia antiquare, constituere nova, consuetudines abrogare, plebiscita biennio proximo per tumultum facta, & rogationes obliterare. Decretum promulgatum, ne quis deinceps de secedendo mentionem faceret: pœna constituta, & ultimum supplicium, & bonorum publicatio. Utque vindicata dominatio stabilis foret & perpetua, in magno momento ejus stabiliendæ posuerunt, lege promulganda cavere, ne deinceps Cal. Feb. populus creandorum magistratuum causa comitia haberet, sed ea in perpetuum sublata essent. Operarum numerus, ut earum robur & vires frangerentur, illico diminuitur. Signa, sub quibus superioribus annis armati secesserant, in curiam pontificiam deferri jussa, per ignominiam in senatorum conspectu discissa discerptaq; sunt. Agebatur principium anni vicesimi septimi, cum ad hunc modum optimatum factio, ingenti animorum ferocia potentiam suam confirmare adoriretur. Circumferebantur tum passim vaticinia vulgi sermonibus, annum eum rerum mirabilium futurum: nunciatum quoque prodigium,

digum, sparsaque fama incertis authoribus est, in cœlo auditum fragorem quasi armatorum inter se concurrentium. Et paulo pòst, cum ad Divorum delubra, obsecrationum feriis, supplicationes è more haberentur, sol ingenti ac nebuloso orbe sereno cœlo circumquaque, inclusus apparuit. Quæ prodigia, cum ab aliis aliò (ut quisque animum affectum habebat) ad reges & monarchas referrentur, postea exstitere quidam, qui ea peculiariter dubias Ultrajectinorum res, & mirabiles motus, vicissitudinesque, quæ in hunc annum inciderunt, portendisse affirmarent. Coss. novo more, è consilio nobilitatis pleræque, à principe, nullis populi comitiis dicti: Gybertus Sulenus, & Arnoldus Vulvenus. equestres ambo, præter leges populi Ultrajectini: quibus inter alias cautum servatumque antiquitus fuerat, ne equestres comitiis interessent, in senatumve legerentur, nisi ad plebem transirent, in eoque ordine perpetuò consistere sententia foret. Iam illud quoque tertium adversus legem, cum temporibus comitiorum nulli civium extra urbem abesse nisi cum memorabili mulcta, nec quenquam in senatum legere, Tribunum facere, senatoremve, multo minus vero Coss. absentem renunciare liceret. Sulenum multos annos procul à repub. ruri in ocio senescentem, (molestias credo & factiones perosum) hoc anno tergiversantem, recusantemque, ac invitum penè Consulem fecerunt. Omnem finitæ democratiæ, transferendæque brevi universæ dominationis ad opes firmiores. Erat autem ætate grandior Sulenus, moribus & ingenio placido, sedatoque ocio quietique magis idoneus, quàm reipub. fluctibus. Cum jam tranquillitati vitæ rusticanæ diu assuetus, restitans, & quasi conserta manu in urbem extractus, assiduis turbis jactari occiperet, ac multa perperam non è suo, sed factiosę nobilitatis consilio, & decerneret & gereret invitus, transversusque abire cogeretur, vir longè inter equestres optimus, animi æger, ac mœrore contabescens, diu corpore invalidus, domi per aliquot menses latuit, rexitque per Ioannem Huchtenbrocum cum collega rempub. id temporis. Initium turbandi præsentem civitatis statum brevi ab exulibus ortum: circa nonas Majas hi convenere in locum, quem ad consilium capiendum, de invadenda urbe, opprimendisque inimicis, per opportunum constituerant. Ibi dies locusque dicitur, quando ad Teloneam portam in armis adessent, (sextus enim Cal. Iunii is fuit.) Et ut ea consultatio exulum quosdam ad facinus audendum magis extimularet, & specie simul tuti consilii, certæque victoriæ animaret eos, quos conjurationis participes socios Vltrajecti habebant, per literas & internuncios, certiores illos faciunt, trecentos lectissimos se pedites, robore & virium & animorum insignes, scriptos ad dictum diem in armis adfuturos habere: sed & principem, cui sacramento jurati essent. Illos stipendio senum Philippum in sex menses inauthoratos, cum tridui, post partam victoriam, direptione. Navigio, quanto maximo possent silentio, ad urbem se accessuros. Ipsi interea intus, quibus armis ad vectem transversarium vadi, ad pontem foris oppositum, & cataractas fluminis intus refringendas, opus foret, expedirent. Simul in ædibus portam proximis, secretò armatos disponerent. Secundis vigiliis, unà cum Quinqueviris, interceptis cæsisque, cymbis in id antè paratis, ad certam utrisque datam tesseram, placidè auxilio ad discludendas cataractas adnavigarent. Et ne stridoris ferramentorum indicio proderentur, sub primarum vigiliarum accessum, silices per pontem ter, quantis viribus possent, contorquerent: ad quod signum ii qui sub ponte essent, tantisper à diffringendo desisterent, quoad vigiles inde centum passus processissent. Se interea ad virium suarum incrementum, alia auxilia occultè sollicitaturos: atque ita fore, ut prius proditionis securis inimicis supervenirent cum satis magnis copiis, quàm ad arma conclamaretur. Sed silentio & taciturnitate opus esse. fore tum, ut de injuria factionis contrariæ ad satietatem egregiè se ulciscerentur. Et processisset proditio, nisi casu indicio deprehensa fuisset. Suboleverat consilium homini Wicano, (nomen vulgo incognitum erat) sed quo casu incertum. Credere par est, per futilitatem alicujus, conjurationis conscii, inter pocula exceptam vocem, ut ferè hominum vulgus vino incalescens, soleat linguæ esse parum continentis. Is pridie, quàm ad urbem illi venirent, Ultrajectum iter facturus, pro magno negotio habuit, rem ad Episcopum deferre. Ordine (ut exceperat) exulum consilio exposito, princeps sine tumultu, ei literas ad Consulem Sulenum dat, mandatque homini, ut quod potest, Ultrajectum acceleret. Sol in occasum vergebat, priusquam Dorestato discederet. Inde ad medium itineris progressus, circa serum diei in stationes exulum incidit. Quoniam autem ignotus aliò iter simulabat, nec dicto nec facto læsus, quò iter intenderat, perrexit, ac prima noctis face ad urbem venit. Inclamatis iis qui in murorum stationibus erant, ut portæ aperirentur, Literas, inquit, se ad consulem ab Episcopo habere

Anno 1572 Consules Gisbertus à Zuylen & Arnoldus de Wulven Nobiles.

Democratia finitur apud Vltrajectum

Exulum Vltrajectinorum conatus.

habere

habere cum mandatis. Rem non pati moram: agi enim de communi omnium salute. Intromissus extemplò, Cos. literis traditis, quid consilii ab exulibus captaretur, quidque sibi ad civitatem adproperanti præterea accidisset, exponit. Consul tumultuosè senatum convocat: tumultuosiusque pro tempore consulitur. Mittuntur lictores, qui vigilias intentas ad omnem auram esse juberent. Ex operis, per turres suas alii distributi; cum operibus & tormentis silentio in stationibus constitere. Trepidè, quasi scalæ mænibus admotæ hæsissent, omnia expediri. pulvis tormentarius, bombardæ, ad portas, & humiliores infirmioresque muros advectæ. Dispositi item circa forum armati contra intestinam proditionem, ad ejus impetum excipiendum, proterendumque. Et plus periculi ab occultis hostibus ingruerat, si qua vis à fronte urbem invasisset, quàm ab exule. Paululum inde moratus Cos. dum instructos paratosque haud procul à suburbio Teloneo exules abesse conjectando (quantum ex indiciis verbis æstimare erat) assequi poterat, paucos ex audacissimis, qui robore & animi virtute facile principes tota civitate erant, voluntarios speculatum ex improviso in suburbium porta emisit: paratos utcunque caderet res, fortunam experiri. Irruunt primum hi in portæ proxima diversoria, ad explorandum, num quæ præparatæ in occulto insidiæ, quibus à tergo circumvenirentur, ibi delitescerent. At exules comperto, è fremitu, per noctis silentium accepto, proditionem indicio patefactam, peropportunè retro per flexus viarum in pacatum abierant. Latebant in horreis tamen nonnulli fœno stramentisque contecti, opertique, qui postea verba indiligenter ac trepidè loca per metum explorantium ad suos detulerunt. Deprehensa quoque in mensis potoria vasa sunt, unde à longiori itinere defatigati sitim restinxerant, semiplena adhuc: quæ recentem inde fugam eorum coarguebant. Postea verò comperta plenius cunctationis causa fuit. Copiæ auxiliariorum, quas huc secum spe præmiorum & amplissimæ prædæ oneratos attraxerant, aliquot horas in ripa Rheni tergiversabantur. Ab initio his persuasum fuerat, rem ductu auspicioque principis alicujus patrandam; cujus nomen tum ederetur, cum muros subirent. Progressi jam ad suburbium Teloneum usque cum neque urgendo humaniter, neque expostulando improbè elicere valerent, cuinam sacramento jurati, hostilia occiperent: reputantes secum, quod periculum facinus sequeretur in posterum, si nullius auspiciis inauthorati, per latrocinantium, grassantiumque speciem incursionibus civitatem captam diriperent, vastarentque magis quàm justi jure belli: exulibus destitutis, incunctanter (quia id militare non erat) diversis itineribus, noctis beneficio tuti, sese dispersferunt. Atque hunc in modum exulum incœptum irritum, frustraque, & consilium tum destitutum fuit. Nocte illa & insequentibus aliquot, in muris per vigilum stationes & speculas, aliquanto quàm antea diligentius vigilatum est. Cauponaria erat circa eam urbis regionem, ubi pons fullonum est. Huc ad serum diei duo habitu & vultu ignoto visi homines ad symposium diverti, postridie in suspicionem proditionis apertam pervenerunt. Hi, quoniam priusquàm res opprimenda ad Consules delata esset, urbem egressi in tutum evaserant, mulieri extemplò missus lictor à senatu est, qui diem diceret. Perduellionis in senatu graviter à Coss. accusata, quod conjurationis conscia, cum proditores hospitio celaret, eam illico non detexisset, cum se multis verbis perpurgasset, sororis suæ filiæ maritum cum extero alio homine quidem apud se cœnavisse, quid verò absque arbitris consilii agitassent, se scire non potuisse: nocte concubia, incertum quò, domo se illos aliò recepisse. Cumque his, aliisque, criminis suspicionem à se avertere niteretur, in carcerem à Quinqueviris ducitur, ut de ea quæstiones tormentis haberentur. Paucis diebus interpositis, quibus senatus inquirendæ conjurationis cura ac solicitudine occupatus erat, mandatur rerum capitalium judicibus, ut ex rea quæstionem habeant, referantque. Illa tormentorum, quæ ante oculos ad terrorem expediebantur, generibus statim exterrita, tantumque non exanimata, conjurationis proditionisque consilia, serie suprà à nobis exposita, confitetur. Reliqua de sociis conjuratis intra urbem, cum primum blandimentis, inde trucibus minis inquirerent, eamque cætera fugere argumentis adverterent: lacrymis muliebribus insuper ubertim effuseque obortis moti, quæstiones crudelius exercere destiterunt. Referunt de perfectis iis cum cura & fide, nihilominus ad senatum. Duplex inde fama fuit: altera, illam postero die in carcere necatam fuisse: altera, cum in dies nova quæ exules ab integro agitarent, à finitimis civitatibus & pluribus locis nunciarentur, quibus avertendis solicitè senatus occupatus erat, eam in carcere neglectam, situ squaloreque absumptam, brevi periisse. Perseverante de exulum conjuratione fama, senatusconsultum fit, promulgaturque cum edicto: ne vehicula viatoria urbem propius quàm quingentos passus accederent. Vectores, à porta subbana

Tolle-steegh.

Sed irriuit.

Pons hic anno 1322. in literis Scabinalibus vocatur Pa rcu Dol-racdo brugge.

De Olbe Poort.

bana ad ortum, cui ab operis civium nomen factum est, pedibus civitatum introirent. Excubiæ portarumque custodes, sed cum delectu ac judicio, quàm antea multo accuratius multiplicantur. Fuitque inter hæc per aliquot dies justitium. Novos exules fecerunt: inter quos absens Hadrianus Rhenanus, Everardi Soudenbalchii nepos è sorore jussus fuit: quod inter eos, qui ab Amorsfortia ad civitatem opprimendam profecti paulo antè fuerant, nominatus esset. Quam sycophantiam ipse postea hospitis sui testimonio discussit, apud quem ea nocte pernoctarat. Veteri credo odio inimicorum in societatis calumniam eum pervenisse, quod nullo alio prætextu reditum illi in urbem præcludere valerent. Hoc facinore Amorsfortiæ, & expostulatricibus inter hæc literis à principe acceptis, senatus, exules qui in expeditione fuissent, renunciata fide publica, ante noctem exire jussos, civitate interdicere publicè adactus fuit. Illi, quia jam dudum convictu ac compotationibus quotidianis multam necessitudinem cum plebejis contraxerant, fidem eorum, ut patria profugis in communi repub. considere liceret, implorare cœpere. Non deprecari culpam quidem, factúmve excusare, sed in stultam quorundam persuasionem, simplicitatem suam & errorem transferre: petere condonari: quod factum admissumque esset, infectum dari non posse: nec post illa ad res novas se consurrecturos amplius. Misericordia partim civium moti, partim multa consuetudine conciliari, fidem opemque suam promittunt. Scinditur in duas partes statim tota civitas, jubentium exules portis excedere, retinentiumque. Et vicerat non sanior quidem pars, sed violentior improbiorque, ni convocato iterum senatu, Consulibus demandatum fuisset, viderent ne quid hac in re detrimenti resp. caperet. Consul extemplò per lictorem missum, alios nominatim post alios sub solis occasum portis facessere edicit, nisi malint arripi, atque in vincula duci. Quorum partim edicto paruerunt: partim malo exemplo, contempto senatusconsulto, ab sui loci hominibus persuasi, remansere. Nonnulli, qui senatui paruerant, cum viderent impunè quosdam à cive retineri, paucis pòst diebus in civitatem redierunt. Ultrajecto à principe contra exulum insidias, ex ordinum consensu unius cohortis præsidium circa hos dies imponitur, ut iis ad nocturnas excursiones respub. & illorum cœtus disturbandos, uteretur. Depræhensus est ab agresti hominum multitudine, ex nescio qua suspicione, quidam in agris palans, qui internuncius ac magister proditionis, ab exulibus precio, ad commeandum cum literis ultro citroque in urbem conductus ferebatur, nulli notus de facie. hic in vincula conjicitur. Decernitur illico à senatu quæstio, mandaturque Quinqueviris, ut ea primo quoque tempore ex captivo tormentis haberetur. Extimulabat, ad abrumpendam inquisitionis moram, factionem ira recens, odiumque flagrans, quo magis sperabant, certo hic indicio proditionis in urbe socios detectum iri: simul ut atrocis supplicii exemplo in peregrinum hominem edito, civem exulem quæque intra muros conjurationis reliquiæ erant, à novandis rebus conterrerent. Tortus itaque paulo pòst reus, atrocitate tormentorum ad ultimum superatus, cum è quæstionibus adverteret opinionem omnium pro indicio futuram, nominavit quosdam utriusque ordinis, religiosi profanique, paulò antè exules factos, à quibus sesquidrachma conductus, literas ad viduam cauponariam pertulisset: ratus, extante indicio apud magistratum, ubi impudenter insontes, illorum libidini obsequutus, indicasset, (quam spem ostentarant, priusquam quæstionibus admoveretur) fore ut illico dimitteretur. Et quidvis profectò metuebat nullius conscientia flagitii ictus, quàm fraudem dolúmve è fallaci lactatione. Damnatus judicum intra biduum sententiis, tanto in ipso supplicio omnibus mortalibus fuit conspectior, quanto innocentia vulgo major credebatur: & impotentia dominandi efferaverat jamdudum plebem, ad odium factionis. Cum ad triste ministerium jam restitans raptaretur, ibi homo plangoribus omnia complere, horrendum vociferari, facinus indignum fieri, quod insons, à quo criminis, ob quod moriendum esset, culpa abesset, condemnaretur: supplex in genua prostratus judices obtestari atq; orare, ut morituro extremùm pauca verba pro se dicendi potestas fieret. Ubi sensit à prętore id negari, seque in cassum verba fundere: adesse item lictorē, à quo suppliciũ humeri nudarentur: ibi homo quasi fatidico spiritu correptus, & numinis alicujus furore afflatus, Deum (inquit) Opt. Max. & quantũ divorũ est, testes appello, me criminis hujus exsortem, cujus reus dictus plectar, moriturum. Me miserum, sunt quos optimos viros insontes (quia videbam hos id velle) vano impudentique indicio, inter proditionis conscios, nominavi: quo vel uno nòmine, extrema humanorum pœna merito multandus sim. Verùm ei confessioni, ut tormentis expressæ in carcere verisimili mendacio fidem feci, ita eosdem falsus index omni culpa publicè levo: ne illorum innocentia intemperantis linguæ meæ vanam futilita-

tem

tem in posterum luat. Te prætor, vos Tribuni appello, qui hanc jamjam percutiendi accipere confessionem abnuitis, eam discerpti dilaceratique cum æterna existimationis ac dignitatis vestræ ignominia: ab isto conscientiæ & omnium vitæ meæ consiliorum & teste & interprete fideli (monachum vinctis manibus monstrans) cognoscere cogemini; ubi de meo tergo vestræ libidini satisfactum erit. Hierusalem Hierusalem (his verbis orationem avertens utebatur) ô Ultrajectum, urbs olim florens ac celebris, & nulli usquam terrarum sapientem consilio inferior, quæ fax, quod incendium, quæ vastatio, quę direptio, quæ agrorum populatio, quæ fuga cędesque tibi in foribus adest. At nunc vati fœlici mihi nulla fides est: quam tamen meo sanguine, & insigni vestra clade brevi, morte mea expiata, mihi conciliabo. Exercete vestram vos Trib. ad satietatem rabiem in hunc innocentem, quam in civem exulem crudeles exercere nequivistis. Plura dicturientem interpellans prætor, Lictor (inquit) quin hominem ligas, & facias officium? quousque differetur? Reus cum inde in medium harenæ aggestę cumulum manibus pedibusque obnitens traheretur, virium robore fretus, obluctando lictorem carnificisque manibus, in angulum elapsus theatri, sese resupinat: identidem misericordiam implorans: judicumque fidem obtestans, ut morituro, Deum paucis precandi copia spaciumque daretur. Percussus inde, quadrifariamque dissectus, ad exules crudeli exemplo perterrendos, è quatuor portis suspensus fuit. Per eos ipsos dies, quibus hæc gerebantur, peditum copiæ stipendiis exautoratę, transgressæ Iselam, per proximam Gelræ ditionis Velaviam, sine duce vagabantur: sed quo consilio, incertum erat. Itaque finitima oppida in magno metu esse; eoque majore, quòd earum duplicarii centurionesque Gelri nominis, qui in variis bellorum tempestatibus, sub Gelrorum principe ordines ductaverant, Arnimiam in dies ultro citroque commeare, cumque ipso Duce secretò colloqui dicerentur. Copiæ ipsæ non uno loco æstiva (ut sic dicam) habere, sed modò in limitibus subsistere, modò Ultrajectinorum limites transcendere: rursum retro, unde venerant, iter reflectere: ut rarò plusquàm miliarium ab Amorfortia abessent. Observatus ad hæc fuit cum literis Vltrajectinorum juratus tabellio subinde ad illos intercurrere: è quibus omnibus, quò illa copiarum circumductio spectaret; Amorfortij palàm cognoscebant. Nec perinde ab aperta vi, atque à dolo insidiisque principis, & Vltrajectinorum metus erat, cùm ob exulum recens negotium, tum superiorum annorum in constituendis vectigalibus conflictationem. Publica senatum sollicitudo tenebat, ne per somnum, negligentiamve luci opprimerentur. Nec vanus metus fuit, nec probabilia fefellerunt argumenta. Fredericus Seldenacker eques, his curis occupatam Amorfortiam, ab episcopo missus venit: in diversorium ad Cornelium Duterium, equo ita ut descenderat, ante fores ad sedilis postem in procinctu relicto, deflexit. Admissum hospitem in conclave secretius, rogat caupo, num exutis armis, cibum potumve, ut reficeretur, apponi postulet, ut erat per armorum pondus à longioris itineris jactatione in equo, lassitudine fractus. Ille trepidè: Res neque cibum, neque moram fert, quin Consulem è curia (ubi eum ad esse reor) accersitum curre: res tumultuaria est, quæ celeritatem in conficiendo poscat: quare effice, ocyus huc ad me advolet. Consul haud cunctanter adscito collega adest, ratus arduæ aliquid rei, utilis salutarisq; reip. agi. Ibi post mutuam datis dextris eamq; honorificam salutationem, Coss. assidere jussis, cataphractus quid venisset, qua potuit vehementiâ, & vultu ad rem seriam composito, cœpit exponere: apportare se, quod nominatim ipsorum referret. Princeps, inquit, non diutius agros vicosque circumquaque ab infestis cohortibus, grassantium latrocinantiumque specie; evastari tolerandum ratus, decrevit, quantum equitum habet, in eos immittere: ut in angustias compulsi, finibus nostris excedant. Hac de causa me huc exploratum præmisit, quam regionem insideant, per duos occultos semitarum anfractus, insidiis opportunos, adoriendi ac fundendi eos copia foret. Et quod vel in primis compertum oportuit, quantæ illarum copiæ esse dicerentur. Stat omnino, negligentius vicatim peragrantes pagos, ex improviso aggredi. Hæc (inquit Consul) quòd nos huc interrogatum advenis Frederice, non de nihilo est. & miramur: cum ex nemine id propius exactiusque, quàm ex agresti rusticorum multitudine expiscari liceat, quibus hospitium indies cum grassatore milite commune est: quorum agri vastantur, pecus gratuitò omne trucidatur, penu absumitur: & quidem vestra ignavia hæc omnia. Et adhuc, si Diis placet, in hac nostra omnium calamitate. quiritationem facis, quæ itinera insideant, quamque item frequentes sint eorum copiæ. Si horum certior esse desideras, Vltrajectum contende, eosque roga, sine quorum consiliis per principem nihil edicitur, decernitur ve, à quibus exploratius quid atque à nobis certo cognosces. Acerbius hoc forsan & dicacius,
ac decet;

ac decet, sed verius tamen quàm est honestum, conveniatque nomini Ultrajectino. Nam postquàm copiæ transgressæ Iselam, Velaviæ saltus ac deserta pagatim pervagari cœperunt, visus observatusque est hac ad eas tabularius Ultrajectinorum publicus ultrò citroque sæpe commeare: publicóne id an privato consilio factum sit, non magnopere refert, neque enim id disputatur nunc: certe homines id genus non nisi à principibus, aut publicis conciliis emitti, mos tenet. Quare colligimus, ludi ex compacto: nec vestra referre arbitramini, quòd agricolæ (quæ solius episcopi sub urbana jurisdictio est) ad aquam usque redigantur, quorum inopiam civitates quoque luere pòst cogentur. Ab hac grassantis militis injuria, non solum non defendit nos præsul, verum edicto etiam nuper cavit, ne quis vim illatam arceat: ne, ut hostilia evitet, cum grassatore paciscatur, nisi assensu & prætorum nutu. Constituta ad hæc mulcta est iis, qui pecunia fortunarum incolumitatem stipulati, indicio deprehenderentur: adeò ut tolerabilius foret, apertum habere bellum, quò hostilia patientibus & inferre vicissim & in hosticum egredi liceret. Quin his omissis, inquit ille, Consul. ocyus ad portam mittatur aliquis speculatum explorati quid, quantum eorum robur sit: ubi stativa habeant. Quanticunque is conducatur, ego solvam. Coss. re dubia haud mediocriter perculsi, inter spem metumque ad portam vadunt. Casu ita incidit, dum in porta sedulò exquirunt, si quid novi allatum esset, commodum adesse quendam qui dicebat, superiori nocte in Waembergorum pago se apud exercitum fuisse. Hunc in diversorium ad Seldenackerum adducunt. Ille in secretorium locum paululum abductum, è militari more singula rogat. Quam æquus aditus in illos minimo periculo esset: ut levi momento, ex improviso opprimi possent: aliaque id genus opportuna. Hoc misso facto, ambos Coss. ad se eòdem convocat, ne quis arbiter rei
Mertsbergen. cognoscendæ interesset. Teneo nunc, inquit, ubi subsideant, salva res est: ad Mertsbergam, solidam adeuntibus terram, & opportunam, ad disturbandum eos retro, vel oppositos colles in Rhenum: idoneam nobis me hercle regionem, sive opus sit procursare, sive receptum habere. At Luesdanæ paludes densati soli sunt vici, an per omnia palustres? id operæ est scire. Apparebat id ei, trigesimum propè annum jam in his regionibus versanti, memoriæ infidelitate excidisse. Breviter ad singula à Coss. responsum datum. Si inquit, equiti insequendo fatigato, noctis interventu, ac longioris viæ tædio, Dorestatum se recipere, aut Ultrajectum, molestum fuerit, aditus ne receptui nobis in urbem vestram patescet, an non? Hoc illud erat, quod Consul post tot interrogationum ambages tacitus expectabat: suspicabaturque eum ad ultimum sciscitaturum esse. Si id in nostra, ait ditione positum esset, non operæ magnæ foret: expeditè tibi respondere. Verùm quia id non est, plurium super ea re consilia tentanda sunt. Quoniam, ait Seldenacker, omnino oportet rem consultandam proponere, & alios in consilium assumere, coge quantum potest, & quidem quàm paucissimos, ut silentio transigatur. Contrahunt Consules tumultuose sex Consulares principes, & tumultuosius hos consulunt. Intra horam in diversorium revertuntur, secum adducentes eos ipsos Consulares: simul ne sine arbitris equiti responderetur: simul ut coarguerent, rem præsentem publico consilio agitatam fuisse. Ibi exorditur Consul exponere, non videri è repub. id quod postularet: exaggerans periculum, quod hinc civitati ingrueret. Nec suæ potestatis esse, quod ne novus quidem senatus, si convocetur, præstare posset. Ad novum & veterem, & ad populum referri oportere. Spem concipere, ut ad ordines relatum & trajectum, omnium suffragiis sine magno certamine consequeretur: neque diu verò consultatio teneret. At illud (inquit) vehementer demiror, qui cum tam modico equitatu tanto peditum agmini dicas te occursurum: in quos si equos admiseritis, nullis pedestribus copiis adjuti, ad unum omnes vos occidione delebimini; quo incœpto nihil stultius, aut etiam vesanius. Nihil minus itaque verisimile, quàm vos id agere. Ut jam portæ nocte vobis, adde etiam vel sine custode, sine vigilibus pateant, certe id sine insigni calamitate reip. & gravi incommodo fieri nequiret. ut taceam jacturam eorum qui suburbia extra portas incolunt: quibus incendia, direptiones, captivitates, & mala id genus, ut hostium loco habitis, subeunda forent. Stultum est admittere, quod prohibere queas. Quod si omnino principi stat sententia, grassantem militem finibus propellere signum per vicos tota ditione det, quo ad arma conclametur. E civitatibus voluntarii evocentur, ut tum delectu habito contractisque in unum undique viribus, eos fundat, fugetque. Quod si fecerit, Amorfortiorum fidem non desiderabit. Quantum vero ad id de quo nunc agis, non gravabor extemplò ad utrunque senatum & populum convocatum referre: penes quos, ut summam potestatem, permittendi negandique jus est. Sin aliter visum est,

nullis

nullis scito equitibus noctu nostras portas patêre. Pontificius eques advertens, tentatis variis consiliis nihil toto potiundo superesse, celeritatem illico subeundi in hostem palantem fingens: Equitum, ait, turmæ me operiuntur in Birca. Ne quid frustra iis sim in mora, Consul quod potes, raptim ad consilium rem referto: inde per lictorem, ut certus sim, significato: ibi eum operiar. Illico equo celeriter conscenso, iterum inde abreptus, in Bircam contendit. Pervenerat jam ad quingentesimum ab oppido passum, ibi subsistit aliquantisper: atque equo ad civitatem frenis circumacto, versoque, eam obtuens dixisse fertur. Utcunque respub. nunc omnibus tuis partibus concors sis, ut fores portarum in discrimine nobis objiciantur, patebis tamen aliquando, ubi ambitio & avaritia corruptos principum senatus animos versare cœperit. Sibi fortunæque obiratus, quod incœptum suum frustra fuisset, subditis equo calcaribus, quò cœperat, ad suos in Bircam perrexit. Habetur interim indictus tumultuosè senatus, nunciaturque per lictorem conscenso equo senatusconsultum. Omnibus unam stare sententiam, nulla ratione è rep. duci, equitatum noctu in civitatem à fuga & itinere recipere: alios alio metu percelli. Si qua alia re, à qua periculi metus abesset, principi gratificari possent, imperaret solum: fidei se exemplum edituros. Pontificii accepto senatus responso, proximos leniter erectos colles cursu petunt: ibi duos à grassantibus copiis speculatores missos, quò eques iter intenderet exploratum, intercipiunt, trahuntque funibus constrictos tanquam hostes. Paululum inde montem circumvecti, in acclivi solutos rursum dimittunt. Inde longius devecti, cum jam haud procul à Waemberga abessent, in plano campo, tanquam peditem ad pugnam exciturі, alas in conspectu instruunt. Aberat haud longo inde intervallo domus rustica, à frequentibus ædificiis reliquis ad meridiem semota. Huc ubi nunciatum est equitatum Episcopi adesse, prodeunt illico ex ea centuriones equiti obviam. Hi cum equitum magistro aliquantisper secretò ab equis collocuti, cum equitate simul Wicam se abripuerunt. Cognitis his, ab exploratoribus ad id missis, dolo ac fraude accepta Amorfortii, ne sera aliquando consultatio esset, maturè sibi deinceps ab insidiis seriò cavendum esse, tum demum adverterunt. Nam postquàm consuetis artibus, sycophantiis, criminationibus parum speciosis, calumniis, videre Ultrajectini se nihil efficere: ad opprimendam insidiis civitatem (aperta vi non poterant) per principem, consilia intenderunt. Sequutis paucis mox diebus alius, sed artificiosius consutus dolus, cujus incœptum eventusque juxta cecidit: ut planè intelligas, omnia divino arbitrio magis, quam consiliis humanis temperari. Episcopus Amorfortiam quinto Non. Martias ad senatum literas dat: quæ in senatu lectę sunt, in hæc fermè verba. Haud perinde nocturnam exclusionem meo animo ægrè esse, atque solicitudinem vestram mihi nunc per omnia expertam, gratam fuisse, velim vobis persuaderi. Quare culpam offensæ (si qua fuit) omnem in vestræ vigilantiæ gloriam & immortalem laudem averti. Adjuvistis præterea tam salutari consilio, ad copias finibus fugandas, quàm haud quisquam alius antè. Quo à Magistro equitum accepto, censui non elanguescendum, quin extemplò in omnibus vicis dari signum jubeam, ut ad secundum datum, agraria plebs in armis cum telis, sub præfectorum suorum signis, designatis locis adsint. Dedi item literas ad senatum Ultrajectum, ut habito in urbe delectu, auxilia adversus grassatores itidem mittant. Contenderim, ut vos quoque voluntarios ducentos armatos huc mittatis, qui cras prima luce ex robore civitatis in Bilta pręsto adsint. Nam quo copiæ nostræ magis sint subitariæ, eo facilius erit, nostri consilii securis, inopinantibusque supervenire. Cæterum cum tempus angustius esset, quàm ut pòstridie sub exortum solis subitarios ducentos mittere valuissent, indictum diem non servarunt: nam serum diei erat, cum literæ Coss. redderentur. Exemit interim cura habendi delectus totum propè biduum. Tertio inde die Tert. Non. (ne imperio suo non pareri obloqueretur) sub signo delectos armatos prima luce in Biltam mittit. Veritus Consul insidias parari, (ut est mens humana rerum ferè in sinistram partem præsaga: simul quia sæpe antea insidiis tentati fuerant) hujusmodi consilium init. Institutum vetus erat, & multis sæculis observatum, quoties duce Episcopo, hosti bellum quatuor inferæ ditionis civitates consociatis animis ac viribus facerent, ut in obsidionibus cum Ultrajectinis Amorfortii castra conjungerent: aliæ unà itidem castra metarentur. Ne igitur in locum insidiarum armatus civis traheretur, Cos. nuncium duas horas, quàm illi civitatem exirent, antè exploratum præmittit, satis ne tuta omnia essent. Inde Ultrajectũ properè cõtendere, ac Consulem adire, percontariq; jubet, ubi castra ipse posuisset: cũ quibus Amorforti, qui in monte præsto jam adessent, conjungerentur. Peragit

git mandata nuncius. Rogat Vulvenum consulem (nam Sulenus commodum in periculosam valetudinem tum inciderat) in quem locum Amorfortii, ab domo exciti, ad Ultrajectinorum signa convenirent, ubi castra ipse haberet. Ad ea obstupens Consul, ut hujus consilii planè ignarus, paululum obmutuit. Mox quasi ad se reversus, ac meditabundus altiori cogitatione occupatus abfuisset: Paululum (inquit) me hic operire, dum in principis curiam ultro citroque eam, evestigio tibi responsurus. Nuncius nihil expectato Consulis responso (ne non maturè occurisse, suis fraudi fuisset) Biltam cursu quàm maximo potuit repetivit. Ibi cum Amorfortios casu obviam haberet, hastis terræ defixis audiendi cupidos, quid bono Bitius (id nuncio fuit nomen) adportaret, consistere jubet: ac jusso manu silentio. Milites exclamat) militia longa exautorati, domos quisque suas redite: persolvistis principi vestram fidem. Stipendium vobis pronunciatum emeruistis. Exoritur clamor pro indigno habentium, se domo frustra excitos ludibrio haberi. Nunc demum apparere, fraude ac dolo planè Ultrajectino se petitos esse. Si iterum aliquando ad conveniendum dies indicatur: non magis eum se observaturos, quàm is servarit, cujus consilio princeps diem hunc indixisset. Rogressi inde ad ducentos passus in dumos versus erant, cum subitò quendam ita infestè equum calcaribus agentem, se sequentem vident, ut à cursu vix spiritum trahens, jamjam procubiturus appareret. Missus hic è principis curia erat, ut retro pedes domum referentes de via revocaret. Episcopus vos, inquit, ab itinere cœpto retractos ad urbem accedere jubet: ut à designatore mansionario per hospitia suburbana, dum civis se instruat, distribuamini. Amorfortii mandatorum Consulis memores, pergunt iter, quod facere cœperant. Nihilo securius miles grassator propulso omni hostis metu interim pagatim singula loca pervagando, continentibus agminibus rusticos ex agris in urbes migrare compulit. Descenderat jam infesta manus in ripæ Vechtæ amnis finitimos vicos, qui spectant Hollandiam. Fiebant huc ex urbe Ultrajecto quotidie excursiones, eruptionesque equestres in palantes: edebantur levia sed sine effectu certamina, ne nihil clari expectatique facere dicerentur. Medio civilis tumultus ardore, cum omnis religio in summo direptionis metu versaretur: D. Stephanus Niveldius Teutonum ordinis Magister, relicta urbe, in Marsos (miliare vicus ab Ultrajecto distat) ubi arcem ad delicias magis, quàm ad vim propulsandam in alluentis Vechtæ ripa nuper conditam habebat, tanquam in tutum asylum confugerat. Huc quoque omnes ordinis sui opes, quæ immensæ erant, quibus quàm vitæ suæ magis metuebat, solicitus transtulerat: tutiores ibi fore ratus, quàm intra mœnia. Sed eventus (inquit Fabius apud Livium, disertè & vere) stultorum magister est. His ipsis diebus, quibus milites omnia quanti in Vechtæ fluminis ripa vici sunt, loca insidebant, ipse in arce erat: tuendi gazas studio magis, quàm recreandi animum. Fossa arx circumducta erat satis alta, in qua ad omnem usum, piscium varia genera conservabantur. Huc gregarius fortè temporis fallendi gratia hamo piscatum exierat septimo Idus Martias. Ordinis magister piscatorem è fenestra sublimi conspicatus, (ut vehementis erat vir ingenii) ab arce recedere edicit: & nisi pareat, habiturum mox infortunium. Nihilo ille constantius, contemptis minis, subinde pisciculum attrahens, atque escam mutans, securus piscari pergit. Stephanus pro indignissimo habens, se in suo regno à lixa vili contemni, famulo (Gulielmo ei nomen) tormento eum iratus submovere jubet. Haud cunctanter is, quod jussus erat, herile imperium exequitur: trajicit globi jactu piscantem gregarium per adversum pectus. corruit ille, defluente è manu virga in vulnus. Temerarium mehercle facinus, ne dicam stultum: quòd cum undique in arce tam infirma, nullisque præsidiis impositis munita, tantis facinorosorum militum cohortibus septus, obsessusque esset, periculi sui non admoneretur: ubi nec auxilia expectaret, quorum adventus à vi illos & grassationibus repressisset. Quare temerarium facinus similis statim exitus est secutus. Manavit repens rumor atrocis facti in proximos vicos, inde ad duplicarios & centuriones: à quibus tantæ copiæ authoritate magis tum (quia militari gloria inter suos illustres clarique erant) quàm imperii jure sursum prorsum circumducebantur. Ad hos simul undique efferati unius cæde milites concurrere, indignarique cum ingenti fremitu, socium fortem virum nullo suo merito ex arce trucidatum. Cujus mortem si inultam sinant, rusticos etiam undique jam arma consociaturos, à quibus omnibus locis per insidias incauti opprimerentur. Exemplum in hostem edendum, qui prior hostilia intulisset, utcunque res caderet: quo reliqui mortales edocti, interfectorum pœnas in authores justè verti scirent. Concors omnium dissonus clamor erat hic deniq; ut ulciscēdi magis necem gregarii,

Stephani Niveldij casus. Vide lib. 3. Vitæ S. Gertrudis per Abbat. Nob. & Rev. Iosephum à Rijckel. fol. 621. in Serie Lant-Commendatorum.

1527. in Martio.

gregarii, quàm prædę studio arx expugnaretur, ipſeque Magiſter ſuo ſanguine cæſi necem expiaret. Iuratur in centurionum verba efferatis ſpiritibus, ab oppugnatione non receſſuros prius, quàm arce potirentur, ipſumque contrucidaſſent, qui facinus conſciviſſet. Inde expugnationi ultimæ inſtructi, arcem ingenti clamore cingunt: collocatis circuitu tormentariis, diſpoſitiſque ita, ut adductis & collimatis in feneſtras, & rimas fiſſuraſque murorum ac turrium tormentis, ad prohibendam inde domeſticorum præſidiorum vim, reliqui tuto machinas admoverent. Quare ii pauci qui intus erant, nullis telorum generibus de feneſtris aut pinnis ſe ab impetu efferatorum hoſtium defendere poterant. Omnibus inde copiarum viribus per foſſam murum invadunt: atque undique ſcalis admotis, ingenti certamine in ſumma nituntur. Pars feneſtras ſubductariis funibus in tranſverſa conſertaque earum ferramenta injectis convellere: alii januas & limina è cardinibus, poſteſque ipſos ſuccula demoliri. Nonnulli tormentario pulvere indito ſeris, vectes ac peſſula perrumpere: omnes ad ſubeundum aditus tentare: magna vi rem gerere. Intus trepidatio ingens erat, & metus, armiſque quibus poterant potiſſimum, ex occulto feneſtris hærentes ſcalas cum ſcanſoribus deturbare: impigrè quiſque ſuis ſtationibus patentia loca tueri: ſolum cavere, ne qua tormentariis expoſiti conſpicerentur. Itaque diu virtute magis, & loci natura, quàm armis arcem tuebantur. Cochlea erat, per quam ex imo loco ſurſum gradibus aſcenſus patebat, per intervalla rimis ſpeculatoriis peranguſtis diſtincta. Per hanc in ſuperius conclave ſuos inhortaturus ordinis præfectus aſcendit. fortè clamoribus diſſonis expugnantium inferentiumque ſcalas turbatus (ueritum credo aditum aliquà in arcem patefactum) admoto fiſſuræ capite explorat quaſi tutò, ecqua fortuna ſeſe daret, aut hoſtes impetum remitterent. Ibi globi jactu per frontem tranſverberatus, retrorſum abiit aliquantum, ac propemodum præ vertigine concidit. Deſcendit tamen genibus labantibus vacillantibuſque ſemianimis: ac progreſſus in atrium domus, apoplexia ſubitò ictus, exanimis in terram in ſuorum conſpectu corruit. Accurrunt deſertis ſtationibus hero famuli opem laturi: cùm ſentiunt animam exhalaſse. Oritur totis ædibus comploratio: nec ſpes, nec voluntas eſt amplius tuendæ arcis, id anxiis, ut reb. ſuis & vitæ proſpiciant: cum undique inter hæc conferti diffractis foribus, & per feneſtras illapſi, arcem capiunt. Cum armis obvios primo impetu efferati trucidant. Sacrificum cæſi heri corpori imminentem, dum animam ejus precibus Deo religioſe commendat, in veſtigio obtruncant, ac ſuper mortuum adhuc palpitans cadaver devolvunt. Sed ne adhuc quidem his ſuppliciis exaturati, in recenti ſtrage fuſos etiam rabie pluſquàm barbarica crudeliter ferro deſæviunt. Famuli qui in teſtudineatum turris columbarium trepidi ſubducti ſcala fugerant, pacti fidem, inviolati dimittuntur. Reliqui arcem diripiunt. Huc ſtatim ſub multum in has regiones acceſsum, quantum ruſticorum erat, omnes ſuas opes tanquàm in inexpugnabile præſidium congeſſerat. Univerſæ hæ quoque cum theſauris ſanctioribus ordinis Teutonici, prædæ militibus fuere. Vaſa tamen argentea graviora ducum juſſu in mediam concionem congeſta, reddere coacti ſunt. Rumor patrati facinoris Ultrajectum allatus, cùm plebem, tum pleramque factionem, incredibile dictu, quàm turbavit: quos de Centurionibus ſua exiſtimatio & dudum perſpecta fides fefellerat. Cohortes ſtatim patrato facinore juſtam Ultrajectinorum vindictam, mala icti conſcientia veriti, metu pœnæ ob latrocinii ſpeciem, diverſis itineribus alii aliò domos quiſque ſuas dilabuntur. Efferarat cædes Præfecti Teutonum, factionem ad odium execrabile graſſatorum, ad quos carpendos mittuntur extemplò equites. Septem in ripa Vechtæ oppreſſi, retractique in urbem à fuga, tertio quàm in carcerem deducti eſſent die, in foro Palatino percutiuntur. Centuriones ancipiti periculo ſoliciti, antequàm à ſuis deſtituerentur, & præda onuſti in perſecutorum manus pervenirent, cum parte copiarum Leccam trajiciunt: ubi expoſito in ripam milite, & fide publica implorata, Viennæ Herculanorum aliquandiu commorantur. Recens ira ad eos inſequendos ſtimulabat Epiſcopum, & factionem: ad quorum ægras mentes illud quoque acceſſit, quod Brederodius princeps ad robur oppidi ſui augendum, exulibus latronibuſque aſylum aperuiſſe videbatur, quibus à divinis humaniſque rebus nihil tutum foret. Eam autem animi ægritudinem Epiſcopus nihil diſſimulavit, cum Ultrajectini per literas expoſtulatrices ad illum datas nihil impetrarent, legatos ipſe miſit, qui cum eo coràm de accepta injuria expoſtularent. Miſſi autem ſunt Iacobus Mindenus, Fredericus Seldenacker, Lubbertus Walanus, & extra hos pauci alii. Cæterum Viennam hi profecti, ubi poſt acrem expoſtulationem eò ſpiritibus præferocibus efferbuiſſent, ut niſi, quos depoſcerent, ii

 trade-

traderentur Ultrajectinis, talionem Brederodio minarentur. Quare rebus infectis, & ægris animis discessum est. In metu interim erat Viennensis, ne qua ecnephias ab Ultrajectinis cooriretur, quos non quieturos sciebat, quin aliquid memoratu dignum designarent: vigilias noctu in muris, custodes interdiu in portis & speculis collocat, ne incautus opprimeretur. Arx huic inde erat, situ loci & opera satis munita, Termeida appellata, mille passus à Vienna, à Leccæ ripa ad teli conjectum sita. Huc sub noctem præsul Ultrajectinus lectum manipulum occultè mittit, qui eam novis artibus invaderent. Hi prima luce vadum transgressi, in ulua abditi in insidiis tantisper latuerunt, donec præfectus præsidii in ædem Meidensem proximam ad sacrum cum famulitio descendisset. Oriuntur inde duo, ad texendam proditionem delecti, monastico cellariorum fratrum habitu, capitibus attonsis cucullati. Hi placidè pulsato ostio, à famula insidiarum secura intromissi, aditum occupant. Ibi cum mugitu ex occulto emergentes reliqui, accurrunt, arcemque extrusa famula, iisque paucis qui intus relicti erant, capiunt. Extemplò quicquid telorum ad arcem à Brederodio defendendam ibi inventum fuit, contra incursum hostis disponunt. Nuncio invasæ arcis Viennam allato, heros primò non satis secum causam hostiliter ab Ultrajectino illatæ vis reputare valuit: cum quo semper quoad licuit, fidam pacem & amicitiam coluisset: ne quid dicam honorificum nominis *titulum, quem in ipsa urbe gereret. Deinde submonitus à suis, id mali propter exules partim acceptum, partim quod centuriones in fide publica intra muros versari pateretur, intellexit consulto opus esse. Et quanquam exasperato animo arma illata indignationem movebant, censuerunt tamen sedatiores ingenio viri à consiliis, priusquam ipse vicissim hostilia tentaret, per legatos res repetendas esse. Missi extemplò ad Episcopum legati, ad altercationem usque de illata injuria disceptarunt. Captari in se belli materiam, cum domi intestinæ seditionis concitatores desint. Haud satis eum habere, domesticam facem tumultibus flagrantem jam extinctam esse, nisi finitimos principes quocunque prætextu lacessat, & ad bellum provocet. Majores (inquit legatus) nostri societatem necessariam magis quàm utilem cum populo Ultrajectino & episcopis ob nominis in urbe fumosum titulum semper coluere. Leccam nunquam cum infestis signis transivere: ne à se injuria prius orta diceretur. Et nunc si illo argumento vos læsos querimini, edite, ut sit quod domum referamus: sin minus, præsidia deducite, ac res ablatas reddite. Quod si illa facere recusatis, pati quam retaliare injuriam malumus: quando armis disceptare non libet. Ad ea ferocius Episcopus. Nulli obscurum esse, cur Leccam transisset, atque arma prior intulisset. Neque ipsum adeò Brederodium fallere, quantumvis dissimularet. Exules nuper in sui primum, inde & nominis Ultrajectini odium eum apud se habere: à quibus hostilia indies adversus amicos suos positis insidiis tentarentur. Ad hæc, paucis diebus haud clàm esse, quòd in parem contumeliam latrones illos sceleratissimos, à quibus haud ita pridem in Marsorum arce latrocinia horrenda perpetrata essent, in intimo pene consilio haberet. Id à se & Ultrajectinis ordinibus perinde accipi, atque ipsius tacito consilio & ope illi adjuti essent. Abunde hinc constare, ab eo prius damnum datum. Quod vero amicitiam & societatis fidem jactitaret, sciret eam his ex rebus ab ipso apertè prius violatam: Proinde se hos ad supplicium deposcere populo Ultrajectino tradendos: illos verò juberet sua ditione decedere. Quod nisi faceret, se præsidia ex arce Meidensi non deducturum. Quòd exules (inquit Viennensis) in oppidum receptos querimini, nihil est quod ad vos pertineat: cum vetus sit exemplum, patria profugorum & exulum in aliena ditione fidem publicam suppliciter petentium misereri, & è jure gentium exoratam miseris servare: nisi vestrum imperium in nos etiam prolatum esse fortassis arbitremini. Ut jam è Vienna ad vos opprimendos, texendamque proditionem profecti sint, id publico consilio factum certè convincere non potestis: & vestrum esset, his capitis diem apud judicem suum dicere. Apud nos quoque legibus sua est severitas, & sontibus sua pœna constituta: sed quam nisi in legitimè convictos exercemus. Iam quod de capitibus grassantium copiarum tradendis, cum in nostra potestate sint, velim ita arbitremini, jus gentium inviolabile servatum oportere: nec ipsi negabitis, quantumvis omnia miscetis. Reliquum igitur est, ut renunciata fide publica, vestræ libidini fiat satis, resque ademptæ restituantur. At Ultrajectinus exolescente paulatim adversus grassatores ira (ut dies omnia lenit, adimitque) turpe ac stultum ratus, si elapsis hostibus, ex arce voto non potitus præsidia illico deduceret, arte agendum censuit. Populus ancipiti in urbe metu, quorsum res evaderet, æger, factionem, eosq; qui principem huc impulerāt, execrabili odio persequebatur. Precari so-

Stratagemate capitur domus Amidana. Pontanus lib. XI. fol. 728.

** Burgravii nempe. Post Benthemios & post Cuyckios Burchgravios Trajectenses, videtur Burgraviatus Trajectensis ad Comites de Goy pervenisse, à quibus ad Vianios & sic tandem ad Brederodios, in quorum familia adhuc hodie manet.*

Publica fides exulibus non denegenda.


Ius gentium non violandum.

lum, facinus, quod patrarant, authorum capitibus aliquando expiatum iri: ne quod paucorum consilio admissum esset, id universi ad postremum luerent. Nota enim vulgo erat vehementia ingenii Brederodiani: nec injuriam sic inultam abituram, quacunque via id fieret. Suspecta erat in primis cunctatio viri ad vindictam, reputantibus præmatura consilia sæpe in foelicem exitum sortiri, lenta verò majori impetu suscepta, auspicatius cadere. Et quanquam eum episcopo imparem esse satis constabat, timebant tamen, ne imploratis Burgundionum opibus (quod ea cunctatio minari videbatur) & amicorum fide in fines suos effusus vicissim hostilia inferret: & magno paucorum stulta libidò staret. Deferuescente itaque indies ferocia, Episcopus cum apud animum suum anceps periculum reputaret, cœpit primùm per literas ad Brederodium factum excusare: transferreque, se ad reddendum impelli posse, quod ademerat, si locus colloquio legatorum destinaretur. Inde medius his intervenit Gelrus, per internuncios amicos Ultrajectini nominis, haud pacis sarciendæ studiosos perinde, atque Hollandorum opes formidantes, inductus. Postulat per literas ad utrumque sibi deferri disceptandæ controversię arbitrium. Abnuit neuter. Episcopus enim res quocunque modo redditas hac occasione cupiebat. Brederodius haud obscurè advertens quid à principibus Ultrajectini nominis talium rerum artificibus elaboraretur, fidem penes arbitrum constare jussit. Gelrorum Dux paucis pòst diebus, quàm ita inter principes convenisset, occultè per literas arcis Meidensis præfecto imperat, ut extemplò ex ea deductis præsidiis, ditione Viennensi decedat: jam inter Ultrajectinum & Brederodium de pace convenisse. Ille vim hostium veritus, priusquàm pacis fides omnibus innotuisset, nocte cum præsidiariis furtim transmisso vadò Ultrajectum fugit.

Brederodiani ingenii ferocia.

LAMBERTI HORTENSII
RERUM ULTRAIECTINARUM
Liber Quartus.

1527.



OCUS monet, ut intermissa paulum rerum Ultrajectinarum narratione, stilus ad ea recensenda revertatur, quæ circa hos dies inter Episcopum & Amorfortios agitata fuerunt. Hi cum principi ob supra relatas causas ad execrabile odium usque invisi essent, via haud facile inveniebatur, qua eorum pertinacia retunderetur. Nam post tot insidias positas, cum nulla fœliciter successisset, omne penè consilium vindicandi se amiserat. aliud itaque per hos dies cœpit. Iacobum Niveldium ex factione equestrium primaria, præfectum in præsidio Amisiano locat, paratum (ut videbatur) certamina cum vicinis serere, inimicitias & odia infestè exercere. Primum is adortus est Amorfortiorum municipes, sparsim in proximis vicis agentes: ab his multa iniqua postulare: his judicia, accusationes, mulctas minari. Ab his procemiis ad civitatis jura & plebiscita inusitatis commentis violanda animum appulit, ut ex compacto rem geri palàm appareret. Monitus à senatu per literas, ut ab incœpto desisteret: ac si quid vellet, jure secum ageret: respondit, se principi suo juratum, nihil nisi ejus imperata exequi: sed vix quidquam adhuc à se tentari cœptum. Colonum quendam Waembergensem è villa dominii Amorfortiani noctu in lecto oppressum arripuerat: hunc indicta causa, nulloque judicio damnatum, cum memorabili possessoris damno in vinculis per multum tempus asservabat. Ablato, abactoque omni armento, ac supellectilibus, nihil præter rurestre ædificium, & vacuum fundum reliqui fecerat. Quare villam, ut calamitosam ac fatalem, cum agrorum cultores abominarentur, deserta incultaque aliquandiu negligebatur. Captivo interea è vinculis causam dicendi potestas non fiebat. Mittuntur è civitate legati ad præfectum, ut ex fide veterum privilegiorum (quia sonticam obtendebat causam) reum liceret vadari: aut si pecuniæ res foret, bonis prædiis se cavere velle. Sed ne hic quidem æqui quidquam obtinuerunt. Vim (inquit præfectus) fecit in suburbana principis jurisditione: quare capitis judicio damnandus est. Vos enim haud fallit, cum nuper cum manu civium fœnum cujusdam igne in agro corrupisse. Damnum infectum prius redditum oportuit, quàm de vadimonio verba fiant, disputeturve, aut de privilegiis majorum agatur. Quare inanem operam scribendo legationibusque mittendis sumere desinite: pro crimine si non extremas, certè ex principis arbitrio pœnas dabit: ne similis inferendi vim per vos licentia alios in posterum ad nefarium exemplum invitet. Tum Amorfortius.

Iacobi Niveldii grandis dominatio.

Oratio Amorfortiorum Legati.

DAto damno in senatum statim te majorum tuorum exemplo venisse, & jure egisse cum reo oportuit, & injuriarum formulam principis nomine intendisse: ac non insolenter in contumeliam Amorfortiorum hostiliter direpta villa, abactoque omni pecore, è civis prædio extractum prehensumque rusticum in vincula conjecisse. Sonti scelerisque convicto certè sua mulcta parata erat. Imprudens locorum, in quibus medius consideas: & populi, cum quo seris (utcunque cadat) certamina, nunquàm inceptaturus, si cogitares, id quod majoribus tuis, qui in hoc ipso præsidio præfecturam proximè gessere, evenerit, postquàm populum Amorfortium lacessere cœpere, tibi quoque evenire posse. Memineris

mineris, si per occasionem infortunium feras, retaliatum ex jure esse, & non læsum prius.

Præfectus contemptis Amorfortiorum expostulationibus, principis jussum obfirmatus obire pergit. Petit extemplò per literas senatus fidem ab Episcopo legatis mittendis ultro citroque Wicam eundi, (non enim temerè erat, quòd contra jus gentium se violatum iri metuerent) à quibus querelas de superbia & vi quorundam præfectorum jurisdictionis Amisianæ intolerabiles in agrariis administrationibus cognosceret: à quibus ipsi & coloni sui indignis contumeliis afficerentur. Respondit Episcopus, Calend. Iun. se mirari, cur bonam pacem ab se exorarent, cum ea non nisi ab hostibus, & iis quorum fides suspecta esset, peti soleat. Quod potuit, omnem benevolentiam erga ipsos semper declarasse: nec dubitare, quin ita quoque de se existimarent. Tantum abesse, ut hostilem spiritum aut insidias ab sese metuerent. Nihil moratus senatus, legatos mittit quatuor senatorii ordinis principes, Iacobum Dolrerum, Ioannem Sosium, Gerardum Sosium, Nicolaum Gerardi filium. Brevi pòst hi profecti Dorestatum venerunt. Nuncio in arcem Amorfortiorum legatos advenisse allato, postridie exponendæ legationis iis copia facta. Huc intromissi, principem pedibus holoserico fasciolo obligatis humili scimpodio sedentem, pallidum extremaque macie confectum, (ut qui ab adversa valetudine nondum restitutus esset) ac planè Trophonianum aliquem offendunt. Assidebant dextra lævaq; ab intimo consilio, Iacobus Mindenus, Fredericus Seldenacker, Hadrianus Rhedius, Gysbertus Hardenbrochus. Atque inter hos præter spem & expectationem præfectum arcis Amisianę offendunt. Et quanquàm hi commodius eum coràm de vi & indignis contumeliis acceptis criminari, ac vicissim ille suam causam tueri poterat, quàm si in absentem multas acerbas accusationes cumulaturi fuissent, non fefellit tamen Amorfortios, quid inter ipsos alebatur. Dissimulata interim in præsenti solicitudine, Dolrerus exorsus est acerrima oratione, indigna, quæ indies à præfecto paterentur, exponere, eaque exaggerare, quantum dicendo valuit. Per illum jura patria, instituta majorum, beneficio priscorum antistitum accepta privilegia, laudatas consuetudines forenses in suburbana jurisdictione, in villas & prædia plusquàm tyrannica ferocia sævientem everti. Colonorum passim fugam fieri, alios arreptos indicta causa in custodiam trahi. Vt vis prosit, causas eum comminisci, ac principis imperium prætexere. Velle scire se, num hæc illius jussu exerceat, an privato consilio. Poscere res ablatas reddi, indigna illata sarciri aliunde, atque illum facinorosum ob graves injurias memorabili multa anquirendum. De his certiores fieri cupere, ut esset quod domum regressi ad senatum referrent. Finem dicendi fecerat Amorfortius. Legatis paululum exire jussis, Niveldius in consilio mansit. Dissimularunt tamen dolorem in præsenti Amorfortii, & indignitatem, quam paulo pòst aperto stomacho detexerunt. Intrò mox revocatos, magnis certatim clamoribus toto consessu aggrediuntur: nulla vox satis gravis atroxque invenitur, qua dignè appellentur. Sub hæc paulisper silentio facto, Aulæ præfectus acerbè in eos invehitur, nihil expurgans præfectum Amisianum, sed translatione utens: Non est, inquit, cur vos Amorfortii rogetis, quo consilio, suo ne an alieno, vestræ possessionis colonos arripiat præfectus Niveldius. Quod ut sciatis, quicquid hujus gessit hactenus, episcopi jussu, cui jurejurando obnoxius est, gessit: & graviora in sua jurisdictione deinceps ubi jussus erit, moliturus. Nec vestri fori possessiones jurave usurpat, cum extraurbanæ jurisdictiones ad episcopum pertineant. Vana interim sub vestro nomine libertatis persuasione facinorosi homines agrarii tuti, quicquid neque jure, neque conditionibus æquis obtinere possunt, ad id occupandum aperta vi palàm utuntur. Vestrum exemplum imitantes, libidinem pro jure habent. Pervicaciæ impunitas vobis ad omnia animos facit, ut ubique etiam jura libertatesque allegentur. Habet in memoria adhuc princeps refractariam illam superioribus annis pertinaciam vestram, cum temporibus civilis discordiæ, per vos tantis & tot tumultibus conquirenda pecunia differretur. Qua ex re irritatum ejus animum multo adhuc inclementiorem experiemini. Injuriæ tardè senescunt. Adversus hæc, multa quæ viderentur opportuna, Amorfortius respondisset, quorum alia probabiliter refellendo, alia defendendo, continuis orationibus aliquot horas consumpsit. Exitus hic ad postremum ab eo orationi est impositus. Conclamando obtestati sunt, indignam vim sibi fieri, & opprimi suam libertatem. Vel illud rem ipsam coarguere, quòd is cujus criminandi causa huc convenissent, contra jus æquumque,

Amorfortiorum factum consultissimum.

Injuriæ tardè senescunt.

que, exeuntibus civitatis Amorfortiæ legatis, in consilio, reus actus, permaneret. Tot denique horis frustra disceptando absumptis, cum episcopus ad omnia obmutuisset. Amorfortiam legati redierunt. Per eos autem annos, quibus otium reip. Vltrajectinæ turbabatur, æris alieni, ob impensas, quæ in varios legationum usus factæ fuerant, ad quatuordecim aureorum milia, & septendecim, conflatum fuerat. Vt ea redigerentur, brevi dies ordinibus ad conveniendum edicitur his ipsis diebus, ut quantum impensarum factum esset, communi ditionis sumptu dissolveretur. Quæ res tametsi ad Vltrajectinos, à quibus id æris pecuniæ inopia tum conflatum erat, propriè attinebat, ad audiendam relationem, aliæ tamen civitates è consuetudine per literas ad conveniendum eòdem accitæ, dictum diem quoque servarunt. Proposito hoc tum in consilio nihil aliud fuit actum, quàm ut id proximum conventus diem, qui tum eòdem ind cebatur, consultatio integra rejiceretur, de conquirendis conficiundisque milibus, quorum index capitatim recitatus lectusque ibi fuit. Exemplum indicis, de factis impensis, civitatum legatis petentibus est concessum. Domos quisque suas reversi referunt. Amorfortiæ, postquam legati quid in conventu ordinum propositum in consultationem proximi concilii fuisset, retulere, legendum exhibent indicem capitum, in quem usum ea pecunia insumpta diceretur. Nondum ad finem legendo perventum erat, cum ab omni concilio uno ore recitanti fit reclamatum. Ecquæ inverecundia esset, quod Ultrajectini nulla fronte proponerent civitatibus de contribuendo, ad ea debita, quæ ipsi sua ipsorum stultitia, nullo sociarum civitatum neque consensu, neque consilio parassent? Quid si animam nexi deberent? Olim cum Amorfortii iniquitate fortunæ, simul per intestinam calamitatem omnibus penè Hollandici nominis civitatibus obærati essemus, ut capita vix è portis exerere liceret, metu nè vel retinerentur, vel nexi intercepti in vincula ducerentur: nulla Ultrajectinorum ope adjuti, ipsi nosmet argento facto & infecto in ærarium certatim collato redimebamus. Tunc & matronarum pecuniæ signa argentea quoque congerentium, nostrum ærarium adjuverunt. Smullingiacæ inimicitiæ nulli ferè non mortalium in conspectu adhuc sedent. Hæc & id genus alia huc spectantia absentibus occlamantur. Quare in dictum diem conventus non servarunt. Et quia sine illis neque largitio agraria, neque recensus domorum rusticarum constitui poterat, cum diem concilii non observarent, nec ad frequentiores ordines consultationem suam per literas saltem deferrent, rati illi id quod res erat, eos restitare ne conferrent: ad principem illico, qui satis ab ipsis stabat, rem integram deferunt. Erat adhuc is à diuturno morbo invalidus, ægerque. Quamobrem eum perpellunt (quia non minima portio ejus pecuniæ illi addicta erat, quo alacrius negotium urgeret) ut diem Wicam Batavodurum conveniendi ordinibus indiceret: eoque Rhenanos, & nominatim Amorfortios ab domo exciret. Cupidè & haud cunctanter postulatum Ultrajectinorum Præsul exequitur: ut principes facile omnes muneribus corrupti, divina etiam humanaque omnia venalia habent: gurgites inexplebiles, & edaces populorum voratores: quorum sitim Tantaleam neque Tagus, neque Pactolus, quantumvis auri arenas rebulliant, unquam expleverint. Per hanc turbatum fuit ocium populi Ultrajectini, longæ paci assueti: hinc calamitas & eversio ditionis magna gloria & opibus florentissimæ: hinc prima totius tragœdiæ scaturigo erupit. Brevi quàm id receperat Præsul, XVIII. Cal. Iun. literas Amorfortiam dedit ad senatum. Lectæ autem sunt eodem die in hęc verba. Ex quo Episcopus renunciatus, & in hanc regionem procul ab domo accitus veni, magni sumptus, cùm in alios usus, tum in crebras legationes, contraque grassantem jam nuper sine duce latrocinii specie peditem, à me facti sunt. Scopus autem eorum hic fuit, ut in ocio & pace nostra ditio floreret: id quod sedulò pro viribus nostris præstatum fuit. Sed aliquanto gravioribus impensis constitit controversia identidem ab Hollandis iterata de paludibus: quas utinam publico & commodo & quiete circumcidere licuisset. Longè verò maximam partem in equitum præsidia, atque peditum, quæ Ultrajecto adversus seditionem secessionesque civiles imposuimus, profusam esse, haud dubito quin vobis constet. Quare æquum est, & par, vectigal aliquod constitui, quo hoc æris conficiatur aliquando, vosque redimamini ab iis, à quibus mutuò pecunia absque hypothecis accepta est. Quoniam autem impensę in hos usus factę communiter ad omnes ordines pertinent, in contributione neminem excipi debere censeo. Diem ac locum Ultrajectum conveniendi indictum oportuit, ut hæc res ad frequens ordinum concilium referretur: quem ipse quoque, qui indixissem, observare cuperem. Sed quia à gravi diutinaque adversæ valetudinis conflictatione, corpore adhuc languidus sum & æger, ut conventui interesse non detur, primo res ordinum, in primis autem religionis, magno con-

Amorsfortii in collatione æris publici quam egentes.

Matronarum pietas erga Remp. Amorsfortiorum.

Munera quid possint apud principes.

Vltrajectinorum calamitas omnis unde.

gno consensu obnixè à me contenderunt, ut locus habendi conventus Dorestati edicatur. Idem reliquæ civitates per legatos flagitarunt. His à suis quibusque permittetur potestas, constituendi quod è re communi visum erit: ne consultando tempus extrahentes, in novos & inexplicabiles labyrinthos malorum denuò abripiamur: id quod superiori triennio heu nimium experti sumus. Velim vos legatos huc vestros quoque ad XIV. Cal. Iun. è senatu, cum integra transigendi constitutionem potestate citra relationem mittatis: ut eo die sub Vesperum in diversorio adsint. Mane postero die statim ad consultandum maturè convenietur. Postridie vetus ac novus senatus in hujus rei deliberationem habitus, facto senatusconsulto, in hæc verba per literas principi respondit. Non esse è repub. potestatem transigendi quicquam hac in re cum ditionis ordinibus, cuiqam permittere, quamvis tutum ipse obtenderet, & periculum avertere videretur. Sed & causam ejusmodi esse, ut ejus deliberatio sit, penes quos summum imperium in repub. esset. Retulisse itaque hanc consultationem ad veterem senatum & populum. Decrevisse autem, scisseque hos, ut ea quæ legatis mittendis mandarentur, scripto ad concilium Dorestatum dato responderentur: ut ordinum atque civitatum auditis sententiis, Amorfortiorum resignatis literis, sententiæ non desiderarentur, (non enim fefellit eos quò iret tam præceps ad decernendum consilium) ne quid obstinatiam calumniarentur. Cæterum eorum sententia scripto transmissa, hæc fuit. Multis in exordio verbis speciosis excusabant, cùm illud, quòd convocati cum aliis civitatibus legationes non decrevissent, tum quod extra necessitatem, integram rem ordinibus non permitterent: temporis rationem enim ad eam rem maturius consilium postulare. Velle tamen principi & ordinibus scripto id consilii dare, quod per legatos daturi fuissent, utcunque acciperetur. Omne studium præsulis conservandæ pacis, & ocii publici firmandi justum se habere & bonum: verùm hoc unum sibi videri ab ejus dignitate alienum esse debere, quòd cum ditio omni difficultate, parta post horribilem tempestatem tandem tranquillitate, se evoluisset, & onere quinquaginta milium, quorum collatio difficilis fuisset, levata foret: nunc eam ipse in novam malorum excetram conjicere adoriretur, quasi tot tantisq; malis nondũ satis edoctus esset, hac via rem Ultrajectinam in suum ipsius exitium defluere. Impensas autem has de quibus solvendis in præsentia disceptaretur, factas, nihil ad se aut communem ditionem pertinere: quarum cum bona pars ab Ultrajectinis per intestinos civilesque tumultus nuper conflata esset, in confesso stare ad eosdem illas separatim pertinere. Iniquum peti à se, & aliarum civitatum legationibus, ut cum publica ditionis calamitate eorum amentiam in commune luerent. De paludibus verò, in quarum lites cum adversariis, & legationes, non tenues sumptus facti essent, commentum impudens verius, quàm ludibrii speciem videri. Et hos quidem nihilo magis publicos, quàm illos, ad Ultrajectinorum motus compescendum, collocatos. Placuisse semel frequenti ordinum concilio, cum luculento decreto facto, ut fundorum domini ad eas soli, quæ fierent, impensas deinceps tenerentur: atque illæ in dominia earum, de quibus lis agitaretur, privata conjicerentur. Se cum aliis antè tempestatibus, tum superioribus annis in disceptatione de jure paludum, legationes suas publico sumptu ex ærario etiam misisse, simulque indies mittere. Et ne tanquam vanum id coarguatur, superesse quæstores, quorum calculi relati eam rem testarentur. Quare non magis se teneri ad Ultrajectinorum impensas, in domesticos usus, in legationes factas, quàm ipsi olim ad octuaginta milia tenebantur, ob quæ omnibus propè mortalibus civitas Amorfortia in Smullingiaco negotio obnoxia fuisset. Qua tempestate, ut ipsorum fides non implorabatur, quo pecunia adjuvarentur, ita nihil sua sponte vice humanarum fortunarum civitatis sociæ eos commotos fuisse. Cum ea controversia justiori ratione publica ad conferendum, quàm hæc sit, esse potuisset, quare ordinum fidem tum implorasse debuissent Amorfortii. Recitatæ in frequenti ordinum conventu hæ literæ Dorestati effecerunt, ut tum constituendis collationibus sit supersessum. Laboratum nihilo segnius est ab ordinibus ut constitutio tributaria aliqua excogitaretur. Et quamcunque ingrediebantur viam, unus is scrupus obstabat, urgebatque, quòd Amorfortii ubique intercederent, ut ipsi à contribuendo immunes essent. Ratus princeps cum eo populo mitius agendum, blandimentis eos adoritur. Quarto nonas Iul. Hadrianum Rhedium, quem civitati charum, & gratia populari plurimum illic valere constabat, legatum eò mittit. Postridie quàm venit, senatus ei datus fuit: in quem introductus, quid missus esset, breviter exponit. Repetitis eorum annorum variis casibus, in quos præsul infœliciter inciderat, docuit qua vigilantia, ablata olim castella, oppida, arces, ditioni grandi ære restituisset. Intestinum inde incendium ortum

Amorfortiorum æs alienum.

ortum: cui mederi cupiens, cum non posset, causam illi fuisse periculosæ valitudinis, à qua neque etiam dum convaluisset. Omnia autem sua consilia huc intendisse, ut quanticunque daretur, hinc a Gelro, inde à Burgundis pacem & otium suis redimeret, jura majorum tueretur: possessiones, dominia, & jura finium pertinaci studio vindicaret. Quod quidem cum constaret obnixè ab eo elaboratum, quare magnos huc sumptus factos oportuit: obtestari ob eam causam præsulem, senatum & pop Amorfortium, ut in conquisitione pecuniæ se adjuvent, quo exolvatur iis à quibus mutuò accepta esset: ne novas intercessione sua (ut nuper) turbas motusque concirent. Summa denique orationis huc tendebat, si gravarentur postulata per omnia decernere, petere vel impensarum factarum collationem decerni. Nec posituros beneficium apud immemorem, si id impetraret. Inde legatus curiam egressus, in hospitium concessit. EumCoss. cum senatus placito mox illò sequuti, hujusmodi responsũ retulerunt. Senatum Amorfortiũ, ipsãq Amorfortiã se ultro semper ad contribuendũ cum ordinibus ad quaslibet impensas, quæ justę essent, & necessariæ, quæq; publicè in ditionis salutem in columitatemque fierent, principi obtulisse: quibus patria vitâ ipsâ charior esset, adeò ut si hoste imminente, a bello vacatio daretur, eam recusaturi essent id quod periculo brevi compertum esset, tantum ab esse ut pecuniæ causæ patriam communem parentem desererent. Sin aliò pecuniæ sive publicæ sive privatæ erogarentur, stare sententiam, ne obolum quidem velle contribuere: intercessione etiam impedituros esse, ne qua constitutio decernetur. In quem autem usum hæc versa sit pecunia (inquit) vobis liquet: certè ad nullam sociarum civitatum publicè attinere, vel nuper in ordinum conventu scripto à nobis abunde perspicuè demonstratum arbitramur: quod nec ipsi inficiabuntur, qui discriminis æqui & iniqui miscendi principi authores hac in re sunt, licet dissimulanter id habeant. Interjectis sub hæc aliquot diebus, de eadem re, conventus ordinum ad consultandum iterum habetur. Consuetudo vetus regionis inferæ multis seculis tenuerat, ut cum de arduis ditionis negotiis apud principem disceptaretur, in eo conventu Ultrajectinorum & Amorfortiorum primores judicio præsiderent. Forma illius judicii quia temporum & hominum vitio corrupta erat, multa perperam discrimine æqui iniquique confuso perpetrabantur: ita ut sententiæ suffragiis obtinerentur magis, quàm æquo. Ordines, qui ea tempestate in administratione reipub. omnia pro libidine impotenter Ultrajecti gerebant, ad d pravatam judiciorum consuetudinem corrigendam, diem habendi conventus indixerunt. Consilium in speciem laudatum, nisi fraudem subesse indicio compertum fuisset. Amersfortii cum adverterent dolum: id scilicet agi, ut se possessione & dignitatis jure in eo judicio deturbatis, quælibet decernendi in absentes etiam pro imperio reliquis jus foret: ut ordinibus hic fraus parum prodesset in consilium per hos dies accersiti, diem non servarunt. Lusos se suis artibus, quibus alios aggressi fuerant frustra illi, sentientes, infecta re domos quisque suas discesserunt. Hæc paucorum dierum spacio inter Ultrajectinos & Amorfortios incredibili animorum certamine gesta fuer. Redeo nunc eò unde excurri, hoc est ad ea quæ memorabili casu deinceps & varietate ab exulibus & episcopo acta sunt Episcopus, qui ad hunc diem fermè usque firmus ab Vltrajectinis steterat, tum demum detecto dolo, labare cepit: utilissimus episcopatus functioni, si popularium, si vernaculorum ingeniorum prudens, initiò turbarum intestinarum, antequam factio potentiam suam firmasset, auxissetque, quod postea, consilium maturè sequutus fuisset. Quare cum cura reconsiliandi factionem & pulsos in gratiam, ut res Vltrajectina pristinæ gloriæ & opibus restitueretur, laboraret: simul ne qua inertia aut socordia in hac parte apud posteros nomini suo officeret, dubium est, perniciosiorne fuerit ditioni, an utilior. Cujus si indolem & animum ad pacis artes nati perspicias, vir fuit cuilibet superiorum episcoporum par: si casum & vices fortunarum humanarum, si mores eorum quibus domesticè in rerum administratione utebatur, perniciosus, ut nemo alius. Cætera egregius, nisi credulitatis vitio, ab aliis egregiis artibus degenerasset. Sed superat omnia humana consilia, fatalis necessitas, ad quam regendam jacent consilia, & vivax sagaxque ingenium humanum: ut falso ac temerè sæpenumero aliorum studiis nostra judicia interponamus. Sudatum id interim ab exulibus, effectumque est, ut partim à Transiselanis principis animus lenita ira ad partium concordiam, ac causarum cognitionem apud incorruptos judices flecteretur: partim per principes & regulos Burgundici nominis, seditiosum populum semper exosos, ut judicio sisterentur. Horum secreto colloquio multa (ne indicio quæ agitabantur palàm fierent) accepit, quæ adversariorum deprehensas artes coarguerent. Dissimulavit, ac tacitum interim consilium habuit per totam propè æstatem: mansissetque in occulto,

Patria vitâ charior.

Amorsfortiorum dignitas tentatur.

Henrici Bavari Episcopi indoles.

Humana consilia fato superari.

culto, nisi exules nimis luxuriosa lætitia impotenter exultantes, inimicis paria exilia indicio convictis damnatisque ubique insultassent. Quare Ultrajectum his undique rumoribus allatis, à factione trepidatum seriò est. Metu igitur, ne plebs ad novas res inclinata, per hos nuncios alios super alios è finitimis civitatibus in urbem repentes, resumptis armis cœmeterium occuparet, episcopum per literas ex arce Dorestato ordines tumultuosè Ultrajectum evocant. Iam à gravi morbo utcunque bonæ valetudini redditus erat. Lætus ille sibi eam occasionem offerri, quam dudum dari sæpe exoptarat, per literas Florentium Burenorum Comitem, cujus nominatim consilio ad hanc rem etiam antea usus fuerat, illico consulit. Erat is per id tempus Isselsteinæ, (oppidum id ab Ultrajecto justum miliare abest) dabatque per literas è re præsenti natum hujusmodi consilium. Quoniam ingens solicitudo ordinibus tranquillandæ conservandæque à novis motibus reipubl. inesset, nec id sine præsidiis armatorum fieri posset: id quod ex superioribus secessionibus nuper expertis satis constaret: principem ipsum quoque sui debere periculi admoneri: documento esse trium annorum tumultus, quàm parum inter armatos cives sibi inermi ad illos à novis rebus prohibendum tutum foret. Quare adversus vim incertam, injuriasque omnes, ad custodiam corporis sui item, ab ordinibus equitum turmam unam, peditumque unam cohortem, quibus munitus urbem ingrederetur, sibi decerni ipsorum sumptibus exposceret. Fore id non solum ipsis ad quietem domesticam firmandam utile, sed etiam necessarium: nisi mallent ex tranquilla & serena luce in turbidam tempestatem, majori quàm antea cum omnium eorum, quæ reliqua sibi fecissent, periculo relabi. Nec esse cur id ad plebem ferant, velint, jubeantne id fieri: positum in ipsorum ditione, quo dignitatem ac salutem suam tueantur. Instructus his artibus Episcopus, literas Ultrajectum ad senatum trium ordinum dedit. Resolutis lectisque, major solicitudo universos incessit: reputantes, quantum ipsi alias, quantum Episcopus authoritate, blandimentis, cum civitas in armis esset, effecisset. tandem huc convenere, ut (quoniam commune omnium periculum ageretur, & salus) præsidia peditum in urbe collocarentur. Decernendas eas copias principi per speciem tuendi corporis sui, ad quas conscribendas festinato opus esse: ut primo tempore cum his, non autem majoribus in urbem maturaret. Et quanquam decreta præsidia adversus gliscentem ab integro conjurationem imponenda è repub. ducerent, tacita suspicio è sparsis exulum rumoribus, primoribus factionis è nobilitate equestri inerat, & metus, ne aliò verterentur. Auxere illum metum crebra cum Burensi colloquia, & insolens consuetudo, ac frequens: cujus pater, adeoque ipse semper hostili animo erga se fuisset. Accessit ad hæc mali conscientia, in lævam partem ferè suspicax. Decreto ordinum factiosi quidam terrore armatorum perculsi, umbra Tribunorum freti, cum armati in publicum prosiluissent, obstare palàm conabantur ne procederet: vociferantes, auxilia externa non ad continendam civitatem à seditione, sed ad exules reducendos, sumendumque ultimum humanorum supplicium de iis, qui Episcopo ad pellendos inimicos authores, quique actarum secessionum concitatores extitissent, spectare: se clausuros illi portas, si præter suos, mercenarium aut stipendiarium equitatum, aut supra decretam unam cohortem pedestrem, secum adduceret. Consul Wulvenus, ne qua vis oboriretur, portam Albam qua urbem intraret, occupat. Urbem eo jam lectica ingresso, multo major fremitus exortus, conquerentium clamantiumque, nunc se apertè & rempub. proditam: omnia ex compacto geri. Pedites ex infestissima nomini Ultrajectino gente, cum qua nativum quoddam odium & fatale in æternum exercerent, conscriptos in se intra mœnia collocari. Hanc esse stirpem eorum, à quibus bis penè per proditionem urbis olim, auspiciis Frederici, Gysberti Strabi cognomento Isselsteinensis: & filii ejus ductu Florentii capta fuisset: huic bellum etiam se ob acceptas illi injurias intulisse, & oppidum obsidione cinxisse. Erat autem cohors subitaria illa tumultuosè è Benscopiis contracta, atque à Florentio Episcopo (quia raptim hæc agebantur) Ultrajectum properanti missa. Per hospitia his vixdum distributis, cum sensisset præsul talia inter cives moveri, postridie quàm urbem introisset, Benscopios exauthoratos dimittit: translata culpa in errorem & ignorantiam, facile iram fremitumque vulgi leniit, ac se suspicione liberavit: magis ut id quod in animo tectum habebat, dissimularet, quàm ut vulgi querimoniis, aut insanis clamoribus, metu aliquo compulsus, morem gereret. Statim ordinum conventum habet: in quo de ditionis negotiis ordines disceptarunt: præcipuè autem de vi & injuriis Hollandorum, adversus quas nullo jure gentium agi posset. Civium bona & usurarias pecunias in omnibus locis manu injecta publicè tenere: fructus agrorum pro libidine in sua ditione occupare. Sponsione cum nollent contendere,

Exulum Ultrajectinorum impotentia.

Conscientia suspicax, si mala.

Vide D. Buchelium supra folio 314. ad Hedam.

Benscopia cohors ex pugnacibus rusticis.

dere, aperta vi invasis omnibus, paludes non judicio, sed ferro atque igni, nisi sponte cederent, usurpaturos. Postulasse se constituendem disceptatorem, aut controversiam judicio dirimendam, contentos eas sibi abjudicatum iri: oblatis præterea, dum pronunciaretur, fundis fiduciariis: prædibus prædiisque cavere velle. Ad postremum (quando illa abnuerent) causam petere ampliandam: verum ab illis nihil æquī obtineri posse. Hoc ipso conventu relatum quoque est, de certamine irarum inter Gelrum & gentem Transiselanam, deque eorum errore: quorum neutri, ira, cupiditateque effascinati, cum alterius causam sanè perspicerent, sese mutuò criminationibus insectari, incusare, fœderis facti violatores exposcere: animos resumere, res repetere, queri pacis conditiones à Treverensi dictas non exequi. Suollanos contrà conqueri, nullas pacis leges, nullam fidem sibi a Gelro servari. Ille contrà, ferocius culpam à se in Swollanos avertere. His omnibus de rebus cum crebri conventus ingenti ordinum sumptu habiti essent, parum fuisse promotum. Veriti itaque ordines, ne paulatim irà stimulante in tantam rabiem certamen tandem erumperet, ut dirimi nequiret: idque Gelrus anniteretur ut primùm Swollanos, inde universam Transiselanorum gentem sub jus ditionemque suam redigeret, proposuerunt quod è re superæ inferæque ditionis foret: idque maturè exequendum, antequàm serum auxilium malo accepto circumspiceretur. Quoniam autem hinc ab Hollando, inde à Gelro in diversis causis & locis infestarentur, eorum alterutrum in gratiam sibi reconciliandum censent. Legatos ab Episcopo ad Gelrum (quia is ex eo, quo arma ferre potuisset, jurejurando propè hostem se Burgundionibus perpetuum fore obstrinxisse, ob crebras in eorum agros incursiones videbatur) primò quoque die mittendos, qui utili aliorum principum & populorum exemplo, cum eo de societate ineunda, quo res suæ validiores essent, posito cum Transiselanis certamine agerent. Fœderis leges, quæ justæ essent ac bonæ, daret ipse: quæ si placerent, ratæ haberentur. Hoc pacto propediem fore, ut per hanc initam societatem, sua potentia & opes, in magna gloria celebritateque, & inimicis terrori ipsi foris essent: & eorum edictum de fodiendis paludibus editū, sine effectu intermoreretur. De exulibus vero, qui urbi imminere, aliis super alios nunciis indies allatis ferrentur, ordinibus curæ fore, ut frustra essent. Refrixit interim res de legatis mittendis, ut multa alia per id tempus frigidè quidem, sed utiliter tamen in deliberationem ad consultandem deintegrò, proposita, segniter ad exitum deducebantur: sive id opera & artibus quorundam, qui inter ordines Burgundionibus impensè favebant, accidit: sive quod de fœdere desperarent: neutrum habeo cur affirmem. Erant apud Vltrajectinum & Gelrum in intimo consilio singuli prudentia inter suos conspicui: nec minus apud suos uterque principes gratia & authoritate pollentes: pacis concordiæque, quoad dabatur, aliis aliud suadentibus, semper authores. Hi ex composito suum uterque secretò ignorantibus ab iisdem conciliis reliquis, tentant, num via ad æternum fœdus sanciendum inveniri posset. Abnuit neuter: quin benignè utrinque responsum, gratiæque insuper actæ sunt: uti quibus principum salus, & patriæ cuique suæ res curæ essent. Hortari ad maturandum, quàm possent occultissime, conceptum fœdus, ne per dilationem & segnitiem, consilium, indicio alicui innotesceret, disturbaretur: ut pacis & fœderum leges æmulantium studiis sæpe in bello & ocio distrahi solent. Cogitare quàm utilis pariter & opportuna ea pax utrique regno esset. Admonere suum quemque periculum, opus esse maturato, quòd res Transiselana haud procul ab armis abesset. Ab altera parte Hollandos bellandi cum Vltrajectinis materiam quærere. Quare cum hi utriusque gentis principibus in medio opportuni ad exitium starent necessarias magis quàm honestas in ultimo discrimine quasuis conditiones cum Gelro societatis episcopo accipiendas esse. Distulit, dum hęc à duobus desudarentur, exulum destinatum episcopus negotium in aliud tempus: maximè cum præter expectationem præsidio Benscopiorum tumultuario destitutus esset. Sed in fœderis legibus conscribendis acriter interea laborari cœptum: & habebat res tanto plus difficultatis, quanto hostilia inter Gelrum & Swollanam factionem ferverent magis. Cætera conventura facile videbantur. Et ut celerius transigerentur omnia, placuit principi utrique unum aliquem fidæ taciturnitatis, ac continentis linguæ in negotii participationem, utrunque assumere. Interim dum hæc peraguntur, dies ad conveniendum in Apeldernam Gelro & Swollanis ut injuriæ disceptarentur, indicitur. Servato ab utrisque die, frequentes illò convenere. Eòdem ex ordinibus Ultrajectinis, qui apud ducem gratia valebant, ad utrosque in gratiam reconciliandos, Transiselanorum literis evocati, ut disceptatores legati sumptimittuntur. Ibi ducis legatus acerba oratione in Swollanos invehi exorsus est, nihilque gravius

Burgundis inimicus Gelrus.

Hollandi bellandi occasionem cum Vltrajectinis quærebant.

Appeldornæ conventus inter Geldros & Swollanos. Pontanus fol. 729.

vius principem suum ferre dixit, quàm petulantes quorundam linguas, & in se dicacitatem: qua cum liqueret ejus majestatem palàm imminui, posse se haud justa minus in illos arma induere, quàm si rebus ablatis priores bellum intulissent. Fuisse Swollæ item plebeium hominem, qui præter convicia multa, in frequenti compotatione Carolum Ducem proditorem appellasset: nihil aperto Marte, sed omnia Punica fide, & per insidias proditionemq; gerere. Hæc cũ ab illo dicta fuisse omnibus mortalibus constaret, in eum lege non agi, supplicium non sumi. Quare nisi episcopi diuturnus morbus obstitisset, cujus rationem haberet: contumeliæ irrogatæ pœnas, universos dudum exoluturos fuisse. Mensis spacium, dum restituatur quiritationi, sumendoque supplicio, de majestatis reo concedere. Velle, salva veteri cum Ultrajectino populo necessitudine, debito supplicio temeritatem linguæ petulcæ utili aliorum exemplo & documento ad posteros puniri. Excusantibus autem Swollanis hominis statim fugam, ju'seq; se eum ad pœnam conquiri primo quoque die, secretò de societatis legibus illi, quos suprà commemoravi, conscribendis interim colloquuntur. nam ii principes legationis data opera utrinque ad summam quandam fœderis complectendam, ad hunc conventum missi fuerant. Tabulas, quibus invitus coactusque præsul in secessionibus civilibus populi jussa de exulibus, de æquanda plebi in reipub. oneribus ferendis religione approbarat, Tribunis circa hos dies extortas discidit: plus (ut apparebat) ad legem de exulibus à se latam olim, abrogandam, quàm restituendam religioni ademptam libertatem. Nam cum, illorum quoque tum pari vi expressas tabulas consignatas, hic repetere, & restituere potuisset, eas penes populum reliquit: odio quodam eorum, ut à quibus initium miscendi omnia ortum esset: & præbuisset hac via paulo pòst, restitutis exulibus inimicis, in æternum pendendis vectigalibus vexandi eos opportunitatem, nisi fatum diversum ursisset. Quare omni nomini religioso odio esse cœpit: cum criminari inter se, eum parere id tandem quod diu parturire dictus esset: iisdem se quibus cives opprimeret, artibus sub jugum gravius propediem missurum. Fremere item plebs, & indignari, nec adversari audere: quippe cujus vires enervatæ jamdudum, fractæque essent. Factio variè his rebus affici. Nam ut ob fractam plebis vim lætior erat, ità cum ex his, & similibus colligerent, in eo rem verti videri, ut de sistendis exulibus, rescindendisque tot actis superiorum annorum moveretur: in metu ingenti erant. Auxit eam suspicionem & aliud. Episcopus nihil moratus, extemplò ordinum concionem advocavit: in qua postquàm multa de difficultate continendi populum sub imperio disseruisset, rempup. non suffecturam perpetuis impensis, quæ in stipendium militare in urbe contra rebellionem fierent: ad ultimum postulavit, sibi concordibus suffragiis locum intra muros designandum arci condendæ suo sumptu decerni. Quod si id judicarent ad deformationem nobilium ædificiorum fore, tradi unam quatuor portarum præsidiis obtinendam, quam libero suo arbitrio muniendam permitterent. Alioqui, inquit, nullam spem conservandæ intestinæ concordiæ habeo. Nam cum neque mihi pecunia ad cohortem alendam, neque vobis ærarium ad turmas equitum per aliquot annos suppetat, quibus artibus potissimum plebs tam efferata regi possit, non video. Et omnino tumultuandi licentia tantisper prohibenda est, donec ferox populus longo ocio assuetus, armorum obliviscatur. Sed nimis remissos animos amplissimi ordines erga rempub. gerimus, nostra oscitantia ipsis arma in reipub. viscera suppeditat. Quid quæso tanta nostra cura, quid tot vigiliis à nobis effectum est, non operæ est commemorare. Ex eo certè, quo omnem vim, omnia flagitia facere occuparunt, vix nocturna una dimicatione, eàque cum periculo eversionis reip. conjuncta, inermem multitudinis inconditæ turbam post duos amplius annos, quod intestinum malum cœpit, cum vestra clade insigni superastis. Clausi trabium vallo, & noctis beneficio caliginosæ tuti, nisi occupati fuissent, in equestres, in religionem, in omnes bonos ad cædem destinatos, cum prima aurora erupissent. At vos vicistis: sed ea victoria præsenti numini magis, quàm vestræ virtuti adscribenda est: ut mirentur homines militaribus artibus clari, vestram temerariam verius & inconsultam, quàm circumspectam audaciam vobis tam fœliciter cecidisse: neq; majorem per tenebras cladem fuisse acceptam. An deinceps speratis statum reip. pacatiorem absq; præsidiis? Nullus (credite mihi) hostis gravior est, quàm qui victus, ademptis semel armis per ignominiam, ad arma iterum consurgat. Habemus eosdem hostes intra muros, cum quibus sexto Id. Decemb. collatis pedibus pugnavimus: sed eo infestiores, eoque graviores, quo sint occultiores. Minima eorum pars sunt exules. At ii quos ego metuo magis, sunt, qui intra eosdem parietes multa blandimenta dando, nobiscum vivunt, ad omnem occasionem ulciscendi se intenti. Quare omninò præsidio opus est, & quidem

Carolus Geldrorum dux dicacitate offensus.

Arcem Ultrajecti Episcopus instituit facere.

Ocio ferox populus mansuescit.

Hostis gravissimus, quis.

& quidem intra muros ne in poſterum ad arma recurratur. Atqui quid è rep. his temporibus magis ſit ducendum, æſtimare libet. Adverſus malevolorum vim, certè nihil æque ad concordiam & ſocietatem animos conglutinabit. Bonis aſylum, facinoroſis & concordiæ turbatoribus multiplex terror erit. Quod autem imperium, quæ authoritas ſenatus olim fuit, injecto metu reſtituetur, ſi in officio durantes in priorem habitum iterum manſueſcant? Leones videmus, & rè ipſa experimur, & urſos, & ſi qua ſunt his truciora animantia, domari: adeoque ut naturali poſita truculentia, ad humanum convictum & conſuetudinem cicureſcant: peneque inſiti ingenii obliviſcantur. ſic efferati hi longa tumultuandi licentia, niſi perdomiti perpetuo metu, barbara ingenia exuere nequibunt. Leges huc uſque ſepultę, quantum obfuerint ad opulentiam tum publicam tum privatam, experti ſunt ii, qui ex opere manuario numeroſam prolem domi alunt, quique uſuris defraudantur. Valuit vis: quippe quos nullus pœnæ metus coercuit, ii nō cuſtodiā non anquiſitionem, non præſidium in quod arrepti, tantiſper vincti detinerentur, dū quocunq; modo ſe redemiſſent, formidarūt. Emolumenta ditia hinc itaq; ad omnem ordinem provenient. Iam ſi quod propriū eſt hujus rei, libeat expendere: ad civem ſub jus & poteſtatem veſtram redigendum, unum id eſſe neceſſarium, in confeſſo erit, extra quod reſpub. & omnes utriuſque ditionis opes brevi aliò delabentur: ſed magis in pace quàm in bello extremè opus erit. Portę foris ab exulibus, intus ab infeſta omnis ordinis mortalibus plebe quamvis tectè obſidentur. Arripiatur quis è novarum rerum authoribus: conſociemus & arma & animos, ut ab armata multitudine, ſi ad arma conclametur, nos ferro defendamus: quo præſidio ordines ſepti, tuti erimus, ſi armata ſeceſſione cœmeterium occupaverint? Præcluſis fugæ portis, ad cædem, & ſuppliciū de vobis ſumendum vertentur, ne meo quidem capiti parſuri. Vincent illi perlevi mehercle momento: quippe & numero & robore vigentium corporum ſuperiores. Captus in hac ipſa urbe ad conſimilem ferè modum fuit (ſicuti accepi) Gulielmus Mechlinienſis, à Lichtenbergana factione & pleraq; nobilitate: cujus tamen potentia quàm plebis minus formidabilis in inteſtina rabie eſt. Ut eò armorum non veniat res, verùm cum omnia caſuum ſint incerta, dementiæ eſt velle eorum furori ſtare opportunos, ubi liceat eſſe ſecuris. Me timor inceſſit ac horror, quoties mihi in mentem venit ille dies, quoad trepidè allatum nuncium excuſſa epomide, è baſilica excitus furenti multitudini ad cratem cœmeterii occurrebam. An quiſquā veſtrum eſt, qui non horreat, quando ſubit illa trepidatio, cum plebe tota urbe concurrente, quiſque auro ſuo argentoq; ſignato, facto & infecto conſuleret, metu ne opulentiorum ædibus diripiendis imminerent? Præſidio verò poſito, ſacra profanaq; omnia extra metum direptionis ſtabunt. Non imponent inſueta religioni onera: non adigent ad vectigalia pendenda: non libertatem veſtram oppriment: neque quoties ſubit in mentem, conſignatas tabulas armata vi extorquebunt. Porrò peditum in urbibus præſidia, ut magnis impenſis conſtant, ita haud perinde firma ſunt, atq; arx foſſa valloq; circumducta. Corrumpuntur familiari convicti hoſpitū: & cum urbano luxu, perpetuoque ocio frangantur, contemptui magis quam formidini vulgo fiunt: ut ſi ad manus ex præparato perveniatur, rem in ancipiti pugnæ eventu ponant. E veſtris annalibus mihi narrari memini, hanc urbem validiſſimis mille trecentorum peditum copiis à Davide munitam, Henricum Niveldium cum parva Montfortiorum Amorfortiorumq; tumultuaria collecta manu, per portulam intromiſſum aliquando oppreſſiſſe. Quare rectè juxtà ac prudenter finitimi principes mihi feciſſe videntur, qui populum ſub imperio & ocio conſervaturi, arces & caſtella civitatibus impoſuere: quamobrem nullo inteſtino incendio amburuntur, nullæ factiones ibi flagrant. Pacis ociique turbatores arrepti in vincula ducuntur. Illud autem interim vereor, ne taciti, neſcio quid difficultatis rem habituram, apud animos veſtros auguremini: nec dubito quin jugum inde metuatis, exemplo portæ Catharinianæ ab Egmondano vallo foſſaque cinctæ territi. Fruſtra mehercle id metuitis: plebis enim potentia quaſſata, nemo contrà mutiet, tantum abeſt ut quiſquam arma ſit ſumpturus ad opus impediendum. Eo jam abſoluto, mea præſidia deducam, ac vobis tuendum tradam, ne per me libertatis veſtræ jura labefactata ullo ſeculo dicantur. Utile conſilium & neceſſarium ad tradendam poſteris rempub. Quod ni ſcirem, nunquam hodie ad id vobis perſuadendum in concionem prodiiſſem. Sin quid ſecus viſum erit, eo utimini, meque certiores brevi deliberatione facite: ne conſultando extrahentes tempus, & vos, & rempub. in novas turbas conjiciatis. res moram non patitur. Oratio principis ſparſos de exulibus patriæ reſtituendis nuncios non tantum confirmavit, verumetiam eum factioni inviſum fecit. Nunciabatur ſuper hæc, exemplum ingentis præſidii in Brabantia delineatum fuiſſe viſum, opus mirę magnitudinis, turritum,

Vis ubi valeat.

Hæda fol. 227.

Vide ſupra fol. 34.

Clarè hæc narrantur à Thoma Baſino lib. VI. hiſtor. ſuarum nec dum editarum.

Arces cur in civitatibus.

turritum, aggere intus, fossa foris circumductum, inexpugnabile: quantum ex picturæ lineamentis colligere poterant ii, qui viderant ipsum in re præsenti præsidium effigiatum. Adferebatur & alius rumor, cum cohortes aliquot Benscopiorum in urbem recepturum fuisse, si consilium processisset. Huic trepidationi supervenere ex aula Burgundica literæ ad homines primariæ nobilitatis occultè datę, ut circumspectè intenteque portarum custodias agerent: ne externas equitum peditumve copias in urbem reciperent: ali aliquid inter quosdam adversus eos, qui tum primas inter ordines tenerent. Agi item, ut valido imposito præsidio, opes episcopatus ad Hollandos transferrentur. Quare noctu interdiuque excubias in portarum, murorum stationibus quanta possent solicitudine, tenerent. Aliis super alios his nunciis allatis ordines seriò perculsi, maturè deliberarunt, conveniuntque, episcopo postulatum apertè negandum esse: tum enim subibat omnium mentes miserrima civitatis conditio, cum sub Davide porta Catharíniana in Egmondani ditione, ablatis urbi tormentis omnibus, & seclusis, foret. Adfuit brevi interim conventui habendo edictus dies, quo principi certum responderetur. Ibi prius ordines suis in præsulem multis commemoratis officiis, quæ negari non poterant, gratias ei egerunt, quòd urbem incolumem quàm perditam magis cuperet: quem affectum optarent perpetuum. Deinde communem omnium ordinum voluntatem eò spectare, ut retusa seditione civili, mutuam operam consociarent, ne pax parta discinderetur. Verùm consilium de præsidio collocando, aut porta in præsidii formam munienda, planè è repub. non esse: aliunde enim haud plus periculi sibi & ditioni, atque inde fore. Nam cum inter duos potentissimos monarchas medii, atque utrisque proinde ad vim opportuni sederent, in proclivi futurum (ut sunt omnia humanorum casum incerta) ut vel vi vel dolo capta arce, in victoris potestatem, & duram æternamque servitutem pervenirent. Dulcedini libertatis assuetis, morte ipsa jugum esse gravius. Majores suos memorabili posteris exemplo id expertos, fœlicius excussisse, quàm prudentius aggressi fuissent. Simul hic commemorando exaggerarunt tyrannidem, quam ea tempestate domi forisq; exercebant illi, qui tum portam tenerent. Iam verò nullam arcem tam validam, tamque munitam intra muros condi posse, quam non concors civium manus expugnarit, etiam si muri ejus turresque eductæ cœlum cacuminibus pertingerent. Atque interim præterire se, ut omnes impensæ illæ sive eæ publicæ sive privatæ forent, in sceleratos ociososque milites factæ perirent. Ad hæc, non videre adversus quem tantam arcis molem erigi committerent, qui nullum haberent hostem foris, ubi omnia intus ab armis pacata essent. Rebellantem intra muros civem ita constrictum teneri, ut facile legibus debellari posset. Extorrem contemptui magis quàm formidini nunc deinceps futurum. Episcopus indignationis cupiditatisque plenus, dissimulata in præsenti animi ægritudine, concionem dimisit. Constituit alia via singulorum animos explorare separatim, si eo pacto discissa sententiarum concordia, remp. in duas partes divelleret: ita ipse eam, quæ à se staret, partem armis opibusque juvando, miscendoq; omnia, voto ad extremum potiretur. Callidum profectò consilium, si perinde id verendum eum atque invidiosum ordinibus fecisset. Postridie separatim ordines in curiam ad se advocati, jubetque liberè apud se expromere, si pridie alii aliorum inimicitias fortasse veriti, aut odium, sententiam dissimulassent, num suum postulatum juberent liberi. Communiter à singulis responsum est, non videri è repub esse libertatem publicam per id ademptum iri. Stare sententiam, illam velle retinere, adeoque armis tueri, quàm diu daretur. Non assuetum populum Ultrajectinum ferre jugum: quod ii susciperent, quibus servili ingenio, excussa libertate in vilia mancipia degenerare placeret. Spe collocandi itaque præsidium in præsentia abjecta episcopus, simul consilio in aliud tempus dilato, ira ardens extemplò Dorestatum se cum præsenti equitatu abripuit. Præterierat interea tempus, quod præsuli ad Swollanorum res inspiciendas, Gelrique querimonias delatas nuper, cognoscendas datum fuerat: quo temporis spacio curis Ultrajectinarum rerum impeditus, & à valetudine ægra corpore adhuc marcidus, nihil exequi valuit. Quare Dux ad ordines literas expostulatrices dedit: quibus deludi se ab episcopo graviter tulit, quòd is diem præstitutum, ad deposcendum in pœnam Swollanum, majestatis reum, non servasset. Si vel contemptum hunc, vel ludibrium præsensisset, sibi justam materiam ad certamen belli cum Swollanis ferendum, esse potuisse: fore brevi, ut se non segniter (quia ociose ille omnia ageret) ulcisceretur. Ad episcopum in eadem verba eodem tempore literæ datæ sunt. Metu ille partim, ne quod consilium de legibus fœderis occultè agitabatur, temerè turbaretur, partim studio avertendi à Transiselanis belli statim perpulsus, per literas ab ordinibus contendit, ut per legatos ad Ducem excusata valetudine;

Arcis exemplum cujusmodi Henricus Bavarus Ultrajecti ædificare voluit.

Humani casus incerti.

Civium concordiam munitissima quæque expugnat.

Ultrajectini jugo non assueti.

extrahen-

traderentur Ultrajectinis, talionem Brederodio minarentur. Quare rebus infectis, & ægris animis discessum est. In metu interim erat Viennensis, ne qua ecnephias ab Ultrajectinis cooriretur, quos non quieturos sciebat, quin aliquid memoratu dignum designarent: vigilias noctu in muris, custodes interdiu in portis & speculis collocat, ne incautus opprimeretur. Arx huic inde erat, situ loci & opera satis munita, Termeida appellata, mille passus à Vienna, à Leccæ ripa ad teli conjectum sita. Huc sub noctem præsul Ultrajectinus lectum manipulum occultè mittit, qui eam novis artibus invaderent. Hi prima luce vadum transgressi, in ulua abditi in insidiis tantisper latuerunt, donec præfectus præsidii in ædem Meidensem proximam ad sacrum cum famulitio descendisset. Oriuntur inde duo, ad texendam proditionem delecti, monastico cellariorum fratrum habitu, capitibus attonsis cucullati. Hi placidè pulsato ostio, à famula insidiarum secura intromissi, aditum occupant. Ibi cum mugitu ex occulto emergentes reliqui, accurruut, arcemque extrusa famula, iisque paucis qui intus relicti erant, capiunt. Extemplò quicquid telorum ad arcem à Brederodio defendendam ibi inventum fuit, contra incursum hostis disponunt. Nuncio invasæ arcis Viennam allato, heros primò non satis secum causam hostiliter ab Ultrajectino illatæ vis reputare valuit: cum quo semper quoad licuit, fidam pacem & amicitiam coluisset: ne quid dicam honorificum nominis *titulum, quem in ipsa urbe gereret. Deinde submonitus à suis, id mali propter exules partim acceptum, partim quod centuriones in fide publica intra muros versari pateretur, intellexit consulto opus esse. Et quanquam exasperato animo arma illata indignationem movebant, censuerunt tamen sedatiores ingenio viri à consiliis, priusquam ipse vicissim hostilia tentaret, per legatos res repetendas esse. Missi extemplò ad Episcopum legati, ad altercationem usque de illata injuria disceptarunt. Captari in se belli materiam, cum domi intestinæ seditionis concitatores desint. Haud satis eum habere, domesticam facem tumultibus flagrantem jam extinctam esse, nisi finitimos principes quocunque prætextu lacessat, & ad bellum provocet. Majores (inquit legatus) nostri societatem necessariam magis quàm utilem cum populo Ultrajectino & episcopis ob nominis in urbe fumosum titulum semper coluere. Leccam nunquam cum infestis signis transivere: ne à se injuria prius orta diceretur. Et nunc si illo argumento vos læsos querimini, edite, ut sit quod domum referamus: sin minus, præsidia deducite, ac res ablatas reddite. Quod si illa facere recusatis, pati quam retaliare injuriam malumus: quando armis disceptare non libet. Ad ea ferocius Episcopus: Nulli obscurum esse, cur Leccam transisset, atque arma prior intulisset. Neque ipsum adeò Brederodium fallere, quantumvis dissimularet. Exules nuper in sui primum, inde & nominis Ultrajectini odium eum apud se habere: à quibus hostilia indies adversus amicos suos positis insidiis tentarentur. Ad hæc, paucis diebus haud clàm esse, quòd in parem contumeliam latrones illos sceleratissimos, à quibus haud ita pridem in Marsorum arce latrocinia horrenda perpetrata essent, in intimo pene consilio haberet. Id à se & Ultrajectinis ordinibus perinde accipi, atque ipsius tacito consilio & ope illi adjuti essent. Abunde hinc constare, ab eo prius damnum datum. Quod vero amicitiam & societatis fidem jactitaret, sciret eam his ex rebus ab ipso apertè prius violatam: Proinde se hos ad supplicium deposcere populo Ultrajectino tradendos: illos verò juberet sua ditione decedere. Quod nisi faceret, se præsidia ex arce Meidensi non deducturum. Quòd exules (inquit Viennensis) in oppidum receptos querimini, nihil est quod ad vos pertineat: cum vetus sit exemplum, patria profugorum & exulum in aliena ditione fidem publicam suppliciter petentium misereri, & è jure gentium exoratam miseris servare: nisi vestrum imperium in nos etiam prolatum esse fortassis arbitremini. Ut jam è Vienna ad vos opprimendos, texendamque proditionem profecti sint, id publico consilio factum certè convincere non potestis: & vestrum esset, his capitis diem apud judicem suum dicere. Apud nos quoque legibus sua est severitas, & sontibus sua pœna constituta: sed quam nisi in legitimè convictos exercemus. Iam quod de capitibus grassantium copiarum tradendis, cum in nostra potestate sint, velim ita arbitremini, jus gentium inviolabile servatum oportere: nec ipsi negabitis, quantumvis omnia miscetis. Reliquum igitur est, ut renunciata fide publica, vestræ libidini fiat satis, resque ademptæ restituantur. At Ultrajectinus exolescente paulatim adversus grassatores ira (ut dies omnia lenit, adimitque) turpe ac stultum ratus, si elapsis hostibus, ex arce voto non potitus præsidia illico deduceret, arte agendum censuit. Populus ancipiti in urbe metu, quorsum res evaderet, æger, factionem, eosq; qui principem huc impulerāt, execrabili odio persequebatur. Precari so-

Stratagemate capitur domus Ameidana. Pontanus lib. xi. fol. 728.

** Burgravii nempe. Post Benthemios & post Cuyckios Burchgravios Trajectenses, videtur Burgraviatus Trajectensis ad Comites de Goy pervenisse, à quibus ad Vianios & sic tandem ad Brederodios, in quorum familia adhuc hodie manet.*

Publica fides exulibus non denegenda.

Ius gentium non violandum.


lum, facinus, quod patrarant, authorum capitibus aliquando expiatum iri: ne quod paucorum consilio admissum esset, id universi ad postremum luerent. Nota enim vulgo erat vehementia ingenii Brederodiani: nec injuriam sic inultam abituram, quacunque via id fieret. Suspecta erat in primis cunctatio viri ad vindictam, reputantibus præmatura consilia sæpe in felicem exitum sortiri, lenta verò majori impetu suscepta, auspicatius cadere. Et quanquam eum episcopo imparem esse satis constabat, timebant tamen, ne imploratis Burgundionum opibus (quod ea cunctatio minari videbatur) & amicorum fide in fines suos effusus vicissim hostilia inferret: & magno paucorum stulta libido staret. Deferuescente itaque indies ferocia, Episcopus cum apud animum suum anceps periculum reputaret, cœpit primùm per literas ad Brederodium factum excusare: transferreque, se ad reddendum impelli posse, quod ademerat, si locus colloquio legatorum destinaretur. Inde medius his intervenit Gelrus, per internuncios amicos Ultrajectini nominis, haud pacis sarciendæ studiosos perinde, atque Hollandorum opes formidantes, inductus. Postulat per literas ad utrumque sibi deferri disceptandæ controversię arbitrium. Abnuit neuter. Episcopus enim res quocunque modo redditas hac occasione cupiebat. Brederodius haud obscurè advertens quid à principibus Ultrajectini nominis talium rerum artificibus elaboraretur, fidem penes arbitrum constare jussit. Geltorum Dux paucis pòst diebus, quàm ita inter principes convenisset, occultè per literas arcis Meidensis præfecto imperat, ut extemplò ex ea deductis præsidiis, ditione Viennensi decedat: jam inter Ultrajectinum & Brederodium de pace convenisse. Ille vim hostium veritus, priusquàm pacis fides omnibus innotuisset, nocte cum præsidiariis furtim transmisso vado Ultrajectum fugit.

Brederodiani ingenii ferocia.



LAMBERTI HORTENSII
RERUM ULTRAIECTINARUM
Liber Quartus.

1527.



OCUS monet, ut intermissa paululum rerum Ultrajectinarum narratione, stilus ad ea recensenda revertatur, quæ circa hos dies inter Episcopum & Amorfortios agitata fuerunt. Hi cum principi ob supra relatas causas ad execrabile odium usque invisi essent, via haud facile inveniebatur, qua eorum pertinacia retunderetur. Nam post tot insidias positas, cum nulla fœliciter successisset, omne penè consilium vindicandi se amiserat. aliud itaque per hos dies cœpit. Iacobum Niveldium ex factione equestrium primaria, præfectum in præsidio Amisiano locat, paratum (ut videbatur) certamina cum vicinis serere, inimicitias & odia infestè exercere. Primum is adortus est Amorfortiorum municipes, sparsim in proximis vicis agentes: ab his multa iniqua postulare: his judicia, accusationes, mulctas minari. Ab his procemiis ad civitatis jura & plebiscita inusitatis commentis violanda animum appulit, ut ex compacto rem geri palàm appareret. Monitus à senatu per literas, ut ab incœpto desisteret: ac si quid vellet, jure secum ageret: respondit, se principi suo juratum, nihil nisi ejus imperata exequi: sed vix quidquam adhuc à se tentari cœptum. Colonum quendam Waembergensem è villa dominii Amorfortiani noctu in lecto oppressum arripuerat: hunc indicta causa, nulloque judicio damnatum, cum memorabili possessoris damno in vinculis per multum tempus asservabat. Ablato, abactoque omni armento, ac supellectilibus, nihil præter rurestre ædificium, & vacuum fundum reliqui fecerat. Quare villam, ut calamitosam ac fatalem, cum agrorum cultores abominarentur, deserta incultaque aliquandiu negligebatur. Captivo interea è vinculis causam dicendi potestas non fiebat. Mittuntur è civitate legati ad præfectum, ut ex fide veterum privilegiorum (quia sonticam obtendebat causam) reum liceret vadari: aut si pecuniæ res foret, bonis prædiis se cavere velle. Sed ne hic quidem æqui quidquam obtinuerunt. Vim (inquit præfectus) fecit in suburbana principis jurisditione: quare capitis judicio damnandus est. Vos enim haud fallit, eum nuper cum manu civium fœnum cujusdam igne in agro corrupisse. Damnum infectum prius redditum oportuit, quàm de vadimonio verba fiant, disputeturve, aut de privilegiis majorum agatur. Quare inanem operam scribendo legationibusque mittendis sumere desinite: pro crimine si non extremas, certè ex principis arbitrio pœnas dabit: ne similis inferendi vim per vos licentia alios in posterum ad nefarium exemplum invitet. Tum Amorfortius.

Iacobi Niveldii grandis dominatio.

Oratio Amorfortiorum Legati.

DAto damno in senatum statim te majorum tuorum exemplo venisse, & jure egisse cum reo oportuit, & injuriarum formulam principis nomine intendisse: ac non insolenter in contumeliam Amorfortiorum hostiliter direpta villa, abactoque omni pecore, è civis prædio extractum prehensumque rusticum in vincula conjecisse. Sonti scelerisque convicto certè sua mulcta parata erat. Imprudens locorum, in quibus medius consideas: & populi, cum quo seris (utcunque cadat) certamina, nunquàm inceptaturus, si cogitares, id quod majoribus tuis, qui in hoc ipso præsidio præfecturam proximè gessere, evenerit, postquàm populum Amorfortium lacessere cœpere, tibi quoque evenire posse. Memineris

mineris, si per occasionem infortunium feras, retaliatum ex jure esse, & non læsum prius.

Præfectus contemptis Amorfortiorum expostulationibus, principis jussum obfirmatus obire pergit. Petit extemplò per literas senatus fidem ab Episcopo legatis mittendis ultro citroque Wicam eundi, (non enim temerè erat, quòd contra jus gentium se violatum iri metuerent) à quibus querelas de superbia & vi quorundam præfectorum jurisdictionis Amisianæ intolerabiles in agrariis administrationibus cognosceret: à quibus ipsi & coloni sui indignis contumeliis afficerentur. Respondit Episcopus, Calend. Iun. se mirari, cur bonam pacem ab se exorarent, cum ea non nisi ab hostibus, & iis quorum fides suspecta esset, peti soleat. Quod potuit, omnem benevolentiam erga ipsos semper declarasse: nec dubitare, quin ita quoque de se existimarent. Tantum abesse, ut hostilem spiritum aut insidias ab sese metuerent. Nihil moratus senatus, legatos mittit quatuor senatorii ordinis principes, Iacobum Dolrerum, Ioannem Sosium, Gerardum Sosium, Nicolaum Gerardi filium. Brevi pòst hi profecti Dorestatum venerunt. Nuncio in arcem Amorfortiorum legatos advenisse allato, postridie exponendæ legationis iis copia facta. Huc intromissi, principem pedibus holoserico fasciolo obligatis humili scimpodio sedentem, pallidum extremaque macie confectum, (ut qui ab adversa valetudine nondum restitutus esset) ac planè Trophonianum aliquem offendunt. Assidebant dextra lævaq; ab intimo consilio, Iacobus Mindenus, Fredericus Seldenacker, Hadrianus Rhedius, Gysbertus Hardenbrochus. Atque inter hos præter spem & expectationem præfectum arcis Amisianæ offendunt. Et quanquàm hi commodius eum coràm de vi & indignis contumeliis acceptis criminari, ac vicissim ille suam causam tueri poterat, quàm si in absentem multas acerbas accusationes cumulaturi fuissent, non fefellit tamen Amorfortios, quid inter ipsos alebatur. Dissimulata interim in præsenti solicitudine, Dolrerus exorsus est acerrima oratione, indigna, quæ indies à præfecto paterentur, exponere, eaque exaggerare, quantum dicendo valuit. Per illum jura patria, instituta majorum, beneficio priscorum antistitum accepta privilegia, laudatas consuetudines forenses in suburbana jurisdictione, in villas & prædia plusquàm tyrannica ferocia sævientem everti. Colonorum passim fugam fieri, alios arreptos indicta causa in custodiam trahi. Vt vis prosit, causas eum comminisci, ac principis imperium prætexere. Velle scire se, num hæc illius jussu exerceat, an privato consilio. Poscere res ablatas reddi, indigna illata sarciri aliunde, atque illum facinorosum ob graves injurias memorabili multa anquirendum. De his certiores fieri cupere, ut esset quod domum regressi ad senatum referrent. Finem dicendi fecerat Amorfortius. Legatis paululum exire jussis, Niveldius in consilio mansit. Dissimularunt tamen dolorem in præsenti Amorfortii, & indignitatem, quam paulo pòst aperto stomacho detexerunt. Intrò mox revocatos, magnis certatim clamoribus toto consessu aggrediuntur: nulla vox satis gravis atroxque invenitur, qua dignè appellentur. Sub hæc paulisper silentio facto, Aulæ præfectus acerbè in eos invehitur, nihil expurgans præfectum Amisianum, sed translatione utens: Non est, inquit, cur vos Amorfortii rogetis, quo consilio, suo ne an alieno, vestræ possessionis colonos arripiat præfectus Niveldius. Quod ut sciatis, quicquid hujus gessit hactenus, episcopi jussu, cui jurejurando obnoxius est, gessit: & graviora in sua jurisdictione deinceps ubi jussus erit, moliturus. Nec vestri fori possessiones jurave usurpat, cum extraurbanæ jurisdictiones ad episcopum pertineant. Vana interim sub vestro nomine libertatis persuasione facinorosi homines agrarii tuti, quicquid neque jure, neque conditionibus æquis obtinere possunt, ad id occupandum aperta vi palàm utuntur. Vestrum exemplum imitantes, libidinem pro jure habent. Pervicaciæ impunitas vobis ad omnia animos facit, ut ubique etiam jura libertatesque allegentur. Habet in memoria adhuc princeps refractariam illam superioribus annis pertinaciam vestram, cum temporibus civilis discordiæ, per vos tantis & tot tumultibus conquirenda pecunia differretur. Qua ex re irritatum ejus animum multo adhuc inclementiorem experiemini. Injuriæ tardè senescunt. Adversus hæc, multa quæ viderentur opportuna, Amorfortius respondisset, quorum alia probabiliter refellendo, alia defendendo, continuis orationibus aliquot horas consumpsit. Exitus hic ad postremum ab eo orationi est impositus. Conclamando obtestati sunt, indignam vim sibi fieri, & opprimi suam libertatem. Vel illud rem ipsam coarguere, quòd is cujus criminandi causa huc convenissent, contra jus æquumque,

Amorfortiorum factum consultissimum.

Injuriæ tardè senescunt.

que, exeuntibus civitatis Amorfortiæ legatis, in consilio, reus actus, permaneret. Tot denique horis frustra disceptando absumptis, cum episcopus ad omnia obmutuisset. Amorfortiam legati redierunt. Per eos autem annos, quibus otium reip. Vltrajectinæ turbabatur, æris alieni, ob impensas, quæ in varios legationum usus factæ fuerant, ad quatuordecim aureorum milia, & septendecim, conflatum fuerat. Vt ea redigerentur, brevi dies ordinibus ad conveniendum edicitur his ipsis diebus, ut quantum impensarum factum esset, communi ditionis sumptu dissolveretur. Quæ res tametsi ad Vltrajectinos, à quibus id æris pecuniæ inopia tum conflatum erat, propriè attinebat, ad audiendam relationem, aliæ tamen civitates è consuetudine per literas ad conveniendum eòdem accitæ, dictum diem quoque servarunt. Proposito hoc tum in consilio nihil aliud fuit actum, quàm ut in proximum conventus diem, qui tum eòdem indicebatur, consultatio integra rejiceretur, de conquirendis conficiundisque milibus, quorum index capitatim recitatus lectusque ibi fuit. Exemplum indicis, de factis impensis, civitatum legatis petentibus est concessum. Domos quisque suas reversi referunt. Amorfortiæ, postquam legati quid in conventu ordinum propositum in consultationem proximi concilii fuisset, retulere, legendum exhibent indicem capitum, in quem usum ea pecunia insumpta diceretur. Nondum ad finem legendo perventum erat, cum ab omni concilio uno ore recitanti fit reclamatum. Ecquæ inverecundia esset, quod Ultrajectini nulla fronte proponerent civitatibus de contribuendo, ad ea debita, quæ ipsi sua ipsorum stultitia, nullo sociarum civitatum neque consensu, neque consilio parasset? Quid si animam nexi deberent? Olim cum Amorfortii iniquitate fortunæ, simul per intestinam calamitatem omnibus penè Hollandici nominis civitatibus obærati essemus, ut capita vix è portis exerere liceret, metu ne vel retinerentur, vel nexi intercepti in vincula ducerentur: nulla Ultrajectinorum ope adjuti,

Amorsfortii in collatione æris publici quam cgentes.

ipsi nosmet argento facto & infecto in ærarium certatim collato redimebamus. Tunc & matronarum pecuniæ signa argentea quoque congerentium, nostrum ærarium adjuverunt. Smullingiacæ inimicitæ nulli ferè non mortalium in conspectu adhuc sedent. Hæc & id genus alia huc spectantia absentibus occlamantur. Quare in dictum diem conventus non servarunt.

Matronarũ pietas erga Remp. Amorsfortiorum.

Et quia sine illis neque largitio agraria, neque recensus domorum rusticarum constitui poterat, cum diem concilii non observarent, nec ad frequentiores ordines consultationem suam per literas saltem deferrent, rati illi id quod rès erat, eos restitare ne conferrent: ad principem illico, qui satis ab ipsis stabat, rem integram deferunt. Erat adhuc is à diuturno morbo invalidus, ægerque. Quamobrem eum perpellunt (quia non minima portio ejus pecuniæ illi addicta erat, quo alacrius negotium urgeret) ut diem Wicam Batavodurum conveniendi ordini-

Munera quid possint apud principes.

bus indiceret: eoque Rhenanos, & nominatim Amorfortios ab domo exciret. Cupidè & haud cunctanter postulatum Ultrajectinorum Præsul exequitur: ut principes facile omnes muneribus corrupti, divina etiam humanaque omnia venalia habent: gurgites inexplebiles, & edaces populorum voratores: quorum sitim Tantaleam neque Tagus, neque Pactolus, quantumvis auri arenas rebulliant, unquam expleverint. Per hanc turbatum fuit ocium populi Ultrajectini, longæ paci assueti: hinc calamitas & eversio ditionis magna gloria & opibus flo-

Vltrajectinorum calamitas omnis unde.

rentissimæ: hinc prima totius tragœdiæ scaturigo erupit. Brevi quàm id receperat Præsul, XVIII. Cal. Iun. literas Amorfortiam dedit ad senatum. Lectæ autem sunt eodem die in hęc verba. Ex quo Episcopus renunciatus, & in hanc regionem procul ab domo accitus veni, magni sumptus, cùm in alios usus, tum in crebras legationes, contraque grassantem jam nuper sine duce latrocinii specie peditem, à me facti sunt. Scopus autem eorum hic fuit, ut in ocio & pace nostra ditio floreret: id quod sedulò pro viribus nostris præstitum fuit. Sed aliquanto gravioribus impensis constitit controversia identidem ab Hollandis iterata de paludibus: quas utinam publico & commodo & quiete circumcidere licuisset. Longè verò maximam partem in equitum præsidia, atque peditum, quæ Ultrajecto adversus seditionem secessionesque civiles imposuimus, profusam esse, haud dubito quin vobis constet. Quare æquum est, & par, vectigal aliquod constitui, quo hoc æris conficiatur aliquando, vosque redimamini ab iis, à quibus mutuò pecunia absque hypothecis accepta est. Quoniam autem impensę in hos usus factę communiter ad omnes ordines pertinent, in contributione neminem excipi debere censeo. Diem ac locum Ultrajectum conveniendi indictum oportuit, ut hæc res ad frequens ordinum concilium referretur: quem ipse quoque, qui indixissem, observare cuperem. Sed quia à gravi diutinaque adversæ valetudinis conflictatione, corpore adhuc languidus sum & æger, ut conventui interesse non detur, primò res ordinum, in primis autem religionis, magno con-

gno consensu obnixè à me contenderunt, ut locus habendi conventus Dorestati edicatur. Idem reliquæ civitates per legatos flagitarunt. His à suis quibusque permittetur potestas, constituendi quod è re communi visum erit: ne consultando tempus extrahentes, in novos & inexplicabiles labyrinthos malorum denuò abripiamur: id quod superiori triennio heu nimium experti sumus. Velim vos legatos huc vestros quoque ad XIV. Cal. Iun. è senatu, cùm integra transigendi constitutionem potestate citra relationem mittatis: ut eo die sub Vesperum in diversorio adsint. Mane postero die statim ad consultandum maturè convenietur. Postridie vetus ac novus senatus in hujus rei deliberationem habitus, facto senatusconsulto, in hæc verba per literas principi respondit. Non esse è repub. potestatem transigendi quicquam hac in re cum ditionis ordinibus, cuiqam permittere, quamvis tutum ipse obtenderet, & periculum avertere videretur. Sed & causam ejusmodi esse, ut ejus deliberatio sit, penes quos summum imperium in repub. esset. Retulisse itaque hanc consultationem ad veterem senatum & populum. Decrevisse autem, scisseque hos, ut ea quæ legatis mittendis mandarentur, scripto ad concilium Dorestatum dato responderentur: ut ordinum atque civitatum auditis sententiis, Amorfortiorum resignatis literis, sententiæ non desiderarentur, (non enim fefellit eos quò iret tam præceps ad decernendum consilium)ne quid obstinatiam calumniarentur. Cæterum eorum sententia scripto transmissa, hæc fuit. Multis in exordio verbis speciosis excusabant, cùm illud, quòd convocati cum aliis civitatibus legationes non decrevissent, tum quod extra necessitatem, integram rem ordinibus non permitterent: temporis rationem enim ad eam rem maturius consilium postulare. Velle tamen principi & ordinibus scripto id consilii dare, quod per legatos daturi fuissent, utcunque acciperetur. Omne studium præsulis conservandæ pacis, & ocii publici firmandi justum se habere & bonum: verùm hoc unum sibi videri ab ejus dignitate alienum esse debere, quòd cum ditio omni difficultate, parta post horribilem tempestatem tandem tranquillitate, se evoluisset, & onere quinquaginta milium, quorum collatio difficilis fuisset, levata foret: nunc eam ipse in novam malorum excetram conjicere adoriretur, quasi tot tantisq; malis nondũ satis edoctus esset, hac via rem Ultrajectinam in suum ipsius exitium defluere. Impensas autem has, de quibus solvendis in præsentia disceptaretur, factas, nihil ad se aut communem ditionem pertinere: quarum cum bona pars ab Ultrajectinis per intestinos civilesque tumultus nuper conflata esset, in confesso stare ad eosdem illas separatim pertinere. Iniquum peti à se, & aliarum civitatum legationibus, ut cum publica ditionis calamitate eorum amentiam in commune luerent. De paludibus verò, in quarum lites cum adversariis, & legationes, non tenues sumptus facti essent, commentum impudens verius, quàm ludibrii speciem videri. Et hos quidem nihilo magis publicos, quàm illos, ad Ultrajectinorum motus compescendum, collocatos. Placuisse semel frequenti ordinum concilio, cum luculento decreto facto, ut fundorum domini ad eas soli, quæ fierent, impensas deinceps tenerentur: atque illæ in dominia earum, de quibus lis agitaretur, privata conjicerentur. Se cum aliis antè tempestatibus, tum superioribus annis in disceptatione de jure paludum, legationes suas publico sumptu ex ærario etiam misisse, simulque indies mittere. Et ne tanquam vanum id coarguatur, superesse quæstores, quorum calculi relati eam rem testarentur. Quare non magis se teneri ad Ultrajectinorum impensas, in domesticos usus, in legationes factas, quàm ipsi olim ad octuaginta milia tenebantur, ob quæ omnibus propè mortalibus civitas Amorfortia in Smullingiaco negotio obnoxia fuisset. Qua tempestate, ut ipsorum fides non implorabatur, quo pecunia adjuvarentur, ita nihil sua sponte vice humanarum fortunarum civitatis sociæ eos commotos fuisse. Cum ea controversia justiori ratione publica ad conferendum, quàm hæc sit, esse potuisset, quare ordinum fidem tum implorasse debuissent Amorfortii. Recitatæ in frequenti ordinum conventu hæ literæ Dorestati effecerunt, ut tum constituendis collationibus sit supersessum. Laboratum nihilo senius est ab ordinibus ut constitutio tributaria aliqũa excogitaretur. Et quamcunque ingrediebantur viam, unus is scrupus obstabat, urgebatque, quòd Amorfortii ubique intercederent, ut ipsi à contribuendo immunes essent. Ratus princeps cum eo populo mitius agendum, blandimentis eos adoritur. Quarto nonas Iul. Hadrianum Rhedium, quem civitati charum, & gratia populari plurimum illic valere constabat, legatum eò mittit. Postridie quàm venit, senatus ei datus fuit: in quem introductus, quid missus esset, breviter exponit. Repetitis eorum annorum variis casibus, in quos præsul infœliciter inciderat, docuit qua vigilantia, ablata olim castella, oppida, arces, ditioni grandi ære restituisset. Intestinum inde incendium

Amorfortiorum æs alienum.

ortum

ortum : cui mederi cupiens, cum non posset, causam illi fuisse periculosæ valitudinis, à qua neque etiam dum convaluisset. Omnia autem sua consilia huc intendisse, ut quanticunque daretur, hinc a Gelro, inde à Burgundis pacem & otium suis redimeret, jura majorum tueretur: possessiones, dominia, & jura finium pertinaci studio vindicaret. Quod quidem cum constaret obnixè ab eo elaboratum, quare magnos huc sumptus factos oportuit: obtestari ob eam causam præsulem, senatum & pop Amorfortium, ut in conquisitione pecuniæ se adjuvent, quo exolvatur iis à quibus mutuò accepta esset: ne novas intercessione sua (ut nuper) turbas motusque concirent. Summa denique orationis huc tendebat, si gravarentur postulata per omnia decernere, petere vel impensarum factarum collationem decerni. Nec posituros beneficium apud immemorem, si id impetraret. Inde legatus curiam egressus, in hospitium concessit. Eum Coss. cum senatus placito mox illò sequuti, hujusmodi responsũ retulerunt. Senatum Amorfortiũ, ipsãq Amorfortiã se ultro semper ad contribuendũ cum ordinibus ad quaslibet impensas, quæ justę essent, & necessariæ, quæq; publicè in ditionis salutem in columitatemque fierent, principi obtulisse: quibus patria vitâ ipsâ charior esset, adeò ut si hoste imminente, in bello vacatio daretur, eam recusaturi essent id quod periculo brevi compertum esset, tantum ab esse ut pecuniæ causæ patriam communem parentem desererent Sin aliò pecuniæ sive publicæ sive privatæ erogarentur, stare sententiam, ne obolum quidem velle contribuere: intercessione etiam impedituros esse, ne qua constitutio decernetut. In quem autem usum hæc versa sit pecunia (inquit) vobis liquet: certè ad nullam sociarum civitatum publicè attinere, vel nuper in ordinum conventu scripto à nobis abunde perspicuè demonstratum arbitramur: quod nec ipsi inficiabuntur, qui discriminis æqui & iniqui miscendi principi authores hac in re sunt, licet dissimulanter id habeant. Interjectis sub hæc aliquot diebus, de eadem re, conventus ordinum ad consultandum iterum habetur. Consuetudo vetus regionis inferæ multis seculis tenuerat, ut cum de arduis ditionis negotiis apud principem disceptaretur, in eo conventu Ultrajectinorum & Amorfortiorum primores judicio præsiderent. Forma illius judicii quia temporum & hominum vitio corrupta erat, multa perperam discrimine æqui iniquique confuso perpetrabantur: ita ut sententiæ suffragiis obtinerentur magis, quàm æquo. Ordines, qui ea tempestate in administratione reipub. omnia pro libidine impotenter Ultrajecti gerebant, ad depravatam judiciorum consuetudinem corrigendam, diem habendi conventus indixerunt. Consilium in speciem laudatum, nisi fraudem subesse indicio compertum fuisset. Amersfortii cum adverterent dolum: id scilicet agi, ut se possessione & dignitatis jure in eo judicio deturbatis, quælibet decernendi in absentes etiam pro imperio reliquis jus foret: ut ordinibus hic fraus parum prodesset in consilium per hos dies accersiti, diem non servarunt. Lusos se suis artibus, quibus alios aggressi fuerant frustra illi, sentientes, infecta re domos quisque suas discesserunt. Hæc paucorum dierum spacio inter Ultrajectinos & Amorfortios incredibili animorum certamine gesta fuer. Redeo nunc eò unde excurri, hoc est ad ea quæ memorabili casu deinceps & varietate ab exulibus & episcopo acta sunt Episcopus, qui ad hunc diem fermè usque firmus ab Ultrajectinis steterat, tum demum detecto dolo, labare cepit: utilissimus episcopatus functioni, si popularium, si vernaculorum ingeniorum prudens, initiò turbarum intestinarum, antequam factio potentiam suam firmasset, auxissetque, quod postea, consilium maturè sequutus fuisset. Quare cum cura reconsiliandi factionem & pulsos in gratiam, ut res Ultrajectina pristinæ gloriæ & opibus restitueretur, laboraret: simul ne qua inertia aut socordia in hac parte apud posteros nomini suo officeret, dubium est, perniciosiorne fuerit ditioni, an utilior. Cujus si indolem & animum ad pacis artes nati perspicias, vir fuit cuilibet superiorum episcoporum par: si casum & vices fortunarum humanarum, si mores eorum quibus domesticè in rerum administratione utebatur, perniciosus, ut nemo alius. Cætera egregius, nisi credulitatis vitio, ab aliis egregiis artibus degenerasset. Sed superat omnia humana consilia, fatalis necessitas, ad quam regendam jacent consilia, & vivax sagaxque ingenium humanum: ut falso ac temerè sæpenumero aliorum studiis nostra judicia interponamus. Sudatum id interim ab exulibus, effectumque est, ut partim à Transiselanis principis animus lenita ira ad partium concordiam, ac causarum cognitionem apud incorruptos judices flecteretur: partim per principes & regulos Burgundici nominis, seditiosum populum semper exosos, ut judicio sisterentur. Horum secreto colloquio multa (ne indicio quæ agitabantur palàm fierent) accepit, quæ adversariorum deprehensas artes coarguerent. Dissimulavit, ac tacitum interim consilium habuit per totam propè æstatem: mansissetque in occulto,

Patria vitâ charior.

Amersfortiorum dignitas tentatur.

Henrici Bavari Episcopi indoles.

Humana consilia fato superari.

culto,

culto, nisi exules nimis luxuriosa lætitia impotenter exultantes, inimicis paria exilia indicio convictis damnatisque ubique insultassent. Quare Ultrajectum his undique rumoribus allatis, à factione trepidatum seriò est. Metu igitur, ne plebs ad novas res inclinata, per hos nuncios alios super alios è finitimis civitatibus in urbem repentes, resumptis armis cœmeterium occuparet, episcopum per literas ex arce Dorestato ordines tumultuosè Ultrajectum evocant. Iam à gravi morbo utcunque bonæ valetudini redditus erat. Lætus ille sibi eam occasionem offerri, quam dudum dari sæpe exoptarat, per literas Florentium Burenorum Comitem, cujus nominatim consilio ad hanc rem etiam antea usus fuerat, illico consulit. Erat is per id tempus Iselsteinæ, (oppidum id ab Ultrajecto justum miliare abest) dabatque per literas è re præsenti natum hujusmodi consilium. Quoniam ingens solicitudo ordinibus tranquillandæ conservandæque à novis motibus reipubl. inesset, nec id sine præsidiis armatorum fieri posset: id quod ex superioribus secessionibus nuper expertis satis constaret: principem ipsum quoque sui debere periculi admoneri: documento esse trium annorum tumultus, quàm parum inter armatos cives sibi inermi ad illos à novis rebus prohibendum tutum foret. Quare adversus vim incertam, injuriasque omnes, ad custodiam corporis sui item, ab ordinibus equitum turmam unam, peditumque unam cohortem, quibus munitus urbem ingrederetur, sibi decerni ipsorum sumptibus exposceret. Fore id non solum ipsis ad quietem domesticam firmandam utile, sed etiam necessarium: nisi mallent ex tranquilla & serena luce in turbidam tempestatem, majori quàm antea cum omnium eorum, quæ reliqua sibi fecissent, periculo relabi. Nec esse cur id ad plebem ferant, velint, jubeantne id fieri: positum in ipsorum ditione, quo dignitatem ac salutem suam tueantur. Instructus his artibus Episcopus, literas Ultrajectum ad senatum trium ordinum dedit. Resolutis lectisque, major solicitudo universos incessit: reputantes, quantum ipsi alias, quantum Episcopus authoritate, blandimentis, cum civitas in armis esset, effecisset. tandem huc convenere, ut (quoniam commune omnium periculum ageretur, & salus) præsidia peditum in urbe collocarentur. Decernendas eas copias principi per speciem tuendi corporis sui, ad quas conscribendas festinato opus esse: ut primo tempore cum his, non autem majoribus in urbem maturaret. Et quanquam decreta præsidia adversus gliscentem ab integro conjurationem imponenda è repub. ducerent, tacita suspicio è sparsis exulum rumoribus, primoribus factionis è nobilitate equestri inerat, & metus. ne aliò verterentur. Auxere illum metum crebra cum Burensi colloquia. & insolens consuetudo, ac frequens: cujus pater, adeoque ipse semper hostili animo erga se fuisset. Accessit ad hæc mali conscientia, in lævam partem ferè suspicax. Decreto ordinum factiosi quidam terrore armatorum perculsi, umbra Tribunorum freti, cum armati in publicum prosiluissent, obstare palàm conabantur ne procederet: vociferantes, auxilia externa non ad continendam civitatem à seditione, sed ad exules reducendos, sumendumque ultimum humanorum supplicium de iis, qui Episcopo ad pellendos inimicos authores, quique actarum secessionum concitatores extitissent, spectare: se clausuros illi portas, si præter suos, mercenarium aut stipendiarium equitatum, aut supra decretam unam cohortem pedestrem, secum adduceret. Consul Wulvenus, ne qua vis oboriretur, portam Albam qua urbem intraret, occupat. Urbem eo jam lectica ingresso, multo major fremitus exortus, conquerentium clamantiumque, nunc se apertè & rempub. proditam: omnia ex compacto geri. Pedites ex infestissima nomini Ultrajectino gente, cum qua nativum quoddam odium & fatale in æternum exercerent, conscriptos in se intra mœnia collocari. Hanc esse stirpem eorum, à quibus bis penè per proditionem urbis olim, auspiciis Frederici, Gysberti Strabi cognomento Iselsteinensis: & filii ejus ductu Florentii capta fuisset: huic bellum etiam se ob acceptas illi injurias intulisse, & oppidum obsidione cinxisse. Erat autem cohors subitaria illa tumultuosè è Benscopiis contracta, atque à Florentio Episcopo (quia raptim hæc agebantur) Ultrajectum properanti missa. Per hospitia his vixdum distributis, cum sensisset præsul talia inter cives moveri, postridie quàm urbem introisset, Benscopios exauthoratos dimittit: translata culpa in errorem & ignorantiam, facile iram fremitumque vulgi leniit, ac se suspicione liberavit: magis ut id quod in animo tectum habebat, dissimularet, quàm ut vulgi querimoniis, aut insanis clamoribus, metu aliquo compulsus, morem gereret. Statim ordinum conventum habet: in quo de ditionis negotiis ordines disceptarunt: præcipuè autem de vi & injuriis Hollandorum, adversus quas nullo jure gentium agi posset. Civium bona & usurarias pecunias in omnibus locis manu injecta publicè tenere: fructus agrorum pro libidine in sua ditione occupare. Sponsione cum nollent contendere,

Exulum Ultrajectinorum impotentia.

Conscientia suspicax, si mala.

Vide D. Buchelium supra folio 314. ad Hedam.

Benscopia cohors ex pugnacibus rusticis.

dere, aperta vi invasis omnibus, paludes non judicio, sed ferro atque igni, nisi sponte cederent, usurpaturos. Postulasse se constituendem disceptatorem, aut controversiam judicio dirimendam, contentos eas sibi abjudicatum iri: oblatis præterea, dum pronunciaretur, fundis fiduciariis: prædibus prædiisque cavere velle. Ad postremum (quando illa abnuerent) causam petere ampliandam: verum ab illis nihil æquî obtineri posse. Hoc ipso conventu relatum quoque est, de certamine irarum inter Gelrum & gentem Transiselanam, deque eorum errore: quorum neutri, ira, cupiditateque effascinati, cum alterius causam sanè perspicerent, sese mutuò criminationibus insectari, incusare, fœderis facti violatores exposcere: animos resumere, res repetere, queri pacis conditiones à Treverensi dictas non exequi. Suollanos contrà conqueri, nullas pacis leges, nullam fidem sibi a Gelro servari. Ille contrà, ferocius culpam à se in Swollanos avertere. His omnibus de rebus cum crebri conventus ingenti ordinum sumptu habiti essent, parum fuisse promotum. Veriti itaque ordines, ne paulatim ira stimulante in tantam rabiem certamen tandem erumperet, ut dirimi nequiret: idque Gelrus anniteretur ut primùm Swollanos, inde universam Transiselanorum gentem sub jus ditionemque suam redigeret, proposuerunt quod è re superæ inferæque ditionis foret: idque maturè exequendum, antequàm serum auxilium malo accepto circumspiceretur. Quoniam autem hinc ab Hollando, inde à Gelro in diversis causis & locis infestarentur, eorum alterutrum in gratiam sibi reconciliandum censent. Legatos ab Episcopo ad Gelrum (quia is ex eo, quo arma ferre potuisset, jurejurando propè hostem se Burgundionibus perpetuum fore obstrinxisse, ob crebras in eorum agros incursiones videbatur) primo quoque die mittendos, qui utili aliorum principum & populorum exemplo, cum eo de societate ineunda, quo res suæ validiores essent, posito cum Transiselanis certamine agerent. Fœderis leges, quæ justæ essent ac bonæ, daret ipse: quæ si placerent, ratæ haberentur. Hoc pacto propediem fore, ut per hanc initam societatem, sua potentia & opes, in magna gloria celebritateque, & inimicis terrori ipsi foris essent: & eorum edictum de fodiendis paludibus editū, sine effectu intermoreretur. De exulibus vero, qui urbi imminere, aliis super alios nunciis indies allatis ferrentur, ordinibus curæ fore, ut frustra essent. Refrixit interim res de legatis mittendis, ut multa alia per id tempus frigidè quidem, sed utiliter tamen in deliberationem ad consultandem deintegrò, proposita, segniter ad exitum deducebantur: sive id opera & artibus quorundam, qui inter ordines Burgundionibus impensè favebant, accidit: sive quod de fœdere desperarent: neutrum habeo cur affirmem. Erant apud Vltrajectinum & Gelrum in intimo consilio singuli prudentia inter suos conspicui: nec minus apud suos uterque principes gratia & authoritate pollentes: pacis concordiæque, quoad dabatur, aliis aliud suadentibus, semper authores. Hi ex composito suum uterque secretò ignorantibus ab iisdem conciliis reliquis, tentant, num via ad æternum fœdus sanciendum inveniri posset. Abnuit neuter: quin benignè utrinque responsum, gratiæque insuper actæ sunt: uti quibus principum salus, & patriæ cuique suæ res curæ essent. Hortari ad maturandum, quàm possent occultissime, conceptum fœdus, ne per dilationem & segnitiem, consilium, indicio alicui innotesceret, disturbaretur: ut pacis & fœderum leges æmulantium studiis sæpe in bello & ocio distrahi solent. Cogitare quàm utilis pariter & opportuna ea pax utrique regno esset. Admonere suum quemque periculum, opus esse maturato, quòd res Transiselana haud procul ab armis abesset. Ab altera parte Hollandos bellandi cum Vltrajectinis materiam quærere. Quare cum hi utriusque gentis principibus in medio opportuni ad exitium starent necessarias magis quàm honestas in ultimo discrimine quasuis conditiones cum Gelro societatis episcopo accipiendas esse. Distulit, dum hęc à duobus desudarentur, exulum destinatum episcopus negotium in aliud tempus: maximè cum præter expectationem præsidio Benscopiorum tumultuario destitutus esset. Sed in fœderis legibus conscribendis acriter interea laborari cœptum: & habebat res tanto plus difficultatis, quanto hostilia inter Gelrum & Swollanam factionem ferverent magis. Cætera conventura facile videbantur. Et ut celerius transigerentur omnia, placuit principi utrique unum aliquem fidæ taciturnitatis, ac continentis linguæ in negotii participationem, utrunque assumere. Interim dum hæc peraguntur, dies ad conveniendum in Apeldernam Gelro & Swollanis ut injuriæ disceptarentur, indicitur. Servato ab utrisque die, frequentes illò convenere. Eòdem ex ordinibus Ultrajectinis, qui apud ducem gratia valebant, ad utrosque in gratiam reconciliandos, Transiselanorum literis evocati, ut disceptatores legati sumptimittuntur. Ibi ducis legatus acerba oratione in Swollanos invehi exorsus est, nihilque gravius

Burgundis inimicus Gelrus.

Hollandi bellandi occasionem cum Vltrajectinis quærebant.

Appeldornæ conventus inter Geldros & Swollanos. Pontanus fol. 729.

vius principem suum ferre dixit, quàm petulantes quorundam linguas, & in se dicacitatem: qua cum liqueret ejus majestatem palàm imminui, posse se haud justa minus in illos arma induere, quàm si rebus ablatis priores bellum intulissent. Fuisse Swollæ item plebeium hominem, qui præter convicia multa, in frequenti compotatione Carolum Ducem proditorem appellasset; nihil aperto Marte, sed omnia Punica fide, & per insidias proditionemq; gerere. Hæc cũ ab illo dicta fuisse omnibus mortalibus constaret, in eum lege non agi, supplicium non sumi. Quare nisi episcopi diuturnus morbus obstitisset, cujus rationem haberet: contumeliæ irrogatæ pœnas, universos dudum exoluturos fuisse. Mensis spacium, dum restituatur quiritationi, sumendoque supplicio, de majestatis reo concedere. Velle, salva veteri cum Ultrajectino populo necessitudine, debito supplicio temeritatem linguæ petulcæ utili aliorum exemplo & documento ad posteros puniri. Excusantibus autem Swollanis hominis statim fugam, ju'seq; se eum ad pœnam conquiri ptimo quoque die, secretò de societatis legibus illi, quos suprà commemoravi, conscribendis interim colloquuntur. nam ii principes legationis data opera utrinque ad summam quandam fœderis complectendam, ad hunc conventum missi fuerant. Tabulas, quibus invitus coactusque præsul in secessionibus civilibus populi jussa de exulibus, de æquanda plebi in reipub. oneribus ferendis religione approbarat, Tribunis circa hos dies extortas discidit: plus (ut apparebat) ad legem de exulibus à se latam olim, abrogandam, quàm restituendam religioni ademptam libertatem. Nam cum, illorum quoque tum pari vi expressas tabulas consignatas, hic repetere, & restituere potuisset, eas penes populum reliquit: odio quodam eorum, ut à quibus initium miscendi omnia ortum esset: & præbuisset hac via paulo pòst, restitutis exulibus inimicis, in æternum pendendis vectigalibus vexandi eos opportunitatem, nisi fatum diversum ursisset. Quare omni nomini religioso odio esse cœpit: eum criminari inter se, eum parere id tandem quod diu parturire dictus esset: iisdem se quibus cives opprimeret, artibus sub jugum gravius propediem missurum. Fremere item plebs, & indignari, nec adversari audere: quippe cujus vires enervatæ jamdudum, fractæque essent. Factio variè his rebus affici. Nam ut ob fractam plebis vim lætior erat, ita cum ex his, & similibus colligerent, in eo rem verti videri, ut de sistendis exulibus, rescindendisque tot actis superiorum annorum moveretur: in metu ingenti erant. Auxit eam suspicionem & aliud. Episcopus nihil motatus, extemplò ordinum concionem advocavit: in qua postquàm multa de difficultate continendi populum sub imperio disseruisset, rempup. non suffecturam perpetuis impensis, quæ in stipendium militare in urbe contra rebellionem fierent: ad ultimum postulavit, sibi concordibus suffragiis locum intra muros designandum arci condendæ suo sumptu decerni. Quod si id judicarent ad deformationem nobilium ædificiorum fore, tradi unam quatuor pottarum præsidiis obtinendam, quam libero suo arbitrio muniendam permitterent. Alioqui, inquit, nullam spem conservandæ intestinæ concordiæ habeo. Nam cum neque mihi pecunia ad cohortem alendam, neque vobis ærarium ad turmas equitum per aliquot annos suppetat, quibus artibus potissimum plebs tam efferata regi possit, non video. Et omnino tumultuandi licentia tantisper prohibenda est, donec ferox populus longo ocio assuetus, armorum obliviscatur. Sed nimis remissos animos amplissimi ordines erga rempub. gerimus, nostra oscitantia ipsis arma in reipub. viscera suppeditat. Quid quæso tanta nostra cura, quid tot vigiliis à nobis effectum est, non operæ est commemorare. Ex eo certè, quo omnem vim, omnia flagitia facere occuparunt, vix nocturna una dimicatione, eâque cum periculo eversionis reip. conjuncta, inermem multitudinis inconditæ turbam post duos amplius annos, quod intestinum malum cœpit, cum vestra clade insigni superastis. Clausi trabium vallo, & noctis beneficio caliginosæ tuti, nisi occupati fuissent, in equestres, in religionem, in omnes bonos ad cædem destinatos, cum prima aurora erupissent. At vos vicistis: sed ea victoria præsenti numini magis, quàm vestræ virtuti adscribenda est: ut mirentur homines militaribus artibus clari, vestram temeritatem verius & inconsultam, quàm circumspectam audaciam vobis tam fœliciter cecidisse: neq; majorem per tenebras cladem fuisse acceptam. An deinceps speratis statum reip. pacatiorem absq; præsidiis? Nullus (credite mihi) hostis gravior est, quàm qui victus, ademptis semel armis per ignominiam, ad arma iterum consurgat. Habemus eosdem hostes intra muros, cum quibus sexto Id. Decemb. collatis pedibus pugnavimus: sed eo infestiores, eoque graviores, quo sint occultiores. Minima eorum pars sunt exules. At ii quos ego metuo magis, sunt, qui intra eosdem parietes multa blandimenta dando, nobiscum vivunt, ad omnem occasionem ulciscendi se intenti. Quare omninò præsidio opus est,

Carolus Geldrorum dux dicacitate offensus.

Arcem Ultrajecti Episcopus instituit facere.

Ocio ferox populus mansuescit.

Hostis gravissimus, qui.

 & quidem

& quidem intra muros,ne in posterum ad arma recurratur. Atqui quid è rep. his temporibus magis sit ducendum,æstimare libet. Adversus malevolorum vim, certè nihil æque ad concordiam & societatem animos conglutinabit. Bonis asylum, facinorosis & concordiæ turbatoribus multiplex terror erit.Quod autem imperium,quæ authoritas senatus olim fuit,injecto metu restituetur,si in officio durantes in priorem babitum iterum mansuescant? Leones videmus, & re ipsa experimur,& ursos,& si qua sunt his truciora animantia, domari: adeoque ut naturali posita truculentia, ad humanum convictum & consuetudinem cicurescant: peneque insiti ingenii obliviscantur. sic efferati hi longa tumultuandi licentia,nisi perdomiti perpetuo metu, barbara ingenia exuere nequibunt.Leges huc usque sepultę,quantum obfuerint ad opulentiam tum publicam tum privatam,experti sunt ii, qui ex opere manuario numerosam prolem domi alunt,quique usuris defraudantur. Valuit vis: quippe quos nullus pœnæ metus coercuit,ii nō custodiā non anquisitionem, non præsidium in quod arrepti, tantisper vincti detinerentur,dū quocunq; modo se redemissent, formidarūt.Emolumenta ditia hinc itaq; ad omnem ordinem provenient.Iam si quod propriū est hujus rei,libeat expendere:ad civem sub jus & potestatem vestram redigendum,unum id esse necessarium,in confesso erit,extra quod respub.& omnes utriusque ditionis opes brevi aliò delabentur: sed magis in pace quàm in bello extremè opus erit.Portę foris ab exulibus,intus ab infesta omnis ordinis mortalibus plebe quamvis tectè obsidentur. Arripiatur quis è novarum rerum authoribus: consociemus & arma & animos, ut ab armata multitudine,si ad arma conclametur,nos ferro defendamus: quo præsidio ordines septi, tuti erimus,si armata secessione cœmeterium occupaverint? Præclusis fugæ portis,ad cædem, & suppliciū de vobis sumendum vertentur,ne meo quidem capiti parsuri. Vincent illi perlevi mehercle momento: quippe & numero & robore vigentium corporum superiores. Captus in hac ipsa urbe ad consimilem ferè modum fuit (sicuti accepi) Gulielmus Mechliniensis,à Lichtenbergana factione & pleraq; nobilitate: cujus tamen potentia quàm plebis minus formidabilis in intestina rabie est.Ut eò armorum non veniat res,verùm cum omnia casuum sint incerta,dementiæ est velle eorum furori stare opportunos,ubi liceat esse securis. Me timor incessit ac horror,quoties mihi in mentem venit ille dies, quoad trepidè allatum nuncium excussa epomide,è basilica excitus furenti multitudini ad cratem cœmeterii occurrebam. An quisquā vestrum est,qui non horreat,quando subit illa trepidatio,cum plebe tota urbe concurrente,quisque auro suo argentoq; signato, facto & infecto consuleret,metu ne opulentiorum ædibus diripiendis imminerent? Præsidio verò posito, sacra profanaq; omnia extra metum direptionis stabunt. Non imponent insueta religioni onera: non adigent ad vectigalia pendenda: non libertatem vestram opprimentur: neque quoties subit in mentem, consignatas tabulas armata vi extorquebunt. Porrò peditum in urbibus præsidia,ut magnis impensis constant, ita haud perinde firma sunt,atq; arx fossa valloq; circumducta. Corrumpuntur familiari convicti hospitū: & cum urbano luxu, perpetuoque ocio frangantur, contemptui magis quam formidini vulgo fiunt: ut si ad manus ex præparato perveniatur, rem in ancipiti pugnæ eventu ponant. E vestris annalibus mihi narrari memini, hanc urbem validissimis mille trecentorum peditum copiis à Davide munitam, Henricum Niveldium cum parva Montfortiorum Amorfortiorumq; tumultuaria collecta manu, per portulam intromissum aliquando oppressisse. Quare rectè juxtà ac prudenter finitimi principes mihi fecisse videntur, qui populum sub imperio & ocio conservaturi, arces & castella civitatibus imposuere: quamobrem nullo intestino incendio amburuntur, nullæ factiones ibiflagrant. Pacis ociique turbatores arrepti in vincula ducuntur. Illud autem interim vereor, ne taciti, nescio quid difficultatis rem habituram, apud animos vestros auguremini: nec dubito quin jugum inde metuatis, exemplo portæ Catharinianæ ab Egmondano vallo fossaque cinctæ territi. Frustra mehercle id metuitis: plebis enim potentia quassata, nemo contrà mutiet, tantum abest ut quisquam arma sit sumpturus ad opus impediendum. Eo jam absoluto, mea præsidia deducam, ac vobis tuendum tradam, ne per me libertatis vestræ jura labefactata ullo seculo dicantur. Utile consilium & necessarium ad tradendam posteris rempub. Quod ni scirem, nunquam hodie ad id vobis persuadendum in concionem prodiissem. Sin quid secus visum erit, eo utimini, meque certiores brevi deliberatione facite: ne consultando extrahentes tempus, & vos, & rempub. in novas turbas conjiciatis. res moram non patitur. Oratio principis sparsos de exulibus patriæ restituendis nuncios non tantum confirmavit,verumetiam eum factioni invisum fecit.Nunciabatur super hæc, exemplum ingentis præsidii in Brabantia delineatum fuisse visum, opus mirę magnitudinis, turritum,

Vis ubi valeat.

Hæda fol. 227.

Vide supra fol. 34.

Clarè hæc narrantur à Thoma Basino lib. VI. histor. suarum nec dum editarum.

Arces cur in civitatibus.

turritum, aggere intus, fossa foris circumdatum; inexpugnabile: quantum ex picturæ lineamentis colligere poterant ii, qui viderant ipsum in re præsenti præsidium effigiatum. Adferebatur & alius rumor, eum cohortes aliquot Benscopiorum in urbem recepturum fuisse, si consilium processisset. Huic trepidationi supervenere ex aula Burgundica literæ ad homines primariæ nobilitatis occultè datę, ut circumspectè intenteque portarum custodias agerent: ne externas equitum peditumve copias in urbem reciperent: ali aliquid inter quosdam adversus eos, qui tum primas inter ordines tenerent. Agi item, ut valido imposito præsidio, opes episcopatus ad Hollandos transferrentur. Quare noctu interdiuque excubias in portarum, murorum stationibus quanta possent solicitudine, tenerent. Aliis super alios his nunciis allatis ordines seriò perculsi, maturè deliberarunt, conveniuntque, episcopo postulatum apertè negandum esse: tum enim subibat omnium mentes miserrima civitatis conditio, cum sub Davide porta Cathariniana in Egmondani ditione, ablatis urbi tormentis omnibus, & seclusis, foret. Adfuit brevi interim conventui habendo edictus dies, quo principi certum responderetur. Ibi prius ordines suis in præsulem multis commemoratis officiis, quæ negari non poterant, gratias ei egerunt, quòd urbem incolumem quàm perditam magis cuperet: quem affectum optarent perpetuum. Deinde communem omnium ordinum voluntatem eò spectare, ut retusa seditione civili, mutuam operam consociarent, ne pax parta discinderetur. Verùm consilium de præsidio collocando, aut porta in præsidii formam munienda, planè è repub. non esse: aliunde enim haud plus periculi sibi & ditioni, atque inde fore. Nam cum inter duos potentissimos monarchas medii, atque utrisque proinde ad vim opportuni sederent, in proclivi futurum (ut sunt omnia humanorum casum incerta) ut vel vi vel dolo capta arce, in victoris potestatem, & duram æternamque servitutem pervenirent. Dulcedini libertatis assuetis, morte ipsa jugum esse gravius. Majores suos memorabili posteris exemplo id expertos, fœlicius excussisse, quàm prudentius aggressi fuissent. Simul hic commemerando exaggerarunt tyrannidem, quam ea tempestate domi forisq; exercebant illi, qui tum portam tenerent. Iam verò nullam arcem tam validam, tamque munitam intra muros condi posse, quam non concors civium manus expugnarit, etiam si muri ejus turresque eductæ cœlum cacuminibus pertingerent. Atque interim præterire se, ut omnes impensæ illæ sive ex publicæ sive privatæ forent, in sceleratos ociososque milites factæ perirent. Ad hæc, non videre adversus quem tantam arcis molem erigi committerent; qui nullum haberent hostem foris, ubi omnia intus ab armis pacata essent. Rebellantem intra muros civem ita constrictum teneri, ut facile legibus debellari posset. Extorrem contemptui magis quàm formidini nunc deinceps futurum. Episcopus indignationis cupiditatisque plenus, dissimulata in præsenti animi ægritudine, concionem dimisit. Constituit alia via singulorum animos explorare separatim, si eo pacto discissa sententiarum concordia, remp. in duas partes divelleret: ita ipse eam, quæ à se staret, partem armis opibusque juvando, miscendoq; omnia, voto ad extremum potiretur. Callidum profectò consilium, si perinde id verendum eum atque invidiosum ordinibus fecisset. Postridie separatim ordines in curiam ad se advocati, jubetque liberè apud se expromere, si pridie alii aliorum inimicitias fortasse veriti, aut odium, sententiam dissimulassent, num suum postulatum juberent liberi. Communiter à singulis responsum est, non videri è repub esse, libertatem publicam per id ademptum iri. Stare sententiam, illam velle retinere, adeoque armis tueri, quàm diu daretur. Non assuetum populum Ultrajectinum ferre jugum: quod ii susciperent, quibus servili ingenio, excussa libertate in vilia mancipia degenerare placeret. Spe collocandi itaque præsidium in præsentia abjecta episcopus, simul consilio in aliud tempus dilato, ira ardens extemplò Dorestatum se cum præsenti equitatu abripuit. Præterierat interea tempus, quod præsuli ad Swollanorum res inspiciendas, Gelrique querimonias delatas nuper, cognoscendas datum fuerat: quo temporis spacio curis Ultrajectinarum rerum impeditus, & à valetudine ægra corpore adhuc marcidus, nihil exequi valuit. Quare Dux ad ordines literas expostulatrices dedit: quibus deludi se ab episcopo graviter tulit, quòd is diem præstitutum, ad deposcendum in pœnam Swollanum, majestatis reum, non servasset. Si vel contemptum hunc, vel ludibrium præsensisset, sibi justam materiam ad certamen belli cum Swollanis ferendum, esse potuisse: fore brevi, ut se non segniter (quia ociose ille omnia ageret) ulcisceretur. Ad episcopum in eadem verba eodem tempore literæ datæ sunt. Metu ille partim, ne quod consilium de legibus fœderis occultè agitabatur, temerè turbaretur, partim studio avertendi à Transiselanis belli statim perpulsus, per literas ab ordinibus contendit, ut per legatos ad Ducem excusata valetudine;

Arcis exemplum cujusmodi Henricus Bavarus Ultrajecti ædificare voluit.

Humani casus incerti.

Civium concordiam munitissima quæque expugnari.

Ultrajectini jugo non assueti.

 extrahen-

extrahendi negotii in Transiselanis spacium impetrarent, (sperabat enim fœdus & amicitiam talibus conditionibus interea coituram, ut fraus Swollanorum quælibet, quamvis capitalis, & turbarum satores, in illis, noxæ venia concessa, continerentur) se primo quoque tempore, cum per valetudinem liceret, omnia cum fide præstaturum. Suscepta legatione Ultrajectini Arenacum, veriti præcipitem Ducis iram, extemplò petunt. In locum, nulla mora, colloquio destinatum ubi sunt admissi legati, auditis gravibus Gelrorum principis de episcopo longa oratione querimoniis, multa blandimenta dando extenuare negligentiam adorti sunt. Mortalium nulli non clarum esse, quàm periculoso morbo, ad desperatam propè valetudinem, continuò laborasset. Multa consiliis destinatis sæpe intervenire, per quæ, velit nolit, etiam cordatissimus quisque vanus habeatur. Nec ipsum Ducem diffiteri, fatalem necessitatem inevitabilem esse: cui repugnare perinde esset, ac si quis cum Deo pugnare contenderet. Argumento vel illud esse, nihil ab Ultrajectino præsule per contemptum (ut ipse interpretaretur) omissum, quod præter inviolatam hactenus amicitiam, nunc pacem etiam & societatem cum eo perpetuam jungere cuperet: id quod propediem fore consideret. Comperendinandam itaque se petere Swollanorum controversiam, ne quid animo itaque extimulante, temerè ante congressum cum Episcopo tentaretur. Legatione benigniter audita. Casuum humanorum & varietatis (inquit Dux) memor sum, ut inter calicem & labra fortunæ vis suam tyrannidem sæpe exerceat Et mihi multa sæpenumerò animo volventi, certoque destinanti, præter consilium secus cadunt, quàm inducta fuerunt. Adeò divina vis omnia pro suo arbitrio temperat, versatque. Sed & fœderis adjungendi, quæ conscribuntur leges, sincerum pectus Episcopi mihi possent coarguere, si ex animo, id quod is simulat, & verè ageret: Nunc quia aliud contemptu mei committitur, quod nondum in lucem editum, per fidos amicos mihi subolevit: cupiditate ulciscendi me, breviter ita me explebo, ut ipsi doleat, alieno magis consilio credidisse, quàm pactam fidem religiosè non servasse. Responsum hoc referte, ne speret fore, ut in gratiam Ultrajectinorum, regisve Galliarum, ipsiusque adeò Imperatoris, unquam à vindictæ consilio deducar: quando prior ludibrium (quod gravius accipio, quàm si hostilia arma intulisset) me suum fecit. Neque hic dicam quid sit, quod animum meum tantopere offendat: semetipse brevi prodet. Cum nihil pacati legati exorarent, metu anxii ne bellum in Swollanos ex subita ira renovatum præcipitaret, obtestando obsecrandoque tantum exorarunt, ne quid hostile prius moveret, quàm fœderis leges, quas in horas ingenti pacis firmæ ac societatis spe expectabant, scripto traderentur. Quæ si displicerent, non deprecaturos amplius, quod pœnæ socia urbs trans Iselam mereretur. Mora ad instruendum bellum ęgrè in hunc modũ impetrata legati domum revertuntur. Cæterum quidnam Duci tantam indignationem movit, ut fœdere nondum perpetrato, vix paucos dies concesserit, quo minus illico bellum appararet, ac statim omnem agrum Swollanum immissis copiis infestum redderet, haud obscuris tum conjecturis colligebatur. Longe princeps in urbe, cùm secessionum temporibus tum hoc anno, à quo civiles discordiæ intermissæ fuerant, amicorũ suorum factio erat. Hi ad potentiam domi suam contra pulsos inimicos confirmandam pro viribus sedulò id annitebãtur, ut conciliato junctoq; cum episcopo per fœderis conditiones Duce, spes omnis reditus iis in civitatem incideretur. Et Gelrus ad suas suorumq; opes stabiliendas his occasionibus opportunum ratus, veteri odio, ob ignominiam, qua amicos suos affecerant, exulum principes patria arcere conabatur. Hac via haud dubiè sperans, se adjuvantibus ordinibus omnibus, qui sui erant, propediem in possessionem superæ inferæque ditionis æternam perventurum. Sed postquàm fama de exulibus sistendis, multaque alia signa, quibus eos palàm in urbem reducere deprehendebatur, serpere occœpere: quia societatis pactum, quod paucorum sententia brevi coiret, certò aboleretur: & suæ item factioni exilia & direptiones perpetiendæ vicissim forent, indignationis plenus, furorisque, consilium præceps ad omnia armorum strepitu in Transiselanis miscenda extemplò vertit: ea ratione præsulis Ultrajectini consilium de rebus novandis, impediturus. Et colloquia crebra cum Florentio Burenorum Comite, speciem alienati à se animi & occultę fraudis præbebant. Sed nihil animo ejus ægrius fuit, atque id quod ad ordines de ponendo præsidio, & porta in præsidii formam munienda retulisset: quæ res non ad sanciendam societatem, sed hostilem existimationem spectabat. Horum omnium internuncii ad Gelrum præpotens Ultrajectina factio, quia rebus suis metuebat, erat. Quare Swollani, ob suspectam legationis fidem, cum præsule agunt, ut è suo consilio legatos ad Gelrum mittat: à quibus is amicitię cum episcopo admonitus, æqui aliquid concederet, Sed ne hi quidem benignius quàm superiores respon-

Dictis etiam principes lędi.

Swollani Præsuli suo diffidentes Carolũ Ducem Geldriæ in fœdus & auxilium adsciverant. Pontanus fol. 692. hist. Geldricę.

Gelrum quid in Vltrajectinos commoverit.

responsum retulerunt. Vertit se inter hæc à Swollanorum controversia ad exulum causam disceptandam episcopus: quorum indefessa instantia ad postremum victus, literas ad ordines Vltrajectinos in hæc fermè verba dedit. Iam pridem cum vicinis oppidis expostulando, quod exules suos tutarentur mœnibus se defatigari. Responderi sibi quasi ore uno ad omnibus, judicia & leges in suis rebuspub.vigere. Exules indies queri, quòd indicta causa per summam ignominiam solum vertere subacti essent. Optare,neque recusasse unquam,causam judicio incorrupto agitari: nullum supplicium se abnuere, nisi bonam ac justam prob.nt. Constituisse se aliquando finire certamen, ne perpetuò sinister rumor de exulum injuria sparsus, suum Vltrajectinorumque nomen apud vicinos populos invidiosum redderet. Ob id accersivisse se è populo Transiselano, coram quibus, quantum controversiæ esset, finiretur: ut exules aliquando desisterent passim occlamare, se falso crimine insontes opprimi. Statuit simul Vltrajectinis diem, quo ad indictum judicium Wicam convenirent. Misit & circa vicinos populos literas cum publica fide ad XXIIII. dies, ut quantum exulum usquam Vltrajectinorum esset, decimo quarto Calend. Augusti Wicæ ad sistendum adessent. Accivit ad edictum diem ad causarum cognitionem exercendam simul & Transiselanos. Conveniunt lætitia immodica illico effusi exules frequentes, ut vicisse eos jam crederes, antequam in jus perventum esset: triumphare ante victoriam: exultare insolenter. inimicis absentibus paria exilia minari, sibi gloriam promittere, qui lege de se lata dudum antiquata, principis humeris in patriam jam jam reportarentur. Episcopus ut ad dies aliquot belli à Gelro Swollanos ociosos redderet, liberum ei arbitrium scribendi, quas vellet fœderis conditiones, per eos quibus hoc negotii ab initio datum fuerat, permisit. Nihil ille cunctatus, haud gravatè suscepit: ac brevi eas à se subscriptas per fidum quendam hominem consiliorum utriusque participem, ad Episcopum transmisit. Æternæ autem Gelrorum Ducum cum Episcopis populoque Ultrajectino societatis leges hæ fuerunt.

Exulum causa suscitatur.

Insolentia exulum Vltrajectinorum.

Nimis hactenus diversis temporum difficultatibus cives Ultrajectinæ ditionis cum Gelris principibus, per Episcoporum creationes ad odium usque penè immortale conflictati sunt: parumnanque ex utriusque regni re habitæ credebantur. Cardines enim illorum ita se contingunt, ut in mercimoniis exercendis & permutandis, neutrum penè alterius amicitia carere possit. Quod cum hactenus cæca certatim ulciscendi se rabie non sit animadversum, gravia inter se populatis incensisque agris bella gessêre: quibus victor ac victus juxta gloriari potuit. Quare votis omnibus precandum, ut ea in hostes nostros DEVS *deinceps avertat. Itaque ut aliquando duo regna in corpus unius populi coalescant, placuit in posterum cavere, ne eædem pestes ambos principes amplius bello committant: cui quo via præcludatur, viri his regnis consultissimi jussu principum leges amicitiæ æternas, ditionibus tum utiles tum necessarias, in hanc formam conscripsêre. Ne deinceps à religione Ultrajectina in interregno ad comitia episcopia Canonicorum sodalitia in suffragia mittantur, nisi Gelrorum Ducis placito jussuve: simul & illius posterorum, qui perpetua serie in eum principatum successuri sunt. Manebit, quoad vivat, interim Henrico Bavaro & Palatino suus Episcopatus integer & incolumis. Quo mortuo, sortietur demum hoc fœdus jus suum. Verùm id ut stabile sit ac firmum, & auspicio aliquo sanciatur: statim quam præsen-*

Conditiones pacis inter Gelrum Ducem & Episcopum Vltrajectinū.

præsenti numine religiose fides futuræ amicitiæ data erit, Ultrajectinus collegam, quem Gelrus ei dicturus est, quique defuncto in functionem succedat, asciscet. Dux in totum à rerum Ultrajectinarum administratione abstinebit: easque præsuli suo regendas relinquet. Et quo fausta hæc semper auspicataque sint, fœdus percutient, quo domi ac belli in rebus gerendis socii sint: benemeritis amici: hostes, hostilia inferentibus. Neuter absque consilio alterius res moliatur. Denique communiter bellum parent: duo in unum populum coalescant. Placet hoc quoque in eodem fœdere exprimi: si horum alterutri princeps populúsve aliis bellum indixerit, facerève occuparit, aut rebus ablatis prior lacessiverit, ut prius inter se maturè consulant, quàm bello arma repetendis rebus, quamvis pia ac justa contrà induantur. Stultum est in discrimen cæcis oculis ruere, quod consultando disceptandoque avertere liceat. Sin minus ab armis quietis esse detur, ut vi subactis ferro injuria sit propulsanda, tum demum bellum consociatis animis communiter parent. Neuter agros, villas, fundos, vicos alterius, vectigali stipendio insolenter imposito, aut onere ullo infestato. Liberis populis suæ leges ac jura majorum integra servantor: & ipsi illi quasi sub uno principe in rerum commerciis habendis tutò ultro citroque commeanto. Neuter alterius exulibus domum hospitiúmve tanquam asylum aperito. Multo verò ei minus, qui alteri damnum dederit, publica fides danda erit: nisi se sistendum lubentem, & ad dicendam causam offerat. Sed ne tum quidem nisi principis sui permissu, publicam ei fidem faciendam esse.

Postquam aut leges hæ iis datæ fuerunt, qui huc operam omnem ab Episcopo ponebant, haud negarunt utiles esse illas quidem, sed videri graviores, quàm quæ ad severum unguem ita servari possent. Responsum ab aliis est: quamvis in sylvam quandam rudem ita essent conjectæ, principum tamen arbitrio alia posse mutari, eradi alia quæ viderentur, leniri item quæ censerent. Quare illico in hanc mutatum formam fœdus, mitigatumque fuit.

Comitiis causa creandi episcopi in suffragiorum sortes, successionemve per translationem, aut collegam, aut denique ullam aliam functionis hujus suscipiendæ formam, nemo petitor deinceps candidatúsve veniet nisi quem Ducis calculus jusserit. Restituet ille vicissim Groningam, satrapiam Druentonum, Coverdiam, Diepenheimum, & quantum agrorum urbi ecclesiaque Ultrajectinæ ademit, deductis præsidiis possessione cedet. Secundum hæc, fœderis præsenti glutino uterque princeps, & amborum populi ita alteris conjungentur, ut si alterutri arma aliunde inferantur, résve auferantur, prius ipsi causam in consilium commune relatam disceptent, quàm bellum contrà parent: si hoc pacto contro-

controversia citra certamen componi posit. Sin ea via bellum discuti nequeat; tum demum arma parent, bellum communibus animis susceptum communi sumptu gerant. Populis jura sua patria integra servantor: ut neque majorum instituta, neque consuetudines domesticæ labefactentur. Neuter alterius populo oneribus ferendis, gravis esto: ut è gemina gente unus populus consletur. Venditionibus, emptionibusque rerum mutua mercimonia exercebunt. Neuter alterius hostes, ob datum damnum, fide tutabitur, nisi judicio ad causam dicendam, voluntarius sisti cupiat: ac ne tum quidem fide adjuvandus erit, nisi placito alterius. Si per errorem inter fœdere junctos animos (ut temerè multa solent vinculum humanæ societatis incerta dissolvere) æmulationis studium dißidiumve inciderit, tenebitur hoc in fœdere, ut cura reconciliandi eos in gratiam, ii qui genere & sanguine proximi sunt, disceptatores sumantur.

Transmittuntur hæ societatis leges per secretioris consilii internuncium ad Episcopum, cum hujusmodi verbis, ut liberum arbitrium ei & potestas, quæ videretur, mutandi rejiciendique foret permissum. Haud cunctanter ille, acceptis iis respondit benignè, paululum spacii ad relegendum requiri: quare brevi se omnia cum fide remissurum, quæ ad perpetuæ amicitiæ jura jungenda facerent. Exemit ea res paucos dies, cum per internuncium moram excusaret, & curas quotidianas, quibus indies aliis super alias obrueretur, ut vix fœderis concepti conditiones perlegendi facultas fuisset. Perlegisse tamen eas raptim cum magna voluptate: ut animum sibi fecerint, haud difficulter inter ipsos conventurum. Summa ad ultimum literarum fuit, velle se consultationem de toto negotio integram ad fratrem suum Bavarorum Ducem & Palatinum rejicere. Ad quod cum tempus sumendum foret, ne ex composito se extrahi existimaret, Cæterum benignam hanc pollicitationem tum demum Dux ludibrium esse (id quod è fama nuper jactata, ominatus fuerat) re ipsa deprehendit: nihil tamen per iram impotenter statim molitus est. Obliteratum inde desperata concordia totum negotium fuit: sive quod perpetuæ ignominiæ episcopum per eam servitutem puderet: sive quod Ducis pertinaci ferocia in sociam urbem Suollanam tactus, animo ab eo alienaretur: sive, quod magis crediderim, detecto pridem consilio, in spem firmioris paciscendæ cum Burgundis societatis à Florentio adductus esset: id quod brevi pòst exitus coarguit: utrinque certè de pactione deinceps est supersessum. Exulum capita Wicam jam convenerant. Hi ne cœpta causa segniter procederet, per Comitem Florentium secretò Episcopum submonent, ut Ultrajectinam factionem ad observandum judicii diem edictum adigeret: nisi causa cadere vellent. Fecit id ille haud gravatè: tametsi per inimicos, quorum aula principis referta erat, vix tutò ac sine arbitris id fieri poterat. Quibus submotis, eum edocuit, ne pateretur, quod proclive esset, sibi speciosis verbis imponi. Ultrajectinos homines esse disertos, haud dubie consutis dolis & cavillis lusuros, ne in mala causa vadimonium obirent. Perspicere alterutrum sibi victis necessariò faciundum esse: aut pulsos per invidiam & vim in urbem recipere oportere: vel clausis & ipsi & exulibus statim portis, bellum parandum. Nosse se factionis sævitudinem, quæ armorum fiduciam contra principes in opibus semper habeat. quæ tamen tantæ non essent, ut belli eventum in paucos menses traherent. Iam aliquando moderatum de ære episcopum esse memorem, per quos viros hujus functionis fastigium, quibus eorum occlamantibus, qui nunc rempub. gererent, ipsi esset partum. Dedecorosum, ingratum appellari: nec juvare nunc, cum sua opera & ope servare illos posset. Res lætas præsenti fortunæ statu contentas, adversas verò & jacentes fidem postulare: neque promitti verbis tantum, verùm rebus ipsis exhibere velle. Ut jam de ipso nihil essent meriti, pro quo illi gratiam repeterent: vel illud subiret, in tanta gloria & opibus res Ultrajectinas eos tot annos administrasse,

Burgundiones Ultrajectinis infesti.

Ingratitudinis præmium bonis. strasse, quanta neminem alium antè. Excelsos semper viros pro exhaustis pro patria laboribus ingratitudinis præmium summum ferre. Populum, ubi armatus ad vim evadit, non discernere inter amicum & hostem. Eum hostem habere, qui præclarè de repub. sit meritus: contrà provehere incendia & regnorum pestes homines nobiles & factiosos, per quos popularis administratio subvertatur. *Optimates cur à regimine dejecti.* Quare urbes quasdam prudenter ac laudatè institutas, optimates à gubernaculo repulisse, veritas ne firmatis opibus patriam in servitutem pertraherent. Innatam esse iis qui plurimum valent, ad majora semper aspirandi cupidinem: adeò ut affectibus & pravæ imperandi libidini moderari nequeant. Athenienses has ob causas olim, & Lacedæmonios, primæ nobilitatis homines in rebuspub. testulis pepulisse: non ut ob admissa flagitia de illis supplicium sumerent, sed ne opprimere valentibus, copia in patriam peccandi aliquando foret. Habuisse eos tanquam oraculum in memoria vocem Solonis, quæ extat contra Pisistrati tyrannidem. Per summos viros urbs corruit: ipse autem populus videns, at inscius in servitutem cecidit. *Bonorum exilia, turbatio Reipublicæ.* His à Burensi præsul præsentis periculi, & beneficiorum admonitus, consilium quod antè cum Comite cœperat, seriò persequi constituit: omnia verisimilia reputans, unde primi motus essent coorti, quibus de causis, per quos homines. Quales viri essent, quos exules fecisset: quis præsens urbis status, quis olim fuisset: non potuit animo certum turbatæ per tot bonorum exilia, reipubl. finem prospicere. Mittit Ultrajectum ad ordines per nuncium literas in hæc verba. Quod vestri legati pro sociis Transiselanis sedulam operam apud Gelrum navarunt, ipsorum verbis habeo gratiam: & illi plenius referent, cum se offeret vicissim remetiendi occasio. Nam quamvis in legatione nihil effectum est, aut certè parum: spes est tamen brevi fore, ut in gratiam reconcilientur, ne nostra socordia extrahi se querantur. Restituta jam valitudine pro me sedulò id annitar, ut pace domi forisque facta, res nostræ in magna gloria & opibus floreant. Verùm quàm diu studium nostrum exules spe turbandi omnia aliò trahunt, non video quî consilium meum rectè instituam. Qua de causa stat sententia (ut nuper ad vos scripsi) quantum potest, certamen finire, ejusque cognitionem legatis Transiselanis deferre. *Exulum Ultrajectinorum tria genera.* Tria autem cum sint exulum genera præcipuè, quæ huc censentur: horum primi fuerunt Everardus Soudenbalchus, & Godefridus Vordius Henrici filius: quorum causæ quia ante episcopatus mei inaugurationem cœpere, in tabulas separatim conjectæ ad me mittantur. Secundum genus est ex eorum grege, qui postrema seditione ab urbis præfectis pulsi sunt. Postremum autem, qui ab initio tumultus civilis à senatu vel exules facti sunt, vel peregrinationis ergò relegati ad tempus fuerunt. Actiones itaque horum in suas quasque classes congestas, commissas noxas, causasque sonticas, ob quas anquisiti sint & damnati, excutiendas ante judicii diem publicè exhibete. Cæterum de judicio edicto die in præsenti nihil arbitror monendum esse: quem non minus observaturos vos scio, quàm illi servabunt, quorum causa indictus est. Missus extemplò Wicam est criminationum index à senatu. Tenebat factionis animos præsaga in sinistram partem rerum, tacita solicitudo: ne per speciem dicendi juris, exulum externorumque auxiliorum robore instructus urbi immineret. *In Iulio 1527.* Anni solstitialis tempus tum lætius agebatur, quo ludi solennes ubique gentium ad recreandos mortalium animos ob pestilentissimi sideris exortum fieri solent. Indictum Wicæ sagittariorum spectaculum è more est. Quod ut clarius expectatiusque foret, ad id certamen ludicrum honorificè invitarunt, Episcopum & Florentium Comitem, eorumque pleramque nobilitatem populus Wicanus. *Sagittariorum spectaculum Wycæ.* Episcopus jam bona corporis habitudine factus, volens visendæ fabulæ, quæ è finitimis vicis huc excitorum oculos detineret, aliquod specimen repræsentare, familiam omnem singulis tunicis donavit. In his symbolum totius historiæ, quam in suo Episcopatu ediderat, mirè aptum, intexi ad ludorum statum diem, jussit. Erat id autem *Symbolum Henrici Episcopi.* hujusmodi. Cavea aurato filo dextræ manicæ intertexta, leonem hiatu linguam terribili exerentem ita inclusum referebat, ut unguibus insertis clathros refringere, & quasi diu coercita ira, fractis claustris erumpere cuperet. Intellexit factio quid symbolica pictura significabat: eam affirmare scilicet, principem diu sedisse quasi conclusum domi: arbitriumque administrandi, ut libitum esset, ditionem, paucorum potentiæ permisisse. Quare se clam, multa eos perperam tuendæ stabiliendæque dominationis causa ex libidine magis quàm æquo & jure perpetrasse: quæ obliterare ipse collecto rursum virium robore nunc aggrederetur. Cæterum in hoc certamine ludicro dejectæ volucris palma penes Episcopum fuit. Populo Wicano exuberante gaudio luxurianti, magnifica congiaria dedit: dataque vicissim sunt dona illi honoraria non minus ampla, ad seriæ in imperium augurationis simulacrum. Missa illi sunt

item

item ab Ultrajectinis ordinibus, palmam ad ostentationem opum suarum usque magnificè gratulantibus, singula laudatissimi uini plaustra. Accepit ægrè interim Gelrus, verbis se speciè amplis, (quod ad fœdus) ludi: sibique re vera nihil aliud quàm verba data. Qua de causa iis ipsis statim diebus literas ad ordines dedit, quibus infestè de perfidia episcopi & vanitate conquestus est. Omnem navatam impigrè utrinque operam in ventos abiisse, spem superesse nullam populos ac ditiones fœdere consociandi, ad quam multorum animi erecti fuissent: ut miraretur, ausos fuisse quosdam, quibus non propius ejus ingenium esset perspectum, tanta fiducia indubitatam firmandæ societatis expectationem affirmare. Edoctum se ab amicis fidei exploratæ, in eo rem verti, ut consilio unius Florentii fide mutata, ad Burgundionum vires inclinaretur: cujus societatis lenocinio & se & Ultrajectinum populum apertè prodi. Nihil fidei enim illi genti esse: agere, ut præsule conciliato, infida societate cum suo regno aliquando exuant: & veteri inde actione renovata, convalescentibusque nimis opibus se bello adoriantur. Hoc sibi solennia velle ludorum sagittariorum illa spectacula: hoc benignam ad id certamen & honorificam invitationem, & comessationes perpetuas principum Dorestati. Editurum se brevi exemplum, quo sibi eam rem dolere testaretur. Accersuntur confestim Ultrajectum inter Episcopum & Gelrum disceptatores, quos horum omnium quæ occultè translacta ferebantur, imprudentes esse ignarosque liquebat. Lectis hi literis amentia non simplici perculsi, haud valuerunt induci, ut crederent tantam inconstantiam in principem virum incidere potuisse: rati nimis religiose pactam fidem, plus apud episcopum valuisse, quàm ut ullis promissis aliò flecteretur. Maturant hi unà cum Gelri literis properè Dorestatum, novam societatem, si nondum coisset, aversuri, perplexi inter spem & metum. Episcopus audito, quæ suspicio per congressum & dierum aliquot solennes convivationes cum Florentio, coorta Duci esset: præcipitem ejus iram nonnihil veritus, in præsentia ita se purgavit disceptatoribus, ne clam id Gelro haberent. Quòd Dux (inquit) ob familiare colloquium, ob unum item aut alterum congressum cum Burensi, sinistrè suspicetur, equidem prohibere non possum: ut nec ipse, quoties mihi plusquàm domestica ipsius colloquia cum pleraque nobilitate Ultrajectina, multo justius in suspicionem rapere libeat. Decubui ad desperatam propè valetudinem annum & plus eo invalidus ac æger: quo tempore cum rebus tantum medicis vacarem, non admisi impendiò officiosiores in visendo amicos. Vicinus ubi audivit bona me habitudine nuper factum, cursu properè huc contendit, salutem gratulatum. Moti officio ibi humani Comitis Wicani, eum pileo donatum ad ludos anniversarios invitarunt. Venit, absumpsitque nobiscum in publico gaudio aliquot dies. Quid quæso est quod ille hic criminetur? si statim cum in hanc regionem descenderem, ob locorum affinitatem, societatem cum eo junxissem, credo probasset Carolus meum consilium: quia utile fuisset & mihi, & Ultrajectinæ genti. Ecquæ tandem invidia est, cur mare cœlo miscet; quod aliquot dies exhilarandis animis unà dedimus? Nec ipse tam superbus esset, aut inhumanus, quin rogatus benignè, lubens ad consimiles ludos adueniret. Nec mihi stomachum ipse conciret: aut faciendi fœderis cum alio, exoleto priori, suspicionem pareret, sicubi cum hoc ipso, aut alio colloquia clam publicéve seruisset. Sententiam non verti (ne fingat) neque dum vertere constitui, nisi quà spes me fallat. Tantum à me obviando duci præstatum est, ut ultrà nihil possit. Quid si (ut cogitationibus humanis multa intervenire possunt) ad aliam societatem animum adjecissem, num acceptam injuriam queri potuisset, cum dextris nondum datis, conceptæ solum societatis leges fuissent? Nunc id respondi modo, causam me integram ad fratrem rejecturum. Quid si is dissuadeat? quid si ad firmiores opes exhortetur? Certè ne tum quidem quod indignetur, erit. Spacio, addidi, ad consultandam rem, opus esse. Cur igitur dilationem indignè fert? cur per moram sibi dolum necti suspicatur: ac non suspicatur solum, sed etiam palàm affirmat: cum argumentis probabilibus vanitatis convincatur? Agè dispiciamus quàm absurdè id metuit, cujus liceat esse securo. Cum adesset hic Comes, graviter cum eo expostulavi de accepta injuria à Burgundis: qui in me, ut adversus apertum hostem, animo feroci essent: nisi quod bellum non nunciarent. Non deesse animum repetendi vindicandique conserta, occupata, manu, si perinde domesticæ opes paterentur. Hæc fuit per eos ferè dies nostra consultatio: quibus ut nimis credulus assentatorum quorundam verbis, de novo sanciendo fœdere cum Burensi tempus me absumpsisse credit. Id solum, ubi me expurgaverim, de ipso addam interim: ne verbis specie blandis quorundam prior perfidus coarguatur: nec à me illi addetur prius fides, quam ubi nihil commissum erit. Expurgatio extemplò ad Gelrum, sed verbis

Burgundos perfidiæ accusat Gelrus.

Gelri animus præstitutus.

verbis mollioribus relata, ejus præferocem iram mitigavit aliquantum. Eadem & Ultrajectinos in spem cœptæ societatis certiorem erexit. Mittuntur sub hæc Amorfortiam ab episcopo literæ ad senatum, ne gravarentur ad IV. Non. August. Wicam legatos mittere, qui cum frequentiori Transiselanarum civitatum concilio exulum causas judicio cognoscerent: ad ipsos ut integros judices provocationem factam esse. Habitus & Ultrajecti circa VI. Cal. Aug. à Consulibus de legatis Dorestatum mittendis senatus est. Dictæ à multis sententiæ, bis per omnia (ut dici solet) variarunt. Censuerunt multi criminationes scripto per nuncium ad concilium mittendas: quo mansuetè episcopi imperio obedirent. Contrà alii, omnino nihil vel respondendum, vel nullam mittendam legationem, præter exemplum tabularum, quibus præsul in perpetuum illos exules initio tumultuum intestinorum esse jussisset. Media inter has & æquior sententia obtinuit: quando illi populi judicio, approbante senatu & episcopo, damnati essent, turpè nunc fore, si cum postulentur, fugiendo judicium, desertæ causæ rei convincerentur. Censere ex omnibus ordinibus legandos eos esse ad conventum, qui per totum triennium civilibus rebus & interfuissent, & præfuissent: qui acta omnia memoriter tenerent. Hi communem causam præsentes & scripto & oratione tuerentur: neu discederent, (modo à vi tutos esse liceret) priusquam dijudicatum foret. Supervenere in consilium literæ ab Episcopo datæ, quibus contendebatur, ut quoniam scripto adversariis fieri non posset satis, ex equestri nobilitate communi omnium nomine mitterent, qui judicio exulibus opponerentur. Facto senatusconsulto legati nominantur Ioannes Vulvenus Cos. & Æmilius Wtenengus: minus, quam reliqui, civilibus secessionibus nobiles. Voluit autem episcopus ex eo ordine hujusmodi mitti, qui vel brevem, vel nullum magistratum per id tempus gessissent: quos ante oculos versantes obtueri, minus exulibus doleret, quàm principes civitatis, à quibus curia, foro, & patria pulsi essent. Exules cognito legatorum adventu, in forum toto oppido undique confluunt, ac nisi juris gentium religione icti fuissent, vix à pulsando eos temperarant. Legati apertum discrimen protestati, traditis scripto actionibus, domum revertuntur. Veritus episcopus ne (ut fama ferebat) post legatorum discessum, Ultrajectini temerè ad res novas averterentur: trepidè ad ordines literas dat, in hanc sententiam. Audivisse passim spargi rumores, sibi in animo esse, exules reducere: quod cum fictum esset ac vanum, imò ne cogitasset quidem, allatum ad se fuisse, ipsos consultare de auxiliis equitum accersendis. Velle se scire, num quid veri haberet, quod ferretur. Responsum ab ordinibus episcopo per ejus præsides: id ipsum pari ratione commentum, ad ipsum delatum fuisse, qua multa indies in sui odium ab inimicis persuaderentur: neque in consilio unquam propositum, neque mortalium ulli id in mentem descendisse. Egerat jam antea cum Florentio, secreto colloquio, de equitum auxiliis mittendis, cum peteret. Mittit statim ad eum literas, ut partem equitatus sui in destinatum locum inter Wicam & Ultrajectum Cal. August. præmitteret: cum quibus & suis junctis armatus, ex improviso ordinibus urbem ingressis superveniret. Vetus consuetudo genti Ultrajectinæ ad eum diem usque durarat, ut princeps in urbem venturus, ordines, præmissis cum armis culinariis, coquis, adventus sui certiores faceret: ad cujus ingressum tet signum tintinabulo, cui ab eo nomen factum erat, honorificè dabatur. Ministeria autem ita nunc præ se vehiculis in civitatem misit, ut eorum propè tergo cum equitatu hæreret: essetque jam ad portam prius, quàm advenire nunciaretur. Detectus fuit occultus episcopi adventus, casu magis quàm destinato cujusquam consilio. Accidit fortè, quod cum equites è ripa Culenburgana Leccam in ceteriorem ripam transportarentur, in iisdem pontonibus Culenburgani nominis unus & alter simul trajicerent. Ab his rogati, quò iter haberent, cum nusquam essent bella: Vesperi, responderunt, Ultrajecti cultros nosttos escarios stringemus. ducentos præterea equites, qui evestigio sequentur, adhuc operimur, & quingentos pedites. Vox ea non excidit surdis. Hi enim, dum loco constituto episcopum illi præstolantur, in urbem antevertentes, quid vidisent, audisentque ad Coss. trepidè deferunt. Huic nuncio supervenit & alius è consilio principis missus: qui accuratè Coss. mandabat, si se suosque & rempub. servatam vellent, intentè portas præsidiis circà dispositis custodirent: néve plus equitum in urbem admitterent, quàm quibus pares se futuros existimarent, si ad vim res spectare occiperet. Pervenerat jam episcopus cum domestico equitatu ad eum fermè locum, ubi externa auxilia sylvoso salicto ob umbræ opacum frigus, stabant: (anni tempus calidissimum agebatur) hi defluentibus frameis quasi ex insidiis coorti, ad serii concursus simulacrum infestè admissis equis episcopo occurrunt. Quibus ille conspectis, obviam processit: inde subvectis iterum

Henricus Episcopus parat exercitum ad ingrediendum urbem Vltrajectinam.

alii

alii frameis, infestum cursum effusumque illico cohibentes, equos circumagunt. Ibi inter equites salutatione ab equis facta, pergunt iter ad urbem facere. Factio his nunciis alio super alium allatis trepida, vix credens principem cum tot armatis ad urbem accedere, exploratum unum emittit, quantas equitum turmas secum adduceret: simul quàm procul à civitate adhuc abesset. Ipsi interim, invito Consule, atque etiam obsistente ne fieret, (languidus enim adhuc & extremè malicentus, pallidusque à diuturno morbo in publicum protrahebatur) ingressis commodum coquis episcopo portas claudunt. Sagittariorum sodalitium armatum ad forum Palatinum occupandum edicto tumultuosè convocatur: sed tumultuosius habetur senatus. Fit senatusconsultum, mittendos legatos obviam de auxiliis dimittendis: non esse è rep. veterum nomini Ultrajectino hostium equitatum portis recipere. Redit inter hæc speculator, exploratum emissus: nunciatque principem cum valido equitum præsidio, sed incerto numero urbi appropinquare. Obviam legati Ioannes Huchtenbrochus & Adamus Diemenus à senatu dicti, principi circa * Vechten pagum, mille circiter passuum ab urbe procedunt. Substiterat ibi horam in equo, postquàm clausas portas accepisset. Altius ibi Diemenus homo disertus orationem orsus, ostendit qua via, quaque ratione in episcopatum venisset: competitoribus eum omnibus præpositum. Quam ob causam Burgundiones infestos multis in controversiis (ut ipse sciret) palam populo Ultrajectino fuisse, & hostiles spiritus per eos annos in se gessisse. Hos jam secum eum adducere: cum ordines id sedulò hactenus annixi essent, ut nullius egentes, pacem domi, nullum bellum foris haberent. Aperiri viam hac inusitata intrandi specie ad bellum. In illa multa esse, quæ hostilia præ se ferrent: subitarium, ac non multo antè nunciatum, sed furtivum accessum contra veterum Episcoporum morem: externa equitum auxilia, pedestres, quæ adhuc expectarentur, copias: equitum item turmas. Senatum, optimates, adeoque omnem religionem orare, ut missis auxiliis, cum suis urbem equitibus introeat, & cum præfectis: (nam hos paulo antè Wicam ab domo accitos secum proficisci jusserat) omnis ordinis mortales paratos pro eo fortunas ponere, & vitæ discrimen subire. Super hæc si corpori suo quid timeret, velle eos pedites, qui urbi præsidio nuper impositi essent, sacramento ipsi obstringere, ut fideles & obedientes ad quodvis imperium & officium exequendum essent. Veniret jam saltem in mentem, ut omnes boni per omnia sine rebellione ejus imperio obedientes se præstitissent: quos immerentes hac fraude & omnem agrum ditionis Ultrajectinæ bello infestum posset reddere. Si ne hoc quidem exorari daretur, vel equitum numerum ederet, ut esset quod ad consilium referrent. Episcopus obtutu in Ioannem Huchtenbrochum paulisper fixo, obticuit: post paululum ab equo, Numerus equitum, si vacuum est, oculis perlustrato, inquit, quantus sit. Audio vestras portas mihi clausas, utcunque id vobis cedat: nec decrevi nisi his copiis armatus in urbem venire. Vos retro redite, atque ad senatum referte, (quoniam hic dies festus habetur, quamobrem à largioribus poculis temulentis parum mentes constant) uti cras prima luce vetus novusque senatus habeatur: tum maturè in deliberationem proponatur, decernaturque, num mihi, meisque his quos videtis, equitibus patebunt portæ. Idque denunciate, ut certus sim, in **Oestbroeck**: quò me recipio, (abest id cœnobium ad mille ab Ultrajecto passus) principémne me an hostem patriæ judicent. Simul circumactis equis illò se iræ plænus abripuit. Vesper erat diei, cum sylvæ Oestbrochianæ appropinquaret. Abbatem evocari jubet, sciscitaturque an ipse quoque sibi portam objiceret, perinde atque Ultrajectini fecissent. Hospitium, inquit, peto vel unam noctem, contentus pauxillo cibo, qualis decet præsentem fortunam: & pabulum equis ab itinere lassis, ut reficiantur. Michaël pistor, & Henricus fusor æramentarius, & homines id genus, me exulem lato privilegio, esse jusserunt. Quare ostiatim hospitium & victus mihi nunc emendicandus est: primumque ad te ut hospitalitatis haud rudem, exclusus statim diverti. Si tu quoque regiæ tuæ fores mihi clauseris, sub divo cum his armatis pernoctandum erit. Sin lubens volensque receperis, non pones beneficium (si sospitem me servet Deus) apud immemorem: sed quod, cum dabitur, cum fœnore tibi remetiar. Lætius nihil (inquit * Abbas) illustriss. princeps, tuo ac tuorum adventu nunciari potest: quantum esculenti ac poculenti est, & omne denique penu, tuum ducito. Simul equites via facienda totum propè diem fatigati, ductis in stabula equis, ad reficienda corpora concedunt. Episcopus ægritudinem animi dissimulans, pulte paulula ex colatis pisis sumpta, cubitum abiit. Missus eodem vesperi est ex urbe ab ordinibus ad equitatum panis, ac cætera edulia, honoris causa, haud secus quam si in civitate episcopus fuisset. Et exclusus ad hunc modum Cal. August. à pop. Ultrajectino Henricus Bavarus episco-

Pontanus fol. 731. histor. Geldricæ.

**Vechten, villa, olim Fatina.*

1527. 1. Aug.

Ultrajectinorum contra episcopū paratus.

**D. Evrardus de Mauricks, qui ob 1528. XII. Cal. Junii.*

episcopus fuit, quarto anno qnam præsul creatus esset. Postero die utrunque senatum Consul clausis portis convocat. Colligit se quoque factio equestris gradus in concionis modum, ad consilia agitanda. Et quia subitò episcopo respondendum erat, non visum fuit senatui è rep. esse, eum intromittere: certum enim habebant ex tanto stratagemate, de tergo factionis, si reciperetur, satis futurum. Auxerat eum metum rumor, eadem nocte ad classem equitum Burgundicam, quæ Florentii erat, quingentos lectos pedites accessisse: quorum centuriones essent omnes Burgundicæ gentis: quique in multis bellis sub Carolo imperatore ordines duxerant. Hi, quoniam anno undecimo, quo bellum ipsis cum Isselsteina fuisset, sæpe agrum Vltrajectinum populando urendoque infestum reddiderant, probabiliter argumentabantur, se cum his copiis fraude ac dolo ab episcopo peti. Accedebat huc quoque aliud, quod omnia verisimilia arguebat: advenisse qui dicerent, exules inter armatam peditum cohortem visos. Placet tumultuosè (quia dilationem non patiebatur subita res) advocare ordines, ut eò relata re, ex iis dicerentur, quos legatos ad principem mitterent. Nominantur legati utriusque nominis religiosi profanique, qui à factionibus semper fuissent tam alieni, ut qui maximè: & inter hos Gysbertus Sulenus Consul. His mandatum est, ut precibus lachrymas miscentes, eò inducerent præsulem, ut vel commotus vice imminentis fortunæ, posita ferocia, auxilia domum ab se ablegaret & in urbem veniret. Cum mandatis his legati profecti, postquàm in Westbroeck pervenere, copias non magnas illas quidem, verùm formidabiles magis quàm validas conspexerunt. Quæ quantæ essent, primum non quiverunt expiscari: postea tamen sciscitando compererunt, equites non plus ducentos esse auxiliares, & quingentos pedites. Admissi Ultrajectini, statim quàm advenisent ad principem, decretum ordinum exponunt. Addunt hoc quoque privatim, utcunque verteretur, intromisso eo cum præsentibus auxiliis, statim populum Vltrajectinum præsens & inevitabile cum Gelro bellum habiturum, cujus quis futurus esset exitus, incertum esse: certè sex hebdomadum bello se expertos, (& adhuc vomicam dolere) quid sit armis decertare. Negat se, obfirmato animo, nisi cum præsentibus armis episcopus Ultrajectum venturum. Egressis paulululum inde ad colloquendum legatis, supervenerunt primores à consiliis principis. Hi se Vltrajectinis de istoc negotio expurgarunt: Cum Dorestato proficiscerentur, de auxiliis neque equitum, neque peditum scivisse. Sed ne mentionem quidem ullam in consilio de asciscendis illis unquam injectam, unde vel leviter, quid ageretur, subodorari licuisset. Ad eos visos in itinere non minus se obstupefactos, quàm ipsos Ultrajectinos. Sed necdum scire satis, quid episcopus in animo haberet, aut quorsum tantum copiarum pertineret. Intro paulo pòst regressi legati, exorant spacium ad consilium referendi visa, auditaque: & quidem in bonam partem omnia. Haud negatum id quidem illis est, sed ut statim quàm domum redisent, advocatis in concionem ordinibus certi aliquid decerneretur, ne cavillando ludendoque tempus absumeretur: ac se ante decimam meridianam certum, quæ staret sententia, redderent. visi hic sunt inter armatam multitudinem exules. Cum hoc responso legati in urbem redeunt. Mœstos antè ordines atroci responso multo mœstiores fecerunt. Tum demum perspicuè animadversum id est, quod toties fando auditum, de restituendis exulibus callidè episcopus dissimularat hactenus. Quamobrem alterutrum sciscendum: aut rescisso priori decreto, illis reportandos: aut rem bello decernendam. Quod ut averteretur, omnia prius periclitari statuunt. Eosdem legatos eodem redire cum priori mandato jubent: edicuntque, ne locum ullum obtestationibus ac precibus prætermitterent: ut dimisso mercenario exercitu, cum consuetis equitibus urbem ingrederetur. Proponerent ob oculos vastitatem ditionis, incendia, rapinas, cædes, latrocinia ex atroci bello, quod præsentissimum essent habituri: & ea omnia quidem, quantum possint, dicendo exaggerarent. At legati desperantes, obstinatum principis animum à proposito dimoveri posse: sive verecundia moti, quod frustra domum regressi, nihil à consilio æqui impetrassent, legationem recusarunt. Circumspectantur alii, atque item alii, qui tertiam legationem susciperent. Cum autem nemo legatus ire vellet, redintegratus terror, amentiæ ad unum omnes implevit: quamvis aleam subituros potius, quam ut exilio & bonis multatos reduci paterentur. Decursum tamen eò est, ne nihil renunciando, animum acerbatum furore magis accenderent: ut quod per legatos responsuri fuissent, id per literas significarent. Lectis præsul literis: Agite, inquit, quando ita stat sententia omnia deinceps armis gerenda erunt. Conscensis statim equis, ægritudinem dissimulans, Wicam rediit: neque per iram quicquam ordinibus respondit.

Belli fructus.

LAM-

LAMBERTI HORTENSII RERVM VLTRAIECTINARVM,

LIBER QVINTUS.

ECQUIS est, qui non omnium rerum in vita humana commutatione perspecta, fortunæ vicissitudinem in utramque partem, ad modum reciproci æstus, attonitus obstupescat? Aut quis adeò eminentiæ & fœlicitati suæ nititur, ut humana imbecillitate grandius quid aut constantius sibi promittere audeat? Communis enim vita tanquam à deorum aliquo, clavo adhærenti gubernata, bonis malisque vicissim perpetuò circumagitur. Quare admirabile videtur, non si quid inopinati eveniat, sed quod non omnia quæ geruntur, præter spem cadant. Quamobrem par esse duco, historiæ narrationem aptè accommodare: gestarum enim rerum vicissitudine, ex immodica in secundis rebus agentium insolentia, & infortunio eorum qui voto frustrantur, lapsabundi erigimur. Henricus episcopus in summa necessitudine cum optimatibus, in publico foris ocio de improviso hostis judicatus, in atrox bellum incidit. Nam sibi restitutus, ac tandem perspecta fraude, rempublicam constituturus, cum opinione infœlicius res caderet, paucorum nobilium potentiæ se parem ratus, & se fefellit, & ditionem invitus ad aliena Sopes transtulit. Clarus immortali nomine, ut nemo magis antè, quod ablata pomœria precio ecclesiæ recuperasset, nisi id æterno domus suæ dedecore nunc obliterasset. Postridie tormenta in publicum prolata expediri, atque omnia quasi ad bellum apparari jussit. Quo spectaculo terror Wicanis, at effusa exultatio exulibus oborta est, clamantibus, bene jam rem habere, nihil alio duce opus fore, cum ipsum principem haberent ejusdem conditionis socium, cujus auspiciis ad reditum in patriam via pararetur. Huic terrori ad nobilitatem pleramque ab amicis ex Hollandia & Brabantia missæ literæ superveniunt, famam in iis regionibus constantem ferri, pedestres copias Burgundici generis conscribi ab episcopo ad urbem inopinatò invadendam. Haberi simul & equitum delectum: quare intentè custodias portarum haberent, & nocturnas vigilias murorum stationibus collocarent. Auxit ad hæc pavorem hominum ex agris in urbem pecus armentumque omne trepidè agentium vulgus, penu & frumentum vehiculis pro se in oppida vicina quorumque asportantium. Multi, quibus res esset lautior, cum suppellectilibus, ut apertum bellum fugientes, in civitates emigrabant. Ordines ancipiti re perculsi, varia consilia agitare. Reputabant enim inter se Hollandorum injurias, cum quibus nihil solidæ amicitiæ haberent, ab illis infida omnia ob nuperas conflictationes esse. Exclusionem exulibus foris item, & exulum amicis intus animos facere: seque eos, ac spiritus præferoces suo indicio indies magis ac magis prodere. Super hæc ad ultimum, in quo extremam ancoram fixerant, ab ipso se deseri principe: pro quo fortunas & vitam in dubiis rebus ardoris civilis posuissent: quem defensorem urbis futurum semper rati fuerant. Bona item ecclesiarum in ditione Florentii injecta manu publicè possideri: quæ initio tumultus intestini in gratiam Ultrajectinæ factionis, & Soudenbalchi Vordiique exulum invidiam libera fecisset. Nunc eundem Comitem pari studio, quo antè ad præcludendam reditus viam, ad reducendos eos pro viribus anniti: adeoque ad eam rem non solum promittere episcopo præsentem opem, verumetiam ultro equitum & peditum auxilia suppeditavisse. In hac ancipiti animorum anxietate, legatum dominum Marcum Wesium cum literis ad Carolum Gelrorum Ducem homines nobiles primæ factionis clam Coss. mittunt, oratum, ut quando omnia infida & hostilia in episcopo & Burgūdionibus adversum se cognovisent, ne ipse Ultrajectinam gentem insidiis à principe suo petitam, penè sub cultro desereret. Ad ordines relatū esse, Wageningæ esse equites, eosq; sanguinis Ultrajectinę nobilitatis. Petere hos, se accersendi ad tuendam contra vim, urbem, potestatem: nam ipsum Ducem iis haud magnopere ad bellū indigere. Dux sæpe antea cùm ab aliis, tū proximè à Swollanis lusus, primum negavit callidè, se id facturum: probabiliter Swollanū certamen, quod nondum confectum haberet, excusans. Respondit tandem, posse fieri tamen, ut centū equites adversus assultū permitteret, nisi suo insigni detrimēto edoctus esset, hominū in speciem amicorū, & magnifica addicētiū verbis fidem magis non habendā. Quare si tabulis principū factionis manibus subscriptis sibi cavere vellent, po-

Eventus quare admirabiles.

Apparatus belli apud Vltrajectinos.

Burgundicum exercitum conscribit episcopus Bavarus.

Gelrus vocatur ab Vltrajectinis in patronum. fol. 732. apud Pontanum.

stulata eorum se facturum. Cum hoc responso legatus in urbem reversus, offendit suorum animos ad quidvis faciendū inclinatos potius, quamquā equestribus auxiliis destituerentur. Conficiuntur raptim tabulæ, subscribunturque. Quibus acceptis antequàm legatus proficisceretur, prid. Non. August. omnem rem Gylberto Suleno Cos. detegunt. Quantum ipsi dijudicare ex probabilibus argumentis valerent, fore, ut nihil opinantes opprimerentur: sic enim secum comparatum esse, ut amplius amicos ab hostibus intra extraque urbem non dinoscerent. Non audere diutius se tam infirmis peditum intra muros præsidiis credere, nisi centum equites ad urbis custodiam conscriberentur. Vera ista sunt quidem (inquit Cos.) neque mihi satis liquet, quos deinceps hostium, quosve amicorum loco habeam. Adeò non possum dispicere principium exitumve hujus, quod agitur, negotii. Autor tamen vobis non ero ad accienda externa auxilia, neque dissuasor: ut vobis liberum etiam faciam disceptare, quæ è rep. videantur. Unum id exoratum interim mihi dabitis, ut tantisper ab accersendis externis equitibus desistatur, dum ipse ultro citroque legatus ad principem eum, qui me Cos. fecit: ut expiscer, bellumne nobis paret, an pacem portet: simul quo consilio cum tantis copiis ad urbem accesserit. Ad ea quidam. Non fallit nos Cos. quid tu agas ut per speciem legationis in apertum elapsus, omnino abdicatus magistratu Ultrajectum non revertaris, ac nos in magno rerum discrimine derelinquas. Nosti ipse omnia Wicæ impedimenta, machinas tormentaque apparari: non modò ut bellum nobis faciat, (quod præsentissimum habebimus) sed etiam, ut dum consultando supinè tempus eximimus, scalas ad stantia mœnia inferat, impræmeditatosque expugnet episcopus. Non faceres pro magnitudine & dignitate Consulari, si rempub. prædæ ac cædibus in medio desereres. Etsi stat sententia (respondit Consul) obita legatione domum redire si tamen ante vesperum crastinum Ultrajecti non adfuero, tum facite quæ vobis videbuntur, ne respub. detrimentum accipiat. His conditionibus Consuli Wicam ad Episcopum profecturo, ex ordinum jussu adjuncti, Arnoldus Vulvenus collega in consulatu, Bernardus Wtenengus, Franciscus Nienrodius: & ad hos nonnulli religiosi nominis homines, quibus privatim Wicæ negotia obeunda erant. Mane legatis vixdum urbem egressis, contra datam Consuli fidem nihil factio cunctata, conventum habet tumultuosè de equitibus è Wageninga in incertum legationis eventum ad urbem evocandis: negotium mandatur D. M. Wesio, ut quantum posset, reditum domum cum auxiliis maturet, priusquàm legatorum reditu è Dorestato sub vesperum opprimerentur. Videbantur jam episcopum exosi bellum malle, & cum Gelro societatem, quàm ullas conditiones quamvis tolerabiles, ut reciperetur, admittere: licet aliud lingua quàm pectore clausum erat, gererent: sive ob paulo antè Duci pactam fidem, fœliciter consuli celatam: sive quod, utcunque conveniretur, parum episcopo crederent. Quare cum nihil legatorum responso expectato, illud maturarent, id consultabatur, ut eorum reditum in urbem auxilia occuparent. Ac ne detectum consilium motum excitaret, simul ne Wesius cum Gelro equite in insidiarum locum imprudens traheretur, sparsit rumorem, se indicti ludicri certaminis gratia, ab agraria plebe volucrem ejaculatura invitatum, in Vicum Dornanum iter habere. Et ut id quod jactabatur, similitudine veri comprobaret, neu fucus subolesceret, diversa porta cum Ioanne vander Aa equestris familiæ, quem postea sub arce Vredenburgo à Burgundionibus feriri vidimus, urbem egreditur. Fortè tum in civitate erat Ducis à consilio intimo, Erculeus Groffius: qui cum priori ad Gelrum occulta legatione in civitatem per amicorum invisendorum speciem, prudenter quod aleretur dissimulans, venerat. Legati interea postquàm Dorestatum venere, ad Episcopum nulla mora admittuntur. Consul ubi multa disertè in utranque partem, de pacis commodis & belli calamitatibus, commemoratis Ultrajectinorum in episcopum multis & magnis meritis, disseruisset: obtestatus est, ut positis affectibus, & belli cura aversa, copias dimitteret, atque vernaculo equite satis contra vim armatus, urbem intraret. Audita benigniter legatione, postquàm placidè pauca respondisset, minus ferociter quàm antea percontatur, ecqui equites ab ordinibus acciti intromissive essent, númnam quos operirentur. Negavit Consul id factum, cum ex urbe proficisceretur: neque de evocandis quicquam decretum fuisse, quod sciret. Consul autem, ut ex sponsione pacta factionem à novandis rebus averteret, collegam Arnoldum Vulvenum & reliquos legatos præter Nienrodium maturè sub vesperum domum remittit. Tota autem civitas in spem concordiæ extra factionem erecta erat. Convocatur in concionem ordinum senatus eodem die. Recitatæ hic literæ sunt Consulis Suleni, quarum hæc erat summa. Statim quam Doresta-

1527. in Augusto.

Equites Gelrenses Ultrajectini accersiti.

Doorn, olim Thoorn.

Henricus Groevius Satrapa Erkelensis.

Dorestatum venissent, ad principem introductos se, ac legationem suam benigniter auditam fuisse, & certam concordiæ esse spem. Episcopum responsum insequentem diem distulisse. Ne quid rerum igitur novarent, priusquam vel ipse domum reversus esset: vel per literas, quid staret sententiæ, eos certiores fecisset. Rogati reliqui legati, ecquid ipsi referrent: responderunt, nihil se comperti ex principis verbis elicere per multas obscurasque ambages potuisse. Fecit ea res factioni fraudis manifestæ suspicionem, quòd incautis & ociosis superveniret episcopus. Haud diutius cessandum rati, equo expeditum quendam subornant, qui quanta posset celeritate additis calcaribus Wageningam properaret, nunciaretque equitibus, ut sub diluculum posteri diei ad urbem adessent: exploratum habere per trepidè allatum nuncium, episcopum se totum ad oppugnanda mœnia apparare: idque fortasse postridie eventurum. Emittuntur & exploratores, qui transversis regiisque itineribus circumquaque omnia specularentur: ut si quid hostium usquam in agris divagari deprehensum esset, celeriter vigilibus ad urbem sub mœnibus foris repentibus, & in murorum speculis excubantibus nunciarent. Sub noctem Consuli Vulveno per vim claves portarum (quia constanter negabat externum Gelrorum equitatum intromissurum) extorserunt. Tota nocte à factione pervigilatum est, expectatusque in horas eques, missis ex urbe, qui per mansiones ejus accessum ad Albam portam denunciarent. Missus & Dorestato eques sub mediam noctem est, exploratum, num quid veri haberet rumor allatus. Paulo itaque post noctis conticinium Rhenos prætervecti silentio, cum ad Elstam usque processissent Gelri, prætor leci ex intervallo per noctis silentium hinnitu equorum accepto, celeriter equum conscendit: ac subditis calcaribus, Dorestatum petit. Intromissus hic in arcem, episcopo rem denunciat. Haud segniter is statim lecto correptus, Consulem Sulenum, & Nienrodium excitari jubet, nunciarique, rem depræhensam nunc coarguere, haud vanum fuisse rumorem, de equitibus Ultrajectum occultè accersitis, ad se allatum: eos jam ultra medium itineris progressos ad urbem accelerare. Apparere hic factionis perfidiam: quam integra legatione nihil novare decuerat. Mane sub illucescentem auroram Ultrajecti tanto silentio ad notam tesseram & signum patefacta porta in urbem venerunt, ut nisi ungularum in silicibus strata via strepitus equos quadrupedantes prodidisset, ducenti illi armati (tot enim erant) & vigiles in stationibus & plebem horum ignaram fallere poterant. Tum demum publicè luctus oboriri visus hominum manus ad cœlum tendentium, querentiumque, nunc inchoatum esse bellum quod execrabilis factio hactenus tacitè precata esset: jactam per istam causam defectionis ad excidium patriæ, aleam. Quin priusquàm numerus exterarum copiarum augeatur, eas urbe profligamus? Compescuit frementem plebem blandimenta dando factio: conventurum de pace: verum ob metum oppressionis præsidia esse imposita: ea deducturos, ubi pax convenisset. Id quod propediem esset futurum. Ibi perditorum ex factione civium audacia sese prodidit. Michael Pistor, Gerardus Noviomagus cultrarius, cum paucis sui ordinis aliis, tanquam pœnarum metu per defectionem ad Gelrum posito, impetum in ædes procerum collegiorum, qui principi vel ob honores obnoxii, vel functionem aliquam jurati erant, faciunt: easque hostiliter diripiunt. Inde ad ostentationem præclari facinoris holosericis undulatisque vestibus ad talos diffluentibus amicti, annulatique tota urbe sursum deorsum per publicum ob oculos civium obversabantur: ad imitationem lustrationis amburbialis rudendo vicos plateasque circumeuntes, asininis vocibus omnia complere: nullum contumeliæ in episcopum, nullum insaniæ atque stultitiæ spectaculum prætermittere. Iugum per hanc dissolutam quidvis patrandi licentiam exuisse videbantur. Sed inter arma perpetuum est justitium. Opulentiores repentina urbis facie trepidi, quantum ex tempore dabatur, tumultuosè aurum argentumque auferre, occultare, ne quid grassatoribus statim ad prædam obvium esset. Quisque denique, qui munera ab episcopo gerebant, in magno direptionis metu esse. At Gelrorum equitum magister auditis iis quæ tota urbe facinora licenter designabantur, reputans secum quàm difficile foret alienam civitatem usurpatam diu retinere, si suæ factionis paucis sceleratis, uti cœpissent, potestatem quævis flagitia in quemlibet perpetrandi impune ac licenter faceret, ad se secretè advocatos illico graviter castigat, eo se urbem non ingressum, ut ipsis eam prædæ aut devastandam daret, verùm ut ab hostium injuria, si qua inferretur, assereret. Si id quod agerent, faustum esse vellent & fœlix, plebem beneficiis devinciendam esse: quo consociatis animis communiter rempub. defenderent, ac non ut infestam satis, infestiorem redderent. Frustra autem foris se bellum habituros, si plus sibi ab interno hoste quam ab episcopo esset metuendum. Iam in armis nihil firmi fore, si legum repagulis domi ruptis, omnia miscere aggrederentur. Pavor jam

Geldri equites 200. Vltrajectum veniunt.

Inter arma justitium perpetuum.

Civitas aliena difficile retinetur.

Beneficiis plebs devincienda.

pleranque opulentiam ex urbe continenti agmine per vias exportantium bona supellectiliaque effuderat, quasi aperto bello utrinque jam res gereretur. Gelrus veritus ne civitas per fugam ditiorum, qui oneri ferendo in bello essent, præsidiis nudaretur, extemplò cavit edicto,

Ne quis res bonáve sua ex urbe asportaret: deprehensi mulctarentur, bona prædæ forent.

Qui belli metu paulò sub Gelrorum ad urbem accessum profugerant, publicè per literas revocantur. Fuerunt, qui edicto contempto, exules à senatu fierent. Consul Sulenus auditis, quæ circa urbem impotenter à factione gerebantur, à Wica rus, unde nuper in urbem ad Consulatum extractus fuerat, concessit: ac mox paulò, quia belli horribilem tempestatem ingruentis prævidebat, rebus ex urbe navigio asportatis, Isselsteinam in pacatum abiit, priusquàm de bonis efferendis publicè cautum esset. Indicitur brevi pòst iterum dies ad conveniendum in arcem Beverwerdam, antequam iræ, quas utrinque ingentes in pectoribus conceperant, in rabiem exirent. Huc ad conciliandos animos, hostiles inter se spiritus gerentes, ac bellum parantes, convenere & Transiselani. Legati, qui ab ordinibus ad statutum diem in arcem adessent, ea conditione se profecturos paciscebantur, ne se absentibus quicquam novaretur: neu ad præsentia equitum auxilia, alia in urbem reciperentur. Postridie quàm profecti essent crepusculo diei silentio nunciatur trepidè, centum quinquaginta equites & peditum cohortem unam extra urbem subsistere, ut intromitterentur. Consul totus in spem sarciendæ concordiæ erectus, audito nuncio insperato, attonitus obstupuit. Antesignani Gelrorum equitum in urbe, accepto nuncio novarum copiarum læti, haud elanguescendum ignavia rati, armati domum Consulis petunt: postulantque portam Albam aperiri, ut eques & pedes faciendo itinere fessi, absque mora intromitterentur: ne extra urbem pernoctantes, episcopo, cognito eorum adventu opportuni forent. Negat id se Consul contra datam legatis fidem, facturum. Equitum Magister ne quid mora suis ante urbem hærentibus officeret, & Ducis indignationem provocaret, convocat in Palatinum forum quantum equitum atque peditum in civitate erat. Cum his jam multa nocte, lychnuchis cum funalibus præeuntibus, ad Albam portam descendit: atque ea vi effracta, socias copias in urbem frustra reclamante Cos. recipit. Erat autem ea peditum vis nullo delectu raptim è fecè rusticorum in agris contracta. Quare bene foris consulta neutrum alteri jam reconciliare poterant: quod unum haud dubie validis præsidiis urbe firmata Gelrus spectabat. Prima luce novæ copiæ per hospitia distribuuntur. In Beverwerda à rerum omnium, quæ circa urbem accidissent, legatis ignaris, de concordia disceptatur interea. Transiselanus disceptator inter episcopum & Ultrajectinos sumptus, ubi multa disertè ac graviter de incommodis ex bello præfatus esset, jussit Ultrajectinum priorem occasiones & causas repentinæ alienationis, repetitis altius ordine exulum controversiis, exponere. Tum Ultrajectinus legatus exorsus, singula à temporibus primi motus in civitate, ut quæque gesta erant, exponere cœpit: quibus occasionibus, causis, principiis, quibus authoribus, qua via, quo consilio, per quos homines, contra seditiones rempub. tutati essent, & conservassent. Nihil ab se adversus sceleratos & seditionum concitatores, earumque comites voluntarios susceptum, actumve, nisi principis auspiciis fuisse, & jussu. Rebus ipsis fidem suam patriæ persolvisse: ad quam præstandam juramento adactos, ejus religione exolvi haud potuisse. Sed & concordiæ cum inimicis leges nullas unquam se recusasse: ut non possent satis mirari, quid illi in mentem venisset, quòd non ut amicus, sed ut hostilem animum præ se ferens cum armatis peditum equitumque copiis, Ultrajectino nomini hostibus ad urbem furtim accesserit. Omnia quàm bellum potiora ducere, ac malle. Sed quando neque pacem æquam obtinere, neque vim suis opibus à mœnibus propulsare possent, par esse ut auxilia ad tuendos liberos & uxores aliunde accerserentur. Quæsitum inde est à Transiselano, quid de recepto Gelro in urbem equite futurum esset: staretne incœpto consilio perseverare, an integrum esset adhuc illum vel retinere, vel amittere facta pace. Exulum, inquit Ultrajectinus, quorum conatus toties irriti & consilia frustra fuere, animi, & insolens ferocia: tum autem & injusta præsulis ira atque indignatio: sed & quorundam in urbe exulum conatui faventium terror, nos ad amicorum opem implorandam subegerunt. Horum autem cum nullus ferè sit, quin sanguine vel affinitate nobilitatem Ultrajectinam attingat, si pax conveniat, nulla cujusquam injuria urbe cedent. Transise-

Arx Beverwerda.

Præsidiorum Vis quam gravis.

Bellum quomodo suscipiendum.

Transiſelani paululum ad conſultandum ſubmoti, ac mox intro regreſſi, actis gratiis Ultrajectino quod ad præſtitutum diem conveniſſet, quodque nihil gravatus fuiſſet, ea quæ propria hujus cauſæ eſſent, à principio ad finem exponere: rogant num qua via inveniri poſſet, qua auxilia utrinque ſtatim dimitterentur. Reſpondit Ultrajectinus legatus, quòd ad ſe, id tum demum futurum, ubi controverſia de exulibus finita eſſet. At ſciri oportere, quid animi ac ſententiæ epiſcopo eſſet, pro quo fortunas & vitam depoſuiſſent ſemper: par eſſe, ut viciſſim ille eundem animum in ſe gereret. Æquum, reſpondere Transiſelani, eos poſtulare: neque ex eorum uſu fore, ſi ſecus ille contenderet: maximè verò quam diu exulum negotium integrum ſtaret: ne urbs nullis præſidiis firmata, inimicis ad inſidias opportuna foret. Interrogatus Ultrajectinus deinde, an plus copiarum vel expectaretur, vel intromiſſum eſſet, negavit id factum: (fefellerat eum præter fidem abeunti datam, copias in urbe præſentes novarum copiarum acceſſu ſe abſente auctas) neque de pluribus adhuc decretum, niſi epiſcopus prior novarum rerum autor eſſet. Convenit itaque in hunc modum: ne præſul prior bellum populo Ultrajectino faceret: quo per ocium de concordia ageretur. Sufficitur in locum Suleni, qui ſe paulo antè Conſulatu abdicarat, Ioannes Huchtenbrochus. Arnoldo Vulueno magiſtratus continuatur. Legationes interea Ultrajectinæ domum approperantes, ubi haud procul ab urbe ab obviis viatoribus præſidia in urbe novis copiis Gelris præter fidei religionem aucta eſſe accepiſſent: tanta eos conſternatio & pudor, quòd dicta ſua Transiſelanis affirmata, & facta Ultrajectinorum non juxtà convenirent, cœpit, ut averſo ab urbe itinere, retro abire, neque domum redire conſilium ſederet. Qua re ad urbem nunciata, mittuntur celeriter legatis obviam, qui otdinum verbis eos obteſtando, orandoque ne ſe in mediis malis deſtituerent, à fuga retraherent. Superveniſſe quidem peditum equitumque auxilia, ſed ea non accita, ita ut ubi videretur, exautorati domum dimitti poſſent. Quo autem errore id factum eſſet, ipſos præſentes melius cogrituros, quàm nunciari poſſet. Perſuaſi legati conſcenſo iterum vehiculo ſpe deducendi ex urbe quantum copiarum interea acceſſiſſet, jam multa nocte in civitatem revertuntur. Offendunt ſtatim civitatis opinione fœdus turbatum: ipſamque factionem bifariam diſciſſam, effringentium cum Gelrorum cataphractis portarum ſeras, & obſtantium id ne fieret. Ad hanc diſcordiam accedebant graves legatorum de ipſorum perfidia querelæ: quòd nulla conſcientia tacti, pactam fidem abeuntibus violaſſent: ut cauſa belli & initium, ſi quod haberent, ab ipſis ortum videri poſſet. Contrà alii factum excuſabant, in errorem depulſum. Non inficiabantur quidem, accitam cohortem, & portis receptam: verùm curam eam omnibus ineſſe, ut amplis pollicitationibus preces miſcentes, illam rurſum ex urbe deducant, ac domos ſuas tantiſper dimittant, donec epiſcopus vel hoſtis judicaretur, vel pax cum eo fieret. Addebant & errorem veriſimilem. Ab ſe conductum fuiſſe quendam nuncium, qui cum literis ad civitatem accelerantibus copiis properè occurreret, & Wageningam retro à cœpto itinere averſans, ibi ſubſiſtere tantiſper juberet, dum revocarentur. Spem enim in præſenti ſtatu omnibus reconciliandi epiſcopum in gratiam, oſtentatam. Nuncium autem ob viaticum, quod per oblivionem differebatur, totum diem in civitate moratum fuiſſe, cum jam dudum abiſſe crederetur. Quare obvium cuidam eum factum, acriter objurgatum, caſtigatumq;, quòd jamjam ſerò profecturum, rediſſe obito negotio oportuiſſet. Statim intellecta moræ cauſa, accepto viatico ſub quintam paulo veſpertinam quanta maxima potuit celeritate in pedes ſe conjeciſſe. Noctis autem interventu eum à via aberraſſe: atque interim auxilia omnium circa urbem ignara ad portas perveniſſe. Et ne belli cauſa quæreretur, poſtulantibus equitibus Gelris ut portæ clauſæ aperirentur, à Coſſ. conſtanter reclamatum fuiſſe. Tum demum equitem præparatis antè ad id animis (ut apparebat) cum parte civium novandarum rerum cupida, vi clauſtra ſeraſq; portarum diffregiſſe. Nuncio novarum copiarum, quæ à Gelro ad turbanda omnia nocte Ultrajectum miſſæ erant, Wicam mane perlato, pavor major oppidanos cepit: quod rebus adhuc ſtantibus non modo quod nihil fidum in factione eſſet, verumetiam quod ad bellum tota animos pararet: neq; pacem neq; concordiam augendo vires quæreret, tametſi verbis in ſpeciem benignis pacem dari cupere videbatur. Transiſelani deſperatis rebus, ne ſui ad exitũ conventus intenti, præter expectationem imparati opprimerẽtur, domos quiſq; ſuas illico maturarũt. Videbant jam nõ ab Gelro hoſte ſeorſim, utrũ illi ſecum & cum epiſcopo bellandum eſſet, nec ne, conſultari: ſed qua bellum ratione gereretur: quoſque opportunos magis primùm adoriretur. Epiſcopus nihil jam amplius cunctandum arbitratus, ne occuparetur, lectiſſimos pedites ad intercludendum Ultrajectinis ad auſtrum è

Præſidium in oſtio Lecce (De Vaert) ab epiſcopo erectum.

Rheno commeatum, in ostium Leccæ mittit: hisque * Pilanum Amorfortium, & † Pellitium Buscoducensem duces præficit. Cum his conjunxit Fredericum Sombrevum cum ducentis equitibus magistrum equitum. Magno autem bello Ultrajectino lævum hujus ostii brachium validum præsidium jam olim habuerat, natura ipsoque loci situ firmum, & ad utrinque suprà infraque navium cursus intercipiendos idoneum. Locus ipse à reliqua planicie ita eminet, ut utroque versum in amnem longissimum prospectum præbeat: & ad excurrendum ad urbem mirum in modum sit opportunus. Hic intra paucos dies opere tumultuario ex arborum truncis rudique robore & gleba superjecta præsidium erigit: non altum illud quidem, sed latitud. pedum quinquaginta plus minus: cum cuniculis, & vallis præacutis in ipso aggere & præalta fossa circumducta adactis. A tergo (ut navigio hostibus inaccessum foret) scaphæ in ostii faucibus tegulis onustæ demerguntur. Imposita metu proditionis in hoc deinde externa selectorum peditum præsidia sunt. Inde latè immissis peditibus hostium agros pervastavit: quantumque hominum ac pecorum in possessionibus Ultrajectinorum oppressum esset, prædæ fuit. A ferro & igni & strage villarum solùm temperatum est: promulgato simul edicto, ut quicquid hominum Ultrajectini nominis, ecclesiasticorum profanorumve, absque discrimine sexus ætatisque interciperetur, hostium loco esset. Iam tum segetes maturuerant. quare quicquid earum hostium erat, Dorestatum ex agris convehi: eodem & pecus omne compelli jussum. Sub hæc bellicas machinas omnes Wicæ tanquàm ad expugnationem apparare, expedireque aggressus est. His ex rebus matura ad hostilia vicissim inferenda Ultrajectinis data materia, cum alii atque alii trepidis rumoribus de accessu episcopi ad urbem nonnihil affingentes alimenta suggerent, tumultuariorum peditum novas copias scripserunt. Fuga ingens hunc terrorem è cœnobiis suburbanis penu omne in urbem asportantium, migrantiumque ex agris longo agmine cum armento omni per vias spectantibus auxit. Et ut bellum se ipsum aleret, vicos & pagos, ne hostilia paterentur, stipendio imposito episcopus ad paciscendum compulit in tres menses. Contrà Ultrajectinus, eos pro hostibus se habiturum denunciat, qui cum episcopo paciscerentur: ab eorundem vicis, ne hostilia acciperent, se quoque pecuniam stipulaturos. Misera profectò plebis agrariæ conditio, quæ cum hostes non haberent, ab Ultrajectino, & Ultrajectinæ ditionis suo principe, ne prædæ essent, pacisci subigebantur. Ultrajectini adhæc non contenti hac rusticorum calamitate, insuper eos, quos invitos restitantesq; operam suam in ostio Leccæ fossis ducendis posuisse constabat, nocte arreptos, ac rure in urbem extractos, in carcerem conjecerunt. Erat totus interim in hoc episcopus, ut hosti undique commeatus clauderet. Haud quievit inter hæc Gelrus. Lacessentibus ad hunc modum Ultrajectinis bellum in infera ditione contra episcopum, ipse aliquot dies de bello Transiselano consultavit. Ioannes Wissingus cognomento † *Henricus Macer*, & Matthias Ketellus è Transiselana regione oriundi erant: equitum par nobile, & ob belli artes Carolo Gelrorum Duci chari. Hi relicta patria multis & magnis bellis sub illo meruerant: quare & prior ille in gradus interioris amicitię receptus fuerat. Corrupti precio, seu (quod magis affirmarim) ut gratiam apud principem Gelrum inirent, Hassaliam haud procul à Swolla proditione tentandi negotium suscipiunt. Postridie Id. August. lucis principio tanquam ad mercatum navem armatis gravem, sed asseribus sparisque instratam, ipsi oppidanis ut popularibus domesticè noti in oppidum recipiunt. Postquam autem ad forum ventum fuit, ibi dejectis asseribus cum ingenti clamore ad faciendum subita hostium specie pavorem oppidanis oriuntur armati, occupantque oppidum. Trepidatio major, quàm pro hostium numero, quantum hominum in publico erat, in fugam compulit. Capto oppido, à direptione & cæde temperatum est. Unus, qui solus obvios foro arcere armis ac virtute contendebat, à confertis multis vulneribus confossus cecidit. Ingentem interim hominum armentorumque prædam ex Batavia egit: diripuitque, quicquid villarum obvium habuit Episcopus. Tum consilium ordines Ultrajectini de abrogando publicè præsuli episcopatu, ac societate cum Gelro jungenda cœpere. Quare XVII. Cal. Septemb. conventus habendi dies civitatibus, ut Ultrajectum convenirent, indictus est, ad audiendum publicè in frequenti ordinum concilio diploma ditionis Ultrajectinæ recitari: simul ut ea quæ vitio perperam quotidie admitterentur, mutarent & corrigerent. Spectabat autem eò Gelrus, & factionis primores, penes quos vis omnis miscendi omnia erat, ut assensu trium aliarum civitatum principe hoste judicato, ipsæ quoque in belli societatem traherentur. Ex Amorfortia venêre legati Segerus * Wilda, & Nicolaus Gerardi F. Et reliquæ civitates, quamvis extra belli societatem Ultrajectini,

Fredericus Sombrevus equitum magister.

* *Arnoldus Pijll.*

† *Pels.*

Belli intestini incommoda.

Ultrajectini hostes Episcopi amicos vocant.

Commeatus Ultrajectinis intercipitur.

† Mager Heyn.

Henrico Bavaro Episcopo abrogatur potestas.

* *Van de Wilde.*

jectini, quia commune trium ordinum negotium, cum accerserentur, prætexebatur, legationes suas quoque misêre: ne non venisse fraudi fuisset. Postquam ad edictum conventum Ultrajectum in curiam *magnam basilicæ D. Martini frequentes convenere, primarius decanus historiam quatuor superiorum annorum dicendo texere exorsus, ostendit quàm multa beneficia pop. Ultraj. in Henricum episcopum contulisset, eaque qua nunc ingratitudine vastando agros, ac claudendo undique flumina & commeatus, pensaret. Exaggeravit pericula, sanguinem, facultates: quæ pro ejus dignitate tuenda, pro incolumitate ac salute patriæ conservanda deposuissent. A quo tantorum beneficiorum admonito, cum gratia par repeteretur, contra diploma religiose à se juramento inaugurationis die confirmatum, ipse indies alia atque alia, quæ ad nomen Ultrajectinum extinguendum spectarent, moliretur. Bellum illatum cum ordines avertere non possent, modica auxilia ad prohibendam, si qua inferretur, vim, non ad concitandum bellum, comparasse: legationibus mittendis, orando, donandoque quantum in humano consilio situm esset, sudavisse, ut id declinarent. Inde ubi hæc & alia multa id genus in hanc sententiam perorasset, rudem quandam ex tempore delineatam formam decreti de jungenda societate cum Gelro, & bello cum episcopo gerendo, in medium è sinu protulit: lectumque illud publicè est. Fuit id autem in hæc verba, cujus exemplar Amorfortiis ad referendum petentibus datum extemplò est.

* Hodie locus Academiæ.

Decretum Ultrajectinorum contra Episcopum Henricum Bavarum.

Nos collegiorum primates Decani, Canonici V. *collegiorum basilicæ D. Martini, Servatoris, Ioannis, Petri, Divæ virginis, in urbe Ultrajectina. Post hos, equester ordo ditionis inferæ: Consules, Tribunitia potestas: vetus novusque Senatus urbis Ultrajecti: tabularum harum lectoribus, atque cognitoribus: tum autem & iis quorum hæc controversia refert, referetve in posterum, Sal. Episcopus Henricus à quo in episcopatum venit, nobis non minus gerendis rebus pestilens, quàm ditioni perniciosus fuit. Primùm autem, cum nullo publico, sed privato quorundam consilio, quos in interiori amicitiæ gradu habet, nuper arcem Meidensem cepisset, penè nobis bellum concitarat. Nunc quoque vicis inferæ ditionis omnibus gravia stipendia imperat, præter jus & bonum: tributo ne humili quidem agricolarum feci remisso ac tenui. Arces & castella præsidiis impositis exterorum equitum peditumque in infimi loci, exclusis summo loco Ultrajectini nominis natis viris, firmat. Agrestrem ad hæc hominum multitudinem totis agris armatam, cum fossoriis instrumentis ad fodiendum, & loco munito inexpugnabile præsidium in Leccæ ostio collocandum; non ad tuendos adversus communem hostem fines, sed intercludendas vias aditusque omnes in urbem convocavit. Ut mittatur, quantum exterorum auxiliorum equestrium ac pedestrium indies conscribit: quorum bona pars est ex eorum genere, qui Pop. Ultraj. semper infesti hostes fuerunt: scilicet ut nos in angustiis conclusos obsideat, & ad deditionem compellat. Ex agris civium nostrorum, quasi hostium, bubulum pecus egit: & quantum armentorum in pascuis fuit, prædæ militibus dedit. Cum autem tutos nos ab hostibus esse existimaremus, nulla quivimus conjectura assequi, quorsum ista, quove consilio paret: quibus admissis, hanc injuriam nobis*

conciliavimus: cum hactenus non fortunas modò nostras cum eo, sed vitam etiam periculis ingenti animorum consensu objecerimus. Quare hoc ejus consilium & turpe & fœdum, tum cum diplomate ex diametro pugnat, tum amplißimis ejus promißis adversatur. Spectat autem id ipsum huc quoque, ut communis libertatis jura labefactentur, publica totius ditionis libertas, laudatæ consuetudines, instituta majorum, jactura nominis Ultrajectini & agricolarum, in præjudicium commune omnium obliterentur, abrogenturque. Itaque ut hæc, & id genus alia maturè avertantur: simul ut, ne nobis exitio sint, occupentur. has ob causas & pericula in posterum imminentia, quæ hinc pullulare nobis, & possessionibus nostris olim oriri possent: simul ut diploma, jura, libertatem, consuetudines, sanctas consociatis animis tueamur: censuit Senatus & ordines consultatione matura amicitiam aliquam ineundam esse, ne incauti ex improviso opprimamur, & insidias declinemus. Quamobrem concordes societatis fidem sanximus, nobis & posteris utilem futuram: & fœdus adjunximus, ratum sanctumque auxilio senatus hoc decretum habituri, quod huic calamitati, hisque impendentibus periculis consociata animorum concordia obstabimus: vim armis propulsabimus. Quod impensarum in bellum fiat, id ad universos pertineat. Alea secunda adversaque omnibus ad exitum ejus usque communis, & par ex æquo omnibus sit periculum. Placuit quoque, in conferendo neminem excipi mortalium debere: nulli remitti stipendium impositum, quo minus cum aliis contribuat, sed ut compar profanis religio censeatur. Contribuent æqualiter huc imaginibus majorum illustres homines, & humili loco nati: opulentia cum tenuis fortunæ & infimæ claßis proletariis, ut res publica posteritati incolumis tradatur. Neque magni quidem referet, unde pecunia redigatur: ex mutuóne usurarióve ære, ut agri pignori, si neceße sit, opponantur: quo hoc negotium alatur, & ærarium sufficiat: an alia via. Quare apud Deum datis dextris mutuam pacti fidem spondemus, quod sicubi opus erit, summo omnium consensu, aut certè bonæ ac magnæ partis voluntate mutuam vicißim operam nostram in hoc ponemus, ut opposita hypotheca redimantur, mutuum fœnus dissolvatur, ut damni expertes inde evoluamur. Nemo tum ea in re tergiversabitur, sed data dextra sancitaque fidei quisque memor, lubentem se ac voluntarium (ut par est) offeret ultro. Inter ordines nemo jus sibi ulla ratione, aut viam ad elabendum ullius libertatis prætextu usurpabit, qua contra hoc decretum ad aßerendam suam dignitatem tum uti poßet. Quod si nos bellum (quod Deus avertat) habere

contin-

contingat, cum hoste neque pacem faciemus, neque amicitiæ fidem adjungemus, neque ullas si quæ offerantur pacis reconciliationisve leges quamvis justas & bonas, quæ hanc societatem impediant, ipsi ordines separatim recipiemus: sed ne ipse quidem, qui nobis ad hoc bellum auxilia miserit. Si verò interim tolerabiles dari pacis conditiones usu eveniat, ea non per unum aliquem ex ordinibus aut sociis jungetur: sed ejus facienda potestas tribus ordinibus, aut bonæ eorum parti permittetur. Et quæ in ea bona atque æqua videbuntur, illa cæteri rata, justa, ac firma judicanto. Dolus frausque abesto. Quoniam autem ista inviolabilia esse placuit: nos collegiorum proceres & collegiorum sodalitia, nostra sigilla: itidem & nos communi equestris nobilitatis nomine rogati, Ioannes Renesßius Vulvenus eques auratus, Gysbertus vander Aa, Wolterus uyten Hamme, Ernestus Wicanus. *Consules item urbis Ultraject. tabulis sanciti fœderis magnum urbis nostræ sigillum appendimus. Datum Ultrajecti, anno* XXVII. *super* M. D. XIII. *Cal. Septemb.*

Postquam fœdus junctum de bello communiter parando in frequenti ordinum ac civitatum concione recitatum fuit, legationes civitatum, quarum nulla vox consentiens accesserat, acceptis exemplis ad referendum illico domos suas revertuntur. Episcopus auditis iis quæ circa urbem indies fierent, metuens ne ob superiorum annorum odium & simultatem Amorfortii à se per hanc occasionem alienarentur, literas ad senatum dedit in hæc verba. Vestra fides & studium erga me effecit, ut apud vos animi mei ex injuria accepta ægritudinem effundam. *Episcopi literæ ad Amorsfortios.* Dubium mihi non est, quin rumor de exclusione ad vos allatus, variè vos affecerit. Lætor tamen, vobis eundem animum adhuc esse in me, qui superioribus annis fuit: uti rationem rerum à me gestarum, & conscientiæ rectæ testimonium vobis probem. Audio Hassaliam nobis in Transiselanis à Gelro per homines talium negotiorum artifices ademptam; à quo quidvis potius quàm hostilia expectaram: cum incolumi ad hoc tempus amicitia, pax à me prius, & quies ab armis data, violata non sit. Atque utinam ea perpetua, quoad viverem, esse potuisset. Statueram nuper Ultrajectum ad tranquillandos discordiarum turbines armatus contendere, ut restituta repub. ocium pristinum ditioni recuperassem. Erat consilii mei ratio talis, ne inermis urbem ingressus periculum, ut antea aliquando, subirem. Quare auxiliaribus copiis, & equitatu ad corporis custodiam instructus ad urbem veni: non alio mehercule consilio, quàm ut intestinam facem partim per id tempus, quòd in Germania supera abessem, partim in valitudine mea adversa exortam, penitus extinguerem. Advenienti portas clauserunt. Quàm verò isti ea in re juramenti religioni fecerunt satis, esto ad posteros de ea re judicium. Super hæc externa equitum & peditum auxilia in urbem receperunt. Nihil itaque aliud humani consilii mihi superest, nisi ut à vobis contendam, ne, quod ad belli dubium principium attinet, vestri periculi admoniti, ad maturè consultandum oscitantes opprimamini: reputantes identidem apud animos vestros, quid hinc sit exoriturum, viam inveniatis, qua malum imminens propulsetur: ut si in rabiem propediem animi ad bellum parati exarserint, extra ejus necessitatem vos amicos habeam, ac colam: quibus fretus, inimicorum, quos hostium loco posthac habebo, illatam injuriam ulciscar. Quod si obtinuero, beneficium non ponetur apud immemorem. Cæterum quoniam cùm aliàs, tum belli temporibus in speculis intentior custodia propter ditionis limites necessaria est: ne civis per nocturnas vigiliarum perpetuas miserias nimium obruatur, è proximo Hoechlandios in civitatem accite, qui pro muris vobis in agendis stationibus auxilio adsint: ne per proditionem tentati, in hostium potestatem trahamini. *Custodia semper necessaria.* Christophorus Langius, vir militari gloria clarus, qui nuper cum grassatore pedite castellum Teutonum

in Marsis

In pago Maerſen, Ter Meer, Ridder-hofſtede ab anno 1086. Vide ſupra fol. 74.

1527. Pontanus lib. x i fol. 735.

in Marſis ipſo magiſtro ordinis cæſo, expugnando vi ceperat ac diripuerat, per id tempus reconciliatus factioni Ultrajectinæ, cohorti in urbe præfectus erat. Hic Calen. Septemb. cum quadringentis peditibus ad Emneſſiorum agros effuſa populatione vaſtandos movit: qui cum nihil minus quàm hoſtilia operirentur, pridie eſculenta venum Ultrajectum importarant. Emneſſæ accepto Ultrajectinorum adventu, cum jam haud procul à vico abeſſent, tumultuariò collecta ruſticorum manus, in avia loca aditu difficilia diffugit: unde eminus inordinatè irrumpentes, & ipſum robur agminis à tergo tardius ſequentes, ſclopis tormentiſque manuariis carpſerunt. Numero enim hoſti longè impares, nequaquam acie occurrere poterant. Ubi verò agmen citatum inſidias præteriiſſet, clamore à tergo & ab latere terribil ſegnius ab itinere procedentes adoriuntur. Fit pavor ingens atque trepidatio. cadunt alii globulorum nymbo: alii armis abjectis callium ignari, in circumjectas viæ paludes diffugiunt, ubi à ſuis longo intervallo excluſi hauriuntur. Interim prægreſſum agmen effusè omnia vaſtat populaturque, eoque infeſtius, quod partem ſuorum ab occultis inſidiis carptam, ac compulſam in paludes accepiſſent. Quicquid grave nimis aſportatu erat, corrumpunt. Fuit autem præda, nimis quàm opulenta armentorum & pecoris omne genus & pecuniæ ad ſeptem millia aureûm. Addiderunt & flagitio perfidiam. Opulentiores ubi in manipularibus fidem, ne hoſtilia paterentur, pacti eſſent, ex compoſito ab aliis ſupervenientibus ſe ſuaque omnia redimere adigebantur. Moti injuria Emneſſiorum Amorfortii, (nam amplas ibi poſſeſſiones habebant) literas extemplò Ultrajectum mittunt. Earum autem ſententia hæc erat. Senatum Amorfortium accepiſſe, quàm hoſtiliter colonos ſuos, quos Emneſſæ in agris ſuis collocaſſent, immiſſis peditibus ipſi diripuiſsent: perinde ſe eam populationem accipere, ac ſi ad muros ſuos arma ſcalaſque intuliſsent. Velle ſcire cauſam, quamobrem pro hoſtibus haberentur. Reſponſum ab Ultrajectinis eſt benigne & callidè. Non debere mirum videri, quòd infeſta & hoſtilia nullam pacti fidem paterentur Emneſſii, qui priores laceſſiviſsent Superioribus enim diebus voluntarios eos ad oſtium Leccæ epiſcopo in ponendo præſidio foſsoriis armis opem tuliſse. Si à bello eſse alieni vellent, hoſtem non adjutum opportuiſse. Inde cum infeſto agmine in Hamersfeltios moverunt, (vicus eſt ſub prætura Lueſdana, ad mille paſſuum ab Amorfortia) eoſque fœdè depopulati, opimam pecorum & ruſticorum prædam Ultrajectum compulerunt. Hac expeditione poſtquam ingens damnum prædiis Amorfortiorum datum eſſet, per literas & legationes cum Gelro & Ultrajectinis graviter de accepta injuria expoſtularunt: quòd hoſtilia omnia paterentur, cum ipſi in hoc certamine à neutra parte ſemper ſtetiſſent: ut utriſque animos ſuos donec debellatum eſſet, probarent: neque aliud hactenus declaraſſe, quam id quod amicæ vicinitatis eſſet, coargui poſſent. Polliceri nihil aliud adeò deinceps Gelrorum principi & populo Ultrajectino ſe præſtaturos. Super cætera mirari, quòd illi non reputarent ſecum, quàm infeſtus Gelri-Ultrajectinique nominis ager reddi ex Amorfortia poſſet, ſi vellent in belli ſocietatem diſcedere. Ad ea Dux benignè Amorfortiis reſpondit. Nunquam aliud animo ſuo perſuaſum habuiſſe: nec aliò ſe quàm ad perpetuam amicitiam inclinatum, & vicinitatis jus cum ſenatu & pop. Amorfortio colendum. Id ipſum quoque ſuis ordinum ductoribus ab initio inchoati belli mandaſſe. Verùm ut multa ſæpenumero abſente principe peccantur, effecturum ſe, ut primo quoque die ipſis fundorum ſuorum coloni in integrum reſtituerentur. Qua de re & literas ſe dediſſe ad Ultrajectinos, ut quemadmodum edixiſset, facerent, ſi Amorfortii prius agros & prædia ſua in indicem conjecta, ut dinoſcerentur in poſterum, exhiberent. Nibil illi morati, ſcripto ea Ultrajectum tranſmiſerunt: quare aliquanta pars pecoris colonis illico eſt reddita. Hac proſpera re Langianorum militum excitatus Arnoldus Faber, tertiæ cohortis ductor, ad parem fortunam tentandam, Driebergam (epiſcopi ea tum villa erat) cum expedito exercitu eam depopulaturus proficiſcitur. Erat in eo exercitu gregarius, ſeu lixa verius, famulus cujuſdam Gerardi Eccii, è nobilitate Ultrajectina, neque armis ferendis aptus, neque ad militaria munèra obeunda maturus: adoleſcens impuber adhuc, cæterum indole feroci, & truci ingenio ſupra ætatem. Hic officii cauſa exorato hero, agmen expeditus ſequutus fuerat. Quoniam autem præda ob incolarum & vici tenuem fortunam non magni nominis contracta, non operæprecium viſum fuit diutius ibi caſtra habere: ſimul quia periculoſum ob denſati ſoli naturam erat, per quòd hoſti ab Doreſtato opportuni fuiſsent. Quare celeriter Ultrajectum, priuſquam nuncius depopulati agri Driebergii Wicam allatus eſset, iter occupant. Præceſserat jam agmen ducentos paſsus, cum lixa, quod agricolæ nullam pecuniam exprimere ad paciſcendum ſecum poſset, ardenti manipulo admoto, &

Amorsfordij queruntur ſuper Populata Emneſſa.

to, & villam, & ditissima duo granaria incenderet. Robur & cohortis ductor exorto incendio stupefacti, mittunt speculatores extemplò retro, exploratum qu d rei esset: jubentque autorem patrati flagitii arreptum (mulcta extremi supplicii ab incendio abstinere jussi fuerant) atque equo funib. alligatum, secum in urbem trahi. Rumor incendii in agris tum primum à Gelris misti haud paulo concitatiore cursu Ultrajectum allatus, plus civitatem quàm ipsum hostem conterruit: quod quantum ædificiorum extra urbem & castellorum haberent, episcopo incendiis ac populationibus opportuna forent. Et quod præsagiebat, id opinione omnium celerius statim accidit. Episcopus insequenti incendiorum auspicia nocte, cum quingentis peditibus & modico equitatu ex ostio Leccæ ad urbem accessit: ac copiis in ripa Rheni ad ducentos inde passus instructis, nequaquam Gelrum metuens, manipulares lectos ad suburbana tria incendio infestè vastanda emisit: addito tamen hostili spiritui clementi edicto, ut antequam ignis tectis injiceretur, & omnia flamma absumerentur, quantum pecorum & supellectilium servatam quisque vellet, raptim è domibus auferrent. Dum in tenebris silentio hæc geruntur, pauci, quibus animus ad omnia paratus erat, placidè ad portarum versatiles clathros succedunt auscultatum, num ii qui in murorum stationibus excubabant, suorum adventum fremitu strepituve sensissent. Inde ubi sopitos vigiles, ut in nullo vicino metu sensere, tectis in tribus simul suburbiis ignem injiciunt. Clarum exortum prius incendium fuit, quàm stationarii hostem adesse cognoverunt. Ei quia laborantib. suis, quod hostilium copiarum vis incerta esset, per tenebras opem adferre non audebant, totis mœnibus & turribus tormentorum tonitru eminus fulminatum inde per plerumque noctis in incertum est. Plebs cum armis ad muros adesse, quisque in suis stationibus: religio verò in curiam pontificiam armata exciri trepidè ad omnem eventum jussa est: numerum magis auctura, quàm ad bellandum apta multitudo. Incendio hoc suburbano tota urbe perturbata, præfecti militum, ut fuco aliquo invidiam popularem ob prius datum incendium à se averterent, testarenturque nullo publico consilio facinus patratum, ipsum incendiarium capitis anquirendum publicè condemnant. Nec dubitant, quin plebes, pœna authoris ac spectaculo exaturata, fremitum remitteret. Perventum erat in circum Palatinum, ubi reus judicum sententiis damnatus percuteretur. Ille autem inter triste supplicii ministerium cum semianimis nudatis scapulis in sabuli aggerem ductus esset, lictore ex composito averso, extrahentéque animadversionem, ad circumfusæ militaris multitudinis hortatum recepto animo, ut manibus vinctus stabat, in fugam se dedit: elapsusque nullo insequente in Civici templi asylum evasit. Crebræ inde quotidie eruptiones utrinque in hosticum factæ: frequentes item velitationes, ac prælia multa commissa. Interim secundo mense quàm bellari cœptum esset, ærarium in urbe exhaustum (quia stipendium non persolvebatur) mercenarium militem tam ferocem fecit, ut nec ad contrahenda certamina, nec ad eruptiones in hosticum faciendas induci potuerit. Quare pecuniæ inopia ordines compulsi, D. Marcum Wesium ad Gelrum quindecim aureorum milia mutuò petitum mittunt: pro quibus vicissim illi prædibus ac prædiis omnibus ecclesiastici nominis in ejus ditione cautum est. Wesius nocte (quia interdiu & indicium & occultas hostium insidias metuebat) iter emensus, brevi cum pecunia domum, præsens gaudium & civitati ob direptionis metum, & militi secum ferens, rediit. Noluit autem factio locupletioribus, qui oneri ferendo essent, circa initium belli, ut tutius id traheretur, nevé eorum animi à se alienarentur, aut ad novas res excirentur, stipendium imponere. His Dorestatum allatis, episcopus, cui animus ad obsidendum Gelrum per hæc additus erat, cum sexcentis peditibus & centum equitibus impedimentisque pridie Iduum Septemb. ad urbem movit; & quidem clara luce: occupavitque cœnobium Pacatę vallis, mille circiter ab urbe passus. Agitabat id autem, si in castris ibi positis perseverasset, ut iter aditumque Gelro intercluderet, néve commeatus è Batavia in urbem portarentur. Et apparebat hinc ab ortu, inde à meridie in Leccæ ripa insessis itineribus id facile futurum. Ne Gelrus receptum, cum videretur, in urbem, aut ex urbe Arenacum haberet, statim quàm locum castris occupasset, à fronte lapidibus stratam viam transversam perfodit. A tergo verò, ob difficilia accessu palustria pascua, minus tormentis admovendis & equitatui apta, nihil erat, quod periculi ab hoste metueretur. Rumore de hostium adventu & capto castris loco per quosdam ex agris trepidè in urbem allato, cum vanum unum id de duplici eorum numero sparsum inter cætera esset, claudi extemplò portæ jubentur. Et quanquam eorum accessu nihil auxiliares Gelri perterrerentur, metu tamen ne præsidium in ipsis propè portis statim inchoatum intra biduum ita muniretur, ut inde exturbari nequirent, & utrinque arcta obsidione

Incendia miscentur.

Pontanus fol. 735.

Ultrajectum obsidetur ab Episcopo.

Monasterium Vallis Pacis Vredendael à Werenboldo de Buscop institutum: anno 1419. Canonicorum Regularium ordinem suscepit.

verbis mollioribus relata, ejus præferocem iram mitigavit aliquantum. Eadem & Ultrajectinos in spem cœptæ societatis certiorem erexit. Mittuntur sub hæc Amorfortiam ab episcopo literæ ad senatum, ne gravarentur ad IV. Non. August. Wicam legatos mittere, qui cum frequentiori Transiselanarum civitatum concilio exulum causas judicio cognoscerent: ad ipsos ut integros judices provocationem factam esse. Habitus & Ultrajecti circa VI. Cal. Aug. à Consulibus de legatis Dorestatum mittendis senatus est. Dictæ à multis sententiæ, bis per omnia (ut dici solet) variarunt. Censuerunt multi criminationes scripto per nuncium ad concilium mittendas: quo mansuetè episcopi imperio obedirent. Contrà alii, omnino nihil vel respondendum, vel nullam mittendam legationem, præter exemplum tabularum, quibus præsul in perpetuum illos exules initio tumultuum intestinorum esse jussisset. Media inter has & æquior sententia obtinuit: quando illi populi judicio, approbante senatu & episcopo, damnati essent, turpè nunc fore, si cum postulentur, fugiendo judicium, desertæ causæ rei convincerentur. Censere ex omnibus ordinibus legandos eos esse ad conventum, qui per totum triennium civilibus rebus & interfuissent, & præfuissent: qui acta omnia memoriter tenerent. Hi communem causam præsentes & scripto & oratione tuerentur: neu discederent, (modo à vi tutos esse liceret) priusquam dijudicatum foret. Supervenere in consilium literæ ab Episcopo datæ, quibus contendebatur, ut quoniam scripto adversariis fieri non posset satis, ex equestri nobilitate communi omnium nomine mitterent, qui judicio exulibus opponerentur. Facto senatusconsulto legati nominantur Ioannes Vulvenus Cos. & Æmilius Wtenengus: minus, quam reliqui, civilibus secessionibus nobiles. Voluit autem episcopus ex eo ordine hujusmodi mitti, qui vel brevem, vel nullum magistratum per id tempus gessissent: quos ante oculos versantes obtueri, minus exulibus doleret, quàm principes civitatis, à quibus curia, foro, & patria pulsi essent. Exules cognito legatorum adventu, in forum toto oppido undique confluunt, ac nisi juris gentium religione icti fuissent, vix à pulsando eos temperarant. Legati apertum discrimen protestati, traditis scripto actionibus, domum revertuntur. Veritus episcopus ne (ut fama ferebat) post legatorum discessum, Ultrajectini temerè ad res novas averterentur: trepidè ad ordines literas dat, in hanc sententiam. Audivisse passim spargi rumores, sibi in animo esse, exules reducere: quod cum fictum esset ac vanum, imò ne cogitasset quidem, allatum ad se fuisse, ipsos consultare de auxiliis equitum accersendis. Velle se scire, num quid veri haberet, quod ferretur. Responsum ab ordinibus episcopo per ejus præsides: id ipsum pari ratione commentum, ad ipsum delatum fuisse, qua multa indies in sui odium ab inimicis persuaderentur: neque in consilio unquam propositum, neque mortalium ulli id in mentem descendisse. Egerat jam antea cum Florentio, secreto colloquio, de equitum auxiliis mittendis, cum peteret. Mittit statim ad eum literas, ut partem equitatus sui in destinatum locum inter Wicam & Ultrajectum Cal. August. præmitteret: cum quibus & suis junctis armatus, ex improviso ordinibus urbem ingressus superveniret. Vetus consuetudo genti Ultrajectinæ ad eum diem usque durarat, ut princeps in urbem venturus, ordines, præmissis cum armis culinariis, coquis, adventus sui certiores faceret: ad cujus ingressum ter signum tintinabulo, cui ab eo nomen factum erat, honorificè dabatur. Ministeria autem ita nunc præ se vehiculis in civitatem misit, ut eorum propè tergo cum equitatu hæreret: essetque jam ad portam prius, quàm advenire nunciaretur. Detectus fuit occultus episcopi adventus, casu magis quàm destinato cujusquam consilio. Accidit fortè, quod cum equites è ripa Culenburgana Leccam in ceteriorem ripam transportarentur, in iisdem pontonibus Culenburgani nominis unus & alter simul trajicerent. Ab his rogati, quò iter haberent, cum nusquam essent bella: Vesperi, responderunt, Ultrajecti cultros nostros escarios stringemus. ducentos præterea equites, qui evestigio sequentur, adhuc operimur, & quingentos pedites. Vox ea non excidit surdis. Hi enim, dum loco constituto episcopum illi præstolantur, in urbem antevertentes, quid vidissent, audissentque ad Coss. trepidè deferunt. Huic nuncio supervenit & alius è consilio principis missus: qui accuratè Coss. mandabat, si se suosque & rempub. servatam vellent, intentè portas præsidiis circà dispositis custodirent: néve plus equitum in urbem admitterent, quàm quibus pares se futuros existimarent, si ad vim res spectare occiperet. Pervenerat jam episcopus cum domestico equitatu ad eum fermè locum, ubi externa auxilia sylvoso salicto ob umbræ opacum frigus, stabant: (anni tempus calidissimum agebatur) hi defluentibus frameis quasi ex insidiis coorti, ad serii concursus simulacrum infestè admissis equis episcopo occurrunt. Quibus ille conspectis, obviam processit: inde subvectis iterum

Henricus Episcopus parat exercitum ad ingrediendum urbem Ultrajectinam.

alii

alii framels, infestum cursum effusumque illico cohibentes, equos circumagunt. Ibi inter equites salutatione ab equis facta, pergunt iter ad urbem facere. Factio his nunciis alio super alium allatis trepida, vix credens principem cum tot armatis ad urbem accedere, exploratum unum emittit, quantas equitum turmas secum adduceret: simul quàm procul à civitate adhuc abesset. Ipsi interim, invito Consule, atque etiam obsistente ne fieret, (languidus enim adhuc & extremè malicentus, pallidusque à diuturno morbo in publicum protrahebatur) ingressis commodum coquis episcopo portas claudunt. Sagittariorum sodalitium armatum ad forum Palatinum occupandum edicto tumultuosè convocatur: sed tumultuosius habetur senatus. Fit senatusconsultum, mittendos legatos obviam de auxiliis dimittendis: non esse è rep. veterum nomini Ultrajectino hostium equitatum portis recipere. Redit inter hæc speculator, exploratum emissus: nunciatque principem cum valido equitum præsidio, sed incerto numero urbi appropinquare. Obviam legati Ioannes Huchtenbrochus & Adamus Diemenus à senatu dicti, principi circa * Vechten pagum, mille circiter passuum ab urbe procedunt. Substiterat ibi horam in equo, postquàm clausas portas accepisset. Altius ibi Diemenus homo disertus orationem orsus, ostendit qua via, quaque ratione in episcopatum venisset: competitoribus cum omnibus præpositum. Quam ob causam Burgundiones infestos multis in controversiis (ut ipse sciret) palam populo Ultrajectino fuisse, & hostiles spiritus per eos annos in se gessisse. Hos jam secum eum adducere: cum ordines id sedulò hactenus annixi essent, ut nullius egentes, pacem domi, nullum bellum foris haberent. Aperiri viam hac inusitata intrandi specie ad bellum. In illa multa esse, quæ hostilia præ se ferrent: subitarium, ac non multo antè nunciatum, sed furtivum accessum contra veterum Episcoporum morem: externa equitum auxilia, pedestres, quæ adhuc expectarentur, copias: equitum item turmas. Senatum, optimates, adeoque omnem religionem orare, ut missis auxiliis, cum suis urbem equitibus introeat, & cum præfectis: (nam hos paulo antè Wicam ab domo accitos secum proficisci jusserat) omnis ordinis mortales paratos pro eo fortunas ponere, & vitæ discrimen subire. Super hæc si corpori suo quid timeret, velle eos pedites, qui urbi præsidio nuper impositi essent, sacramento ipsi obstringere, ut fideles & obedientes ad quodvis imperium & officium exequendum essent. Veniret jam saltem in mentem, ut omnes boni per omnia sine rebellione ejus imperio obedientes se præstitissent: quos immerentes hac fraude, & omnem agrum ditionis Ultrajectinæ bello infestum posset reddere. Si ne hoc quidem exorari daretur, vel equitum numerum ederet, ut esset quod ad consilium referrent. Episcopus obtutu in Ioannem Huchtenbrochum paulisper fixo, obticuit: post paulum ab equo, Numerus equitum, si vacuum est, oculis perlustrato, inquit, quantus sit. Audio vestras portas mihi clausas, utcunque id vobis cedat: nec decrevi nisi his copiis armatus in urbem venire. Vos retro redite, atque ad senatum referte, (quoniam hic dies festus habetur, quamobrem à largioribus poculis temulentis parum mentes constant) uti cras prima luce vetus novusque senatus habeatur: tum maturè in deliberationem proponatur, decernaturque, num mihi, meisque his quos videtis, equitibus patebunt portæ. Idque denunciate, ut certus sim, in Oestbroeck: quò me recipio, (abest id cœnobium ad mille ab Ultrajecto passus) principémne me an hostem patriæ judicent. Simul circumactis equis illò se iræ plænus abripuit. Vesper erat diei, cum sylvæ Oestbrochianæ appropinquaret. Abbatem evocari jubet, sciscitaturque an ipse quoque sibi portam objiceret, perinde atque Ultrajectini fecissent. Hospitium, inquit, peto vel unam noctem, contentus pauxillo cibo, qualis decet præsentem fortunam: & pabulum equis ab itinere lassis, ut reficiantur. Michaël pistor, & Henricus fusor æramentarius, & homines id genus, me exulem lato privilegio, esse jusserunt. Quare ostiatim hospitium & victus mihi nunc emendicandus est: primumque ad te ut hospitalitatis haud rudem, exclusus statim diverti. Si tu quoque regiæ tuæ fores mihi clauseris, sub divo cum his armatis pernoctandum erit. Sin lubens volensque receperis, non pones beneficium (si sospitem me servet Deus) apud immemorem: sed quod, cum dabitur, cum fœnore tibi remetiar. Lætius nihil (inquit * Abbas) illustriss. princeps, tuo ac tuorum adventu nunciari potest: quantum esculenti ac poculenti est, & omne denique penu, tuum ducito. Simul equites via facienda totum propè diem fatigati, ductis in stabula equis, ad reficienda corpora concedunt. Episcopus ægritudinem animi dissimulans, pulte paulula ex colatis pisis sumpta, cubitum abiit. Missus eodem vesperi est ex urbe ab ordinibus ad equitatum panis, ac cætera edulia, honoris causa, haud secus quam si in civitate episcopus fuisset. Et exclusus ad hunc modum Cal. August. à pop. Ultrajectino Henricus Bavarus

Pontanus fol. 731. histor. Geldricæ.

**Vechten, villa, olim Fectma.*

1527. 1. Aug.

Ultrajectinorum contra episcopū paratus.

**D. Evrardus de Maurick, qui ob 1528. XII. Cal. Iunii.*

episcopus fuit, quarto anno quam præsul creatus esset. Postero die utrunque senatum Consul clausis portis convocat. Colligit se quoque factio equestris gradus in concionis modum, ad consilia agitanda. Et quia subitò episcopo respondendum erat, non visum fuit senatui è rep. esse, eum intromittere: certum enim habebant ex tanto stratagemate, de tergo factionis, si reciperetur, satis futurum. Auxerat eum metum rumor, eadem nocte ad classem equitum Burgundicam, quæ Florentii erat, quingentos lectos pedites accessisse: quorum centuriones essent omnes Burgundicæ gentis: quique in multis bellis sub Carolo imperatore ordines ductarant. Hi, quoniam anno undecimo, quo bellum ipsis cum Isselsteina fuisset, sæpe agrum Vltrajectinum populando urendoque infestum reddiderant, probabiliter argumentabantur, se cum his copiis fraude ac dolo ab episcopo peti. Accedebat huc quoque aliud, quod omnia verisimilia arguebat: advenisse qui dicerent, exules inter armatam peditum cohortem visos. Placet tumultuosè (quia dilationem non patiebatur subita res) aduocare ordines, ut eò relata re, ex iis dicerentur, quos legatos ad principem mitterent. Nominantur legati utriusque nominis religiosi profanique, qui à factionibus semper fuissent tam alieni, ut qui maximè: & inter hos Gysbertus Sulenus Consul. His mandatum est, ut precibus lachrymas miscentes, eò inducerent præsulem, ut vel commotus vice imminentis fortunæ, posita ferocia, auxilia domum ab se ablegaret & in urbem veniret. Cum mandatis his legati profecti, postquàm in Westbzeeck pervenere, copias non magnas illas quidem, verùm formidabiles magis quàm validas conspexerunt. Quæ quantæ essent, primum non quiverunt expiscari: postea tamen sciscitando compererunt, equites non plus ducentos esse auxiliares, & quingentos pedites. Admissi Ultrajectini, statim quàm advenissent ad principem, decretum ordinum exponunt. Addunt hoc quoque privatim, utcunque verteretur, intromisso eo cum præsentibus auxiliis, statim populum Vltrajectinum præsens & inevitabile cum Gelro bellum habiturum, cujus quis futurus esset exitus, incertum esse: certè sex hebdomadum bello se expertos, (& adhuc vomicam dolere) quid sit armis decertare. Negat se, obfirmato animo, nisi cum præsentibus armis episcopus Ultrajectum venturum. Egressis paululum inde ad colloquendum legatis, supervenerunt primores à consiliis principis. Hi se Vltrajectinis de istoc negotio expurgarunt: Cum Dorestato proficiscerentur, de auxiliis neque equitum, neque peditum scivisse. Sed ne mentionem quidem ullam in consilio de asciscendis illis unquam injectam, unde vel leviter, quid ageretur, subodorari licuisset. Ad eos visos in itinere non minus se obstupefactos, quàm ipsos Ultrajectinos. Sed necdum scire satis, quid episcopus in animo haberet, aut quorsum tantum copiarum pertineret. Intro paulo pòst regressi legati, exorant spacium ad consilium referendi visa, auditaque: & quidem in bonam partem omnia. Haud negatum id quidem illis est, sed ut statim quàm domum redissent, advocatis in concionem ordinibus certi aliquid decerneretur, ne cavillandò ludendoque tempus absumeretur: ac se ante decimam meridianam certum, quæ staret sententia, redderent. visi hic sunt inter armatam multitudinem exules. Cum hoc responso legati in urbem redeunt. Mœstos antè ordines atroci responso multo mœstiores fecerunt. Tum demum perspicuè animadversum id est, quod toties fando auditum, de restituendis exulibus callidè episcopus dissimularat hactenus. Quamobrem alterutrum sciscendum: aut rescisso priori decreto, illis reportandos: aut rem bello decernendam. Quod ut averteretur, omnia prius periclitari statuunt. Eosdem legatos eodem redire cum priori mandato jubent: edicuntque, ne locum ullum obtestationibus ac precibus prætermitterent: ut dimisso mercenario exercitu, cum consuetis equitibus urbem ingrederetur. Proponerent ob oculos vastitatem ditionis, incendia, rapinas, cædes, latrocinia ex atroci bello, quod præsentissimum essent habituri: & ea omnia quidem, quantum possint, dicendo exaggerarent. At legati desperantes, obstinatum principis animum à proposito dimoveri posse: sive verecundia moti, quod frustra domum regressi, nihil à consilio æqui impetrassent, legationem recusarunt. Circumspectantur alii, atque item alii, qui tertiam legationem susciperent. Cum autem nemo legatus ire vellet, redintegratus terror, amentiæ ad unum omnes implevit: quamvis aleam subituros potius, quam ut exilio & bonis multatos reduci paterentur. Decursum tamen eò est, ne nihil renunciando, animum acerbatum furore magis accenderent: ut quod per legatos responsuri fuissent, id per literas significarent. Lectis præsul literis: Agite, inquit, quando ita stat sententia omnia deinceps armis gerenda erunt. Conscensis statim equis, ægritudinem dissimulans, Wicam rediit: neque per iram quicquam ordinibus respondit.

Belli fructum.

LAM-

LAMBERTI HORTENSII RERUM ULTRAIECTINARUM,

LIBER QUINTUS.

ECQUIS est, qui non omnium rerum in vita humana commutatione perspecta, fortunæ vicissitudinem in utramque partem, ad modum reciproci æstus, attonitus obstupescat? Aut quis adeò eminentiæ & fœlicitati suæ nititur, ut humana imbecillitate grandius quid aut constantius sibi promittere audeat? Communis enim vita tanquam à deorum aliquo, clavo adhærenti gubernata, bonis malisque vicissim perpetuò circumagitur. Quare admirabile videtur, non si quid inopinati eveniat, sed quod non omnia quæ geruntur, præter spem cadant. Quamobrem par esse duco, historiæ narrationem aptè accommodare: gestarum enim rerum vicissitudine, ex immodica in secundis rebus agentium insolentia, & infortunio eorum qui voto frustrantur, lapsabundi erigimur. Henricus episcopus in summa necessitudine cum optimatibus, in publico foris ocio de improviso hostis judicatus, in atrox bellum incidit. Nam sibi restitutus, ac tandem perspecta fraude, rempublicam constituturus, cum opinione infœlicius res caderet, paucorum nobilium potentiæ se parem ratus, & se fefellit, & ditionem invitus ad aliena Sopes transtulit. Clarus immortali nomine, ut nemo magis antè, quod ablata pomœria precio ecclesiæ recuperasset, nisi id æterno domus suæ dedecore nunc obliterasset. Postridie tormenta in publicum prolata expediri, atque omnia quasi ad bellum apparari jussit. Quo spectaculo terror Wicanis, at effusa exultatio exulibus oborta est, clamantibus, bene jam rem habere, nihil alio duce opus fore, cum ipsum principem haberent ejusdem conditionis socium, cujus auspiciis ad reditum in patriam via pararetur. Huic terrori ad nobilitatem pleramque ab amicis ex Hollandia & Brabantia missæ literæ superveniunt, famam in iis regionibus constantem ferri, pedestres copias Burgundici generis conscribi ab episcopo ad urbem inopinatò invadendam. Haberi simul & equitum delectum: quare intentè custodias portarum haberent, & nocturnas vigilias murorum stationibus collocarent. Auxit ad hæc pavorem hominum ex agris in urbem pecus armentumque omne trepidè agentium vulgus, penu & frumentum vehiculis pro se in oppida vicina quorumque asportantium. Multi, quibus res esset lautior, cum supellectilibus, ut apertum bellum fugientes, in civitates emigrabant. Ordines ancipiti re perculsi, varia consilia agitare. Reputabant enim inter se Hollandorum injurias, cum quibus nihil solidæ amicitiæ haberent, ab illis infida omnia ob nuperas conflictationes esse. Exclusionem exulibus foris item, & exulum amicis intus animos facere: seque eos, ac spiritus præferoces suo indicio indies magis ac magis prodere. Super hæc ad ultimum, in quo extremam ancoram fixerant, ab ipso se deseri principe: pro quo fortunas & vitam in dubiis rebus ardoris civilis posuisent: quem defensorem urbis futurum semper rati fuerant. Bona item ecclesiarum in ditione Florentii injecta manu publicè possideri: quæ initio tumultus intestini in gratiam Ultrajectinæ factionis, & Soudenbalchi Vordiique exulum invidiam libera fecisset. Nunc eundem Comitem pari studio, quo antè ad præcludendam reditus viam, ad reducendos eos pro viribus anniti: adeoque ad eam rem non solum promittere episcopo præsentem opem, verumetiam ultro equitum & peditum auxilia suppeditavisse. In hac ancipiti animorum anxietate, legatum dominum Marcum Wesium cum literis ad Carolum Gelrorum Ducem homines nobiles primæ factionis clam Coss. mittunt, oratum, ut quando omnia infida & hostilia in episcopo & Burgũdionibus adversum se cognovissent, ne ipse Ultrajectinam gentem insidiis à principe suo petitam, penè sub cultro desereret. Ad ordines relatũ esse, Wageningæ esse equites, eosq; sanguinis Ultrajectinę nobilitatis. Petere hos, se accersendi ad tuendam contra vim, urbem, potestatem: nam ipsum Ducem iis haud magnopere ad bellũ indigere. Dux sæpe antea cùm ab aliis, tũ proximè à Swollanis lusus, primum negavit callidè, se id facturum: probabiliter Swollanũ certamen, quod nondum confectum haberet, excusans. Respondit tandem, posse fieri tamen, ut centũ equites adversus assultũ permitteret, nisi suo insigni detrimẽto edoctus esset, hominũ in speciem amicorũ, & magnifica addicẽtiũ verbis fidem magis non habendã. Quare si tabulis principũ factionis manibus subscriptis sibi cavere vellent, po-

Eventus quare admirabiles.

Apparatus belli apud Ultrajectinos.

Burgundicum exercitum conscribit episcopus Bavarus.

Gelrus vocatur ab Ultrajectinis in patronum. fol. 732. apud Pontanum.

ſtulata eorum ſe factum. Cum hoc reſponſo legatus in urbem reverſus,offendit ſuorum animos ad quidvis faciendū inclinatos potius,quamquā equeſtribus auxiliis deſtituerentur. Conficiuntur raptim tabulæ, ſubſcribunturque. Quibus acceptis antequàm legatus proficiſceretur,

1527. in Auguſto.

prid. Non. Auguſt. omnem rem Gylberto Suleno Coſ. detegunt. Quantum ipſi dijudicare ex probabilibus argumentis valerent, fore, ut nihil opinantes opprimerentur: ſic enim ſecum comparatum eſse, ut amplius amicos ab hoſtibus intra extraque urbem non dinoſcerent. Non audere diutius ſe tam infirmis peditum intra muros præſidiis credere, niſi centum equites ad urbis cuſtodiam conſcriberentur. Vera iſta ſunt quidem (inquit Coſ.) neque mihi ſatis liquet, quos deinceps hoſtium, quoſve amicorum loco habeam. Adeò non poſsum diſpicere principium exitumve hujus, quod agitur, negotii. Autor tamen vobis non ero ad accienda externa auxilia, neque diſsuaſor: ut vobis liberum etiam faciam diſceptare, quæ è rep. videantur. Unum id exoratum interim mihi dabitis,ut tantiſper ab accerſendis externis equitibus deſiſtatur, dum ipſe ultro citroque legatus ad principem eam,qui me Coſ fecit: ut expiſcer,bellumne nobis paret,an pacem portet: ſimul quo conſilio cum tantis copiis ad urbem acceſserit. Ad ea quidam. Non fallit nos Coſ.quid tu agas,ut per ſpeciem legationis in apertum elapſus, omnino abdicatus magiſtratu Ultrajectum non revertaris,ac nos in magno rerum diſcrimine derelinquas. Noſti ipſe omnia Wicæ impedimenta, machinas tormentaque apparari: non modò ut bellum nobis faciat, (quod præſentiſſimum habebimus) ſed etiam, ut dum conſultando ſupinè tempus eximimus, ſcalas ad ſtantia mœnia inferat, impræmeditatoſque expugnet epiſcopus. Non faceres pro magnitudine & dignitate Conſulari, ſi rempub. prædæ ac cædibus in medio desereres. Etſi ſtat ſententia (reſpondit Conſul) obita legatione domum redire ſi tamen ante veſperum craſtinum Ultrajecti non adfuero, tum facite quæ vobis videbuntur, ne reſpub. detrimentum accipiat. His conditionibus Conſuli Wicam ad Epiſcopum profecturo, ex ordinum juſſu adjuncti, Arnoldus Vulvenus collega in conſulatu, Bernardus Wtenengus, Franciſcus Nienrodius: & ad hos nonnulli religioſi nominis homines; quibus privatim Wicæ negotia obeunda erant. Mane legatis vixdum urbem egreſſis, contra datam Conſuli fidem nihil factio cunctata; conventum habet tumultuosè de equitibus è Wageninga in incertum legationis eventum ad urbem evocandis: negotium mandatur D. M. Weſio, ut quantum poſſet, reditum domum cum auxiliis maturet, priuſquàm legatorum reditu è Doreſtato ſub veſperum opprimerentur. Videbantur jam epiſcopum exoſi bellum malle, & cum Gelro ſocietatem, quàm ullas conditiones quamvis tolerabiles, ut reciperetur, admittere: licet aliud lingua quàm pectore clauſum erat, gererent: ſive ob paulo antè Duci pactam fidem, fœliciter conſuli celatam: ſive quod, utcunque conveniretur, parum epiſcopo crederent. Quare cum nihil legatorum reſponſo ex-

Equites Gelrenſes Ultrajectini accerſunt.

pectato, illud maturarent, id conſultabatur, ut eorum reditum in urbem auxilia occuparent. Ac ne detectum conſilium motum excitaret, ſimul ne Weſius cum Gelro equite in inſidiarum locum imprudens traheretur, ſparſit rumorem, ſe indicti ludicri certaminis gratia, ab agraria plebe volucrem ejaculatura invitatum, in Vicum Dornanum iter habere.

Doorn, olim Thoorn.

Et ut id quod jactabatur, ſimilitudine veri comprobaret, neu fucus ſuboleſceret, diverſa porta cum Ioanne vander Aa equeſtris familiæ, quem poſtea ſub arce Vredenburgo à Burgundionibus feriri vidimus, urbem egreditur. Fortè tum in civitate erat Ducis à conſilio intimo, Erculeus Groſſius: qui cum priori ad Gelrum occulta legatione in civitatem per a-

Henricus Groevius Satrapa Erkelenſis.

micorum inviſendorum ſpeciem, prudenter quod aleretur diſſimulans, venerat. Legati interea poſtquàm Doreſtatum venere, ad Epiſcopum nulla mora admittuntur. Conſul ubi multa diſertè in utranque partem, de pacis commodis & belli calamitatibus, commemoratis Ultrajectinorum in epiſcopum multis & magnis meritis, diſſeruiſſet: obteſtatus eſt, ut poſitis affectibus, & belli cura averſa, copias dimitteret, atque vernaculo equite ſatis contra vim armatus, urbem intraret. Audita benigniter legatione, poſtquàm placidè pauca reſpondiſſet, minus ferociter quàm antea percontatur, ecqui equites ab ordinibus acciti intromiſſive eſſent, númnam quos operirentur. Negavit Conſul id factum, cum ex urbe proficiſceretur: neque de evocandis quicquam decretum fuiſſe, quod ſciret. Conſul autem,ut ex ſponſione pacta factionem à novandis rebus averteret,collegam Arnoldum Vulvenum & reliquos legatos præter Nienrodium maturè ſub veſperum domum remittit. Tota autem civitas in ſpem concordiæ extra factionem erecta erat. Convocatur in concionem ordinum ſenatus eodem die. Recitatæ hic literæ ſunt Conſulis Suleni, quarum hæc erat ſumma. Statim quam

Doreſta-

Dorestatum venissent, ad principem introductos se, ac legationem suam benigniter auditam fuisse, & certam concordiæ esse spem. Episcopum responsum insequentem diem distulisse. Ne quid rerum igitur novarent, priusquàm vel ipse domum reversus esset: vel per literas, quid staret sententiæ, eos certiores fecisset. Rogati reliqui legati, ecquid ipsi referrent: responderunt, nihil se comperti ex principis verbis elicere per multas obscurasque ambages potuisse. Fecit ea res factioni fraudis manifestæ suspicionem, quòd incautis & ociosis superveniret episcopus. Haud diutius cessandum rati, equo expeditum quendam subornant, qui quanta posset celeritate additis calcaribus Wageningam properaret, nunciaretque equitibus, ut sub diluculum posteri diei ad urbem adessent: exploratum habere per trepidè allatum nuncium, episcopum se totum ad oppugnanda mœnia apparare: idque fortasse postridie eventurum. Emittuntur & exploratores, qui transversis regiisque itineribus circumquaque omnia specularentur: ut si quid hostium usquam in agris divagari deprehensum esset, celeriter vigilibus ad urbem sub mœnibus foris repentibus, & in murorum speculis excubantibus nunciarent. Sub noctem Consuli Vulveno per vim claves portarum (quia constanter negabat externum Gelrorum equitatum intromissurum) extorserunt. Tota nocte à factione pervigilatum est, expectatusque in horas eques, missis ex urbe, qui per mansiones ejus accessum ad Albam portam denunciarent. Missus & Dorestato eques sub mediam noctem est, exploratum, num quid veri haberet rumor allatus. Paulo itaque post noctis conticinium Rhenos prætervecti silentio, cum ad Elstam usque processissent Gelri, prætor leci ex intervallo per noctis silentium hinnitu equorum accepto, celeriter equum conscendit: ac subditis calcaribus, Dorestatum petit. Intromissus hic in arcem, episcopo rem denunciat. Haud segniter is statim lecto correptus, Consulem Sulenum, & Nienrodium excitari jubet, nunciarique, rem depræhensam nunc coarguere, haud vanum fuisse rumorem, de equitibus Ultrajectum occultè accersitis, ad se allatum: eos jam ultra medium itineris progressos ad urbem accelerare. Apparere hic factionis perfidiam: quam integra legatione nihil novare decuerat. Mane sub illucescentem auroram Ultrajecti tanto silentio ad notam tesseram & signum patefacta porta in urbem venerunt, ut nisi ungularum in silicibus strata via strepitus equos quadrupedantes prodidisset, ducenti illi armati (tot enim erant) & vigiles in stationibus & plebem horum ignaram fallere poterant. Tum demum publicè luctus oboriri visus hominum manus ad cœlum tendentium, querentiumque, nunc inchoatum esse bellum quod execrabilis factio hactenus tacitè precata esset: jactam per istam causam defectionis ad excidium patriæ, aleam. Quin priusquàm numerus exterarum copiarum augeatur, eas urbe profligamus? Compescuit frementem plebem blandimenta dando factio: conventurum de pace: verum ob metum oppressionis præsidia esse imposita: ea deducturos, ubi pax convenisset. Id quod propediem esset futurum. Ibi perditorum ex factione civium audacia sese prodidit. Michael Pistor, Gerardus Noviomagus cultrarius, cum paucis sui ordinis aliis, tanquam pœnarum metu per defectionem ad Gelrum posito, impetum in ædes procerum collegiorum, qui principi vel ob honores obnoxii, vel functionem aliquam jurati erant, faciunt: easque hostiliter diripiunt. Inde ad ostentationem præclari facinoris holosericis undulatisque vestibus ad talos diffluentibus amicti, annulatique tota urbe sursum deorsum per publicum ob oculos civium obversabantur: ad imitationem lustrationis amburbialis rudendo vicos plateasque circumeuntes, asininis vocibus omnia complere: nullum contumeliæ in episcopum, nullum insaniæ atque stultitiæ spectaculum prætermittere. Iugum per hanc dissolutam quidvis patrandi licentiam exuisse videbantur. Sed inter arma perpetuum est justitium. Opulentiores repentina urbis facie trepidi, quantum ex tempore dabatur, tumultuosè aurum argentumque auferre, occultare, ne quid grassatoribus statim ad prædam obvium esset. Quisque denique, qui munera ab episcopo gerebant, in magno direptionis metu esse. At Gelrorum equitum magister auditis iis quæ tota urbe facinora licenter designabantur, reputans secum quàm difficile foret alienam civitatem usurpatam diu retinere, si suæ factionis paucis sceleratis, uti cœpissent, potestatem quævis flagitia in quemlibet perpetrandi impune ac licenter faceret, ad se secretè advocatos illico graviter castigat, eo se urbem non ingressum, ut ipsis eam prædæ aut devastandam daret, verùm ut ab hostium injuria, si qua inferretur, assereret. Si id quod agerent, faustum esse vellent & fœlix, plebem beneficiis devinciendam esse: quo consociatis animis communiter rempub. defenderent, ac non ut infestam satis, infestiorem redderent. Frustra autem foris se bellum habituros, si plus sibi ab interno hoste quam ab episcopo esset metuendum. Iam in armis nihil firmi fore, si legum repagulis domi ruptis, omnia miscere aggrederentur. Pavor jam

Geldri equites 200. Ultrajectum veniunt.

Inter arma justitium perpetuum.

Civitas aliena difficile retinetur.

Beneficiis plebs demerenda.

pleranque opulentiam ex urbe continenti agmine per vias exportantium bona supellectiliaque effuderat, quasi aperto bello utrinque jam res gereretur. Gelrus veritus ne civitas per fugam ditiorum, qui oneri ferendo in bello essent, præsidiis nudaretur, extemplò cavit edicto,

Ne quis res bonáve sua ex urbe asportaret: deprehensi multarentur, bona prædæ forent.

Qui belli metu paulò sub Gelrorum ad urbem accessum profugerant, publicè per literas revocantur. Fuerunt, qui edicto contempto, exules à senatu fierent. Consul Sulenus auditis, quæ circa urbem impotenter à factione gerebantur, à Wica rus, unde nuper in urbem ad Consulatum extractus fuerat, concessit: ac mox paulò, quia belli horribilem tempestatem ingruentis prævidebat, rebus ex urbe navigio asportatis, Iselsteinam in pacatum abiit, priusquàm de bonis efferendis publicè cautum esset. Indicitur brevi pòst iterum dies ad conveniendum in arcem Beverwerdam, antequam iræ, quas utrinque ingentes in pectoribus conceperant, in rabiem exirent. Huc ad conciliandos animos, hostiles inter se spiritus gerentes, ac bellum parantes, convenere & Transiselani. Legati, qui ab ordinibus ad statutum diem in arcem adessent, ea conditione se profecturos paciscebantur, ne se absentibus quicquam novaretur: neu ad præsentia equitum auxilia, alia in urbem reciperentur. Postridie quàm profecti essent crepusculo diei silentio nunciatur trepidè, centum quinquaginta equites & peditum cohortem unam extra urbem subsistere, ut intromitterentur. Consul totus in spem sarciendæ concordiæ erectus, audito nuncio insperato, attonitus obstupuit. Antesignani Gelrorum equitum in urbe, accepto nuncio novarum copiarum læti, haud elanguescendum ignavia rati, armati domum Consulis petunt: postulantque portam Albam aperiri, ut eques & pedes faciendo itinere fessi, absque mora intromitterentur: ne extra urbem pernoctantes, episcopo, cognito eorum adventu opportuni forent. Negat id se Consul contra datam legatis fidem, facturum. Equitum Magister ne quid mora suis ante urbem hærentibus officeret, & Ducis indignationem provocaret, convocat in Palatinum forum quantum equitum atque peditum in civitate erat. Cum his jam multa nocte, lychnuchis cum funalibus præeuntibus, ad Albam portam descendit: atque ea vi effracta, socias copias in urbem frustra reclamante Cos. recipit. Erat autem ea peditum vis nullo delectu raptim è fece rusticorum in agris contracta. Quare bene foris consulta neutrum alteri jam reconciliare poterant: quod unum haud dubie validis præsidiis urbe firmata Gelrus spectabat. Prima luce novæ copiæ per hospitia distribuuntur. In Beverwerda à rerum omnium, quæ circa urbem accidissent, legatis ignaris, de concordia disceptatur interea. Transiselanus disceptator inter episcopum & Ultrajectinos sumptus, ubi multa disertè ac graviter de incommodis ex bello præfatus esset, jussit Ultrajectinum priorem occasiones & causas repentinæ alienationis, repetitis altius ordine exulum controversiis, exponere. Tum Ultrajectinus legatus exorsus, singula à temporibus primi motus in civitate, ut quæque gesta erant, exponere cœpit: quibus occasionibus, causis, principiis, quibus authoribus, qua via, quo consilio, per quos homines, contra seditiones rempub. tutati essent, & conservassent. Nihil ab se adversus sceleratos & seditionum concitatores, earumque comites voluntarios susceptum, actumve, nisi principis auspiciis fuisse, & jussu. Rebus ipsis fidem suam patriæ persolvisse: ad quam præstandam juramento adactos, ejus religione exolvi haud potuisse. Sed & concordiæ cum inimicis leges nullas unquam se recusasse: ut non possent satis mirari, quid illi in mentem venisset, quòd non ut amicus, sed ut hostilem animum præse ferens cum armatis peditum equitumque copiis, Ultrajectino nomini hostibus ad urbem furtim accesserit. Omnia quàm bellum potiora ducere, ac malle. Sed quando neque pacem æquam obtinere, neque vim suis opibus à mœnibus propulsare possent, par esse ut auxilia ad tuendos liberos & uxores aliunde accerserentur. Quæsitum inde est à Transiselano, quid de recepto Gelro in urbem equite futurum esset: staretne incœpto consilio perseverare, an integrum esset adhuc illum vel retinere, vel amittere facta pace. Exulum, inquit Ultrajectinus, quorum conatus toties irriti & consilia frustra fuere, animi, & insolens ferocia: tum autem & injusta præsulis ira atque indignatio: sed & quorundam in urbe exulum conatui faventium terror, nos ad amicorum opem implorandam subegerunt. Horum autem cum nullus ferè sit, quin sanguine vel affinitate nobilitatem Ultrajectinam attingat, si pax conveniat, nulla cujusquam injuria urbe cedent.

Arx Beverwerda.

Præsidiorum Vis quam gravis.

Bellum quomodo suscipiendum.

Transise-

Transiſelani paululum ad conſultandum ſubmoti, ac mox intro regreſſi, actis gratiis Ultrajectino quod ad præſtitutum diem conveniſſet, quodque nihil gravatus fuiſſet, ea quæ propria hujus cauſæ eſſent, à principio ad finem exponere: rogant num qua via inveniri poſſet, qua auxilia utrinque ſtatim dimitterentur. Reſpondit Ultrajectinus legatus, quòd ad ſe, id tum demum futurum, ubi controverſia de exulibus finita eſſet. At ſciri oportere, quid animi ac ſententiæ epiſcopo eſſet, pro quo fortunas & vitam depoſuiſſent ſemper: par eſſe, ut viciſſim ille eundem animum in ſe gereret. Æquum, reſpondere Transiſelani, eos poſtulare: neque ex eorum uſu fore, ſi ſecus ille contenderet: maximè verò quam diu exulum negotium integrum ſtaret: ne urbs nullis præſidiis firmata, inimicis ad inſidias opportuna foret. Interrogatus Ultrajectinus deinde, an plus copiarum vel expectaretur, vel intromiſſum eſſet, negavit id factum: (fefellerat eum præter fidem abeunti datam, copias in urbe præſentes novarum copiarum acceſſu ſe abſente auctas) neque de pluribus adhuc decretum, niſi epiſcopus prior novarum rerum autor eſſet. Convenit itaque in hunc modum: ne præſul prior bellum populo Ultrajectino faceret: quo per ocium de concordia ageretur. Sufficitur in locum Suleni, qui ſe paulo antè Conſulatu abdicarat, Ioannes Huchtenbrochus. Arnoldo Vulueno magiſtratus continuatur. Legationes interea Ultrajectinæ domum approperantes, ubi haud procul ab urbe ab obviis viatoribus præſidia in urbe novis copiis Gelris præter fidei religionem aucta eſſe accepiſsent: tanta eos conſternatio & pudor, quòd dicta ſua Transiſelanis affirmata, & facta Ultrajectinorum non juxtà convenirent, cœpit, ut averſo ab urbe itinere, retro abire, neque domum redire conſilium ſederet. Qua re ad urbem nunciata, mittuntur celeriter legatis obviam, qui ordinum verbis eos obteſtando, orandoque ne ſe in mediis malis deſtituerent, à fuga retraherent. Superveniſse quidem peditum equitumque auxilia, ſed ea non accita, ita ut ubi videretur, exautorati domum dimitti poſsent. Quo autem errore id factum eſset, ipſos præſentes melius cogrituros, quàm nunciari poſset. Perſuaſi legati conſcenſo iterum vehiculo ſpe deducendi ex urbe quantum copiarum interea acceſſiſset, jam multa nocte in civitatem revertuntur. Offendunt ſtatim civitatis opinione fœdus turbatum: ipſamque factionem bifariam diſciſsam, effringentium cum Gelrorum cataphractis portarum ſeras, & obſtantium id ne fieret. Ad hanc diſcordiam accedebant graves legatorum de ipſorum perfidia querelæ: quòd nulla conſcientia tacti, pactam fidem abeuntibus violaſsent: ut cauſa belli & initium, ſi quod haberent, ab ipſis ortum videri poſset. Contrà alii factum excuſabant, in errorem depulſum. Non inficiabantur quidem, accitam cohortem, & portis receptam: verùm curam eam omnibus ineſse, ut amplis pollicitationibus preces miſcentes, illam rurſum ex urbe deducant, ac domos ſuas tantiſper dimittant, donec epiſcopus vel hoſtis judicaretur, vel pax cum eo fieret. Addebant & errorem veriſimilem: Ab ſe conductum fuiſse quendam nuncium, qui cum literis ad civitatem accelerantibus copiis properè occurreret, & Wageningam retro à cœpto itinere averſans, ibi ſubſiſtere tantiſper juberet, dum revocarentur. Spem enim in præſenti ſtatu omnibus reconciliandi epiſcopum in gratiam, oſtentatam. Nuncium autem ob viaticum, quod per oblivionem differebatur, totum diem in civitate moratum fuiſſe, cum jam dudum abiſſe crederetur. Quare obvium cuidam eum factum, acriter objurgatum, caſtigatumq; quòd jamjam ſerò profecturum, rediſſe obito negotio oportuiſſet. Statim intellecta moræ cauſa, accepto viatico ſub quintam paulo veſpertinam quanta maxima potuit celeritate in pedes ſe conjeciſſe. Noctis autem interventu eum à via aberraſſe: atque interim auxilia omnium circa urbem ignara ad portas perveniſſe. Et ne belli cauſa quæreretur, poſtulantibus equitibus Gelris ut portæ clauſæ aperirentur, à Coſſ. conſtanter reclamatum fuiſſe. Tum demum equitem præparatis antè ad id animis (ut apparebat) cum parte civium novandarum rerum cupida, vi clauſtra ſeraſq; portarum diffregiſſe. Nuncio novarum copiarum, quæ à Gelro ad turbanda omnia nocte Ultrajectum miſsæ erant, Wicam mane perlato, pavor major oppidanos cepit: quod rebus adhuc ſtantibus non modo (quod nihil fidum in factione eſſet, verumetiam quod ad bellum tota animos pararet: neq; pacem neq; concordiam augendo vires quæreret, tametſi verbis in ſpeciem benignis pacem dari cupere videbatur. Transiſelani deſperatis rebus, ne ſui ad exitū conventus intenti, præter expectationem imparati opprimerē-tur, domos quiſq; ſuas illico maturarũt. Videbant jam nō ab Gelro hoſte ſeorſim, utrũ illi ſecum & cum epiſcopo bellandum eſſet, nec ne, conſultari: ſed qua bellum ratione gereretur: quoſque opportunos magis primùm adoriretur. Epiſcopus nihil jam amplius cunctandum arbitratus, ne occuparetur, lectiſſimos pedites ad intercludendum Ultrajectinis ad auſtrum è

Præſidium in oſtio Lecæ (De Vaert) ab epiſcopo erectum.

Fredericus Sombrevus equitum magister.

** Arnoldus Pyll.*

† Pels.

Rheno commeatum, in ostium Leccæ mittit: hisque * Pilanum Amorfortium, & † Pellitium Buscoducensem duces præficit. Cum his conjunxit Fredericum Sombrevum cum ducentis equitibus magistrum equitum. Magno autem bello Ultrajectino lævum hujus ostii brachium validum præsidium jam olim habuerat, natura ipsoque loci situ firmum, & ad utrinque suprà infraque navium cursus intercipiendos idoneum. Locus ipse à reliqua planicie ita eminet, ut utroque versum in amnem longissimum prospectum præbeat: & ad excurrendum ad urbem mirum in modum sit opportunus. Hic intra paucos dies opere tumultuario ex arborum truncis rudique robore & gleba superjecta præsidium erigit: non altum illud quidem, sed latitud. pedum quinquaginta plus minus: cum cuniculis, & vallis præacutis in ipsò aggere & præalta fossa circumducta adactis. A tergo (ut navigio hostibus inaccessum foret) scaphæ in ostii faucibus tegulis onustæ demerguntur. Imposita metu proditionis in hoc deinde externa selectorum peditum præsidia sunt. Inde latè immissis peditibus hostium agros pervastavit: quantumque hominum ac pecorum in possessionibus Ultrajectinorum oppressum esset, prædæ fuit. A ferro & igni & strage villarum solùm temperatum est: promulgato simul edicto, ut quicquid hominum Ultrajectini nominis, ecclesiasticorum profanorumve, absque discrimine sexus ætatisque interciperetur, hostium loco esset. Iam tum segetes maturuerant. quare quicquid earum hostium erat, Dorestatum ex agris convehi: eodem & pecus omne compelli jussum. Sub hæc bellicas machinas omnes Wicæ tanquàm ad expugnationem apparare, expedireque aggressus est. His ex rebus matura ad hostilia vicissim inferenda Ultrajectinis data materia, cum alii atque alii trepidis rumoribus de accessu episcopi ad urbem nonnihil affingentes alimenta suggerent, tumultuariorum peditum novas copias scripserunt. Fuga ingens hunc terrorem è cœnobiis suburbanis penu omne in urbem asportantium, migrantiumque ex agris longo agmine cum armento omni per vias spectantibus auxit. Et ut bellum se ipsum aleret, vicos & pagos, ne hostilia paterentur, stipendio imposito episcopus ad paciscendum compulit in tres menses. Contrà Ultrajectinus, eos pro hostibus se habiturum denunciat, qui cum episcopo paciscerentur: ab eorundem vicis, ne hostilia acciperent, se quoque pecuniam stipulaturos. Misera profectò plebis agrariæ conditio, quæ cum hostes non haberent, ab Ultrajectino, & Ultrajectinæ ditionis suo principe, ne prædæ essent, pacisci subigebantur. Ultrajectini adhæc non contenti hac rusticorum calamitate, insuper eos, quos invitos restitantesq; operam suam in ostio Leccæ fossis ducendis posuisse constabat, nocte arreptos, ac rure in urbem extractos, in carcerem conjecerunt. Erat totus interim in hoc episcopus, ut hosti undique commeatus clauderet. Haud quievit inter hæc Gelrus. Lacessentibus ad hunc modum Ultrajectinis bellum in infera ditione contra episcopum, ipse aliquot dies de bello Transiselano consultavit. Ioannes Wissingus cognomento † *Henricus Macer*, & Matthias Ketellus è Transiselana regione oriundi erant: equitum par nobile, & ob belli artes Carolo Gelrorum Duci chari. Hi relicta patria multis & magnis bellis sub illo meruerant: quare & prior ille in gradus interioris amicitię receptus fuerat. Corrupti precio, seu (quod magis affirmarim) ut gratiam apud principem Gelrum inirent, Hassaliam haud procul à Swolla proditione tentandi negotium suscipiunt. Postridie Id. August. lucis principio tanquam ad mercatum navem armatis gravem, sed asseribus sparisque instratam, ipsi oppidanis ut popularibus domesticè noti in oppidum recipiunt. Postquam autem ad forum ventum fuit, ibi dejectis asseribus cum ingenti clamore ad faciendum subita hostium specie pavorem oppidanis oriuntur armati, occupantque oppidum. Trepidatio major, quàm pro hostium numero, quantum hominum in publico erat, in fugam compulit. Capto oppido, à direptione & cæde temperatum est. Unus, qui solus obvios foro arcere armis ac virtute contendebat, à confertis multis vulneribus confossus cecidit. Ingentem interim hominum armentorumque prædam ex Batavia egit: diripuitque, quicquid villarum obvium habuit Episcopus. Tum consilium ordines Ultrajectini de abrogando publicè præsuli episcopatu, ac societate cum Gelro jungenda cœpere. Quare XVII. Cal. Septemb. conventus habendi dies civitatibus, ut Ultrajectum convenirent, indictus est, ad audiendum publicè in frequenti ordinum concilio diploma ditionis Ultrajectinæ recitari: simul ut ea quæ vitio perperam quotidie admitterentur, mutarent & corrigerent. Spectabat autem eò Gelrus, & factionis primores, penes quos vis omnis miscendi omnia erat, ut assensu trium aliarum civitatum principe hoste judicato, ipsæ quoque in belli societatem traherentur. Ex Amorfortia venêre legati Segerus * Wilda, & Nicolaus Gerardi F. Et reliquæ civitates, quamvis extra belli societatem Ultrajectini,

Belli intestini incommoda.

Ultrajectini hostes Episcopi amicos vocant.

Commeatus Ultrajectinis intercipitur.

† Mager Heyn.

Henrico Bavaro Episcopo abrogatur potestas.

** Van de Wilde.*

jectini, quia commune trium ordinum negotium, cum accerserentur, prætexebatur, legationes suas quoque misère: ne non venisse fraudi fuisset. Postquam ad edictum conventum Ultrajectum in curiam *magnam basilicæ D.Martini frequentes convenere, primarius decanus historiam quatuor superiorum annorum dicendo texere exorsus, ostendit quàm multa beneficia pop. Ultraj. in Henricum episcopum contulisset, eaque qua nunc ingratitudine vastando agros, ac claudendo undique flumina & commeatus, pensaret. Exaggeravit pericula, sanguinem, facultates: quæ pro ejus dignitate tuenda, pro incolumitate ac salute patriæ conservanda deposuissent. A quo tantorum beneficiorum admonito, cum gratia par repeteretur, contra diploma religiose à se juramento inaugurationis die confirmatum, ipse indies alia atque alia, quæ ad nomen Ultrajectinum extinguendum spectarent, moliretur. Bellum illatum cum ordines avertere non possent, modica auxilia ad prohibendam, si qua inferretur, vim, non ad concitandum bellum, comparasse: legationibus mittendis, orando, donandoque quantum in humano consilio situm esset, sudavisse, ut id declinarent. Inde ubi hæc & alia multa id genus in hanc sententiam perorasset, rudem quandam ex tempore delineatam formam decreti de jungenda societate cum Gelro, & bello cum episcopo gerendo, in medium è sinu protulit: lectùmque illud publicè est. Fuit id autem in hæc verba, cujus exemplar Amorfortiis ad referendum petentibus datum extemplò est.

* Hodie locus Academiæ.

Decretum Ultrajectinorum contra Episcopum Henricum Bavarum.

NOs collegiorum primates Decani, Canonici V. collegiorum basilicæ D.Martini, Servatoris, Ioannis, Petri, Divæ virginis, in urbe Ultrajectina. Post hos, equester ordo ditionis inferæ: Consules, Tribunitia potestas: vetus novusque Senatus urbis Ultrajecti: tabularum harum lectoribus, atque cognitoribus: tum autem & iis quorum hæc controversia refert, referetve in posterum, Sal. Episcopus Henricus à quo in episcopatum venit, nobis non minus gerendis rebus pestilens, quàm ditioni perniciosus fuit. Primùm autem, cum nullo publico, sed privato quorundam consilio, quos in interiori amicitiæ gradu habet, nuper arcem Meidensem cepisset, penè nobis bellum concitarat. Nunc quoque vicis inferæ ditionis omnibus gravia stipendia imperat, præter jus & bonum: tributo ne humili quidem agricolarum feci remisso ac tenui. Arces & castella præsidiis impositis exterorum equitum peditumque in infimi loci, exclusis summo loco Ultrajectini nominis natis viris, firmat. Agrestrem ad hæc hominum multitudinem totis agris armatam, cum fossoriis instrumentis ad fodiendum, & loco munito inexpugnabile præsidium in Leccæ ostio collocandum; non ad tuendos adversus communem hostem fines, sed intercludendas vias aditusque omnes in urbem convocavit. Ut mittatur, quantum exterorum auxiliorum equestrium ac pedestrium indies conscribit: quorum bona pars est ex eorum genere, qui Pop. Ultraj. semper infesti hostes fuerunt: scilicet ut nos in angustiis conclusos obsideat, & ad deditionem compellat. Ex agris civium nostrorum, quasi hostium, bubulum pecus egit: & quantum armentorum in pascuis fuit, prædæ militibus dedit. Cum autem tutos nos ab hostibus esse existimaremus, nulla quivimus conjectura assequi, quorsum ista, quove consilio paret: quibus admissis, hanc injuriam nobis

 concili-

conciliavimus: cum hactenus non fortunas modò nostras cum eo, sed vitam etiam periculis ingenti animorum consensu objecerimus. Quare hoc ejus consilium & turpe & fœdum, tum cum diplomate ex diametro pugnat, tum amplissimis ejus promissis adversatur. Spectat autem id ipsum huc quoque, ut communis libertatis jura labefactentur, publica totius ditionis libertas, laudatæ consuetudines, instituta majorum, jactura nominis Ultrajectini & agricolarum, in præjudicium commune omnium obliterentur, abrogenturque. Itaque ut hæc, & id genus alia maturè avertantur: simul ut, ne nobis exitio sint, occupentur. has ob causas & pericula in posterum imminentia, quæ hinc pullulare nobis, & possessionibus nostris olim oriri possent: simul ut diploma, jura, libertatem, consuetudines, sanctas consociatis animis tueamur: censuit Senatus & ordines consultatione matura amicitiam aliquam ineundam esse, ne incauti ex improviso opprimamur, & insidias declinemus. Quamobrem concordes societatis fidem sanximus, nobis & posteris utilem futuram: & fœdus adjunximus, ratum sanctumque auxilio senatus hoc decretum habituri, quod huic calamitati, hisque impendentibus periculis consociata animorum concordia obstabimus: vim armis propulsabimus. Quod impensarum in bellum fiat, id ad universos pertineat. Alea secunda adversaque omnibus ad exitum ejus usque communis, & par ex æquo omnibus sit periculum. Placuit quoque, in conferendo neminem excipi mortalium debere: nulli remitti stipendium impositum, quo minus cum aliis contribuat, sed ut compar profanis religio censeatur. Contribuent æqualiter huc imaginibus majorum illustres homines, & humili loco nati: opulentia cum tenuis fortunæ & infimæ classis proletariis, ut res publica posteritati incolumis tradatur. Neque magni quidem referet, unde pecunia redigatur: ex mutuóne usurarióve ære, ut agri pignori, si necesse sit, opponantur: quo hoc negotium alatur, & ærarium sufficiat: an alia via. Quare apud Deum datis dextris mutuam pacti fidem spondemus, quod sicubi opus erit, summo omnium consensu, aut certè bonæ ac magnæ partis voluntate mutuam vicissim operam nostram in hoc ponemus, ut opposita hypothecæ redimantur, mutuum fœnus dissolvatur, ut damni expertes inde evoluamur. Nemo tum ea in re tergiversabitur, sed data dextra sancitaque fidei quisque memor, lubentem se ac voluntarium (ut par est) offeret ultro. Inter ordines nemo jus sibi ulla ratione, aut viam ad elabendum ullius libertatis prætextu usurpabit, qua contra hoc decretum ad asserendam suam dignitatem tum uti posset. Quod si nos bellum (quod Deus avertat) habere

contin-

contingat, cum hoste neque pacem faciemus, neque amicitiæ fidem adjungemus, neque ullas si quæ offerantur pacis reconciliationisve leges quamvis justas & bonas, quæ hanc societatem impediant, ipsi ordines separatim recipiemus: sed ne ipse quidem, qui nobis ad hoc bellum auxilia miserit. Si verò interim tolerabiles dari pacis conditiones usu eveniat, ea non per unum aliquem ex ordinibus aut sociis jungetur: sed ejus faciendæ potestas tribus ordinibus, aut bonæ eorum parti permittetur. Et quæ in ea bona atque æqua videbuntur, illa cæteri rata, justa, ac firma judicanto. Dolus frausque abesto. Quoniam autem ista inviolabilia esse placuit: nos collegiorum proceres & collegiorum sodalitia, nostra sigilla: itidem & nos communi equestris nobilitatis nomine rogati, Ioannes Renesßius Uulvenus eques auratus, Gysbertus vander Aa, Wolterus *uyten Hamme, Ernestus* Wicanus. *Consules item urbis Ultraject. tabulis sanciti fœderis magnum urbis nostræ sigillum appendimus. Datum Ultrajecti, anno* XXVII. *super* M. D. XIII. *Cal. Septemb.*

Postquam fœdus junctum de bello communiter parando in frequenti ordinum ac civitatum concione recitatum fuit, legationes civitatum, quarum nulla vox consentiens accesserat, acceptis exemplis ad referendum illico domos suas revertuntur. Episcopus auditis iis quæ circa urbem indies fierent, metuens ne ob superiorum annorum odium & simultatem Amorfortii à se per hanc occasionem alienarentur, literas ad senatum dedit in hæc verba. Vestra fides & studium erga me effecit, ut apud vos animi mei ex injuria accepta ægritudinem effundam. *Episcopi literæ ad Amorfortios.* Dubium mihi non est, quin rumor de exclusione ad vos allatus, variè vos affecerit. Lætor tamen, vobis eundem animum adhuc esse in me, qui superioribus annis fuit: uti rationem rerum à me gestarum, & conscientiæ rectæ testimonium vobis probem. Audio Hassaliam nobis in Transiselanis à Gelro per homines talium negotiorum artifices ademptam, à quo quidvis potius quàm hostilia expectaram: cum incolumi ad hoc tempus amicitia, pax à me prius, & quies ab armis data, violata non sit. Atque utinam ea perpetua, quoad viverem, esse potuisset. Statueram nuper Ultrajectum ad tranquillandos discordiarum turbines armatus contendere, ut restituta repub. ocium pristinum ditioni recuperassem. Erat consilii mei ratio talis, ne inermis urbem ingressus periculum, ut antea aliquando, subirem. Quare auxiliaribus copiis, & equitatu ad corporis custodiam instructus ad urbem veni: non alio mehercule consilio, quàm ut intestinam facem partim per id tempus, quòd in Germania supera abessem, partim in valitudine mea adversa exortam, penitus extinguerem. Advenienti portas clauserunt. Quàm verò isti ea in re juramenti religioni fecerunt satis, esto ad posteros de ea re judicium. Super hæc externa equitum & peditum auxilia in urbem receperunt. Nihil itaque aliud humani consilii mihi superest, nisi ut à vobis contendam, ne, quod ad belli dubium principium attinet, vestri periculi admoniti, ad maturè consultandum oscitantes opprimamini: reputantes identidem apud animos vestros, quid hinc sit exoriturum, viam inveniatis, qua malum imminens propulsetur: ut si in rabiem propediem animi ad bellum parati exarserint, extra ejus necessitatem vos amicos habeam, ac colam: quibus fretus, inimicorum, quos hostium loco posthac habebo, illatam injuriam ulciscar. Quod si obtinuero, beneficium non ponetur apud immemorem. Cæterum quoniam cùm aliàs, tum belli temporibus in speculis intentior custodia propter ditionis limites necessaria est: ne civis per nocturnas vigiliarum perpetuas miserias nimium obruatur, è proximo Hoechlandios in civitatem accite, qui pro muris vobis in agendis stationibus auxilio adsint: ne per proditionem tentati, in hostium potestatem trahamini. *Custodia semper necessaria.* Christophorus Langius, vir militari gloria clarus, qui nuper cum grassatore pedite castellum Teutonum in Marsis

in Marsis ipso magistro ordinis cæso, expugnando vi ceperat ac diripuerat, per id tempus reconciliatus factioni Ultrajectinæ, cohorti in urbe præfectus erat. Hic Calen. Septemb. cum quadringentis peditibus ad Emnessiorum agros effusa populatione vastandos movit: qui cum nihil minus quàm hostilia operirentur, pridie esculenta venum Ultrajectum importarant. Emnessæ accepto Ultrajectinorum adventu, cum jam haud procul à vico abessent, tumultuariò collecta rusticorum manus, in avia loca aditu difficilia diffugit: unde eminus inordinatè irrumpentes, & ipsum robur agminis à tergo tardius sequentes, sclopis tormentisque manuariis carpserunt. Numero enim hosti longè impares, nequaquam acie occurrere poterant. Ubi verò agmen citatum insidias præteriisset, clamore à tergo & ab latere terribili segnius ab itinere procedentes adoriuntur. Fit pavor ingens atque trepidatio. cadunt alii globulorum nymbo: alii armis abjectis callium ignari, in circumjectas viæ paludes diffugiunt, ubi à suis longo intervallo exclusi hauriuntur. Interim prægressum agmen effusè omnia vastat populaturque, eoque infestius, quod partem suorum ab occultis insidiis carptam, ac compulsam in paludes accepissent. Quicquid grave nimis asportatu erat, corrumpunt. Fuit autem præda, nimis quàm opulenta armentorum & pecoris omne genus & pecuniæ ad septem milia aureûm. Addiderunt & flagitio perfidiam. Opulentiores ubi in manipularibus fidem, ne hostilia paterentur, pacti essent, ex composito ab aliis supervenientibus se suaque omnia redimere adigebantur. Moti injuria Emnessiorum Amorfortii, (nam amplas ibi possessiones habebant) literas extemplò Ultrajectum mittunt. Earum autem sententia hæc erat. Senatum Amorfortium accepisse, quàm hostiliter colonos suos, quos Emnessæ in agris suis collocassent, immissis peditibus ipsi diripuissent: perinde se eam populationem accipere, ac si ad muros suos arma scalasque intulissent. Velle scire causam, quamobrem pro hostibus haberentur. Responsum ab Ultrajectinis est benigne & callidè. Non debere mirum videri, quòd infesta & hostilia nullam pacti fidem paterentur Emnessii, qui priores lacessivissent. Superioribus enim diebus voluntarios eos ad ostium Leccæ episcopo in ponendo præsidio fossoriis armis opem tulisse. Si à bello esse alieni vellent, hostem non adjutum oportuisse. Inde cum infesto agmine in Hamersfeltios moverunt, (vicus est sub prætura Leusdana, ad mille passuum ab Amorfortia) eosque fœdè depopulati, opimam pecorum & rusticorum prædam Ultrajectum compulerunt. Hac expeditione postquam ingens damnum prædiis Amorfortiorum datum esset, per literas & legationes cum Gelro & Ultrajectinis graviter de accepta injuria expostularunt: quòd hostilia omnia paterentur, cum ipsi in hoc certamine à neutra parte semper stetissent: ut utrisque animos suos donec debellatum esset, probarent: neque aliud hactenus declarasse, quam id quod amicæ vicinitatis esset, coargui possent. Polliceri nihil aliud adeò deinceps Gelrorum principi & populo Ultrajectino se præstaturos. Super cætera mirari, quòd illi non reputarent secum, quàm infestus Gelri-Ultrajectinique nominis ager reddi ex Amorfortia posset, si vellent in belli societatem discedere. Ad ea Dux benignè Amorfortiis respondit. Nunquam aliud animo suo persuasum habuisse: nec aliò se quàm ad perpetuam amicitiam inclinatum, & vicinitatis jus cum senatu & pop. Amorfortio colendum. Id ipsum quoque suis ordinum ductoribus ab initio inchoati belli mandasse. Verùm ut multa sæpenumero absente principe peccantur, effecturum se, ut primo quoque die ipsis fundorum suorum coloni in integrum restituerentur. Qua de re & literas se dedisse ad Ultrajectinos, ut quemadmodum edixisset, facerent, si Amorfortii prius agros & prædia sua in indicem conjecta, ut dinoscerentur in posterum, exhiberent. Nihil illi morati, scripto ea Ultrajectum transmiserunt: quare aliquanta pars pecoris colonis illico est reddita. Hac prospera re Langianorum militum excitatus Arnoldus Faber, tertiæ cohortis ductor, ad parem fortunam tentandam, Driebergam (episcopi ea tum villa erat) cum expedito exercitu eam depopulaturus proficiscitur. Erat in eo exercitu gregarius, seu lixa verius, famulus cujusdam Gerardi Eccii, è nobilitate Ultrajectina, neque armis ferendis aptus, neque ad militaria munèra obeunda maturus: adolescens impuber adhuc, cæterum indole feroci, & truci ingenio supra ætatem. Hic officii causa exorato hero, agmen expeditus sequutus fuerat. Quoniam autem præda ob incolarum & vici tenuem fortunam non magni nominis contracta, non operæprecium visum fuit diutius ibi castra habere: simul quia periculosum ob densati soli naturam erat, per quòd hosti ab Dorestato opportuni fuissent. Quare celeriter Ultrajectum, priusquam nuncius depopulati agri Driebergii Wicam allatus esset, iter occupant. Præcesserat jam agmen ducentos passus, cum lixa, quod agricolæ nullam pecuniam exprimere ad paciscendum secum posset, ardenti manipulo admoto, &

In pago Maersen, Ter Meer, Ridder-hofstede ab anno 1086. Vide supra fol. 74.

1527. Pontanus lib. xi fol. 735.

Amorsfordij queruntur super Populata Emnessa.

to, & villam, & ditissima duo granaria incenderet. Robur & cohortis ductor exorto incendio stupefacti, mittunt speculatores extemplò retro, exploratum qu d rei esset: jubentque autorem patrati flagitii arreptum (mulcta extremi supplicii ab incendio abstinere jussi fuerant) atque equo funib. alligatum, secum in urbem trahi. Rumor incendii in agris tum primum à Gelris missi haud paulo concitatiore cursu Ultrajectum allatus, plus civitatem quàm ipsum hostem conterruit: quod quantum ædificiorum extra urbem & castellorum haberent, episcopo incendiis ac populationibus opportuna forent. Et quod præsagiebat, id opinione omnium celerius statim accidit. Episcopus insequenti incendiorum auspicia nocte, cum quingentis peditibus & modico equitatu ex ostio Leccæ ad urbem accessit: ac copiis in ripa Rheni ad ducentos inde passus instructis, nequaquam Gelrum metuens, manipulares lectos ad suburbana tria incendio infestè vastanda emisit: addito tamen hostili spiritui clementi edicto, ut antequam ignis tectis injiceretur, & omnia flamma absumerentur, quantum pecorum & supellectilium servatam quisque vellet, raptim è domibus auferrent. Dum in tenebris silentio hæc geruntur, pauci, quibus animus ad omnia paratus erat, placidè ad portarum versatiles clathros succedunt auscultatum, num ii qui in murorum stationibus excubabant, suorum adventum fremitu strepituve sensissent. Inde ubi sopitos vigiles, ut in nullo vicino metu senserę, tectis in tribus simul suburbiis ignem injiciunt. Clarum exortum prius incendium fuit, quàm stationarii hostem adesse cognoverunt. Ei quia laborantib. suis, quod hostilium copiarum vis incerta esset, per tenebras opem adferre non audebant, totis mœnibus & turribus tormentorum tonitru eminus fulminatum inde per plerumque noctis in incertum est. Plebs cum armis ad muros adesse, quisque in suis stationibus: religio verò in curiam pontificiam armata exciri trepidè ad omnem eventum jussa est: numerum magis auctura, quàm ad bellandum apta multitudo. Incendio hoc suburbano tota urbe perturbata, præfecti militum, ut fuco aliquo invidiam popularem ob prius datum incendium à se averterent, testarenturque nullo publico consilio facinus patratum, ipsum incendiarium capitis anquirendum publicè condemnant. Nec dubitant, quin plebes, pœna authoris ac spectaculo exaturata, fremitum remitteret. Perventum erat in circum Palatinum, ubi reus judicum sententiis damnatus percuteretur. Ille autem inter triste supplicii ministerium cum semianimis nudatis scapulis in sabuli aggerem ductus esset, lictore ex composito averso, extrahentéque animadversionem, ad circumfusæ militaris multitudinis hortatum recepto animo, ut manibus vinctus stabat, in fugam se dedit: elapsusque nullo insequente in Civici templi asylum evasit. Crebræ inde quotidie eruptiones utrinque in hosticum factæ: frequentes item velitationes, ac prælia multa commissa. Interim secundo mense quàm bellari cœptum esset, ærarium in urbe exhaustum (quia stipendium non persolvebatur) mercenarium militem tam ferocem fecit, ut nec ad contrahenda certamina, nec ad eruptiones in hosticum faciendas induci potuerit. Quare pecuniæ inopia ordines compulsi, D. Marcum Wesium ad Gelrum quindecim aureorum milia mutuò petitum mittunt: pro quibus vicissim illi prædibus ac prædiis omnibus ecclesiastici nominis in ejus ditione cautum est. Wesius nocte (quia interdiu & indicium & occultas hostium insidias metuebat) iter emensus, brevi cum pecunia domum, præsens gaudium & civitati ob direptionis metum, & militi secum ferens, rediit. Noluit autem factio locupletioribus, qui oneri ferendo essent, circa initium belli, ut tutius id traheretur, nevé eorum animi à se alienarentur, aut ad novas res excirentur, stipendium imponere. His Dorestatum allatis, episcopus, cui animus ad obsidendum Gelrum per hæc additus erat, cum sexcentis peditibus & centum equitibus impedimentisque pridie Iduum Septemb. ad urbem movit; & quidem clara luce: occupavitque cœnobium Pacatę vallis, mille circiter ab urbe passus. Agitabat id autem, si in castris ibi positis perseverasset, ut iter aditumque Gelro intercluderet, néve commeatus è Batavia in urbem portarentur. Et apparebat hinc ab ortu, inde à meridie in Leccæ ripa insessis itineribus id facile futurum. Ne Gelrus receptum], cum videretur, in urbem, aut ex urbe Arenacum haberet, statim quàm locum castris occupasset, à fronte lapidibus stratam viam transversam perfodit. A tergo verò, ob difficilia accessu palustria pascua, minus tormentis admovendis & equitatui apta, nihil erat, quod periculi ab hoste metueretur. Rumore de hostium adventu & capto castris loco per quosdam ex agris trepidè in urbem allato, cum vanum unum id de duplici eorum numero sparsum inter cætera esset, claudi extemplò portæ jubentur. Et quanquam eorum accessu nihil auxiliares Gelri perterrerentur, metu tamen ne præsidium in ipsis propè portis statim inchoatum intra biduum ita muniretur, ut inde exturbari nequirent, & utrinque arcta obsidione

Incendia miscentur.

Pontanus fol. 735.

Ultrajectum obsidetur ab Episcopo. Monasterium Vallis Pacis. Vredendael à Werenboldo de Busscop institutum: anno 1419. Canonicorum Regularium ordinem suscepit.

ſidione preſſi ; fame rerumque inopia turpiter ad deditionem compellerentur, tumultuosè cum tormentis Albana porta erumpunt, occurruntque hoſti ad portam cui ab operis urbanis nomen eſt, trecentos ab urbe fermè paſſus. Conſtitere intra portam & proximum pontem tuti à globorum jactu, dum pauci cum levioribus tormentis emiſſi, hoſtem ad velitandem eminus laceſſerent. Epiſcopus nihil moratus, & ipſe manipulares ad provocandam pugnam Gelro objicit. Stataria autem fuit nulla, ſed procurſando refugiendoque per paſcua inter leproſorum ædes & objectam portam, Parthorum ac Numidarum more invicem procul ferire, ſimulacrum velationis præbere. Nec ſtabant interim copiæ utrinque ocioſæ. Illæ enim gravioribus in regiam adductis viam ſclopis infeſtè invicem ex intervallo inceſſere. Cæterum quia mutuus conſpectus per intercapedinem extra globorum fermè jactum erat, & utraque acies ita inſtructa ſtabat, ut neutra ab altera nec à tergo, nec à fronte lateribuſve vulnerari poſſet, (nam hi portæ mole velut vallo objecto, illi ſylvæ denſitate tuti, certaminis ſpectatores erant) nox imminens procurſatores ad receptum utrinque compulit. Ab neutra parte clades illa accepta fuit. Habebat hoſtis intra cœnobii pomœria ſua caſtra, equitibus Gelrorum inacceſſa. Statuit Martinus Roſſemus militum Gelrorum Tribunus per prata, à tergo caſtris circumjecta, cum omni pedeſtrium copiarum vi Epiſcopum, utcunque caderet, adoriri. Quare ea nocte impedimenta, & campeſtria tormenta, pulverem tormentarium, crateſque expediri apparariq; juſſit. Mane ingens coorta nebula, caligine denſa cœlum obtexit: quam paulo pòſt tempeſtas ſequuta, conſilium diſcuſſit, ac Gelrum intra muros continuit Eodem die mulieres aliquot Ultrajectinæ in itinere ab hoſtibus intercipiuntur. Quæ de urbis ſtatu, deque auxiliariorum numero interrogatæ, ubi ea quæ fando domi audierant, fideliter expoſuiſſent, nulla neq; contumelia neque ignominia affectæ, quò ire cœperant, dimittuntur. Nocte inſequenti duas molas injecta flamma ad Albanam portam in Gelrorum conſpectu manipulares aliquot corrumpunt. Roſſemus variis curis animo agitatus, qua arte ex loco ſuapte natura munito ſine ſuorum clade hoſtem ſubmoveret, ludibrio rem cum Duce ita aggreſſus eſt. Dux fictitias literas ad Roſſemum in hæc verba ſcripſit: Se ſequenti die paulo ſub exortum ſolis cum quatuor milibus armatorum, & mille equitum, ad Biltam adfuturum: ipſe interea quantum copiarum in urbe eſſet, expeditum ad invadendum à tergo ſecurum hoſtem ſilentio portis educeret: ſe verò circa adverſam portam cœnobii eum invaſurum. Has literas callidus princeps & gloria militari clarus cum hujuſmodi mandatis tabellario tradit, ut ex compoſito in hoſtium ſtationem intercipiendus cum literis diverteret: ut iis lectis, hoc dolo pavor hoſti injiceretur. Erat tamen in urbe perſuaſio talis, ut ſeriò id futurum fuiſſe autumarent. Haud feſellit Gelrum ars ſua. Nuncius ex induſtria in ſtationarios illapſus excipitur. Literæ extortæ, & ad Trib. delatæ, illico inter initimi conſilii primores duces, rerum conſiliorumque quæ Gelri inter ſe agitarent, cognoſcendorum avidos, recitantur. Et quanquàm de novis copiis conſcriptis nihil allatũ eſſet, vanis literis tamen habita fides effecit, ut ſeriò extemplò ad vaſa conclamaretur. Rati fugam occultò futuram, impedimenta cum bellicis machinis, ne à Gelro præverterentur, diluculo Doreſtatum præmittunt. Timorem vanum ſequuta eſt fuga effuſa inordinataque agminis, haud perinde metu, ne è proximo à tergo carperentur, atque ne novarum copiarum occurſu à fronte ſimul & à tergo circumventi, memorabilem cladem ad internecionem uſque acciperent. Gelrus cognita per exploratores effuſa ſine ordine hoſtium fuga, paucis in urbe præſidio relictis, fugientes equitibus immiſſis aſſequuntur. Fugientium poſtremo agmine turbato, verſis equitibus pontificiis in Gelrum fit ſupra Seſtum equeſtre certamen. Paucis utrinque vulneratis peditum acceſſu, Gelrus receptui in urbem canere compellitur: diremptumq; in hunc modum prælium fuit. Statim quàm relictis caſtris epiſcopus Doreſtatum in hyberna abiiſſet, priuſquam conſilium mutaretur, Gelrus novis copiis quadringentorum peditum urbem firmat: quæ per ſuburbium in hoſpitiis (plebs enim palàm eas tectis recipere recuſabat) ſunt diſtributæ. Cum his ſimul ſupervenit rumor duas cohortes ſecundo Rheno tectis navibus, ut ab aqua & terra in Leccæ oſtio præſidium expugnaretur, indies expectari: Ac ne vanus rumor, coargueretur, quo aures omnium impleverant, omnia, quibus ad demoliendum quatiendumque præſidii vallum, & foſſas obruendas opus eſſet, crates atque ſcalas item apparant: commemorando accitos plures equites Iuliacenſes. Ipſum adeò Ducem tantum auri propediem, quo bellum traheretur, adportaturum, ut eo Epiſcopus & ejus frater Palatinus vendi poſſent: hac perſuaſione multitudini obſidionis & famis metum ademerunt. Et quia jam exacta æſtate autumnus ſerus erat, ut hyems jam appeteret: qua pluvio cœlo, ad oſtium Leccæ tormen-

Velitationes Epiſcopi cum Geldrenſibus.

Martinus Roſſemius Tribunus militum Geldrorum: cujus effigies & vitæ exitus apud Pontanum extat fol. 866.

tormenta gravioris generis per præpingnem viarum rotis hærentem & gleblosam terram adduci nequibant, multos sumptus supervacaneos fecerunt. Inter hæc media consilia, ne quid temporis remitteretur, Langius in Schalcuicanos profectus, inde magnam hominum ac pecorum vim præ se egit: à quibus paulo antè episcopus pecuniam quoque stipulatus fuerat. Et hactenus quidem Gelro sua societas cum Ultrajectinis impunè fuerat: cum episcopus animadvertens sibi necessaria in utrumque hostem arma sumenda esse, transmisso Rheno partem Batavorum insulæ pervagatus, incendio populationibusque omnia devastavit: stipendiariis Mauricanis, Rysvicanisque factis, præda onustus Wicam rediit. Nec Ultrajectino quidquam jam præter suæ ditionis vicos reliquum erat, & eos quidem paucos, unde stipendium ad bellum, ne hostilia sentirent, stipularentur. Consultabatur interim de circumsidendo hostium præsidio. Sed obstabant multa, quibus id quod agebatur, ad exitum perducere non poterant. Anni tempus, quo sub pellibus miles habendus erat: vires infirmiores quàm quæ ad obsidionem sufficerent: suspecti plebis animi, ne urbe egressis præsidiis nudata portæ clauderentur. Tentandum omninò tamen erat aliquid, ne vel militum animi bello desueti, Luxu Ultrajectino frangerentur. Cæterum ut defectionis securi in hosticum cum omnibus copiarum, quas intra extraque urbem habebant, viribus ex urbe tutò moverent, callidum consilium in speciem plausibile repertum est. Decreverunt ex omni sagittariorum sodalitio, quod ea tempestate ex opulentia pleraque urbis conscriptum erat, trecentos selectos, obsidum loco secum, suspicionem dissimulantes ad obsidionem abducere: & hi ipsi, ex operis, quos videretur, binos sibi allegerent. Ubi verò id detectum in vulgum promanavit, fremitus tota urbe multitudinis exortus est, indignantium, vociferantiumque, hascéne esse copias terrestres navalesque, quæ à Lecca hostem circumsiderent? Hoccine illud auri, quod à Duce in belli usum adveheretur? scilicet ut ad cædem & obruendas corporibus suis hostium fossas destinarentur? Adeò tota multitudo cum episcopi esset, quia propter obsides adductos nihilo tutior à defectione urbs videbatur futura, abscissum id consilii fuit: ne quemadmodum Ultrajectum Gelrorum facta fuisset, rursum sub nutum ditionemque Episcopi perveniret: ut solent nimis callida consilia eventu rerum tristia, mortales plærumque fallere. Versi inde ad operas conductitias publicas, & bajulorum plebem, fossoresque, quorum ministerio in castris ponendis, & ad alia quæ laboris majoris opera erant, pro lixis uterentur, vix invitos restitantesque factionis odio, addito edicto, fossoriis instructos armis secum urbe extraxerunt. Equitum præfecto cum ducentis equitibus ad occupandum opportunum castris locum præmissio, pars aliquanta urbi præsidio relinquitur. Equitem Dornam iter habentem (nam Wicam oppidum haud perinde loci situ aut laboribus munitum, præter imminentem arcem episcopi sedem, mutato consilio prius circumsidere parabant) cætera multitudo peditum subsequi jussa, in Ameronga illi se junxit. Viginti fortè equitum Gelrorum ad eliciendum hostem Wicam propè evagabantur, relicto à tergo in insidiis cætero equitatu. Fredericus Seldenackerus episcopi equitum Magister cum una turma Gelro, nihil moratus, subitò patefacta porta occurrit. Gelrus ex præparato quasi viribus impar, prælium detrectans paulatim cedendo, hærentes in tergo episcopios, in locum insidiarum pertraxit. Ibi à tergo Gelrorum insidiæ exortæ, & multitudine & clamore ingenti, hosti inopinata re perterrito pavorem faciunt. Itaque quamvis ab oppido exclusi, in hostium undique potestate erant, acerrimum tamen, si quo pacto per confertum ordinem erumpere potuissent, prælium edidere. Aliquandiu tentato certamine cum pauci hostium impetum, septi undique, non ferrent, neque fuga elabi possent, Gelris se dedidêre. Præfectus equitum cum paucis inter dimicandum per confertos hostes statim post contractum certamen in apertum dilapsus, armis in fossam occultam abjectis, ut ad fugam expeditior esset, equo Wicam per Lambrocam se abripuit. Duo deviginti capti, & Ultrajectum abducti, lege militari multantur, dimittunturq;. Mox paulo mutato rursum consilio aversis itineribus VIII. Cal. Octobris Leccam cum pedestribus equestribusque copiis Gelrus petit. Et quia nocte iter illud emetiebatur, ignes ex composito è speculis, maximè turri Dorestatiana ab episcopo iis editi sunt, qui in præsidio ostii erant. Hi ubi hostium adventum sensere, adeoque jam intra teli conjectum esse, mane horas aliquot tanto fragore ac vi tormentorum tonitruis fulminarunt, ut fumus in nubem coactus Gelris præsidii omnem prospectum, post clarum incendium longumque, ademerit. Rossemus omnium Gelrarum copiarum ductor, vixdum positis castris, ne hyberno cœlo inceptum occuparetur, extemplò militibus in concionem advocatis (præmiserat jam exploratum, quà minimo periculo præsidium oppugnandum adiri poterat) ita dicere exorsus est.

Calli da consilia plerumque fallunt.

Oratio M. Rossemii ad commilitones.

Nisi hyberni cœli intemperies appetens, commilitones fortissimi, mihi necessitatem maturandi consilium destinatum imponeret, nunquam hodie vos ad expugnandum hostis, quod in conspectu est, præsidium educerem: cum alioqui ne ocio marcesceretis, laboresque militares leviores vobis forent, in castris vos exercere liceret.

Militum vox huic adversa.

Vix hanc periodum orationis absolverat, cum clamor ingens sibilum militarem sequutus, parantem haud quaquam tempori convenientia, dicere, exploderet,

Exposcentiũ debitum prius stipendiũ numerari: cujus persolvendi spe, urbe egredientes, Persicos montes pollicens, impleverat. Idnè eum agere, ut postquàm agmen vana spe lactatum, blandimentisque ex hybernis extractum, in castris habeat, pro stipendio speciosa verba adnumeret? lanienæ hostium objiciat? Majorum denique more menstruum stipendium pro subeundo expugnationis periculo, certatim dissonis clamoribus postulare. ad hæc in sex menses autoramentum addici. Ac tum demum ad jussum exequendum, loca ac vices se sortituros.

Rossemius à militibus desertus.

His autem fremitibus cum personuisset undique clarum concio, Langius cum sua cohorte sacramenti religione exolutus, ad Galliarum regem, qui per id tempus arma contra Cæsarem parabat, ipse seditionis author transiit. Cum quo se conjunxit illa cohors, quàm postremùm conscriptam in supplementum, paulo antè in suburbano per hospitia distributam fuisse dixi. Hac defectione militum Rossemus animadversa, viribus suis diffidens, priusquàm hostium inopinato impetu opprimeretur, castris relictis, reliquias copiarum infecta re in urbem reportavit. Nec fugerunt per hæc apertam suggillationem. plebs enim tota urbe collecta, redeuntibus ad portam turmatim obviam processit, gratulataque egregiam de infirmo hoste victoriam, quem se difflaturos insolenter jactitarant, percontabatur ubi opima spolia episcopo detracta reliquissent. Ludibria passim exaudiri occinentium, Gelrum, apparatus armorumque terrore tantum bellare: haud perinde manus in præliis vigere, atque linguas haberent minaces, & insolenter temerarias. Episcopus triduò quàm hæc acta essent, ne quid commeatus Vechta amne ex Hollandorum civitatibus Ultrajectum portaretur, arcem Vrelandiam in fluminis ripa propè sitam, sed ruinis ob vetustatem, & bellorum varias tempestates desertam ac deformem, impositis præsidiis firmare aggreditur. Fuit autem id præsidium olim, nulla vi propè expugnabile, ob parum densati circa soli pascua, maximè autem hybernis mensibus, inundatione excurrentis alveos suos fluminis irrigua, Henrici Viandensis episcopi opus ibi adversus vim ab ea parte Hollandicam positum. Multos inde ab episcopis neglectum annos (ut multa alia, adversus vicinorum principum incursiones condita: præcipuè autem Gildenburgum in ostio Leccæ ab Anoldo Hornensi collocatum) vetustate collabi, ab aliis dirui inde laterum inopia in fundamenta postea cœptum. At postquam ditio sub Hollandorum jus atque imperium transiit, reliquiæ vetustarum ruinarum Ultrajectum à fundamentis subrutæ, ad arcem Vredenburgum avectę fuerunt. Hujus ruinas itaque tunc, ne ab hoste impetu transcenderentur, tumultuario opere episcopus munivit. Ad illum ab opere, antequam absolveretur, disturbandum, Dobbelsteinus cum cohorte una & levioribus machinis profectus, nocte exploratorem emisit speculatum, quantæ profunditatis circumducta fossa esset, quam sudam fuisse persuasus antea fuerat. Cæterum noctis silentio re multo aliter comperta, postquàm audivit stationarios adventum suum præsensisse, inordinatè effusos in fugam suos, metu ne per tenebras carperentur, (id quod episcopiis haud factu difficile fuisset) in urbem reportavit. Per hos dies Episcopus ex ostio Leccæ in Batavos rursum transmisso amne movit, latéque eorum agros vastavit. Unde præda omnis generis parta, Dorestatum compulsa fuit. Non desedit Gelrus, hostium transitu accepto in urbe: quanta potuit celeritate transgressum subsequitur. Sed post quàm Taislicam, ubi trajectus est, pervenere: offendunt pontones in ulteriorem

Vredelant. vide Bekam fol. 85. & 90. Hedam fol. 214. & ibi D. Buchelium.

Gildenburgum: quod Bastiliam vocat Basinus, de eo Io. Gerbr. Leydanus lib. 31 c. 23. & seq. Dobbelsteinius episcopo resistit.

teriorem ripam, ne iter à tergo intercluderetur, de industria subductos. Spe fluminis trajiciendi frustrati, ne spiritus ferocia relanguisse viderentur, à cœpto itinere in Leccæ ostium ad lacessendos præsidiarios in pugnam, divertunt: sed frustra eorum consilium fuit. Nam ii qui in præsidio erant relicti, pauci illi quidem, sed delecti, tutius rati, id armis de vallo tueri, quàm invadendum, si ad velitandem longè numero impares occurrerent, hosti patefacere. & quidem omnibus præsidiis nudatum, machinis eum retro submoverunt. Erat autem belli negotium in hoc statu. Cum Ioannes Dux Clivensis, vir pacis artibus nulli principum per eam tempestatem inferior, cuilibet verò superiorum facile par, per Palantum præfectum regni hæreditarium è principis utriusque sententia efficeret, ut datis in octo dies induciis, ad agendum de reconciliatione & pace, Huessenæ conventus civitatum ditionis Ultrajectinæ superæ inferæque, & principum amborum haberetur: ipse cura reconciliandi in gratiam utrosque, disceptator sumptus, quod posset, controversiam dirimeret. Conventui verò dies indictus est quintus Cal. Novem. ac fides publica huc per eos dies ultro citroque commeantibus data: ne quis periculum causatus, disceptationem de reconciliatione pacis, si ea coiret, discutere potuisset. Venerunt ab Vltrajectinorum episcopo legationes Iacobus Mindenus, & principis à scriniis proximus Archigrammateus. Transiselani ad mittendum quoq; huc legatos (quia id consilium, ipsorum non minus quàm civitatum aliarum referebat) rogari ab episcopo, ex equestri nobilitate & singulis civitatibus oppidisque legationes miserunt. Oppida item inferæ ditionis, Amorfortia, Wica, & Rheni, quæ in fide adhuc erant, & partim extra belli etiam societatem, in principis sui gratiam è primoribus senatorii ordinis suos legarunt. Adfuerunt & à Gelrorum Duce. Ex ordinibus autem Vltrajectinis D. Æmilius Niveldius Decanus basilicæ D. Martini, Gerardus Sukerodius Decanus ad Servatorem, D. Marcus VVesius, D. Fredericus Regius. Ex equestri autem gradu, Ioannes Renessius, Ioannes Huchtenbrochus, equites aurati. E senatorio ordine, Adamus Diemenus Consularis, & Gysbertus Cluetingus convenerunt. Hi sub noctem profecti, episcopi insidias, quæ vano rumore ad montem temere nunciatæ fuerant, veriti, ab equitibus centum Arenacum deducuntur, postquam ventum est eò, legati in sua quique buleuteria (sic enim vocantur loca consiliis designata) concessêre. Primum legationes civitatum atque episcopi in concilium, ubi viri regni consulti ad cognoscendum causam consederant, introducuntur. Erant autem ex intimo consilio ad id lecti, Archidiaconus Clivensis, Palantus præfectus, ejusque frater: ac præter hos unus & item alter. Ibi Archidiaconus altius exorsus, acta per episcopum Trevirensem disceptatorem & alia in quodam Husseno conventu, de fœderis legibus inter Gelrum & civitates episcopumque Vltrajectinum exposuit, ita orationem pertexens, ut æquior Gelris quam par erat, & obliquè fœderis violati culpam in civitates transferre videretur, ea ratione illas fortasse ad dandas accipiendasque tolerabiles pacis conditiones perculsurus. Finis autem orationis hic fuit, ut expromerent, si qua via æqua pax sarciri, omnis belli apparatus discuti, ditiones ab eversione conservari possent. Remittendum esse utrisque aliquid de suo jure voluntate: quod armis extorqueri non posset. Nullas inimicitias tam graves, nullumque tam atrox bellum arsisse, quod non æquis bonæ ac justæ pacis conditionibus potuisset componi. Quare cum ambo populi in spem pacis essent intenti, darent nunc operam, ne tam ad verbis disceptandum, quam studio finiendæ controversiæ convenisse viderentur. Ad ea cùm parcè respondissent legati, è concilio digressi, post moræ paulolum rursus intrò mittuntur: adhibenturque & Gelrorum Ultrajectinorumque legationes. Tum legatum episcopi ad hunc modum dixisse accepi.

Æquis conditionibus vel atrocissimum, bellum componi posse.

Oratio Legati ad disceptatora pacis.

QUod precatus est episcopus Henricus à Deo Opt. Max. eo die, quo armatus auspicatò inaugurandus urbem ingrediebatur, lætor id exponendi occasionem vobis, pacis conciliatoribus, viri regni Clivensis consultissimi, mihi hodie datam: præcipuè verò injurias querendi, quàm inviti in hoc bellum nullo nostro merito, nullo consilio tracti sumus, & à quibus belli initium sit ortum. Precatus autem fuit, ut quemadmodum ad arduam provinciam gubernandam Coloniæ exitus esset, mens principe digna inter ignotam gentem, daretur: ne melio-

rem amisisse quàm creasse dicerentur. Ut in id sedulò anniteretur, ne quem læderet prior; aut ad vim provocaret: pacem & ocium ac tranquillitatem infera ditionis pro viribus non solum tueretur, sed, quod posset, ad magnam gloriam & opes etiam proveheret. res in Transiselanis amißas, recuperaret: turbatos componeret: deniq; nullum locum socordiæ, quoad ecclesiæ rebus præsideret, aut ignaviæ daret. Hoc votum utinam obtinere potuißet, florentißimæ ditioni difficilis collatio certè fuisset. Sed numen magno luxui & summis opibus obiratum, non modo non audiit, sed statim in rempub. Ultrajectinam, facem intestini tumultus penè inextinguibilem immisit: ut nullus ferè locus sit in nostro orbe tam obscurus, ubi ejus flamma non sit conspecta. Malum inde episcopatus principium, hoc est intestinum malum, pejor exitus excepit. Sequutum est bellum funestum, quod nunc habemus. Quod utinam vobis reconciliatoribus componatur. Cujus inchoati culpa quoniam paßim in nos ab hominibus Gelri Ultrajectiniq; nominis confertur, apud eos qui negotii hujus ignari sunt, fit ut ab hoste stent, & nos concitati belli nomine male audiamus: ac nobis parum propitii etiam ii sint, qui volunt ac debent esse æquißimi. Exponam igitur breviter, à quibus prius ortum sit bellum, & illatum, ut testimonium nos justa in hostes arma sumpsisse, apud vos, ut pacis reconciliatores extet: neque priores laceßivisse, sed illatum, jure gentium avertisse. In fœdere, proximo bello, quod Gelrus cum populo Transiselano geßit, ab episcopo Trevirorum, sumpto ad id disceptatore, ita expressum tabulis ea de re confectis fuit, ut Gelrus omnibus oppidis & castellis Transiselanis, quæ tum tenebat, præsidia deduceret. Et in spem in perpetuum firmandæ pacis, deinceps à præsidiis & civitatibus, quæ ecclesiæ Ultrajectinæ eßent, abstineret: nullum unquam jus sibi in ea usurparet: præter Groningam. Hæc pacta jurejurando, teste numine, & tabulis scriptis rata esse jussa sunt. Rursum, ne ille arbitrium Trevirorum principis ut iniquum rejiceret, sed id damni vicißim pensaretur, Ultrajectinus episcopus invicem Gelro quinquaginta aureorum milia pro redditis posseßionibus persolveret. Numerato itaque argento, deduxit præsidia, restituit omnia è fœderis pactis. Sed quid cum hujusmodi agas, qui neque jus novit, neque fœdera sancta habet: apud quem nec fides ullum dignum famæ laudatæ precium obtinet? Spes nos, minimè insidiarum perfidiæque suspicaces, ita securos, ac propemodum sublatis pedibus altum stertentes habebat, ut conversi ad intestinum incendium extinguendum, cœlum citius ruiturum existimaremus, quàm is fidei religionem,

Belli Ultrajectini causæ.

Pontanus fol. 722.

Barbarii fides sacrosancta.

gionem, etiam barbaris sacrosanctam, violaret. At quantum nos fefellit Carole, nostra de te existimatio & securitas. Rebus domi utcunque jam ex sententia compositis, ex præparato Ultrajectum occupavit, Hassaliam in Transiselanis per proditionem cepit, bellum nobis intulit: vicos Ultrajectinæ ditionis, imposito stipendio in tres menses exolvendo, tributarios sibi fecit: villas, horrea cum magni precii frumentis, ferro & incendio populatus est: agros abducta pecorum hominumque ingenti multitudine, hostiliter vastavit. Hæc cum ne verbo quidem tactus prior patrasset, præsul ad bellum vicißem se armare, & effusè omnia vastanti objicere adactus fuit, magis ut suos ab hostili incursione, quam ut se ab injuria vindicaret. Ad hæc si quid habet, respondeat, quare res nostras repetimus: deducat ex Ultrajecto quantum armatorum ibi habeat: decedat urbibus & oppidis: reddat ablata. Quantum damni utrinque datum est, arbitrio principis Clivensis æqua fiat existimatio. Pacem petimus cùm utilem, tum utrique bonam. Religio fidei sacrosancta.

Et episcopi quidem legatus in hæc verba loquutus est. Gelris inde Ultrajectinisque legatis, ubi ille dicendi finem fecit, potestas dicendi, quæ vellent, facta est. His submotis paululum ad colloquendum è concilio, ac mox rursum introductis, Gelrus facto silentio, ita dicere exorsus est.

SI perinde id quod principio episcopatus Henrici utiliter per Trevirum expressum fuit, ut ab injuria utrinque abstineretur, & nos intra ditionis nostræ pomæria vos contineremus, servatum fuisset, bellum profectò nullum haberemus: pax fida, quæ triennium fuit, nunc quoque inter principes integra, sarta tectaque esset. Sed cum in exaggerando perfidiæ crimine, quod in nos congeris, sis immodicus, satius esset causas prius, cur huc rerum sit perventum, excutere, quàm nos apertis criminationibus violati fœderis magno spiritu, & nullo ore temerè accersere. De præsidiis equitum peditumque Ultrajecto impositis, de capta Hassalia, adde & populationes vicorum, & conflagrationem unius horrei: constat factum. Sed jurène, an injuria, quibusque de causis hæc patrata sint, tum ad quos pertineat res, id in controversiam venit. Nec hoc in negotio velim nobis fraudi esse, quod vulgari joco de nostra fide, tantum non Punica jactetur: cum ne vobis quidem id, quod de ipso episcopo fertur, quicquam prosit. Pacis arbitrio Trevirensi permisso, ab eo ita expreßum fuisse, non nego: & paruit Dux lubens, propterea quòd multa de injuriis voluntate in gratiam reconciliatoris excelsi viri remittere decrevisset: simul quòd bellando fatigatus, utrique regno ocium restitutum mallet, quàm ulterius cædibus Oratio Geldrensis Legati. Injurias remittere, excelsi animi.

multoque sanguine ditionis suæ pomœria propagatum iri. Sed ne tam iniquum quidem visum fuit fœdus, ut non facile passus sit illi se alligari. Dissoluta ab episcopo expressa pecunia, deductis illico præsidiis, omnibus oppidis & castellis cessimus: & quidem ob id tanto celerius, quanto hostium, si quid cunctati fuissemus, majori calumnia prægravabamur. At in iisdem pactis positum quoque fuit, quod tu haud scio callidène, an per imprudentiam suppressisti: certè ut omnem culpam concitati belli, violatique fœderis speciosè in nos transmoveas. Positum autem simul in eodem fœdere fuit, (sic enim sperabatur, increscentem in posterum malevolorum audaciam coherceri potuisse) ut à conviciis in nos & dicacitate populus Svvollanus deinceps temperaret: ut est ad maledicendum & scommata jactanda, quàm ad benigniter loquendum pronior. Factis enim dictisque inimicorum juxtà principes læduntur, & ad arma provocantur. Utque pax perpetua vindicaretur, legibus in conviciatricem linguam animadverteretur: supplicium ad reos, exemplum ad universos perveniret. Quod quidem utrum exequuti estis tum, an à nobis nnper prius rupta sint pacta, querimoniæ Ducis ad episcopum & Svvollanos delatæ, indicio extant. Svvollani, veteri statim à percusso fœdere, odio nondum exuto, feroces spiritus continere non potuerunt. Plebeii quidam, quos Svvollæ vix natos norant, nullum petulantiæ genus in principem nostrum prætermiserunt: & quidem impune. Querimonias per legatos ad senatum delatas pro ludibrio accepistis, tantum abest ut ad pœnas è fœdere eos depoposceritis. Svvollanos nunc appello. nam horum & peccatum & causa ad universos attinet. Additum item fuit reconciliationis pacto, ut exules, qui ob Gelri nominis sectam in fugam acti fuissent, extemplò in integrum restituerentur: decretum fieret, ut ædes, fundi, bonaque omnia ipsis adempta, redderentur. Qua fronte vos audetis, datæ occasionis ad bellum suspicione à vobis aversa, nos perpetratæ pacis violatores, ad execrabile odium usque appellare, & damnum pensari poscere, res ablatas repetere, cum ista nec refellere nec refutare possitis? Super hæc Ioannem quendam Goyerum, conventus habiti die vixdum exacto, hominem Gelro nomini amicum, arreptum in carcerem duxistis. Interea dum ibi pedore squalens per multum temporis computrescit, longa consultatio vos de eo percutiendo tenuit: illius capite scilicet fœderis auspicia, quasi porco mactando consecraturos. Miror vos in eam inverecundiam adduci, cum hæc ita sint, ut adhuc commentum istud nobis vos probaturos speretis? Quare cum constet à vobis materiam belli exortam, nihil profectò est

Dicacitas quantum malum.

Reorum supplicium, exemplum omnium.

est quod

est quod dicatur amplius. Quod vero de occupato Ultrajecto objicitis, sic accipite. Censeo cum his agendum, (Vltrajectinorum legatos monstrans) *quam obrem ordines episcopum excluserunt, & ad tutandam contra vim urbem equitum & peditum auxilia suis impensis conduxerunt. Eam per nos recuperare ab ordinibus licet, si queatis. Nec plus hoc belli negotium ad nos pertinet, quàm Gallicum bellum ad Ducem Clivensem, cum ad stipendium faciendum ex ejus ditione illò manibus prompti equites accersantur. Nec debet id tam agrè ferre episcopus, quòd Dux patiatur, suos, cum nullum ipse foris habeat bellum, ne armorum desuetudine & ocio elanguescant, alibi stipendium facere: cum si ipse prior eorum opem ad bellum promptam proposito stipendio implorasset, haud gravatè permissurus fuisset. Id quidem sic esse, vel illud coarguat, quod ipse, posita, quod ad se, armorum cura, in urbe nondum fuerit: licet vos pro hostibus eam habeatis, totamque ejus penè ditionem ad paciscendum, ne hostilia patiantur, compellitis. Quod vero ad Hassaliam, nihil est quod agatur, si unum illud dicam, talionem esse justam, quemadmodum vos homines intemperantia linguæ maledicæ in Ducem invectos non arripuistis, ut in fœdere pactum fuit: adhæc nostros amicos contra fidem priores læsistis: vicos Bataviæ pòst gravi stipendio imperato vobis tributarios fecistis: sic captum talionis jure oppidum, quasi pignori oppositum ita tenere stat sententia, ut bello nisi coacti, nos non interponamus. Petimus quoque concordiam, & utriusque ditioni pacem optamus: sed damnum datum, & contumeliam acceptam, per arbitros pacis, ut medios decet amicos, digna æstimatione pensari postulamus. Quod ni fiat, nullæ pacis conditiones erunt.*

Quare Equites Clivenses Gallo auxilientur.

Hæc Gelrus. Quoniam utriusque oratio vehementior erat ob mutuum conspectum, quàm ut pax expectaretur, visum fuit senatui Clivensi, colloquium in posterum diem ita rejicere, ut unaquæque legatio separatim ab adversariis arbitris audiretur. Itum itaque est in eam sententiam ab omnibus. Postridie Ultrajectinorum ordinum legatis coram Clivensibus seorsim datum est concilium. Horum autem prima, adeoque ferè tota oratio fuit, beneficia & merita in episcopum per triennium commemorantium: plus effusæ benevolentiæ, plus studii in eum unum se cumulatè collocasse, quàm majores suos, in universos, si in unum locum coacti essent. Egenum in episcopatum penè ascitum, ac propemodum precio emptum. Cum reliqui competitores haud sine ambitu, rescissa ditionis pomœria se sarturos suo ære, nullo Ultrajectinorum impendio promisissent: illis repudiatis, Bavarum creasse: ac statim ipso penè inaugurationis die quinquaginta aureorum milia, communiter ditione pendenda, quibus amissa oppida & arces à Gelro redimeret, decrevisse. Ortam inde propter hanc pecuniam, antequam conficeretur, atrocissimam civilem seditionem: quam tertio vix anno, cum totius nominis Ultrajectini ad internecionem usque periculo, restinxissent. Media urbe se cum amicis eorum, quos ipse jam dudum cum assensione populi exules esse in perpetuum jusserat, conflixisse, & quidem fœliciter: neque sine sanguine eam de cive victoriam stetisse. Paulo pòst eum ad ordines retulisse de præsidio in urbe erigendo: aut, si id obtinere non posset, de porta in præsidii formam fossa & aggere cingenda: prætexuisse nescio quem metum ab cive. Compertum

Ultrajectinus Legatus perorat contra episcopum.

mox, eum cum Burgundica aula, absque Vltrajectinorum ordinum autoritate, societatem pactum. Nuper autem ad urbem, cum multiplicibus equitum peditumque copiis accessisse, ut exules hostes urbis, senatus autoritate & populi judicio, suoque adeò ipsius edicto judicatos, in civitatem reportaret: seque, qui ad id temporis usque cum ipso principe rempub. gessissent, vicissim ad cædem destinatos. Quare se clausisse illi portas. Misisse extemplò circa eum legationes alias super alias, ut iis quibus venisset copiis externis, à se amissis, à quibus metuebatur, ne quid vi ageretur. cũ equite familiari urbem ingrederetur. At æqui nihil exoratũ. Exorsum inde, conscriptis majoribus copiis, eũ esse bellũ: atq; undiq; intercluso cõmeatu in urbem, infestas copias ad mœnia admovisse. Nihil ad postremũ hostile cum prætermitteret, perpulsos ordines fuisse, equestres pedestresq; copias cõtra incertã vim suis impẽsis (quia nihil satis tuti usquã erat) raptim cõtrahere. Accivisse autem equites, qui sanguine ac propinquitate pleramque nobilitatem Vltrajectinam attingerent: quos ut sibi fidissimos fore confiderent, ita eos dimittere, sibi, cum videretur, liberum fore. Nullo fœdere diu se Gelro alligatos: abnuisse, ne secum adversus episcopum arma caperet. Et ne hæc, tanquam inanis sonitus verborum, vana coarguerentur, non recusare quæcunque imperari possent, si ea hostis refutaret: imò voluntate ab armis se discessuros. Apparebat cum gratia coram concilio, quod nihil absurdi habuisset oratio, eos pro se respondisse: & eo magis, quod ob Gelri amicitiam, æquiorib. aurib. iis favebant. Intromissis sub ea episcopi legatis, ubi Vltrajectinorum orationem totidem verbis exposuissent, jussi sunt ad ea, si qua haberent, invicem dicere. Tum ad ea legatorum alter. Non ignorabam, inquit, Vltrajectinorum verba speciosa magis fore quam vera: ut quorum oratio præparata sit semper, translata culpa ad purgationem. Neque id novum mihi videtur, cum mos is genti huic sit, orationib. in speciem verisimilib. & blandis magis, quam ad probandum adversariis præsentibus, in concionibus apud rerum ignaros apparere. Sed multo vehementius mirabar, quid sibi vellet eorum tam numerosa legatio: quæ quidem nihil aliud præ se ferre videbatur, quam quod numero & multitudine superiores nos obruerent cum ea planè ad hunc conventum ociosa sit. Ex quo enim de urbe bellare cœptum est, non cum pop. Ultrajectino, quamvis ab eo belli principium cœpit, sed cum Gelrorum Duce nobis certamen fuit. Sic arbitrari erga vos velim, de Ultrajectinorum rebus me in mandatis nihil habere: ut cum quibus separatim pòst agendum sit: sed huc advenisse, ut cum Gelro, si fieri possit, pacem faciam. Quare in præsenti nihil est quod his respondeam. His semotis, Ultrajectinorum iterum in concilium legationes convocatæ, ubi sensere, se hoc consilio ab episcopo rejici, ut facta cum Gelro pace, ipsius tyrannidi, omni auxilio destituti, ad victoriam exponerentur, vel paucis verbis in scriptum conjectis ea edi, quæ adversus se episcopus potuisset obtendere, petiverunt: ut causam suam & jus, innocentiamque reconciliatoribus probarent. Episcopi legatus paululo ad deliberandum consultandumque spacio sumpto, in concilium reversus, negavit jus agendi cum Ultrajectinis sibi permissum: quare ab hoc conventu eos alienissimos duxisse. Sed quia Clivensis principis dignitas causam illati belli cognoscere vehementer averet, simul & injurias, in episcopum Ultrajectinorum: ne superbiæ id quod jussi facerent, privatæ tribueretur, aut causam parum æquam tueri apparerent, ordine se, gratificandi magis, quàm illos criminandi causa, rerum seriem explicaturos. Pertexuit inde telam historiæ civilis tumultus ad belli externi cum episcopo initium, ejus narrationem ita temperans, ut culpa & fraus omnis prius facti belli penes pop. Ultrajectinum esse palàm videretur. Facto inde perorandi fine, legatus Ultraiectinus vicissim atrociter recriminari episcopum. Sed cum infirma prorsus ejus refutatio esset, protulit in medium exemplum diplomatis, quod è veterum episcoporum more, inaugurationis die, juramento sanctum se habiturum affirmarat: vix sibi à conviciis interdum, ut nimis vehementis expostulatoris ingenium non contineret, temperans. Primum omnium eum superiori anno castellum Meidense Brederodio ademisse, & quidem sine ullo publico ordinum decreto, contra instituta majorum, & diplomatis fidem. Quam temeritatem penè atrox bellum sequutum fuisset, nisi stultum inceptum opinione fœlicius cecidisset. Iam cum se ecclesiasticæ libertatis, & religionis immunitatis vindicem jurejurando, teste numine, fore recepisset, non obscurè perjurum & perfidum convictum esse. Quoniam ipse fidem prior suam violasset, se nulla vicissim religione ad ulla officia exequenda teneri: sed & vano ipsius ingenio impelli posse, ad amplissimum Episcopii munus jure ei abrogandum. Compulisse insuper omne religiosum nomen, remissis plebi oneribus tributariis, ad vectigal de cocto potu pendendum: id quod nullo ævo fando auditum

Vltrajectinorum blandiloquentia notatur à Legato.

auditum esset. Adhæc legem de exulibus promulgatam, & in tabulas relatam, invitis reclamantibusque ordinibus obliterasse. Hæc aliaque id genus magno spiritu criminando, huc denique rem deduxit, has ob causas se coactos sibi consulere: nec in animo esse eum mœnibus recipere, qui restitutis inimicis, bonorum omnium fortunis & capitibus insidiaretur: sed nè fidem quidem ullam pacisci, nisi ex autoritate Clivensium. Atque ista quidem Ultrajectinus præsentibus Gelrorum legatis: hi enim consilia conferebant. Postulatum ab iisdem est, ut episcopi legatus, ne promissis extraherentur, criminationum capita in indicem conjecta Clivensibus traderet. Nihil ille gravatè id extemplò fecit, hac lege illorum fidem pactus, ne Ultrajectinis ea inspiciendi copia fieret, neu (quia cum illis agendi potestas permissa non erat) exemplum petentibus daretur. Responsum ad ea ab Ultrajectino est. Quoniam secum agendi jus permissum illi non esset, vicissim se religione solvi. Sin ille scripto publicè criminationem ad concilium referret, se quoque facturos, ne ad pacem episcopo defuisse in posterum dicerentur. Proposito inde separatim episcopi legato, Ultrajectinorum responso, paululum obticuit: ac mox, Nihil inquit, est quod eadem toties ad tædium usque repetantur: quando potestas, cum ordinibus neque de bello neque de pace agendi, nulla mihi permissa sit: quorum causam à Gelri negotio ita alienam episcopus habet, ut eam sui arbitrii integram relinqui velit. Illud interim ordinibus publicè, ne vos ignoretis id quod ipsi dissimulant, respondeo, ab ipsis prius incendium ortum: quo exemplo adductus episcopus, ferro & incendio vicissim populabundus in eorum agros irruit. Dimisso hoc è concilio, introducuntur Gelrorum & Ultrajectinorum legati. Inter quos Gelrus, ad atrocem de incendio illato querelam, Si id quod privata temeritate & licentia peccatum est, ille publico consilio patratum esse interpretetur, nihil est profectò quod dicatur amplius, (inquit:) sin militari licentia multa sæpe peccari, quæ à publico consilio absint, fateatur, erit in quem autorem vobis æquis arbitris, à nobis culpam transferamus. Lixa fuit, qui Driebergam episcopi villam populatum, cohortem ex urbe absente atque ignorante Tribuno proficiscentem cum esset sequutus: jamque nulla præda graves urbem alii repeterent, solus in vico relictus, granaria injecto igne exussit. Quam ob causam militaris ira statim arreptum, atque in equum manibus constrictis conjectum, in vincula abduxit. Triduo autem pòst ad supplicium incendiarius educitur, utili exemplo, ne quis injussu centurionum temerè deinceps ad urendas hostium segetes tectáve raperetur: sed ut è disciplina militari, imperio parêre assuescerent. Stabat jam arenæ obnupto capite admotus, ut feriendus erat, cum per militarem commiserationem, clamore mixto tumultu exorto, hortantium ad fugam, subtrahentiumque reum, cum judicum fuga, in asylum ille dilaberetur. Cum igitur id publico consilio non factum esse constet, sed privato audacia perditi lixæ scelere, quæso num à nobis rectè primum incendium exuscitatum dici potest? Non opinor. Alioqui in principum capita resiliret, quicquid privatim usquam à naccis injussis committeretur. Desinat proinde id objicere, quod nec nostro jussu, nec à nobis factum sit. Cum circa hæc omnis disceptatio legatorum, quos dixi, verteretur, aliquot diebus altercando magis quàm consultando ad hunc modum absumptis, inferæ ditionis civitatum legati domos revertuntur, paucis relictis, quibus pro magno negotio erat bellum, quod fieri posset, componere: nec inde discedere, priusquàm in formam certam reconciliationis leges expressæ essent. Sed in tanta legatorum civitatum Transiselanarum, & equestris nobilitatis turba, difficile erat pacem reconciliare, aliis aliud postulantibus: quare placuit, paucos utrinque ad colloquium deligendos, quibus ita belli pacisque arbitrium permitteretur, ut ex autoritate Clivensium consilia ad suos referrent. Huc lecti sunt è legatis Transiselanarum civitatum, Petrus Mauvickius, ejusque collega, Coss. Daventrienses. Ex equestribus Ioannes Bockhorstius, & præfectus Vollenhoę. Cum his conjuncti sunt legati episcopi. Erant autem isti in hoc toti, ut ita moderarentur concordiæ conditiones, ne ut parum æquæ ab alterutro principum rejici possent, aut etiam offenderent: ita tamen, ut ipsis omnia adhuc integra forènt, & ad unam communem utriusque regni utilitatem, & cumulum florentissimarum opum cederent. Pacis autem leges exprimi cœptæ in hanc sententiam sunt.

Militaris licentia quam perniciosa.

Omnium primum Ultrajectinus permitteret statim collegam sibi renunciari, quem Gelrus ei diceret: is esset aut Lunenburgensis Ducis filius, annum agens vicesimum secundum plus minus: aut Carolus, ipsius

Conditio Pacis inter Geldrenses & Episcopum Ultrajectinum.

Qui tandem ob mutatam religionem majorum, crescente patris in eum simultate, in exteras regiones discessit. Pontanus fol. 777.

*sius *Gelrorum Ducis è concubina filius, qui per id tempus apud Trevirensem episcopum agebat, natus annos viginti, aut plus paulo.*

His relatis ad alios legatos, interrogatum invicem est, ecquod consilium aut sententia hujus rei esset, ecquæ ratio aut forma administrationis penes collegam foret? Nam episcopum Ultrajectinum collegam Wormaciensi episcopo datum quidem, at penes eundem esse summæ rerum gubernaculum. Contrà Leodiensem & ipsum ascivisse collegam, verùm sibi omnem provinciæ administrationem servasse, ne cum re nomen episcopi simul amitteret: & sub specie quietis, dominum sibi præfecisse diceretur. Hujusmodi constituendæ amicitiæ ratio cum civitatum legationibus prorsus displiceret, quod communi hosti hoc pacto adjungerentur, amplius consultare de pace supersederunt: discussumque id consilium fuit. Inter has conditiones pacis item continebatur, si utrinque placuissent, quod statim, ubi collega dictus esset, Gelrus quicquid castellorum, quantum oppidorum, possessionis juris Ultrajectini olim episcopatui ademptum occuparet, id universum deductis inde præsidiis ita restitueret mancupio, ut nullo seculo ecclesiæ res & fines magis integri sartíve fuissent: caveretque in futurum, ne à successoribus in regnum Ducibus, ejus pomœria invaderentur. Promissum mehercle specie amplum, sed ad inescandum ad leges servitutis, re compositum. Additum enim sub hæc erat, In conditionibus fore, ne collega administrationis clavum antè capesseret, quam è prisca episcoporum consuetudine religioni, equestribus, & civitatibus juramento obnoxius, legitimis auspiciis inauguratus esset: ipsique adeò ordines utriusque ditionis, invicem illi se jurejurando obnoxios dedissent. Adjecta inde fuerat turpis servitutis lex: ne in futurum comitiis episcopiis, præsul, nisi Gelri, & ejus hæredum in perpetuum, nutu jussuque designaretur. Harum conditionum prætextu, non invasorem regni, aut oppressorem metuerent, sed tuendi juris & latarum possessionum D. Martini, ac stabiliendæ veteris libertatis causa, episcoporum tutorem & vindicem, ab Hollandorum superbia futurum. Quòd ad Swollanos verò, & vectigalis portoriique jus Swollanorum attineret, nihil fore, quod amplius disceptaretur, aut laborarent ipsi: id universum se remissurum. Iam ut Daventrienses aliqua beneficii specie sibi conciliaret, in pactis hoc quoque tenebatur. Quoniam autem Gelrus Iselam suprà infraq; duobus præsidiis Lucifero & Vultenao in ripa positis, ne naves cum commeatibus ad civitatem conveherentur, obsederat: ut veteri odio posito, rem arbitrii Ducis Clivensis faceret: idque adeò lubens exequeretur, quod is è re, ad indissolubilem gratiam inter ipsos conciliandam, esse censeret. quare id illius arbitrio se permissurum. Hæc quamvis ita in concilio ab episcopi & Transiselanis legationibus rejecta fuerunt, ut id ratum esse jubere ipsis permissum non esset: nisi illi prius hoc integrum ad episcopum, hi ad frequens ordinum Transiselanorum conciliũ retulissent: convenit, ut post octo inde dies circa Daventriam rursum conveniretur, ibiq; quæ viderentur ad communem utriusque ditionis utilitatem verti, durantibus induciis, disceptarent. Scriberet interea episcopus Ultrajectinus per literas Palanto, ecquid animi, quæ sententia sederet, ubi satis deliberasset. Se itidem extemplò facturum Gelrus promisit. Datæ hanc ob causam in octo adhuc dies induciæ. Intra quod tempus, liberum utrisque populis commeãdi, quò videretur, jus, sine fraude esset: similiter & legatis utriusque nominis, interea eodem ultro citroq; faciendi iter fides integra foret. Hæc tertio nonas Novem. Accepta episcopus ea, quæ in concilio Husseno, acta propositaque ab Gelro essent, perinde interpretatus est, ac si defectis viribus & Duci & Ultrajectinis victum se dedere compelleretur, nec ulla auxilia, copiis in arcto conclusis, adversus utrosq; præstolanda sibi forent: omnem cogitationem in belli curas statim convertit. Passus tamen est, Gelros Transiselanosque ad diem indictum concilio vel ob id convenire, si mutata sententia priori, ac collegæ nomine discusso, in diversam hostis abduci potuisset. Misit extemplò Daventriam D. Abstemium VIII. Idus ejusdem mensis, ut præsens iis quoque, quæ in eo colloquio dicerentur, interesset: simul, si pax non convenisset, rerum Transiselanarum curam præsens ageret. Iter fecit per Amorfortiam. Vesper erat: & jam civitatem eo, quem dixi, die ingressus, statim ad se Cos. convocavit. Percontatusque est, ecquid videretur de collega asciscendo, deque servitutis sub Gelro legibus, à quo deinceps in comitiis episcopus dictaretur. Alia item præterea, quæ in conventu disceptata erant, num è re communi ea ducerentur. Si in consiliũ adhibiti, sententiã super his interrogarentur, quid ad insuetũ & insolens ditioni hoc verbũ, responderent. Firmiores (inquit Cos.) quidem, adversus fatalem penè hostem

Lucifer præsidium, id est Mergenstern. fol. 750. apud Pontanum.

hostem, vires haberemus, hoc adjuncto: cui & ipsi quoque sempiternum contra Burgundiones odium innatum est. sed cum imperiorum mutationes, propter inusitatas leges & consuetudines, quæ simul solent irrepere, fermè ad graves motus intestinos sint occasiones: & ipse Gelrus parum tenax fidei audiat: vix video, utrò inclinarem. Dicam tamen (sed absit dicto invidia) quod non præmeditato mihi in mentem venit. Ferunt Eumenem regem, de Antiocho, cum is multa inania & fumosa, atque in speciem amplissima satrapis in concilio promisisset, fabulam hujusmodi retulisse. Accidisse aliquando, quòd leo puellam quandam forma insignem adamaret. Ubi hic cum patre virginis multa de ejus nuptiis disseruisset, respondisse patrem: se quidem ad dandum esse paratum, sed ungues ejus formidare se, & dentes: ne quando abducta in uxorem filia, per occasionem ac causam quæsitam, ad ferinum ingenium reversus, eam beluina ferocia invaderet. Hoc audito, leonem ungues posuisse, & dentes. Quare patrem, simulatque vidisset eum iis exarmatum, quibus esset formidabilis, correpto fuste leonem extemplò interfecisse. Simile quiddam Dux molitur. splendidis enim promissis nos tantisper posita ferocia invitat, dum imperio potitus, subactos pro libidine mulctet. Quamobrem haud temerè illi credendum esse censeo. Mane Abstemius inde profectus, Transiselanos petivit: atque ibi moratus est ad id temporis usque, donec superæ inferæque ditionis universum jus sub Burgundionũ opes imperiumq; transiit. Frustra interea Clivensis responsum ab episcopo expectabat. Convenerunt legationes Transiselanarum civitatum & Ducis dicto die in colloquium, ad Speculam Daventriensem (abest is à civitate Daventria locus quingentos passus) Erant in Gelri legationibus Harmannus Cnopperus, Doctor Winandus Arnhemus, Doctor Langius, judiciorum Arenaci præses, ac Ducis à libellis supremus. Gelri inter eos legatus prior multa graviter ac verè de fœderis utilitate communi, quàm ingens, & planè necessarium utrisque populis societatis vinculum illud esset, orsus dicere: utque errore magis, quàm insito odio aut malitia huc usque bellum exarsisset, eò ad postremum pervenit, odiis tandem aliquando desistendum, & utrunque principem cum altero in æternum stabilito fœdere jungendum esse. Ut autem id ceu pignore aliquo interposito, firmius coiret, allegendum collegam, Ducem hæreditarium ecclesiæ decernendum tutorem: exequenda ad ultimum ea omnia, quæ octavo inde die ad Hussenam dicta essent. Ad ea Transiselani. Pacem ut utilem se quidem expetere: & in id sæpe antea connixos, ut eam in varia belli fortuna obtinerent, nec ad eam perveniri potuisse. Semper ob dictum factumvé aliquod insolens, ab altero rursum bellum lacessitum fuisse. At de collega asciscendo, deque decernenda in sempiternum Gelrorum principibus tutela ditionis Ultrajectinæ: pro quibus omnibus in speciem amplissima vicissim ille polliceretur: conditiones illas pacis, nisi aliæ excogitarentur, civitatibus, quæ adhuc in fide essent, non placere. Prætextu enim tuendi ditionem, & confirmandi vires, servitutis leges impositum iri. Tum autem, quod ea regni forma nova, & insueta, in futurum quum principum ferociam pertæsi, vincula eorum solvere cuperent civitates & ordines, (ut assolent fermè in suos potestate parta paulatim abuti) calamitosum exitum promitteret. Quare aliam rationem quærendam, qua pax fieret: utque semel hic de summa rerum consultaretur. Ibi Gelrus ferociam, quam hactenus prudenter dissimularat, (quia certam pacis fiduciam animo concepisse videbatur) spe falsus, verbis æquavit. Si nuper, inquit, in colloquio hoc responsi dedissetis, nihil fuisset opus iterum huc ad conveniendum legationibus diem indicere: ut tempus disceptationibus, sine momento ullo absumeretur. Sed quia id factum non est, & cum pax oblata repudietur, nihil est quod de ea ad concilium referatur amplius. Illud autem etiam atque etiam moneo, ne concilii, dum nimium cauti in præsenti & providi videri vultis, in futurum pœniteat: cum vel alterius ultro societatem nostræ præpositum iveritis: vel bello devictis, & pacem petentibus, quam nunc abnuitis, ea non nisi cum gravioribus oneribus, dabitur. Iam pax aliis legibus coire non potest: quæ vobis vel ob id tanto magis optanda est, quanto minus spei in episcopo superest, qui vix ad unum id castellum tuendum, in quo conclusus sedet, sumptibus sufficiat. Reputate quam urbem, quæ oppida, quot præsidia vobis bello adempta tenemus: in quantas angustias res vestras compulimus: ut omnibus itineribus, Ducis præsidiis, obsessis, extra unum, & id quidem difficilè & angustum, commeatus vobis omnes exclusi sint. Et sicut ad bellum trahendum nimis exhausti estis, ita intra mensem vobiscum debellatum erit. Vestros etenim pollices Dux, vos quólibet circumacturus, morsicus tenet, ita ut manu propè consertos, quamvis jam etiam restitantes habeat. Inter legationes Transiselanus erat, Consul Daventriensis: M. Gerardus Suavius, Legatorum facilè princeps,

Imperii mutatio intestinorum bellorum causa.

Antiochi fumosa verba & fabula de Leone.

Gerardi Suavii magnanimum responsum.

ceps, homo præter insignem prudentiam, singulari faciundia clarus. Is insolenti responso Gelri motus, paucis ad ea. Agite, inquit, quoniam ita res nostras fractas dicitis, ut nobis hæc pax, quam offertis, necessaria sit: tum & inopia commeatuum atque ærarii adeò exhaustos, ut nos deditios vestros facere cogamur: adde vel nolentes etiam sine cunctatione: (quod quidem Deus non approbabit) quid igitur superest, nisi ut leges imponi nobis sinamus? Non sunt adeò accisæ vires nostræ, nec ita circumsessæ, quin Ducis copiis obstabimus: & tantum commeatuum, quantum opus sit, vel ipso invito, aliunde quoties libitum erit, importabitur. Nec adeò contemnenda est Transiselana ditio, ut nemo sit, qui imploratus auxilium ferre nolit. Pacem ut utilem, ita & utrisque juxtà necessariam, sed tolerabilem petimus. Neque verò quamlibet rejicimus (ne finge) sed eam ut inutilem nostræ ditioni & nimis gravem libero populo, & jugo ferendo insueto: tum autem ut impendiò superbam: quasi ita teneamur conclusi, castris vestris in portis positis, ut neque auxilium speretur, fameque contabescendum sit: aut deditionem faciendam. Testaris id non obscurè: sed quàm prudenter, haud scio: certè parum circumspectè. Dicam paucis (quando per vos ad concordiam & pacem via præclusa est) id quod non tam verbo in præsenti inane vobis videbitur fortasse, quàm eventu ac exitu rei verum experiemini. Satius est, quicquid sors belli ferat, pati, quàm hic quasi belli devictos dedere. Pollicem, inquis, nostrum ore morsicus vos tenere? Superbum me hercle dictum, & insolens. At faxo tamen, ut nobis utilius sit pollices præmorsos, utcunque cadat, amittere, quàm integrum corpus aut manum cum re simul in exitium præcipitari. Pacem superbi ac feroces tolerabilem recusastis, cum ad eam animos inclinatos omnes haberemus: & ne nesciat Dux nobis vires non defuturas, bellum rursum restaurate. Sciatque id nos amicorum opibus fretos, iisdem spiritibus gesturos, quibus vobis renunciavimus: utcunque vertat Deus. Discessum ita utrinque irritatis animis, è colloquio domum est. Ferunt postea Ducem, ubi paulo pòst opes universas ecclesiæ Ultrajectinę præter spem ad Burgundiones attractas vidisset, dixisse: Ferox responsum, de pollicibus, morsicus compressis, ditionem utranque è faucibus sibi eripuisse: qua certò potiturus fuerat, si pacis leges paulum mitigari passus esset. Sed imprudentia legati, cui per incogitantiam ea vox exciderat, è ditione decidisse. Itaque utrinque summa vi bellum reparari cœptum. Et jam exierant induciæ. Deficit circa hos dies ad Gelrum peditum una cohors, quòd æris inopia infideliter stipendium ab episcopo persolveretur. Reliqua signa, quia hyemis tempus maturum erat, paucis in ostio Rheni præsidio relictis, cum impedimentis Wicam in hyberna duxit. Gelrus vicos statim circa Dorestatum tributarios facere iterum est aggressus, ac infesta populatione ad portas Wicanas usque abducta nobili præda vastavit. Mox per adversam portam in pascua, quæ humilia vulgò nuncupantur, evecti, quia imperatum stipendium solvere nolebant, quantum pecorum obvium fuit, præ se egerunt. Daventrienses eodem tempore, transmisso Isela, in Sutphaniensem agrum populabundi irruerunt. Qui dum cunctantius prædam colligunt, datis in pagis tota Velavia ad arma signis, penè hostium multitudine, quibus neutiquam pares erant, intercepti fuere. Præda amissa, cedendo procursandoque hostibus tergo hærentibus, vix inordinati ad ripam integri evasêre. Huc postquam perventum fuit, dum priores in pontones se præcipitant, posterioribus, ne carperentur, cum hoste à tergo infestè lacessente, velitandum fuit. Quo repulso, dum pontones cursu repetunt, partim globis funduntur, partim saltu pontonum, ubi moveri cœpissent, rudentes manibus nacti, è ripa vicina ita hærentes confodiuntur. Pugnatum simul inter navigandum eminus tormentis acerrimè fuit. Stabat plebs in adversa ripa certamen spectans ingenti animorum ægritudine, quod suis laborantibus, quos sic commistos, proclivius quàm hostes erat procul ferire, succurrere non valerent. Paucis itaque amissis, reliquos salvos & incolumes receperunt. Cum autem id anni tempus rebus gerendis sit immaturum, hoc bello nunquàm ab inferendis hostilibus, nunquàm ab excursionibus cessatum fuit. Circa hos ipsos dies duæ cohortes Dorestato profectæ Rheno trajecto transversam Batavorum insulam populantur ad amnem Linguam usque: quem transgressę, Tielreverdam, hoc est, Tylę insulam totam, effusa populatione pervastarunt. Vicus est cum præsidio in inferæ ejus insulæ parte, juxta Aspernates, Gelcomium. Hinc præsidiarii tumultuosè effusi, abeuntium terga, prædę etiam aliquanta parte intercepta, carpsere. Addiderunt insuper in cæsos barbaricæ inhumanitatis horrendum exemplum. Cæsorum enim corpora membratim dissecta (quale supplicii genus legibus in proditores constitutum est) è ruinis fenestrisque turrium, qua hostes reversuri erant, suspenderunt. Hac suorum clade & ignomi-

Verbo uno ditionibus duabus excidit Gelrus.

Gelcomium Vicus.

ignomina, cohortes in rabiem efferatæ, pro concione jurarunt, suorum cædem, hostium sanguine ita expiaturos, ut vi capto præsidio armatos simul & inermes ferro contrucidarent: nec victis apud victores venia ulla foret. Cinctum inde præsidium undique illatis scalis, obrutaque cratibus fossa, cum terribili clamore invadunt. Præsidiarii primum eorum assultum satis fortiter sustinuerunt, scalas unà cum scansoribus vi ac virtute deturbantes. Ceciderunt primo impetu fortissimi quique circa principia, dum virtutem animis in suorum conspectu æquare certatim conantur. Clades quo erat fœdior ob oculos, tanto ipsi ira & pertinacia ad perseverandum in oppugnatione accendebantur magis. Et qui in præsidio erant, haud segniter se stationesq; suas tutabantur. Hostes occupata ea parte, qua præsidium facile aditu erat, dispositisque in orbem bombardariis, qui à ruinis, ne qua vis inde oriri posset, alios arcerent, ingenti impetu illud iterum adoriuntur. Erat autem in eo tum præsidio prætor Arenacus Otho Scarpesellius. Hic dum incautus è sublimi fenestra se prodit, sphæræ conjectu procubuit. Cujus casu cum militum animi & egregia virtus simul elanguesceret, hostibus, quos ea res non fallebat, crevit rabies, & trux ira: captumq; præsidium ad postremum multo sanguine est. Tum hi qui in præsidio erant, quamvis omnem spem veniæ ab initio abjecerant, supplices orare abjectis armis, ne talionis memores, vim ultimam inclementer inferrent. At illi crudelitate in commilitones, & clade recenti suorum adhuc palpitantium efferati, eos ex arce super cæsorum cadavera protractos trucidant. Ad direptionem inde versi, præsidio flamma injecta corrupto, præda opulenta onusti, Dorestatum redierunt. Castellum Renoium in Lingæ ripa diversa haud procul à Gelcomio aberat: hoc cum præterirent, nulla vi lacessiti, sed recenti victoria ferociores, primo impetu raptim capiunt, corrumpuntque. Rumor inde acceptæ cladis Ultrajectum allatus, nuncio è Batavia præmisso duas cohortes cum duabus equitum turmis excivit. Hi citato agmine ad aggerem Leccæ profecti, ut à transitu amnis hostem prohiberent, trajectum occuparunt: sperantes à tergo rusticorum tumultuaria vi, in ea insula, contracta, medium agmen se conclusuros. Hostis intellecto per exploratores Ultrajectinorum ac Gelri consilio, raptim fossa aggeribusque ductis, in ipsa penè ripa castra muniunt. Quibus & sua castra Ultrajectinus trans flumen opposuit. Interim absentibus præsidiis cœptum est in urbe trepidari. Recentem enim terrorem fecerat vanus rumor, incerto autore, trecentos armatos hostium diversis itineribus & portis muliebri habitu urbem ingressos, in cellis subterraneis abditos teneri, ut nocte opportuna factionem cum modicis peditum præsidiis relictis interficerent. Quare tumultuose tormenta leviora circa Hasenburgum in omnem eventum disponuntur: accuratius quàm antea stationes servatæ, excubiæque in foro & speculis actæ. Extemplò è castris in urbem cohortes revocantur. Edicto publicè inde cautum est, addita etiam mulcta, *Ducis casus periculosus.*

Ne quis post nonam vespertinam, lucentem candelam, luculentumvé focum domi haberet.

Episcopus præsidio in ostio Leccæ novos milites exules Ultrajectinos imposuit: deductis in hyberna præsidiis mercenariis, quorum fides propter colloquia cum Arnoldo Fabro duce tertiæ cohortis Ultrajectinæ, suspecta esse cœperat. Per eosdem dies in agros Apcaudanos ex Ultrajecto prædabundi excurrerunt. Horum accessu per exploratorem accepto, collegit se raptim ingens ex omnibus agris rusticorum multitudo, adjunctis simul iis qui in arce erant tum, præsidiis. Hostes intra conjectum teli postquàm esse senserunt, exoriuntur ex insidiis cum incondito clamore & agresti, cedendos hostes, nullique parcendum esse: ut est rusticorum plebs, ob injurias, bellorum tempestatibus, illi hominum generi infesta, & inclemens, si quando superat, quacunque arte. Apcauda ita sita est loco plano, & nimis quàm campestri, ut maturo vere ob solum palustre & minime densatum, vix in pascuis consistas: hyeme verò excursione lacuum & amnis Vechtæ latè omnia inundantur. Nondum tum aëris clementia amnes fortè ripas suas egressi, proxima prata perfuderant: nisi quod propter anni tempus hybernum, omnia salebrosa, præcipue autem paludes profundiores, quàm solebant, essent. Ultrajectinus inexpectato clamore ibi territus, cum videret multis simul locis inordinatè agrestem hominum multitudinem, & inter hanc armatos milites in se ad cædem impetum facere: abjectis statim armis, metu ne locorum ignorantia paludibus immersi, haurirentur, præsidiariorum fidei sese adversus rusticorum vim captivos dediderunt. Duobus amissis, reliqui sub rude militari amittuntur. Dux, belli initio Ordinibus in stipendiū militare grandem pecuniā mutuò dederat: *Abcaudæ nominatissimi pagi situs, & qualitas soli.*

dederat: hanc cum jam reposceret, religioni exactio imperata est. Habebat per eos dies Fredericus Palatinus conscriptas aliquot copias in supera Germania, eas fratri missurus, cum per anni tempus illi eas usui fore sciret. Nuncius postquàm cum literis de iis rebus Dorestatum venit, benigniter consalutatus, exceptusque à consiliorum Principis primoribus, ipsis literas tradidit. Quibus illi lectis, ne non procederet, quod parturiebant: clàm episcopo, ejus nomine, Palatino per literas suppositititias, respondent: Habere fratri, pro solicitudine & cura erga se, gratias, hactenus animo suo se virtutem gerendis rebus ita æquasse, ut hosti non solum par, sed superior etiam esse videri possit. Quare cum haud dubiè propediem debellatum iri confideret, petere, ut eas copias dimitteret, quibus opus non foret. Rossemus interim in urbe Ultrajecto nihil passus militem in luxuriam effundi, severa disciplina, intra extraque mœnia excurrendo populandoque, ne per hybernum frigus ocio item frangerentur, egregiè exercebat. Præfecit sub hoc tempus episcopus præsidio Amisiano Alphardum Iselmondanum, cum duodecim expeditis militibus: quod fidem Iacobi Niveldii, propter vim amicorum ejus per quos omnia belli hujus impotenter gerebantur, suspectam haberet. Haud ille ibi cunctatus, & lætus, quod antequàm ab Ultrajectinis ad præsidium dedendum postulatus esset, successor ab Episcopo missus esset, relicta apud Alphardum uxore, Dorestatum se recepit.

Copiæ Frederici Palatini.

Rossemii cum militari disciplina severitas.

LAM-

LAMBERTI HORTENSII RERUM ULTRAJECTINARUM,

LIBER SEXTUS.



RIBUS mensibus à belli initio episcopi opes adeò accisæ fractæque fuere, ut jam debellatum esset, nisi ad externa auxilia imploranda, consilio eorum quos circa se habebat, animum adjicere compulsus fuisset: contempto immortali dedecore, quod hinc Bavarum nomen sequeretur. Nam cum ditionem nec ad alienum jus transferre, nec ejus formam mutare, nisi ex autoritate ordinum utriusque ditionis, sed ne societatem quidem ullam accipere darévé posset: spretis, quas Gelrus obtulerat, conditionibus, de summa utriusque ditionis, ut se ulcisceretur, consilium cœpit, in lucri parte ponens, si inimicorum supplicio affatim exsaturatus, sibi ipse sui exitii autor foret. Legatos ad Florentium Egmondanum occultè mittit (nam à principio initi episcopatus magnam necessitudinem cum eo coluerat) per quos petebat, ut, nisi molestum esset, Dorestatum ad se clam hostibus conveniret, velle cum eo agere, & præsentis consilio de iis rebus uti, quæ ad se & Burgundiones communiter pertinerent. Nulla is cunctatione extemplò venit. Ibi expositis iis quæ proximo conventu Husseno acta essent, ad postremum apertè ab eo contendit, ut (quando apud Burgundionum principes plurimum valeret) dies ad conveniendum aliquò indiceretur, in quo de ferenda ope, & transferendis Ultrajectinorum rebus ad Hollandos ageret: in quo denique de summa rerum nunc aliquando seriò deliberaretur. Sed cum æris inopia premeretur, & miles indies improbis clamoribus stipendium exposceret: ut bellum compararetur, pecuniæ aliquam vim celeriter curaret. Hoc itaque ministro & totius transigendi negotii internuncio usus, tædio molestæ provinciæ partim fatigatus, partim necessitate extrema adactus, ne desperatis rebus, vel hostibus supplex occurreret, vel turpiter episcopatu discederet: id de quo diu inter ipsos & sæpe agitatum fuerat, transigere est aggressus. Urgebant eum præterea ad maturandum negotium homines plerique à consiliis, famelici ac jejuni, auro huc à Burgundionibus corrupti: ne dilatio bene cœptum negotium averteret: ut solent plerique, quos principum opes alunt, suum agere negotium. Abstemio quinque milia paciscenti addicta sunt. Potuisset pari facultate (inquit Hochstratanus) vel decem milia poposcisse amens. Persuadent utili in speciem verborum lenocinio, quæ volunt. Admittunt excluduntque, quos consiliis suis adfuturos obfuturosvé norunt. Atque ita conclusus, ac quasi captus domi, venditur optimus quisque princeps. Egmondanus diu captatam prædam, & multis exoptatam sæculis, non amittendam per socordiam ratus, priusquàm elanguesceret consilium, Bruxellam in curiam contendit: impulsis in spem grandis pecuniæ, quos dixi, si principem in proposito continerent. Itaque paucis diebus quàm Dorestato discessisset, dies conventui habendo Schoenhoviæ XVII. Cal. Decemb. edicitur. Convenere eò frequentes Burgundicæ curiæ principes, ad id legati, ut translationis leges inter Carolum Cæsarem & episcopum Henricum ex ejus arbitrio conficerentur: adfuit & cum hominibus ab intimo consilio præsul Ultrajectinus. Cæterum, quia superioribus annis frequenter, & paulo ante bellum, ac mox post exclusionem his de rebus leviter verba facta fuerant, nihil perplexum, hoc conventu paucorum consultationem dierum exemit. Tum quia hostis Ultrajectinus omnia occupatum præceps ibat, qua potuit, celeritate, res transacta est. Cæsaris legationes fuere (ut magnificos fumososque titulos omittam, quibus dignitatū nomina apud gloriosos ab assentatoribus præter laudatam veterum consuetudinem nostra tempestate commendantur) Florentius Egmondanus, Antonius Lalanus Comes Hochstratanus, Gerardus Mulardus libellorum præfectus, Laurentius Dublioul judiciorum apud Hollandos præses, & archigrammateus. Hi, postquàm convenerunt, tabulas de pacto tradendi episcopatum multo antè deliniari cœptas, his propè verbis episcopo, ad ipsius arbitrium confectas dederunt. Missis principum titulis, in primis autem Cæsaris regnorum enumerationibus, quæ odiosè cùm ad illustrandas opes, tum ad imagines & potentiam apud populares ostentandam inscribuntur: omisso item ad attentionem parato exordio, sic pactum fide sancitumque fuit:

Aulici famelici.

Aulicorum institutum.

Caroli V. Cæsaris Legatio ad Ultrajectinum Episcopum.

Cæsaris tituli ad quid.

 Primum

Fœdus inter Cæsarem & Henricum Episcopum.

Primum omnium Margarita præfecta regnorum Burgundiæ, Henrico episcopo Ultrajectino in stipendium militare ad VIII. *Calen. Decemb. sedecim Caroleorum aureorum milia, nomine Caroli Imperatoris præsentia, ob ea promissa adnumerabit, & certam fidem datam, legesque, quas hoc ipso die tabulis consignatis ac subnotatis expressas, legatis Imperatoris vicissim episcopus dedit. Tenebitur præfecta nomine Cæsaris, episcopo in urbe Antverpia apud Gerardum Storckium, in quinque menses pensionem quinorum milium Caroleorum ita assignare, ut singulis mensibus, quorum primus mensis inchoabitur* VIII. *Cal. Decemb. postremus verò* VIII. *Cal. Majas exibit, singulæ pensiones persolvantur, quæ summam viginti quinque milium faciunt: ut ea pecunia præsul Ultrajectinus exercitum alat mille peditum: iisque legibus & conditionibus, quas consignatas subnotatasque episcopus Imperatoris legatis tradidit. Si interim fortè usu veniat, Cæsarem fœdus cum Galliarum rege, aut pacem facere, nullam societatem accipiet, nisi in ea episcopus Ultrajectinus contineatur: eique urbs Ultrajectum & Hassalia, aliaque præsidia, præter fœdus à Gelro adempta reddantur. Quod si intra hos ipsos menses Cæsar & Rex pacem nullam fecerint, nec interea præsentibus viribus amissa recuperarit, nominatim verò Ultrajectum in potestatem non redegerit: exactis his tum quinque mensibus, heroina Margarita episcopum ita armis juvabit, quemadmodum intra medium hoc tempus inter utrumque conveniet. At interim ubi præfecta legatos in Transiselanos, ad agendum cum ejus gentis ordinibus, mittere videbitur: non gravabitur præsul è suo concilio tum quoque legationes cum ejusmodi mandatis eò simul mittere, qualia è communi sententia interea temporis decernentur. Erit & illud quoque in pactis: ut Cæsar, quantum fundorum, quantum æris usurarii Ultrajectini juris ac nominis in sua usquam ditione habeat, id universum publicè injecta manu occupet: nec dissolvat prius, dimittatvé usuras fructusque, quam ordinum Ultrajectinorum concilium sua autoritate firmaque ea esse jusserit, quæ ex utriusque legatorum sententia pacta convenerunt. Acta hac inter Episcopum Henricum, & legatos Cæsaris,* XVII. *Cal. Decemb. Subnotavimus in fidem harum conditionum:* HENRICUS *Florentius, Antonius Lalanus, Gerardus Mulardus, Laurentius Doublioul.*

Appendix habebat in hanc fermè sententiam. Summa fide legatos Cæsareos pactis expressa se exequuturos: nec commissuros unquam, ut ulla ratione labefactarentur. Tradituros insuper his de rebus Episcopo tabulas, intra mensem sequentem. Et ne qua in fraudem verterentur, rursum è more subscripsisse. Atque hęc quidem qua potui fide & brevitate reddidi, ut eorum forma apud posteros extaret. Sed pridie quam hæc gerentur, hoc est, XVIII.

XVIII. Cal. Decemb. oppidum Rheni à Gelro ad hunc modum captum est. Iacobus Tuckius erat homo Gelrus natione, haud procul a Rhenis in proximo vico habitans. Hic belli metu ex agro bona sua & supellectilem in oppidum omnem haud ita pridem exportarat: homo populo Rhenano ob ætatem maturam & raram indolem charus, & magni nominis propter luculentas opes rusticanas, quotidianamque consuetudinem. Mane hic paulo sub sextam consulem adiit, petens sibi portam Montanam aperiri, quæ tum clausa propter bellum tenebatur. Duo ajebat sibi esse ante portam stramentorum vehicula, pabulum pecori: quæ metu incendii in oppidum portaret. Haud id quidem illi negatum est à Cos. jussitque is eam extemplò aperiri. Erant autem vehicula, quorum alterum Iacobi privignus agebat, adeò onerata, ac tanta exaggerata stramentorum vi, ut in ipsa porta media, qua ob immodicam altitudinem non caperentur, subsisterent. Abdiderat se Gelrus extra eam portam inter arbusta, cum aliquanta parte rusticorum, raptim è Batavia collecta. Hi postquàm captam portam prospexerunt, ex insidiis simul exorti, cum magno clamore effusi, oppidum capiunt. Nulli vis illata est, præterquam uni Simoni Voelio, qui prima trepidatione in porta leviter accepto vulnere, elapsus fuit. Inde duo alii in templo casu nescio quo temerè in hostium manus illati, percussi perierunt. Dux capti oppidi nuncio, eodem die excitus, Rhenos venit: atque ædem sacram ingressus, Deo pro parto oppido votum solvit. Postridie cum omnibus copiis in præsidium Horestanum movit. Hujus præfectus tum erat Ernestus Amerongus. Is accepto hostium adventu, ne vim experiretur, ab tergo clam militibus, quos ad tuendam arcem paulo antè episcopus eò miserat, per aversam ab hostibus partem fugit. Præfecti fuga cognita, extemplò reliqui qui in præsidio erant, salutem pacti, deditionem fecerunt, cum nondum tormenta usquam admota essent. Sed ne quando in episcopi potestatem iterum redactum, Wageningæ, cui oppositum erat, infestum esset, illico à Duce dirui jussum: & lateribus Rhenos convectis oppidū muniri. Mox biduo post XV. Cal. Decemb. cum iisdem copiis in Amisianum præsidiū est profectus. Iacet id in fauce amnis, miliare unum expedito ab Amorfortia. Profectus commodum erat Dorestatum Alphardus Iselmundanus, pulverem tormentarium comparatum: relicto custodiæ in præsidio Godefrido * Sapido prætore Amorfortio, cum triginta selectis viris, quos è proximis vicis contraxerat. Et quia per anni tempus ob profundas paludes graviores machinæ eò admoveri non poterant, arte utendum ad capiendum præsidium erat. Itaque cavit Rossemus, ne quis nuncius de incerto suorum numero, deque bellico modico apparatu ad præsidium præcurreret. Præmittit trepidè in aggerem Barensem manipulares aliquot, qui omnia vano illic rumore complerent, nubes hostilium copiarum ad obsidendum præsidium, evertendumq;, cum fœda clade omnium eorum qui intus essent, adventare. Trahere secum numerosam machinarum bellicarum molem, quibus momento temporis omnia cum interiori præsidio everti possent, adeò intolerandam hostium vim fore. Quare mulieres eas consultè facturas, si ex præsidio, priusquam hostes fossas subirent, & undiq; castris positis obsidione cingerent, maritos evocarent. Sperabat Rossemus, eo accepto, facturos fugam omnes: ac præsidiis nudata munitione, sine suorum clade ac sanguine facile se potiturum. Concurritur, his auditis, ad præsidium, ab uxoribus trepidè viros excientibus: si vivi & incolumes liberis parvis & uxoribus superesse vellent, præsidium traderent. Oritur dissentio ad hos clamores & muliebres ululatus, deditionem facere volentium, negantiumque. Appropinquavit interea aggeri Barensi ipsum robur. Ac nihil moratus Rossemus, cum duobus tormentis trajecto flumine, ad terrorem augendum præsidiariis, omnia ad oppugnationem expediri jussit. Apparebat procul spectantibus, hostem vi acturum: & quidem sine mora. Misit extemplò ex ordinum ductoribus ad præsidium, qui dedendum postularent. Hi primò ex propinquo præfectum cum ad colloquium evocassent, monuerunt ne vim ultimam experiri mallet, quàm clementiam præsentem, si se ipsumque præsidium traderet. Deterruerunt simul eam à perseverando in consilio, sustinendaq; oppugnatione, recenti exemplo expugnationis Gelcomianæ, & Othonis Scarpesellii cæde: cujus necem, si vi caperetur præsidium, ulcisci, stare sententiā. Minis his præfectus territus, simulque veritus, ne, si ab omni parte tentatis aditibus, summa vi oppugnaretur, Scarpesellii cladem luerent: viribus simul suis diffidens, hortantibus insuper ad deditionē ingenti certamine rusticis, qui intus aderant, præsidium tradidit. Munitioni præficitur Vernerus prætor Hardervicensis. Gelrus arcis infirmitatem undique satus contemplatus, (quia una tantum fossatum cincta erat) extemplò eam, nihil hyberna intemperie retardatus, æde sacra, quæ à tergo adhærebat, eversa, latissimo vallo cū cuniculis, & alia præterea fossa cingere aggre-

Geldrus capit oppidum Rhenas.
Pontanus fol. 741.
Ern. Amerongus præfectus Horestæ.
Amisianum præsidium.
* 't Huys ter Eem.
* de Wyse.
Soesterdijck.

aggreditur. Fossæ adhæc mediæ adversus hostium tumultuosum impetum vallos præacutos, néve agger subiri posset, fixit. Multa simul præsidia per eosdem dies episcopo ab Ultrajectinis, partim insidiis, partim vi, partim metu sunt adempta: arx in Ameronga, alia in Dorna: præsidium Hammense, castellum Scoenauva, & Myerdense: ut jam omnibus fermè munitionibus & oppidis inferæ ditionis nudatus esset. Crescebat per hæc Gelro ferocia, non solum adversus hostes, sed etiam intra muros in cives. Multa enim indecorè convicia in episcopum jacere: nunc demum verè haud modo exclusum dici posse, sed itinera omnia ei interclusa quoque ad urbem esse: & vix in cavea se conclusum, modico stipatorum præsidio ad mensem tutaturum. Quamobrem si saperet, maturè collectis rebus Heidelbergam fugam antè capesseret, quàm obæratus creditoribus retentus addiceretur. Hæc atque id genus multa quotidie victores cum incondita in episcopum per contemptum ferociter jacerent, exuberanti lætitia exultantes, securitas pene oppressos perdidit. Episcopus ubi per exploratores urbem præsidiorum vacuam esse, extra unius signi milites, & modicum equitatum: oscitantius insuper stationes vigiliarum haberi: belli denique munera & disciplinam militarem absente Rossemo copiarum duce, supinius ac segnius obiri, accepit: mœnia occultè, qua parte & adiri facilius ac tutius poterant, & infirmiora erant, & negligentius excubiæ agebantur, aggreditur. Mittit XIV. Cal. Decemb. lectissimorum peditum duo signa, aviis itineribus sub vesperum è Dorestato, ad eam urbis partem, quæ præter alia illa opportuna, præterea ab Dorestato aversa est, opprimendam. Pomœrio hærebant spaciosi horti, exulum, qui tum sub episcopo militabant: in hos, in urbem recepti, intromitti, ibique occultari hostes poterant. Erat præterea tota ea civitatis regio episcopi, cùm ob superioris anni nocturnam dimicationem, tum amicorum exulum vim immodicam, nobilitati & factioni infesta. Erat vesper illunis & tenebrosus: augebatque caliginem obductum obscuris cœlum nubibus, ut è speculis prospectantibus omnis in proximam suburbanam regionem prospectus adimeretur. Sexta hora seri diei erat, nec vigiles adhuc muros ad suas quisque stationes conscenderant: cum hostes silentio è suburbano scalis in fossam, quàm cratibus instraverant, demissis, ad occiduam eam urbis partem, ubi ædes Divæ Gertrudis est, placidè muros subirent. Ibi dispositis circa murorum rimas longo ordine à* turri lignariæ operæ, ultra ædem S. Gertrudis, tormentariis, ut ex occulto oppidanos à pomœrio submoverent, tribus locis mœnia cuneis perfodere aggrediuntur. Fecerant jam tria mediocris latitudinis foramina: unum verò in latere turris patentius, per quod manipulus hastatorum unus aut alter intro jam receptus erat, cum fortè eques sub vigilum stationariorum in speculas accessum, locum prætervectus, crepitu ac sono, ferro lateres confringentium, mixto obscuro murmure, accepto, paululum subsisteret. Nec sefellit pavidè auscultantem anceps metus. Hostis quamvis à diffringendo accessu stationarii equitis absisteret, non potuit tanta armatorum multitudo tamen tam altum silentium continere, quin ad aures attento animo advertentis, vel sonsus aliquis armorum collisorum inter sese, tussientiumvé aut screantium perveniret. Tum ille additis equo calcaribus, cursu in viam Desultoriam ablatus, quantum potest, clarum ad arma conclamat: Hostem ad stantia mœnia scalis illatis, muros ad Divæ Gertrudis, cum maximis copiis & obsepsisse, & jam intrasse. Hoc clamore undique excitis, signum tota urbe, ne uspiam deesset pavor, ad arma datur. Miles in forum Palatinum, eques civibus immistus ad muros armatus ruit. Interim cum se proditos indició hostes, & inceptum irritum esse audirent, relictis sub mœnibus bombardariis, cum robore copiarum retro abjuere. Hac trepidatione inter primos præfectus urbis comes Mursius evocatus, celeriter ad muros hosti occurrit. Hic dum præeunte ministro cum funali incautus locum insidiarum prætervehitur, penè, trajecto per collum, equo, ab hoste cæsus fuit. Confluxerant jam tota urbe frequentes ad murum: cum tormentarii receptis, per effractam turrim, ad se iis qui jam irrepserant, introrsum simul cum magno fragore emissis in incertum, ob crassam caliginem, quæ certum de rebus judicium ademerat, machinis frustrato incœpto recederent. Nec ex tanto sphærularum nymbo quisquam tenebrarum beneficio cecidit, extra Gerardum Eckium equestrem, & primi in factione nominis: qui per femur trajectus, æger domum abductus fuit. Ea nocte totis mœnibus, & per stationes tota urbe, in foro, in curia pervigilatum est, & ignes accensi. Nec minus horrendum è turribus in abeuntes tonitruatum continuas aliquot horas est. Manè lucis principio primores urbe egressi ad lustrandum fossam, num qua cæsorum corpora rejecti hostes circa murum reliquissent, unum in fossa tum adhuc vadosa invenere. Sed cum in nudato corpore spoliatoque neque vulnus neque livor ab

Contemptus hostis, res periculosa.

Supra fol. 64.

Vltrajectinorum periculum.

*Büsschouwers Thoorn.

Springweg.

Ex generosa & illustri Pantaleonum gente ex XV. Viris olim Coloniæ Agrip. à Cæsare Trajano præfectis, Avus Theodori in consessu Ordd. Vltraj. per XXXIII. annos præsidis.

ictu

ictu appareret, vulgo creditum fuit, eum lapsum in receptu, pedibus suorum proculcatum periisse. Inde à factione in religiosos profanosque impotenter, quos hostilium consiliorum conscios suspicabantur, sæviri cœptum est: veluti fieri assolet bellorum temporibus, cum inimici injuriam propè vetustate exoletam ulcisci volentes per invidiam adversarios, non apertè, sed ex suspicione, clàm apud victoriâ superiorem factionem nominare solent. Vidimus exemplum hoc tempore, homotechnos non laudata mehercle æmulatione mutuum exitium moliri, cum de ipsis nullum extaret indicium. Sacrificus erat in ea urbis regione integræ semper famæ, & innocentis vitę. Prandebat is eodem tum fortè die (quia sanguinis propinquitate me attingebat) cum pauculis aliis utriusque nominis festivis doctisque amicis apud me. Extractum erat convivium in serum diei, ut plerunque solent lepidis sermonibus, & eruditis quæstionibus horas mortales fallere. Hic audito signo quod ad arma dabatur, cum reliquis qui unà aderant, domo excitus, compendiaria via per tenebras, rerum ignarus domum fugit. Habitabat autem is in S. Gertrudis cœmeterio, propinquo ei pomœrii regioni, ubi hostes muros subierant. Itaque correpto, quod se primum obvium dabat, telo, medio suorum se immiscuit. Casu tum retro hostis abierat. Hilarior à recenti symposio & liberior Harmannus, (id enim sacrifico erat nomen) cœpit in præsentem urbis statum & factionem, plenis faucibus invehi: (ratus credo, se multitudine vicinorum civium tantùm circumfusum) quod vero principe excluso, paucorum hominum factiosorum tyrannide civitas oppressa, inopia annonæ ad inediam famemque extremam redigeretur. Pellenda Gelrorum auxilia unà cum autoribus concitatoribusque belli esse. Vox ea à circumstantibus quibusdam excepta, mane ad factionis primores statim delata fuit: quasi cum aliis nonnullis proditionis occultæ, de qua adhuc nullum indicium extabat, conscius fuisset. Monitus ab amicis ut maturè, quamvis insons, priusquam à Gelro, & feroci à tot victoriis factione arriperetur, à quorum vi nihil esset tutum, aliquò ex urbe perfugeret: respondit, recti se conscientia fretum, ac nullius indicium veritum, Quinquiviris obviam iturum. Quæstiones non timere: quarum vi, (quando furiosorum hominum criminatio, ex vana calumnia esset) fide nixus, animum æquatum haberet. Arreptus itaque paucis horis pòst, in vincula ducitur: & quæstiones aliquæ de eo tormentis habentur. Cæterum cum nihil præter impudentem calumniam, torto insonte inclementer, esse multorum testimonio compertum esset: & quorundam etiam Gelri nominis autoritas, inter quos erat Theodoricus Morrius, eum perpurgasset, in exilium pulsus est: exulavitque ad recuperatæ urbis tempus usque. Ex simili suspicione & alii nonnulli capti sunt, & torti insontes: inter quos fuit, invidia homotechni cujusdam, Cornelius organopœus, celebris ea tempestate in his regionibus artifex. Qui diu quæsiti, cum consimili pertinacia inter quæstiones se nullius rei conscios testarentur, urbe excedere jussi sunt. Erat in hoc statu res Ultrajectina, & belli ardor. Sollicitus episcopus ne unicæ reliquiæ Amorfortii incauti à Gelro opprimerentur, aut voluntarii, cincti undique, deficerent: pro magno habuit negotio animos eorum, quia necdum in belli societatem transierant, per legationes tentare. Et quia equitum & peditum præsidia portis recipere volebant, metuit ne Gelri arte, ac vulgò nota bene fraude in nassam attraherentur. Movebatur præterea memoria injuriarum: ut eum populum superioribus annis, in contentione cum Ultrajectinis ordinibus haud magni fecisset: insuper in id laborasset, quo consuetudines patrias & libertatis jura, pro quibus tum certamen acre fuerat, violaret. Minæ adhæc, & convicia multa: quod adversariorum consilia ut seditiosa, & ditioni inutilia simul & perniciosa repudiassent: sua item vindicassent. Horum episcopus conscientia ictus, apertè de illorum fide (quanquam frustra) dubitare cœpit; metuitque ne se in Gelri potestatem committerent. Quare ut eos sub suo jure & ditione contineret, ac præsidiis firmaret: misit VII. Cal. Decemb. legationes Hadrianum Redium, & Fredericum Sombresum. Hi in senatum introducti, ubi multa de populi Amorfortii fide, & propenso principis erga eos animo vicissim commemorassent, ad postremum huc deducta fuit oratio, episcopum de nulla re perinde sollicitum, ac de ipsorum salute esse. Et nunc etiam timere, ne paribus artibus à Gelro, ut alia oppida & munitiones occupatæ essent, incauti opprimerentur: quando nulla æquè aliarum civitatum, atque Amorfortia, ob finitimos regionis cardines, ad obsistendum episcopo, illi perinde opportuna esset. Quare petere, ut equitum peditumque suorum præsidia reciperent. Ac ne metuerent, ea alenda reipub. sumptibus: episcopum stipendia suppeditaturum. Denique, quantum impensarum in ea fieret, id universum ipsum præbiturum. Digressis in diversorium è curia legatis, dissentio in senatu orta est.

Ὁμότεχνος, i. e. ejusdem artis opifex.

Amorfortios sibi conciliare tentat Episcopus.

Pontanus fol. 742.

 Censen-

Censentibus nonnullis, imponenda præsidia sine publico ullo privatóve sumptu esse, quod omnibus circum locis, Gelrorum præsidiis obseptis, illis expositi starent, à diversa parte reclamatum est. Illud enim inter omnes constabat, futurum, ut statim quàm armatos in civitatem admisissent, pro hostibus haberentur: & in belli societate forent, cum extra id in ocio permanere liceret. Bona ad extremum pars huc in Cons. sententiam pedibus discessit: ad tuendam civitatem imponenda quidem esse præsidia: sed ad propulsandum, quàm diu darentur, à mœnibus bellum, reipub. impensis: quo in ea & ipsi imperium haberent, & societatis nomen declinarent. Responsum ad legatos relatum, haudquaquam placuit: quippe qui deteriora omnia ab eo populo timerent. Interim accitis ad se consulibus secretò exposuerunt acta pactaque episcopi, & Burgundionum in conventu nuper Schoonhoviensi: quod scirent, senatum & populum Amorsfortium graviter ferre, hæc absque se arbitris transacta fuisse: cum sæpe antea episcopus fidem eis dedisset, se nunquam cum Burgundis, nisi ipsis in consilium adhibitis, quicquàm acturum, pactionémve ullam initurum. Quod quia non servarat, non temere de fide hæsitans, placare eos blandimentis studebat. Accidit eodem die quiddam peropportuné, quod magis terruit legatos, & perplexos injecto scrupulo tenuit. Tum demum perviderunt, quanto ejus gentis fides & recta consilia levitati & fuco quorundam hominum, per quos huc rerum ventum esset, præstitissent. Seriò metus injectus est, ne, memoria acceptarum contumeliarum nondum vetustate exoleta, hostium amicitiæ post haberentur. Prandentibus Coss. honoris gratia apud principis legatos, (qui mos est ei genti, quoties vel civitatum principúmve legatos, vel principes ibi hærere usu venit) supervenère cum literis ad senatum, à Gelro, & Ultrajectinis ordinibus, ac Rhenorum præfecto missi duo nuncii. Sed nihilo lætius ad paucas horas, dissimulato metu, continuatum tractumque convivium est. Cogit consul extemplò senatum: divinans id quod res erat. Lectæ literæ sunt in hanc fermè sententiam:

Habere se gratias Senatui & populo Amorfortio, quod cum hactenus fœdus cum Ultrajectinis adjungere renuissent, in neutram partem prudentes inclinarentur, bello finito victorem haud dubiè secuturi. Unum interim se mirari, aliis super alios rumoribus allatum: quod postquam jam propè cum episcopo declarato debellatum esset, ejus legatos equitatumque intromisissent: communicarent de ineunda cum illo societate, consilia; rectius facturi, si Gelrorum duci, ditionis tutori, quique plus posset, occupassetque armis fermè omnia, portas aperirent. Multum se spe & opinione de ipsis falsos. Sperare tamen, hominum vanitatem rebus multa affingere, maximè cum ipsi perspicerent, in societatem hostis, deducti, in quantis angustiis circumclusi essent.

His tam perplexis literis, quia non satis in expedito erat, quod responderetur subitò, paucis paulo pòst se expurgarunt: id quod facile erat, rebus integris adhuc. Recitatæ sunt statim Gelrorum literæ, & præsentibus episcopi legatis: ne temerè præsidia, ne in belli societatem deducerentur, ficto verborum prætextu, rejicere coarguerentur. Vehementius hic nova re, & minus expectata tum perculsi legati, nihil æquè solliciti fuere, quàm ne Gelrorum fraude, aut coorta in civitate seditione, in varia multitudinis voluntate, ex improviso occuparentur. Metu ne hostium insidiis opportuni forent, aliquot dies ibi sunt morati. Rhedius nihil omittendum ratus, in tam dubio negotio, consulem accersi occultè ad se jubet. Hunc absque arbitris primum blandè ac benigniter, inde ferocius specie expostulationis aggreditur, & liberius profectò petulantiusque quàm temporis ratio ferebat. Quis Deus, inquit, vobis mentem sanam consul ademit? ut, cum undique hostium armis obsepti, adeoque, quàm nos, periculo propinquiores sitis, tam securi imminentium insidiarum, stertatis? præcipue qui totíes non boni mehercle vicini, tentatum per proditionem impetum, pacis temporibus experti estis? Hinc à dorso, hostium ditio tergo vestro imminet: inde occupato præsidio Amisfano,

iter aditumque in civitatem commeatui excludit. Alia parte Rhenus tenet, & in conspectu à fronte Ultrajectum est. Ad hæc cum nudos inermesque ad vim expositos habeat, amentiæ est, vestri periculi non admoneri. Offert episcopus, equitum peditumque præsidia suo sumtu se comparaturum imponenda: non ut secum adversus Ultrajectinos arma induatis, aut fœdere aliquo illi alligemini: sed ne consuetis Gelri artibus inviti in diversam partem, exemplo nonnullorum oppidorum (ut hostes nunquam dormiunt) attrahamini. Si receperitis, non erit, ut vos nobis, perinde ut multa alia, ademisse ille glorietur. Ad ea Cos. Quemquamné esse existimas in civitate, qui se hostibus prædæ objicere velit, ubi bello se interponere nihil sit opus? ubi eorum occursum declinare liceat? Vidisti coràm (ne vana fingendo verisimiliter, disertior quam verior dicar) quàm molestè Gelrus, quàm graviter Ultrajectinus unam hanc legationem vestram acceperit, perinde ac si jam senatusconsulto vestra postulata, decreta fuissent. Si tantus fremitus, si tanta indignatio, ob semel datum vobis senatum, de obtinenda præsidio civitate orta est, quid existimas eos non dicturos tantum, sed facturos etiam, ubi viderint vestrum equitatum, & pedestres copias mœnibus nostris receptas? stipendium ab episcopo præberi? illi sacramento militari inautorari? Vides quid extemplò nobis patiendum erit. In primis constaret pactam esse societatem, quamvis hostilia priores non intulissemus. Ergo ex societatis jure, incendia, populationes, agrorum vastationes, omnia denique hostilia & expectanda, & perferenda nobis essent: & nullo quidem vestro emolumento. Quod autem de præsenti discrimine, in quo, à fronte & à tergo, simul & à lateribus, excepta una arctę frontis parte, cincti medii versamur, disputas: ut propemodum quasi caveæ, muris inclusos nos obsedisse videantur, cum nondum pro hostibus habeamur: ita in animum inducere vos velim. Gelrus cum iis copiis ad ista mœnia apertè non adveniet, ut vi quicquam agat: nec temerè, neutri parti se conjungere volentes, ad arma coget: cum sat hostium cis ultraque Isalam habeat. Ut nihil deprædicem robur civitatis, quod nobis penè ipse notius habeat. Nec ita sublatis interim pedibus altum stertimus (ne finge) ut sopitos, quamvis extra societatem belli, noctu luciveé sit oppressurus. Si, cum nusquam is bellum gerat, excubias nocturnas in mœnibus, stationes diurnas in portis pro septo ac maceria inferæ communis ditionis intenti servamus, bellum eo cum sociis civitatibus, cum episcopo declarato, in portis propè nostris gerente, cæcam speculationem ageremus? Provisum præcautumque hucusque est, ne insidiis tentatos occuparet: & cavebimus, diis benè juvantibus, ne consuetis suis artibus nos in suam ditionem trahat: nisi fortassis existimes, eum in civitatem suprà patentem, quàm diu testudine tecta non sit, involaturum: quod certè ne tum quidem prohibere posse mus, ubi omnes anguli armatis præsidiis obsepti essent. Accensus his consulis verbis Rhedius. Quid quæso, inquit, consul tantum de te commeriti sumus, ut haud aliter nobis & viribus & consilio obstes, quàm si hostilia patrassemus? cum totus senatus, extra vestrum quatuor, aut ad summum quinque, stet ab episcopo? Nisi forsitan Ultrajectinorum ordinum exemplo, Gelri societas, in cujus potestatem te & rempub. commissurus sis, quàm nostra, vobis magis expetenda videatur. Quod si obtingat, haud dubio autore id evenisse, ipse satis hic profiteris: qui, quo minus postulatum obtineremus, dissuasor fuisti senatui: adeò ut in dissensione per te nunc inter se sint. Quare non obscurum est, neque tacitum habebitur, si qua defectio insequatur: cujus opera portæ vestræ episcopo clausæ sint. Ad ea consul. Id vanum est, & falsum. Nam quod è totius senatus verbis tibi respondi, in id discessio à bona utriusque senatus parte pedibus facta est. Factumque inde veteri more senatusconsultum, quod universi calculis suis ratum esse jusserunt: tametsi antea multi in diversa sententia fuissent. Sed à quibus è senatu id enunciatum, & ad te, linguę incontinentis hominibus, sit delatum, non me fugit. Hi, quoniam nihil pensi habent, malunt terram cœlo miscere, quàm pace & ocio hucusque vindicato in reliquum frui. At interim mirum tibi videtur, quòd populus turbata pace omnino nolit in belli statim participationem descendere? cum ad id neque ansam dederint, neque ut susciperetur indicendum Ultrajectinis, in concilium sint adhibiti? Non dico jam eos, pensatis utriusque bonis & malis, illud tantopere formidare, quòd ocium armis, forum castris, infinitis partibus sit anteponendum: quanquam vel ob id solum mortales omnes arma detestamur, quòd nihil sani habeant. Illud in animis omnium hæret, quòd episcopus ad hoc usque tempus, nos penè quàm hostes ipsos magis exosos habuit: animum à nobis avertit. Et miraris, si animos talibus meritis dignos nunc vicissim experiatur. Num ullam clementiam suam erga nos, num munificentiam commemorare potest? Revoca in memoriam, (potes meminisse) in

Amorsfortiorum in bello disertio.

Castris forum anteponendum.

Arma sani nil habere.

se) in quæ maledicta & convicia effusus, (aderas ipse coràm) principes concilii legatos nostros quæstum de superbia & iujuria Iacobi Niveldii, ad se missos, nuper aggrediebatur: in quos perinde atque in tresses agasones pluribus invectus, è concilio eos, relicto civitatis inimico, & juris libertatisque violatore, jussit excedere. Hæc & alia id genus multa, quoniam in memoria habemus, non est quod impotenter debaccheris, si populus Amorfortius episcopi copiis suas portas patêre nolit. Porrò quod ad me, curabo ut laudatius de me testimonium relinquam, quàm tuus stomachus vaticinatur. Non spero ita te Amorfortiorum vanitatem experturum, ut nunc episcopus Ultrajectinorum vestro consilio expectatus est. Ita cum neutri ab altero pacati quicquam responderetur, utrinque è colloquio discessum est. Consul haud modicè de perplexo negotio sollicitus, viam quærebat qua bellum declinaretur. Et quanquàm decreto senatus placuerat, peditum præsidia omnino imponenda, non episcopi, sed populi impensis esse: illud tamen unum metuebat, ne, cum exactis mensibus populus, ex magnitudine tenuitatéque suæ quisque fortunæ ad collationem pecuniæ in stipendium censeretur, difficultatem auferendi motus intestinus ac seditio comitatura esset. Imminens hoc malum ut declinaret, averteretque, tale cum tribus adhibitis consularibus apud Hadrianum Rhedium & magistrum equitum ex tempore init consilium: quò, haud dubia spe, & pax conservaretur, & episcopi gratiam Senatus & populus Amorfortius emererentur. Id autem fuit hujusmodi. Locarentur in civitatem conscripti armati, qui à senatu decreti fuerant: dicerenturque vulgo è stipendio ærarii, populo Amorfortio inautorati. Adde & illud: ut senatui sacramento jurati essent, ne non omnia verisimilia apud principis hostes apparerent. Interea per literas negotium Gulielmo Turco ad conscribendum unum signum mandaretur, eosque pedites occultis itineribus in civitatem mitteret. Ipse interea episcopus stipendia ita occultè in singulos menses suppeditaret, ut ne tenuis quidem ejus rei odor ad hostem perveniret. Persuasio relinqueretur, è publico (ut dixi) in pedites impensas fieri. Placuit callidum impensè commentum in speciem tutum legatis: ac nihil indidem morati, ad referendum Dorestatum sub noctem repetiverunt. Paucis sub hæc interjectis diebus VII. Id. Decemb. in civitatem venerunt septuaginta quinque pedites, duce Godefrido Novesio: quos Consul senatus ac populi nomine illico recensuit, & ad sacramentum compulit, nusquam ullam expeditionem facturos, moturosvé, nisi ex imperio suo & senatus: & illis sine rebellione ad officia facienda fideles se præstarent. Et servatum id quidem fuit usque ad Non. Ian. Omnibus inferæ ditionis oppidis & castellis ad istum modum amissis, cum nihil reliqui Episcopo Ultrajectinus fecisset, præter oppidulum Wicam, ubi in arce, quasi undique hostium castris septus sedebat: & Amorfortiam, quæ sola in fide remanserat: penes quam omnis receptæ urbis Ultrajecti gloria postea, sed nulla cum gratia, extitit. Pessimè affectæ erant res Transiselanorum interea. Quorum cum castella & præsidia fermè omnia, & civitates aliquot Gelrus occupasset: pro situ locorum, reliquas etiam civitates novis in fluminis ripa præsidiis positis, ad famen usque penè circumsederat. Cum itaque & animis & opibus diutino bello exhaustis, nullam opem prorsus ab episcopo expectarent: audirentque acta conventus Schoenhoviensis, in quæ tandem sibi quoque, præsertim ita affectis, vadendum foret: in frequenti ordinum concilio ex autoritate episcopi decreta est, sub jus & ditionem Burgundionum defectio. Indictus dies est ad conveniendum circa Non. Ianua. Servarunt diem Burgundionum missi legati: Florentius Egmondanus, Georgius Schenkius Phrysiæ præfectus, Gerardus Mulardus, Iodocus Sasbautius, Petrus Saudanus, Petrus à libellis secretis rerum Hollandicarum. Ex equestri nobilitate Transiselana legati fuere, Ioannes Mulardus, Buchardus Westerholtius, præfectus Volenhoæ: Lubbertus Mulardus, Ioannes Stellingus. A Daventriensibus legati missi sunt, Gerardus Critius, Henricus Plaetmannus, & Henricus Tersspillen reip. scriba. Campensium legati fuerunt, Lubbertus Hattemus, Gerardus Burgærdes, Ioannes Vechtus, Timannus Veno. His additus fuit Ioannes Breda scriba. Swollani miserunt Ioannem Herverdenum, & scribam Vernerum Pufflingum. His permissum fuit, quibus antè inter ipsos in frequenti ordinum & civitatum conuentu decretum fuerat, legibus & conditionibus, transferre in fidem Caroli Imperatoris & legitimorum ejus hæredum Brabantię & Hollandiæ principum, agros, fundos, prædia, civitates, oppida Transiselanæ gentis: ubi consensum ad id episcopi, legati Cæsaris protulissent. Hi ut inde nomine ordinum & civitatum, & omnis posteritatis Transiselani nominis, fidem & obedientiam eidem jurarent, simulatque id ipsum item ex autoritate episcopi sibi permissum cognovissent. Quare legati Caroli Cæsaris vicissim populo Transiselano

Præsidium Amorsfortiis quibus rationibus impositum.

1528.

ſelano hæc libertatis jura, ex principis ſui autoritate, inviolabilia eſſe juſſerunt.

PLACVIT *omnium primùm Cæſari, ut equeſtribus familiis, civitatibus, & oppidis Tranſiſelanis ſua libertas integra in perpetuum maneat: publica jura, privataque, clientelarum, caſtellorum, poſſeſſionum, conſuetudinum, ut quiſque ea frui pergat libertate, qua uſque ad præſentem diem fretus eſſet: Iudiciorum in ſuis quibuſque locis ratio, & legibus agendi forma apud ſuum cuique judicem & forum ſalva, è patrio more ſervetur. Quod ſi per regnorum civitatumvè mutationes, à pontificibus Rom. aliiſvè Tranſiſelani aliquando in poſterum infeſtentur: ea vis ac controverſia avertetur nullo civitatum, gentis, poſſeſſionumvè ſumptu aut damno. Promiſit ob ea Cæſar, quicquid Tranſiſelani juris fuiſſet, id univerſum ſuis impenſis ſe reſtituturum. Iam quod ad ſtipendium in hoc bellum attinet, non oneraturum ſe penſionibus, ſuprà quàm ut ſolvendo eſſent: quando belli impetum ſuſtinendo tot annos exucti eſſent. Quoniam autem Tranſiſelani ſe privilegium habere, & jura ab Impp. accepta affirmabant: quare in poſterum ſe ad ſuſcipienda arma contra Imperatorem cogi non debere: Reſponſum ad id fuit, Legibus illis nihil detractum iri, quod eas vel læderet, vel labefactaret honeſtum. Fuerunt item pacta, ne quis ob debitum alterius, æſvè publicum ditionis Tranſiſelanæ, extra ditionem Tranſiſelanam in ejuſdem principis regno accuſetur, retineaturvè: ſed ob ſuum quiſque debitum ſolum ut par eſt. Et quia gravi bello preſſi erant, in legibus id quoque tenebatur, ut Cæſar extemplò arma contra Gelrum pararet atque indueret: neu ullo omninò fœdere illi alligaretur, priuſquam oppida, agros, caſtella, & quicquid Tranſiſelani juris unquam fuiſſet, armis repetiviſſet: poſſeſſores incolæ in ſuos fundos reſtituti eſſent, ubicunque ii ſiti forent: & quidem abſque fuco, ne quid contra ea hoſti concederetur. Porrò autem, quia Gelrus præſidiis poſitis contra Daventriam in Iſelæ ripa, amnem obſederat infeſtè, ea quam primum tollerentur. Quoniam autem Tranſiſelani per bella, quæ magna habuiſſent, ære alieno onerati eſſent, & creditoribus obnoxii, permiſſum foret equeſtri loco natis & civitatibus, ex autoritate Cæſaris, aut ejus præſidis, è conſuetudine patria collationem tributariam conſtituere, ut ſe redimerent. Depopoſcerant Tranſiſelani vicos aliquot Gelræ ditionis, ſuis finibus, hoſti ademptos adjici, ac ſuperæ ditioni donari. Reſponſum iis fuit, Cæſarem genti Tranſiſelanæ poſtulatum, quod ratio ferret, tum demum conceſſurum, ubi id regnum bello in poteſtatem veniſſet. Pactum inſuper fuit, quoniam tabulas de decem aureorum milibus Tranſiſelani epiſcopo,* Conditiones inter Imp: Carolum & Transiſſulanos.

pro ne-

pro nescio quibus hypothecis tradiderant, contenderunt à legatis, ut cum episcopo de restituendis tabulis agerent.. Receperunt illi & in id se anisuros pro viribus, atque impetratas daturos in ipsorum gratiam, quod fieri posset. Nec cum Gelro adjungerent fœdus, pacemvé facerent, priusquàm quingentorum aureorum pensio in annos singulos remissa, quam Gelrorum princeps Svvollanis extorserat, sublataque foret. Si posteris temporibus dissidium aut certamen inter civitates ortum, ullam controversiam moveret, huic dirimendæ non ultrà Cæsar se interponeret, quàm bonum & æquum principem deceat. Quod si ab hoste rebus ablatis damnum acceperint, ab illo eos defendet, perinde ut alios, sub suo imperio, populos: fas jusque erit, jure in suis controversiis agere, in ejus regni civitatibus, pariter è communi jure ipsorum incolarum. Non committet Cæsar super hac, glebulas palustres proximo triennio è Transiselana ditione exportari, mulcta cymbæ cum merce, principis fisco sextans: delatori uncia. Exacto triennio, consultabitur, cavebiturque in posterum rebus Transiselanis, ut par illud atque utile videbitur. Persolvetur inde consueta in singulos annos Cæsari sua pensio, quo in reliquum hac in re, regioni Transiselanæ prospectum sit. Cæterum quod ad monetam civitatum Transiselanarum, ut eà pari cum principis numismatis dignitate, per omnes ipsius regiones æstimationem suam obtineat: id quoniam ad principis majestatem, & communem omnium ejus regnorum ex æquo salutem pertinet, cum præfecto monetæ consultabitur, atque inde permittetur, ut æquum videbitur. Postremò ut pacta hostibus ab episcopo, ejusque præfectis, ne hostilia paterentur, concessa, rata & integra servarentur: ut ea pecunia inde conflata, in stipendium militare verteretur.

Hæc ferè summa est pactorum inter legatos Caroli Imp. & gentem Transiselanam. De his tabulæ postea confectæ sunt. Per eos dies episcopus, propter hybernorum tempus, copiarum partem dimisit. Unum signum cum modico supplemento, quod ex robore veteranorum constabat, Wicam ad hybernandum reduxit. Verebatur Gelrus, ne remittente hyberno frigore, sub vernum tempus episcopi stipendio rursus inautorarentur: quando ad circumcidendos sumptus, ad tempus solum eas dimiserat. Quare tumultuaria manu ex Batavorum ac Velaviæ agris contracta, adjunctisque iis copiis quæ in urbe Ultrajecto erant, raptim ad duo milia peditum confecit. Cum his Ultrajectum, inde in Rheni ostium profectus, illas ab episcopo dimissas securasque hostium inopinatò adortus, dissipavit. paucis captis, reliqui fuga sunt dilapsi. His copiis auctus Rossemus, movit in interius ostium Rheni. Hic dum incautius cum Vito Munstero equitum magistro ad occupandum idoneum castris locum cum modico equitatu ante alios evagatur, penè in hostium insidias incidit. Interventu suorum ad classicum datum, pulsis insidiis, periculo extractus fuit. Iam cum haud procul ab ostio, pararet ea locatis castris, quibus ad oppugnationem præsidii opus esset, nunciatur, Genemudenses transmisso Isela, effuse Velaviæ vicos incendio passim populari. Hoc nuncio, discusso obsidionis consilio, Rossemus trepidus rerum suarum excitus, sublatis properè rebus castra movit: ac dimissa ex agris passim collecta multitudine domum, reliquas copias Ultrajectum reportavit. Eodem

Rossemii periculum.

tempore

tempore Gelrus castella aliquot, in limo palustri Apcaudano & circa Vechtam per deditionem cepit, Hammum, & castellum Miertanum. Tentata est per proditionem Montfortia: sed irritum incœptum fuit. Crescente inter hæc caritate rei frumentariæ in urbe per annonæ inopiam, cum duobus signis & omni equitatu in Bataviam frumentatum proficiscuntur. Episcopus nuncio, Rhenum hostes iterum trajecisse, accepto, sperans se ab itinere eos inclusurum, circa Amerongam copias disposuit. Sed ubi audisset ex præmissis exploratoribus, utroq; eos armorum genere se duplo esse superiores: & in frumentatione copias, ut tuto commeatus in urbem portaretur, auctas: omisso itinere, quod ad claudendum transitum insederat, Dorestatum rediit. Vilescente per crebras frumentationes, frumenti precio æris inopia in stipendium Ultrajecti laboratum est. Quare ut milites ad officia promptiores essent, senatus opulentioribus civibus, ex privato conferendum stipendium imperavit. * Bubile erat in agris Camporum, quò bubulci è propinquis pascuis sub imminentem noctem pecus compellere cōsueverant. Id tanquam opportunum ad reprimendos Campenses, & prohibendum Genemudensium effusas in Velaviam excursiones Dux occuparat. Ac statim excitis tot Velavia fossoribus, paucis diebus vallo fossaque adversus omnem belli impetum, nihil hyberna intemperie impeditus, impositis præterea validis præsidiis ita muniverat, ut nulla operum vi penè expugnabile videretur. Et situs ipse loci id validius quoque reddebat. Hinc crebræ excursiones ad Camporum portas usque fieri: frequentes dimicationes & certamina cum Genemudensibus haberi. Daventrienses præsidium Diepenheimum, quod Gelrus valido imposito milite tenebat, obsidione cingere adorti, brevi quàm castra local[illegible]ent, omnia, quibus ad oppugnationem opus esset, opera expedivere. Evocatus in colloquium præsidii præfectus, ut de deditione ageret, cum nihil pacati, sed superbè etiam respondere[illegible]: arreptus in hostium potestate mansit. Inde aggressi machinis & operibus præsidium, cum machinarum jactus fermè omnes irriti essent, irruunt ingenti impetu ad opplendam fascibus ac cratibus vimineis circumductam, & eam quidem præaltam fossam. Intulerant ad objectum vallum scalas: ibi Gelri è cuniculis ac propugnaculis in confertos hostes grandinare, cladem magnam edere. Fractis Daventriensium, principio oppugnationis infœliciter tentato, animis, in castra receptui signum datur. Territi præsidiariorum fiducia, soluta obsidione, exercitum domum reduxerunt. Et cœli inclementia, & loci natura ejusmodi erat, ut militum corpora pessimè affici potuissent. Gerebantur autem ista circa principium anni vigesimi octavi: cum episcopus nullum ocium militibus ab armis & incendio daret. Castella aliquot quorundam nobilium primæ factionis Ultrajecti, in Iutfasio ussit. Pugnatum per eos dies quoque est à Daventriensibus fœliciter, 1528.
duobus simul locis, ad Willsenam & speculam: qua victoria, ipsis additi, hostibus verò fracti animi non parum fuere. Ultrajecti nulla pacata consilia extiterunt: nam insequenti mense exacto, ubi stipendium menstruum ferociter poscentibus militibus persolvendum esset: in consilio de constituenda in singula civium capita, pecunia agitatum fuit. Sed quia haud dubiè ejus collatio, ob tenuissimi census humilem multitudinem, difficilis foret, & seditionem peperisset, id consilium discussum fuit. Interim blandimenta multa dando factiones primores milites circumire, feroces spiritus mitigare magnificis promissis, indies grandem pecuniam à Duce expectari. Denique extrahendo magis cupidos animos, differre solutionem, quam negare. Ac nisi ductores signorum, sua fide interposita cavendo etiam fremitum repressissent, ipsa urbs ad direptionem exposita, præmium belli pedestribus ordinum auxiliis fuisset. Brevi quàm hi motus quievissent, pecunia allata est. Castellum erat in Dorna juris Archidiaconi ædis primariæ Philiberti Naturelli, à consilio rerum Burgundicarum. Is, ut aliarum rerum in urbe Ultrajecto, sic & castelli hujus curatorem reliquerat D. Marcum Wesium. Hoc belli initio Gelro, quòd valde opportunum esset ad prohibendas hostium excursiones: tum quod esset tutus suis illam in urbem receptus, aperuerat. Quare Archidiaconus ira accensus, ad Wesium, & basilicæ Martinianæ Canonicorum collegium literas dedit, quibus querebatur (audierat crebras inde in hosticum excursiones fieri, & viarum transitus claudi) castellum eorum fidei mandatum, Gelro jam patere sine sua autoritate: cum in hoc nequaquam ab se magnis rerum suarum sumptibus conditum esset, ut vel publica pax inde turbaretur, vel in bello hostilia inferrentur. Situm in eo loco esse, ex quo, quoniam Gelrus plurimum posset, ut episcopi insidiis ac fraude interceptum temerè deleri, soloq; æquari posset: id quod per facilè factu esset,

Frumentatoribus Geldri insidias ponit episcopus.

** Koeborch. fol 742. apud Isacum Pontanum.*

Ultrajectinorum periculum à præsidiario milite.

Vidit Lapius copiam harum litterarum ex Mechlinia 3. Januar. 1528. datarum à Dn. Archidiacono, in quibus ait, Se mirari improbitatem, malitiā & fraudem Marci de Wese officialis sui neque id fieri se volente sed vel hoc unum summ[illegible] optare quod ipse M. de Wese cum fratre & suis ab episc. detinerentur captivi aut in castro de Doorn compedibus essent constricti & igne ardentissimo apposito consumerentur & quod in anni X. de reditibus adjacentibus obulum non reciperet.

 quan-

quando non ad vim ferendam, sed ad delicias magis comparatum foret. Si quod interim inde damnum acciperetur, scirent, id universum in ipsorum capita casurum: damnum infectum eos reddituros. tametsi Wesii bonis in posterum sibi satis cautum esset. Episcopus in spem adductus eo per hos dies potiundi, bipartitò equestres copias circa radicem montis ita mittit, ut diversis itineribus ad Dornam, quasi hostes hostibus, neutri alterorum gnari occurrerent. Altera turma cum signo Gelro per montem circumducta, ut si ab urbe Ultrajecto adfuisset, turmæ cum episcopi vexillo in conspectu castelli loco satis plano densatoque, sed vasto ac sterili, fit ex composito obvia. Nec mutuum occursum facile erat sine prælio declinare: partitique ita erant, ut pauciores sub Gelro signo cum pluribus commiscerentur. Editur infestis lanceis serii certaminis, spectantibus è castello præsidiis, simulacrum & species. Tandem Gelri signi eques simulato pavore, paulatim retro cedendo, ad clamorem & manus eorum qui in præsidio aderant, quasi multiplici terrore, viribus impar, perculsus fugæ consilium capit. Alii postquàm illos fugientes conspexere, circumactis freno, & additis calcaribus equis, studium instandi insequendique fingunt. Ad hanc pugnæ equestris speciem non mentes Dornenses cum oculis tantum intentas habebant, sed receptum ad se habentes patefacta porta, stratoque ponte manibus trepidè ac clamoribus accersentes, adjuvabant. De tectis tormentorum vi, & turribus, in terga cedentium, carpere simulantes, tonitruare: eos machinarum campestrium jactibus, pro viribus retro compellere. Subierant jam aliquot, transito ponte, castellũ, cum signifer inter principia invectus, exuberanti lætitia nondum capti castelli nimis calidus, indicio tesseræ, nec absque vi in primum obvium se proderet. Ibi ille fraude detecta, in fugam intrò ablatus, ad arma trepidè conclamat: hostes pro amicis trans pontem intrò receptos: emittenda ea quæ in expedito ad manus aderant, tormenta, in confertas turmas, priusquam hærentes tergo pontem transgressi, aream interiorem & aditus occuparent. Ad hunc clamorem principia hostium perculsa, metu ne subducto à tergo ponte, simul & objecta porta, nube missilium obruerentur: circumactis freno equis, & additis calcaribus in fugam se abripiunt. Dolore inde amissæ è manibus victoriæ exasperati, conjunctis turmis vicum Dornam infestè pervagantur: ac capta aliquanta rusticorum præda, inter quos vici prætor quoque erat, Wicam receptum habuerunt. Per id tempus episcopi copiis Nerdam frumentatum profectis, ex Ultrajecto insidiatum est, sed nulla re memorabili. Tentata quoque Schoenhovia est à tribus peditibus, habitu muliebri oppidum ingressis: sed irritum incœptum fuit. Indicio deprehensi, & in Hagam missi, confessione tormentis expressa, supplicium dederunt. Per hæc Hollandorũ oppidis præsidia imposita extemplò sunt. Appetebat interea vernum tempus, quo omnib. copiarum Burgundicarũ viribus ex pacto cum Gelro bellandũ, & Burgundionibus de tradendo episcopatu cavendũ esset. Quare concilio habendo dies episcopo & ordinib. Transiselanis à præfectis Burgundicarum regionñ Dordraci dictus est. Eò postquam convenere, transactis iis quæ ad ditionis utriusq; translationem & pacta attinebant: decretum quibus quantisq; copiis bellum, & quibus ducibus ad Cal. Majas, cũ Gelro gereretur. dicti sunt duces, Comes Florentius, Comes Gulielmus à Renneberga, & Georg. Schenkius: ex heroibus illustrib. Tautenburganis, Phrysiorum præfectus. His mandatum est, ut omni cura copias conscriberent. Decreta sunt ad id bellum peditum XVI. milia, equitum verò sesquimille. Interea Georg. Schenckius, quantis videretur copiis in Transiselanis, adjunctis in supplementũ eorum auxiliis, nulla mora res gereret, simulac anni tempus id pateretur. Agebatur principium anni vicesimi octavi. Revocantur, referente factione, à senatu Ultrajectino, facto in id senatus consulto, in urbem Cal. Febru. quotquot metu belli in pacata oppida perfugerant. Senatusconsulto non parentibus, decem annorum exilium publicè jussum: præter multatitiam centenorum coronatorum pecuniam, ærario inferendam, & jus puniendi amplius etiam, quod penes Ducem esset. Supplicationes ad hæc in sex menses sunt decretæ Veneris diebus, ut res belli fœliciter ac prospere evenirent: & jejunium simul institutum est. Motus novus, ab equitibus stipendium quinque mensium ab inchoato bello postulantibus, obortus, à Ducis legatis, qui huc ad res inspiciendas trepidè accersiti fuerant, supervenientibus, compositus est. Comitiorum tempore propter civium paucitatem (nam partim exulabant, partim direptionis periculo, nonnulli etiam odio factionis urbe post cœptum bellum dilapsi fuerant) in duodecim dies dilato, cum interea spreto edicto nulli redissent, convenere quidem operæ in suas quæque è prisca consuetudine, curias: sed adempto sortiendi suffragandiq; jure, Dux per epistolam homines suæ sectæ senatores ac tribunos dixit. *Coss. facti Fredericus Regius, Godefridi Regii prætoris filius: & Frederi-

*An. 1528. *Cõsules Fredericus de Coninck, & Fredericus Voocht van Rijnevelt.*

Fredericus Vochtius. Nec fuit clam amplius Gelro, quid consultarent Dordraci: quare finitimos Leccæ vicos episcopum redeuntem operiens, cum toto exercitu insedit. Ille non ignarus, Wicanos ingenti sui desiderio teneri, Schonboviam è concilio reversus, ad eos literas dedit in hæc fermè verba.

Anxii sui expectatione esse, simul & solicitudine pro sua salute agitari desinerent, quòd hostis citeriorem amnis ripam infestis armis obsedisset. Se propediem tantis copiis stipatum, domum adverso flumine adfuturum, ut per medias illorum stationes iter suum posset vertere: Ipsi interea accuratè vigilias pro portis & mœnibus adversus hostium artes & impetum haberent.

Missus iisdem diebus cum literis nuncius ab Episcopo ad ordines Ultrajectinos è Schonbovia, de actis & conventu Dordraceno, (ne ignari essent) in stationem incidit Gelrorum. Hi, lectis literis, ac nuncio citra ignominiam retrò dimisso, adeò incredibili lætitia perfusi fuerunt, quòd longæ militiæ & majoris nominis belli certi essent, ut in noctes seras convivia & compotationes largiores producerent. Datæ sunt brevi pòst de iisdem iterum rebus ab episcopo ad Ultrajectinos literæ. Postquàm Gelrus ingens sibi à potentissimo hoste bellum parari palàm advertit, (quia passim delectus per Hollandiam habebatur) & ipsa oppida validis præsidiis impositis permuniri: adeò ut communibus armis contra se belli impetus universi verteretur: conscripto novo exercitu suas civitates, & commeatu maturè munire aggreditur: mittitque circa omnia præsidia, qui mandarent, ut intentè custodias haberent. Idem & ab episcopo, per eos dies navigio Dorestatum reverso, ad eas munitiones & civitates, quæ in fide remanserant, factum est: ab eoq; add tum fuit, ad Cal. Majas momentum belli alicujus operæ precii fore, præut hactenus fuisset. Gelri, qui aggerem Leccæ oppositum & proximos pagos insederant, cognito per exploratores episcopi accessu, & copiarum, (erant enim ad duo milia peditum) quæ expedito agmine aggerem, dextramque adnavigantis ripam tenebant, sut eum in tutum prosequerentur: in minus glebosa montium iter flexere: veriti, ne trajecto Lecca hostibus convictis, in discrimen, locúmve iniquum deducerentur. Dilabentem Gelrum manipulus sub noctem exploratum insequutus, ubi castra metarentur, in parum notis callibus incautus in hostis stationem incidit. Capti hi cum ad Martinum Rossemum deducti essent, interrogantur quantæ copiæ suorum fuissent: ubi corpora curarent, quové iter haberent? Ille singula edoctus, in primis autem, omnes Leccam jam transivisse, ac castra Langostratia petivisse, extemplò moveri castra, & expediri arma imperat. Atque ita à media nocte nihil moratus, sublatis impedimentis, lentè flumen Leccæ repetit: ne miles cursim per difficilem præpinguemque glebam iter faciendo, priusquàm ad hostem perventum esset, lassitudine frangeretur. Paulo sub exortum solis ut ad Taislicam diluculante jam aurora ventum est, Rossemus copiis traductis, pontones subduci custodiriq; mandat, ne transitus à tergo suis clauderetur. Inde expedito agmine, quantum potest, Burgundicas copias ad vesperam penè usq; sequutus, cũ ab obviis viatoribus accepisset spaciũ itineris, quod adhuc aberant: nihil ultrà tendere ausus, tum quia miles totum diem itinere faciendo defatigatus erat, ab insequendo abstitit. Sequenti die superato amne contra Culenburgum castris locatis, corpora suos reficere & animos jussit: atq; ibi haud multum temporis moratus, in castra Dornensia copias reduxit. Fervebant interim omnia conscribendis copiis per omnes Burgundici nominis regiones. Sed nihil æque terrorem belli, quod à potente hoste parabatur, auxit atque id, quod transportatis in Phrysiam è Brabantia impedimentis, Schenkius habito delectu, evocatoque Phrysii Burgundicique nominis milite cum exercitu Isalæ appropinquare diceretur. Perculit hic rumor supra modum cùm finitimos Gelros, tum Ultrajectinum populum: quippe qui concitati belli conscientia tactus, gravissimi hostis adventum, cum quo tot seculis, odiis certatum fuerat: sed & infestiorem multo, quo justius iratus erat, Episcopi accessum, si victor evaderet, formidabat. In ea turbatione, multi Burgundici sanguinis mortales, advertentes præsentibus reipub. Ordinibus nec virium nec animorum satis esse ad ferendam instantis belli tempestatem, cum hactenus non suffecissent: simul quàm parum spei in Gelro foret, simulatque universus belli impetus

 in eum

in eum conversus esset, urbe furtim excessere. Quorum fuga per factionem & Gelrorum præfectos vulgata, quamvis ad eam diem usque in pacatorum numero habiti erant, confestim hostes judicantur: ac militibus in domos eorum immissis, penu omne diripiendum absumendumque datum est: illud identidem consonante clamore occinentibus: Martis id jus lusumque in patriæ desertores esse. Multi, quos apertè episcopi vel hinc esse norant, quod nusquã factiosorum consiliis interesse voluissent, urbe, senatus autoritate pulsi sunt. Indignatio ingens ex ea re, & clamor plebis adversus hujus conturbationis autores exortus, expostulantis cum præfecto urbis comite Mursio effecit, ut non solum moderatius deinceps, & lenius rempub. gererent, sed milite extemplò ædibus fugitivorum deducto, à vi etiam temperarint. Interea dum à Burgundis ea, quibus ad bellum opus esset, citra ultraque Iselam apparantur, urbi adversus longam obsidionem commeatu Dux prospiciendum edixit. Magna frumenti vis circa Non. Martias Rhenis Ultrajectum portata: motaque simul sunt castra propius urbem è Dorna. Dux nihil amplius novi hostis lentos apparatus & adventum moratus, antequàm in se moveretur, Rossemo rem claram facere, & expectatam, ac facinus memorabile apud omnem posteritatem, rebus adhuc integris, perpetrare mandat. Quod ut tutius faciliusque conficeretur, misit ad Ultrajectinum exercitum sexcentos selectos pedites è Batavis conscriptos. Qui cum aliis recensi ad mille trecentos fuerunt. Lucis principio eas copias in campum Oudevlcanum prope urbem deductas, ad concionem Rossemus convocat: ac in frequentem coronam, hastam quatiens, progressus, ita loquutus est.

Christophorus Meursæ Comes cum Imperio à Carolo Geldriæ Duce Ultrajectum missus. Pontanus fol. 742.

M. Rossemii Oratio ad milites quos Hagam Comitis ducere intendebat. Pontanus in historia Geldrica fol. 744.

Næ profectò sterilem, contubernales fortissimi, militiam ingratis hactenus sequuti sumus: episcopum enim persequendo, nihil aliud sub nostris auspiciis, quàm quod incommoda multa, multumque laboris in expeditionibus citra ullum privatæ rei emolumentum exhausistis: ut sæpe nocturnus diurno labor per itinera difficilia hyberna intemperie, cum magna animi mei ægritudine, nulla prædà spe ostentata, à vobis sit continuatus: qui alioqui in pingui solo, quamvis lassos egregiè juvare potuisset: Nunc quoniam pro uno, gemini hostes nobis parti sunt, ut aliquando fructum aliquem militaris operæ sentiatis, aperiam vobis hodie ditissimum opulentissimi hostis regnum: ubi tantum auri argentique & preciosarum rerum prædæ vobis milites concedo, quantum per omnem vitam, ad luculenter vivendum satis sit futurum. Cæterum, quis hic sit hostis, ecquæ urbs, cujus diripiendæ opima præda vos onustos reddam, tum apertius vos edocebo, ubi propius perventum erit. Me ducem jam solum sequimini.

Sic paucis milites alloqutus, effuso cursu in suburbanum è concione pedes sese abstulit. Magnis clamoribus, Dii approbent ea verba: copiæ fugientem, inordinatè sequutæ, oppidanos è muris & turribus prospectantes, in tam subitæ lætitiæ & inexpectatæ admirationem verterunt. Cum peditibus omne penè equestre nomen, relictis in urbe equis, quod eorũ per Hollandiam cùm propter itinerum angustias, tum glebæ præpinguis hybernis mensibus difficultatem, nullus aut perquam tenuis esset usus, se conjunxit. Tenebantur interim portæ clausæ, ne quis internuncius ex urbe in Hollandiam, Gelrorum infestum accessum indicatum præcurreret. Iam ter mille ab urbe passus processerant, Rossemus postquam omnia circumquaque tuta ab auscultatoribus esse vidit, ad militem in concionem rursus advocatum hujusmodi verba fecit. Credo vos commilitones, magno cognoscendi desiderio, quò expediti iter habemus, accendi: nec immeritò. Nam simulatque hodie animos vestros spe ditissimæ prædæ impleverim, non potest repentina illa lætitia, omninò defecata metu curisque esse, quàm diu hostis genus, locus, periculorum difficultatisque ratio sit incognita. Equidem vos securos

esse

esse jubeo, atque laborum intrepidos: ut quem hactenus ducem, nullum discrimen, nullum tempus, nullam tempestatem unquam, quamvis sævientem, causatum habuistis, eundem nunc inter principia sitis visuri. Hollando imus bellum indictum, non per fœcialem (ut olim) sed armis & incendio. Hagam totius regni caput, ubi opes plusquam Crœsi aut Persicæ sunt, direptum contendimus. Hanc ego vobis auro argentóque spoliandam, & quicquid preciosarum rerum sit, quicquid ex ea asportari poterit, ita nudandum propino, ut nihil reliqui faciatis: quantum item virorum obvium est prædæ Ultrajectum abducendum, ut se à vobis redimant. At potentis populi nomen nihil vos conterreat. Fuerunt olim strenui: at nunc nihil minus. Si reputaveritis apud animos vestros, sub quo principe ad hoc usque tempus cum magna nominis vestri & gloria & æstimatione militastis, qui vincere solum, & nunquam vinci novit: qui belli artibus & rei militaris laude unus clarus habetur: Deinde, si vestram ipsi virtutem, tot victoriis florentes copiæ, vobiscum cogitaveritis: contrà, Hollandorum imbellem gentem, & ignavos ventres: facile opinor apparebit, quàm per inertem hostem medium, iter vobis faciendum erit. Quàm brevi temporis intervallo omne propè nomen Transiselanum vestræ ditionis fecistis? Quot arces episcopo quàm parvis copiis uno simul tempore ademptas, Ultrajectinæ reipub. restituistis? Taceo Horestam, taceo Amisianum præsidium, terrore adventus exercitus victoris magis quàm vi in deditionem concessisse. Adde, episcopum intra angustum, & quidem haud perinde munitum præsidium, ut sibi persuasum habet, conclusum teneri: adeò ut præter Amorfortiam, nec arx, nec munimentum sit, ubi testudinis in morem, collectus in suum tegumen, tutus ad omnes ictus lateat. Hæc vestra, commilitiones, vestra inquam, virtus paucis mensibus, tantam nomini vestro celebritatem, tantam existimationem conciliavit, ut ipso accessu formidabiles, in fugam, antequàm ad decertandum acie ventum esset, hostes compuleritis. At Hollandorum possem numerosos nostra memoria exercitus, sed secunda prælia nulla: multas item fœdas clades diversis locis acceptas, commemorare, in quibus Gelri nominis virtus enituit. Quid? ubi ingentes eorum exercitus paucissimis copiis fudimus? ut planè vetus illud verbum verum esse, re ipsa compererim: Ignavam esse opulentiam, & Timidas divitias. Quàm exigua manu superioribus annis Wasseneri instructissimas cohortes, in Carthusianis*, procul ab domo asperrima hyeme cecidimus? quantam militum vim cum eorum duce cepimus? Nonne innumerabiles penè copias prope Hardervicam in maritimis locis, per eadem fermè tempora tumultuaria manu rusticorum delectæ juventutis, è Velavia, cum modico equitatu, contracta, ad internecionem delevimus? Recentior est illa insignis victoria ad Tenneidam, ubi capto Gulielmo Turco, hostilium copiarum duce, accepto gravi vulnere, plures contrucidabantur propè, quàm acceptæ cladis nuncii fuga evadebant. Nihil itaque metus, nihil trepidationis vobis faciat, ô milites, Hollandici nominis inanis fumus: cui propter tot victoriarum decora ipsi pavor estis.

Opulentia ignava.

** Apud Ultrajectum. Pontanus ad an. 1512. fol. 646.*

Quod ad alia igitur pericula promptiores, & ad novos militares labores subeundos sitis alacriores, nunc tempus poscit, ut vobis ditia stipendia, vobis grandia operæprecia, magnæ mercedes proponãtur: ne semper victorias vestras infrugiferas esse queramini. Hic senatorios homines * euparyphos circa abacos rationarios occupatos, hic causidicos & patronos mercenarios luxui & crapulæ ociosè vacantes, & planè Sybaritas, in prodigiosa opum affluentia opprimetis: hic denique quantum auri, quantum argenti infecti factíq;, ab extremis usque Indis & Arabibus in septentrionalem orbem est transmissum, opportunum expositumq; estis habituri: ut nemo omnium, cognito nostro accessu, nisi in manus nostras fuga dilabi queat. Ecquis vestrum est, qui negabit tanta mercede priores labores abunde pensari? Quis hostem quamvis potentem viribus, talibus castris ad diripiendum concessis: spoliis tam opimis, ad legendum, datis, non contemnat? quæ omnia uno vos die tanta opulentia onerabit, quanta in omnem senectutem, ad lautè splendidéq; in ocio vivendum rudiariis sat sit futura. An non quævis ad ultimum pericula, præ hujus præmii expectatione levia, imò verò nulla æstimanda sunt? Mea profectò sententia. Iam verò duplex induendæ in novum hostem indignationis causa animos vestros meritò accendere debet. Primum quod per Hollandos stetit, quo minus episcopum tota ditione exutum (cum tantum armis polleremus) jamdudum expulimus: quæ sola res vos victoriæ vestræ fructu defraudavit. Hi enim occultè mittendo illi auxilia, stipendia liberaliter suppeditando, pecunia juvando, ditionis nostræ propemodum factum episcopatum, intervert erunt. Deinde ita novo fœdere cum hoste societatem adjunxerunt, ut bello huic illigati, si victores evaserint, alieno, in jus ditionemque suam, omne nomen Ultrajectinum, superũ & inferum

** Id est, Eleganter vestitos.*

Hollandis cur Rossemius infestus.

inferum pariter cogant. Hæccine tam indigna nobis toleranda? an differenda hostilia tantisper, dum apparent? dum egregiè armatorum milibus instructi, transitum nobis in Hollandiam, aditum in Hagam, bello translato claudant? dum itinera, dum calles insideant? Maturè nunc obstandum est milites, & virtutis documentum ipsis cum magno gloriæ vestræ additamento, & commodo circa novi belli prooemium, edendum est. At id interim metuo, ne, quod aliquot hostium civitatibus à tergo relictis, mediterranea regionis penetranda sint, paucis ignavis trepidatio pavorque oboriatur. Hos ego indignos honoratæ militiæ nomine exautorandos, & domos dimittendos censeo.

Ignavi ad quālibet curam inhorrescunt.

Etenim nullum facinus magnum in bello sine periculo, nihil memorabile sine difficultate geritur. Illa ubi absunt, ibi nihil gloriâ, nihil triumpho dignum patratur.

Quanquam vero non videam, quid obvium esse possit, quod terrore ullo vos percellat: pavoremvé faciat, quamobrem inanem metum fingatis. Loquor hic spiritibus militaribus, quos gloriæ cupido versat: non ignavis, qui ad quamlibet curam, & agitatæ arundinis susurrum inhorrescunt. Nusquam hic hosti castra sunt: à tergo perpacata omnia, regionesque ab hostium copiis tutæ. Montfortia, quanquam nec in pacatorum, nec hostium numero habetur, quod suo principi pareat: nec inde hostilia sint illata, nec portæ nobis pateant: nostro tamen nomini ita est amica, ut nisi nobis, nulli auxilia unquam ad bellum miserit. Duo inde oppida, quorum alterum humile modicis admodum præsidiis, alterum haud multo majoribus munitum, ita prætereunda sunt, ut à tormentorum vi è muris, planè tuti sitis futuri. Ex composito milites hæc expeditio suscepta est. Quare non permittetur præsidiis, senatus autoritate, portis ad velitandum nobiscum erumpere: ne transitus in Hagam impediatur. Quid si ex omnibus oppidis præsidia deducta in unum agmen confluentur? quod quidem futurum non est: cum mulieribus pugnandum, haud cum viris erit. Nam quantum militum urbibus impositum est, ex fullonibus, nautis, pellionibus, subulcis, agasonibus, & id genus vulgo Hollandici Brabantique generis imbelli, tumultuario, sine delectu contractum est. [Ut taceam, quanto exercitus victor & longo usu exercitatus, tyronibus, & iis quidem luxu urbano & ocio corruptis ac diffluentibus præstet. Vici inde, quotquot ultra citraque in ripa Rheni siti sunt, nobiscum ad paciscendum subacti, liberaliter ad ipsam usque Hagam nobis commeatum suppeditabunt. Porrò autem nulli amnes iter remorabuntur: nulli pontes, quibus intercludamur, difficilem transitum impeditumvé receptum dabunt: nulli obstabunt montes: nulla præcipitia: nullus iniquus locus subeundus, sed per plana & solida viarum, sine certamine, ad destinatum locum iter stratum est. Sine sanguine, quod mirum super hæc videbitur, tanta cimelia vobis tradam. Iam cum neque muros, neque fossas habeat Haga, quibus contra impetum alioqui permunita esset: nullum periculum erit, ne portæ nobis claudantur: aut fossæ cæsorum cadaveribus inter expugnandum repleantur: ut opima illa præda nullo prorsus sanguine sit nobis statura. Quanto verò graviores labores, quanto asperiora pericula, in statariis præliis hybernorum tempore in castris pertulistis: quoties nivalibus diebus, congressuris cum hoste, vix manibus retinendorum armorum esset potestas: quoties per objectos amnes transitu prohibiti, salutis spem in sola virtute militari haberetis. Scio milites, animos vestros à verbis meis ad virtutem haud perinde, atq; jucunda recordatione ditissimæ prædæ excitari. Quam quidem non solum in cōspectu, sed persuasū vobis, in manibus esse, habere debetis. Si extimulamini tot victoriarū gloria, si vestri spiritus longa militia efferati, terrori sunt militi Hollando, ocio in civitatibus luxurianti: si nulla cōfragosa, si nulli anfractus montiū, flumina nulla iter obsepient: diis bene juvantibus, me ducem vestrum, si hactenus, nunc verò maxime lubentes volentesque sequimini. Sic loquuto, ingenti applausu ab universa concione acclamatum est: se illo duce vel Orci fauces expugnaturos. Proin, quocunque vaderet, sine detrectatione alacres promptosque secuturos. Inde Montfortiam prætergressi, Woerdam contendunt. Quamvis operis initio brevem Rheni urbisque Ultrajecti descriptionem posui, ut quidvis potius quàm in fine ejusdem à rerum ordine declinare institutum fuerit: tamen, quoniam in interiorem Hollandiam expeditionis narratio nobis cœpta est, non inutile nec inamœnum legentibus erit fortassis, in ejus regionis veluti diverticulum quoddam obiter decurrere. Primum omnium apud scriptores constat,

constat, Rhenum in duo cornua divisum olim, non ut hodie in tria, Oceanum septentrionalem intrasse, sed longè alia ratione. Etenim præterquàm quod Isela tum vel obscurus admodum, adeoque nullius propè celebritatis rivus, vel planè omnino nullus fuit, alterum etiam ejus brachium, quod ad Batavodurorum oppidum usque Rheni adhuc nomen servat, non iisdem alveis, quibus nunc, in mare fundebatur (Lecca enim suis tum ripis perquàm angustis, ex illo nullo memorabili nomine, ut alii nonnulli rivuli, emanans, vix parvis lembis navigabilis erat) sed propè Vicam anfractuoso cursu retortus, urbis Ultrajecti muros alluebat. Inde in occasum rursus violento flexu à dorso urbis rejectus, Woerdam ac Leidam (hodie ea sunt Hollandiæ oppida) præterlabens, ad Catvicam Oceano miscebatur. Retinet adhuc toto illo tractu veterem suam nomenclaturam: sed & pleraque circà loca. Quantum itaque terrarum à Lobico, inter Waalim & veterem Rhenum ad Oceanum usque duobus quasi brachiis constringitur, olim Batavia appellata fuit: insula profectò omnium quas Rhenus facit, nobilissima, & ferax cum primis frugum. Iam verò ut Linga ex Rheno paulo infra Arenacum ortus, insulam aliam, eam dissecans, quæ nostra tempestate vulgò Batavia dicitur, facit, dum ad oppidum Gorcomium Waali commiscetur: eodem pacto amnis inde ad Ultrajectum effusus, primum Iselsteinam, inde Montfortiam, Veteres Aquas, postremò Gaudam præterluens, in sinum maris pariter cum Lecca, contra Roterodamum se exonerat: & Hollandiæ longè justissimam partem, quæ ad septentrionem vergit, cum veteri Rheno in insulam concludit. Unde ipsi Iselæ nomen est: modico nunc quidem, scaphis remisque vix navigabili, sed nihil ad veterem illum, Rheno alicubi, latitudine atque altitudine penè olim parem, quantum ex aggeribus oppositis, quibus utrinque ejus excursus constringebatur, conjecturam facere licet. Infra Veteres verò aquas in tantam vastitatem paulatim sese aperit, ut ad Gaudam Waali non sit inferior: maximè autem hybernis mensibus, cum pleno mari retro in mediterranea refusus, ripas objectas vel superare, vel aggerum molem refringere connititur. Iam verò quamvis hic obscurus, & suprà quàm infrà sit angustior, quàm qui inter celebratos scriptoribus, Germaniæ amnes forsan debeat recenseri: habet tamen aliquid celebratu non indignum. Septenis statis horis, rapido maris æstu ac conversione, perinde ut Mosa, & ipsum adeò mare propè Roterodamum, Dordracum, Brielam, Veterem item & Novam sylvam, memorata oppida (ad quæ etiam pontibus jungitur) prætercurrens, hyeme ad Geinam usque, æstate ad medium spacii inter Montfortiam & Iselsteinam, simul reciprocatione perpetua fluit, refluitque & quidem haud sine miraculo rei. Unde minus mirum mihi videtur id, quod de Eurypi prodigiosa reciprocandi celeritate, inter Phocidem & Eubœam, à veteribus scriptoribus memoriæ, prodigii loco, proditum est. Causam verò cur in tantas riparum angustias, temporum vetustate Isela contractus sit, non difficile fuerit tradere. Tantum enim salebræ è mari fluxu suo secum turbulentus introrsum trahit, ut simulatque refluxu siccas propè ripas aqua destituerit, ingentem salebrosi limi vim, & illius quidem præpinguis ac tenacis, toto illo tractu à tergo relinquat. Quare mihi videntur majores nostri, glebæ pinguedine capti, tantum flumini ademisse, quantum licuit: ubi laboris atque operæ, quæ illi repurgando quotannis impenderetur, & sumptus, pigere cœperit. Nec est ferè toto terrarum orbe gleba pinguior, aut solum feracius, quàm in his regionibus. Nisi Gaudani subinde prodigiosos sumptus desiccando vado facerent, jamdudum obturata fauce, nullum hodie Iselam haberemus. In hujus ripa ex effosso limo, inter Montfortiam (ea mihi patria dulcissima est) & Gaudam, laterculi coquuntur, quibus ab Isela, cognomentum tota ea regione, celebre est. Quondam totus hic tractus ab Ultrajecto, usque ad Oceanum, vasta fuit & nemorosa regio, horrendisque latrociniis infesta: proinde & inhabitabilis, nullisque aut certè perquàm raris oppidis habitata. Quare à vastitate sylvosa Holtlandia, & paululum corrupta postea voce, Hollandia nuncupari cœpit. Quod quidem ne tanquam commentitium & fabulosum repudietur, habeo in eam rem probabilia argumenta. Tota passim regione ultro citroque procera robora ex agris sæpenumero effodi vidimus. Sed quibus autem temporibus quove casu sylva ea corruerit, difficile est pro comperto tradere: nisi quod illud haud dubia conjectura affirmare, & pro vero penè prodere audeam: eo anno, cum Rheni faux, æstu maris tempestuoso ad Catvicam, arenæ aggere præclusa, ipsum amnem inundatione per universam Holtlandiam effusum, cursum suum per Leccam avertere compelleret, aquarum ventorumque vi sylvam prostratam fuisse. Argumento est, quòd roborum omnium capita quotquot effodiuntur, in Eurum porrecta inveniantur: ut à Zephyro, aut certè Thrascia, qui violentior est, procella coorta, & os

Rheno olim tantum duo ostia.

Batavia quæ hodie.

Isela cur contracta.

Glebæ pinguitudo apud Iselam.

Gaudanorum sumptus in siccando vado.

Rheni obturarit, & sylvæ stragem dederit. id quod accidit anno D. CCC. LX. Nisi ea res ad multo recentiorem inundationem fortasse referenda sit, quæ incidit in annum M.C.LXX. quo aquarumvis ruptis omnibus maris aggeribus, ad urbis usque Ultrajecti mœnia penetravit. Tenuere ab initio oram septentrionalis Oceani maritimam, seditione domestica pulsi Catti: quorum reliquiæ ad huc durantes, Catvica ad Rhenum & Oceanum appellantur. Mox triennio post sylvæ ruinam, postquam regio habitabilis facta esset, Calvus Gallorum rex eam Theodorico cuidam nobili homini, odio Imperatorum ecclesiam Ultrajectinam, cui pulsis barbaris donata fuerat, tutantium, dedit, annos CC. L. postquam ea condita esset. Sed incredibile dictu est, quanto successu brevi tempore ejus res creverint. Nam finibus virtute & armis propagatis, principes non solum magnum nomen, & gloria florentissimas opes sibi pararunt, sed per connubia ad regum fastigia etiam, & Imperatoriam majestatem pervenerunt: ut planè ad summum nostra tempestate venisse videantur. Habet autem ea quæ propriæ Holtlandia appellatur, clarissimas civitates, Schonhoviam, Dordracum, Amstelredamum, Alcmariam, Gaudam, Wordam quondam Ultrajectini juris, Leidam, Veteres Aquas, Harlemum, Delphos, Hagam. Montfortia, quamvis in Holtlandia sita est, ad ditionem tamen Ultrajectinam pertinet, à Godefrido Rhenano Episcopo, uti & Worda, adversus Hollandos condita: habet suum principem cui paret, quemadmodum Isselsteina, & Vienna, aliaque obscura quædam nullius celebritatis oppida. Redeo nunc ad cœptam narrationis seriem, unde me Hollandiæ chorographia abstulit. Rossemus Montfortiam prætergressus, & Wordam, omnes vicos citra ultraque Rhenum ad paciscendum, ne hostilem vim experirentur, compulit. Præsidiis Leidæ impositis, cum velitandi causa cum hoste, exeundi potestatem poscerent, clausis portis id negatum fuit. Quare vulgò per totam regionem postea jactatum est, hanc expeditionem Hagensem ex composito à principe Margareta Gelro permissam fuisse: ut est hominum vulgus in deterius semper, contra principes & rerum publicarum gubernatores suspicax. Constat Leidæ, rumore adventus Gelrorum allato, tantam trepidationem & pavorem oppidanis injectum, ut edicto publicè caveretur, statuta mulcta, ne quis è muris aut turribus, hostem prætereuntem tormento feriret, laceretve, ne provocatus mœnia invaderet. Processerant jam ad Voerscotam, (mille passus is pagus ab Haga abest) Rossemus horreum cum casa una & altera, injecto igni incendit. Sive quòd pertinaciter stipulationem pagani abnuerent: sive (quod plerique tum affirmabant) ut editum incendium nobilitati Hagensi signum foret ad maturandum fugam: non habeo quod affirmem. Nunciantibus trepidè ex agris proximis, Gelrum cum infestis signis Hagæ appropinquare, tantum abest creditum fuisse, ut vix etiam à vi sit temperatum. At postquam aliis super alios idem adferentibus, hostes à se visos, signaque militaria numerata, rumor civitatem pervagatus, plerosque effusos in objectam sylvam exploratum excivit: clarum ob oculos incendium exortum, & hostis conspectus, rumori allato fidem fecit. Tum demum trepidi rerum suarum, omnibus relictis, fugam fecere. Festinare sine præsentibus animis amentes: senatorii reconditos thesauros, ut obvii erant, in cymbas præcipitare: vehicula carrasque raptim magno comparare: in ea aurum infectum factumque conjicere, reliqua omnia diripienda relinquere. Multi quibus vita ac salus fortuitis rebus charior fuit, crescente intemperantius rumore, hostem sylvam jam ingressum, mensis relictis, atque omnibus prædæ datis, Delphos fugêre. Continens agmen fugientium virorum, ne in hostium potestatem venirent, implevit vias, respicientium crebro num Gelrus persequendo tergo instaret. Itaque pars Delphos terra navigioque ablati, nonnulli Roterodamum, multi in proximas Oceani insulas fuga delati, in pacatum evasere. Delphos per fugam Hagensium, & captam à Gelris Hagam, tanta trepidatio item cepit, ut si hostes eò accessissent, diffisi mœnibus, quæ tum infirma erant, se vel in fugam, Hagensium exemplum sequuti, per adversam portam abripuissent: vel de deditione cum illis pacti turpiter fuissent: ut tantum non consultatio eos de fugiendo teneret: Interea Gelrus Hagam diripit. Et præda eo fuit ditior, quo adventus minus expectatus, & oppressio magis improvisa. Quare nulla pecunia plusquam regiæ opes ibi direptæ æstimare possunt, aurum, vestes, argentum, & quantum rerum preciosarum ad luxum comparatarum esset. mensæ pateris inauratis, & epulis vinoque onustæ: ut repens terror quemque in fugam expulerat. Claves scriniorum særis hærentes: ut apud se tantisper non essent, dum signatum aurum argentumque in sarcinam conjicerent. Rossemus occupatam arcem, adjuncto comite uno aut altero, pactione in deditionem accepit. Parsum est paucorum ædibus nobilium, quibus vel sanguine, vel veteri amicitiæ

Rheni inundatio duplex

Principes vulgo semper suspecti.

Haga à Rossemio capta. Hæc & plura hujus libri etiam prosequitur satis prolixè Pontus Heuterus libro nono rerum Austriacarum foliis 433. & seqq. & Isacus Pontanus historiæ Geldricæ lib. x1. fol. 745.

vide Hadrianum Barlandum lib: 3: [illegible] ad Ann: 1527.

citiæ jure conjuncti erant. Miles præda oneratus, statim in luxum & libidinem effusus, omnia stupris & adulteriis complevit. Multæ nobiles matronæ, metu ne hostilia passæ, captæ insuper abducerentur, militum libidini expositę fuere. Virginibus nobilibus vitium oblatum, quo rem familiarem redimerent. Tertio quàm Hagam ingressi fuerant die, acceptis obsidibus pro imperata xx. milium pecunia, octo milibus argenti infecti appensis, inde discessêre. Miles, qui in civitatum præsidiis erat, cum vellet itinera & calles notos insidere, ad intercludendum hostibus transitum, id facere prohibitus est. Quàm quidem facilè id factu fuisset, vel hæc satis coarguunt: quòd integri & recentes itinere faciendo defatigatis, expediti prædâ impeditis, sobrii vino gravibus, & crapulam spirantibus occurrissent. Adde & illud, quòd refecti corporibus, continua tridui ebrietate & vigiliis fractos; facilè fundere potuissent. Ut taceam, plus eos in sua quàm hostes in aliena terra valuisse. Cæterũ multitudo agrestis ex agris collecta, ubi terga inordinatè discurrentium hostiũ carpendo, & insequendo aliquãdiu, certamen lacessivissent, nec pugnandi copia fieret, nec admodum poscerent, nox superveniẽs velitationem diremit. Postridie vici pacata in xi. hebdomadas pacti, partim solverunt, partim obsides imperatos dederunt. Interim dũ Gelrus populando atque urendo eam Hollandiæ partem pervagatur, episcopus suburbium Ultrajectinum, quà Rhenus in urbem influit, incendio vastat. Gelrus ubi accepit è castris circa Rheni ostia Burgundos movisse, ut à fronte ipsi simul & à tergo circumvenirentur: tum autem ex agris undiq; inconditam multitudinem contrahi: jam non amplius palantium more, sed ordinatè ad dimicandum instructi, paratique per veteris Rheni tractum, scaphis præda opulentissima oneratis, in urbem redierunt. Non eo quidem, quo exierant in hostem, habitu, sed ovantium specie, mardinis, sabelinisque & holosericis talaribus, ad ostentationem prædæ, & ludibrium nobilitatis Haganæ, & patronorum mercenariorum induti. Parte inde copiarum per suburbiorum hospitia, ad reficiendos animos, distributa, reliqui postero die domum dimissi, prædæ partem Arenacum ad Ducem deduxerunt. Processerant ad Sestum, cum à vici incolis adfertur, episcopum cum omni equitatu & peditum cohorte in cavis *montium itineribus ad intercipiendam prædam, & præda graves, tenere. Rossemus, ne rerum fœliciter gestarum gloriam hic amitteret, nihil territus, misso nuncio Ultrajectum, qui relictas urbi præsidio reliquas copias accerseret, ibi instructa acie substitit. Auctus post moræ paululum parte copiarum, exploratum in subjectos montes tres equites misit, quantus hostium numerus esset, & quæ itinera insiderent, pugnæ copiam obviis haud dubiè facturus. Hi dum incautius collium sinuosos anfractus, locorum ignari (ut apparebat) obequitant, in insidias hostium illapsi, ab episcopi copiis intercipiuntur. Ab his cognito Gelrorum robore, cum ad confligendum suæ virtuti diffiderent, (nam peditum numero neutiquam pares erant) cum tribus captivis Dorestatum repetiverunt. Erant interea res in urbe nihilo pacatiores. nam cum factio videret prædam Haganam & manubias non in ærarium, ut inde militi suum stipendium persolveretur, & bellum aleretur: sed partim militi relictas, partim Ducem sibi usurpare, seque indies magis ac magis collationibus gravatos exhauriri: magna disceptatio ad altercationem usque de injuria, inter pleramque nobilitatem & equestres Gelri nominis coorta est. Quare alter Consulum Fredericus Vochtius, ad Ducem missus est. Ille ut eos in fide contineret, blandimenta dando, alia excusando, quod deinceps militem longè magis voluntarium & alacriorem essent habituri: promittendo in posterum meliora, præsentem dolorem mitigavit. Sævitum interim in urbe est impotenter & inmanè in obsides, sponsores, captivosque Hagenses: non solum publicè, sed privatim etiam, ad exprimendum tormentis, quanti se redimere vellent obsides Hagenses, cum xx. milia non solverentur. Arenacum abducti biennium in vinculis fuere. Mittuntur per omnes Hollandiæ vicos, ut in urbem ad paciscendum quatriduò adessent, nisi extrema hostilium operiri mallent. Publicè per eos dies Burgundionibus indictum est bellum. Episcopus cum infestis signis nocte ad suburbanum Albanæ portę progressus, molam Gerardi Feutii, factiosi hominis, injecto igne ussit. Gerebantur ista circa Ultrajectum ad Cal. Martias. Schenkius cum iis copiis, quas tum in armis habebat, Islæ vadum transgressus, cum Campensibus, Bubile, quod Gelrus ademptum in præsidii speciem dudum munierat, obsedit. Huc ut aditus Burgundis clauderetur, paulo sub eorum accessum perfosso Islæ aggere, factisque circà præalt[is], quibus demergerentur, puteis, proxima prata inundarant: nec poterant illi dolum, ubi omnia aquis tecta erant, facilè advertere. Septimo idus Martias signo expugnationis proposito, cum præmissum militem ad postulandum in deditionem præsidium, jactu globi Gelrus violas-

Episcopus incendit suburbium quod in litteris Henrici Episc. de an. 1260. Tholler-stege nuncupatur.

Ovatio Geldrorum de spoliata Haga Comitis.

* Hole bilt.

Seditio intestina Ultrajecti ex præda Hagana.

Burgundionibus indicitur publicè bellum.

Bubile à Burgundionibus capitur.

violasset, percussissetque, ira atque indignatione accensi militum animi, datis prædæ atque cædi omnibus hostium, per inundata pratorum arcem duobus simul locis, ab Isela, & alio à Camporum conspectu averso, invadunt. Primùm aliis super alios passim in puteos ruentibus, postquàm dolum sensere postremi præcedentium, qui hastis cautius loca prætentabant, vestigia insequentes vallum tandem subiverunt. Inferunt scalas, nituntùrque triplicibus ordinibus in summa. Gelrus contrà, hostem unà cum scalis ad stantes aggeres illatis, hærentibusque deturbare, corpora pro muris opponere, stragem edere. Et Burgundus receptui jam jam, multo labore fatigatis, signum dedisset, nisi duo signa è Campanis civibus scripta, adversam Iselæ præsidii partem, & præsidiis Gelrorum nudatam, duobus fœno onustis vehiculis in fossam convectis, à tergo adorti essent. Capiunt Bubile, cæduntque in vallo Gelrum, fortiter Schenckianum dejicientem militem. Tum demum undique in summum emicant: ac trucidant, quantum militum in præsidio erat: uno vix aut altero elapso, qui hostibus immistus paulo pòst in pacatum evasit. Cæsi fuerunt centum sexaginta sex. A Schenckianis desiderati sunt, maximè Campensibus, XXXVII. Capto præsidio, ad direptionem milites conversi, cæsos spoliant, ac nudant. Fortè ita accidit, ut corpora & animos reficere jussi, militari licentia compotationem in seram usque noctem inter spoliata cadavera extraherent. Cæsorum unus, ut erat nudus, & multis vulneribus laceratus, pro exangui tamdiu in reliquo congesto mortuorum corporum acervo jacuerat porrectus, sese erigens, cum supplex vitæ incolumitatem precaretur, exterriti omnes quotquot ibi aderant, & stupefacti, penè militares spiritus, quamvis vino jam graves, exanimabantur: rati unius exemplo, statim alios post alios surrecturos. Sed quia animorum victorum ferocia jam deferbuerat, vita donatum, Campos in Xenodochium auferri jusserunt. Nec Dux suos diu circumsideri passus, quantum copiarum per id tempus in armis habebat, ad liberandum eos obsidione misit. Audito circa Hattemam, præsidium captum, & seram opem esse, exustis hostium navibus, quæ infrà paulo in ripa stabant, haud procul ab eo oppido, castra fecerunt. Burgundus hostium opus demolitus, præsidium Winsenorum ex adverso Trans-Iselam, adoriri constituit. Copias itaque extemplò Campos reductas, ubi per pontem appropinquare Gelri procul conspexere, nihil obsidionem morati, arcem injecto igne deserunt. Hac Schenkius solo æquata, ad * Atræ Paludis ostium nulla mora castra movit. Trabes in vadum ad discutiendam vim fluminis fistucis adactæ erãt: quibus passim ternos pedes extantibus, alię decussatim ac transversim impositæ, onus & molem universam præsidii sustinebant, ne subterlabentis amnis impetus aggerem invectum convelleret. Quod, quia difficile erat à terra oppugnare, naves, quas ejus loci incolæ Ollas vocant, admovit dux Burgundus: quibus operibus, tormentisque impositis, ab uno latere trabes vado fixas, quæ ipsum præsidium gerebant, tamdiu quassavit, donec vallum & rimas ageret, & ruinam ab ea parte minaretur. Cæterum paucis diebus, quàm circumsideri cœpta fuit, in deditionem venit. Inde ad Hassaliam castra translata sunt. Rossemus inter hæc expeditionem cum omnibus copiis in Septem sylvas simulat. Ea fama erectus Episcopus, pridie Idus Martias, sexcentos delectos pedites, & equites lxxv. ad utramque Bataviam depopulandam, Rhenum transportavit, ratus Gelro Iselam transgresso, totam insulam præsidiis nudatam fuisse. Rossemus, qui circa Zutphaniam adhuc castra habebat, literis suorum certior factus, episcopi copias vadum transisse, adeoque jam intra duo vasta flumina clausas teneri, præmisso nuncio mandat, ut quacunque vaderent hostes, à tergo mobiles aggerum vectes, ne equiti retrò receptus in fugam foret, occluderentur: (nam una tantum regia via prope ripam Rheni ipsis tenenda erat:) ipse verò extemplò sublatis castris Wageningam crepusculo diei quanta potuit celeritate ad prohibendam populationem festinabat. Grassabantur interim securi insidiarum & hostium, populando prædationibus & incendio omnia, Episcopii. Amorfortiæ eques erat Albertus Lumannus: hic allato in civitatem Gelrorum à simulata expeditione reditu, in Bataviam, conscenso desultoria celeritate equo, sub noctem Dorestatum subditis calcaribus petit. Et quia portæ clausæ erant, inclamat vigiles, qui in murorum stationibus excubias agebant, jubetque Coss. ut intromitteretur, ocyus accersi: esse, inquit, quod de communi salute, si exercitum salvum vellent, communicaret. Detrectantibus autem illis aliquandiu ob præsentem noctem aperire portas, vix multis obtestationibus equitis Amorfortii, & diris imprecationibus, qui mos homini habebatur, portula ei aperta fuit. Ductus inde in arcem ad episcopum, narrat de Gelrorum in Bataviam transitu, suasque copias, ni maturè, misso extemplò cum literis nuncio, trepidè domum, priusquàm longius evagarentur, revocaret,

Stratagema militare.

* Swarte Water.

Vidrus. Germ. Infer. fluvius circa Rheni ostia in Fris: anigrore Paludum, è quibus decurrit.

Insidiæ Rossemii.

vocaret, ad internecionem haud dubia clade consumptum iri. Triplo enim hostium copias peditum equitumque numero auctiores esse, quàm sui essent. Et ut fidem verbis suis faceret, vinciendum vinculis se obtulit, ni occidione tam delectus exercitus deleretur. Risu exceptis hominis verbis, tantum abest creditum ei fuisse, aut de revocando cogitatum, ut vix ab injuria sit parsum. Mane diluculo diei Rossemus supra Wageningam ad Rhenum pervenerat. Hic paululum dum exercitus à nocturno itinere fessus, raptim corpora reficeret, & episcopiorum iter, missis ad id speculatoribus cognosceret, moratus cũ exoriente sole, vadum transit. Episcopii tametsi inexpectato hostiũ adventu primùm nonnihil attoniti subsisterent, (quippe quos Isselam trãsmisisse persuasi erãt) virtute tamẽ & singulari audacia freti, copias partiuntur: ignari quantus hostiliũ copiarũ numerus esset, (erant ad duo milia peditũ, & ducentos equites.) Itaq; praemissi ad ducẽtos levis armaturae episcopii, qui cũ hostiũ levi armatura velitarẽtur, minimo momẽto eos fuderunt, fugaruntq;. Hac victoria elati, cum reliquo robore in Husdam, Gelrorũ reliquis signis obviam processerunt. Ibi apparuerunt & signa hostium plura, & acies longiùs quàm pro numero explicata. Praesulis copiae ubi sensere, retro objectis repagulis, & obicibus itinerum, fugae copiam intercelusam esse: ac proinde vel pugnando fortiter in vestigio moriendum, vel abjectis hastis in hostium ditionem vadendum: ne tentata quidem pugna, armis positis Gelro se permiserunt. Equitum partim capti, partim cum equis Rhenum tranarunt. Stabant pedites capti sesquihoram, expectantes quoad militari lege dimitterentur: cum consultatio de vindicanda clade, ad Camporum Bubile nuper accepta, duces interim teneret. Tandem postquàm diu consultatum fuit, valuit nefas, ut fides data, quae apud barbaros sancta & religiosa habita semper est, violaretur. Itaque Gelra religione ipsis servata est fides. Ductores in mediam concionem progressi, crudelitatem cladis Campensis verbis exaggerarunt. inde inhortati suos ad sociorum necem ulciscendam, ut eam sanguine hostili nunc expiarent, in inermes, captivos, in acceptos in fidem, in dedititios ferro irruunt, trucidantque occidione omnes: paucis exceptis, quos militaris gratia caedi subtractos in pacatum deduxit. Periit ibi membratim penè discerptus, secundae cohortis dux Pellicius Buscoducensis. Capti sunt Pilanus Amorfortius primae cohortis ductor, & Fredericus Sombresus magister equitum, ductique Arenacum. Fama inde cladis Batavae Dorestati accepta, cum magno tumultu concursus in forum ad episcopum populi est factus. Alii portis effusi turmatim, inter spem & metum haerentes, quanquam audierant, redeuntem equitem percunctantur, quae fortuna exercitus, quisvé casus pugnae esset. Episcopus, qui omnem victoriae obtinendae spem semper in iis copiis posuerat, ob robur virorum, quos è multis cohortibus dimissis delegerat, diu moestus consedit, tacitè apud animum suum illos detestans, qui authores ipsi ad eam expeditionem extitissent: sibique haud minus iratus, qui cum tot signis futuram cladem & multorum vaticiniis edoctus esset, nulli omnium fidem habuisset: optans id temporis potius ocio & quieti datum fuisse. Ultrajectinis verò ante meridiem, nuncio partae victoriae accepto, multiplex contrà tantaque adeò laetitia oborta fuit, ut si jam cum episcopo ac Burgundionibus debellatum fuisset. Facti igitur hoc successu ferociores (quia rumor increbuerat, insignia Caesariana apud multos civium in occulto haberi) de proditione inquisitionem fieri jusserunt. De nonnullis quaestiones in vinculis sunt habitae. Quidam metu, ne indicio proditi poenas legibus darent, voluntario exilio se multarunt. Per eosdem dies in urbem nunciatur, castellum * Miertanum, in quo ditissimum commeatum, Ultrajectum importandum negotiatores paucis antè diebus condiderant, ab Amsterodamis obsidione cinctum, ad deditionem inclinari, ni maturè missis auxiliis subveniretur. Redierat domum oportunè exercitus victor. Mittuntur eò raptim duo signa, delecti roboris, quae pulso ab obsidione hoste, quantum commeatuum ibi sepositum esset, in urbem deducerent. Sed recentis Batavae cladis Hollandus nuncio, & Gelrorum accessu cognito, obsidionem solvit: territus credo, ne similia pateretur. Confluxêre ex omnibus item Hollandiae vicis Ultrajectum, contra edictum principis, cum pacto pro rerum incolumitate, argento. Coenae Dominicae & Ordinum ecclesiasticorum ratio, quod tumultibus bellorũ omnia arderent, à D. Thoma * Neoclesiano, qui ea tempestate exul Chorepiscopus (ut ipsi vocant) & Episcopi vicarius erat, Delphis habita fuit. Georgius Schenkius, quia res belli prosperè gerebat, VII Cal. Aprilis in Trãsiselanis Caroli V. Caesaris Ducis Brabantiae Comitisque Hollandiae nomine insigni apparatu inauguratur: jubeturq; cum omni Phrisiorum nomine deditionem Transiselanam praeses obtinere. Rebus his confectis, ad exercitũ rediit. Gelrus jam spe omni potiundi Transiselana potentia pror-

Episcopii & Burgundi crudeliter occisi.

Interitus Pellitii.

* *Mydrecht in jurisdictione Praepositi S. Iohannis.*

* *Van Nyeuwkercken.*

De Chorepiscopatu vide Molanum libro de Canonicis.

tia prorsus abjecta, ubi vidit eam ad Burgundiones translatam esse, ut suas opes aliunde confirmaret, Ultrajecti comitia haberi de renunciando novo Episcopo, quem ipse diceret, statim imperat; ita ut ipse in tutelari ecclesiæ ipsius jure permaneret. Conventum ab omnibus ordinibus in comitia est XVII. Cal. Majas ad dicendum creandumque Ducis jussu episcopum, hominem imaginum majorum splendore clarum, Canonicum Coloniensem Comitem à Bichlia. Itaque hic eo die, quem die, publicè more majorum pro concione populi, additis consuetis ceremoniis, episcopus Ultrajectinus declaratus est. Posterò die hujusmodi literæ Amorfortiam (nam hinc nondum hostilia profecta erant, & in amicis habebantur, quod cum Episcopo arma non consociassent, licet præsidia quæ imposita essent, ex ærario ali, vulgò persuasum haberetur) ab ordinibus ad senatum mittuntur.

N. van Bichelling intrusus cōtra Bavarum Episcopum. Pontanus fol. 743.

Non ita diu est, socii atque idem amici & fidelissimi & prudentissimi, quod ad vos scripsimus, nobis stare sententiam, in fide principis ecclesiastici permanere, uti boni populo, qui sub tutela atque umbra D. Martini lateat. Quoniam autem, proh summe Deus, quotidie experimur, illustrem atque excelsum virum Henricum Palatinum declaratum episcopum nostrum, multa contra fidem suam designare: multa facere, quibus libertatem communem oppugnat: plura patrare, quibus diploma juramento suo confirmatum violat: quibus pomœria & cardines D. Martini non extendit, sed contrahit & coarctat. alienato enim sub jus ac ditionem profani principis Transiselano populo, metus nos tenet, utinam vanus, ne plura sit alienaturus. Quare adversus inimicorum vim, & hostium vires, ad tuendum communis patriæ libertatem ac decus: ad defendendum ab Hollandis D. Martini jus: simul quo alienata recuperentur, & rupta dissutaque sarciantur, heri frequenti ordinum conventu habito, concordibus omnium suffragiis illustrem nataliumque splendore clarum hominem, Comitem à Bichlia creavimus tutorem ditionis ecclesiasticum, ad administrandum majorum more utranque jurisditionem. Factumque à nobis id est eo consilio, ut ibi primum interregnum erit, quacunque via id eveniat, cum episcopum renunciemus: eum pro principe, omnibus justæ inaugurationis & juramenti cæremoniis datis, recipiamus: Quoniam autem hactenus vos ut fidelem obedientemque D. Martini populum, in omnibus officiis præstitis: non dubium nobis est, quin eadem nobiscum vobis stet sententia: sub ecclesiastici principis imperio manere velle: tueri vestra jura, tabulas juratas exequi: nec alios, quàm bonos vicinos sociosque præstaturos. Itaque quod ad hanc tutelarem gubernationem attinet, non voluimus vobis clam esse, quòd sciremus vos à nobis staturos, eandem sententiam & mentem item fore. id quod pro certo tutori designato affirmabimus.

Hassaliam obsidet Georgius Schenkius Frisiæ præfectus.

Subscripserant ordines consueto more, Tabulæ impressæ signo Decani. Erat inter hæc Schenkius in hoc totus, ut ab ea parte, ubi infirmissima esset, binis castris munitis, Hassaliam

gravi

gravi obsidione circumsessam, brevi oppugnaret. Gelrus diffidens præsentibus oppidanorum viribus, & paucitati militum, quos sub hostium accessum imposuerat, nocte silentio sexcentos armatos tectis navibus in oppidum misit. Haud inde diu moratus dux Burgundus, dum recens & terror esset, & minus paratus ad propugnandum tutandumque haberetur, duobus simul locis tormenta admovet. Ubi quassi ita muri essent, ut per ipsas ruinas apertum iter in oppidum armatis pateret, clamoribus id invadunt. Duxerant incredibili celeritate oppidani introrsum fossas præaltas, quibus trabes præacutas ita infixerant, ut pronæ in hostem, eas transcensuro illi adversæ forent. His agger humilis, cum vallis insuper fixis, & occultis cuniculis oppositus erat: in his collocati latebant tormentarii. Ponè aggerem verò stationes stabant armatæ. Ad hanc fossam hostes confertos duobus ordinibus acie firmata progressos ubi propugnatores sensissent: è cuniculis occultis ingenti certamine ferire cœperunt. Et antesignani præcipitio objectarum fossarum territi, cum refugere conarentur, vi multitudinis tergo hærentis, alii super alios præcipitati, partim vado hauriuntur, partim nube sphærularum ex occulto obruti, fossam cadaveribus compleverunt. Schenkius spe potiundi oppido in præsenti abjecta, suos in castra extempló reduxit: misitque illico, antequam spoliarentur, præconem, qui fidem oppidanorum pactus, cæsorum corpora ad sepulturam deposceret. Responsum à milite est victoria feroci, id tum impetratum eos laturos, ut ipsi occisorum spolia legissent. Postero die nuda corpora duabus navibus auferre hostibus permissum fuit. Successu hoc Gelrus elatus, non solum spem tuendi retinendique oppidi in armis & audacia habebat, sed noctu discussos aggeres reficere: oppidum validius scrobibus, quas lupinas nuncupant, circa vallum factis, munire: interdiu crebris eruptionibus eos, qui circa tormenta, quique in stationibus erant, turbare. Tenuit per hæc Schenkius suos aliquot diebus in castris, partim ut vulnerati curarentur: partim quod inopia pulveris tormentarii, & aliarum rerum, quibus ad perseverandum in obsidione opus esset, penuria, ab oppugnando invitus desisteret. Sed brevi iis Amsterodamo advectis, acrius multo quàm antea, hostium opera & munitiones discutere, & oppidum expugnare constituit. Et quia mœnia paulo antè machinis discusserat, priusquàm suis signum daret, oppidanorum labores, quamvis humiliores quàm qui everti poterant, diruere gravioribus tormentis aggreditur: ut ruina simul ædificiorum, quæ proxima vallo erant, & cives & præsidia introrsum à cura tuendi locum rejicerentur. Simul dato signo, armati impetu vallos fossæ infixos subeunt. Oppidanos, tantum abest tectorum ruina pertertitos stationes deseruisse, ut etiam multo acrius quàm antea ad dejiciendos Burgundos intenti essent. Nusquam Burgundi plus cladis acciebant, quàm è cuniculis, unde vallos & modico intervallo objectum aggerem tuebantur. Itaque fœminis picem ferventem, & picato lino accensas coronas, saxa, & tela omnis generis, ad vallum gerentibus impigrè oppidum eo item die defenderunt. Burgundus suorum strage perturbatus, receptui signo dato, milites in castra reducit. Gravis interim frumenti, gravis annonę inopia, gravis bombardarii pulveris, & globulorum penuria, qua præcipuè in oppido laborabatur, postridie effecit, ut priusquàm Schenkius sese ad oppugnationem expediret, eum dum commeatum & auxilia recepissent, arte extraherent, & colloquium de deditione facienda peterent: mittunt simul cum literis clam nuncium ad Gelrum de frumento, & aliarum rerum inopia, sine quibus obsidio diutius sustineri non posset. Schenckius quidvis potius quàm fraudem suspicatus (erat enim, ut cætera cordatus & militari gloria clarus vir, ita natura in victos & dedititios clementior, etiam post acceptam cladem, quàm credi par est: quare & hostibus formidabilis erat, nec minus quàm suis charus) & perfidiam, permisit ut ad se in castra in colloquium, de conditionibus tradendi oppidi acturos mitterent. Postquam in castra pervenissent, Schenkius leniter castigata Hassalorum pertinacia, legatos monuit, ut salutem publicam privatis paucorum consiliis anteponerent, priusquàm extrema experirentur. Quare si arbitrium liberum de se ipsi permitterent, dicturum se æquas conditiones populo Hassaliensi, & tolerabiles. Exprimere conantibus quarum conditionum arbitrium: Responsum est benigniter, ut saluis fortunis & vita oppidum dederent: milites cum singulis vestimentis inermes, & singulis rudibus exirent: Wissingum & Cetellum defectionis autores vivos traderent. Has conditiones, si placerent, capesserent: sin minus, ipsis noxæ fore. Legatis petentibus relationem, haud negavit quidem ad deferendum spacium Dux Burgundus: sed ut ad certum induciarum diem responsum referrent. In oppidum reversi legati, ubi in concilio Burgundionis postulata exposuissent, tantus fremitus ab hominibus Gelri

Schenckij dotes imperatoriæ.

nominis dicitur ortus, ut vix à Bernhardo Hacfortio, qui oppido præfectus erat, & senatus principibus sedaretur: adeò indigna & gravis postulatio ea visa est: duos deposcere, cum ad armatas militum cohortes negotium capti nuper oppidi pertineret, qui res Hassalorum per proditionem ad Ducem Gelrum traxissent. Quare communi consilio Gelrorum ita convenit, ut ad ultimum induciarum diem responso extracto, oppidum naviter pergerent tueri: commune omnibus periculum & salutem fore. Quærebant moram temporis, dum cum magnis copiis ad pellendos ab obsidione hostes & frumenti copia brevi Dux adesset. Missus interim nuncius cum literis ad Hacfortium, ut strenuè, sicut hactenus fecisset, res Hassalicas armis tutaretur: biduo quod roboris militum usquam haberet, adfuturum cum commeatu. Hic dum parum notis callibus oppidum petit, incautus in hostium stationes illapsus, ad ducem exercitus perducitur. Fraude Gelrorum ex literis lectis hic detecta, tempus induciarum pactum, scilicet ut expectando auxilia omnia simularent, dum novis viribus adjuti, oppidum egregiè permunivissent, nuncium in castris custodiri jubet: mittitque speculatores, qui Gelrorum iter & adventum explorarent. Horum ignaros omnium oppidanorum animos, iterum per colloquia tentat: simulque machinas expediri ad terrorem, imperat. Tum demum desperatis auxiliis, legati iterum ad dedendum oppidum processerunt. Schenckius asperè increpita Hassalorum perfidia, quod adventus auxiliorum spe, per induciarum speciem, consultationem de facienda deditione simulassent: quodque eo consilio moram temporis solum quæsissent, nihil dixit se de conditionibus superioribus subtracturum. Quare ea, in quæ de deditione tum conventurum erat, capesserent, ne superbius & violentius plura addere cogeretur. Oratio legatorum erat in eam sententiam, ut se purgarent, culpam capti oppidi in fraudem Ducis Gelri avertentes.

Præsidium Hassaliense quibus conditionibus dimissum.

Quod autem nuperas conditiones aspernati fuisse dicerentur: ipsum Schenckium scire, penes Gelra præsidia imperium esse, & clavium portarum custodiā. Obtestari eum se, ut consueta sua clementia usus in deditios suos, permitteret præsidia, sub signis militaribus oppido excedere: neminem deposceret. Respondet Burgundus, id ita se permissurum, si sine pulvere bombardario, sine globulis exirent: si mensem nulli adversus Burgundiones inautorarentur. Legatis in oppidum regressis, per exploratores Schenkius factus certior, Rossemum cum duobus peditum milibus & quingentis equitibus castris appropinquare, pro vallo in conspectu civitatis illico aciem instruit, hosti copiam pugnæ facturus. Gelrus quamvis paulo viribus inferior, virtute tamen delecti roboris sui confisus, tum quia equitatu præstare videbatur, suos contrà in pugnam educit: loco tamen iniquiori hoc nomine fretus, quòd solem exorientem adversum haberet. Inde cum Schenkianis ad datum signum in genua provolutis, hostilium tormentorum globi projecti aberrassent, Burgundi ita alacres & læti sese erexerunt, ut eos jam vicisse crederes. Et primum emissa tormenta ingentem hostium stragem edunt.

Rossemius cum suis à Burgundis fugatus.

Hassalia Schenckio deditur.

Mox dato signo pugnam lacessunt. Sed Gelri turbati certis globorum jactibus, illorum impetum non ferentes, perlevi momento pulsi loco sunt, & in fugam acti. Rossemus cum turbatos ordines frustra restituere conaretur, & hostis persequi desisteret, à fuga omnibus receptis, castra sua contra Burgundionum castra posuit: constituens iterum cum hoste ab obsidione motuto, pugnam conserere. Præsidiis interim sub signis Hassalia egressis, Burgundus oppidum occupat. Ac priusquàm castra transtulit, præsidio imposito, advectoque commeatu, validius multo quàm antea communivit: præcipuè ab ea parte, ubi omnia ruinis patefacta, & mœniorum strage nudata erant. Gelrus, principis literis cum copiis interim domum accersitus, quia ex ostio Rheni ingens exercitus Burgundionum in singulos dies moturus ferebatur, per civitates parum munitas dispersus fuit. Auxit Gelro illud quoque metum, quod ad id robur præsidia ex omnibus Hollandiæ civitatibus contracta, in supplementum exercitus, paulo antè ad hoc bellum decreti, undique colligerentur. Ultrajecti est non minus ad hos rumores trepidatum. Nam in Transiselanis, omnibus recuperatis, cum in conspectu penè hostium castra haberent, certam obsidionem, sed frustra, sibi augurabantur. Arma edicto & tela publicè expediri, ad omnem eventum, jussa: mœnia cæmentariis operibus, muri & aggeres, sicubi ruinas egerant, aut corruerant, reficiuntur.

't Huys ten Ham deseritur.

Deserto castello Hammensi, præsidia ad tuendam urbem avocantur. Pars nobilium, maximè qui unà Haganæ direptioni interfuerant, castella sua repetunt. Iisdem diebus pleraque nobilitas primæ factionis, excubiis nocturnis, per urbem sursum deorsum, incertis autoribus acta fuit: quod in omen fugandi urbe post dies paucos Gelri, vulgò arreptum fuit. Toto belli tempore sub mœnibus extra civitatem, inter murum & circumductam fossam, per stationes turrium

turrium excubitores dispositi fuerant: quibus à re ipsa, vulgò, à rependo & placidè circumeundo nomen erat. Hi ad omnem strepitum & susurrum vel arundinis, vel auræ motę quamvis levem, vigilias supra caput in murorum speculis inclamare consueverant, ut intentè, ut accuratè, oculis prospicerent, ac circumlustrarent omnia. Per eos autem dies duo è Burgundionum castris in Rheni ostio, nocte Ultrajectinorum excubias exploratum emissi, profundo facis primæ silentio, in suburbanum penetrarunt. Hi per fossam, quæ eo anni tempore vadosa erat, placidè muros subeuntes, cum ab ea urbis parte reptatorem vigilem in tuguriolo humili stertentem oppresissent, arreptum obversa cervice, ferro jugulo admoto, si clarum mutiret, in vestigio moriturum, per fossam secum retro in castra abducunt, audaciæ suę miraculum edituri: simul ut appareret, quàm negligenter stationes vigilum dispositas, in tanto discrimine, castris hostium in ipsis portis penè positis, Gelri haberent. Sed ab hoc captivo certè nihil aliud, quam confessio trepidationis in urbe, expressum fuit. Ea cognita, ad duo milià peditum in agrum Ultrajectinum populabundi incursionem, ut pavorem augerent, fecerunt: atque aliquot ustis agrestibus ædificiis ab occidua urbis parte, in castra redierunt. Gelrus illico domos suburbanas portis proximas aut dirui, aut dejectis stramentis ac tegulis, tectorum fastigia nudari jussit. Hortos præterea, & quantum arborum circa urbem, præter † Centesimarium, erat, succiderunt: haud dubiè in duas res usui futurum: & ut prospectus longissimus in circumjacentes agros esset: & ne hosti ad obsidionem, quam parare existimabatur, arborum sylvæ opportunę forent. Inde leprosorum Xenodochium, & cœnobium Pacatæ Vallis tristi spectaculo, injecto igni depopulantur: veriti ne, ut maximè urbs castris positis non circumsideretur, ad intercludendam commeatui Ultrajectino viam, in præsidiorum formam validè munirentur: id quod circa belli principium ab episcopo parari visum fuerat. Relatum quoque fuit de æquandis, ad dimidium miliare quaquaversum solo, omnibus: sed populi inde fremitu coorto, turmatim in forum prorumpentis, id consilium rejectum fuit. Gentilitia episcopi Henrici insignia D. Martino tutelari erecta, per hos ipsos dies factio dejecit: decretumque est, ne catalogo episcoporum adnumeraretur Bavarum nomen. Dies jam exierat, Hollandiæ vicis nuper inter Wordam ac Leidam, ad redimendam stipulatæ pecuniæ, ne hostilia paterentur, fidem constitutus. Gelrus accepto edicto ne paciscerentur, ex urbe in illos excursionem populabundus nulla mora, fecit. Inter prædandum passim aliquot levibus præliis consertis, tertio quàm exierant cohortes, die domum redierunt. In suburbio Catharinianо sequenti nocte, molam ussit Episcopus, speravitque subitò illo terrore nocturno Gelrum se pellecturum. Spe destitutus triduò pòst sacellum S. Antonii extra Lauwenrechtam incendio evertit. Ultrajectini Montfortiam prætergressi, Veteres Aquas excursionibus levibus lacessere aggrediuntur. Sed cum ex oppido viribus diffisi, se effundere non auderent, vico proximo Rosavellensi incenso, præda armentorum non contemnenda onusti domum redierunt. Burgundi, qui in ostio Leccæ in stativis tum erant, Rhenum prope Dorestatum transvecti, totam Bataviam infestè populantur. Et Schonhoviæ vano proditionis metu his diebus trepidatum fuit, & ad arma conclamatum. Ex Leccæ ostio sex signa ad exciendum urbe Gelrum ad mœnia propè moverunt. Ultrajectini cum neque militum robore, neque animis ad certamen Burgundis pares essent, clausis portis aliquandiu intra muros se continuerunt. Præcipuè timor incessit Rossemum, ne in locum insidiarum tractus, & ab exitu & urbe exclusus, ipsum Ultrajectum amitteret. Quare ne pugnam detrectare omninò videretur, multitudinem tormentariorum cum aliquanta monophrattorum parte ad lacessendum levibus excursionibus magis quàm conserendum prælium, subitò porta in hostem effundit. Sed vix tentata procursionibus velitatione, fugantur atque in urbem retro compelluntur. Rebus ad istum modum Burgundionum auxiliis prosperè gestis, episcopus recepto animo, cum trecentis equitibus Amorfortiam pridie Id. Majas venit. Postridie petenti, senatus vetus & novus in curia, & populus datus est. Huc postquam est introduci cum Gulielmo comite à Renneberga, & Wolfio Abstemio doctore jussus, Abstemius longam orationem ad conciliandos populi animos exorsus, ordine narrare ea cœpit, quæ hominum memoria à Carolo Gelrorum Duce iniqua in Ultrajectinorum Episcopos acta essent: ducto narrationis principio, à clade Oldensalensi memorabili, sub Frederico Badio accepta: exaggerando indignitatem facinoris, & casum illius oppidi ad internecionem usq; deleti miserando, ostendit, quàm nulla affectus injuria, infestatum in socios arma movisset, insolenterque victoriam suam exercuisset. Pacis tū leges factas, mox violasse, cū sociali, adeoq; intestino bello in Trāsiselanis laboraretur.

† Vide Calepinum verbo Centesima. Verlooren Boogaert *hodie vocatur excisum à Teneremundano primo gubernatore Vredeburgi.*

Henrici Episcopi nomē catalogo episcoporum diraditur.

1503. *Pontanus fol. 624. Hæda fol. 316.*

 Quare

Quare cùm Suolla, quemadmodum irrepsisset, exclusum pòst paulo fuisse. Sed nulla pacta, nullas conditiones, nullaque adeò fœdera tam expressa, tamque arcto vinculo adjuncta fuisse, quàm postrema per Trevirum. His cautum satis Episcopo, ne ille unquam in urbes, oppidáve, aut quicquid Ultrajectini nominis esset, jus ulla ratione sibi usurparet, ablata restitueret: & quantum præsidiorum haberet, inde deductis, intra suos fines deinceps se contineret. Hæc fœdera in ea propè verba icta, XL. milibus aureorum, & plus eo, quos Ultrajectinus Gelro persolveret, comprobata, fuisse. Contra ea nihil autoritate Treviri, nihil publico civitatum utriusque ditionis consilio motum, Hassaliam cepisse, Rhenos invasisse, Ultrajectum occupasse, bellum indixisse, præsidia & arces ademptas, armatis impositis, jamdudum obtinere. Ubi multa copiosè de injuria accepta disceptavit, ad postremum, ultima hæc ejus fuit oratio. Quoniam autem coactus Episcopus esset, justa arma, non solum ad recuperanda amissa, sed etiam quod reliquum adhuc esset, tuendum, induere: eum quod potuit, hactenus præstitisse. Cæterum cum bellum diuturnius, & hostis potentia major esset, quàm cui par esse posset: compulsum Caroli V. Cæsaris opes implorare. Pervicisse simul, ut armis & pecunia ab eo adjuvaretur, dum amissa vel per deditionem, vel vi recepisset: in primis autem Ultrajectum, caput & arcem gentis. Habita inde gratia, quod obedientes principi suo in dubiis rebus debitam fidem præstitissent, ibi affirmavit religiosè pectori admota manu, nunquam Episcopum, utcunque res & belli alea caderet, commissurum, ut jura & libertates populi Amorfortii à quoquam violarentur: sed effecturum, ut rata ipsis, ut sarta tecta perpetuò essent, & servarentur: additurum se præterea in posterũ ad ea cumulatè, quæ à majoribus accepissent. Postquam Abstemius dicẽdi finem fecit, extemplò Albertus Colsterus ex autoritate Heroinæ Margaretæ, à qua omnia ejus arbitrio permissa fuerant, quod prolata tabula signo impressa testabatur, ea omnia rata esse jussit: respondítque, Episcopum rectè fecisse: ac promisit ex autoritate & jussu Caroli Imp. ob insignia populi Amorfortii merita, regiæ magnificentiæ olim libertates, quæ reipub. honori forent. Inter hæc v. Cal. Iunias Florentius Comes castra è stativis Leccę movit: atque Ultrajectum cum omnibus copiis prætergressus, cœnobiis urbi imminentibus igni injecto, ad arcem Amisianam obsidendam maturavit. Castris hic locum in utraq; Amisiæ ripa, robore in *Barena relicto, cepit. Postero die Comes nihil morandum ratus, præsidium dedi postulat. Negantibus iis qui intus erant, eo pacto haudquaquam sacramento suo satisfactum iri, turrim mediam magnis machinis ea parte trajecit, qua trabes inferioris tabulati juncturas sustinebant. His duobus missilibus ita disclusis, ut universa moles trabium fulcimentis destituta rueret, aliquot cohortes extra ordinem, dum recens esset præsidiariorum & metus & perturbatio, absente reliquarum copiarum robore, vallum improvisò invadunt, capiuntque adeò primo impetu. Gelrus è ruinis hostem cum passis fluentibusque signis vallum tenere, & interiorem aream occupare conspicatus, & partem suorum porta, quæ à tergo erat, elapsam Bunscotiam fugere, magna vi in adventantes tonitruare tum demum cœpit: sed nulla Burgundionum prorsus clade, præter unum equum. Interim accedentibus aliis copiis, ubi non solum vallum, sed interiora areæ etiam hostium plena, jamque crates ad opplendam fossam; & scalas ad parietes præcipites inferendas, expediri pararique conspexere, extemplò deditionem faciunt, seseque hostibus permittunt. Horum duces erant, Rodolphus Itersemus exul Suollanus, Mauritius Neoclesianus vir elegantis eruditionis, Wernerus prætor Hardervicensis. Inter hos Mauritius pridie Cal. Iun. Amorfortiam missus, tolerabili precio à Lubberto Turco traditur consanguineis Arnoldi Pilani, qui per id tempus à clade Batava Arenaci adhuc in custodia tenebatur, ut duorum horum per mutatio captivorum fieret. Postridie eódem reliqui captivi ad XXXII. missi, partim in publicam custodiam (quæ obtusa *turris appellatur) ducuntur, partim in carcerem Marianum conjiciuntur. Est locus concameratus sub prælta turri D. Virginis, quantum spacii in quadratum intus medium complectitur: in quem ad lævam, ubi sursum ascensus patet, deorsum per decem gradus descenditur. In hoc subterraneo specu pars conditi fuerunt. Hujus testudo summa ante aliquot annos casu rhoptri campanarii fortè perfracta fuerat: & resarta quidem cæmentariorum opera postea. Sed cum laterum recens junctura haudquaquam veteri reliquo operi vetustate indurato compactoq; responderet, facilè accidit, ut motu ponderis æneí, & pedum concussionibus, saltuque quotidie trahentium pulsantiumque laterum compago eadem dissolveretur. Eam infirmitatem testudinis cives tum fortè inter se admirantes captivi ab imo exaudiebant. Itaque noctu unus aliorũ humeris sublatus, eam testudinis partem manibus explorat: sentitque non solum exempto uno latere reliquos esse mobiles, verumetiam sua sponte unà cum tessellis areæ æquatæ, quæ testudini instrata est, in suum

[Margin notes:]
1528. in Majo.
* Baren pagus.
* Plompen Toorn. Der Marschlup-den Toorn anno 1378. dicta.

suum aliorumque capita ruere. Lætus ob insperatam inexpectatamque fortunam, primus in summam testudinem emicat. Inde alii post alios mutuis humeris levati, ubi ad unum omnes sursum evasissent, in tutum cœmeterii Franciscanorum fratrum asylum fugerunt. Florentius interim armatis arci Amisianæ impositis, & aliis quæ ad tuendum præsidium opus essent, cum impedimentis & machinis Amorfortiam venit, simulque mandat consulibus extra ostia civitatis, exercitui naves tabulis repandis instratas, & alia parari, quæ ad transitum Amisiæ opus essent. Itaque pedes transportatus, quia nox instabat, vesperi in Hoflakia (primus is vicus Gelræ ditionis, quingentos passus ab Amorfortia abest) metatur. Posterus dies item corporibus curandis datus est, apparatæq; in civitate viminiæ crates, & scalæ in obsidionum usus. Tertio inde die Comes, omni armorum genere instructus, cum impedimentis & machinis bellicis, exusto vico, castra movit: ac Velaviam pervagatus, crepusculo diei Hattemam venit. Expectabatur Schenkius, Transiselanarum copiarum dux: is verò, quia cum exercitu nondum aderat, ea nocte in Hulsberga Comes castra fecit. His paucis pôst horis cum militum tribunis præfectus Phrisiæ, transito Iselæ vado (sita enim Hattema est in ejus amnis ripa) & omni peditum robore, supervenit: atque horis aliquot consultando de belli obsidionisque ratione absumptis, sub diluculum ternis castris positis, oppidum cinxerunt. Harmannus Verbellus arcis præfectus commodum paulo antè trecentos pedites in oppidum præsidio, & ad suorum animos confirmandos receperat. quare quo brevior angustiorque orbis mœniorum erat, eo facilius muros tueri, & diutius obsidionem tolerare posse videbantur. Coss. tum erant, Nicasius Iselus, & Arnoldus Allerus. Hi ne civium animi recenti terrore labarent, ad vigiliarum munera, & in stationibus militum eos miscuere. Peditum duces, Bernardus Ketellus & Alterus Hardervicensis, suos paucos quidem, sed pro oppidi angustia satis multos hortari, ut virtute sua apud Ducem gratiam inirent, & gloriam sibi ac laudem pararent. Burgundus ratus oppidanos extemplò metu fluctuantes, deditionem facturos, oppidum, dum recens terror teneret, dedi postulat tertio quàm obsidere cœperat die. Abnuerunt pertinaciter id facturos sese, sed pro fide erga principem suum, quicquid sors ferret, experiri velle. Tum demum Burgundi opera & machinas simul undique admoveri jussere. Inde pridie Id. Iun. duobus locis ad Vicinam & Hœnversam portam quinquaginta validis tormentis mane quarta hora cum exortu solis cœpta oppugnatio est, atque ad tertiam usque pomeridianam producta. Hàc aditu ita in oppidum patefacto, decussis & muris & aggeribus, ut per eorum ruinas intrò descendere potuerint armati, extemplò ductores signorum vices & loca sortiuntur. Inde impetu muros subeunt. Clamor utrinque exortus, oppugnantium defendentiumque animos accendit. Sed ii qui oppido præsidio erant, nullum laborem fugere: hostem è propugnaculis & cuniculis ferire: ingentem cladem adulteratis globis, & sphærularum grandine edere. Contrà hostibus labore fessis, integris succedentibus, nocturnus fermè diurno est continuatus labor. Arbitrabatur Burgundus, fatigationem caussam haud dubie oppidanis futuram, ut dimicando cum integris tandem fracti, & continuo labore domiti, facilè loco moverentur. Sed expectatio ejus rei ipsos fefellit. Octavum postremò mœnibus pulsi, in castra receptum fecerunt. Creverant oppidanis animi, confidentibus contra hostem quamvis frequentem oppidum se defensuros. Burgundus turpe ratus, & ignominiosum, tam humili oppido non potiri, pedite corpora prius curare jusso, equites ab equis descendere imperat, & peditibus misceri. Ibi in magna copia militum Burgundis ad mœnia succedentibus, atrox de integro oppugnatio redintegratur, & pluribus quàm antea locis. Apparebat vel capere oppidum, vel mori in vestigio, stare. Interim dum ardet pugna, Ernestus Schenkius Georgii præfecti Phrisiorum F. quia improvidè mœnia subierat, globi jactu cecidit. Concidit eodem fermè momento Gerardus Longus præfectus præsidii Arkesteinæ. Horum casu perculsi milites, fugam trepidè relicto oppido, illico in castra faciunt. Tum demum oppidani in refugientia hostium confertim agmina è cuniculis & turribus tela globosque conjicere: alios super alios ruentes præcipitare: pro se quisque è stationibus suis virtutis exempla edere. Nec latuit eos tam inexpectatæ fugæ & omissæ oppugnationis caussa. [Quare dum trepidatio exterritos suorum clade teneret, vallum sarcire, scrobes alias straminibus contectas juxtà fodere, nihil laboris quamvis tot continuis oppugnationibus fatigati, ad patentia murorum munienda intermittere. Eadem nocte ostentum in cœlo visum, oppidanos vehementer perculit, & hostium animos in spem potiundi oppidi erexit. Signum decussatū in cœlo supra oppidum luteo colore (horrendū aspectu) terribile apparuit. Id quia Burgūdici nominis intersignum est, utrinque ita interpretati sunt, oppidū brevi Burgundio-

1528. in Iunio.

Burgundorum castra Hattemii oppugnant.

gundionum ditionis futurum. Fuere tamen inter Hattemios, quid id in longè diversam religionem verterent. Tutelaris ei loco D. Andreas est: persuasum inde multis fuit, eum divum præsens oppido auxilium ut obsidione solveretur, allaturum. Mane circa lucis principium porta Hœnversa, quia magnis operibus hostium fœde deformata, diuque quassata, ac propè decussa fuerat, procidit: cujus ruina aditus armatis in oppidum per apertum planumque iter patefactus fuit. Tum oppidanis animi feroces, alioqui ad diutinam obsidionem sustinendam paratis, ceciderunt: atque habito tumultuosè concilio, mittunt legationes in castra ad petendam pertinaciæ suæ veniam, & pacem: ad dedendum se, suaque omnia. Conditionibus, quibus videretur, hostium arbitrio ac potestati se permiserunt. Fuerunt illæ autem hujusmodi. Clades hostium, in primis clarorum hominum, oppidanis fraudi non foret. Hattema salvis civium fortunis, incolumi omnium vita, in jus ditionemque Burgundionum concederet. Præsidia traditis armis oppido excederent. Atque his quidem legibus acceptis, sine cunctatione adventu ducum deditio facta est. Miles edicto ne quem violarent interposito intromissus, quamvis ex pacto tradendi oppidi, à direptione abstinendum erat, ægrè à dissoluta licentia, capitalis supplicii multa proposita coerceri potuit: à recenti enim clade suorum, spiritus præferoces adhuc efferati erant. Captum oppidum fuit Idibus Iunii. Dum miles interea corpora curat, cæsorum corpora (quia calidissimum anni tempus agebatur) sepeliuntur. Reficiuntur munimenta, & ruinis patentes muri, sarciunturque alia, quæ globorum ictibus vulnerata, rimas passim agebant, & ob id minabantur ruinam. Triduo quàm hæc ad Hattemam gererentur, C. quinquaginta equites ab Amorfortia in Rhenorum agros prædatum profecti, haud procul ab oppido nocte prædivitem armentorum prædam Wicam averterunt: simulque castellum Levendalam inter Rhenos & arcem Horstanam, à Gelro circa belli principium, captum, primo impetu invaserunt. Elburgani cernentes Hattemiorum vicinum exemplum (qui quod initio obsidionis pertinaciter se facturos negaverant, calamitate tandem domiti fecissent) ad conciliandos sibi hostium animos, & principis sui juxtà gratiam retinendam, literas ad Ducem mittunt, quid ab sese in extremo discrimine positis, fieri juberet. Respondit, ab se nihil auxilii expectandum: quare ipsi sibi consulerent. Mittunt extemplò in Burgundionum castra legationes supplices, ne ad mœnia sua infestas copias admoverent: committere se & oppidum & agros suos in victorum potestatem, libentesque imperata omnia se facturos. His in deditionem acceptis, nihil stipendii imperatum: sed præsidia imposita sunt, quibus provisum præcautumque fuit, ne in posterum rebellarent, aut Gelri impetu consuetisvé artibus opprimerentur.

Divus Andreas apostolus patronus oppidi Hattemii.

Deditio Hattemiorum.

Elburgani Burgundionibus se dedunt.

LAM-

LAMBERTI HORTENSII RERUM VLTRAIECTINARVM

LIBER SEPTIMVS.



ER eosdem dies, quibus ad Hattemam jam captam in castris à rebus gerendis cessabatur, mittitur ex Altena (præsidium id in adversa, Daventriæ oppositum, ripa, suprà dixi) exploratum quidam, quò castra sua Burgundiones movere pararent. Fortè tum è castris turma equitum, interiorem Velaviam versus, expatiatum exierat: ut erat anni tempus amœnissimum. Hos explorator ille postquam vidit palantes, ratus eos Iselam ad occupandum castris locum petere, verso equo, actoque calcaribus, celeriter præsidium repetit. Ibi ex intervallo adhuc metu trepidans, & vix spiritum præ lassitudine trahens, ab equo ille exclamat: hostes movent castra, horsum iter habent, capessite rebus omnibus relictis fugam. Creditum adeò nuncio per errorem vano fuit, ut extemplò neglectis cum assis ad focum verubus, vix spacium in fugam se abripientibus, armandi colligendivé sarcinas fuerit. Fugam horum, trepidatio eodem propè temporis puncto Luciferianorum sequuta est. Situm autem id præsidium in eadem ripa (ut alio loco memoratum est) paulo infra Daventriam versus Campos erat: quod quia civitati imminere nimium apparebat, ob formidolosam propinquitatem vulgari joco Inspector ollæ appellabatur. Daventrienses hostium fuga cognita, civitate confertim effusi, transmissò vado primùm Altenam diripiunt, ac demoliti cum aggeribus, solo ita adæquarunt paucis horis, ut vestigium propè inexpugnabilis munitionis nullum extaret. Inde Luciferum adorti certatim magno labore (quia id longè altero, ob lateritia propugnacula & alia cæmentaria opera, validius erat) disiecêre. lateres in civitatem transvecti eodem ardore: atque inde in foro domum librandis ponderibus infrà destinatam, paulo pòst ædificarunt, quam Libram Daventriensem, appellarunt: insculptis sempiterno apud posteros monumento & in hostis contumeliam, Luciferi, & Ollam inspectantis capitis symbolis. Eodem die Gelrus *Nibeccam, ac præsidium † Tulpicum injecto igne deseruit. Et ad istum quidem maximè modum æquato timore tribus munitionibus Dux amissis tot anteactas de Transiselanis victorias, uno die obliteravit. Ita possessione ditionis Transiselanæ ejectus, de suo regno, ablatis jam duobus oppidis, sollicitus esse cœpit. Quanquàm terra ultra amnem præter Hassaliam, nullum oppidum, & præsidia aliquot obtinuerat, munitionibus tamen in citeriori ripa & Hattema Suollę objecta, non solum ipsum flumen usque ad mare possederat, ut iter navibus ad devehendos subvehendosque commeatus interclusum esset, verumetiam in ipsas tres civitates crebras incursiones facere, Daventriam indies sclopis infestare, ejus muros verberare operibus, adeò per multum temporis perseverarat, ut consumptis omnibus, ægrè, ac non nisi è Westphalia commeatum peterent. Nec potuit profectò ullis castris positis gravius obsedisse ad earum quoque possessionem obtinendam, quàm hac via. Obsidione æquatis præsidiis itaque exempti, & Iselæ & terræ possessionem totam illi eripuerunt. Amorfortia iis ipsis diebus proditione tentata est à quodam Ioanne Westerfeltio: qui arreptus, indicio facto, in carcerem conjicitur. De hoc extemplò quæstionibus aliquot tormentis, habitis, expressum fuit: octo aureis eum corruptum à fratre suo Iacobo Westerfeltio famulo Groffii, qui tum temporis bello occupatus erat, si civitatem Duci, ab ea parte, ubi D. Annæ sacellum est, tradidisset. Sumptum de hoc illico supplicium est: ac quadrifariam dissectus, è portis suspensus fuit. Captus quoque est Wolfius quidam Gelri nominis quidem ex suspicione societatis. sed homo candidus & perhumanus, & ad tuendam magis communem patriæ salutem, quàm proditionem natus. Sed re deprehensa, qua insons coarguebatur, vinculis exemptus fuit. Cooritur simul occulta conjuratio quorundam civium, qui sub episcopo stipendium faciebant, adversus plerosque optimates, ut eos prædæ opportunos haberent. Erant inter equites nobilitatis plebei quidam, homines audaces ac facinorosi, & ad turbandam quietem in-

Altena præsidium.

Altenę præsidii fuga stupenda.

1528. in Iunio.

Daventrienses Altenam diripiunt.

Pontanus fol. 750.

Libra Daventriensis quando ædificata.

Transiselanum regnum perdidit Geldrus uno die.

**Nieubeecke fol. 37. Sandæt ad consuet. feud. Geldriæ.*

‡ Tulpicum. nunc Zulch dictum. castrum in diœces. Colon.

Amorsfordia tentatur proditione.

Conjuratio quorundam occulta apud Amorsfordiam.

tem intestinam direptionis,atque aliena invadendi spe, prompti. Hos sibi consilii sui participes socios Amorfortia illa juventus stipendiaria adjunxit: persuasos, si per dolum primoribus civitatis animadvertendi potestas, & constringendi licentiam militarem adempta esset, libidinem solutiorem vivendi fore. Querebantur adhæc inter se, illud quoque intolerabile esse, quòd æquato jure & civium & militum,sibi ea innocentia in bello,qua in pace sub legibus,citra ullum laxamentum,citra veniam,si modum excederent, vivendum esset. Nullum inter servum civem, & militarem virum discrimen haberi. Penes se portarum custodias clavesque esse debere,quo excurrendi populatum prædatumque quoties libitum esset(id quod nunc negaretur,facultas foret. Rata itaque juventus inautorata magnum haud dubiè adjumentum sibi,nobilium auxiliariorum equitum societatem allaturam:maximè direptionis bonorum spe proposita,ex composito clàm primores civitatis, ut quisque optimus pariter & opulentissimus erat, apud principem criminantur, quasi in Gelri factionem æquo inclinatiores essent. Nullum penè colloquium de Cæsaris opibus & Burgundionum potentia incidere,in quo hostis virtutem,in quo decus & gloriam ejus militarem contrà non veherent. Periculosum non modò ditioni inferæ, verumetiam Hollandiæ, atque oppidis maritimis,si clàm Gelrus nocte in civitatem acciperetur. Ac facile quidem id factu futurum: quippe penes quos portarum claves essent. Hanc rem ut sine tumultu episcopus opprimeret,tradito nominum indice D. Abstemio, qui & ipse pecuniæ quàm laudatæ famæ appetentior audiebat, constituit primum à Coss. vel arte,vel vi,si aliter nequiret, claves portarum extorquere: atque inde causa indicta omnes,datis eorum bonis partim delatoribus,diripiendis,partim fisco inferendis,condemnare: haud quaquam sycophantiæ huic crediturus,si clarissimorum præcepti legum latorum Solonis & Draconis, non habendam calumniæ fidem esse,memor fuisset. Neque de controversiis quicquam à vacuis ira & odio statuendum prius,quàm utrius causa justior atque inculpatior esset,cognoscendo compertum haberetur. Cæterum Cos. accersitus ab episcopo, ac claves tradere jussus, nihil cunctatus tradit.Erant in principis tum consilio,quibus clam ob id hæc consilia struebantur, quòd hospitali jure impensius erga benemerentes cives affecti vulgò crederentur: quare ne procederet, quod agebatur, illis arbitris, in metu erant. Hi tum fortè, excepto sermone cujusdam, ex intimo consilio, de supplicio bonorum, ubi nefarium facinus agi sensit, detexit consilium. Refertur tumultuosè in senatum. Mittuntur Coss. ad principem,quæsitum materiam atque occasionem, quamobrem, quibus delatoribus, ad cædem, summos viros, de ipsius dignitate bene meritos, & eos quidem indemnatos,destinasset. Ubi id quod agebatur, è responso episcopi, senserunt, perpurgatis se suisquis adversus calumniam, ostenderunt, quàm perniciosa pestis reipub. esset civis merens, qui patriæ suæ præsidio imponeretur. Si qua vetus simultas sit contra civem,eum nullo legis metu, militari licentia dissolutus impunè,mulctæ formidine coërcitum, neque audentem reverberare,pulsat. Eundem insolenter nihil non perturbantem, ne commilitones quidem provocatos, (ut qui in suo sterquilinio multum valeat) audere offendere. Magistratum gerentes, ut populares suos, quibus ipse armatus adjutoribus armatis fretus, agenda omittendaque dictet, vilipendere. Adversus hos, etiam alios, quos pudor alioqui contineret, quos dignitatis reverentia prohiberet, & militaris lex frenaret, sedulò extimulare. Hinc doli, hinc insidiæ, hinc sycophantię ab hominibus talium artificibus, adversus magistratus consuuntur. Hanc calumniam fraude civium merentium in civitate consutam, adjutore equite externo, ipsi principi persuasam, totam rempub. penè evertisse. Cujus exitio ipsum quoque, præcipitem abiturum fuisse. Hujusmodi dictis Episcopus attonitus ac stupefactus,ignorantiam rerum & materiæ quæsitæ excusavit. Ægrè sibi persuasum id de populo Amorfortio: ut cujus fidem ad eum usque diem sanctam & inviolatam expertus esset, is nunc animis mutatis à fide D.Martini deficeret. Autores hujus calumniæ senatus extemplò relegatione peregrinationis ergò, & pecunia multavit. Admoniti inde hujus periculi posteris temporibus, utiliter cavent,ne cives, principi inautorati,in civitatem recipiantur. Profecti jam ab Hattema Burgundi XVI.Cal.Iul.Hardervicam ternis castris circumsederunt. Machinæ, quia terra partim ob earum admirabilem molem, partim ob regionis palustrem montosamque naturam,& vastitatem, sequi non poterant, mari navibus circumvectæ,tardius applicuerunt. Tormenta quatuor regionibus contra civitatem ita sunt disposita, ut à terra & mari, ea oppugnationi opportuna esset. Tertio Cal.Iul. mane sub exortum solis undique machinæ adductæ: continuataque oppugnatio horrendis tonitruis totum eum diem est,& insequentem noctem,usque ad sequentis diei octavam horam. Hardervicani conspi-

Abstemius pecuniæ quã laudatæ famæ appetentior.

Ante causam cognitam nihil statuendum.

Civis merens patriæ pestis.

Hardervica à Burgundis obsessa.

conſpicati multis locis decuſſos bombardis muros ac turres, partem etiam ædificiorum circa pomœria machinis everſam: ita ut aditus pedeſtribus copiis per oppletas ruinis foſsas in civitatem patêret: metu ſimul ne pertinax mora hoſtem offenderet, aut inexorabilem etiam redderet, oratores ſtatim ad petendam pacem in caſtra mittunt. In colloquium admiſſi interrogantur, ecquas deditionis conditiones peterent, cum pro captis jam penè haberentur. Reſponſum, eaſdem ſe petere, quæ Haſsalis nuper datę eſsent: eandem enim ſpem impetrabilis veniæ poſt præſtitam principi ſuo debitam fidem, in Burgundione habuiſse. Inter cæteras deditionis leges: ut præſidia armata ſub ſignis fluentibus ſine fraude oppido excederent. Huic voci ferociter ab univerſo conceſsu ducum reclamatum eſt: Non eſse Haſsalorum & Hardervicenſium eandem conditionem. Illos enim tecta hoſtium fraude, non ſua voluntate, à fide alienatos, bello receptos fuiſse: quare ob ipſorum merita, id capto oppido, hoſtili præſidio donatum. Hardervicenſes verò novos hoſtes jam propè manu conſertos teneri: ac belli jure ſub ditionem redactis, nihil tale expectandum. Cum nihil pacati reſponderetur, in oppidum regrediuntur: dato ad referendum reſpondendumque duarum horarum ſpacio. Dum intus undique ad contrahendum aggeris orbem pro ſe quiſque annititur, & ſenatus in curia mœſtus, conſultando tempus abſumens, hoſtem extrahit, Schenkius nihil cunctandum in tali occaſione, ad æquanda omnia, diſturbandoſque ab operibus oppidanos, ratus: primus machinas ab integro, quanta maxima vi potuit, admovit: muroſque cœpit & turres quatere. ſequuti eum deinde aliorum caſtrorum duces, totis viribus oppugnationem redintegrant. Tum ſenatus videns nihil virium, minus verò animorum ad tolerandam obſidionem ſe habere: deſtitutos inſuper omni ſpe liberandæ obſidionis, deſeri ſe à duce: trepidè ac tumultuosè de oratoribus iterum mittendis, aut evocandis in colloquium hoſtibus conſultat. Creverat inter hæc tam brevi obſidione fames, & rerum omnium inopia: non hominibus ſolum, verumetiam armentis pabuli penuria pereuntibus. Perſeveratum eſt ſternendo obvia omnia continuis globorum jactibus, uſque ad horam diei primam. Sed nuſquam gravius, quàm à mari. Tum primores ad muros ſemidirutos progreſſi, colloquium ex propinquo poſtulant, excidium veriti, ſi oppidum vi per ſtragem ruinarum captum foret. Se ſuaque omnia in fidem Burgundionum permiſerunt, parati imperata facere. Dictatis pacis conditionibus, datum eſt ad deliberandum ſpacium in poſterum uſque diem. Sequenti die deditio facta eſt: promiſeruntque ſe imperata facturos, ſalva vita & fortunis. Pedes captivus oppido exceſſit: ſimiliter & equites captivorum habitu ſub rudibus more militari. Equitum magiſter Bruno Schurrerius cum paucis aliis nobilium retentus eſt, ad permutationem quatuor illuſtrium equitum, (inter quos erat Fredericus Sombrevus) qui per id temporis à clade Batava Arenaci adhuc capti cuſtodiebantur. Accepta inde in oppidum præſidia ſunt, & commeatus, cujus (ut dixi) inopia tam brevi obſidione crevit. Inauguratur ſimul Cæſaris Caroli nomine Florentius Comes, in caſtrorum conſpectu: ubi per aliquot dies, dum quaſſata murorum, unà cum aggeribus diſcuſſis, & obrutis foſſis reficerentur, ſunt morati. Hujus ſtatim à principio obſidionis, Ultrajecti primùm tumultus, inde furor quidam coortus omnia miſcere cœpit. Rebus deſperatis ex urbe dilabebantur furtim alii poſt alios, belli concitati principes: præcipue inopia æris, exhauſtóque ærario, cum adverterent, ob ſtipendium militi perſolvendum ſe petendos extrahendoſque. Horum fuga cognita (quia nuſquàm comparebant) multo impotentius tota urbe vociferatum eſt: palàm direptionem minari, ni alicunde contracta pecunia, ſtipendum perſolveretur. His clamoribus militum, præfectus urbis motus, veritus haud dubiè apertam rabiem ſequuturam, in nemine quicquam ſpei, præterquam in Canonicorum collegiis habebat. Horum principes crepuſculo diei in ædes Antonii Venrodii Canonici ad D. Virginem (fuerat is quæſtor toto bello à Duce lectus) ſilentio cogit. Ibi oſtendit in quanto diſcrimine urbis res ſitæ eſſent: ſed nullorum hominum magis, quàm qui religionis nomine atque titulo cenſerentur. Laborari pecuniæ inopia: terribiles indies militum clamores & fremitus ingraveſcere, ſtipendium expoſcentium: laborari annonæ caritate: creſcere commeatus inopiam, ut præter direptionem planè ipſis nihil immineret: quod penes religionem opes ſolam reconditæ crederentur. Ad ea alii: iniquum eſſe, totius belli onus in ſe transferri. Nudatos ſe non ſolum pecunia, cujus ingentem vim à cœpti civilis tumultus initio contribuiſſent, verumetiam proventus ac redditus ſuos in hoſtium terra & civitatibus retineri: fundos alios alibi pignori oppoſitos. Multos jam eſſe annos, quòd de uſuris nihil percepiſsent. Collationem igitur hanc diutino bello exhauſtis gravem eſſe, imò ſe non ſufficere. Non magni (inquit præfectus)

Florentius Burenus Comes Hardervicæ dominus inauguratur Cæſ. nomine.

Ultrajectinorum tumultus in rebus deſperatis.

fectus) refert unde conferatur, ex publicóne an ex privato modò conficiatur solum. Quanta autem sit militum quod extrahantur in omnia flagitia, dissoluta licentia, ipsi videtis: quæ parvo momento redacta pecunia compesci poterit. Vobis hucusque pepercerunt, diutius profectò non parsuri, si longiori cunctatione efferentur. Notæ opinor sunt illę (ut audío) rabie ac furoris plenæ voces, licet vanæ, efferatorum spirituum tamen indices: brevi futurum, ut quatuor urbis regionibus, in stipendium solvatur, clarum incendium, direptis vestris prius ædibus, oriatur. Nocturnis horis audio, utinam certus, quibus autoribus, profugorum civium fores effringi: vitreas fenestras quorundam è nobilitate excuti: vim omnibus locis fieri: haud futuram, si indicio autores deprehenderentur. Quod si vestro nullo periculo movemini, vel patriæ caritati conservationem publicæ salutis, vel religionis nomini hanc pietatis partem præstare debetis. Sunt vobis tot tamque ociosa signa, vasa, aurea argenteaque in delubris vestris divorum: quorum si aliquam partem in bellum nunc, cum maximè opus sit, contuleritis, nullo id vestro incommodo fiet, & rempub. conservabitis. Quod si veremini, ut eam rem posteritas accipiet, primum nihil est quòd ipsi indignentur queranturvé, à vobis ea alienari, quæ vestra cura sunt parta. Vestro ipsi, si placebit exemplo, aut nova donaria, nova ornamenta in templa inferant: aut iis contenti sint quæ à vobis per manum sunt accepturi. Scio quid hic mihi respondebitis: sacrorum penetralium custodes, ea omnia initio belli, ne prædæ essent, in abditis specubus seposuisse. Ea autem, ne arrepti, & suppliciis fortè adacti, proderent, in pacata Hollandiæ profugisse. Scio hæc vestro consilio & artibus factitata: sed habetis vasorum magnum numerum, quibus in liturgiis cœnæ quotidie utimini: inde aliquam partem ad quatuor aureorum milia in medium conferte. Quod nisi intra biduum, imperatum feceritis, experiar si quid opis in milite, ad extundendam pecuniam, situm erit. Hunc in vestra bona possessum publicè quicquid esculentorum ibi invenerint, absumpturos mittam, quoad impetratam summam, è publico privatóve contuleritis. Territi collegiorum primores privato periculo, id quod certum erat, calicum inauratorum magnum numerum, argentea item candelabra, & alia signa, ut imperatum erat, extemplo contulerunt, ut inde pecunia signata percuteretur. In basilica S. Mattini, supra aram summam inter arcuatas pilas paulo infra chori testudinem, crucis, cum signo argenteo Servatoris, simulacrum, quinquaginta (ut putabatur) plus pondo, sublime stabat: monumentum, nescio cujus, vetus quidem: sed situ & squalore ita horrens & obductum, ut vix albicantis argenti tenues scintillæ oculis intuentium illucescerent. Id noctu tolli clàm jussum, ne (quia vetustate visendum miraculum vulgò habebatur) luce sublatum, suggillationem popularem excitaret. Mane statim desideratum, totam urbem ad spectaculum rei, tanquàm novæ, excivit. Ibi variæ ominationes audiri, ut in superstitioso vulgo solet. Hi clamare, in exitu nunc bellum esse, postquàm fana diripi cœpta essent. Alii præsentem iram numinis haud dubiè Gelrum, ob impietatem, habiturum. Cæterum ut populi apertè frementis error, & vanæ ominationes tacitè reprehenderentur, sequenti nocte à squalore & situ repurgatum, totum novum & candore conspicuum in locum suum restituerunt. Sparsum inde in vulgus fuit, ad candefaciendum, non ad liquandum detractum fuisse. Manavit hinc extemplò per finitimos populos, ad confirmationem vani simulacrorum cultus, fabula, (ut est humanum ingenium ad idolomaniam pronum) monetarii utranque manum, signum liquandum in focum immittere tentantis, non solum ambustam, sed quasi detruncatam unà cum prehensa mole decidisse: quare ictos numinis ira in locum reportasse. Et ut fabulæ sua constaret fides, editi sunt statim in Hollandia de prodigio fabuloso libelli Germanorum lingua, & sparsi. Urbs quamvis ad ultimam inopiam adducta, in obsidionis certæ expectatione erat, adeò ut Gelræ factionis principes aut fugam capessere nt, spe tuendi civitatem abjecta, aut fugam meditarentur: incredibile dictu tamen est, quàm diutino bello præsidia imposita, & urbano luxu marcescentia elanguerunt. Omnia indiligentius facere: stationes nocturnas circa portas negligenter habere: vigilias in muris: portarum custodias parum accuratè, minusque multo intentè, quàm antea, obire. Quam rem civis qui ab episcopo erat advertens, consilium de recipiendo per proditionem, in urbem, expulsò principe, occultum agitare per hos dies cœpit. Acuit ad eam maturandam paucos illos conjuratos metus direptionis: & expectabatur constituta hora cum parte equitatus ex Arenaco Mathias Ketellus: qui furentes desperatione in urbe ad eam rem adjuturus vulgò ferebatur. Hujus itinere Ultrajectum, pridie per exploratores Amorfortiæ cognito, undecim equites post occasum solis è civitate profecti, ad noctis horam decimam in Biltam, quingentos circiter ab

Vasa sacra conflantur apud Vltrajectinos in stipendium.

Fabula de signo Servatoris argenteo.

Amorsfortiorum equitum facinus præclarum.

urbe passus, pervenerunt: ac silentio proximum ei loco Virginum coenobium ingressi, hostium adventum in insidiis ibi operiuntur. Ligulis equorum linguis ad hinnitum prohibendum constrictis, ipsi armati circa portulæ ingressum, ad omnem auram intenti steterunt. Et nox illunis facile armorum fulgorem, ne proderentur, conspectui ademit. Paulo post nuncius ad urbem cum literis, equitum appropinquantium indicibus, præmissus, in hostium insidias incautus illapsus, excipitur. Ex hoc ubi confessionem spacii, quod adhuc aberant Gelri equites, tum autem quàm multi essent, expresserunt: eo ibi retento, quia hinnitum adventantium jam accipiebat equorum, illico equos suos desultoria levitate conscendunt, expectantes dum è sabulosæ viæ angustia, in lapideam evadentium equorum ungularum pulsum strepitumque acciperent. Quo accepto, tubicine subitò tuba canere jusso, infesti in hostes invehuntur. Gelri improviso illorum impetu pavidi, ne tentato quidem prælio in tenebris, ignari quantus hostium numerus esset, abjectis hastis illico se dedidère: duplo fermè Amorfortiis plures. Inde nocte sera retracti, averso itinere Amorfortiam abducuntur. Tres fratres Ultrajecti in suburbio septentrionali (Werdam Ultrajectini vocant) ab Albana porta averso, Lubberti cujusdam F. erant. Hi occultum consilium recipiendi episcopi, per eam portam, in urbem struxere: assumptis in societatem consilii civium paucis, qui haud procul ab ea porta habitabant. Inter hos erat Bruno Foeck. Ex his profecti aliquot Amorfortiam aviis itineribus, rem primum exulibus, inde episcopo communicant. Docent quàm facile factu id esset futurum in tanta securitate vigilum: præcipuè præsidiorum, quæ illi portæ imposita erant. Constituitur ibi dies: dicitur locus, in quem cum armatis Cal. Iulii mane paulo post exortum solis conveniret. Datur tessera, signum nolæ ad D. Iacobum circiter sextam horam auditum: & mulier dextro brachio corbem gestans: cujus hortatu ad urbem accederet. Portæ illius custodem omnium consiliorum participem ad id adjutorem futurū. Cætera sibi curæ fore, nullā pecuniā, nullū præmium pro beneficio recuperatæ urbis reposcentibus. Sed conjurationem hanc clàm habendam, ne cujusquam sermone vel leviter ab arbitrio qualicunque excepto, proditio detegeretur. Interea se quibus opus esset adversus exclusionem, paraturos. Conjuratis jam dudum proprior familiaritas, ac penè domestica, cum præfecto & præsidio portæ, ob vicinitatis jus, intercesserat. Quare crebrò compotare, & ad formam dispositionemque interiorem munitionis, qua parte parum munita porta esset explorandam, convenire consueverant. Eoque consuetudinis adducta res erat, ut sæpe in superiori ejus custodia totas noctes potando continuarent. Quæ res effecit, ut præfecto & præsidio in nulla proditionis suspicione essent. Iam tum per eos dies multo quàm antea, ad observanda opportuna, simul amoliendam fraudis opinionem, crebrius convenire: in multum vini procedere studio cœperunt. Tempus agendæ rei ubi jam advenit, episcopus pridie Cal. Iul: sub octavam vespertinam portas claudi Amorfortiæ repentè, & peditem equitemque in armis esse jubet. Pedites autem in civitate præsidio à Burgundis paulo ante octuaginta, equites ducenti quadraginta quatuor, relicti fuerant. Cum his conjunxerunt se è civibus voluntarii omnes ad quadringentos. His mandat expeditionem paulo antè edoctis, ne quis inter eundum Ultrajectum, via diverteretur, aut ordine excederet. Equitibus ante peditum aciem discurrere per viam, & perlustrare oculis omnia præcepit, ne spectatoribus agrestibus accedentis agminis, consilium detegeretur: obvios interciperent: prægressos, si quos viderent à via retractos, penes se ne fallerentur, continerent. Dedit inde illis prædæ ac direptioni hostes suos: ipsosque oppressos, vivos sibi custodiri in publica custodia ac tradi imperat. Inde post occasum solis è civitate movere pedites equitesque ad sexcentos: atque trium horarum viam emensi, jam multa nocte Lauwenrechtam silentio ingressi, in pomariis proximis & domibus se occuluerunt. Quibus post horæ unius atque alterius spacium nocte concubia supervenit è Wica peditum unum signum, ac tardius aliquanto capta jam urbe cum quadringentis ex ostio Leccæ, Gulielmus Turcus. Duces erant & antesignani, exules: quorum opera in hac expeditione, vindictæ pariter ac prædæ, tum autem & gloriæ parandę cupiditate enituir. Mane portis consueta hora apertis, exploratum Albana è more emittuntur, an tuta omnia ab hostium insidiis circa eam urbis partem essent, (est ea enim Amorfortiæ ac Vicæ adversa, ut Gelriæ) resve novæ quid ea nocte agrestes accepissent. Et nebula casu coorta in cœlo, densam pluviam diei induxerat, quæ prospectum in agros adimebat. Michaël Pistorius, & Henricus fusor æramentarius (quia proximè eam portam habitabant) tum fortè unà cum ejus portæ præsidio emissi, cum in colle editiori molæ paulo antè ustæ, ponè Albas virgines stantes, omnia oculis circumlustrarent, vident

Monasterium dominarum S. Vincentii Ord. S. Benedicti. Brouwen Closter.

Consilium de recipiendo in urbem Episcopo Henric. Bavaro, trium fratrum.

Portæ Insulanæ custos.

Bommelius fol. 53. non Catharinianæ ut perperam scribit Huterus lib. 9. Austriacorum.

Vltrajectina urbs quomodo ab episcopo capta sit. Idem apud Henricum Bomelium fol. 52. 53. & 54.

Vide supra fol. 25.

G. Turcus per uxorem suam Dominam Iosinam dominus de Nienrode.

vident partem hostilium copiarum per densum imbrem paulatim increbrescentem, per palustria circumduci: (Turcus segnius, quàm jussus erat, cum suis accedebat) sed rati populabundos prædatum ea loca hostes advenisse, agrestium raptim collectorum multitudinis virtute, facilè eos repellendos affirmabant: cum interim parte alia insidiæ & signum & tesseram expectarent, & jam ad patefactam portam silentio ducerent, paulatim. Eam tum ex composito, absque præsidio & præfecto arbitris, quos casus ea nocte multo mero obruerat, custos conjuratus aperuit: nam interiori, quæ introrsum discludebatur, à satellite seminudo aperta, & ob crapulam nocturnam nondum edormitam satis, sursum in lectum rursum abrepto, ille proditionem, conjuratis septus, tutò exequitur. Inde fluminis fores discludit. Stabant interea, ut convenerat, proditores in porta tectis armis ac securibus, quibus haud dubiè ad missiles trabes interioris portæ refringendas, mox opus foret, instructi: cum signo ad D. Iacobi accepto, portæ Lauwenrechtæ insidiæ appropinquarent. Qua suburbium ingressis, mulier dextra corbem gestans occurrit. Hæc quasi exagitata, procedite, clarum inclamat, ac maturate: vigiles è stationibus abiverunt. Hac voce confirmati episcopii, silentio urbem invadunt. Prioribus ingressis, tumultus ac clamor à factione, quæ circa eam portam habitabat, excitatus, qualis captis civitatibus esse solet, effecit, ut qui posterioris agminis tergum claudebant, metu ne excluderentur, scaphis ad id præparatis, accepti in urbem inveherentur. Conjunctis ibi pedestribus copiis (Turcus adhuc aberat) collegerat se undique factio & Gelrum præsidium: nam clamor captæ urbis brevi momento totam civitatem pervaserat. Occurritur hostium velitaribus ab Ultrajectino, circa ingressum fori boarii: sed perlevi momento retro per Ollarem viam in pontem D. Iacobi vertuntur. Episcopii gravioris armaturæ, frontem suorum ad fugam inclinatam conspicati, restituta raptim acie, redintegrant prælium, ac Gelro pulso, forum boarium occupant. Præfectus portæ circa principium tumultus somno excitatus, sed pedite jam undiq; in urbem infuso, appropinquantibus portæ equitibus, adeoq; aliquot jam invectis, trepidè trabes missiles, alias post alias, ad illos excludendos, dejicit. Stabant proditores ad ejus rei eventum securibus egregiè subactis, & ad hoc ipsum preparatis, instructi: quibus admotis modicè interioribus, adversus fortuita hostium tela foribus, ingenti vi certatum eas aggressi, perlevi momento circa medium ut superiores partes simul ruerent & ordine subire possent, exciderunt. Hæc porta sola omniū, cataractam, quæ funibus demitteretur subduceretúrq;, nullam habebat, sed ejus loco trabes, nullis laminis ferreis præmunitas (id quod à proditoribus utiliter antea observatum fuerat) quarum aliæ post alias dejiciebantur. Transitus suprà, ingredientibus ad lævam, ab ea in exteriorem portā erat. Inde ne quis ad equitum peditumq; cædes inter duas portas transcurreret, oppositi sunt aliquot tormentarii, qui ab imo excursum præsidiariorum ex ostiolo prohiberent. Unus casu imprudens prosiliens, momento multis sphærulis simul trajectus, ante ipsum limen concidit. Tum præfectus ubi vidit undique se intra extraq; urbem ab hostibus circumventum, liberam potestatem in pacatum abeundi, sibi & præsidio pactus, portam dedidit. Aderat inter hanc moram cum suis cohortibus Gulielmus Turcus. Gelrus interim palatium, objectis scamnis & sedilibus, adversus equorum impetum, à circumjectis plateis, intersepire, una excepta, fronte adversa, qua hosti instructa acie occurrere volebant, raptim aggreditur. Erant in urbe duo signa lecti roboris peditū: sed perpauci equites. Dum in boario* foro Episcopii aciem instruunt, pars equitatus maxima, vias per totam urbem infestè circumvecta, Gelrum è publico, qui nondum in palatium confluxerat, arcent: obvios passim cum telo cædunt, sternuntque. Tum Gelrus hostium plena omnia conspicatus, in cive, præterquàm suæ factionis, clausis tota urbe, ingenti fragore, foribus, nihil opis, quam frustra implorabant, expectandum esse: summam rei in extremo discrimine, & eventu unius pugnæ necessario positu-ri, in tres partes ita sese partiuntur, ut quadringentos hosti per prætoriā viam, objicerent: manipulum in præaltum domus alicujus foro imminentis tectum, ad turbandam inde hostium aciem immitterent: reliqui in palatio circa tormenta in stationibus relinquerentur. Domus erat ad conjectum saxi inde, parietibus ac frontispicio pinnato præalta è secto lapide & polito, regiæque penè forma visenda: unde in boarium apertus patebat prospectus: (‡Keisericam à sumptuosa structuræ magnificentia conditores dixere) in hujus pinnas manipulus tormentariorum celeriter acceptus, episcopios ex alto haud parum ordines turbavit. Amorfortii suos deorsum globulis obrui, & cæde sterni cernentes, aliquot exulum in Hadriani *Palatini. Keisericæ à latere oppositæ domus tectum, per posticulū furtim immittunt. Hinc trajecto uno atq; altero, in adverso fastigio, reliqui erecta dextra intervallo sese hosti dediderunt. Stabant circa boarium

1528. 1 Iunij Vltrajectum occupatum per portam Insulanam, id est, Weerdt poort.

**In antiquis litteris forū hoc vocatur de Neude & Nodcanno 1394. item apud Hædam fol. 292.*

‡ à Gerardo de Kepser condita, Inter irritamenta invidiæ Domus foro imminens, ut loquitur Tac. 3. Annal.

**vd Pallais.*

boarium gravioris molis, in incertum eventum, aliquanto antè onerata, tormenta. At hæc in confertum hostium agmen emittenda, è procursatoribus Gelris emissi, cum frustra admotum ignem pulvis propter pluvium ab austro cœlum, non conciperet, retro in forum anserinum ad suos, quò è palatio jam processerant, telorum nube pulsi sunt. Tum Amorfortii omnia sibi secunda conspicati, ex ea fortuna animis virtuti additis bifariam divisi, in Gelrum sese direxere. Pars dextra in pontem Pistorium versa ad Palatium occupandum se avertit, Reliqui alia, adversa fronte cum ipso robore, hostilium copiarum conferto agmini occurrerent. Tormentarii ad procurrendum in viam Prætoriam immissi, primo impetu Gelrum loco submoverunt. Oritur inde acris inter hastatos dimicatio omnia cæde fœdantes. Hii pro gloria pugnantes, turpe ac dedecorosum arbitrabantur; victoriā quæ in manu erat, sibi extorqueri. Illos non solum stimulus ad demendam amissæ urbis ignominiam, sed salus communis, & factionis ultimum periculum exitiumque præsens ad pugnam etiam accendebat. Extractum in longum per ipsum increscentem ardorem fuisset certamen, nisi equitatus Amorfortius in Gelros invectus, eorum aciem turbatam penè obtrivisset. Cæde suorum territi, coguntur anserino foro cedere, & ferro via facta à tergo, in Palatinum receptū habere. Ibi restituta acie, prælium circa geranion* (sic enim tympanum appellant) infestius redintegrant: sed ne tum quidem impetū Amorfortiorum rabie furentium sustinuerunt. Postquam vidit Gelrus cæcos se, frustra obnitentes, in suam perniciem ruere: & clamorem à tergo ex desperatione sublatum, non posse diutius latera tueri (undiq; enim jam, sed majori vi ad piscarium forum, ubi carcer est, quod Macellum captivorū ipsi vocant, oppugnabantur) satis abunde honori factum rati, relictò Palatino, composito agmine portam Tolstecham petivere. Episcopii in palatio jam capto nihil morati, tumultuariè instructa acie fugientes in vestigio sequuntur. Iamque Gelrus in pacatum evaserat: cum pars ductorum hortatu, pudore tam turpiter amissæ urbis, per angustam portulam, qua eruperant, ad demendam acceptam ignominiam, intrò se iterum conjicerent, rati reliquos sequuturos. Aberant à porta ad conjectum saxi hostes victores, cum Gelri alii super alios motu præcipites ruentes, ægrè rursum portula elaberentur. Clauserant suorum agmen postremum ductores duo, Dobbelsteinus, & Gulielmus Gentius. Hos ubi unus è duplicariis in prima hastatorum acie intuitus propius, agnovit: Hi (inquit suis) illi sunt qui nuper nostras cohortes, & inter eas, fratrem meum in Batavia præter datam fidem trucidarunt: sed non impunè: nam hic cæsorū nostrorum animas istorum sanguine exaturabo. Inde ad hostes, Nunc este Batavæ cladis memores, & nobis date meritas, quas meruistis pœnas: simul fusos in genua supplices & aureorū millia pro salute offerentes transfigunt Nec hac pœna saturati, in mortuos inde inhumaniter ita sævierunt, ut multis vulneribus datis, membratim penè discerperentur. Nudatis ibi corporibus, spoliatisque deformi spectaculo, & ad angularem, in declivi ponte, silicem relictis, in palatium reducuntur. Capti ad centum pedites, qui principio tumultus ab hostium equitatu à suis exclusi, & è publico prohibiti, intra hospitia sua se continuerant. Multi aviis locis in ipsa fuga oppressi transfixique sunt. Sed nusquàm plures quàm circa pomœria ponè ædem S. Gertrudis. Itaque XLII. à Gelris, III. ab Amorfortiis desiderati sunt. Rumore superati Gelri fugatique per totam urbem divulgato, capita factionis, per Albam portam, in quam urbis regionem hostilis vis nondum penetrarat, effuso in pacatum se abripiunt. Alii è muris humilioribus delapsi, quia ab ea parte fugientibus victor non instabat, Ducem petiverunt. Multi, quos rei familiaris tenuitas inopia ultima urgebat, medio tumultu, ubi animadvertebant, suis foro pulsis, urbem captam esse, ne præter exilii malum egestate etiam & penuria rerum premerentur, in monetariam officinam Petri Montani trepidè, metu amentes se conjiciunt, onerantque se raptim pecunia neutro latere adhuc signata, quæ è sacris vasis signisque, jam nuper in hunc usum collatis, percuti ceperat. Ea onusti per funes è mœnibus in apertum sese abstulerunt. Post paululum moræ tribuni militum cum manipularibus paucis ad Albam portam, quæ una adhuc à præsidio Gelro retinebatur, profecti, eam tradi in potestatem postulant. Negantibus Gelris deditionem sese facturos, duas machinas, ab latere alteram in aggere, alteram à fronte circa Album pontem, portæ opposuerunt. Territi eo spectaculo Gelri, nihil expectato portæ haud dubio casu, cujus strage ruinarum ipsi simul obruerentur, salutem pacti deditionem fecerunt. Capto ad istum modum Ultrajecto, emissisque sine fraude Gelris, eodem die auxiliariibus captis, jussi extemplò tota passim urbe pacati Ultrajectini tesseram Episcopi assumere: (Fascia straminea ea erat ab humero dextro in axillam lævam transversim utrinque porrecta) nomen item Palatinum domorum

Gelri Vltrajectina urbe pelluntur.

* De Uratn.

Pecunia è vasis sacris conflata diripitur.

Tessera Episcopi urbe Vltrajecto recepta.

Direptio urbis Ultrajectinæ. Pont. fol. 754.

rum ſuarum foribus inſcribere: eæ verò quæ inſcriptæ non eſsent, diripiendæ militi victori datæ. Si quis foribus civis Gelræ factionis inſcriberet, bonáve abſtruderet, eum pro hoſte habendum. Cum jam per totam urbem fores ſymbolis ac titulis notatæ, exiguo momento temporis diſcrimen militi ignoto pacatæ domus ab hoſtili feciſſent, illicò ad direptionem ædium factionis paſſim diſcurſum eſt. * Præfectus urbis, qui medio tumultu cum uno duntaxat comite porta trepidè elapſus in pacatum aufugerat, ad Sulam in ripa amnis Vechtę ab agreſtibus agnitus, retro in urbem reducitur, & Gulielmo Turco ſervandus traditur. Duravit direptio totum triduum cum miſerabili rerum facie: ubi plus valuit avaritia peregrinorum militum, & rabies veſana exulum in inimicos, impotenter nimis ſeſe ulciſcentium, quàm patriæ amor aut pietas. Prædæ erant non ſolum capita primæ ſeditionis & principes belli concitatores, auctoreſque clauſarum epiſcopo portarum, ſed illi etiam, qui ab initio pacis conciliandæ ſtudioſi fuiſſent: tum qui toto belli tempore adeoque à primo motu magiſtratum aliquem, remque pub. geſſiſſent: propterea quod inde res ab inimicis Soudenbalchianæ gentis adminiſtrari viſæ eſſent. Tum ſi qui vel inviti in concilio fuiſſent. Multos ſua opulentia, quod principis cauſa voluntate ſolum non verterant exilii gratia, prædæ expoſuit: valuitque ad ultimum vis extrema tantum, quantum iræ victoris libitum fuit: quemadmodum fieri ſolet in captis vi urbibus, ubi per iram & avaritiam militum arbitrium, quàm ducum imperium potentius eſt. Et privata etiam ſimultas nonnullos in rerum ſuarum naufragium traxit. Edictum deinde publicè eſt, ne quis illorum quem reciperet, celaret, ope juvaret, & indici præmium propoſitum. Sæviri ſub hæc cœptum in dominos fortunis omnibus ſpoliatos, nullo nominis religioſi profanſve diſcrimine. Arrepti ad unum omnes, qui opprimebantur, in carcerem Catharinianum mixtim deducuntur.

• Cui & cæteris militiæ Primoribus inter extrema mandata impoſitum erat 1528. VIII. Iunii Soo wan die upterſte noodt ſich alſoo begebe und dat ghy de ſtadt binnachten halff ſolde moeten verlaten / dat ghy als dan die ſtadt upt barnen/ 'tgeſchut/ clenodien/ geſangen und anders mit u nemen und tot ons brengen ſolt. Ex memoriis Lappii.

Militum arbitrium, Ducum imperio in captis urbibus potentius.

Canonici Ultrajectini capti.

Conſulares & alii.

Principes religionis per id tempus, præter ſacrificorum vulgus, capti hi fermè erant: Gerardus Sukerrodius Decanus ad Servatorem, & Georgius Solmius ad D. Petrum Decanus, Ioannes Realis Canon. ad D. Martinum, Godefridus Cunretorfius Canon. ad D. Ioannem & illuſtris juriſconſultus, Antonius Venrodius Canon. ad D. Virginem, Martinus Leuwenbergius Canon. ad D. Martinū, Iacobus Crollius Canon. ad D. Virg. Conſulares verò, Fredericus Vochtius Coſ. eo anno, Ioannes Huchtenbrochus, Arnoldus Wulvenus, Godefridus Regius prætor urbis, Gerardus Semmius: & extra hos multi alii. Equeſtris ordinis hi fermè, Gyſbertus **vander Aa**/ Ioannes **van Wijck** Loripes vulgò dictus. Civium & ſenatorum prætetera ingens multitudo, præſertim quos conſtabat à prima ſeceſſione partes Soudenbalchianas, animis quamvis poſtea mutatos, infeſtè oppugnaſſe. Æmylius Niveldius primarius Decanus cum biduum conquiſitus nuſquam inveniretur, edicto publicè promulgato cautū capitis pœna & bonorum publicatione fuit, ne quis eum hoſpitio tectóve juvaret, néve quem è factione in operto haberet, indici præmium auri vis propoſita. Hunc non tantum in tam ancipiti perturbatæ civitatis terrore nemo indicavit, ſed habitu bajuli ſqualido ſordidatus ne noſceretur, cum per biduum pavore conſternatus per ſepes & macerias hortorum ſurſum deorſum oberraſſet, ab inimici ſui Godefridi Vordii (hujus enim maximè ductu urbs capta erat) exulis uxore religioſa, pro eo apud maritum deprecata, ſervatus fuit.

Æ. Niveldius à periculo ſervatus à domicella Elizabetha van Tiel Johannis Filia, uxore Godefredi Voordii.

In hujus ædibus ubi aliquandiu, donec furor recens elanguiſſet, occultus latuiſſet, veſtis variæ habitu, & capite obnupto, ne facie nuda proderetur, conſcenſo equo cum Montfortiorum principe urbem egreſſus, Montfortiam in pacatum, periculum evaſit. Libuit hujus ſingularis pietatis memorabile exemplum hoc loco commemorare, propter quoſdam, qui religionis titulo, ab aura & favore populari vulgò commendati, contemptis cæteris mortalibus, ſoli pietatis ambitioſo cognomento nobilitari volunt: cum longè diverſum hic ſpecimen, ubi res ipſa pietatem poſtulabat, in proſcriptos & captivos ederent.

Taxat fratres Minores Hortenſius parum decorè, cum Epiſcopo quam rebellibus Canonicis maluerint adhærere.

Confugerant pavidè ad primum ſtatim ſignum, quo ad arma conclamabatur, in Franciſcanorum cænobium tanquam aſylum Canonicorum quidam, rati illorum ſanctimonia ſe & pietate tutos ibi latituros: ſimul depoſita ingenti pecuniæ vi: ut ſi fortè inde à conquiſitoribus eruti, & in cuſtodiam abducti, dei alicujus beneficio, rebus aliis omnibus ſpoliati, poſtea reſtituerentur, fuiſset, quo aliquam inopiæ egeſtatiſque partem utcunque pepuliſsent. Irrumpentibus paulo pôſt ſive caſu aliquo, ſive accitis (nihil comperti habeo) conquiſitoribus, non modò eos indicatos extrahi in carcerem paſſi ſunt, ſed parte etiam pecuniæ tradita ab eo, cujus credita fidei fuerat, aurum cum principe dividuum fecere. Et anteſignani factionis è plebe in tutū evaſerant. Duo extremi loci homines, & obſcuri aliàs, ſed quos tempora ſeceſſionū civilium & belli, inter populares ſatis nobilitarant, quorum alteri Gisberto Otero nomen, alter Henricus Porcarius à ſtudii genere cognomento appellatus fuit, diu conquiſiti

cti sunt. Indicio tandem, multæ irrogandæ metu, ab amicis proditi, cum è fimo bubulo, diversis locis, & palustri glebula, quibus in his regionibus passim lignorum inopia pro ignis alimentis incolæ utuntur, extracti à satellitibus ducerentur, exulum ferocissimorum circumfusi globo, frustra militum opem ad arcendam vim suppliciter implorantes, & per principis genium ut sisterentur, obtestantes, alter in foro Anserino, alter circa curiam, multis vulneribus acceptis interfecti sunt. Tota Hollandia per eosdem dies frumentum in urbem convectum, & aliarum rerum commeatus: quia fame & annonæ caritate non minus, quàm si ab hoste diutina obsidione circumsessa ad deditionem per inopiam subacta fuisset, laborabatur. Quarto inde Non. Iul. episcopus in urbem per eam portam qua capta fuerat, Albam quæ Gelrorum dicebatur, & Tolstecliam qua exclusus fuerat, ut fatales & calamitosas detestatus, venit: ac supplicationes in unum diem ob recuperatam civitatem, decrevit. Eodem die Gelrus captæ urbis nuncio perculsus, simul quia Burgundi ab Hardervica castra movere ferebantur, Rhenos deserit. Octavo inde Id. populus Ultrajectinus in forum Boarium advocatus, in episcopi fidem jurarunt, quod in reliquum illi sine rebellione ad officia exequenda fideles se præstarent. Sublato in universum comitiorum habendorum jure, ab injuriis & conviciis deinceps absisteretur, præcipuè in eos qui ante bellum in partibus fuissent: quive in posterum rempub. gererent. Nullæ inimicitiæ exercerentur, memoria injuriarum exoleta. contrà qui facere deprehenderetur, noxam lueret: eoque opem quisque suam præfectis pro se ferret. Novus à populo exigendi jusjurandum, & insolens mos: cum ad eum usque diem Cal. Feb. comitiis jus exigendi jurisjurandi à Coss. prætori urbis in principis curia sub divo ad abacum fuisset. Capta Hardervica, Burgundiones XVI. Cal. Augusti, promotis castris trinis Tylam obsidione cinxerunt, sed minus arcta quàm Hardervicam, propter præterluentem Waalim, in cujus ripa posita est. Eam opportunitatem Dux haudquaquam negligendam ratus, maximè dum hostes, machinis nondum præparatis, circa castrorum locationem occuparentur, octingentos expertæ audaciæ pedites, tectis navibus secundo amne, nocte quanto maxime silentio potuit, in oppidum portavit. Factum id Florentii consilio vulgò per omnia castra ita calumniati sunt, ut oppidum armis egregiè munitum obsidione, propter appetentem hyemem solvere cogerentur: quia sanguine Gelro junctus, cum ad pacem faciendam, capto Ultrajecto inclinatior videretur, apud suos gratiam amisit, & omnium odia in se vertit: passim hoc militari convicio jactatum in se celebrari audiens, Tylam à Tylanis circumsederi. Auxit illi insuper invidiam in castris insolens vox: aliis ducibus & militibus omnibus concordi clamore oppugnationis copiam postulantibus neganti, atque identidem porrectis manicis respondenti. In hac pacem, in illa bellum porto. Dum ad Tylam bellum hæret, episcopus Ultrajecti per Wolfgangum Abstemium aliquot captivos è custodia produci jussit. Abstemio cum equitatu luce in forum Boarium profecto, concursus tota urbe populi ad ferale spectaculum factus est: imperatumque lictoribus producere Godefridum Die Coninck prætorem, Gisbertum vander Aa equestrem, Cornelium Hack, Iacobum Blom Nicolaum Ioannis F. Pauli N. Hos productos indicta causa percussit, ut quorum consilio ac sententia descitum maximè ab episcopo, & omnium primũ turbata ac vastata seditionibus respub fuisset. Corpora in publico insepulta usque ad vesperam relicta sunt: nec sepeliendi ea propinquis facta potestas prius est, quàm auro ad sepulturam à præfecto rerum capitaliũ, capita redempta essent. Inde XII. Cal. Aug Abstemius cũ eodem equitatu in forũ reversus, producere e custodia lictoribus imperavit, Ioannem van Wijck Wilhelmi F. Loripedem equestrem, Corneliũ vã Meer en Gerardũ Foeyt, Iodocũ van Eyck, Petrũ Roberti phrygionem, Gerardũ van Royen, Gulielmũ Knijf, Petrum Coppiũ: & cũ his nonnullos, primi inter suos nominis canonicos, quos illis admistos ex composito ad perturbandos metu apparebat: cum paulo quàm producerentur missus ab episcopo quidam adesset, clarumque inclamaret, Non morientur hodie, qui è religione sunt, retrudantur in carcerem. Forica erat in summa testudine carceris Cathariniani, ad lævam ascendentibus in pariete austro obverso. Hujus cloaca ac fistula lateritia muro extrorsum ita adhærebat, ut ad quindecim pedes, ejus ima pars à terra, quò excrementa deferebantur, herbida distaret adhuc deorsum. Sub qua tuguriolum ex stramentis factum ac tectum, imæ basi portæ adjunctum erat, in quo apricatores adversus intemperatum solis ardorem æstivis temporibus latitare, ac molossi telarum custodes pervigilare solebant. Inter eos qui in summa custodia ad cædem destinati erant, parabanturque ut ad supplicium producerentur, Petrus Coppius erat: qui dolore ventris simulato, verecundè vincula solvi, & potestatem alvum exonerandi orat. Haud negatum id quidem homini est. Admoto inde ille placidè ostiolo foricæ, dum licto-

Rhena oppidum deserit Geldrus.

Ultrajectinus Populus episcopo jurat.

Tylam obsident Burgundi. 17. Iulii 1528. Opmerus in opere Chronographico. fol. 481.

Minabatur L. Hortẽsio Maxemilianus Burẽsis Comes, quod inter describendum Tylæ obsidionem, Tylam à Tyla obsideri, dixerat, eo quod Florentius ejus pater exercitus Dux eo dicterio fuisset segnitei infidæ notatus

Supplicium sumptum de Nobilibus & civibus, quorũ nomina ex registro civitatis repræsentamus.

Petrus Coppius supplicium evitat.

lictores ligandis alii haud sine strepitu & clamoribus occupant, strinxit se per orificium angustũ fistulæ, ceciditque extra urbis muros in fastigium straminei tugurii, quod erat fistulæ subjectum. Ac priusquam desideraretur, per objectam fossam tum vadosam passim, per plana & abrupta, qua potuit celeritate abreptus, in proximis segetibus, quæ tum fermè maturæ erant, reliquum diei delituit. Conquisitus eodem die à persecutoribus, ad id emissis, depræhensus nõ est. Sequenti nocte in pacatum evasit. In porta interim Cathariniana lictores hominis mora offensi, cum Coppius neq; vocatus, neq; quæsitus ibi, quò vinculis exemptus dimissus fuerat, cõpareret, fraudem illico persenserunt. De aliis inde supplicium sumptum est. Inde postridie episcopus cum omni equitatu Dorestatum rediit, secum è custodia vinctos abducens Georgiũ Solmium decanũ ad D. Petrum, Antonium Verodiũ Canon. ad D. Virg. Godefridũ Cunretorfium Canon. ad D. Ioannem. Ioan. Huchtenbrochum, equestrem & proconf. Horum amici, & quorundam aliorum nobilium, qui Ultrajecti in carcere erant, absentes Mechliniæ summa ope apud Comitem Hochstratanum connitebantur, ut quando satis cædibus sævitũ esset, reliquorum animadversio & supplicium in suum adventũ differretur, per literas episcopo imperaret: ne mora ad impediendum calidum inceptum, sera foret. Et episcopum non fefellit suum augurium, id ita eventurum: quare priusquam citũs eques, cum literis à Mechlinia veniret, approperandam rem duxit, ne impediri posset: ut cum acta esset, serum ad eam impediendam foret. Antonium Venrodium, quòd quæstor sub Gelro fuisset: & Godefridum Cunretorfiũ, quòd de belli suscepti jure consultus, aliquid contra episcopum respondisset, culeis insutos in Rheno nocte prope arcem suam Batavodurorum submersit. Tanta fuit in quibusdam vindicandi, & sanguinis hauriendi sitis (de iis loquor, qui episcopo autores ad orsum & plausum hujus miserabilis tragœdiæ erant) ut, nisi citato equo veredarius à præfecto regni Burgundici, exacto de his supplicio, cum literis, quibus ulterius grassari prohibebatur, adfuisset, ad unũ omnes, qui xx. & plus in carcere clausi custodiebantur, ultimo humanorum supplicio, mox in ipso vastandi ardore, affecti essent. Suasor credebatur ad eam rem Abstemius, homo asper, durusque, & ad tyrannidem usque immaniter crudelis, quam vel ipso aspectu plusquàm Titanico præ se ferebat. Aliis, Schonenburgus quidam, ipsi episcopo à consilio intimo. Fuerunt qui causam in exulum principes transferrent, ob inimicitias, quæ propter factionem domesticam, his cum illis multos annos ante primum motum intercesserant. Et cædibus quidem hic factus est finis, sed non sine magno animi dolore: quòd jus sæviendi ad satietatem, in inimicos, ademptum esset ab Hochstratano. Exitum hunc belli qui fanaticæ factionis hominibus paulo antè familiariter vaticinabatur, is mentis inops habitus, statim clandestinæ conjurationis reus fieri incipiebat, & principis causæ favere nolens volens cogebatur. Si speculis, si vigiliis & stationibus nocturnis, si intentissimis portarum custodiis proditionem intestinam, hostisque insidias mille opposuisses, quarum passim exempla in historiis extant, Argum occulatum, aut pervigilem draconem citius falsurus videbaris, quàm Ultrajectinorum excubias. Conviciis simul & *cavillis in episcopũ ludentes, foras Heidelbergam illi brevi facessendum esse aiebant: non enim amplius floralia celebrari. Alius omnem illi panem se præbiturum, quem in urbe absumeret. Hic dicacior quàm honestum erat, jurare se pro opimo & suavi velle absque fastidio eligurire, quantum excrementi, in urbem ille reversus, dejiceret. Tanta fuerat hominum id temporis in armis & virtute ad tuendam urbem adversus episcopum confidentia. Sed ille abliguritor, capta jam civitate deprehensus, cum ad principem qui ejus hominis videndi cupidus erat, ductus esset, interrogatus num ipse is esset, qui humanum stercus pro lautitiis epularum appositum comedere didicisset, tremore membrorum ita corripi cœpit, ut vix hiscere potuerit, & propè exanimatus conciderit. Tandem pavidus in genu ad pedes episcopi postratus, id inficiari, lacrymando obtestari, ne capitale sibi verbum ab inimicis in se confictum verteretur: easdem preces identidem ita advolutus genibus repetere. At repentina hostium procella oppressi, cum defectionis pœnam luerent, & admissam noxam sanguine expiarent, clari eiulatus toto passim foro audiri: tum demum se insanire cœpisse, cum hortatu quorundam, qui fœliciter dilapsi essent, principi suo portas clausissent: & adversus eum Gelri auxilio adjuti arma sumpsissent. E carcere postea alii dimissi, justè hunc miserabilem plausum se sortitos fatebantur, qui orsum fabulæ à secessionibus civilibus, tam ingrati erga principes civitatis optime de patria meritos, tanta amentia inchoassent.

Venrodius & Cunretursius Canonici culeis insuti merguntur.

Abstemii ingenium tyrannicum.

Ultrajectinorum in episcopum dicteria: quorum etiam hodie bona pars superest in pasquillis illius ætatis: & hoc Latinum Chronographicõ. CVIVS hæC IMago & sVper sCrIptIo? dICVnt eI Cæsaris, continẽs annum 1527.

Regnorum vicissitudines perniciosæ.

Rerum

Rerum regnorumque vicissitudines ut perniciosas, ita haud diuturnas, si vel impotenti & nimis calido consilio fiant, vel per tyrannidem administrentur.

Ocium longum luxum parere.

Ex longo ocio in luxum se effusos, pacem diutius ferre non potuisse. Et quum belli materia foris deesset, domi se quæsivisse: qua inventa, meritò mutuis vulneribus cecidisse. Duces Burgundionum interim Tylanorum muros tormentis tribus locis quassaverant. Postulantibus militibus insano clamore oppugnandi copiam, cum diu extrahendo rem aliquo prætextu, Florentius negavisset, tandem improbis vociferationibus eorum victus, duces sortiri inter se jussit. Et Schenkianis castris oppugnationis vices forte obvenerunt. Nulla mora extemplò indignè ferentibus gloriç fructu ac prædæ se defraudari, oppugnandi potestas VI. Cal. Aug. fit: ac dato signo, ad classici cantum, per oppletam cratibus fossam, ad stragem ruinarum & oppositum intus vallum, plerique umbilicó tenus per aquam impetum faciunt. Oppidani è vineis & recenti opere pari celeritate, qua hostium tormentis dirutum erat, objecto, in confertos glandes immittere: ascensum in vallum tentantes omnibus telorum generibus obruere: magnam stragem edere. Gelri præsidia ad octingentos pedites in foro armati hostes operiebantur, ad conserendum prælium collatis signis parati, si oppidanis loco pulsis, oppidum captum foret. Dux Burgundus oppidanorum rabie conterritus, ne sui lanienæ objecti internecione cæderentur, receptui cani jussit. Multo ibi in receptu major clades, quàm circa vallum accepta est. Præterquam enim quod Tylanorum machinis effusè refugientes obruebantur, alii etiã super alios cæci ruentes, integri à sauciis trepidè se recipientibus, in terram per lubricum provoluti multo plures perierunt. Deposcentibus inde, cæsorum corpora sepeliendi potestas permissa est. Florentius ad nuncium acceptæ cladis ferebatur subridens dixisse: Et meus miles Tylam expugnare voluit. Per eosdem dies ad nuncium tumultuosè allatum, Gelrum equitatum agros populari, Amorfortiæ trepidatum est. Equites, qui tum pauci præsidio in civitate relicti fuerant, citatis equis porta Campensi hosti obviam evolant. Mille circiter passus profecti, cum percontando obvios nihil certi de hostium incursionibus acciperent: rati id quod re ipsa apparebat, experiendi causa, quid opis in se esset, si usus expostularet, ex composito ad arma conclamatũ: insidias simul veriti, si longius in angustias anfractusque viarum aveherentur, in civitatem revertuntur. Iam ab equis descenderant, & ocreati adhuc defricabant arma, cum repente iterum signo ad arma conclamatur. Eques manifestas insidias tum animo cernens, sed quas fœliciter, maturè sese recipientes, declinassent, in capita hostium minas execrationesq; detestari, quòd posita vixdum arma jam, iterum induenda essent: apertè tergiversari, ac restitare, pedites hostium equitatui immistos formidantes, quorum ipsi præsidio carerent. Plebs contrà magnis clamoribus omnia complens, instabat, ne bene gerendæ rei occasio negligeretur. Se armatos hostium vim excepturos: tantum eques ex intervallo à tergo insequeretur. Et ut animis confirmatiores, & insidiarum securi, certique fierent, quantus hostium equitatus esset: pedes explorator Gelrus circa portam in segetibus comprehensus, extractusque in medium, cum addicta & accepta fide, de equitum suorum peditumque numero, ut verum diceret, ecquæ fraus latêret, rogatus esset: respondit, non plus lxxx. equitibus manipulos duos mixtos: nec plures Arenaco profectos, nec insidias usquam ad fallendum dispositas esse. Hac fiducia equites animati, rursum conscendunt equos: monentq; identidem cives effuse inordinatéq; porta ruentes, uti juxta turmas confertim sese continerent, ne palantes hosti ad cædem opportuni forent. Paruerunt suorum consilio, & in hostem ad quingentos ab oppido passus, equite placide tergo hærente, progressi, ubi in conspectum venerunt, Gelrus paulatim cessit: veritus ne à tergo fugæ exitus intercluderetur. Via erat anfractuosa ad dextram, inter Amorfortiam & Hœflakiam, petentibus sylvam Bileram. Ad hujus exitum Gelrus aciem instruit, pugnæ copiam equestris facturus. Cives Amorfortii pro loci opportunitate bifariam se ita partiuntur, ut equitem hostibus ad equestre certamen objicerent: ipsi utrinq; hinc inde eminus per sepes è tuto tormentis ferirent, ac invaderent. Instruit se exadverso Amorfortius eques, paulatim sequendo per spacia, ut in re tumultuosa, collectus. Inde utrinque ubi tubæ & cornua canere cœperunt, infestè concurrêre. Sed Amorfortii armorum pondere & corporum vastitate superiores, post alterã concursationem, Gelrorũ vim facilè sustinuerunt: sed nihil æquè eos primo impetu loco submo-

Tyla oppugnata sed frustra, cui præerat Æia à Riemsdijck.

Gelri victi Amorfortiis se dedunt.

submovit, atque civium virtus, cum ingenti clamore hinc illinc consternantium, tormentisque certis ictibus debilitantium equos, passim cum viris cadentes. Captus est nullo momento statim pedes, atque ægrè servatus. Equites ubi se peditum auxiliis nudatos conspexere: simul passim se ab hastato cive & tormentario magnis clamoribus ad cædem peti: nec spem elabendi superesse, nec viribus ulla parte se pares: equos undique glandulis corrumpi: gradus eorum à vulneribus tardiores lentescere, & destitui viribus: equiti se ut à furore & rabie civium undique assilientium, servarentur, supplices dediderunt. Pauci equitum, & in iis Ioannes Wissingus Macer, equitum magister, inter tumultum elapsi, Arnimiam evaserunt. Reliqui aut capti, aut cæsi sunt. Ex Amorfortiorum equitibus unus dolore letalis vulneris accepti, postea mortuus fuit. Lætam victoriam intestinum mox certamen excepit: trahentibus ad se hujus laudem victoriæ equitibus, cives contrà ejus gloriam in se transmovente, de prædæ captivorumque jure orta contentio est. Equites, à se fusos captosque hostes, se suæ potestati permisisse, contendere: id belli jure equiti cedere, quicquid ab eo captum servatum esset. Cives contrà clamare, sua maximè opera fusos hostes: quos vel remotis equestribus auxiliis, occidione delere potuissent. Neque verò perinde turmalem vim, atque glandularum latrocinia, sibi hostem equisque formidasse. Spectabat hoc certamen ad gravem & perniciosum reipub. motum: & vis subsequuta fuisset, ni consulum autoritate controversia in præsenti dirempta fuisset. De manubiis singuli aut bini aurei civibus, qui rebus bene gestis interfuerant, dati sunt. Ultrajecti custodiæ circa portas positæ sunt: ne qua factionis bona vehiculis, per fraudem, exportarentur, accuratè prohibuerunt. Coss. captis, tribuni & senatores se magistratu abdicarunt. Et ne licentia militari, Respub. gubernatoribus destituta, & libidine exulum vastaretur, Quatuor viri constituuntur, Henricus Verborch, Henricus van Heusden, Petrus Ruysch, & Antonius Beeslandt. His mandatum ab episcopo, uti caverent, ne quod flagitium noctu lucíve perpetraretur, vim prohiberent, & ad tumultum avertendum, controversias, & lites, causamque dicere volentes, ad Abstemium urbis tum præfectum, qui judicia exercebat, rejicerent. Ad res Ultrajectinorum inter hæc inspiciendas Margarita regnorum præfecta legatos Comitem Hochstratanum, præsidem Assendelphium, Iodocum Sasbautium, Vincentium Cornelii F. misit: simul ut ad ordines, quas conditiones cum Episcopo iniissent, referrent. Ordinum nulla mora conventu indicto, in concionem Hochstratanus introductus, longa oratione exposuit belli rationem cum Gelro suscepti: non tam ob injuriam acceptam, aut res prius ab illo ablatas, quàm quod auxilium episcopo contra communem hostem tulissent. Illum ubi parum virium, adeoque nil opis in se vidisset, ad sustinendum Gelri impetum, auxilium Burgundionum imploraße, ut in episcopatum, unde ejectus esset, reduceretur. Neque vero gratis tantas impensas in bellum à Burgundionum gente factas: sed utiliter ditioni Ultrajectinæ illum consuluisse, quod ejus possessione Carolo Quinto tradita, quamque tueri suis opibus principes Ultrajectinorum non valerent, ultro cesserit. Legatos se datos, ut hæc acta ad ordines relata, ipsorum quoque autoritate confirmarentur. Ad ea responsum: Magna quidem esse merita Burgundionum, & singularem fidem, quam eo bello ditioni Ultrajectinæ præstitissent in liberanda patria à Gelri servitute, & recipiendis amissis oppidis & castellis: sed vereri, ne fraudi ignominiæve sibi apud posteros esset, quod antiquissimum juxtà & florentissimum episcopatum sub jus profani imperii alienassent. Iam illud in sua manu non esse, nisi pontificis Rom. autoritas eam regni mutationem confirmaret. Productæ deinde signis impressæ tabulæ Imperatorum & regum à religione, atque libertates: quas ab ipsis datas olim sibi affirmari voluerunt. Responsum à legato: nihil esse quòd posteritatis reprehensionem metuerent, utcunque acciperent, si cogitarent, fraudi verti non posse, quod necessitas exprimeret. Quod ad Pont. R. attineret, aulæ Burgundicæ curæ fore, ne is huic rei intercederet. Religione eam, quam ante bellum, Imperatorum, regum, episcoporum, Comitum, Ducum beneficio obtinuissent immunitatem, illibatam permansuram. Hæc postquam convenerunt, legati ut domum renunciarent, Mechliniam redierunt. Hæc ubi Amorfortiam Ultrajecti acta fuisse, allatum est: senatus acerbè tulit, hæc absque suo consilio ab Episcopo facta. Sæpe enim præsens antea de alienatione episcopatus, quæ à multis passim ferebatur, & fando accepta fuerat, interrogatis familiariter, quoties pernegasset fœdus ullum cum Burgundis se adjunxisse, aut de alienatione egisse, cur obnoxius illis esset: addere solebat, possessionem ejus quidem ipsos affectasse sæpenumero, sed jus ad huc penes se integrum esse: istud identidem affirmans, nihil ejus rei nisi arbitris Amorfortiis sese facturum, & quidem ob

Quadrumviri Ultrajectini constituuntur.

Legatio Margaretæ Austriacæ gubernatricis Belgii ad res Ultrajectinas inspiciendas.

Necessitas quod exprimit, fraudi haud dandum.

Privilegia Religioni non aliis confirmata.

1528. in Augusto.

dem ob recentia in se eorum merita & fidem. Quare præter vectigalium & aliarum rerum libertates, quas haberent, alias Carolum Cæs. Q. etiam adjecturum, si ditio sub ejus judicium aliquando veniret. Ratus itaque se negligi senatus, ubi accepit tradendi pactum, remotis se arbitris, Ultrajecti in concilio convenisse, censuit extemplò quinque legatos Mechliniam mittendos, ad regni Burgundici præfectam, ad petendum diem & locum constitui, quo indicto concilio ipsi audirentur. Eò postquam venerunt, benigniter auditi sunt, & eo propensioribus animis, quòd apud eam gentem sanctum semper & plausibile nomen Burgundicum propter commercia & negotiationem maritimam, tum alia merita extitisset. Maxime verò, quòd in bello soli in fide non tantum permansissent, sed quod capti Ultrajecti gloria penes eam fuisset. Cæterum ad VIII. Cal. Septemb. ipsis concilium indicitur Delphis, quò post direptionem Haganam judicium atque jus supremum Hollandiæ translatum fuerat, & opes civitatis, ut in tutum opulentiæ receptaculum migrarant. Eò legati sub constitutum conventui diem missi, Everardus van Lyenler oppidi pastor, Gerardus Sosius Botti Consul, Ioannes Sosius, Petrus Hardefeltius, Segerus Wilda. Delphos postquam venerunt, non multo pòst iis audiendis è senatu princeps Assendelphius, Iodocus Sasbautius, Vincentius Cornelii F. publicè dati sunt. Introducti ad hos legati, primum Carolo Cæs. Q. gratulati sunt, quòd ejus res ductu Florentii, & aliorum ducum prosperè ac fœliciter in Velavia adversus Gelrum gestæ essent: deinde, quòd Ultrajectum caput atque apicem episcopatus, pulso in suum regnum hoste, recepisset: & amplificare paternum regnum armis ultra pergeret. Postrema autem eorum gratulatio fuit, quod in ditionem nuper Transiselanam inauguratus, in possessionem inferæ etiam venturus esset. Gratias sub hæc illi egerunt, quod non solum grata essent, quæ hoc bello fideliter ab Amorfortiis acta consultaque fuissent, verumetiam quòd honorifico decreto præfectæ Margaritæ in amicis appellarentur: & ipsius beneficio, quæ haberent jura, leges, libertates illibatas in perpetuum obtinerent: promitteretque per episcopum Henricum, & legatum suum Albertum Colsterum, sua munificentia insuper immunitates cumulate se aucturum. Quibus beneficiis ne populus Amorfortius indignus esset, semper dedisse operam, daturumque deinceps porrò, ne apud ingratos ea posita viderentur. Quare venire se, ut se suamque civitatem in ejus fidem permitterent. Collaudati à legatis Margaritæ, jubentur exponere episcoporum beneficia, quæ Caroli Cæsaris decreto confirmari, & quibus muneribus civitatem suam decorari peterent. Ad ea responsum à legatis: petere, ut quam immunitatem, quod jus de coctura cervisiaria, unde nundinatio quæstuosa & frugifera una esset, obtinerent, id Cæsaris munificentia confirmaretur. Id enim amplum popularibus suis futurum esse. Deinde scriptum hujusmodi ex senatus autoritate exhibuerunt. Quoniam populus Amorfortius multis retro seculis ad præsentem usque tempestatem sanguini Burgundico amicus & benevolus fuisset, (id quod nulli obscurum est) & beneficia præstitit: graviter ob id terra ac mari bellis cum Gelro diversis, res suæ à communi tantùm quam hoste semper afflictæ fuerunt: agri vastati, opes domesticæ magnis suis impensis accisæ: omni ope destitutus, compulsus fuit adversus Burgundionum hostes civitatem suam tueri. Nuper cum tumultibus intestinis & civili conjuratione omnia Ultrajecti arderent, unde vastitas regnorum orta, & direptio Hagana, quæ adhuc in omnium mortalium conspectu est: in ejus societatem perniciosam nunquam iverunt: sed statim ubi ea scintillare occœpisset, apud principem suum consilio & ope aliarum civitatum institerunt, ut antequam fomentum conciperet, incendium obrueretur. Et quanquam extra caussam belli, ex illa officina profecti, planè fuerunt, ut ab eo quietis esse licuisset: gratia tamen & amicitia Burgundici nominis ad bellum animos consociarunt, ut nulla regio, nulla civitas, ob situs opportunitatem pariter, & affinitatem locorum, nullus ager Burgundicæ ditionis propius vastitati & hostium populationibus expositus sit, quàm populi Amorfortii. Sequuta sub hæc perpurgatio est criminis paulo antè falsò per Hollandię civitates sparsi, de senatu & pop. Amorfortio: nisi Episcopus maturatè Amorfortiam advolasset, defectionem ad Gelros spectasse. Cum in civitate inter maximos minimosque nemo fuisset, cui ea res in mentem semel venisset. His ad istum quidem maximè modum expositis ostenderunt, principes civitates in eam sententiam consensisse: & spem item magnam habere, eódem & populum blandimentis se inducturos, ut se & sua omnia, quæ sacra, quæque profana civitatis essent, fidei Caroli Q. Hollandorum Comiti, & Brabantorum Duci permitterent, si ob fidem singularem, & recentia & vetera sua merita, hæc ab ejus munificentia, æqua ac justa impetrarent. Quorum primum erat, ut

Amorfortiorum legati ad Margaretam Austriacam Belgarum Gubernatricem.

Gelrus quare Amorfortiis infestus.

Amorfortiorum à Cæsare Carolo postulata.

Cæsar, & ejus hæredes principes permitterent, civitatem Amorfortiam jurisdictionem liberam suasque leges habere: sua item omnia jura prædiorum, urbanorum clientelaria, agraria illibata esse. Paterentur eam gentem denique in sua pristina libertate & immunitate esse: possessiones, usus, consuetudines patrias, publicas ac privatas, quas ad hunc usque diem usurpassent, affirmarent. Iudiciorum & fori domestici, & juris dicendi ratio integra ipsis foret: provocandi ad extremum judicem potestas abesset. Si per hanc mutationem rerum pop. Amorfortio, vicisvé circà vicinis, Pontifex Rom. aliusvé princeps infestus esset: tollerent nullo suo incommodo omnem eam, componendo disceptandoque controversiam. Aut certè, ut ea res ipsis autoritate Pon. Rom. ejusvé unde petenda esset, affirmaretur, & quidem nulla pecuniæ sua noxa. Cæsar nullam pacem, hoc bello, cum Gelro faceret, nisi possessione fundorum, qui ante bellum juris incolarum Amorfortiæ civitatis fuissent: Gelrus pulsus, eos dominis redderet. Vectigal omnino nullum penderent: nullæ pacis conditiones Gelro darentur, nisi Amorfortiorum prædia ac fundi in illis simul exprimerentur. Ad hæc bellorum temporibus cum Gelro, Cæsar Amorfortiorum villas, prædia, armis tueretur, incendiis eximeret, à pactis incendiariis vindicaret. Si Ultrajectum & reliquæ civitates ditionis citerioris sub judicium Burgundionum transierint, atque controversia, aut dissidium inter eas exoriatur: ibi Cæsar, ejusque hæres nihil aliud, quàm æquum principem par est, aut ultrà præstabit. Quod si idem populus belli calamitatibus, populationibus, incursionibus hostium damnum accipiat, eum armis perinde ut gentem hæreditariam aliam vindicabit. Integrum item erit, itidem ut aliis populis in ejus regni foro jure agere, controversias judicio disceptare. Quod ad jus finium de paludibus circa Gojolandiam attinet: ut populus Amorfortius, ejusque posteritas & hæredes in earum possessione & usucapione maneant, dum judicio victis lis abjudicata sit. Ab anno XI. rem Ultrajectinam multis intestinis factionibus, conjurationibus, seditionibus, bellis jactatam & afflictam fuisse, liquidò constat: unde nominatim bellum, etsi haud magni nominis, perniciosum tamen, Isselsteinense cœpit: capta castella, & arces: & inter eas, Termeidensis. Unde vastationes agrorum ortæ: & re Ultrajectina in magnum detrimentum, impensasque in bellum factas, & æs alienum dilapsa, ordines hypothecas, oppignorationes pro stipendio militari, tabulas usurarias dederunt. Unas nominatim signo impressas, C. & V. M. philipporum, & eas quidem trium ordinum factas conscriptasque nomine. Et quia Pop. Amorfor. nunquam in hæc certamina assensit, semperque obstitit, id quod nemini non notum est, nec ipsi Ultrajectini usque ad hæc tempora rebus ipsis inficiati sunt: qui in collatione tributaria ex recensu agrariorum ædificiorum, villas Amorfortiorum juris, ac bona singulis annuis libera reliquerunt, & ut ante ea tempora fuerant, stipendiaria esse noluerunt. Quare censebit Cæsar, neque Amorfortios, neque Amorfortiorum colonos, aut bona, debere teneri ad eos sumptus factos, unde tabulæ usurariæ traditæ sunt equiti mercenario, qui ad id bellum conductus stipendium fecerat, ea formula, qua communi ordinum nomine datæ fuerunt. Quoniam autem ea gens nullam materiam consiliumvé ad hoc bellum præbuit, & portis suis obvia benevolentia arma ac copias Cæsaris recepit: ibique jam aliquandiu per hospitia ac domos distributæ, cum hospitibus grandem pecuniam pro victu aliisque rebus deberent: his prius Cæsar persolveret ab eo tempore quo civitati præsidio impositæ, ipsius majestati & episcopo inautoratæ fuissent. Ad hæc, turmales, qui ibi relinquerentur, sua pecunia, nullo verò civitatis sumptu, aleret: & quidem ab eo, quo permissu episcopi in ipsius ut Holl. Com. & Brab. ducis fidem à pop. Amorfortio juratum esset. In conditionibus & hæc ascripta fuerunt.

Vide supra fol. 27. Pontanus in Carolo duce Geldriæ fol. 642. lib: XI. Hæda fol. 318. in Freder. Badensi, Snoyus in Carolo Austr. Comite Hollandiæ.

Amisianum castellum dirui petunt Amorsfortii

Castellum Amisianum, quod nuper iterum Gelro ademptum fuit, quia prope Neodesiam situm, ac Velaviæ vicinum, nimis magnis sumptibus ad alenda præsidia constabit: nec Gelrus antè quiescet ad occupandos suæ ditioni opportunos portus, quàm consuetis artibus per fraudem illud receperit. Qua ex re non tantum Amorfortia, ejusque omnis ora maritima, sed Amstelrodamum etiam, & civitates circà maritimę Hollandiæ peninsulares, quæ Waterlandia appellantur, cùm incendiis, populationibusque rursus vastari & exactionibus incendiariis vexari, tum mare jam pacatum, nobis omnibusque Burgundici nominis mortalibus, intercluso annonę commercio, excursionibus & prædationibus infestum reddi posset.

Altenam funditus deleri petunt Amorsfortii.

Ipsum igitur castellum, & alterum item haud procul ab eo dissitum Altenam funditus delebit: ne unquam hostibus sint asylum, eové receptum habeant. Iam vero quia per hanc ad Burgundos transitionem, civitas Amorfortia immortale odium & inimicitias suscepturà sempiternas cum Gelro est: cumque ipsa sit cardo omnium regionum Burgundicarum, juncta ho-

cta hostium agris, eorumque terminos ac limites pertingens: necesse erit in hanc, præter alias urbes, præcipuè, maximos sumptus, quotidie ducendis aggeribus, effossionibus, fartis tectis mœniorum conservandis, excubiis nocturnis habendis, & interdiu custodiis portarum intentè agendis, facere. Eritque ea jam deinceps clavis ac vestibulum regnorum Burgundicæ gentis. Et quia hæc civitas inopia ærarii his tantis impensarum oneribus ferendis haudquaquam sufficit, ejus egestatem Cæsaris munificentia annua, & ea quidem tolerabili pensione, ope reliquarum civitatum Hollandicarum levabit: eaque in hunc usum assignabitur, ut regna integra conserventur. Olim pop. Amorfortius episcoporum beneficiis ob certa merita hanc libertatem obtinuit, ne intra secundum à civitate miliare in vicis potus coqueretur, sed intra ejus muros solum: ut Cæsar eandem amplificando, propagandoque intra totidem miliaria in Gelri ditione civitati concedat, ubi eam bello devicerit, aut è sobole quis sub jus Burgundionum debellatam redegerit. In arce Horstana nuper funditùs à Gelro ita ruinis deformata, ut nunquam appareat restauranda, quatuor sacerdotia ab episcopis Ultrajectinorum majoribus condita fuerunt. Et quia nostrum collegium munere ecclesiæ gravatum adeò tenue est & inops, ut ejus proventus undecunque conflati vix senûm librarum in singulos annos, ad præparcum victum & sordidum alimentum suppetant: illa huc transferantur his legibus, ne in fraudem possessorum id fiat. Quoniam autem ad hoc usque tempus civitas Amorfortia Hollandorum comitibus C. scuta Gallica in singulos annos pependit, à temporibus Gulielmi Bavari Comitis Hollandorum, in renovationem amicitiæ, & beneficii accepti recognitionem. Dedit enim is Comes populo Amorfortio ob singularia & merita & fidem, quam bello & benevolentia ei præstiterant, portoriorum ac vectigalium per omnem suam ditionem, immunitatem. Postulat itaque æquitatis lex & ratio, ut simulac populus Amorfortius exemplo aliarum sociarum civitatum in Caroli Cæs. fidem jurarit, itidem ut reliquæ ejus civitates, ac populi, eandem libertatem obtineat: & vectigalium immunis sit: pensionem nullam amplius in reliquum pendat. Hac remissa in perpetuum, concedet pop. Amorfortio hanc insuper immunitatem, ne ipsi pro suis capitibus, próve mercibus, portorium ullum terra marísve pendant in Burgundionum ditione ac terris, quas nunc obtinet Cæsar, aut successores obtinebunt. Postremo, ut præses citerioris ditionis prius hæc pacta juramento se rata habiturum, semper affirmet, quàm pop. Amorfortius obligetur in ejus fidem jurare. Ad hæc, ut legati Cæsaris primo quoque tempore has conditiones ab illius majestate comprobatas affirmatasque reddant, signoque impressas tabellas senatui populoque Amorfortio tradant, antequam à se jusjurandum exigatur. Adscriptum quoque fuit ab Amorfortiis, ut quæ viderentur, modo æqua, addere, tollere, mutareque liceret. Exhibitis his conditionibus XII. Cal. Septemb. Amorfort. vocatis, ad singula à Cæsaris legatis sic responsum cautumque est, ut ea ita rata forent, si heroinæ Margaritæ autoritate comprobarentur. Placuit idem & Amorfortiis, si domum renunciarent: atque senatus, quid censeret, consuleretur. Responsum insuper legatis fuit, ubi Comes Hochstratanus Ultrajectum veniret, eò se per literas & Amorfortios convocaturos: ut de his rebus, ex utrorumque sententia, pacta conficerentur: facilè tum eos de omnibus, & quidem amicè, consensuros. Cæterum ex legatorum sententia conditiones in hæc ferè verba cum Amorfortiis ita mutatæ sunt, si autoritate Magaritæ comprobarentur: factáque ad senatum domum reversis potestas referendi est, sic conscriptas. Placere Cæsari, ut liberi Amorfortii suas leges, suaque omnia jura urbanorum prædiorum, viarum, clientelarum cùm cives, tum incolæ, cum juris ditione omni inferæ ditionis habeant: simul ut libertate, plebiscitis, possessionibus, immunitatibus, consuetudinibus, usucapionibus, quibus ante hoc bellum fuerunt, in reliquum utantur, ubi episcopi Ultrajectini placito ac jussu in ejus & successorum Ducum Brab. Comitum Holl. utriuscunque sexus, fidem jurarunt. Inter se jure ac judicio apud judicem loci proprium controversias, & nusquam alibi, disceptanto. Translationis forma ipsis autoritate Pontif. Rom. affirmabitur. Et si qua infestatio alicunde eam ob causam nunc aut in posterum oboriatur, ea nullo populi Amorsfortii detrimento incommodóve avertetur. Pacem cum Gelro non faciet Cæsar, nisi in ea exprimatur, ut bona, possessiones, in ejus ditione sitæ eidem populo reddantur. Faciet & hanc conditionem, ne in pop. incolarumvè hujus civitatis prædia, quæ sub Gelri jure sunt, gravius vectigal, quàm in ipsius gentis fundos, per omnes passim quatuor quaterniones regni imperetur: & id quidem è formula pacti, quod inter episcopum & Gelrorum Ducem initum olim extat. Sin diversum eveniat, jus tuebitur. Si urbs Ultrajectum & alia inferæ ditionis oppida in potestatem concesserint, inter-

Amorsforà dia regni Burgundici cardo.

Vide Miræum de Collegiis Canonicorum.

Conditiones à Legatis Margaretæ Amorsfortiis præscripta.

interque ea controversia nata fuerit, Cæsar, ejusve successor ad eam litem disceptandam nihil ultrà præstare debet, quàm æquum principem par est in populum suum præstare. A damno eos vindicabit, à populationibus agrorum defendet, haud aliter quam alios suæ gentis ac regni populos: eritque ipsis perinde ut aliis, lites disceptandi jus, ubicunque nomen Burgundicum imperat. Quod verò ad paludes circa Goiolandiam attinet: hæc controversia quoniam publica non est, sed privata paucorum, de ea inter conditiones mentionem facere nihil est necesse. quare de hac re supersedendum. Iis interim, quos hæc lis tangit, exhibendi quod jus habent, potestas fiet: adjuvabuntur gratia ad obtinendum æquum propter publica civitatis & beneficia vetera, & recentia merita. Non permittet Cæsar, quod ad hæc debita, & aliud quodcunqne æs alienum, Ultrajectinorum separatim consilio & culpa conflatum, in quæ Amorfortius populus non consensit, nec tabulas obsignatas tradidit, in ejus agros, fundos tributum ullum imperari: villasve stipendiarias prius fieri, quàm dato concilio causa gentis audita sit. Sed ne tum quidem inceptandum prius quicquam in ea novi, quod ipsorum libertatem enervet, quàm jure par erit fieri: aut ex ipsius populi Amorfortii sententia & consensu æquum censebitur. Equitum peditumque præsidiis civitati impositis, deinceps stipendium nisi arbitro ac sciente populo, non persolvetur: è quo, quibus illi debito obnoxii sunt, omnium primum examussim pernumerabitur, ad ipsorum usque stipeudium. Quod ad exactum verò tempus: hujus perspicuum senatus indicem pecuniæ, quæ creditoribus hinc reliqua est, cum enumeratione debitorum nominatim transmittet. Hoc accepto, Goudam ad prætorem literæ extemplo dabuntur, & ad alios item, penes quos stipendiariorum index positus est, quique quæsturam gerunt: ut id accuratè dent operam, ac curæ sit, his mandabitur, uti quantũ civibus Amorfortiis creditoribus reliquum superest, tantum illorum stipendio, ad id conficiendum debiti, abradant. Cæsar deinceps equitum classes, quæ civitati præsidio imponentur, nullo sumptu vel reipub. vel populi, sed suis impensis alet. Verum si in posterum, publico ditionis citerioris indicto concilio, Cæsari qua pecunia, ad eam defendendam decernatur, huc Amorfortii eorumq. bona ex æquo, cum aliis, contribuent. Placuit præsid um Altenam, haud procul à *Neoclesia, si nondum dirutum est, solo æquari. Arcem Amisianam delere, maximè hoc bello, non videtur è re futurum. Eo confecto, faciet Cæsar, quod in rem civitatis, & aliorum regni sui oppidorum, fore videbitur. Quoniam ea regnorum cardo est, decrevit illi Cæsar, tricenos aureos in singulos annos, quàm diu bellum cum Gelro geretur: uti ea pecunia impensæ, quas vigiliis, stationibus, effossionibus, ducendis aggeribus, & aliis publicis operibus conservandis faciunt, & onera leventur. A commercio coctura cervisiariæ, cum & nominis celebritas hujus, & negotiatio pendeat, censebit Cæsar, nequis intra sesquimiliare à civitate cervisiam coquat, cùm in Gelria, ubi in Burgundionum potestatem venerit, tum in citeriori ditione Ultrajectina, si nemo diversam immunitatem ante hunc diem obtinuit. Cœnobia semper excipiuntur: quibus jus copiaq; erit sibi faciendi potum, at non ob quæstum distrahendi. Consilio conditoris & mente sacerdotiorum in arce Horstana, inspecta liquebit quid de iis decernetur. Porrò de remittenda pensione nihil constitui potest, sine permissu atq; autoritate ipsius Cæsaris: ad quam obtinendam, in Hispanias ad ejus majestatem scribendum esset Cæterũ de portorii immunitate, & vectigaliũ, quæ petitur: ne ea quidem affirmari potest. Nam Hollandis ea immunitas à seniori Philippo Burgundorum Duce concessa est, ne cui similis libertas in posterũ extra Hollandiam genti detur. Quod quidem usq; ad hanc tempestatem servatum est. Ad hæc, ne iidem Hollandi quidem portorii immunes passim sunt Et ipsi Brabanti, Flandri, aliæq; multę gentes imperio Burgundico parent: portorium tamen in Hollandia terra mariq; solvunt: uti Hollãdi vicissim apud illos. Quare licet citerior ditio Ultrajectina sub imperiũ concedat Burgundicũ: nihilo magis ob eam causam Hollandus in hac portoriorũ immunis erit. Censuit Cæsar de his omnibus populo Amorfortio, statim ubi cõvenerunt, tabulas obsignatas justa forma tradendas: eaq; iis in perpetuũ servanda. Mandavit præfectis & magistratibus suis, uti ipsis ad hæc illibata exequenda curæ sit. Placet ad postremum, ne quis civis Amorfortius, ob debitum alienum, seu publicum civitatis æs, in Burgundico solo, nisi ob privatam debiti noxam damnetur, retineaturve. Cum hoc responso legati ad renunciandum Amorfortiam revertuntur. Postquàm autem in senatu conditiones, ut eas pepigisse videbantur, sunt recitatæ, nequaquam per omnia placuerunt. Quare (quia eæ sic non convenerant, ut ratæ firmæq; haberentur: cum neutri legati neque Burgundi, neque Amorfortii, cum liberis mandatis, decreto quiq; gentis suæ, cõvenissent: & Amorfortiis referendi potestas facta fuisset: & Burgundi earũ cõprobationem ad Mar-

*Nyenkerke / Velaviæ municipium.

ad Margaritam & Comitem Hochstratanum rejecissent, quia liberum mutare, addere, eximere, quæ viderentur, relictum esset) in diversam formam ex communi utrorumque sententia & voluntate, postea sunt confectæ. Censuit itaque senatus statim, ubi Hochstratanum Ultrajectum advenisse allatum esset, aliam legationem ad eum, ut amicum populo Amorfortio, decernendam: cum quo tanquam æquiori sibi suæque civitati, sermones conferrentur. Atque hæc quidem directa libertatem maturè paciscendi formula magis ex prudentia Amorfortiorum visa est, quàm mora interposita, leges patrias, & immunitates, episcopi dementia fretos, amittere: cum restituto Ultrajecto, tum aliis oppidis traditis, ipsis quoque sub Burgundionum imperium, vel restitantibus eundum fuisset. Et veterum item meritorum in Hollandorum principes fiducia: & quòd neque ad hoc bellum, neque ad alia unquam consultores fuissent: insuper innoxii ad episcopi sui & Burgundici sanguinis gratiam plenius emerendam, in societatem belli cum haud dubio reipub. discrimine venissent, rectè libertatem suam sibi affirmari debuisse arbitrabantur, quæ priorum principum decretis data esset. Iustius me hercle, quàm iis, qui pulsis episcopis, alienos principes in societatem ascivissent: & ictum cum illis fœdus amicitiæ, communi numismate percusso testati, immortale odium cum Burgundis semper exercuissent. Petiverant Amorfortii à Cæsaris legatis Ioannem quendam Campanum, civem suum, paulo antè Nerdæ ab equitibus per errorem pro hoste captum, & XXXIV. Philippis multatum, remitti, quia in hostium numero non erat: responsum, sibi curæ fore, ut nullo damno dimitteretur. Questi adhæc fuerant de Nerdenorum injuria, qui graviori vectigali Amorfortiorum cocto, quàm vernaculo potui imposito, illam oppido suo expellere conarentur. Ad quod responsum fuit, brevi Comitem Hochstrat. Ultrajectum adfuturum: ubi is hanc utriusque populi causam disceptaret. Ad ultimum, cædem coactus perpetraverat, vim à corpore suo repellendo, Rodolphus quidam Gulielmi F. petitum ab Amorfort. uti hujus damnatio sustolleretur. Ad id Cæsariani, ut facinus quemadmodum patratum esset, scripto Margaritæ exhiberent: si ejusmodi foret, ut remitti posset, impetratum id ipsos laturos. Pastori Everardo van Lienlet munera in singulos annos à Cęsarianis decreta, ob fideliter navatam operam, L. aurei: & Segero Wildæ prætura urbana. Ad pacem qualemcunque faciendam, interea Gelrus in Burgundionum castra, ad Florentium, nuncium cum literis occultè mittit: satis diu honoris causa apud populares obsidionem tractam fuisse. Impetrabilior hoc illi ea fuit, quo propter consanguinitatem minus infestum Comitem sibi habebat hostem. Erant in omnibus castris in expectatione haud dubia, in dies rursum oppugnandi oppidi, cum Idibus Augusti subitò mane post lucis principium tanta trepidatione ad vasa conclamaretur, ut si hostium procella repentè excitata, perturbatione & metu amentes ad effusam fugam compulisset. Mercatores, qui castra cum luxu preciosarum rerum, & merce omnis generis ad eum usque diem sequuti fuerant, cum in re subita spacium componendi sarcinas non esset, multi ne vel à suis fugientibus deserti in hostium potestatem venirent, vel in postremis carperentur, relictis rebus prædę, immisti palantibus, & inordinatè in fugam effusis, Buscoducum avolarunt. Tylani cognito hostium discessu, nihil in tali occasione segnescendum rati, ubi aliquandiu palantes instando urgendoque sequuti fuissent, ad diripienda castra se convertenrunt, ac direpta incenderunt. Per hos ipsos dies venerunt in Hollandiam bis mille pedites Hispani, à Cæsare auxilio suis missi. Hi, audito solutam obsidionem esse, tum autem & pacem & amicitiam Gelro dandam, à ducibus suis per aliquot dies Ultrajecti moratis, in Hispanias brevi sunt reportati. Equites Burgundionum, quorum bona pars Gallogermani erant, per oppida sunt dispersi. Decreto inde concilii Burgundici Legatus Laurentius Dublioul ad Ducem pacis ac fœderis faciendi causa, quique ab eo jusjurandum exigeret, cum primo autumno mittitur. Erat is vir tanta animi vi, & ingenii ea tempestate, ut eum eximia prudentia ad summos honores provexisset. Si jus consuleres, clarum ac celebre regni oraculum: si causa peroranda esset, eloquentissimus fuit. Quare ad arduas legationes obeundas sæpe datum vidimus. Inter sanciendum fœdus ex composito Duci pro dato damno concessum, ut integra pace in Giolandiam & vicos Amisianos cum omni robore populabundus irrueret, & ad mulctam incendiariam cogeret. D CCC. delectæ juventutis pedites in armis habebat: ad hos delectu in agris habendo, biduo absumpto, M. CC. è Velavia ac Batavia conscripsit, & CCC. equites. Cum his copiis Non. Septemb. paulo ante exorientem solem transgressus montem, in Amisianos & Goiolandos incursionem fecit. *Susato, qui primus pagus hosti obvius erat, injecto igni, usto, reliquis vicis undique metu ne hostilia paterentur, ad paciscendum effu-

Mercatorum fuga ante Tylam.

Tylani castra Burgundionum occupant.

** Soest. Gelrus Goylandiam invadit.*

dum effusi, obsides dederunt. Ad pacta maturanda hoc vehementius urgebantur, quòd metus hostes tenebat, ne si segnius institissent, à Burgundis reditu intercluso, undique circumfundenentur. Mittuntur extemplò Ultrajectum & alia propinqua oppida nuncii ex Amorfortio, ad contrahendum undique auxilia: constituiturque hora, ad quam Amorfortiam à meridie convenirent: non dubium, quin numeró superiores, recentes item, integrique, fessos faciendo itinere superfusi cæderent. Tenebant Amorfortii équites totum interim diem in acclivi latere montis, ut Gelrum à populatione montis prohiberent. Ac circa quartam diei horam ex Ultrajecto turmæ aliquot Gallorum equitum venerunt. Gelrus peractis interim pactionibus, in Gelriam, priusquàm Burgundionum vires undique se collegissent, se recepturus, in summo montis vertice in civitatis conspectu instructa acie sese aliquandiu renuit. Et quia pedestribus copiis & machinis tormentisque campestribus valebat, & summum montis averso sole, omnia opportuna denique occupabat, pugnæ copiam ex oppido Burgundi non fecere. Tenebat tamen circa portam equitatus in hostium conspectu: certatumque aliquandiu ex intervallo infestè bombardis. Concidit ex Gallis equitibus globi ictu fortè unus. Hujus casu reliqui Galli conterriti, versis trepidè equis, in oppidum per confertam populi turbam ad spectaculum velitationis porta effusi, amentes haud aliter quàm si tergo hostis inhæsisset, effuso cursu alii super alios retro sese præcipitarunt. Gelri dejecto supplicio suspendii, in Gelriam inde concesserunt. Sub occasum solis, ad hostes jam in pacatum ablatos insequendos, Amorfortiam cum haud contemnendo equitatu supervenit Gulielmus Comes à Renneburga*: ac paulo inde pòst, equites Rhenani. Postridie Comes, & Ioannes Schonenburgus à consiliis episcopi, Coss. ad se acciri jusserunt. Receperat se certamen inter cives & equites, nuper (ut videbatur) à Coss. compositum, jus captivorum equitum certatim sibi vindicantes, ac prædam ad se attrahentes. Convocantur simul & equitum nobiliores, ad disceptandam inter utrosque controversiam. Tuentibus obstinatè Consulibus civium jus, quorum maxime virtute fusi captiq; hostes essent: & equitibus contrà pertinaciter gloriam partæ victoriæ in se transferentibus clamantibusq;, suos, haud civium, captivos esse: ubi medii disceptando nihil promovissent, Dorestatū se abripuerunt. Reversi iidem paulo pòst Amorfortiam, à Coss. & civibus contenderunt, addentes id quoque Cæsarem petere, ut nisi molestum esset, duos captivorum principes, ad usum permutationis, sibi donarent: fore id amplum & gratum cùm episcopo, tum Cæsari. Erant autem ii, Ioannes Lindenus, & princeps ab Olo, summæ nobilitatis apud populares suos, homines. Affirmabat identidem Comes, in hos civi nullum esse jus: ex lege enim militari servari, ut captivi nobiles principi cedant, cujus auspiciis bellum geritur. Ita se à patre suo accepisse, ac triginta plus annos, quibus ipse rem militarem sequutus esset, diversis bellis observari vidisse. Id ita esse, neminem ferè militarem hominem latere. Exarsit ea contentio in acerbam usque altercationem. Hæc ubi à Coss. non paulo pluribus argumentis, civibus exposita sunt, ingens vociferatio exasperatæ indignatione & tanquam insolenti injuria multitudinis coorta est: iniquissimū id esse, quod flagitaretur: ut ea præda episcopus pro qua vitæ periculū ipsi adivissent, potiretur. Alioqui se maluisse ad unum omnes confodere quàm in fidem accipere, si ad alienum, captivorum jus perventurum fuisse, præscivissent. Velle eos se, in quorum potestate essent, pecunia ex sua libidine multare. Sed ne tum quidem adhuc certamen alii omiserunt. Consules ingens metus tenebat, ne principis odium, si hoc negaretur, in se provocarent. Ægrè tandem à suis obtinuerunt, ut traditis captivis duobus, civibus pro rebus bene gestis CC. philippos donaret episcopus. Legatus Cæsaris postquàm ad Ducem venit, consultatio per dies paucos tenuit, quibus conditionibus pax & societas perpetua adjungeretur: & deliberatio loci, quo legatorū conciliū indiceretur. nam cum iis solum mandatis Laurentius ad Gelrum missus erat. Ibi ex utriusque sententia convenit, uti Gorcomii conventus haberetur. Quamvis hæc inter principes ita agebantur, ut dimisso exercitu ante factam pacem, dandæ adhuc Gelro amicitiæ & societatis leges essent: indignabantur tamen Burgundicarum gentium civitates, hanc speciosam pacem, nullo suo concilio, nullo suo jussu, post decies centena aureorum milia, quæ in id bellum intra quinque menses, quibus gestum esset, contulissent, per speciem ludibrii ac conspirationis ex composito fieri. Sequutus hoc magistratuum passim murmur, & hominum plebeiorum ubique fremitus, querentium indignantiumque, cùm rerum penuria se urgeri & egestate, tum exactionibus in bellum exhaustos esse. Adhæc, mercimonia sterilia: nusquàm denique quæstum ex mercibus fieri, & mercatus frigere. Querimoniis civitatum facile ficto rumore à principibus Burgundionum ita statim occursum est, ut nullo præsenti certamine se infamia simul

*Dominus tot Zuylen/ Duifternge/ Westbroeck & Oudenhoorne.

Contentio de captivis Inter Amorsfortios & eorum equites.

Burgundi quantis impensis cum Geldro pugnarint.

& invidia exemerint: ut sunt homines talium, quæ non facilè refelli possunt, spargendorum artifices. Ubi advertêre illi se apud omnes mortales hoc consilio perpetrandæ pacis invidiam sibi conciliasse, pervulgarunt rumorem, literas ex Hispaniis ab Imperat. Carolo allatas, ut pax qualiscunque æterna Gelro daretur, & amicitia: si fœdus suum atque societatem Gallo renunciare vellet. Pacem petiisse Gelrum, cujus æquas pariter ac tolerabiles conditiones haud esset aspernaturus: quare non esse ut acerbius in eum sæviretur. His ipsis diebus, corpora canonicorum, quos saccis episcopus insutos in Rhenum demerserat, diversis Leccæ ripis, sed modico inter se intervallo appulsa hesærunt. Corpus M. Godefridi Cunretorfii inter Lexmundam & Viennam inventum, Viennæ magnifico funere elatum, sepultumque in templo fuit: monumentumque ibi conditum. Antonii Venrodii verò, paulo ab eo loco infra, in insulam, vadi violentia ejectum est: ac in vico Iaersfeltio, in cœmeterio nullo honore sepulturæ contumulatur. Animis hominum jam hac fama à suspicione talium, ut dixi, consiliorum aversis, indictus concilii dies aderat. Convenerunt frequentes Gorcomium principes, & Gelri legati: at hi non cum liberis mandatis sanciendi, nisi ex ducis autoritate. Burgundicæ legationis * principes erãt, Com. Florent. Com. Hochstrat. Archiepiscopus Panormitanus, Laurẽtius Dublioul. A Gelro legati missi venerunt, Henricus Groffius, præfectus Tylanus, N. Collerus, M. Henricus Kiespenningus. Ab his ita fœdus inter ambos principes conscriptum est, ut ratum haberetur, si id Gelrus authoritate sua confirmaret, essetque integrum, mutare, addere, tollere quæ videretur. Quare cum in multa pacis leges haud convenirent, subinde Arenacum legatus Gelrus ad Ducis authoritatem consulendam ultro citroque tamdiu profectus est, dum de omnibus inter ipsos convenit. Quamvis factæ pacis conditiones adeò in occulto supprimebantur, ut nullis civitatibus, quantumvis & opibus præpotens essent, & celebritate eminerent, earum omniũ exempla petentibus fierent, conditionum tamen quædam capita è reliquis excerpta, à Comit. Hochstrat. & à Laurentio Dublioul & archigramateo subscripta, Amorfortiam ad senatum in hæc verba ferè missa sunt:

Canonicorum demersorum cadavera reperta.

** Ioannes Cardiletus.*

1528. v. Octobris pax facta cum Geldris.

Ut captivi, qui adhuc in custodiis essent, religiosi profanique nominis, captivi hoc bello, utrinque dimitterentur: liberi hi à mulctis, exactionibus, pactis post XX. mensis Octob. diem initis, statim sunto: pro victu tolerabile precium solum numeranto. Obsides sponsores in hoc bello dati, pacta incendiaria, & si quæ pecuniæ pactæ debentur, ut pacati essent, utrinque eo jure, quo ante bellum fuerunt, deinceps sunto: illi sponsione liberantor: hæc remittuntor: tabulæ item & obligationes inde datæ redduntor: iis tamen legibus, uti obsides id quod pro victu debent, solvant. Adhac in fœdere continetur, ut clientes, officia, cives, centuriones, eques, pedes, mercatores, homines denique utriusque nominis, conditionis ac gentis cujuscunque, qui ab hominibus Cæsarianarum Gelrarumvè partium aut episcopi retenti fuerunt hoc bello, ita reddantur, ut domum, possessiones, redditus, & quæcunque in rutis & cæsis non sunt, intraque cujuscunque regni fines continentur, quemadmodum post evulgatam pacem sunt inventuri, sibi perinde eoque jure usurpent, quo ante bellum usurparunt. Quod ad usumfructum verò eorum, & proventus exactos: quod de his prioribus decretis ad fœderis hujus promulgationem ab inchoato usque bello, principes, eorumvè administri censuerunt, id firmum ratumque esto: adversus quod, jure agendi potestas nulli conceditor: neu contra eos, quibus permissa res ea fuit, litem intendendi jus dator. Quarum

Legatis Cæsaris inauguratur apud Amorfortios.

pensionum, redituum, proventuum, fructuum ex ædium, agrorum, fundorum locationibus, cujusvé usuraria pecuniæ dies persolvendæ ante evulgatam publicè hanc pacem exivit, eorum jus penes hos esto; quibus principum, eorumve præfectorum administrorumve beneficio in bello concessa fuerunt. In ejusdem fœderis legibus ascriptum fuit: uti ruta cæsaque, ante pacis evulgatæ diem nondum loco mota, statim eorum juris sint, ad quos ædium fundorumvè dominia pertinerent. Exules Ultrajectini ac profugi utriusque nominis, belli hujus, & civilis tumultus temporibus pulsi, ante certam diem, hoc est Cal. April. in urbem ne redeunto: nevè iisdem fundos usurpandi, aut possessionibus suis ante eum diem utendi jus esto. Intra urbem ne versantor, antequam jusjurandum, ab urbis præfecto exactum, Carolo Cæs. præstiterint. Inde ædes, ædificiaque, uti tum erunt, usurpanto. Idem de exulibus Swollanis decretum est, ne ante Cal. Ianu. in civitatem redeant: atque ad formulam jurejurando præstito, jus civitatis inde iis restituatur. Ne clientes, cives aliorum, princeps alius, eorumve agros bonaque, quæ in rutis cæsis non habentur, deinceps gravioribus vectigalium constitutionibus, tributariis largitionibus, quàm suos & suorum bona intra regni sui fines onerato. Quo jure, quavè libertate, quibusvé legibus alii sub aliorum principum ditione ante bellum fuerunt, iisdem rectè deinceps Utuntor. Clientibus, civibus, populis, mortalibus denique omnibus utriusq nominis & conditionis, aliis per aliorum principum fines eundi commeandiq terra, mari, fluminibus, manendiq item jus esto. Pristina hodœporia, portoria, vectigalia, mercibus, negotiatoribusq manento: ea ne augentor: merces negociatoresvé ne retinento: aliis per aliorum regna pacatum iter esto. Ab his violandis fraus abesto. Nullæ tabularum speciosæ offuciæ prætextusvé inusitati juris, ad id infirmandum, valeant. Cujusmodi sunt lites, actiones, sententiæ in bello ita latæ, ut eo perpetrato, persequēdi jus potestas esset. quæ in hac pace abolentur. Huc item spectat tabula militarium equestriumvè actionum, seu obligationum de alendis cohortiū ducibus, præfectisvè equitum ab ipsis principibus, eorumvè præfectis non solum in hoc bello datæ, sed etiam quæ aliis bellorum temporibus concessæ sunt. Controversiæ quoque per ea tempora ortæ ne impediunto. Quibus verò ejusmodi sunt tabulæ, obligationesvè, iis jus suum persequendi, contra eos, à quibus illas acceperunt, potestas esto: ac cum ipsis jure agunto: eamque controversiam jure ac judicio illic ubi degunt disceptanto. Quam quis privatim pecuniam debet, ejus exactio esto: ipseque debitor retinetor. Positum super hac inter condi-

ditiones fuit: ne Cæsar, Duxvè, eorumvè præfecti, alii contra aliorum clientes ac cives, in fraudem, tabulas perniciosas immunitatum libertatisvè ad gratiam concedant. Liberum tamen cuique inter suos, quæ videbuntur, statuendi jus, integrumque erit, hac in re: præcipuè, si rite judiciorum ratione & caremoniis exactis, (quæ præcedere debent) jus cui negatum fuerit. Quod ad XVI. *milia aureorum, quos Dux Gelrus hoc bello ordinibus Ultrajectinis mutuo dedit, ex pacto de hypothecis decedendi agrorum sub ejus ditione, cum tabulis signo suo impreßis tradito: in hoc convenit, ut illi judicio contra hos ac lege disceptandi jus sit. De usura autem pecuniarum, quæ debentur, sic item convenit: uti iis, à quibus ordines pecuniam accepêre sub oppignoratione agrorum eorum, qui intra Gelri fines sunt, itidem jus persequendi copia permittatur. Quibus cum, ipsis principibus, in gratiam reconciliatis, rectè conveniat, singuli principes, suos sanguine affinitatevè junctos dicunto: & quidem à promulgatione perpetratæ pacis intra mensem secundum. Ea de re intra secundum mensem pòst, dicti à suis quiq; principibus tabulas signis impressas, producunto. Pax, statim ubi perpetrata erit, in cardinibus horum principum uniuscujusque regnorum intra tertium diem: aut ad summum, post quintum insequentem, intra omnium fines regnorum, promulgator.*

Affirmarat Laurentius sua manu infra, in has fermè leges, fœdus conscriptum. Reliquas verò quæ regnum Gelriæ attingebant, scripto non evulgarunt. Serebant tamen rumores, ii qui primas in facienda pace obtinere videbantur, earum hanc ferè summam fuisse:

Uti Gallo fœdus & amicitiam renunciaret Gelrus: nulla ei auxilia ad bellum mitteret. Cæsari & ejus hæredibus Comit. & Duc. jurejurando fidem suam obstringeret. Cæsar vicißim ex oppidis Gelriæ, hoc bello ademptis, præsidia deduceret, eaq; restitueret. Dux ditionem Gelriæ & Zutphæ. satrapiã fide à Cæsare ut Duce Brab. & Comit. Holl. obtineret. ejusq; hæredes, ex legitimo matrimonio virilis stirpis: Quo tempore v. virilis soboles è connubio deficeret, regnorũ extemplò jus hæreditariũ, ad Duc. Brab. & Com. Holl. eorumq; posteritatem sine fraude perveniret. Groningam, & præsidium Coverdam, earumq; fines in Druentonibus, quoad viveret, in sua ditione haberet: post ejus verò decessum, Burgundici juris forent. Mortuo Duce. sine virili sobole, fœmineam stirpem relictam Princeps Burgundionum in regiam suam reciperet: eamq; pro dignitate in summo honore habitam, eductamq; liberaliter, nubilem cum dote magnifica pro sanguinis imaginibus elocaret. Ne Daventriens. ob contumeliam Libræ, in medio foro se vivo Isselam ponte jungerent.

Legati Burgundionum jurarunt in hoc fœdus, placuitque primo quoque tempore mitti legatum Arnimiam, qui ab ipso Duce jusjurandum exigeret. Profectus ejus rei gratia est Laurentius Dublioul simul ut cum eò ageret de legatis Mechliniam mittendis, uti fœdus autoritate Margaretæ comprobaretur, de legatis ad Ducem mittendis, placuit: exactio verò jurisjurandi in aliud tempus est rejecta. Addicta Duci equitum classis, quoad viveret, ad dignitatem suam tuendam, (continet enim trecentos equites) quam Burgundus suo stipendio aleret: & pensio magnifica. Quarum neutra tamen ad exitum vitæ conditio illi servata est. Pax interim perpetua tertio nonas Octob. Gorcomi primum, ac deinde intra alios aliorum principum regnorum fines promulgatur. Iidem fermè legati, qui paci faciendæ ab Duce dati fuerant, Mechliniam profecti sunt, Martinus Rossemus, M. Henricus Kiespenningus, D. Erculeus Grossius. Hi cũ Cæsaris legatis, Com. Hochst. Com. Burg. G. Schenkio, ubi Mechliniam venere à Margarita honorificè in hospitium assignatum deduci jussi. Brevi pòst, quàm urbem ingressi essent, in ædem D. Rumoldi cum senatu Heroinæ frequenti introducti sunt: ubi sacramenti religione ac synaxeos interposita, in fœdus, Ducis jussu ac nomine iterum jurarunt. Reducti hac peracta ceremonia inde sunt in hospitium. Et lautia ipsis decreta est: cujus epuli magnificentia quo celebrior esset, nobilissimi quique ex aula Burgundica, per speciem gratulationis illò frequentes convenerunt. Responsum per hos legatis à Margarita: rectè legatos suos fecisse, quod Duci pacem dedissent: & quæcunque illi honori forent, ipsamque pacem se & comprobare & laudare. Dona inde legatis in singulos pateram argenteam, caroleis aureis onustam dari jussit: ac liberos immunesque ex hospitio domum remigrare. Immunes & Antverpiæ esse jussi. Pace ad istum modum cum Gelro perpetrata, animi principum Burgundorum ad peragendũ quod reliquum erat, cum Ordinibus Ultrajectinis de translatione ditionis primo quoque tempore, statim inclinati sunt. Mittuntur ad id exigendum Ultraject. Com. Hoch. & Com. Bur. Et episcopus assensu ordinum in curia magna basilicæ D. Martini, XII. Cal. Novemb. jus episcopatus Duc. Brab. & Com. Holl. tradidit: cum D CCCC & XVI. plus annos, res amplissimæ ditionis, in varia ejus gentis fortuna, belli & domi ab episcopis administrata esset. Non hic disputo, utiliter ne id, fato nescio quo acciderit, an cum florentis regni detrimento. Illud profectò, quod omnibus mortalibus in confesso est, affirmare haud verear: ditionem Ultrajectinam, postquàm in provinciæ formam redacta est, tot antè parta decora, omnemque pristinam gloriam non amisisse modo, verumetiam exuisse suam libertatem. Nam antea quamdiu sub episcopis vivebant, nulli obnoxii, suis domi legibus utebantur: democratia annuo imperio cum consulari potestate finiri. Domi respub. à senatu: publica ditionis negotia à tribus ordinibus, quorum caput religio erat, administrari. Immunes ab omnibus oneribus, præter vectigalia in potum & frumentum, haberi. Episcopis in civitates nullum jus esse: solum suburbanarum rerum curam habere. Interdum ducem belli esse, sed non sine Ordinum decreto: nec leges, ut in civitatibus ingenuis, absque rogatione populi condi: nullum unquàm vectigal in capita civium constitui. Episcopo largitionem agrariam semissem in singula jugera petenti, pernegare. At postquàm possessio utriusque ditionis episcopis & ordinibus per istum modum adempta, sub Burgundorum jus redacta est, veluti enervata, nihil pristini splendoris retinuit. Ut alia omittantur, in quibus à sua ingenuitate degeneravit. Iacent imaginibus illustres: vehuntur, utinam novi homines tantum, ac non Gigantum fratres. Illud tamen commodi sequutum constat, ut nihil certè aliud: quòd populo per libertatem nimiam domesticis seditionibus in omnem rabiem dissolvi consueto, licentia movendi intestinum malum in reliquum cohercita sit. Hanc ob causam dubium, lætandum, gratulandumque ne, an ob illas dolendum fuit: certè episcopum dementiæ suæ pœnituisse postea, certa argumenta habeo. Dorestato discessurus, cum in superam Germaniam iter rursum adornaret, sæpe apud familiares in lachrymas effusus, paucorum, quos fidissimos sibi crediderat, & consilio & verborum diserto lenocinio se episcopatu excidisse, querebatur: diras in eorum capita execrans, ut ipsi aliquando perfidiæ suæ ultrices furias invenirent. Intellexit tum, demum hos sibi & episcopatui fatales consultores datos fuisse. Ut jam hujus mutationis regni memoria apud posteritatem extet, operæprecium fecero, si quibus verbis eo die translatio ditionis, in frequenti ordinum & principum conventu peracta fuit, literis prodam. Non totidem, quot in Germanorum lingua vocibus (nam id risum juxtà & fastidium provocaret) me hercle: sed quantum Latina puritas, exclusa nausea pro nostra facultate feret, sententiam reddam: cujus quidem hic tenor, sicuti ego accepi, fermè fuit.

Vltrajectinares quot annos ab Episcopis administrata.

Henricus quondam Episcopus Vltraject. dementiæ suæ pænitunt.

Vide Franc. Haræum Vltrajectinũ in annal. fol. 577. Huterum lib. 9. fol. 441 rerum Austriacarum.

Henri-

Henricus Bavarus episco. Ultrajec. iis quibus hæc olim cognoscendi potestas fiet. Carolus Gelrorum Dux majores nostros Ultrajectinorum episcopos bellis gravibus, præcipuè Fredericum Badium, nulla justa de causa armis semper afflixit. Cujus temporibus Oldensaliam nobis ultra Iselam non hostiliter, citra directam belli denunciationem solum ademit, sed per latrocinii speciem, cum fœda clade incautum oppressit. Quo bello Transiselanorum agri populationibus incendiisque pervastati, prædationibus, pactis incendiariis, calamitatibusque aliis, pulsis possessoribus afflicti ac vexati fuerunt. Duravit autem hæc miseria temporis, dũ episcopus magnis suis sumptibus eam rursum vi captam huic ecclesiæ restituit. Badio successit Philippus Burgundus, quem ego sequutus fui. Huic Suollam abstulit dux: ademit oppidum præsidiumque Coverdam, Dipenheimam, & agros Druentonum, præsidiũ Lagam. Multa super hæc præsidia & castella in agris Transiselanis, cum insigni eorum & detrimento & strage & ruina. Tractum id bellum fuit cùm diuturnum, tum atrox, usque ad Philippi mortem. In hujus jam mortui locum inde ego suffectus, ubi episcopatum per manus accepi, ditionem Transiselanam belli terroribus ardentem adhuc offendi, & motibus & excursionibus infestis æstuantem. In hæc ego episcopatus mei illapsus exordia tragœdiæ, pacem illico, ad vindicandam ab excidio gentem Transiselanam, cum Gelro, per episcopum Trevirensem, belli pacisque disceptatorem, feci, ac fœdus adjunxi. Et convenit de pace inter nos ita, ut pro redditis, quas arces, oppida, præsidia, ecclesiæ Ultrajectinæ ablata, teneret, Genemuda, Laga, aliisque castellis, L. aureorum milia renumerarem. In quibus conditionibus expressè item additum fuit, ut Dux oppidum arcemque Coverdam cum Druentonum agris, oppidum item & præsidium Dipenheimam, à nobis, donec viveret, his legibus in fiducia possideret, ut eorum & finium circà jus rursus ad ditionem ecclesiæ verteretur, totidem milibus tum rescriptis, si stirpem è matrimonio hæredem decedens nullam relinqueret. Per hæc spes propè indubitata nos tenebat, syncera fide in pace perpetua nostrum populum per Gelrum fore. Sed quam nos nostra de eo fefellit spes & existimatio, vel ipsa res statim coarguit. Præter inviolabilem fœderis religionem, cum diutius ab armis & suis consuetis artibus, quiescere non posset: nullis justis de causis, citra directam denunciationem ullam belli, quo gentium jus violatur, rursum impulsoribus taliũ artificibus quibusdam è populo Ultraject. anno XXVII. occulta fraude instructus, Ultrajectum invasit. Mox Hassaliam & nonnulla castella alia in Transiselanis

Translatio temporalitatis Ultrajectini episcopatus ad Burgundos & ejus exemplar.

Cum his tituli & multis encomiis Lãb. Pascualis, Carthusianus Carolo duci inscripsit Dionysii Carthus. commentaria in B. Pauli epistolas.

ademit: agros populatus est, fœdis irruptionibus, ceu inflatus amnis, latè mortalium stragem dedit: omnia denique recenti ac nova belli specie implevit. His ego caussis, in ultimum discrimen abreptus, ad opem Caroli Cæsaris adversus vim implorandam adactus fui. Cujus opibus & magnis impensis in bellum factis adjutus, tantum auxilii ex stratagemate in Gelrum parato sensi, ut ultra Rheni, oppida, & castella à Duce ablata in citeriori ditione, recuperata sint, & quidem benignitate Dei. Quia vero clientes nostri, civitates, populique Transiselani bello, quod cum Gelro nuper gesserunt, in tantas angustias rerum suarum coacti fuere, ut illud neque diutius trahere, neque Duci resistere armis valuerint: ut illius vim aliquà declinarent, frequenti Ordinum cõventu cõmuniter censuerũt, (quia meis eos opibus me defendere posse difficiebã neq; sufficiebã verò) sub imperium Burgundorum Duc. Brab. Com. Hollan. concedendum esse: Cæsarem Carolum, ejusque in Burgundicum regnum successores hæredes principes sibi deligendos: modo ipse eos recipere, & à Gelri injuria & dominatione tueri haud gravaretur. Quod quidem ita ratum haberetur, si mea autoritate & assensu confirmarem: uti ad conservationem & salutem populi ditionisque ultra Iselam, in id consensi, ne in communis hostis potestatem redigerentur. Porrò cum fieri non possit, ut Ultraject. deinceps, aut oppida, præsidia, castella, agros, clientes, aut populum nostrum intra fines inferæ ditionis, meis opibus redditibusve à bello & incursionibus hostium defendam: (quales experti periculo sumus) neque facultatis vel meæ vel civitatum citerioris regionis, vel ecclesiarnm sit, Cæsari impensas factas reddere, aut cavere, beneficiáve ulla re pensare: honorem, gratiam habitam, opemvé mihi & ecclesiæ in dubiis nostris rebus præstitam reponere: ut nihil hic immodicè opes urbium nostrarum extenuem, querarque justa de causa ditionis egestatem, per quam, ingentem illam pecuniam in bellum profusam remunerare non quimus. Volumus tamen publico nomine majestati ejus pro virili, quod datur, rependere: præcipue autem agros, urbes, clientes, populum & plebem ecclesiæ Ultraject. mortales religiosi profanique nominis in posterum à vi injuriaque & oppressione vindicare, ne religio in nostra ditione dissolvatur: sed in eo statu, in quo usque ad hanc diem fuit, in magna gloria deinceps conservetur. Hæc propiore cura apud animum meum agitans, communiter cum ordinibus consului: tenuitque de ea re consultatio non inter collegiorum proceres, ipsorumque adeò collegiorum sodalitia tantum, sed privatim etiam excelsos quosdam & singulares rarosque separatim homines è po-

pulo

pulo & concilio nostro. Horum consilio & jussu, ubi deliberatum fuit satis, horum (inquam) autoritate, privata mea publicaque posterorum episcoporum vice, urbem Ultrajectum oppidáque omnia, quantumque præsidiorum & castellorum tota regione est, impedimenta eorum, quæque bona huc pertinent, jura omnia, redditus, agros, campos, montes, sylvas, flumina, quantum profanæ ditionis tota regione est, eorum jus in ditionem imperiumque Caroli Cæs. & hæredum Duc. Brab. Com. Holl. utriusque stirpis trado. His, perinde uti aliis prædiis, possessionibus, per manus à majoribus acceptis, quæ profani juris tantum sunt, utantur. Quare quantum civitatum, præsidiorum, præfectorum, clientum est: quantum nobilium hominum, & humili loco natorum (quod ad profanam ditionem) qui nobis obnoxii fuerunt, ac religione obstricti, eos vinculo ac religione fidei jurisjurandique exolvo: & his quidem legibus, ut in Caroli Cæsaris fidem successorumque Ducũ & Comit. jurent. Cessimus autem absente Cæsare episcopatus possessione apud Comitem Hochstratanum Antonium Lalanum legatum ad id Ultrajectum missum: id quod tabulis ipse resolutis, ejus signo Mechliniæ impressis, traditisque VI. Id. Septemb. hujus anni, edocuit: testatusque id, se cum liberis mandatis Cæsaris jussu venisse, manu scribæ est. Infrà in margine enim implicata subscriptum fuit, Laurentius Dublioul. Unde liquet, eum jus ditionis Cæsaris & Ducis Comitisque Braban. & Hollan. hæredum nomine accepisse. Placet itaque, ut civitates & castella, mortales item utriusq; nominis inferæ ditionis Ultrajec. publicè privatimque in ditionem imperiumq; Caroli Cæs. ea qua diximus forma, concedant: fidei religione & jurisjurandi ei se obstringant: obedientes imperio, fidelesque ad officia exequenda præstent. Relinquetur mihi & posteris episcopis integra, quà nomen episcopatus Ultrajectini patet, jurisdictio ecclesiastica. Ædes item episcopis Ultraject. propriæ intra urbis ipsius muros in perpetuum servantor. XIII. Cal. Novemb.

Eo tempore desiit S. Martinus Patronus diœcesis in Insignibus Civitatis effigiari.

Cum hac translationis forma brevi pòst Ioannes Slacheccius, (postea à Cæsare Archidiaconus urbis ob id factus) Romam profectus est: uti ea ab episcopo & ordinibus facta, pontificis Romani autoritate confirmarentur. Peracta itaque non paulo pluribus verbis quidem, sed in hanc planè sententiam, episcopatus traditione, è curia episcopus & Hochstratanus basilicam D. Martini ascendêre. Hos sequuta concio est omnium ordinum. Hic speciosus ultimus dies Ultrajecti Henrico Palatino in speciem illuxit, sed sugillationis reprehensionisque tacitæ plenus: post quem, episcopi inde & nomine & dignitate exutus, abitum fugamque in patriam mœstus, deserta tædio urbe, paravit. Solenni hic precationis carmine, quod inaugurationibus principum cani solet, peracto Hochstratus omnium ordinum mortalibus stipatus, honorificè in hospitium deducitur. Postero die populus tota urbe in concionem advocatus, in Cæsaris fidem juravit: datumque è more vicissim congiarum est. *Hic dies deinceps quotannis celebratior favore hominum populariqúe plausu propè habitus est, quàm ille, quo urbs Danorum procella deformata, ab Henrico Imp. ob merita Balderici Clivensis, mœnibus rursum

Eam bullam in sequentibus repræsentabimus.

Bulla cõfirmationis Translationis temporalitatis à Clemente VII. data Romæ ad S. Petrum anno 1529. 13. Cal. Septem. Pontific. an. sexto.

Vide Ordinantiam civitatis à Carolo V. decretam anno 1555. Rubricâ prima, articulo XXVI.

ſum cincta fuiſſet: addita contra barbarorum incurſiones paulo ſupra vaſtatam urbem, arce: ut in civitate ingenua tuti ab oppreſſionibus & vi ſub antiſtitibus, ſuis legibus uterentur. Fuit autem hic CCCCC. & I. annus à morte Adelboldi epiſcopi, ſub quo prima odii fax inter Ultraject. & Holl. ardere cœperat: à pulſo verò ex urbe Ratbodo Phriſiorum rege, D.CCC. ſupra XXIV. Quo anno Ultrajectum Willibrordus reverſus, ſacellum S. crucis primũ poſuit. D. CCC. XXXII. ab reditu ejus è Roma in urbem, Sergii pontif. autoritate in epiſcopatum confirmati. Quo item anno Thomæ ſacellum, poſtea Martini dictum, ab eodem epiſcopo conditum fuit, & epiſcopatus, & ab epiſcopis regnari cœpit. A regni Hollandici origine, DC. LXXXII. annus, ſi tempora rectè à ſcriptoribus digeruntur. Cæterum abſumptus hic dies eſt ingenti lætitia: edita ſpectacula, & ignes tota urbe accenſi, & ſupplicationes decretæ. Literas poſtridie Amorfortiam Hochſtratanus de rebus circa urbem actis, ad ſenatum dedit. Lectæ ſunt in frequenti curia, in hanc ſententiam. Quæ factæ tranſactæque pridem inter Cæſarem & epiſc. Ultraject. leges ſint, non dubito quin fando accepiſtis, viri prudentes, & amici fideles. Inter quas epiſcopus jus omne profanæ ditionis, cùm hujus urbis, tum aliorũ oppidorum, caſtellorum, vicorum, quantumque locorum inferæ regionis eſt, cum illis rebus quæ eò pertinent, Cæſari aſſenſu religionis, mancupio tradidit: uti ipſe nudiuſquartus in curia Magna, quò religio frequens cum pleraque nobilitate, & aliquanta parte plebis convenerat, publicè luculentis verbis expoſuit. Perfecta tum quidem pias ob cauſas ſolennibus cæremoniis tranſlatio eſt: & poſtero die facta inauguratio. Eadem via ad vos quoque libens me conferrem, (ſum enim in id legatus à Cæſare huc datus) uti harum rerum, quas ſcribo, cognitionem oculis veſtris deferrem. Sed cum per curas, quibus hic deſtineor, id fieri hoc tempore nequeat, legatos ad me cum liberis mandatis, autoritate & permiſſu decreto veſtro Ultraject. mittite, ut VII. Cal. Novem. ſub veſperum in urbe præſto ſint, & de his conveniant: ſimul ut inſtructi ad ea quæ dixi, præparatique ad reſpondendum veniant. Recitatis literis, placuit veterem quoque ſenatum & populum advocandum, ut communiter conſultarent. Legati Ultrajectum VII. Cal. Novemb. decreto concilii è ſenatus principibus mittuntur, homines prudentia & autoritate inter ſuos clari, Iacobus Dolrerus, Ioannes Soſius, Petrus Hardefeltius, Segerus Wilda. His permiſſum à ſenatu eſt, & populo, ut id quod nuper in conventu Delphenſi de libertate & legibus civitatis propoſitum, & in Hochſtrati Ultrajectum, proximum adventum, integrum rejectum fuerat, ex ſua ſententia tranſigerent. Poſtridie quàm legati Ultrajectum venerunt, ad Comitem in colloquium ſunt admiſſi: pepigeruntque antiqua jura civitatis, ut liberi, ob priſtina & recentia merita, ob ſingularem fidem, quam eo bello præſtitiſſent epiſcopo & Burgundis, ſuis legibus perinde uterentur, atq; ad eam uſque diem uſi eſſent, pacta ipſa Hochſtratanus fide ſanxit: conſcriptaque ſunt in hæc verba. Exordium quoniam impendiò in attentione concilianda verboſum eſt, haud duxi è voluptate hiſtoricę narrationis eſſe, hic inſerere.

Epiſcoporũ regnum apud Vltrajectinos quãdo incepit.

Primùm Cæſarem ejuſque hæredes cenſere, ut Amorfortii eorumque circùm agri in infera ditione Vltraject. liberi omnes ſuas leges habeant: jura jugeralia prædiorum, urbanorum, ſuburbanorum, clientelarum, viarum ſervent, libertatem priſtinam retineant: in poſſeſſionibus maneant: in conſuetudinibus, uſucapionibus, uſibus rerum ſuis quique, quibus ad hanc uſque tempeſtatem honeſtè laudateque uſi ſunt, relinquantur. Iudici ſuo loci proprio & nuſquam alibi, mortales utriuſque nominis ſiſtantur. Hæc ita rata ſunto. Amorſfortiis, ſimulac Cæſar in principem receptus erit, ejuſque hæredes utriuſque ſexus, Duces Brab. Comiteſque Holl. juxta tranſlationis haud ita pridem perfectæ ab epiſcopo, tenorem. Si ob hanc regni in novam formam redacti viciſſitudinem, populum Amorfortium, ejuſvé circùm ditionem ſtatim, in poſterumvé pontifex Rom. quis, aut alius quivis infeſtaverit: ea controverſia nullo ipſorum incommodo jacturave ſuſtolletur: aut certè autoritate pontif. ea res, ipſiuſvé, unde petenda eſt, ut comprobetur, ſui maximè operis ac curæ erit: & quidem nullis illorum vel ſumptibus, vel impenſis. Non committet Cæſar, ut in fundum, villam, prædium juris Amorfortii in Gelria, gravius vectigal imperetur, quàm eorum qui incolæ in ea ditione fundos, agroſvé poſſident. Quod ſi diverſum uſuveniat, in ea re pop. Amor. tuebitur. Si in poſterum ulla controverſia, quodvé diſſidium inter urbem Vltraject.

Amorfortii quibus conditionibus ſe Cæſari Carolo V. ſubjugarunt.

Ultrajectū & alia oppida inferæ ditionis exortatur: in eo certamine Cæsar, ejusque posteri hæredes non ultrà se immiscebunt, aliosvé quam integros incorruptosque principes in populum par est & æquum gerere, præstabunt. Si quo tempore idem populus damnum acceperint, prædationibusvé evastati fuerint: armis eos perinde ut alios suos populos Cæsar defendet. Ius item erit volentibus, in suis causis per regna Burgundici nominis judicio disceptare, itidem uti aliis ejusdem populis.

Multis annis, præcipuè vero ab xr. multi graves motus, diffidia, feditiones intestinæ, secessiones, bella in urbe Ultraject. fuerant: in primis autem Iselsteinense. Capta item castella & præsidia, ut Meidense, & alia nonnulla, quibus ditionem inferam populationibus & ruinis evastarant. Quibus de causis Ultrajectina res in magnum detrimentum, perniciosum malum, impensas, sumptus intolerabiles, æs alienum grande defluxerat: unde plerisque mortalibus obnoxii, hypothecas, tabulasque equestres, & diversas præterea tabulas, præsertim unas illas de C. & V.M. philipporum in usuram redimibilem communi omnium ordinum vice signo impressas dedissent. Hujusmodi conatibus ac consiliis quia Amorfortii semper adversati fuerant, neque assensu suo ea approbarant, id quod apud omnes mortales in ea ditione liquidò constabat: sed ne ipsi Ultrajectini quidem ad eam usque diem re ipsa refellerant. nam hi quotannis in constitutione tributaria in domos rusticanas, in exactionibus item stipendiariis aliis, Amorfortiorum prædia, villas, & agros, libera reliquerant. Petiverunt Amorfortii, ut Cæsaris judicio, hujusmodi onera, debita, impensæ, tabulæ equestres, & si quæ aliæ omnium ordinū communi nomine in creditorum manus obsignatæ exivissent, nihil incolas civitatis Amorfortiæ, eorumvé vel bona vel agricolas obligare censerentur. De quibus ita decerni placuit.

Non permittet Cæsar, (quod ad hæc aliaque debita sine consensu pop. Amorfortii conflata: quibusvé nullo obsignationis suæ testimonio assenserit, se devinxeritvé) ut vectigal tributumvé ullum in agros, fundos, villasvé pop. Amorfortii, causa inaudita, lataque nondum sententia, constituatur. Sed ne incœptetur quidem res qua, quæ ipsis detrimento sit, nisi ex juris formula: aut voluntate permissuvé ejusdem pop. Amorfortii. Cavebitur inde in posterum, ne iterum pullulet, sed uti hæc controversia in universum dirimatur. Placuit quoque, si fortè bellum (quod Deus avertat) rursum foret posteris temporibus, ut Cæsar intra civitatem suo sumptu præsidia armata equitum classiariorum, quibus tum ad ejus custodiam opus fuerit, habeat, alatque: uti plebes incolæque impensarum immunes serventur: veluti à Cæsare & episcopo, bello adversus Gelrorum Ducem proximo factitatum fuit.

Quod ad coctura cerevisiariæ jus & libertatem ab episcopis acceptam, intra secundum miliare à civitate: uti eadem libertas intra totidem miliaria in Gelri ditione à civitate concederetur, ubi jam Cæsar in suam potestatem redegisset: ita fidem pepigit.

Civitas Amorfortia, quoniam aliquanta parte à negotiatione & mercimonio coctura cerevisiariæ celebritatem suam nundinationemque habet, permittet Cæsar, ne quis intra sesquimilium à civitate cerevisiam coquat, Amorsfordiæ celebritas & nundinationes.

coquat, ultrà in ditione Gelriæ, ubi eam sui imperii fecerit, juxtà, ac cis in infera regione. Excipientur, si qui hac vetustiorem immunitatem habeant. Interim ut liberum sit volentibus, & jus, familiæ suæ cuique citra nundinationem, coquendi.

Petentibus, ut præfectus, quique in posterum res Ultrajectinas inferæ ditionis administraturus esset, antè in has leges juraret, quàm pop. Amorfortius ad jusjurandum, eumque recipiendum, teneretur: nevé ad jurandum in Cæsaris fidem prius obligaretur, quàm per legatos Burgundionum hæc pacta Cæsaris auctoritate confirmata, tabulæque consignatæ, justa forma traditæ essent: ita fide sancitum est.

Simulatque cum Amorfortiis Cæsari convenerit, justa forma tabulas signo suo impressas illis ipsis tradet. Erit & curæ, uti rata serventur pop. Amorfortio: mandabitqué præfectis & rerum suarum curatoribus, ut earum pacta exequantur, & illibata habeant: denique operam, ut inviolata teneantur. Promittit Hochstratus his suis tabulis pop. Amorfortio apertas tabulas à Cæsare justa forma intra mensem sequentem. Quod quidem ne pro vano habeatur, hisce subscripsit, signumque suum impressit, v. Cal. Novem. anno XXVIII. *supra* M. D. *Supplices petunt Amorfortii hæc sibi auctoritate Cæsaris affirmari. Hæc ego & vice hæredum meorum Ducum, Comitum, Brab. Holl. principum urbis Ultraject, civitatisque Amorfor. aliorumque oppidorum ditionis Ultrajectinæ, præparato consilio præfecti nostri & legati instructus, ob merita, pro singulari fide item erga episcopos suos majores, insuper propter honores legato meo inaugurationis die habitos, populo Amorfortio ita comprobo, ut iisdem præparata consultatione Præfecta regnorum meorum citeriorum amita mea, legatique priore decreto data sunt. Quare judiciorum præsidibus, præfectis, libellorum magistris, mortalibus omnibus à consiliis nostris per Hollandiam, Zelandiam, ditionemque Ultrajectinam, prætori civitatis Amorfort. impero, ut in quiete pop. Amorfort. his legibus, hacque libertate, auctoritate mea affirmatis, uti permittant: & ea quidem forma ac tenore, quo hic posita sunt. Nemo contrà ito, adversumvé facito: nevé ipsi contra fieri committunto. Sic enim mihi placet. Mechlin. pridiè Non. Novem. ejusdem anni.*

Amorfortiis conditiones datæ violantur. Hæc tametsi ad hunc maximè modum Cæsaris jussu rata esse in perpetuum pop. Amorfortio ex fœdere debuissent, nostra statim memoria tamen pleraque contra fas & æquum Ultrajectinis impulsoribus, ab hominibus callidis magis & acutis in interpretando jure, quàm doctis aut piis, quos parum fœdera tenere videbantur, contempto principis decreto violari cœpere. Ut alia omittantur, in pacto tradendi se sub jus Burgundicum illud fuit præcipuum.

Non permissurum Cæsarem, ut ob æs alienum ab Ultrajectinis bello Iselsteinensi contractum, aliamvé debitam pecuniam sine Amorfortiorum consensu consignationevé conflatam, in eorum agros, fundos, prædia, villas, causa indicta, ac lata nondum sententia, vectigal constitueretur.

In hoc fœdere cum ſimpliciter ſit poſitum, citra temporis deſignati circumſcriptionem, expreſſaque libertas non modò incolarum civitatis, ſed & agricolarum, qui fundum Amorfortii juris colerent: poſtea exorti ſunt, qui temporum non tantum & annorum metam finiverunt, ſed hominum etiam perſonarumque rationes circumciderunt, & poſſeſſionibus intra anguſtias quaſdam conſtrictis, tantum interpretando declarandoque fœdus reliquerunt, quantum ipſis viſum fuit. Quantum fundorum ante annum XXVIII. juris Amorfortii fuiſſet, ſolum in fœdere haberetur liberum: qui verò ab eo connubiorum affinitatibus è ſociis civitatibus accederent, vectigales communi cum aliarum gentium ejuſdem ditionis agris ſervitute, deinceps forent. Quod quidem ne dicam quàm contra libertatis legem, ſed quàm parum æquum ſit, vel hoc unum coarguerit. Cùm enim affinitatis conjunctione per connubia cum ſociis civitatibus, ſæpe aliò homines demigrent, agrorum, qui ad eam uſque diem liberi fuiſſent, poſſeſſiones per commigrationem libertatem priſtinam exuere ſimul neceſſe eſſet. Si, qui accederent, quique aliò decederent, ſtipendiarii forent: quantum ad ultimum de ea libertate reliquum Amorfortiis fieret? Hac interpretatione ex ipſorum commodo & bono fœdere circumciſo à liberis poſſeſſoribus ad eorum agricolas, tanquam de bove ad aſinum deſcenſum eſt: ut expreſſa confeſſione libertatis dominiorum in litem traheretur, utrum ad contribuendum dimidium, agrorum liberorum cultores tenerentur. Aliam quæſtionem parum directam ea lis ſecum, ut anſam anſa traxit: num civis qui à cive liberum agrum conduceret, in dimidium ſtipendiarius eſſet. Negatum hinc, affirmatum illinc, non ſine acri certamine eſt: reſq; judicio diſceptari cœpta. Poſtremò in legibus non fuit expreſſum, ut ad conferendum claudendis fluminibus, abigendóve è paſcuis per exactores pecore, cogerentur Amorfortii, id quod poſtea fuit factitatum: ſed ne quid in hac controverſia incœptaretur quidem, niſi jure, aut voluntate permiſſuve Amorfortiorum: ſimul uti ea res integra tam diu ſervaretur, dum judicum ſententiis finita eſſet. Dum ea Ultrajecti, à quibus divertit oratio, conficiuntur: oppida in Gelria à Burgundis bello capta, deductis præſidiis Duci redduntur. Fœdere Ultrajecti cum pop. Amorfortio peracto, promiſſum legatis, datis in fidem tabulis Comitis ſigno impreſſis, Cæſarem intra menſem ſequentem de pacto fœdere cum diſerta omnium eorum amplificatione novas traditurum. Petentibus poſtero die ut domum iſta renunciarent, poteſtas facta eſt. Amorfortiam reverſi legati, extemplò veterem & novum ſenatum & populum cõvocarunt. Lectæ fœderis leges ex ſententia Hochſtrati & V. legatorum conſcriptæ, tolerabiles & æquæ omnibus ſunt viſæ. Habitæ legatis gratiæ inde ſunt, quod fidelem operam pro libertate conſervanda præſtitiſſent: placuitque ſenatui, ut communi decreto, Ioannes Soſius, Segerus Wilda, Petrus Hardeſeltius, legati Ultrajectum ad legatum Cæſaris redirent, renunciaturi, ſenatui populoque Amorfortio conditiones placere: utque ei gratias agerent, quod ſe benigniter non audiſſet modò, verumetiam cum ingenti favore omnia penè ſua poſtulata rata eſſe juſſiſſet. Quare Amorfortios viciſſim obnixè operam daturos, ne fide ab ullis, non tantum civitatibus ſociis, ſed gentibus erga principem ſuperarentur. Hac legatione Ultrajectum decreta, ab Hochſtratum venerunt. His reſponſum, ut quando nihil ſupereſſet amplius, domum redirent, ſe paucis diebus inaugurationis ergò Amorfortiam venturum. Tertio mox Non. Novem. cum C. equitibus eò venit: in civitatem ingenti gaudio ab omnis ordinis mortalibus deductus, cum ſolenni precationis carmine templũ S. Georgii tutelaris, ſeptus religione & ſenatu, effuſaque ad ſpectandum triumphi ſpeciem plebe, recipitur. Sequenti die in curiam, quò ſenatus & prioris anni Conſules convocati erant, agmine nobilium ſeptus venit. Ibi Laurentius Dublioul: Ex veſtris (inquit) legatis, quî inter Cæſaris legatum & ipſos de libertate veſtra convenit, jam pridem accepiſtis. Quæ igitur abſens Comes tum cum illis tranſegit, ea præſens vobis affirmat comprobatque. Inde tabulę de tranſlatione perpetrata ditionis confectæ, ea forma, qua ſuprà paulo poſui, à ſcriba ſunt recitatæ. Sub has lectum diploma, Comiti à Cæſare datum, de liberis mandatis permiſſuque & ex autoritate conſtituendi facultate. Ad poſtremum fœdera libertatis paulo antè cum Hochſtrato conſcripta: quæ rurſum in frequenti ſenatu ille & ſcripto & impreſſo ſigno, fide ſanxit: affirmavitque ſe intra menſem amplificata, ac Cæſaris magno ſigno impreſſa, ſenatui traditurum. Exul quidam Arnoldus Clemens, qui propter occiſum civem nuper, in perpetuum pulſus fuerat, novi principis beneficio confiſus, veniæ fiducia in civitatem redierat. De hoc Comes ita propoſuit, ut, ſi ſenatui videretur, huic homini, conceſſa venia admiſſi, reditus Cæſaris beneficio daretur. Unum illum ſupplicem eſſe, quo facilius noxa condonari poſſet. Fieri id paſſim in novorum *principum inaugu-

Legati Amorsfortii Vltrajectum veniunt significantque Legato Cæsaris conditiones datas placere.

*Et videre licet in Heda fol. 284. 288.

inaugurationibus, ne ut insolens, quod peteret, rejiceretur. Posse se quidem suo jure hic & potestate uti, sed malle id senatus arbitrio facere, & jura à majoribus tradita illabefactata pop. Amorfortio relinquere, quàm violare. Responsum Hochstrato est: non videri id è repub. esse. hoc enim exemplo alios homicidas illustribus familiis ortos, ad reditum per amicos parandum, consurrecturos: ut id, quod Cæsaris beneficium fuisset, ab aliis in posterum ad rescissum plebiscitum traheretur. Iussus extemplò exul à Comite ante occasum solis è civitate facessere. Advocatus eodem die in concionem tota civitate populus, postquàm consul causas translatæ ad Burgundos ditionis paucis præsente Cæsaris legato, & * Abstemio episcopi, perorasset: in fidem Caroli v. Cæsaris, & hæredum ducum comitumque juravit. Hochstratus in vestigio juravit vicissim in libertatem populi, quam per suos legatos pepigerant. Peractum jusjurandum, tubicinum qui ex Vltrajecto acciti fuerant, cantus suscepit ante curiam. Quibus epinicium modulantibus, sparsum sexies è sublimi congiarium est. Reducto inde domum legato munera à senatu sunt data, boves duo eximia specie, & cornibus inauratis, insignia gentilitia Cæsaris & comitis Hochstratani præ se ferentes. Exceptus eo die legatus est à senatu, magnifico luxu apparato convivio, à quo vicissim sex è civitatis principibus cœna accepti. Varia lætitia personuit ea nocte tota civitas. Ignes in pontibus & viis omnibus ingenti laudis ac palmæ certamine sunt accensi. Musici & tubicines cum funalibus ardentibus concinnè modulantes, fossam interiorem ultro citroque navigando jucundum spectaculum præbuerunt. Et vicatim in multam lucem comessando ac potando continuatū est. Postridie sex principes consulares Comes ad se advocavit: hos præsentibus à cōsilio heroë Assendelphio, Iodoco Sasbautio, & Vincētio Corn. F. multa de prætura, de plebiscitis, de jure prætorio percontatur: deinde quas cōtroversias senatus, quas tribuni dijudicarent: quę comitiorum ratio esset: quòve anni tempore ea haberentur. Ad ultimum, quibus legibus vici Amisiani uterentur. Hæc diligenter à consulibus exposita, summatim illi stilo exceperunt. Dimissos domos suas, eodem die rursum ad se advocat: actisque pro munificentia gratiis, mandat illis reipub. curam: ut pari vigilantia & consilio, quo ad eum usque diem fecissent, pergerent civitatem à proditione tueri. Data ordine inde consulibus in faustum fœlicemque abitum dextra, per Assendelphium eos interrogari jussit, num senatui & pop. placeret, Segerum Wildam prætorem dici. Annuentibus consulibus, Segerus per viatorem accersitur: & exacto jurejurando, conceptis verbis, Comes Ultrajectum abiit. Latebant tum adhuc quidam abditi, qui direptis bonis ad cædem ab episcopo conquisiti fuerant. His in publicum prodeundi potestatem tum fecit: dimissi item è carcere captivi. Edicto sub hæc publicè cautum, ne quis, obliterata anteactarum injuriarum memoria, alteri convicium diceret: proposita mulcta, ultimum supplicium, & bonorum publicatio. Inauguratur Comes iis ipsis diebus Vicæ & Rhenis. Dublionus interim Arenacum ad jusjurandum à Duce exigendum proficiscitur. Hochstratus antequàm ex urbe in Brabantiam iter retro faceret, composito utcunque ejus statu, rempub. ita ordinavit, ut Guilhelmum Enkefordium Cardinalem absentem, * ac multos annos Romæ agentem, episcopum diceret. Præfectus urbis factus Ioannes Teneremondus: Coss. dicti, Henricus Verborchius, & Petrus Meerenburgius, Prætor constitutus Ioannes Culenburganus. Fuerunt inde res Ultrajectinæ à seditionibus quietæ. Sed ut cum principibus, in defectionibus regnorum jura & instituta variantur: ita non solum cum recenti Burgundorum imperio, urbis consuetndines antiquæ & instituta prisca sunt abrogata, sed nova etiam facies ædium sacrarum & ædificiorum publicorum eversionibus inducta: sacra profanis misceri, summa imis commutari cœperunt. Populo comitia antiquata: consulibus & senatorum duobus principibus, Romanæ libertatis ‡ insignia togæ argenteæ sunt detractæ. Ius dicendi Coss. legendi item senatum, submovendique, citra ordinem, quando visum est, ad principem translatum. Nova judiciorum forma invecta. Quinquiviratus ad Prætorem traductus. Cætera ut quæque inde vario habitu domi gesta sunt, non est operæ hic persequi, cum ea quæ proprie hujus nostri fuere instituti, ad exitum hujus anni, scribere vix suffecerim.

* Assenstein.


* Cujus hoc elogium extat in litteris quibus Godefredus ab Enckevoort à Carolo V. Imperatore, Eques auratus Sacri Lateranensis Palatii Consistoriique & aulæ Imperialis Comes Palatinus creatur; Accedēte etiam consideratione Rev. Dñi. Cardinalis Dertusiēsis, cujus summæ Virtutes & merita Nos sibi adeò devinxerunt ut vel totam ejus familiam munificentia nostra dignã sentiamus.

† In defectione omnia mutari cum regno.

‡ In registris Civitatis hæc Insignia vocantur Silvere Cobelen/ quod argenteis nolis resonarent.

RERUM ULTRAJECTINARUM LIBRI VII.
ET ULTIMI FINIS.

VITA
LAMBERTI
HORTENSII.



Larorum virorum facta moresque posteris tradere antiquitus usitatum, ne nostris quidem temporibus studiosa ætas omisit, Idque factitarunt Melchior Adamus, Papyrius Massonius, Andræas Schottus, Ianus Nicius Erythræus, qui Germanorum, Gallorum, Hispanorum, Italorum vitas dederunt Doctrinæ Laude eminentium, aliÿque quos citare nihil attinet. Nos eorum exemplum secuti, Hortensium describemus allaturi id quod de vita moribusque ejus cognovimus. Igitur Lambertus Hortensius Montfortÿ (quinto Provinciæ Vltrajectinæ oppido) anno 1500. ut vult Desselius, vel ut Miræus, in Elogÿs Belgarum primæ editionis, anno 1501. natus patrem Hortulanum habuit, unde sibi Hortensÿ cognomen fabricavit. Itaque perperam illum Gouthovius vanden Hove vocat. Admodum adolescens in primo studiorum tyrocinio Lovanium ingenÿ excolendi causâ venit, nihilque prius, nihilque antiquius duxit, quàm eas linguas, quantum tum dabatur, juvenili ardore perdiscere, sine quibus omnes artium facultates infeliciter nullaque cum laude discuntur. Acuebant eum ad id non solum veterum scriptorum exempla, verum etiam Latinorum Grammaticorum præcepta & necessitas plane Diomedea. Prodibant enim indies in lucem, è situ & squallore eruti veteres auctores, quibus pristino nitori Erasmi aliorumque doctorum hominum industria restitutis ac emaculatis, plura Græca pene inspersa quam Latina Lectorem librorum helluonem remorabantur. Clarebant ea tempestate in Lovan. Academia linguarum Professores; Græcæ Rutgerus Rescius, Latinæ Conradus Goclenius; Hebraicæ Ioannes Campensis, hos docentes frequentabat & attentè audiebat: uti etiam eximium Peripateticum Ludovicum Vivem & insignem Rhetorem Ioannem Paludanum jam tum senem admodum. Erat tum illi in eo studiorum curriculo contubernalis, cum quo omnes rationes illorum sedulò communicabat Ioannes Guinterius Andernacus, una cum eo in re literariâ ab unguibus Vltrajecti educatus, tenuis sortis tum quidem, sed qui post Argentorati inclaruit inter Senatores. Confectis Lovanÿ studÿs exinde digressus Vltrajectum venit, in Quartâ trivialis Scholæ Hieronymianæ Classe juventutem egregiè instituit & diligentem operam Historiæ impendit; non autem Rectoratum Scholæ gessit, ut Henricus Pantaleon de viris illustribus Germaniæ parte 3. fol. 407. perperam scripsit. In hoc didascalico munere videtur annis aliquot perstitisse, & quidem anno 1527. Secessionum tempore, quo 14. Kal. Decemb. Episcopus Bavarus militum signa miserat ad urbem opprimendam, ait apud se pransum fuisse, cum pauculis aliÿs utriusque nominis festivis doctisque amicis, Hermanum ..... Presbyterum cognatum suum, qui hilarior à recenti symposio multa in factionem Gelricam prolocutus Vltrajecto exulare jussus est. Quo ipso tempore, dum Vltrajecti agit Hortensius, credibile mihi fit; illum ad Sacrum Presbyteratus ordinem promotum fuisse. Senatus Nardenus ad studia litterarum pronus & aliarum Rerumpublicarum exemplo excitatus, simul publica, simul privata

utilitate motus, quanti omnium referret conscius, liberos domi formari, præcipuè eorum qui sumptibus ad alendos eos in exteris Scholis non sufficerent Hortensium anno quadragesimo quarto supra millesimum quingentesimum post captam Amersfortiam à Martino Rossemio qui tum Guilhelmo Clivio, Geldriæ duci electo militabat ex Arce Haria tum apud D. Theodorum Zulenum Equitem torquatum agentem, ad ludum instituendum evocavit. Ibi cum gloria, nescio quãta (*ipsius verba pono*) certè cõmodo memorabili Reipublicę annos unde triginta, usque ad ultimum miserrimi excidij diem cum rerum mearũ omnium naufragio juventutem moderatus fui. *Ad Hortensium hic quietè agentem, varia scriptione clarum, adeoque clarum ut supra literatorum vulgus emineret, cum anno 1557. Schola Delphensis Rectore careret, Consulum jussu scripsit Adrianus Aleidius civitati à pensionibus, ut vocant, Asiatica verborum ubertate civitatem expetere Rectorem, qualem ipse colore vario depingebat. Hortensius ad ejus literas Laconicè hoc modo respondit. Angelum quæritis; homo sum, Valete. Verè homo erat; nam per lasciviam filios genuerat Augustinum & Hieronymum sacris ordinationibus insuper habitis. De utroque dicam quod reperi. Hortensius, ut infra memorabitur, ægrè servatus à communi cæde Nardena, tamen filium Augustinum, Organistam crudelissimè obtruncari & occiso cor evelli ante oculos vidit, quod præter Meursium libro 3. Albani, etiam in suis rerum Belgicarum historijs attestantur viri Clarissimi,* PETRI HOOFDIUS *ac* BORRIVS. *De Hieronymo ejusque conditione extant Hortensij patris Epistolæ duæ scriptæ ad perhumanum & eruditum virum Thomam Persoels Vicarium majoris Ecclesiæ & notarium. Quarum una hujus tenoris*: Humanissime & erudite vir. Iam dudum optavi tecum colloqui de rebus quibusdam necessarijs, in quibus mihi tuam operam præstare potes, sed quia per varias meas occupationes in colloquium venire non datur, per literas tecum agam necesse est. Est mihi adolescens, quem ad sacerdotium provehere consilium est, neque ipse quidem abnuit, & ea ipsius est ætas, ut jam ad illud maturus sit. Contenderim igitur abs te, ut ad dispensationem è Roma obtinendam, tuam operam velis mihi dare, & quidem, quamprimum; ut interim dum Bulla expeditur, ad præcedentes ordines possit accedere. Quanti autem constabit, nosti, & illi, quibus aliquando dispensationem impetraveris, mihi retulerunt. Neque, scio, propter nostram veterem amicitiam à me plus posces, quàm ab alijs acceperis; & pretium auctum esse non puto. Libra Flandrica parata est, ea mittetur; si velis amico hac in re obsequi, rescribe paucis quid boni abs te expectabo. Vale, ex Narda. M.DLXV. XX. Februarij. Lambertus Hortensius tuus amicus. *Sequitur alterius tenor:* En humanissime vir, mitto tibi per filium meum Hieronymum libram, reliquum missurus suo tempore ad obtinendos ordines Ecclesiasticos. Habet ætatem, videlicet xxiiij. annos, rem gratissimam mihi feceris, si pro veteri nostra amicitia fidelem tuam operam hîc mihi præstiteris. Invicem habebis me tibi obligatissimum. Ubi ubi tibi prodesse potero. Vale vir optime. Ex Narda, pridiè Matthiæ anno LXV. supra M. CCCCC. Lambertus Hortensius tuus semper amicus. *Hieronymus cum tempore animum & sensum mutasse videtur, factus verbi Minister in Comitis Haga, unde propter dissidium, quod in religione exercebat cum Collega suo, Wassenariam commigrare jussus*

est anno 1584. teste Borrio tom.3. histor. Belgicæ fol.44. Porro Hortensium cujus industria & diligentia in instituenda juventute, qua Nardam numerosa confluebat, mirificè commendata est, pistrini, ut ipse scribit Idibus Februarij anno 1561. incepit capere fastidium; perstitit tamen in munere docendi, & assiduitate scribendi, nam anno 1566. laborem commentandi Lucanum eo libentius suscepit, quo (ipsius verba refero ad Decanum Hoochlandium) magis animum meum ab Iconomachorum furore tantisper avocarem (cœperat enim is omnibus his Regionibus jam tum passim grassari, quamvis apud nos id temporis nihil novatum fuit) ne audirem, neu distringerer ijs quæ mentem a sede sua submoverent & cruciatum inveherent. Anno 1572. dum Albanus Dux Philippi secundi Hispaniarum Regis nomine Belgij Gubernator recuperare contendit quidquid urbium aut Præsidiorum ab Auraico Principe captum erat, sæva tempestate involvitur Hortensius; quod ita contigit. Nardeni regium præsidium recusarant, militem Ordinum receperant; Zutphania, & cetero Gelriæ tractu, subacta, Fredericus Toletanus Albani filius in Hollandiam copias militares ducit, Nardenis, dejectis animis, ubi adventare cum copijs ho.em intelligunt, ad Toletanū mittere visum, qui urbem dederent & gratiam præteritorum peterent, id negotium Consuli & Senatori datum. Qui Amorsfordiam profecti, ubi tum Toletanus agebat, colloquio prohibiti Bussemum ire, proximum Nardæ pagum, jussi sunt; illic responsum accepturi. Sed Consul, dum redit, apparatu viso territus, rheda descendens, seu, onus alvi positurus, periculo se instanti subduxit. Id ubi Senator vidit, valde indoluit; veruntamen tristis rei nuntius perrexit, & Bussemum, uti jussus erat, Toletanum secutus, cum interroganti Comiti Bossuvio an milites oppido excessissent, affirmaret; alios postridie oratores adducere jubetur, atque ita dimittitur. Igitur ipsis Kalendis Decembris venêre in castra ab oppido Legati sex, quibus Hortensius Presbyter, & Rector Scholæ adjunctus fuerat septimus. Qui cum Toletanum alloqui vellent, ad Iulianum Romerum rejiciuntur, cui is omnem potestatem dedisset. Cum illo igitur paciscuntur, oppidum se Toletano tradituros, ea lege, ut civibus vita facultatesque salvæ essent; tantum denuò fidem juramento obstringerent, solique ex Hispanis centum, quantum semel sumere possent, oppido efferrent, ultra nulla præda esset. Hæc ter porrectâ Hortensio dextrâ rata fore pollicitus Romerus, cum eo, aliquot xx. Hispanis comitatus, oppidum ingreditur. E vestigio ad timpani sonum cives jusjurandum daturi in sacello hospitalis convocantur, & convenerunt pene omnes. Interim Hispani desertis mœnibus & constricta glacie fossâ, transcenso etiam vallo frequentes intraverant. Dumque cives conveniunt, uxores eorum militibus advenis convivia curabant, apertis sacelli foribus irruentes milites, inermes homines miserrimè trucidant, & vicatim discurrentes obvios mactant. Hortensius autem, quomodo se ab hac laniena eripuerit operæ pretium est cognoscere ex ipsius affecta non confecta historiâ de origine & interitu appidi Nardeni, quam magnificus & perhumanus vir Hermannus Antonides vander Linden asservat, mihique perhumaniter communicavit in hæc verba. De meo autem fato hic nihil in universum scripturus eram, nisi scirem esse, quid mihi acciderit nonnullos cognoscendi cupidos: Simulquis Deus ex improviso in hac publica & tragica calamitate, mihi apparuerit, unde neque consilio humano neque judicio, tot armatis stationibus circa portas oppositis, tam intenta custodia vijs omnibus servatis atque obseptis, elabi potuerim,

rim. Poſtquam cum alijs a legatione illa (*quæ hic ſupra memorata eſt*) domum reverſus fui, Veteris Nardæ Canonici, qui jam tres menſes meis ædibus communiter mecum pro hoſpitio utebantur, quod ipſis toto oppido locus commodior non eſſet: tum quia circunquaque maceriе conclusę erant, tum quod proximæ cœmiterio & ab omnium hominum ſtrepitu & frequentia ſolitariæ eſſent, ſe conferebant in ſuperiorem domus partem religionis ſuæ ornatu amicti, ne in ipſa rabie expoſiti sediſſent. Hiſpani cæde in curia defuncti cum toto oppido ſe diſpargerent ac diſſiparent, quatuor ſtrictos gladios prę ſe tenentes, revulſo vi oſtio ad me irruperunt. Primò quantum ſcriniorum erat diffregerunt, clamor eorum & una eademque perpetua cantio erat; pecunia: mille coronas a me, perinde ac ſi ſatrapes fuiſſem, poſtulabant. Cingulum cum marſupio detrahunt, & quum æs non eſſet, toto corpore membratim explorato, hic malleum equeſtrem cervici illiſit, alius veſtem talarem, alius tunicam interiorem punctim ferro trajecit. Hic me unus medium arreptum in cellam penuariam præcipitavit. Ibi proſtrato ac ſupino jugulum cultro admoto incidere intentabat, identidem eandem cantilenam de re pecuniariâ occinens. Dum ille in hoc totus eſt, audit in ſuperioris domus tabulato ſtrepitum quaſi pedum (nam huc tres alij conſcenderant ad Canonicos ſpoliandos) ac fremitum ſuorum, ratus id, quod res erat, ne prædæ portione defraudaretur, huc quod potuit me quaſi ſub cultro relicto, ſe recepit. Tum demum fugæ occaſionem nactus circunquaque omnia tuta videns, proripui me in aream. Offendo oſtium ad cœmiterium palis & fragmentis tignorum oppoſitis validè munitum, ne mihi qua exitus pateret, quanquam alibi, ſed periculoſè evadere potuiſſem. His vix magnę mulieris viribus, quæ ſalutis ſuæ tuendæ cauſa ad me è vicinia cum parvis liberis confugerat, revulſis adjutus (erat majoris molimenti quam ut unus ſufficerem) in templum tranſcurri. Hic nullum mortalem extra tres milites ſacrarium debellantes, magnum theſaurum ſe reperturos arbitrantes, offendi. Dum hic in ea parte, quæ ſeptentrionem ſpectat, ſolus mœſtus inambulo, multa apud animum meum reputans, ſupervenerunt in adverſa templi parte ad auſtrum quinque militari habitu. Hi quaquaverſum circumſpectantes cum me ſolitarium ac meditabundum ambulantem cernerent, hem, inquiunt, adeſt (me digitis monſtrabant) cujus cauſa venimus. Cum ad me hos rectâ vadentes conſpicerem, animus ilico mihi concidit metu, ne novi percuſſores in me miſſi eſſent. Erant autē Sacerdos à ſacris D. Comiti à Boſſu, vir in lingua latina politus, Petrus Catzius Montfortiæ Præfectus (Marſchalkium ipſi vocant.) Levinus Weldanus cum famulo, & Ioannes Caſtilianus vir acer ac ſtrenuus, cohortis Neapolitanæ Ductor. Hic ut ſumma auctoritate domi & belli apud ſuos pollebat, ita clemētia, quæ omnes militares artes ſuperat, ac dexteritate ad ſervandos bonos ſingulari, factus, etenim Mechlinia poſt Geuſiorum fugam, recuperata, cum ab Hiſpanis non ſolum in fortunas omnium ſine diſcrimine ordinis aut dignitatis mortalium; ſed etiam in corpora crudeliter ferro ſæviretur, ab ædibus unius Ioannis vander Burchij (hoc germanum cognomen eſt claræ vander Burchiorum genti) ſupremi à conſilijs Regiæ Majeſtatis, viri eximij, omnem injuriam & vim prohibuerat, cujus conſervatæ domus

mus

mus æternam gloriam & laudem reportavit. Hi igitur me benigniter complexi, comiter salutant, rogantque quo in statu meæ res præsentes essent. Narro ordine fabulæ meæ actus. Tum illi: Nos à Comite huc ad res tuas inspiciendas, teque servandum, avehendumque in Buscum mittimur: gratum est quod te salvum & incolumem invenimus. Si qua habes in ędibus quæ auferre tecum tumultuariè velis in vehiculum, ut exportentur, adjuvabo, inquit Weldanus. Rursum offendimus ostium ædium mearum clausum & validis oppositis vectibus munitum. Diu calcibus insultatum fuit. Tandem Castilianus cum ijs, qui ædes meas tenebant acriter expostulavit: tum de ijs quæ in mandatis à Ducibus habebat, jurgando exponebat; quæ, quia neque Hispanicè neque Gallicè novi, intelligere non potui. Omnibus digressis, solus Weldanus quasi custos corporis mei in ædibus, ut vim à me, si qua oriretur, arceret, mansit. Miserat is famulum suum ad duo vehicula comparanda. Interea dum colligo sarcinas librorum meorum, redit ille qui vehicula comparârat, quò Weldanus officiosè à famula & altera fæmina, de qua memini, libros meos extulit. His occupato curis supervenit Paulus à Loo Præfectus arcis Mudenæ. Is statim quam ingressus fuit, rogat quo in statu summa mearum rerum esset? Ego vix temperans à lacrymis nihil aliud respondere potui, quàm, hæc, inquam, est mutatio dextræ excelsi. Interim importuni mei hospites Hispani cædibus lassi (ut erant ventres famelici ad rabiem caninam usque avidè vorabant cibos, bibebantque ut erat penu bene structum: modo de mensa ad cædem surgere: rursum ad ingluviem intermissam redire. Interfecti in ædibus meis, & area quinque, in meo conspectu sunt: & inter hos unus, qui à sanguine meo non fuit alienus. Fumus jam è proximo incendio ædibus meis imminebat, quę tamen intactæ manserunt. Cum duce Weldano, domo prædæ & direptioni relictâ oppidum desero. Nix multa, ut sera hyems erat, cadebat. Vesperi humaniter à Comite ad cœnam vocatus fui, cui dimisso convivio, magnas habui gratias pro donata vita & reddita salute: simul me dieï, quo servatus ab ipso fuissem, privatim memorem fore dixi. Ut Q. Terentius Culleo olim Senator Romanus, qui secundo bello Punico è captivitate ab Africano liberatus fuerat, eum in omni vita ut libertatis suæ auctorem coluit, ita me illum ut servatorem meum, quoad viverem, observaturum promisi. Noctem hanc, ut superiorem, insomnem duxi; & tenebrosa erat & illunis, in qua spectanti clarum oppidi ex intervallo incendium & magnum horrorem immisit & lachrymas excussit. Habuit hunc interitum tam calamitosum toto orbe lanificio nobilitata Narda, pro egregijs & perpetuis meritis domi bellique erga suum Principem, propter paucorum infelicium noxam, quam tota civitas luere coacta fuit. Unus dies, ad hunc modum ducentorum triginta sex plus minus annorum opus quibus Narda steterat, excidio dedit. Neque verò flammis dissipatis ita deleta fuit, quin aliquot ædificia partim leviter ambusta, partim in totum incendio intacta manserint. Manè postridie vehiculo suo me excepit Ioannes Drenckwaert Prætor Dordracenus, (*cui tum nupta erat amita meæ magnæ filia,*) vir ex æquo eruditus & summè humanus, ac dexter, qui me Ultrajectum ad avunculum suum virum incomparabilem D. Io-

Strada. fol. 443.

annem

annem Hoochlandium Ecclesię Imperialis Divę Virginis Decanum Mœcenatem meum vexit: qui me benignè hospitio excepit, & exceptum summa cum humanitate fovit & amplexus fuit. *Huic Hortensius Explanationes suas in Lucanum accepti beneficij memoria nec non gratitudinis ergo postmodum dedicavit; quæ demum Basileæ anno 1578. excusa sunt. Aliquanto tempore Vltrajecti commorantem Nardæ desiderium retraxit, redemptaque mensa in diversorio honesto non multo post (dubiâ famâ inter Papismum & Lutheranismum; à rusticis enim vulgo* de Luyter'sche Paep *vocitabatur, & sanè acerbior ejus dictio est in religiosi nominis homines.) fato concessit in prædio suburbano Nardæ* den Hooghen Engh *dicto* Cralo, *& sepulturæ traditus est in choro parochialis Ecclesiæ Divi Viti Nardæ, sub sarcophago Dionantensi, cui insculptum sequens Epitaphium:*

HORTENSIVM INTER MORTVOS
QVÆRIS VIATOR? VRNVLA
HAEC OSSA SOLVM AVT PVLVERES
HABET, POLVS MENTEM ENTHEAM,
NOMEN LIBRI, FAMAM VAGA
DOCTVM ORA, OVAT COELO AC SOLO
DECVS SCHOLÆ ATQVE CIVIVM.

CONDITVM, HIC EST CORPVS D. LAMBERTI HORTENSII, VIRI OMNE GENVS ERVDITIONIS EXIMII, LITERATORIS ARGVTI, HISTORICI SAGACIS, IUVENTVTIS NARDENÆ MODERATORIS STRENVI, EVOCATI EX HAC VITA ANNO A LANIENA, QVÆ SOLI PROPTER DOCTRINAM SINGVLAREM PARSERAT TERTIO; A NATO CHRISTO M.D.LXXIV.

MEMORIÆ AC HONORI

PP.

Consules ac Æditui.

Statura brevis, corpus exile ei fuit. Quibusdam visus est appetentior potus & vulgarium hominum consortij, quàm virum eruditum deceret. Scripta typis edita leguntur hæc. Secessionum civilium Vltrajectinarum & bellorum ab anno xxiij. supra M.CCCCC. usque ad translationem Episcopatus ad Burgundos libri septem, quos persuasione potissimum Decani Hoochlandij, qui patrem habuit Casparem Levinum Hoochlandium primum à Carolo V. Cæsare, Domino Vltrajectensi, Senatus Vltrajectini Præsidem constitutum, magna adeò dictionis libertate composuit, ut Maximilianum Buræ Comitem infensum sibi reddiderit. Scripsit & Enarrationes in Virgilij Æneida, in quas avi mihi cognominis Elegia commendatoria præfixa legitur. Item Explanationes luculentas in Annæi Lucani Pharsaliam ex cujus operis dedicatoria Epistola nonnulla verba hic supra retulimus. Edidit præterea de bello Germanico libros septem in quibus & brevitate & elegantia singulari non pauca, à Sleidano & alijs hujus historiæ scriptoribus, vel prætermissa, vel non paulo aliter commemorata, inveniuntur,

in

in quarto *Basileæ anno 1560. qui libri postmodum etiam inserti sunt Germanicarum rerum historico operi, quod tomis quatuor comprehensum Basileæ in folio anno 1574. publicatum est; ex his Hortensij libris Thuanus se in historia adjutum profitetur. Condidit & Tumultuum Anabaptistarum librum unum anno 1548. ad vigilantissimos Consules & inclytum Senatum Amstelredamensem, in* quarto,*qui liber ante paucos annos in Belgicum sermonem versus est, cum additis aliquot imaginibus factionis Amstelredamicæ fanaticorum istorum hominum, quæ in tabulis pictis Amstelredami in Senatoria æde conspiciuntur. Ex Aristophanis clarissimi Comici fabulis, quē Comicū D.Chrysostomus adeò diligenter perdidicisse traditur, ut a dormiētis pulvinari nūquā abfuerit, quatuor versibus latinis expressit scholijsque illustravit a Borculo Vltrajecti excusas. Plutū an. 1556. dicatā Gerardo de Nova Ecclesia Abbati Divi Pauli. Nebulas anno 1557. inscriptam Iacobo Wtenenge Decano ad S. Petrum & Vicario Episcopi Vltrajectini Cardinalis Enckefortij. Ranas anno 1561. dedicatam H. R. Commendatori in Ingen. Equites oblatam Theodoro Zuleno Equiti Aurato. Leguntur item Hortensij Satyrarum libri duo à Borculo in 8. excusi 1552. Prioris initium,* Si priscos trutinâ mores pensaveris æquâ, Temporis & nostri æquaris examine fastum, Dixeris inversum convexo pondere mundum, &c. *Posterioris hoc est;* Cur cessas ignave gradum contollere, & horam, &c. *Extat item Epithalamiorum ejus liber unus in 8. In quo nonum scriptum est Epithalamium honori Lamberti Lappij, Nardeni oppidi prætoris excidij tempore, de quo testatur Hortensius in schedis superstitibus, quod inter prætorios viros Nardenorum, qui ante eum fuerunt, respublica prudentiorem vel eruditiorem non habuerit, quique fuerit adversus noxios in Goylandia acer vindex, extra forum post dictum jus, adeuntibus ad consultandum comis, omnibus ex æquo affabilis, in negotijs forensibus summè (id quod in prætore unicè necessarium est) exercitatus; in quo denique polities & ornatus Latinæ linguæ conjuncta fuere. Effigies Hortensij à Philippo Gallæo in æs incisa circumfertur, cum hoc elogio, quod Franciscus Raphelengius decantavit,*

Hujus ubi HortensI spectas in imagine vultus,
Talia tum subeat dicere verba tibi:
Romane Hortensi concede huic; secula priscis
Nomine reque pares nostra tulêre viros.

Tam ferax doctorum virorum ejus schola fuit, ut armatorum militum non fuerit feracior equus Trojanus. Per occasionem Lanienæ Nardæ patratæ videtur Hortensius voluisse contexere totius belli secuti enarrationem, quam perduxit ad navale prælium cum Zelandis commissum de mandato Ludovici Mediolanensis Præfecti & Castiliæ Mandatarij magni, successoris Ducis Albani, ad commeatum Middelburgum importandum, ipso, Nobilibus atque aulicis ex aggere Lodijck *certaminis spectatoribus, quod incidit teste ipso in tertium Calendarum Februarij anni Septuagesimi quarti supra millesimum quingentesimum, quando orsæ historiæ telam sistit præventus morte. Hæc enarratio superest Nardæ inter Magnifici viri, (quem supra nominavi) vander Linden Bibliothecæ ceimelia. Hannardus Gamerius vir doctrinæ famâ clarus in præfatione Bucolicorum suorum, Hortensium Præceptorem suum in historijs scribendis longè principem, Hollandiæ decus*

Famian. Strada videatur initio lib. vij. belli Belgici. Franciscus Haræus Vltrajectinus tomo iij. Annal. Belgic. fol. 197.

decus appellat. Henricus Pantaleon part. 3. de viris illustribus Germ. de Hortensio ait: Rem literariam sua eruditione adjuvit & auxit. . Hoc modo Lambertus ab omnibus doctis ob editas lucubrationes agnoscitur. Extat & N.V. Iani Dousæ Nordwici Domini Salin. 2. c. 34. Carmen in Hortensium Bossuij Comitis intercessione servatum, quod & relativè habetur fol. 16. operis Chronographici L. Beyerlingi. Adrianus Iunius in Batavia fol. 289. ubi Nardam describit, ait; hic Iuventutum docet L. Hortensius quem Montfortium in lucem extulit, egregius Satyrographus, & Germanicarum & Vltrajectinarum rerum scripto celebris, qui istud oppidum eleganti carmine exornavit: quod ante paucos annos lucem vidit Marco Zuerio Bocxhornio Theatrum Hollandiæ publicante. Isacus Pontanus Historiæ Gelricæ scriptor lib. 14. fol. 915. parcitum est Nardæ, idque studio Comitis de Bossu, L. Hortensio Montfortio, Gymnasij, quod ibidem tum erat, Præfecto, celebri Historiographo, viro jam propemodum decrepito: qui tamen, &c. Meminêre præterea Hortensij, Aubertus Miræus Antverpiæ Cathedralis Ecclesiæ Decanus fol. 177. in Elogijs Belgicis, qui tamen fallitur, dum obijsse scribit anno 1577. Is in altera editione Hortensium omittit ea de causâ, quam subolere videor. Valerius Andræas Dessélius clarissimus in Academia Lov. V. I. Doctor, Professor, & scriptor in Bibliotheca Belgica, Fr. Sweertius in Athenis Belgicis & ante istos duos Cornelius Loseus Goudanus qui Bruxellis Pastor Capellæ obijt in Catalogo Illustrium Germaniæ utriusque scriptorum. Melchior Adamus in vitis Germanorum Philosophorum fol. 295. 296. Lud. Guicciardinus fol. 317. Belgiographiæ ubi in Provincia Vltrajectina Montfortium describit, anno 1566. ait; De ceste Ville fut natif Lambert Hortense homme de grand sçavoir, & qui a composé plusieurs bons livres. Denique obiter Bibliotheca Gesneri. Inter alios amicos coluit Hortensius Stephanum Montanum virum gravem & eruditum, Petri filium, cujus meminit lib. vij. Secess. ad fol. 157. Cornelium Havenum Hornanum Poëtam. Theodorum Zulenum Domin. vander Haer & Zevender equitem auratum, Adrianum vander Burch Graphiarium Curiæ Vltrajectinæ & Lambertum vander Burch Vltrajecti Decanum B. Mariæ Virginis (quorum fratris ædes Mechliniæ supra servatæ narrantur à furore Hispano). Patruos moderni Episcopi Cameracensis. Philippum Morum Canonicum S. Salvatoris, qui post in Africa cum Sebastiano Portugall. Rege occubuit. Ioannem Drolshagen Canonicum B. Mariæ Vltrajecti, denique Ioannem Hoochlandium V. I. Doctorem, Decanum Ecclesiæ Imper. D. Virginis Vltrajecti, & Consiliarium Romanæ Majestatis, qui eum extorrem & omnibus bonis exutum à barbaris militibus, hospitio, domo & mensa excepit. Hæc de vita Hortensij LAPPIO cognovisse licuit. quæ sequuntur commodè ad marginem non potuerunt inseri, itaque bonum factum putavit ea indici præmittere.

Ad

AD folium hujus operis 2. *Præsidium Wittenburgum.* De hoc Castro vide Bucchelium fol. 7. ad Becam, atque iterum fol. 20. ad literam, b. notarum in Hædam, Iunium fol. 127. historiæ Bataviæ; Wiltaburgum ad Rheni ripam supra Ultrajectum ad duo aut amplius passuum millia sedisse res ipsa loquitur, ubi ad exsiccatum Rheni alveum vicino in agro acclivis collis rudera omnis generis, & elegantioris figlinæ fragmenta, ingentemque numismatum ex ære & argento copiam, vel leviter refossa humo, ostendit, uti ipse oculis aspexit scriptor. Vidit & erutas ibi tessellas ex rubra terra coctiles octangulares LAPPIUS, in quibus crux ansata ☥ exprimitur, de hac cruce, consulendus est Lipsius lib. 1. de Cruce, cap. 8. & in notis ad istud caput. Iacobus Bosius lib. 5. de triumphanti Cruce, cap. x. fol 467. & seq. Pater Gretzerus de Cruce, tom. 1. lib. 1. cap. 51.

Ad folium 3. *Ædiculam D. Thomæ condidit.* Dagobertus Rex Francorum auctor Trajecti, ut Ioannes Beca in proæmio sui Chronici scribit addens; Omnis negotiatio mercatoria trajiciebatur per thelonium Castellani Trajectensis, quæ per Rhenum vehebatur ex fluvio salsi maris, infra cujus emunitatem primordialis Ecclesia constructa fuit in honorem S. Thomę venerabilis Apostoli, in qua sancti Sacerdotes plurimos labores expleverunt pro conversione Fresingensis populi, fol. 4. Inde apud Ultrajectinos fuit & adhuc permanet solennior cultus D. Thomæ primi Patroni Ecclesiæ, cujus vigiliam octava ante festum & octava post festum die publico in plateis extructo igne majorum institutione concelebrat juventus. Quo ritu & S. Ioannis Baptistæ festum alijsque alibi sancti vespere diei festi coluntur; atque adeo ipse D. Martinus (Defensor patriæ ut in campana legitur turris Dominicę) apud nos facibus accensis in profesto ejus post meam pueritiam cultus est, Argumento charitatis in dictos Divos; lætitiæ item ac triumphi signo hieroglyphico ut apud Ioh. Pierium Valerianum, Cælium Rhodiginium Antiqq. lect. lib. 15. Guil. Durandum lib. 7. cap. 14. num. 12. Rational. Divinorum officiorum, Lipsium Electorum lib. 1. cap. 3. & ad Senecam fol. 604. videre est. S. Thomas Turffjen.

Ad idem fol. linea a fine 6. *Hollandiæ Comites Episcopi Vltrajectini clientes.* Legi in articulis pro parte Episcopi Trajectensis exhibitis Deputatis Cæsareæ Majestatis in Conventu Schoonhoviensi xxij. Novembris anni 1525. articulum 4. qui ita se habet. **Item zoemen wt veel bescheyts bevijnt / datmen 't Graeffschap van Holland ende de Heerlijckheydt van Kermerlandt van den Ghesticht van Vtrecht te Leen te houden plach/ is wel behoorlijck dat sulck versenck geschije.**

Utsupra, linea 5. *Benthemenses Comites Episcopi Vltrajectini Clientes.* Benthem castrum quando feudum factum sit sedis Ultrajectinæ vide apud Bucchelium fol. 51. notarum ad Becam.

Ad fol. 6. *Vir pacis belliquè artibus juxta insignis.* Extat ad hunc Philippum nostrum Erasmi Rotterodami Querela pacis undique profligatę & ejectæ, Tom. operum iiij.

Ad idem fol. *Missi ab Erardo Arenbergensi.* Extat in mea Bibliotheca Processus electionis & postulationis de persona Illustris: Domini Henrici ex Comitibus Palatinis Rheni & Ducibus Bavariæ, in quo propositio per Deputatos Cæs. Maj. & Illustrissimę Dominæ Sabaudiæ Ducissæ. Item altera per Oratores seu Ambasiatores Principis Palatini Ludovici. Denique tertia Ambasiatorum & Consiliariorum Ducis Gelriæ, &c. coram Prælatis

R &Ca-

& Canonicis Ecclesiæ Vltrajectinę factæ leguntur. Erardi autem Episcopi Leodiensis, Archiepiscopi Valentini, Presbyteri Cardinalis tt. S. Chrysogoni gesta si quis scire desideret, plenius quam hic enarrātur, videat Chapeaville tom. 3. historiæ Leodiensis, & Ciacconium à Victorello auctiorem factum in opere de vitis Pontificum & Cardinalium Romæ edito.

Ad fol. 12. linea 1. *Identidem occinentes, penes illos, &c.* Belgicè. **Hebben zy de keur: wy hebben de deur.**

Ad fol. 13. & 133. *Philibertus Naturellus.* Hujus viri laudem ita deprędicat Petrus Sanjulianus in Antiqq. Burgundicis fol. 321. Les Seigneurs de la Plainne & de Chevanes ont eu de grand personnages en leur maison, entre autres Reverend pere en Dieu Messire Philibert Naturel Dom Prevost d'Vtrecht, Abbé de Villars, d'Aisnay, &c. Chancellier de l'ordre de la Toison d'or & longuement Ambassadeur en Frāce pour les Empereurs Maxemilien & Charles v. C'est ce Dom-prevost d'Vtrecht, mentionné par le Seigneur de Langey en ses memoires: & par qui l'Empereur Charles denonça la guerre au Roy François estant à Dijon.

Ad idem fol. 13. linea 45. *Henricus Palatinus Episcopus proclamatur.* De hac re ita est in processu Electionis supra memoratę. Omnes & singuli Pręlati & Canonici hujusmodi electionem & postulationem de persona Illustris Domini Henrici ex Comitibus Palatinis Rheni & Ducibus Bavariæ, Canonici Coloniensis factam & publicatam, prout melius & de jure potuerunt ac debuerunt, concorditer laudarunt, acceptarunt, & approbarunt, ratasque & gratas habuerunt, ac se habere dixerunt, nemine opponente, reclamante seu contradicente: deinde ipsis Dominis Prælatis ac Canonicis in domo Capitulari ad parvum temporis spatium remanentibus & ad mandatum eorum campana magna pro convocatione cleri ac populi pulsari inchoata, & hujusmodi pulsu durante, eis ab eadem domo Capitulari processionaliter chorum dictæ Ecclesiæ Trajectensis accedentibus, & Canonicis inibi in suis stallis stantibus, D. Iacobus de Appeltern Decanus alijque Prælati oxale ante chorum ipsius Ecclesiæ ascenderunt ibique dictus D. Decanus publicè alta & intelligibili voce in materna & theutonica lingua electionem & postulationem prædict. de persona dicti D. Henrici concorditer factam coram Nobilibus & Magistratu nec non magna multitudine cleri & populi civitatis, patriæ & diœcesis Trajecten. ad sonum campanæ prædictæ congregatis ex commissione totius Capituli publicavit ex schedula quam manu gestabat hujus tenoris. **Edele/ vroome/ wijze/ voorsichtige Ritteren ende knapen/ Stadt ende Steden ende alle gemeyn ondersaten geestelijck ende weerlijck des Stichts van Utrecht/ Ick geve u te kennen van wegen der Prelaten ende Capittelen der vijf Godts huysen dat wy op huyden eendrachtelicken in die stede van Heren Philips wijlen eer Bisschop Tutrecht gecoren ende gepostuleert hebben den Hoochgeboren Fursten ende Heer/ Heer Henrick Paltzgrave by den Rhijne/ Hertoch in Beyeren/ Domheere thoe Coellen in onsen Prelaet ende Bisschop deser kercken Tutrecht/ Wilt daerom Godt loven ende vrolick wesen.**

Ad fol. 34. *E foro scrutario.* Intellige **S. Marien Plaets/** vulgo **de Luys-merckt.** Erravit hic ut & alibi sæpe pueriliter in sua Belgica Hortensij versione fol. 68. quam necdum ex ephebis egressus fecit exercitij, non editionis gratia, Adrianus Strick, qui post Iuris Consultus consummatissimus atque Agens in rebus Ser. Daniæ Regis apud Præpott. Ordd. Fœde-

Fœderati Belgij vivere desiit, cum forum scrutarium **S. Martens plaets** interpretatus est.

Ad fol. 47. *Ad Taislicam.* **T'apenslijcxsche Veer.** Hic trajectus est ex pago **t'Wael** in Hagensteynense Dominium, cujus medietatem proventuum ex hoc trajectu Civitas Vltrajectum inter alia bello Hagensteynensi acquisita adhuc habebat anno 1439. uti patet ex rationibus de anno dicto Adriani van Lanscroon Camerarij seu Quæstoris dictæ civitatis.

Ad fol. 49. *Humilia pascua dicebantur.* Vide Hedam fol. 291. & ibi Buchelium fol. suarum notarum 307. De his pascuis venditis ita legi in registro literarum Canonicorum Regularium Vltrajecti. **De Stadt Utrecht heeft tot vervallinghe haerder schulden vander zuenen van Bourgoñ. van heur Stadtsweyde met consent vanden Raedt Oudt/ Nijewe/ende der gemeene Gilden/** Galli 1432. **een partije verkoft.**

Ad fol. 57. & 157. *Quod macellum appellatur.* Hodie **die Stadts-kelder.** Ab hoc macello vicina platea Sanctæ Annę, **de Vuyl-stege** appellationem sortita est, quod ibi laniones agerent.

Ad fol. 58. *Lævus libellorum magister quem vulgus Cancellarium appellat.* Reperio magistrum Philippum Bourschont Cancellarium Episcopi dici in Tractatu habito super translatione patriæ Vltrajectensis quantum ad temporalitatem in Cæs. Maj. quem conscripsere Ioannes de Goch & Wilhelmus filius Iohannis de Trajecto superiori cognomine Animans Sacris Apostolica & Imperiali auctoritatibus Notarij.

Ad fol. 71. *Quod earum duplicarij.* Qui duplum accipiebant stipendium. **Adel-borsten** puto intelligi.

Ad fol. 80, lin. 24. *Smullingiacæ inimicitiæ.* Sed quæ hæ inimicitię, & quo auctore ortę? fateor me plenè nòn scire; sed arbitrari ortas à Theodoro **Smulling** Castellano Arnoldi Ducis Gelrię in arce Rosendalia, qui de minus fida administratione accusatus est annotante Isaco Pontano V. CL. mihique quondam familiari ad annum M.CCCC.LX. lib. 9. historiæ Geldricæ, fol. 519. ipsiusque Pontani verba fol. priori hæc nempe [Multa quoque ac varia erant, de quibus per idem tunc tempus diœcesin Trajectensem compellandam haberent civitates nonnullæ Geldricæ, ut & Nobilium aliqui.] huc ad Smullingiacarum inimicitiarum originem trahenda esse.

Ad fol. 110. *Dobbesteinius.* Dictus de Doenrade Nobilis ex regiuncula Valckenburgensi Provincię Limburgensis.

Ad fol. 118. Et aliud hujus operis. Is qui nominatur Archiepiscopus Trevirensis in ordine ejus Cathedræ CII. est, Richardus nempe ex Nobili familia **Grysenclau à Wolfrats/** qui anno 1511. electus, talem se præstitit Principem, qualem vix Germania multis retro seculis habuit, defunctus anno 1531.

Ad fol. 121. *Tormenta leviora circa Hasenburgum ... disponuntur.* Ædes prætoria in Foro Palatino ex duabus ędibus familiaribus constat, quarum altera vetustior **Lichtenberch** dicta, altera recentior, tempore nempe Caroli V. Cæs. Domini Vltrajectensis restaurata, ex qua publicationes & edicta ad populum promulgātur, **Hasenberch** nominatur à familia Hasiorum, quæ in conjugio Rijckiorum & Ruyschiorum disiit.

Ad fol. 125. *Munitioni præficitur.* Warnerus **van Grol** Prætor Harderwicensis quem per Iohannam filiam nuptam Meynardo **Sack** Prætori Bunschotano proàvum maternum agnoscit Ger. Wassenaer I. C. collegio

R 2 Cano-

Canonicorum S.Petri Vltrajecti à Secretis. Meminit & hujus Warneri, sed sine cognomine Pontanus fol.741.lib.xj. historię Geldr. Atque iterum auctor noster Hortensius infra fol. 148. ubi eum memorat inter Duces captos, qui Arcem Amisianam Burgundis, qui pro Episcopo Bavaro militabant, dediderunt, quique ad xxxij. Amersfordiam missi, partim in publicam custodiam, (quæ obtusa turris appellatur) partim in carcerem Marianum conjecti sunt. Turris obtusa quæ hic nominatur **Plompen-toorn/** non Vltrajecto sed Amersfordiæ debetur: itaque è margine tollenda sunt verba, **der Marsluyden toorn/** anno 1378. dicta quæ verba competunt Turri obtusæ, eique nominatissimæ, quæ est Vltrajecti: per præcipitantiam posita, non satis observatis Hortensij verbis. Carcer autē Marianus sub præalta turri divæ Virginis etiam Amersfordiæ debetur: intelligit enim Hortensius Sacellum divæ Virginis in omnibus vicinis regionibus notissimum, quod (ut Michaël ab Isselt loquitur) nostris adhuc temporibus ab innumeris peregrinis frequentatur, ob statuam B.Marię anno 1444. (ut scribit Ioannes Gallus Mommandiensis) in aqua inventam.

Ad idem fol. *Æde sacra, quæ à tergo adhærebat, eversâ.* Vidit Lappius literas quibus **die vander Eem een bequame plaetse tot een Kerck van Keys.Maj. ende zeeckere penningen worden gegeven / Ende voort een bede den bueren verleent by Antonius Lalaing Grave van Hoochstraten binnen de limiten van zijn Gouvernement/** de data xvj Martij 1531.

Ad fol. 133. *Castella aliquot .... in Iutfasio ussit.* Iutfaes pagus est ex antiquissimis Provinciæ Vltrajectinæ ubi Plura Nobilium domicilia pleraque ex nobili Iutfasiorum familia descendentia, quorum hæc est nomenclatura atque ætas, qua innotuerunt. **Iutfaes** anno 1165. **Rynesteyn** 1350. **Rijnhuysen** 1370. **Vronesteyn** 1300. **Wijnesteyn** 1300. **Galesloot** 1380. **Heemsteden** 1323. **Stormdijck** 1400. **Plettenburch** structum à Dominis de Goye, 1300. **Ten Baen** 1538.

Ad fol. 140. *Interea Gelrus Hagam diripit.* De hac vastatione circumferuntur schedæ vulgares Nob. V.Hereb. van Amstel van Mynden. Quam verò ægra fuerit Senatui Vltrajectino patet ex sequenti copia, quam mihi communicavit D.Bootius civitatis Senator & Scabinus, Academiæque Bibliothecarius, Vir Clarissimus mihique amica familiaritate ac parili antiquitatis studio cōjunctissimus. **Saterdach na** Invocavit 1528. **De Overste Out eñ Nije extusert niet geconsenteert te hebbē datmē op dē Hollanderen toetasten zoude/als inden tocht van Kupteren en Knechten over twee dagen in Holland om onse vijanden te straffen ende 'tlant in verding te brengen geweest sijn.** Prout in registro dicto **dagelijckx boeck** fol. 147 ubi hæc sequentia subiunguntur. **Des donderdaechs na** Invocavit, **den vijffden Meert sijn die knechten ons Genedichs L. Heeren des Hertoge van Gelre etc. eñ der Staten van Vtrecht met seven veentgens/ wesende ontrent twee duysent sterck/verbij eñ oock ynsdeels wter stadt van Vtrecht vijantlijck getogen in des Grevenhage in Holland/eñ hebben aldaer haren wille van vangen/brantschatten/ende plonderen bedreven/doch geen rijcke Heeren/Advocaten/noch Procureuren aldaer gevonden: want die (alle goets verlatende) gevlogen ende ontkomen waren. Sy quamen inden Hage 's vrijdaechs nae** Invocavit. **Lagen daer stille ontrent twee dagen eñ nachten/eñ quamen wederomme onbeschadicht ende ongeschendt t'Vtrecht/ 's Dijnsdaech nae** Reminiscere, **alse opten sesten dach nae hoir wt-**

wtrepsen 'smorghens voor acht uren mit seer veel goedts/gulden/zijden cleederen ende andere/oock clepnoden/ gelt/ gout/silver/ eñ anders meer. Sed & Amorsfortij, in ejus (scilicet direptionis Haganę) societatē perniciosam nunquā iverunt, ut Hortēsius loquitur fol. 163. Quàm verò hæc Hagana direptio decantata fuerit, prӕter alios annotavit in conjuratione Geldrogallicâ in Antverpiam Ioannes Servilius, is qui Dictionarium triglotton olim edit, in hæc verba. Martinus Rossemius homo ad quidlibet audendum minimè impiger, miles non minus strennus, quàm belli imperator consultus, proditionibus struendis à natura fictus atque compositus, cujus ductu olim Haga Hollandiæ intuentibus propemodum præcipuis etiam ejus Insulæ civitatibus erat direpta.

Ad fol. 144. lin. 4. *Ad dicendum creandumque Ducis jussu Episcopum.* In actis civitatis Vltrajectinæ dicitur **Heer Frederick van Bpchelen Domheer tot Colen tot een geestelijck Ruwaer gecozen.** Latinam hujus postulationem C. V. Bucchelius ex meis schedis, suis variarum copiarum libris inseruit forte aliquando in lucem dandam.

Ad fol. 152. *Abstemio qui & ipse pecuniæ quam laudatæ famæ appetentior audiebat.* Extat Taucreti veteris Iuris consulti ordinis judiciarij tractatus à Luca Schroteisen editus & anno 1544. dedicatus Clarissimo Viro Domino Wolfgango ab Affenstain, utriusque militię designato, Equiti strenuissimo, Iurisprudenti consultissimo, Illustrissimi Principis Frederici, Comitis Palatini, Electoris Consultori primario, qui plenis buccis Abstemij laudes declamat, quarum partem non extra orbitam putavi, hic recitare. Ait; Sive enim auctoritatem, qua à sinistris hominum judicijs conatus hosce nostros vendicabis, sive calculum & doctrinam, qua si erratum fuerit, castigabis, exegerimus: in hoc Iurisconsultum, ut exercitatissimum ita & doctissimū, in illo nobilissimū strenuissimumque equitem assertorem habebimus. Nec enim tuarum virtutum præconium texere hic locus est, saltē ut causam nostram in tali Mœcenate prædicando agamus, quid quæso ad vitæ illius decora adjungi amplius queat qui splendida majorū prosapia natus, belli pacisque studijs exercitus Nobilissimo ex vetustissimo Cimbricorum Comitū genere, conjugio illustratus, honestissimis liberis auctus, re familiari instructus, ea denique apud universam Germaniam auctoritate est præditus, ut unus multorum Principum convertere quo velit moderarique consilia dicatur? Proinde & tu & majores tui feliciter Platonicam hanc doctrinam amplexi estis, bene eruditi viri, probi evadent, probi autē facti tum hostes pugnando vincent, tum cætera bene agent. Ita incunctanter tua vota secutus eventus primū in bonis artibus mox eo evasisti, ut annum vixdum vigesimū primum egressus, postquā insignia quę vocāt doctoralia, instinctu nobilissimorum virorum Ioannis de Morsheim & Philippi de Geldeneck tuorū cōsanguineorū, assecutus esses, jamq; à theorica illa ad practicā jurisprudentiam conversus, ubi totius Romani Imperij causarū moles agitatur, Camerę Iudicium accedens, brevi non auditor modò, sed & disertissimus fori patronus effectus togatam ibi militiā, summa cum laude laborantium spem, vitam & posteros (uti Leonis habet constitutio) defendens peregisti. Deinceps transitu ad armatā quoque facto, cùm omnes mox justæ militiæ partes egregiè absolvisses, adeoque à divo Carolo Imperatore aurata Equestri militia condecoratus redires, dux turbulentissimo quod in Eburonibus, per ejus gentis ducem contra Illustrissimum Principē Palatinum Trajectensis

Errat hic duplicē errorem Dedicator, dum Trajectum

in Eburonibus ponit quod est in Batavis, aut ut olim loquebātur in Frisijs, quē errorem in Italicis scriptoribus castigavit Hortensius folio initiali hujus operis. Alterum cum non per Eburonum (qui sunt Leodienses) sed per Geldrorum Principem Palatino Vltrajectensis Ecclesiæ Præsuli bellum illatum sit. Cætera lector consideret.

Ecclesiæ Præsidē movebatur, bello pręfectus qua magnanimitate quibusbusque belli artibus per continuum fere biennium universos eos motus sustinueris, non modò celeberrima Trajectinorum urbs à te fortissimè expugnata totque captivorum nobilissimorum redempta capita: sed & Cæsareanæ ditiones Daventria, Navalia, omnisque circumjecta regio à te strenuissimè & defensa & conservata in perpetuum testabuntur: Quid quod in omnium gravissima illa expeditione, cum Turcarum Imperator arma bis Pānoniæ superiori intulisset, in qua non modò Germaniæ, sed & totius Europæ salus periclitabatur, brevi tu ad eas belli rationes administrandas jam secundò ex universa Germanici nominis militia cum paucis potissimum Consiliarius selectus ingruentem patriæ noctem depellendi auctor extiteris? Est certè eritque id omnium tuarum virtutum quo vel unico innumeros aliorum triumphos facile adæquabis, nunquam intermoriturum elogiū. Nec jam quidem cum merito militarium vacationem munerum obtineas, minus hac conditione otiosus quàm bello antea occupatus, reipublicæ cōmoditatibus insistis, dum Illustrissimo Principi Frederico, Electori Palatino, tanquam Nestor quidam alter, ex veterano & emerito novus consiliorum antesignanus effectus, latus subinde claudere soles.

Ad fol. 153. *In ædes Ant. Venrodij.* Ædes hæ claustrales, ut vocant Canonici, sitæ sunt in emunitate Ecclesiæ B. Mariæ Virginis: ubi adhuc hodie spectatur conclave Gelricum, in cujus vitreis fenestris conspiciuntur insignia Ducis Gelriæ, Comitis Meursiæ, Mareschalli Rossemij &c. quas possedit nobilis & reverendus Dominus Lambertus vander Burch dictæ Ecclesię Decanus vir qui literas & literatos unicè amavit, ideoque dignus qui ab alijs unicè ametur Lipsij testimonio. Is in ijs an. 1617. devixit xvj. Kal. Septēbris ædesque à Decani hærede, emptione acquisivit Domicellus Oliverius Wtenhove.

Ad fol. 158. lin. 37. *Ab inimici sui G. Vordij exulis uxore.* Illustre sanè muliebris pietatis exemplum in hostem, quod jam pridē Belgico sermone donatum magnificus vir Iohannes Beverwijckius Medicinę Doctor, Senator ac Scabinus Dordracenus clarissimus dignum censuit singulari suo libello de laudibus fæminarum, cap. x. fol. 345. 346. inserere.

Barbara pyramidum jactet miracula Memphis.
Vltrajectini talia præferimus.

Ad idem fol. *Confugerant . . . in Franciscanorum cænobium.* Clariss. Vir Bucchelius familiaris (eheu!) quondam meus ad fol. 96. notarum in Becam discurrit qua ætate Minoritæ Franciscani Ultrajectum venisse & ædes habuisse putentur; quem cum ibi hallucinatum videam eruendæ ætatis ergo, subjungo bullam fundationis Ecclesiæ & conventus dictorum fratrum à me cum cura descriptam ex originali à quo sigillū plumbeum dependebat, datā an. 1246. cū divus Franciscus viginti annis ante objisset. INNOCENTIUS Papa servus servorum Dei. Universis Christi fidelibus præsentes literas inspecturis vel lecturis Salutem & Apostolicā benedictionem. Quoniam ut ait Apostolus omnes stabimus ante tribunal Christi recepturi prout in corpore gessimus sive bonum sive malū, oportet nos diem messionis extremæ misericordię operibus prævenire & æternorum intuitu seminare in terris quod redeunte Domino cum multiplicato fructu recolligere debeamus in cœlis, firmā spem fiduciamque tenentes quoniā qui parce seminat, parcè & metet, & qui seminat in benedictionibus de benedictionibus & metet

metet vitam æternã. Cùm . . . accepimus dilecti filij fratres Minores Trajectenses Ecclesiam, domos & ædificia alia ad opus fratrum inibi existentiũ . . . . ædificare & ad consummationẽ ipsorum ædificiorum tum ad vitę necessaria consequenda cùm non nisi de fideliũ eleemosynis sustententur vestrorum & aliorum Christi fidelium indigeant subsidijs adjuvari. Universitatẽ vestram . . . . hortamur in Domino ac in remissionẽ vobis injungimus peccatorum, quatenus de bonis vobis à Deo collatis . . . . subsidia erogetis ut per subventionem vestram . . . . . per hæc & alia bona quæ Domino miserante feceritis . . . . . pœnitentibus & confessis qui ad opera hæc manum porrexerint adjutricem . . . relaxamus. Datũ Pontificatus nostri an. tertio.

S.PA. S.PE. INNOCENTIUS PP. IIII.

Ad fol. 163. lin. 13. *Gerardus Sosius Botti. Consul.* Malè in veteri & hac nova editione expressum Consulis nomen. In registro enim scabinorum urbis Amersfortensis, inter scabinos anni 1526. scribitur **Gerrit Zoes Botter**/ atque iterum anno 1534. eodem modo.

Ad fol. 166. *Arcem Amisianã delere, maximè hoc bello non videtur è re futurũ.* Æstate an. 1552. diruta sunt mœnia castri de Ema in ditione Trajectẽsi, quo parceretur impensis quibus Cęsarea Majestas quotannis gravabatur alendis illic militibus. Ita reperi in memoriis Andreæ Waelkens Vicarij Ecclesiæ majoris viri & literati & nostratium rerum perquam periti.

Ad fol. 167. *Populus . . . in Cæsaris fidem juravit: datumque è more vicissim congiarium est.* **Geschiede op ten middach voor eñ in den huyse opt solder van Henrick Knoep/ etc. in't leste worden tot een vernieuwinge eñ teycken van blijschappen eñ vreuchden gout eñ silver met hant follen teffens van boven neder onder 't gemeyn volck gestroyt eñ geworpen/ den dach ghevierr/ eñ des avonts groote triumphe inde geheele stadt met vuyren/ lichten eñ anders sins bedreven/** notatum per Valentinũ vander Voort Civitati à secretis, fol. 165. **des Buyr-spraecks-boecks.** Tractatus Notariorum de Translatione tẽporalitatis Vltrajectinæ Provincię, hanc actionẽ Latinè ita efferunt. Dom. Ambasiator & procurator . . cũ Prælatis, Nobilibus ad magnum palatium Noedam vocatum processit, ibidemque ad domum discreti viri Henrici Knoep civis Trajectensis ad cameram superiorem ejusdẽ domus decenter ornatam, cum Prælatis & certis Nobilibus intravit & ascendit . . . . Dom. Antonius de Lalaing procurator & Ambasiator, posita manu sua dextera ad ordinẽ aurei velleris ab humeris suis supra pectus suũ depẽdentem, juravit ac procuratorio nomine . . juramentum . . vasallis & laïcis præstitit; mandavitque per os spectabilis viri Henrici vander Borch præsentem diem ulterius solenniter celebrari, festivari, fecit projici magnam pecuniæ quantitatem coram populo in signum triumphi.

Ad fol. 169. lin. 14. Asteriscus ille indebitè positus referatur ad lineam sequentem & hæc verba. *Archiepiscopus Panormitanus*, Cujus hic est plenus titulus. Iohannes Dei & Apostolicæ sedis gratia Archiepiscopus Panormitanus, Prępositus Ecclesiarum collegiatarum Sanctorũ Donatiani Brugensis, Piati Siclinienſis & Walburgis Furnensis, Archidecanus Bisontinus, perpetuus Commendatarius Abbatię montis Benedicti, ordinis Canonicorum regularium S. Augustini, caput seu Præses primarius concilij privati Sacratissimæ Cæsareæ & Catholicæ Majestatis. Hortensij testimonio fol. 6. homo prudentia cum pari eruditione conjuncta clarus.

Ad fol. 175. *Vltimus dies Vltrajecti Henrico Palatino in speciem illuxit.* Vrbe & Provincia jam egresso D. Thomas de Nykercken Chorepiscopus Vltrajectinus

jectinus & Ecclesiæ Divi Ioannis Baptistæ Decanus in choro suę Ecclesiæ insigne monumentum honori Patroni & memoriæ benefactoris sui dedicavit in vitro versus aquilonem, ubi ipse Palatinus chlamydatus adhuc hodie cernitur ad vivum depictus; subscriptione injuria temporis nonnihil mutilata.

Ad fol. 180. *Ut Guilhelmum Enckefordium ... Episcopum diceret.* Prior Hortensij editio habet, Michaëlem; quæ Ponto Hutero & Iohanni Isacio Pontano clarissimis historicis erroris ansam præbuit. Huterus enim modò Michaëlem modò, Guilhelmum vocat, nec sibi constat. Pontanus autem se non extricat, ut videre est fol. 761. historiæ Gelricæ. Ego ut discrimen faciam & Michaël quis vir, quàmque fuerit Ultrajecti insigniter præbendatus doceam, honorarium Epitaphium in medio Ecclesiæ ad S. Salvatorem veteris monasterij (Oudemunster) olim ei positum addam, quod ita habet.

PRÆSTANTISSIMO. MIRAQUE ERGA EGENOS MVNIFICENTIA PRÆDITO D. MICHAELI AB ENCKEVOORT TOTIVS CAMPANIÆ HVIVSQVE FANI ANTIQVI PRÆPOSITO ET ARCHIDIACONO LAVDATISSIMO, REVERENDISSIMI GVILHELMI AB ENCKEVRORT SS. IOANNIS ET PAVLI CARDINALIS, HVIVSQVE VETERIS TRAIECTI EPISCOPI COGNATO.

HÆREDES AMICIQVE MEMORIÆ ERGO PP.

EXCESSIT an. 1556. KAL. MAII LEODII IN ÆDE S. LAMBERTI SEPVLTVS.
TV QVÆSO VIATOR PIIS EIVS MANIBVS REGNVM PRECARE ÆTERNVM.

Utriusque Enckefortij imago in vitreis fenestris ad S. Ioannem in choro cernitur, qui circa id tempus extructus est adjutante R. D. Iohanne Ingenwinckel istius divi Iohannis, divi Lebuini Daventriensis nec non Xanctensis Ecclesiarum Præposito viro in Romana Curia gratioso.

Ad idem fol. *Romanæ libertatis insignia togæ argenteæ.* Pro clariore luce hujus loci adde verba veterum schedarum fol. 311. à cl. v. Bucchelio ad Hædam relatarum, in quibus ita legitur; Ende elck Overste hadde zijn silvere Tabel aen.

Fol. Ut supra. *Præfectus urbis factus Joannes Teremundanus.* Dominus de Bornevail Vicarius seu locum tenens Comitis Hoochstratani, ante Gubernator Castri Tornacensis, & Ultrajectensis Castri struendi inspector & Gubernator, vulgari agnomine dictus Jan Rondt-hoet/ sepultus est Bredæ. Memoriam ejus conservat inscriptio veteri inscriptioni subjecta ad turrim fabrorum ferrariorum in mœnibus, cui anno, quo hæc scribo magnifici concilij prudentum ad utilia Civitatis deputatorum jussu & mandato superstructa est *Specula astrologica*, quæ serviet Academiæ Ultrajectinæ ejus scientiæ Studiosis. Inscriptio verò utraque sic se habet.

Anno Domini M. C. xlv. Regis Conradi vij. Episc. Herberti vj. factum est hoc opus Praefecto Alfero ad munimen civium suorum et ad honorem civitatis Trajectensis. Amen.

Atque iterum Caroli renovatum tempore V.
Ex Terimundani placito qui prefuit urbi
Sesquimilleno subscriptis vij. triginta.

CLE-

CLEMENTIS PAPÆ VII. Bulla confirmationis translationis temporalitatis Ecclesiæ Vltrajectensis in Carolum V. Cæsarem, Tanquam Ducem Brabantiæ & Comitem Hollandiæ.

CLEMENS EPISCOPVS SERVUS SERVORUM DEI *ad perpetuam rei memoriam. Romanus Pontifex ad quem sicut omnium rerum spiritualium cura pertinet, Ita bona quoque temporalia ad quascunque ecclesias spectantia, Ipsius sunt dispositionis, pro pastorali officio sibi demandato ea assidue agit & meditatur per qua Ecclesiæ ipsæ tam Cathedrales quam Collegiatæ & illarum Episcopi & Prælati quietè & tranquillè ac pacificè vivere possint. Et si quando contingit Episcopos & Prælatos ipsos à suis sedibus & ecclesiis violenter ejici & extrudi & propterea ad sæcularium Principum opem implorandum confugere ipsorumque sumptibus, viribus & copiis in pristinas sedes rursus reponi & restitui ac per eos In tantorum beneficiorum remunerationem bona ipsa temporalia & sæcularem eorum Iurisdictionem iisdem Principibus liberatoribus concedi & in eos transferri, Pontifex ipse tales concessiones & translationes auctoritate Apostolica approbare & confirmare ac de novo concedere consuevit ut eo scilicet pacto & ipsarum ecclesiarum incolumitati consulatur & earum Episcopi & Prælati, in quiete, tranquillitate & securitate constituantur prout id in Domino conspicit salubriter expedire. Sanè licet à longis Retroactis temporibus ad omnes Episcopos Trajectens. qui pro tempore fuerunt Dominium tam spirituale quam sæculare ecclesiæ Trajectens. ac plurium Oppidorum, locorum & Castrorum tam in agro Trajectens. quam in partibus superioribus patriæ Trãsysselanæ consistentium plenissimo Iure pertinuerit. Nihilominus dilectus filius Nobilis vir* CAROLVS *Dux Gelriæ præter Ius & fas primo bonæ memoriæ Fredericum Marchionem Badensem olim Episcopum Trajectens. quoddam ex ipsis oppidis manu armata ac militari spoliavit illudque violenter occupavit ad quod rursus vindicandum, Idem Fredericus Episcopus ingentes expensas innumerosque labores subire coactus fuit. Et Deinde idem* CAROLVS *Dux similis memoriæ Philippum de Burgundia etiam Episcopum Trajectens. pluribus ex eisdem castris & oppidis vi & armis spoliavit sibique injustè usurpavit pro quibus recuperandis licet magni sumptus à prænominatis Episcopis facti pecuniaque ingentes erogatæ fuerunt tamen ea loca sic occupata, in*

Ex bibliotheca Lapii.

Meminit Huterus hujus bullæ Clementinæ & alterius Ferdinãding in vita Caroli V. inter Austriacos principes.

manibus & potestate ipsius Ducis Caroli permanserunt usque ad tempus quo dilectus filius Henricus Comes Palatinus & Dux Bavariæ in Episcopum Trajectensem Electus & electio hujusmodi Apostolica forsan auctoritate confirmata extitit. Quiquidem Henricus Electus animadvertens quod damna & Incommoda prædecessoris sui Episcopi Trajectenses subierant ut ea quoquo pacto resarciret ac paci quieti securitatique suæ ac subditorum suorum consuleret. Talem concordiam opera & interventu venerabilis Fratris nostri Archiepiscopi Treverensis, cum eodem Carolo Duce Iniverat ut ipse Henricus Electus ei summam quinquaginta milium florenorum enumeraret & quorundam castrorum occupatorum usumfructum ad ejus vitam dimitteret, quaquidem castra eo defuncto rursus ad ecclesiam redirent sed ea lege ut si proles legittima ex eo superesset illi proli duntaxat quinquaginta milia florenorum persolverentur. Cætera verò castra sic occupata extunc eidem Henrico Electo restitui deberent prout mox etiam restituta fuerunt. Et quamvis dictus Henricus Electus ea concordia sic stabilita omninò speraret se deinceps summa in pace & tranquillitate una cum subditis suis permansurum nihilominus ipse Carolus Dux oblata occasione quod idem Henricus Electus interim populari seditione fuerat repulsus immemor fœderis & concordiæ hujusmodi Castra & Oppida patriæ Transysselanæ invadere eaque obsidione premere veritus non fuit. Et cum Castrorum & Oppidorum prædictorum consules & Præfecti ad opem & auxilium implorandum ad dictum Henricum Electum confugissent & ille utpote ex sua Civitate ejectus opibusque exutus minimè opitulari potuisset quod reliquum fuit eis per litteras suas ut à capitaneo Charissimi in Christo filii nostri Caroli Romanorum & Hispaniarum Regis Catholici in Imperatorem electi qui Frisiæ praerat auxilium deposcerent, concessisset & ipsum Carolum Regem qui etiam Dux Brabantiæ & Comes Flandriæ & Hollandiæ existit, in Dominum cognoscerent, licentiam dedisset, absolvendo eos ab hommagio sibi præstito ac juramentum fidelitatis eis relaxando ac dicti consules ad hoc deputati litterarum earundem vigore post quædam capitula cum ipsius Caroli Regis ministris confecta inter cætera continentia ut dictus Carolus Rex quam primum exercitum instruere ac bellum ipsi Carolo Duci inferre deberet. Se ipsi Carolo Regi dediderunt & hommagium & Iuramentum fidelitatis ejus tunc procuratori præstiterunt. Et cum interim populus Trajectensis de Electo restituendo & si eis venia daretur rursus in Civitatem

revo-

revocando pertractasset, Dux ipse dolo & fraude quorundam seditiosorum allectus Civitatem Trajectens. clandestinè occupavit eamque hostiliter diripuit, & ut scelus sceleri adjungeret, ecclesias prophanare illarumque bona invadere & diripere ac auferre veritus non fuit: quinimo quæ ad divinum cultum erant destinata sacrilego conatu ademit atque usurpavit. Propter quæ ipse Henricus electus tot undique molestiis & ærumnis circumventus ad dilectam in Christo filiam Nobilem Mulierem Margaretam Archiducissam Austriæ pro dicto Carolo Rege in partibus Flandriæ gubernatrice: Nec non ipsius Caroli Regis in Ducatu Brabantiæ & Comitatu Hollandiæ procuratorem confugere & adversus tam atrocem injuriam, horrida facinora, necessariam opem implorare coactus fuit. Et cum dictam Margaretam ad id promptissimam invenisset & mox certus dicti Caroli Regis Capitaneus valido exercitu magnis quidem sumptibus coadunato & sub signis constituto in Ducatu dicti Caroli Ducis impetum fecisset ac oppida sub ipso Duce violenter occupata recuperasset, & ipsum Henricum Electum in sua Civitate à qua ejectus fuerat restituisset, Præfatus Henricus Electus tot calamitatibus ope ipsius Caroli Regis tandem liberatus, animadvertens se & Civitatem ipsam ac tot castra & oppida & municipia ad suam ecclesiam Trajectens. spectantia non sine magna impensa sibique intolerabili diutius retinere, nec de expensis pro exercitu in ejus defensionem & subsidio comparato factis Præfata Carolo Regi satisfacere ac cupiens dicto Carolo Regi ob tot in se collata beneficia gratiam aliquam referre & demum suorum subditorum quieti & tranquillitati ac securitati consulere eosque ab imminentibus periculis & futuris incommodis præservare, ex præmissis & aliis non minoris momenti causis Civitatem ipsam ac Oppida, Castra, municipia & loca partis inferioris Trajectensis ad ipsum Henricum Electum suosque successores Episcopos Trajectenses ac mensam Episcopalem Trajectensem Legitimè spectantia cum illorum machinis, tormentis, Bombardis ac omnibus & singulis Iuribus & pertinentiis jurisdictione temporali, nec non vasallis, Officiariis, subditis & incolis suis, in ipsum Carolum Regem transtulit & transfudit ac omnes excisias, census, redditus, emphiteoses, terras, pascua, decimas, vineas, sylvas, Iura-patronatus tam Laicalia quam castralia, nec non omnia thelonia & theloneorum Iura, studia, vasallagia, Dominia & ut vulgo dicunt altas, medias & bassas Iurisdictiones & demum omnem temporalem & sæcularem Iurisdictionem aliaque servitia

 & Iura

& Iura quæcunque ad eum ratione dictæ ecclesiæ Trajectens. in Civitate, Oppidis, Castris, fortalitis, terris, locis, dominiis & utraq; patria tam Transyssellana quam Cisyssellana prædictis quomodolibet spectabant & pertinebant cum omnibus & singulis eorum pertinentiis & appenditiis ac libris feudorum & reddituum, chartis, registris, computis & aliis scripturis præmissa concernentibus præfato Carolo Regi tanquam Brabantiæ Duci & Holland. Comiti pro se & successoribus Ducibus Brabantiæ & Comitibus Hollan. seu ejus tunc legitimo procuratori sub sedis Apostolicæ beneplacito concessit & donavit ac in eum transtulit. Nec non omnes & singulos vasallos, Officiales, subditos & Incolas prædictos à Iuramento fidelitatis & alia quacunque obligatione qua sibi & Domino temporali tenebantur, absolvit. Eisque ut à præfato CAROLO REGE *extunc de cætero auxilium implorare illique ac hæredibus & successoribus tanquam Ducibus Brabant. & Comit. Holl. Homagium & Iuramentum fidelitatis præstare valerent liberam licentiam expreßè conceßit reservata sibi ac successoribus suis Episcopis Trajectensibus sola Iurisdictione sua spirituali per Civitatem prædictã & Diœcesin Trajectensem unacũ domo sua Episcopali in eadem Civitate consistente & una alia domo extra dictam Civitatem in diœcesi sua Trajectensi sita in qua ipse & successores sui Episcopi Traject. cum sua familia quietis & otii gratia considere possent. Sic tamen quod ipse Carolus Rex Henrico electo & successoribus prædictis nomine annuæ pẽsionis duorum milium caroleorum aureorum pro dote ejusdem ecclesiæ persolveret ac præmissa omnia acta & constituta sint cum scitu & expresso consensu Dilectorum filiorum Præpositorum, Decanorum & Capitulorum prædictæ Majoris & Collegiatarum Sancti Salvatoris, Sancti Petri, Sancti Ioannis & Beatæ Mariæ Trajectensiũ ecclesiarum qui habita matura consultatione diligentique examine ea omnia approbarunt & rata firmaque & stabilia esse voluerunt, ipsiq; Præpositi, Decani, Capitulaque qui tempore quo præfatus Henricus electus consulibus & deputatis patriæ Cisyssellanæ hujusmodi per suas literas cõcesserat facultatemque tribuerat ut dictum Carolum Regem in dominum recognoscerent ac illi homagium & fidelitatis Iuramentum præstare possent à Civitate erant expulsi, nec in loco Capitulari simul convenire & consultare poterant. Iam tunc de præmißis omnibus quæ tunc temporis peracta fuerant plenam notitiam habentes matura cum deliberatione debitisque & consuetis tractatibus præmißis], Omnia per Henricum Electum ac Consules & Deputatos castrorum patriæ Transyssellan. vigore literarum Henrici Electi eis concessarum gesta & facta in omnibus*

*nibus & per omnia approbarunt & ratificarunt. Et insuper iidem Præpositi, Decani & Capitula planè considerantes id quod multis experimentis didicerant propter electiones Episcoporum in discordia factas cum alii alio traherent & suis quisque factionibus inhæreret, Civitatem universumque populum atque etiam ipsosmet in tot ærumnis & calamitatibus frequenter incidisse, ne quid tale extunc deinceps eveniret ultro ac sponte eidem Carolo Regi tanquam Duci Brabantiæ & Comiti Hollan: concesserunt & quoties contingeret ecclesiam Trajectensem carere Pastore nullius in eorum Episcopum eligendi Ius vel potestatem haberent, præterquam illius quem dictus Carolus Rex ut Dux Brabantiæ & Comes Hollan: significandum, insinuandum, nominandumque duceret. Adjicientes etiam ut nullus in Decanum alicui ex quinque ecclesiis antedictis præficeretur nisi qui ipsi Carolo Regi gratus & acceptus foret & eum tunc procuratori dicti Caroli Regis præmissa omnia approbasset acceptasset & rata habuisset, ipsi Præpositi & De*cani tam procuratorem quam Henricum Electum præfatos ad majorem ecclesiam comitati sunt. Et ibidem procuratorem in tabernaculo decenter ornato collocarunt, Episcopo & nonnullis Præpositis ac Decanis earundem ecclesiarum in suo quisque stallo ut moris est constitutis & deinde hymno* Te Deum Laudamus *alta voce jucunde & alacriter decantando ac missa solemni à quodam Episcopo celebrata. Rursus Henricum Electum & procuratorem præfatos ad domum Episcopalem comitati sunt Electoque Ibidem relicto, mox dictus procurator Prælatis & Nobilibus plerisque comitantibus ad publicum urbis Palatium se contulit atque inde ad domum privatam cujusdam civis satis magnificè instructam divertit, pulsataque campana ad cujus sonitum populus in unum convenire solet, Nobilibus aliisque dictæ Civitatis ordinibus in conspectu ejusdem Procuratoris aggregatis perfectaque Iuramenti formula qua communi dicto Carolo Regi erant præstituri, Populus universus denudato cujusque capite duobusque digitis dexteræ manus sursum erectis juxta morem qui jurejurando inibi observatur solemne Iuramentum præstiterunt, & vicissim dictus procurator ipsius Caroli Regis nomine honestè beneque tractare & ab ingruentibus malis & periculis protegere & tueri ac in omnibus boni clementisque Domini Officio fungi promisit & ad ea observanda jurejurando se astrinxit. Quæ omnia tam Henricus Electus quàm Capitula præfati præponi fecerunt in consistorio nostro Coram nobis petentes ea ut stabiliora sint ac plus roboris & firmitatis obtineant Apostolica auctoritate approbari & confirmari ac de novo concedi.* Nos Igitur *habita su-*

per

per his cum venerabilibus fratribus nostris sanctæ Romanæ Ecclesiæ Cardinalibus matura deliberatione & discussione Electum & singulares personas Capitulorum hujusmodi à quibusvis Excommunicationis, suspensionis & Interdicti aliisque ecclesiasticis sententiis, censuris, & pœnis à Iure vel ab homine quavis occasione vel caussa latis, si quibus quomodolibet innodati existant ad effectum præsentium dumtaxat consequendum harum serie absolventes & absolutos fore censentes de eorundem fratrum Concilio & ex certa scientia ac de Apostolicæ potestatis plenitudine translationem temporalis jurisdictionis, Civitatis, Castrorum & Oppidorum, tam patriæ Transyssellanæ superioris quam patriæ Trajectensis Inferioris ac aliorū jurium prædictorum in ipsum Carolum Regem tanquam Ducem Brabantiæ & Comitem Hollandiæ, ac illorum donationem ac alia per eundem Henricum Electum de eorundem Capitulorum consensu facta, auctoritate Apostolica tenore præsentium approbamus & confirmamus. Præterquam quoad cassationem pensionis, in eventū unionis mensæ Episcopalis Trajectensis beneficiorum ecclesiasticorum valore dictæ pensionis. Supplentes omnes & singulos tam Iuris quam facti defectus, si qui forsan intervenerint, in eisdem ac potiori pro cautela Civitatem & Castra ac alia jura prædicta eidem Carolo Regi & successoribus suis Ducibus Brabantiæ & Comitibus Hollandiæ in perpetuum de novo concedimus ac electiones per Capitula ipsa in Episcopum Traject. absq; ipsius Caroli Regis & successorum suorū Ducum Brabantiæ & Comitum Hollandiæ prædictorum nominatione. Nec non electiones Decanorum ecclesiarum hujusmodi illorum Decanatuum occurrente vacatione de aliis personis quam Carolo Regi & ejus successoribus præfatis gratis & acceptis pro tempore factas nullas nulliusque roboris vel momenti existere eadē auctoritate decernimus. Quocirca venerabilibus fratribus nostris Archiepiscopo Panormitano & Episcopo Castelli maris ac dilecto filio Decano ecclesiæ S. Lebuini Daventriens., Traject. Diœces: per Apostolica scripta mandamus, Quatenus ipsi vel duo aut unus eorum per se vel aliū seu alios Carolo Regi & successoribus suis prædictis in præmissis efficacis defensionis præsidio assistentes faciant auctoritate nostra præsentes literas & in eis contenta hujusmodi firmiter observari ac singulos quos literæ ipsæ concernunt illis pacifice frui & gaudere: non permittētes eos desuper cōtra præsentiū tenorē quomodolibet molestari, inquietari aut perturbari. Contradictores auctoritate nostra per censurā ecclesiasticam appellatione postposita compescendo non obstantibus fel: record: Pauli Papæ secundi prædecessoris nostri & quibusvis aliis Apostolicis

etiam


etiam in consiliis generalibus editis etiam similes approbationes fieri prohibentibus constitutionibus; Nec non Majoris & ecclesiarum aliarum prædictarum juramento confirmatione Apostolica vel quavis firmitate alia roboratis statutis & consuetudinibus privilegiis quoque & indultis Apostolicis Episcopo Trajectensi pro tempore existenti & dictarum ecclesiarum Capitulis sub quibuscunque tenoribus & formis concessis, approbatis & Innovatis: quibus omnibus tenores illorum præsentibus pro sufficienter expræssis habentes, illis, alias in suo robore permansuris hac vice duntaxat specialiter & expressè derogamus contrariis quibuscunque aut si aliquibus, communiter vel divisim ab eadem sit sede indultum quod interdici, suspendi vel excommunicari non possint per litteras Apostolicas non facientes plenam & expressam ac de verbo ad verbum de indulto hujusmodi mentionem. Nulli ergo omninò hominum liceat hanc paginam nostræ absolutionis, approbationis, confirmationis, concessionis, decreti, mandati & derogationis infringere vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare præsumpserit indignationem omnipotentis DEI *ac beatorum Petri & Pauli apostolorum ejus se moverit incursum: Datum Romæ apud Sanctum Petrum, Anno Incarnationis domini millesimo quingentesimo vicesimo nono; tertio decimo Kalendas Septembris. Pontificatus nostri Anno sexto.* Sic scriptum supra plicam A. de Castillo. Et supra dorsum erant scripta verba sequentia, *Registr. In Cancellaria Apostolica.* de Cæsis. *Sigillata sigillo aureo appenso cordulæ sericæ coloris rubei & crocei.*

FINIS.



VLTRAIECTI,

Ex Officinâ ÆGIDII ROMAN Academiæ Typographiæ, ANNO cIɔ Iɔ c XLII.



INDEX

Rerum toto hoc opere memorabilium.

A

B.

R

S

T

V

FINIS.

Errata in Hortensio sic corrigat Lector.

FOl. 1. linea ult. lege, *patrio.* fol. 4. lin. a fine, 13. asteriscus ille ponendus est ad verbum, *intra.* fol. 40. Ad marg. qui lege *quod.* fol. 49. lin. 6. lege, *perdendi.* Item ad marg. lege *Benningi.* fol. 55. lin. 6. lege *Vianensis.* fol. 63. ad marg. lege *Mindenus & Ernestus*, alia errata ibid. per se corrigat lector fol. 68. ad marg. scribe an. 1527. fol. 69. lin. 19. scribe, *diem ei.* fol. 72. scribe lin. 15. a fine Trajectum. fol. 79. lin. 27. lege, *transivere.* fol. 83. lin. à fine 13. lege, *urbs.* fol. 87. lin. 22. lege *libertatis.* fol. 111. ad marg. lege, *disceptatores.* fol. 120. l. 1. lege *facundia.* fol. 123. lin. 10. lege *occultè.* fol. 125. lin. a fine 3. lege, *satis.* & l. 2. *fossa tum.* fol. 153. ad marg. pro redibus lege, *rebus.* fol. 160. lin. a fine 19. *oculatum.* fol. 165. lin. 12. lege, *nuper* fol. 169. lege, *opibus præpotentes.* fol. 172. errata ad marginem lector per se corrigat. In Bulla Clem. linea a fine 7. lege *se noverit incursurum.*



